ILLUSTRIUM ECCLESIAE ORIENTALIS SCRIPTORUM, QUI...

Pierre Halloix

Digitized by Google

37
10 E
3

HALLOIX
SCRIPTO
ECCL ORIE
SECVNDI
SECVLI

G
6
7

Digitized by Google

Digitized by Google

A

Digitized by Google

De La Barmondiere Dor

Digitized by Google

ILLVSTRIVM
ECCLESIÆ ORIENTALIS
SCRIPTORVM
SECVNDI SÆCVLI
VITÆ ET DOCVMENTA.

Digitized by Google

ILLVSTRIVM ECCLESIÆ ORIENTALIS SCRIPTORVM,

QVI SANCTITATE IVXTA ET ERVDITIONE, SECVNDO CHRISTI SÆCVLO FLORVERVNT, VITÆ ET DOCVMENTA.

AVCTORE

R. P. PETRO HALLOIX

LEODIENSI,

SOCIETATIS IESV PRESBYTERO.

Adiuncta sunt è Græcorum Menæo de ijsdem Scriptoribus ELOGIA GRÆCOLATINA ex eiusdem versione.

Item eorundem SS. insignia quædam FRAGMENTA, nunc primùm græcè è bibliotheca EMINENTISSIMI CARDINALIS RVPIFOCALDI emanantia.

Postremò NOTATIONES ET QVÆSTIONES quædam ad VITARVM confirmationem & illustrationem pertinentes.

DVACI,
Ex Officina Typographica PETRI BOGARDI, sub Biblijs aureis.
Anno M. DC. XXXVI.

Cum Gratia & Priuilegio.

Ex majori Bibliotheca Conv^tus SS^mæ Trinitatis montis pincij.

Digitized by Google

37.10.E.3

Digitized by Google

ADMODVM R.^DO PATRI AC DOMINO

D. ANTONIO DE VVINGHE COENOBII S. LAMBERTI LÆTIENSIS ORDINIS S. BENEDICTI ABBATI DIGNISSIMO.

HIc secundus illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum liber, ADMODVM REVERENDE PRÆSVL, ad Te eâdem viâ, atque eodem iure, quo prior ille benignissimo sinu tuo exceptus, in præsentia venit: nempe per sui maioris natu vestigia germanus frater, ætate quidem minor; sed formâ, virtute, robore fratri haud impar; ac totus quidem & in solidum (quod libenter præ se gerit) meritis tuis debitus. Is Tibi duodecim exhibebit præclaros heroas, doctrinâ insignes, sanctitate eximios, dictis, factis, scriptis peræquè admirabiles. In quibus agmen ducet, propter ætatis prærogatiuam, magnus ille ABERCIVS, Hierapoleos in Phrygia Episcopus: in quo ad tantum fastigium ascendêre virtutes, vt raro primariorum virorum decreto meruerit *ἰσαπόστολος vulgò appellari. Quippe qui gratiæ & cursus Apostolici quoddam instar, & omnis Pontificij muneris viua spiránsque imago cunctis ad sui imitationem Episcopis præluxerit. Quæ autem plurima & auditu rarissima patrauit miracula, hæc cum grata animi voluptate non mediocrem fratrum vtilitatem ac salutem habuêre permistam. IVSTINVS

* par Apostolis.

autem Philosophus & Martyr secundas obtinebit, qui inter veros æui sui Philosophos primas olim tenuit, & puram ac sinceram sapientiam, sicut thesaurum perscrutatus, inuenit, possedit, & cum multis liberaliter ac sine inuidia communicauit. Huius porrò à Gentilitia superstitione ad Christi fidem conuersio diuina prorsus ac singularis exstitit. Cui proinde maxima in futurum promittenti, consecutæ virtutes ac suscepta pro Religionis defensione egregia certamina pulchrè responderunt. Nam & Iudæos in suarum vetustate cærimoniarum vanè gloriantes depressit, & Gentiles superba Deorum immortalium nomina inaniter concrepantes fatuitatis conuicit: & hæreticos vrente ambitionis æstu noua molientes, ac sub ouium tegumento vulpinas fraudes & lupinam rabiem meditantes, pelle non suâ exuit, & quales introrsum essent, quidue domi machinarentur, palàm ostendit. Denique è multis certaminibus victor, & tot fere trophæis, quot conscriptis ab se libris gloriosus, tandem in laudatissima sanctorum Martyrum propugnatione, pulcherrimâ & ipse muneratus est palmâ martyrij. IVSTINO proximus subibit IRENÆVS, magnus ille Lugdunensium Antistes, & omnium Antistitum qui ibi fuerunt, sunt, erunt (postremum hoc verbum si audaciùs dictum, ipsa, me lubentissimo, diuina in consecuturos Antistites largitas emendabit) multò præstantissimus: ille, inquam, ex certo nominis sui præsagio, verus orbis Christiani pacificator; qui præcipuas totius Ecclesiæ partes, Orientalem inquam & Occidentalem, perniciosissimo ipsarum dissidio, aut iam diuellendas, suæ interuentu auctoritatis coniunctas retinuit; aut tantisper diuulsas, reconciliatis inter sese quodam indulgentiæ moderamine animis discordantium, in vnam pacis ac concordiæ compagem mox redegit. Tam multas porrò ac tam varias cum ipsius IRENÆI proprias ac peculiares, tum aliorum quoque S S. Martyrum communes

communes cum ipſo virtutes, OPTIME PRÆSVL, hîc reperies; vt haud facilè in omni reliqua totius Eccleſiæ hiſtoria, illis par aut ſecundum quicquam inuenias. His porrò ſuccedet quarto loco S. HEGESIPPVS, vir propter requiſita Apoſtolorum ac Diſcipulorum Domini præclare dicta factáque (quæ & litteris fidelibus commendauit) optimè de re Chriſtiana meritus. Ipſe enim S. Lucæ, diuini Actorum Apoſtolicorum conſcriptoris eximium laborem piè æmulatus, non pauca de Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus ab illo præterita (nec enim ipſe de omnibus, neque omnia ſcribere inſtituerat) velut ſacras reliquias ſtudiosè recollegit, quæ nobis ſuo loco (vtpote adſpectu pulchra, & guſtatu ſalubria) benignus apponet. Hunc ſubſequetur S. THEOPHILVS, magnæ Antiochiæ, poſt Petrum Apoſtolum & aliquot ſanctiſsimos eius ſucceſſores, dignus tantis maioribus Epiſcopus. De cuius hortis ſanè cultiſsimis quàm pulchros amœnóſque flores, B. Hieronymus olim decerpſerit, atque in ſuas ſacræ ſcripturæ areolas (eâ lege ſcilicet, quâ rerum in medio poſitarum vſusfructus eſt omnium) non inutiliter tranſtulerit, infrà licebit recognoſcere. Sextus autem in hac Beatorum Scriptorum corona ſpectabitur S. DIONYSIVS Corinthiorum Epiſcopus, vir diffuſiſsimæ caritatis, & qui non vnam ſolummodò Eccleſiam ſuam, ſed multas quoque alias, dimiſsis quaquauerſum perquam ſalutaribus epiſtolis, velut cæleſti rore irrigauit. S. Dionyſio ſuus coniungetur familiaris S. PINYTVS Cnoſsiorum in Creta Pontifex, *& inter Epiſcopos* (tali enim elogio in ſacris tabulis afficitur) *nobiliſsimus*. Præterea (vt breuiter & nomine tenus alios percurram) in hunc quoque beatiſsimum chorum ſuo iure venient S. PHILIPPVS, Gortynæ in eâdem Cretæ inſula Antiſtes, S. CLAVDIVS APOLLINARIS, S. MELITO, S. PANTÆNVS, S. SERAPION. Sed hoc plus volumini

 huic

huic quàm priori accedet, quòd insignia quædam horum SS. Patrum *Fragmenta*, nunquam antehac edita, & tamen à viris doctissimis maximè olim perquisita, nunc primùm è bibliotheca Eminentissimi Cardinalis RVPIFOCALDI (à quo id beneficij operâ Iacobi Sirmondi, viri sacræ antiquitatis studiosissimi nuper recepimus) nunc, inquam, primùm à prælo nostro ad claram lucem emanabunt. De ceteris porrò, quæ hîc à nobis itidem tractabuntur, seu necessarijs quæstionibus, seu fructuosis documentis, seu quibuscumque alijs sacræ historiæ firmamentis, superuacaneum duco, Amantissime Ordinis nostri PRÆSVL, apud TE pluribus agere, qui & cogitationes nostras tuæ solertiâ prouidentiæ præcurris, & hosce quamuis exiguos labores pluris, quàm optare votorum nostrorum modestia patiatur, voluntate tuâ facis. Sed tamen priora illa præmitti à nobis oportuit; quò ipsa huius operis nomini tuo dicati intima structura, vel ex ipso vestibulo TIBI honoris caussâ patesceret. Sic autem opto, & ita Deum Opt. Max. rogo, obtestórque, vti & cælum illud, ad quod in hac bona & venerabili tua senectute assiduis identidem precationibus adspiras, Tibi aliquando (sed ita vt tardissimè nos relinquas) ad plenam atque perfectam æternorum bonorum possessionem, quàm latissimè pateat. Vale. Duaci, pridie Kal. Iunij, anno DOMINI M. DC. XXXV.

Venerandæ Dignitati Tuæ

addictissimus

PETRVS HALLOIX.

ΑΙΔΕΣΙΜΩι ΠΑΤΡΙ

ΠΕΤΡΩι ΑΛΛΟΙΣΩι

ΤΩΝ ΕΞ ΑΝΑΤΟΛΗΣ

ΑΓΙΩΝ ΣΥΓΓΡΑΦΕΩΝ ΒΙΟΥΣ

ΚΑΙ ΔΙΔΑΓΜΑΤΑ ΕΚΔΙΔΟΥΝΤΙ

Εἶδος Πινδαρικόν.

Στροφὴ α, κώλ. ϛ.

Ὀλυμπ. ια. ΠΑνσόφῳ τιμὰν περιώσιον ἀνδρὶ
Μοῖσα δὸς κοσμοκράτορ· εὐφροσύναν
Ἁμέρας ὑμνήσομεν, ἐξ
Εὐφρονᾶν μελαντάτων, ἠλέκτρας ἀελίως ἁ-
μὶν ἀγούσας. Χαῖρε τερψίμβροτον
Ὦ ὄμμα. Χαῖρε παμφαὲς Ἀντολία.

Ἀντιστρ. κώλ. ϛ.

Ἐξυφαίνωμεν Χάριτας πυκνόασφι·
Πέτρε, τοι ὀφείλεται εὐλογία·
Τοῦ ἀνεζωγρήσας ὀλέ-
θρου, πάλαι περικλεεῖς σημάντορας Ἑλλάδος, ἔρ-
ρημάτων, κόσμου κλέος, ποιμένας (μα
Λαῶν, βίου σκοπούς, ὁσίων κλισίας.

Ἐπῳδ. κωλ. Ι.

ΠΕΤΡΟΣ ἐπιχθονίοις αἰνετὸς μετείει.
Στᾶτε παλίμβιοι, ὦ θνατῶν Πάτρες,
Ὅταν ἀγλαίερο φῶς ἀνατέλλετε, με-
ταπρέπων ἄλλοις Ἀβέρκιε, τ' Ἰου-
στῖνε, τ' Εἰρηναῖε· πῶς ἐπαινέω
Τοὺς δαίμονας βαθεῖς,
Ἀρχιερῆας ἀρίστους; Τὰν μὲν ὑμῶν ἔξοχα
Εὔστομον οὔτ' ἀρχαῖος αἰὼν,
Οὔτ' ἐρίβρομοι φθονοῦντες,
Διαλλάξαντο φάμαν.

REVERENDO PATRI

PETRO HALLOIX

SANCTORVM EX ORIEN-

TE SCRIPTORVM VITAS

ET DOCVMENTA EDENTI

Ode Pindarica.

Strophe I. versuum 6.

PLaude festiuo mea tibia cantu, Olymp. XI.
Et PETRVM dignis cole honoribus: ortum diem nobis agimus,
Qua potens reducit vndis Hesperijs in Eoas,
Tot micantes Cynthios. O faue
Iucunda lux! Io rediuiue Oriens!

Antistrophe versuum 6.

Interim tantis meritis referamus
Gratiarum munera. PETRE, tibi
Debita hæc sunt: tu veteris
Græciæ tenebricosâ lumina nocte sepulta
Excitas, Ecclesiarum magistros, Martyres, Patres, fidei decora.

Epodus versuum 10.

Ergo tuum eximium nomen æuiternitas memor efferet. At vos, Præsules,
Agite, lætis surgite passibus, ardentiores sole promite radios, Aberci maximè, Claudi, Melito, Serapion, Patrum
Lucida sidera. Quis dignè queat tantos coluisse viros? Non tempus, aut liuor malignus abdet vnquam
Iubar vestrum tenebris.

P. IVDOCVS DE MARES

Societatis IESV.

REVE-

REVERENDO PATRI

PETRO HALLOIX

SOCIETATIS IESV PRESBYTERO

IN SS. PATRVM ORIENTALIVM VITAS

SECVNDVM TOMVM EMITTENTI

Ode Horatiana.

SI quem vetustę marmora Gręcię
Incisa clarorum effigie virûm,
Fuluóue delectat metallo in
Cecropiis animata flammis,
Aut inuidendis ora coloribus
Expressa mirari; huc age, quò vocat
Rumore cantatus secundo
Magnanimi labor Halloisi.
Non ille ferro, non domat ignibus
Æris rigorem; non tabulâ super,
Lentos Apellæâ colores
Arte trahit, Siculóue cælo
Marmor fatigat: sed volucris styli
Et eruditæ signat arundinis
Sudore victuras ad æris
Inuidiam opprobriúmque chartas.
Hac arte seris nobilis artifex
Visenda pingit signa nepotibus,
Tetrísque Graiorum redonat
Ora Patrum, celebrésque vultus.
En, quantus illinc prodit Abercius!
Quâ luce frontis! non aliter stetit,
Cùm fracta calcaret trementis
Arma stygis, febriúmque totas
Ægris cohortes pelleret artubus.
Sic ora quondam, sic oculos tulit
Pacator Irenæus orbis,
Quo duce conciliata Patri
Eos Latino. Te simul Attici
Iustine cerno gloria pallij,
Qualem senatores loquentem
Attonitâ extimuere Româ:
Qualis stetisti, dum Capitolio,
Vanísque victi fulminibus Iouis
Ibas vibraturus disertæ
Fulmina viuidiora linguæ.
Te Cnossiorum Pinyte: te nouum
Philippe Cretum sydus: Achaicæ
Te præsul agnosco Corinthi.
Quid memorem Melitona magnum?
Pantæne quid te? Quid reliquos canam,
Vel quos renato proxima tempori
Produxit ætas, vel secundo
Fudit Eos generosa sæclo?
Quid quos deinceps eximet inuidi
Longâ Halloisvs nocte silentij?
Infesta si pacis quietas
Bella coli patientur artes.
Heu! bella, quæ tot dissidium graue
Per lustra traxit, perdere pertinax
Europam, & immani sepultas
Strage super cumulare gentes.
Numquámne nostris cædibus ebriæ
Ponentur iræ? Iam galeæ gemunt,
Crudísque hebescentes quietem
Vulneribus meditantur enses,
Nouámque telis materiem negat
Exhausta tellus. Sistite, sistite
Certamen inuisum, & cruentas
Fœderibus sociate dextras.
Aut si incruentum respuit otium
Assueta crudo dextera prælio,
Gestítque cæsorum rubentes
In cumulo reperire palmas;
Ite, ite, iunctis findite copiis
Ferrata sæuorum agmina Bistonum,
Latéque regnantes Gelonos
Immerito spoliate sceptro.
En, vt decoris Thracia laureis,
Prædáque vestras increpuit moras:
Ite, & triumphatam pudendo
Imperio, grauibúsque dudum
Vinclis gementem soluite Græciam,
Et tamdem auitis reddite legibus.
Impunè pòst vobis licebit
In Solymæo equitare campo, &
Romanâ Idumen tundere lanceâ,
Dum Marte felix exule ferias
Europa ducet, atque inermes
Tuta domum reuocabit artes.
Odere mites bella scientiæ:
Ardor serenum Martius ingenî
Extinguit ardorem, & repostis
Accelerat mala fata libris.
Pax læta doctis restituet suos
Chartis honores: pax vegetam ingenî
Flammam redaccendet, meúmque
Per populos feret Halloisvm.

P. ERARDVS FVLLONIVS Societatis IESV.

REVE-

REVERENDO PATRI
PETRO HALLOIX
SOCIETATIS IESV PRESBYTERO
AVVNCVLO SVO PLVRIMVM COLENDO

ANAGRAMMA

PETRVS HALLOIX
SOL ET LVX PHARI.

O Nimiùm PETRO felicia sæcula SOLE!
Atque nouâ felix Græcia LVCE PHARI!
Non ita, cùm fertur cæli per aperta quadrigis,
Phœbus agit clarâ nubila tetra face:
Vt SOL hic, Graîum vitas dum lustrat & acta,
Cuncta suo reddit lucidiora die.
Heu! multos antiqua Patrum monumenta per annos
Celarat tenebris nox inimica suis.
Nec scripta heroum (licet aurea & ignea scripta)
Pro meritis nôsset qui satis, vllus erat.
Quísnam HEGESIPPI nôrat? quis nôrat ABERCI?
Aut IVSTINE tuâ scripta vel acta manu?
Nempe (vetustatis fuit hæc iniuria) rebus
Iam super è tantis nil nisi nomen erat.
At simul effulsit SOL iste; en reddita gestis
Gloria, & obscuris gratia prima libris.
Quin tenebris latuisse iuuat: LVX abdita nimbo
Gratior effractâ nube redire solet.
Néue putes nudos reparari LVCE colores;
LVX ea non minimum, crede, caloris habet.
Ipse suis PATRVM rediuiuos ignibus ignes
Reddidit: accensæ verba fuere faces.
Perlege, diuino tibi mens ignescet ab æstu;
Et nunquam ex oculis hæc abijsse voles.
Vsque adeo geminum vincit SOL vnicus astrum.
Plúsque simul lucis, plúsque caloris habet.
Phœbe diem reparas: illustras Cynthia noctem:
Quod duo vix facitis, SOL nouus vnus agit.
Ille suis facibus simul orbem illustrat vtrumque,
Clarus & Eoo, clarus & Hesperio.
Et legit hunc lætus, gelidam qui respicit Arcton:
Et legit, obuersæ qui videt astra plagæ.
Sic luce: atque tuo bona lumina sparge nepoti,
Lucide SOL ET LVX semper amica PHARI.

ANDREAS A TORNACO Societatis IESV.

INDEX

INDEX VITARVM ET PRÆCIPVARVM QVÆSTIONVM QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

VITA S. ABERCII Hierapoleos in Phrygia Episcopi.

Circa quam hæ tractantur quæstiones partim historicæ, partim theologicæ.

Prior historica est: An M. Aurel. Antoninus & L. Verus Impp. edictum aduersus Christianos ediderint? Tractatur in Notationibus ad caput IV. vitæ eiusdem Abercij, pag. 62. & 63.

2. *Historica: An epitaphium seu epigramma inscriptum tumulo S. Abercij sit tale, vt eius dici possit, neque Episcopi dedeceat grauitatem? Tractatur in Notationibus ad cap.* 19. *pag.* 139. & *deinceps.*

1. *Theologica: Cur Deus, cùm bonus sit, supplicia inferat? & vtrum inferre possit, præsertim æterna? Tractatur in Notationibus ad cap. XI. pag.* 76. & *seqq.*

2. *Theologica: Vtrum Deus talem creare debuerit hominem, vt bene quidem agere posset, malè autem non posset? Tractatur ad idem caput, pag.* 92. & *deinceps.*

VITA S. IVSTINI Philosophi & Martyris.

Cui annexæ sunt hæ disputationes:

1. *De V. EVCHARISTIA aduersus Abrahamum Scultetum. An in ea Christus re ipsa præsens sit, an in signo tantùm? pag.* 200.

2. *An dæmones ante Christi aduentum suam ignorauerint damnationem? pag.* 319. & *seqq.*

3. *An Socrates Philosophus eâ de Deo & Christo imbutus fide fuerit, quæ ad salutem suffecerit? pag.* 333. & *seqq.*

4. *Possintne interdum homines improbi & pseudoprophetæ & infideles & hæretici vera miracula facere? pag.* 365. & *seqq.*

5. *An statua, quam S. Iustinus Simoni mago erectam scripsit, verè illi erecta fuerit? an potiùs Semoni Sango, vt quidam recentiores Scriptores voluerunt? pag.* 382. & *seqq.*

VITA S. IRENÆI Lugdunensis Episcopi & Martyris.

Ad quam adiectæ sunt hæ disputationes:

Vna de Scripturis sacris: sintne illæ omnes non solum perfectæ, sed etiam perspicuæ? Affirmat Abrahamus Scultetus contra Rob. Bellarminum Cardinalem: quàm verò rectè, expenditur. pag. 535. & *seqq.*

Altera de libero arbitrio contra eundem Scultetum S. Irenæi doctrinam calumniantem. Habetur cap. XXIX. vitæ eiusdem sancti patris, §. *VIII. pag.* 559. & *seqq.*

Tertia de beatißima Virgine Deipara, num antithesis siue oppositio, quam S. Irenæus inter illam & Euam matrem humani generis composuit,

ſuit, rectè à dicto Sculteto exſibiletur? Incipit hæc diſputatio à pagina 566. in §. X.

Quarta, de eadem, an S. Irenæus vetuerit inuocari beatiſsimam Virginem, vti calumniatur idem calumniator? Diſcutitur & exploditur hæc calumnia. pag. 570. & ſeqq. in §. XI.

Aliæ quæſtiones cum viris Catholicis diſputatæ circa eandem S. Irenæi vitam ſunt hæ:

Quæſtio 1. An S. Irenæus fuerit S. Ioannis Euang. diſcipulus, & ille Thyatiræ Epiſcopus, de quo in Apocalypſi cap. 2. agitur. Hanc tractatam habes, in Notationibus cap. 1. pag. 607. & ſeqq.

Quæſtio 2. An S. Irenæus libros ſuos græcè ſcripſerit, an latinè? Deciditur pag. 517. & ſeqq.

Quæſt. 3. de fidiculis, an idem ſint (vt viſum Baronio) quod vngulæ? & quanta diuerſitas? Examinatur in Notat. pag. 629. & deinceps.

Quæſtio 4. problematica de tempore, quo S. Irenæus eſt ordinatus Epiſcopus, an S. Pothino ſuperſtite, an mortuo? Diſceptatur pag. 639.

Quæſtio 5. Quot annos Soter Papa Eccleſiam rexerit? Quatuórne tantùm, vt ſentit Baronius, an octo, vt alij. Inquiritur pag. 641. & 642.

Quæſtio 6. An Cletus & Anacletus ſint duo diuerſi Pontifices, an verò vnicus? Conſideratur pag. 644. & ſeqq.

Quæſtio 7. de controuerſia diei Paſchatis inter Orientales & Occidentales, an illi verè ius traditionis Apoſtolicæ prætenderint de Paſchate lunâ 14. obſeruando, in quemcumque illa diem incideret? Deinde an Victoris Papæ in illos excommunicatio vim habuerit? Dijudicatur cap. XI. Notationum à pagina 657. & deinceps.

VITA S. HEGESIPPI Confeſſoris.

Cui nonnullæ cum Ioſepho Scaligero ſuper eiuſdem S. Hegeſippi ſcriptis ſubiunctæ ſunt concertationes. Inchoantur à pagina 721.

VITA S. THEOPHILI Antiochiæ Epiſcopi.

Quæ adiectum habet ex eius ſcriptis inſigne florilegium, pulchris ſimilitudinibus & comparationibus & Scripturæ ſacræ explicationibus à S. Hieronymo approbatis pellucens. Vide pag. 748. & deinceps.

VITA S. DIONYSII Corinthiorum Epiſcopi.

Quæ de baptiſmo arenæ prodigioſo egregiam continet narrationem, & vnà de eiuſdem baptiſmi æſtimatione, Dionyſij Epiſcopi iudicium: non eius Epiſcopi, quem Baronius & alij nonnulli exiſtimarunt, ſed alterius, vt pag. 780. & ſeqq. conuincitur.

VITÆ SANCTORVM {
PINYTI Cnoſſiorum Epiſcopi.
PHILIPPI Gortynæ Epiſcopi.
APOLLINARIS Hierapoleos Epiſcopi.
MELITONIS Sardium Epiſcopi.
PANTÆNI Gymnaſiarchæ Alexandrini.
SERAPIONIS Epiſcopi Antiocheni.

ECCLE-

ECCLESIÆ SECVNDI SÆCVLI IMAGO.

In qua certo ordine ac serie repræsentantur summi Pontifices, Imperatores, Ecclesiæ persecutiones, Hęresiarchæ, Scriptores sacri, Concilia, Fidei ac Religionis progressus.

PONTIFICES fuerunt hi:

Ordine IV. CLEMENS, B. Petri Apostoli discipulus & successor, qui à Magistri morte pauxillùm Romæ commoratus, S. Lino Apostolicæ peregrinationis gratiâ locum cessit: à qua postliminio reuersus, Cleto siue Anacleto eiusdem Lini successore vita functo munus Pontificium diuino humanóque suffragio (vt alibi quoque diximus) resumpsit, atque annos nouem, partem quidem maximam primo sæculo, alteram autem siue biennium circiter hoc secundo sæculo tenuit, & tertio Traiani Imp. anno cum victrice palma excessit. Ita nouem minimùm annos Ecclesiæ tum præfuit.

V. *EVARISTVS*, qui proximè Clementi successit (tenenda est enim cum omni antiquitate, Eusebij optima chronologia, nisi siquis labyrinthum malit incurrere inextricabilem) nouem circiter annos in suprema Ecclesiæ specula peruigil stetit. Natione græcus fuit, genere Iudæus, fide autem in Christum tam ardens, vt post multa bene prudentérque circa res sacras constituta, ad cælum viâ martyrij Traiano etiam tum imperante, non verò (vt quidam minùs probabiliter sensere) Hadriano iam regnante, penetrarit.

VI. *ALEXANDER*, patria Romanus, inuicti vir animi, qui ardenti amplificandæ religionis studio incensus, multam nobilitatem Romanam Christo adiunxit. Hic in mysterio panem & vinum dumtaxat offerri, & vinum aqua misceri iussit (quod tamen & primitus fiebat) & in canone hęc verba: *Qui pridie quàm pateretur*, &c. vsque ad verba consecrationis, addi, aut saltem non omitti, decreto suo sanxit. Item aquam sale commisto benedici, atque aduersus dæmones in ædibus custodiri constituit. Annis decem in Pōtificatu exactis, per vincula, custodias, equuleum, vngulas, ignes, multáque alia cruciamenta in regnum, inuito Cæsare Hadriano, cum duobus Presbyteris Euentio & Theodulo perrupit.

SIXTVS, qui eodem regnante Hadriano in sedem euectus Pontificiam, multis VII. rebus per annos decem (quibus Ecclesiam gubernauit) præclarè gestis inclitum tandem nobilis martyrij decus superaddidit: atq; hoc (testibus Eusebio & Vetere Rom. martyrologio) ipso superstite Hadriano.

TELESPHORVS natione græcus, vitæ VIII. instituto anachoreta cùm esset, Sixto pro fidei caussa coronato in primam sedem successit. Is vernum Quadragesimæ ieiunium, priuata primùm pietate, dein publica consuetudine non vno modo celebratum, præcepto denique suo creditur confirmasse. Hic annis vndecim muneris sui laudabiliter expletis, postremò fidem suam generoso sanguine consignauit.

HYGINVS natione itidem græcus, IX. patria Atheniensis, studij professione philosophus, Ecclesiam à Telesphoro exceptam magis magisque ordinauit, & in Clero, propter quotidiana populi Christiani incrementa, officiorum gradus auxit, ac disposuit. Annos exegit in Episcopatu quatuor: martyrióne interierit, an morte simplici, haud satis liquet: sed alij Pontifices hactenus martyrio.

PIVS decimum inter Pontifices locum X. obtinuit, non magis nomine, quàm re ipsa Pius. Is natione Italus fuit, patria Aquileiensis: qui, vt pietatem in celebrandis solemnioribus festis totâ Ecclesiâ faceret vniformem, Paschatis religiosam obseruationem

tionem vbique terrarum die dominica & non aliâ quotannis statuit celebrandam. Tenuit dignitatem Pontificiam annos quindecim, ab anno scilicet Antonini Pij Imp. quinto, vsque ad vigesimum, quo & ad cælum martyr ascendit.

XI. *ANICETVS* natione Syrus antecessoris sui pietatem & moderationem animi sectatus, ac nominis sui repræsentatione semper inuictus, orbem Christianum annos decem pulchrè ac pacificè rexit: cui pro fide in Christum fortiter occumbenti mors ipsa succubuit.

XII. *SOTER* eum est secutus, gregis sui bonus ac fidelis σωτὴρ, seu saluator. Natione Campanus, ciuitate Fundanus fuit: qui pressis maiorum suorum vestigijs per graues octennij labores ad præclaram martyrij palmam M. Aurelio Antonino regnante peruenit.

XIII. *ELEVTHERVS* natione græcus, oppido Nicopolitanus, qui veræ in Christo libertatis potens, ad eam multos nobiles Romanos conuocauit; quin & ipsum Britanniæ Regem missis eò vnà cum pace & vera libertate legatis, tanti boni participem fecit. Postquam autem principale totius Ecclesiæ onus annos quindecim per varias tempestates fortibus humeris sustinuisset, ad perpetuam beatorum quietem concessit.

XIV. *VICTOR*, huius sæculi inter Pontifices postremus, sed non postremus virtutibus, plurimùm pro Ecclesiæ in sacris rebus vniformitate, ac præsertim pro constituenda ac stabilienda per omnem terram, pro obseruatione Paschatis, die Dominica decertauit: & quamuis id prorsus vbique non euicerit, tamen animum (quod plus est) vicit suum; & pro fide in Christum morte vltro, libentérque suscepta, anno sui Pontificatus decimo præcipuam sub Seuero Principe victoriam reportauit.

IMPERATORES 2. sæculo fuerunt hi:

T*RAIANVS*, cuius imperium cum nouo cœpit sæculo, & anno eiusdem vicesimo finitum est: fuitque illud non æquè subiugatis Regibus gloriosum, atque vexatis Christianis infame ac probrosum. Qui licet cum illis postea mitiùs agi præceperit; tamen de eius salute quæ iactantur, meræ nugæ sunt.

HADRIANVS, *TRAIANI* adoptione filius & successor, moribus patri haud multum absimilis, totidem quot ille annos regnauit: & Christianos quidem pluribus in locis non parum infestauit, Iudæos verò, penitus afflixit. Quorum vrbem à se instauratam de nomine suo Æliam appellauit, sed illos eius habitatione & accessu, quin & aspectu prohibuit.

ANTONINVS PIVS, Hadriani itidem filius & successor, patre & auo iustitia & pietate superior, non modò Christianorum sanguine abstinuit; sed ipsorum quoque accusatoribus, (nisi aliud quàm nomen Christianum in iis criminarentur) pœnas denuntiauit. Hinc si qua vlli è fratribus nex perperam illata est, ipso insciente id factum est.

M. AVRELIVS ANTONINVS & LVCIVS VERVS fratres, quorum prior à Pio adoptatus fuerat, alter autem in regni societatem à fratre adscitus, pari potestate & concordibus animis imperium administrarunt: sed hic annos summùm XI. Marcus autem totos XIX. in imperio superstes fuit, eâ saltem tenus infestatæ ecclesiæ reus, quòd Præfectis suis ac Præsidibus potestatem aduersus Christianos nimiam permiserit.

COMMODVS patri suo M. Aurelio, cui successit, moribus longè dissimillimus, nulli omnino commodus fuit, & sibi incommodissimus. Nam cum in optima reip. grassatum capita, tandem anno imperij decimotertio cunctis inuisum, suimet amicissimi in mortem præcipitarunt. Martia concubina, conscìis qui aliàs plurimùm apud eum potuerant, sed nunc ad necem cum illa descripti erant, venenum propinauit: ac ne minùs aut tardius forsan noceret, ipsi vomentem desubito strangulari magna mercede depacti sunt. Quòd is nihil Christianis incommodarit, non eius fuit bonitatis, sed diuinæ benignitatis.

ÆLIVS PERTINAX imperium, quod Senatu offerente pertinaciter recusabat, suscipere coactus, omnia emendaturus videbatur, quæ Commodus corruperat: sed ad morum correctionem, & militaris disciplinę reformationem attentum nimis ac præproperum ipsi milites tertio imperij mense enecarunt.

IVLIANVS DIDIVS illi successit; sed empto à militibus, qui illud venumdabant, imperio. Pluris enim ipse contra Sulpitianum licitatus est, & obtinuit. Verùm vt malè parta, non tantùm malè, sed etiam citò dilabuntur; ita ille bimestris tantùm Imperator fuit, & tertij mensis initio imperium maximis emptum dispendijs cum vita simul perdidit. Senatus enim iussu occisus est, & pro illo Seuerus Imperator appellatus.

SEPTIMIVS igitur *SEVERVS* Iuliano successor datus, natione Afer, & arte perquam vafer fuit. Nam quo sibi ad imperium viam faceret, fortitudini vafritiem adhibuit, nec vnquam vafer esse destitit.

destitit. Christianis initio quidem cauit, sed pòst plùs nocuit: & clementiam, (cuius nomen in principio affectarat) multorum cædibus in fine commutauit. Ipse anno dominatus sui decimo octauo, partim ex morbo, partim ex mœrore, (pessimum enim post se filium relinquebat) contabescens periit.

Hactenus Imperatores, qui secundum intra sæculum, velut vmbra transierunt, & perierunt. Pertigit quidem Seuerus tertium sæculum, sed plus in secundo vixit, & aliquot in eo annos imperauit, tantúmque sub initia sequentis interiit. Nunc ad referēdas Ecclesiæ persecutiones accingamur.

PERSECVTIONES IN SECVNDO SÆCVLO.

PAssa est Ecclesia in hoc secundo sæculo persecutiones multis in locis multas, sed generales ac toti ferè mundo communes, & quę nomen istud apud Scriptores obtinuerint, tantùm tres: vnam sub Traiano, secundam sub Hadriano, tertiam sub M. Aurelio Antonino & Lucio Vero Impp. Dicemus ordine de singulis.

PRIMA, TRAIANI IMP.

PRima igitur in hoc sæculo fuit Vlpij Traiani Imp. in qua mater Ecclesia multos amisit, aut potiùs ad cælum misit, præclaros ac generosos filios, atque hos in primis:

S. CLEMENTEM magni Petri Apostoli discipulum, & vt suprà dixi, successorem: qui post secundam Ecclesiæ sapientissimam administrationem, & durum exilium, tandem alligatâ collo anchorâ in mare pręcipitatus atque submersus, fidem, pro qua moriebatur, in aquis mirabiliter obsignauit. Nam mare Christianis eius honorandi cupidis, suo ad tria milliaria recessu, viam ad sacrum corpus siccam præbuit; & sacellum extemporale celeri Angelorum opera constructum (in quo sacrum illud positum erat B. martyris cimelium) vicina adiacens anchora ostendit.

S. EVARISTVM, Pontificem (vti & nomen præportabat) longè optimum, cui ordo decórque Ecclesiæ, quemadmodum antè indicatum est, haud parum debuit. Certum quidem eius habemus martyrium, sed genus incertum.

S. PARMENAM, illum, qui (vt est in Actis Apostolorum, cap. VI.) vnà cum Stephano & aliis quinque in Diaconum electus est, & qui testibus V. Bedæ, & martyrologij Rom. sacris tabulis, *iniunctum sibi à fratribus officium prædicationis plena fide consummans, sub Traiano martyrij gloriam est adeptus.*

S. SYMEONEM, Domini nostri IESV propinquum, sedis Hierosolymitanæ secundum Antistitem, qui centum viginti annos natus acerbum crucis supplicium fortiter sustinuit, suique & legis Christianæ admirationem populis respectantibus non mediocrem peperit.

S. IGNATIVM THEOPHORVM, ardentem illum Christi athletam, quem primo sæculo (quia plurimùm in eo vixit, & Apostolis conuixit) vt res exigebat, descripsimus.

S. ASTIVM, Dyrrachij in Macedonia Episcopum, cuius in cruce suffixi spectata virtute, multi Italorum, qui persecutionis metu in eam vrbem confugerant, vltro se ac palam Christianos esse professi sunt, eáque de caussa in mare demersi securum in cælo portum tenuerunt. In iis recensentur Peregrinus, Lucianus, Pompeius, Hesychius, Papius, Saturninus, & Germanus, omnes è sua patria ad cohonestandum Astij triumphalem excessum, velut cælitus euocati. Quorum dies natalis inscriptus est Nonis Iulij.

S. CRESCENTEM Paulli Apostoli discipulum, qui luce fidei Gallias illustrauit, & Viennensis ac Moguntinæ ecclesiarum fundamenta iecit.

S. ONESIPHORVM, veterem Apostolorum discipulum, cuius ipse Paullus in posteriore ad Timotheum epistola meminit, qui in Hellesponto cùm esset, ibi *vnà cum S. Porphyrio, iussu Hadriani Proconsulis acriter verberatus & à ferocibus equis raptatus spiritum Deo reddidit.*

SS. RVFVM & ZOSIMVM, qui ex eo numero discipulorum fuerunt, per quos primitiua Ecclesia in Iudæis & Græcis fundata est, & quorum felicem certaminis pro fide memoriam S. Polycarpus in epistola sua ad Philippenses, (apud quos illi decertarunt & vicerunt) renouauit.

SS. MARONEM, EVTYCHETEM, VICTORINVM, qui cum *B. FLAVIA DOMITILLA* in Pontiam Insulam à Domitiano propter fidei caussam relegati, posteáque Neruæ Principis edicto restituti, quòd plurimos ad Christum à Diis abduxissent, Traiano, Neruæ successori occasionem expromendorum in se suppliciorum, sibi autem coronæ adipiscendæ præbuerunt.

SS. SVLPITIVM & SERVILIANVM, qui B. Domitillæ piis sermonibus ac miraculis è Gentilitiis tenebris ad fidei lucem educti, demum sub eodem Traiano proposita sibi morte aut Deorum sacrificio, illam auidè elegerunt, & libenter capita, pro Ecclesiæ capite, qui est Christus, posuerunt.

S. ZACHARIAM Viennæ in Gallia secundum Episcopum, ab ipso Paullo Apostolo, vt ferunt, S. Crescenti substitutum.

SS. PROCLVM ET HILARIVM consobrinos, qui Traiano Imp. & Maximo Præside (vt Grecorum continetur tabulis) varijs exerciti tormentis eandem martyrij palmam retulêre: prior quidem lampadibus ardentibus ventri & lateribus primùm adhibitis tortus, pòst in ligno suspensus, saxo pedes degrauante, postremóque sagittarum grandine confixus terras reliquit: alter verò suspensus, & verberatus, & ad tria milliaria raptatus, demúmque capite plexus, ad consobrinum victor ad victore euolauit.

S. ZOSIMVM Sozopoli in Pisidia egregium martyrem, qui eodem Imper. Traiano, sub Domitiano Præside post acerbos cruciatus resecta ceruice fugit ad Christum. De quo Menæum 19. Iunij.

Lib. De fuga in persecutione. *S. RVTILIVM*, de quo ita Tertullianus conscripsit: *RVTILIVS, sanctissimus martyr, quum toties fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (vt putabat) periculis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, & Præsidi oblatus, tormentis dissipatus (credo pro fuga castigatione) dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit.*

Non existimabat Tertullianus licere Christianis, post satis fundatam ab Apostolis & eorum discipulis FIDEM, tempore persecutionis fugere martyrium; ideo parenthesin illam addidit (*credo pro fuga castigatione*) sed hæc huius opinio contraria est veritati: cùm Deus martyribus fugientibus sæpe viam prodigijs admirabilibus aperuerit: & ipse Christus suis ad necem persecutoribus nonnunquam se subduxerit.

S. HYACINTHVM, insignem Portus Romani florem, igni & aqua illæsum. Ex vtroque enim euasit. Tertiam porrò palmam gladio obtruncatus à Deo muneratore accepit.

Alterum *HYACINTHVM*, hoc est alterum Ecclesiæ florem, sed hunc è solo Cæsareæ Cappadociæ enatum, cuius odori virtutis tantum aliquando tribuerat Traianus Imp. vt eum sibi faceret cubicularium: sed eundem postea fidei Christianę accusatum; (cuius fidei fragrantiam idem Augustus præ nidore victimarum Dijs immolatarum nec sentire, nec sustinere poterat) vt ab ea fide desisceret, intentatis tormentis imperauit, & desiscere nolentem, toto corpore lacerari, demúmque in carcere inedia interimi iussit.

S. BARSIMEVM Edessæ in Syria Episcopum, qui plurimos Gentiles non tantùm ad fidem conuertit, sed etiam ad martyrium animauit, atque ad regnum velut pastor oues subsequens præmisit.

S. PHOCAM Sinopes in Ponto ex humili nauta præstantem Episcopum, & ex Episcopo per maxima tormenta & maiora prodigia, admirabiliorem martyrem: cuius nobilissimas Reliquias Viennam Galliæ translatas, sacra sanctorum Apostolorum ædes incredibili gaudio excepit, lætissimóque sinu fouit, fouetque.

SS. MAVRVM, Vigiliarum in Apulia Episcopum, & socios eiusdémque coronæ participes SERGIVM & PANTALEONEM: quorum corpora nuper inuenta maiorem ipsis gloriam, populo lætitiam attulere.

S. ROMVLVM, aulæ Traiani Præfectum, quem ipse Traianus caussam Christianorum militum, fidei nomine à se relegatorum, liberiùs ac confidentiùs agentem, primò virgis cædi mandauit, deinde & in pietatis ac fidei patrocinio persistentem capite plecti.

Virgines item sanctissimas ac pudicissimas, e quibus idem Traianus Antiochiæ cùm esset, quinas numero comprehensas, quòd fidem palam ac liberè deprædicarent, igni tradidit vstulandas: è quarum ossibus in cineres redactis, & ęri commistis cùm ahena quędam & alia vasa conflasset, ac publico balneo à se magnificè constructo dedicasset; ecce, res mira, quicumque id balneum loturi ingrediebantur, mox vbi aquas calidas attigissent, caligine simul vertiginéque correpti, foras cum impetu agebantur lapsabundi. Cuius rei perceptâ causâ idem Imperator alia ex ære puro conficienda vasa curauit, priora verò in totidem statuas, virginum exustarum formam repræsentantes, in propylæo balnei collocauit.

SS. HONORIVM, EVTYCHIVM, STEPHANVM, viros Apostolicos, qui Astæ in Hispania Bætica generosum pro Christi fide certamen obierunt. Et in eadem Betica, sed Hispali, MACARIVM, IVSTVM & RVFFINVM; & Vrsaonæ item in eadem prouincia S. LEONEM cum DONATO, ABVNDANTIO, NICEPHORO, & aliis nouem fortibus fidei athletis. Denique per alias Hispaniæ plagas simili ferè strage grassata Traiani persecutio plurimos insignes ecclesiæ palmites ad vberiorem vineæ Domini fructificationem præcidit. Nec est ferè natio, (ad quam euangelium quidem delatum fuerit) è qua bonus martyrum prouentus cælo non obuenerit. Longum esset singularum ecclesiarum vel

illustriores martyres colligere,quos ipsæ in sacris suis tabulis notatos habent: omnium autem summam vel coniectura assequi perquam difficile: cùm in illis prouinciis, quæ tacentur, plures fortasse fuerint martyres, quàm in iis quæ nominantur. Nam de martyribus in Bithynia, regente eam prouinciam Plinio,quis aliquid nosset, nisi vnus homo Gentilis, & Scriptor profanus memoriam aliquam in epistolis suis reliquisset? Nec enim aliunde Eusebius,quàm è mutuis Traiani atque Plinij litteris ab ipso Plinio conseruatis, martyrum Bithynorum mentionem traxit. Aliorum autem nemo quicquam de his attigit, nisi ex Eusebio. Quanta porrò seueritate, aut sæuitia potiùs, in Christianos Plinius animaduerterit; inde sumi potest coniectura, quòd non solùm omnes duci iusserit, qui constanter se Christianos esse dixissent; sed etiam quòd dubitarit, an iis parceret, qui aliquando fuissent, tametsi iam non essent, aut esse antehac desiissent. Id enim in sua ad Traianum epistola disertè profitetur,dum inter alia sic scribit: *Nec mediocriter hæsitaui, sítne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant? detúrne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desijsse non prosit? nomen ipsum etiamsi flagitijs careat, an flagitia nomini cohærentia puniantur? Interim in ijs, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogaui ipsos, an essent Christiani? confitentes, iterum ac tertio interrogaui, supplicium minatus: perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur; pernicaciam certè & inflexibilem obstinationem debere puniri.* Sic ille.

Maximo autem numero duci ad mortem esse iussos, videtur liquidò ex illis, quæ aliquanto pòst subdit, colligi. *Visa est enim*, inquit, *mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur*. Hæc ibi. Tiberianus quoque, qui Palæstinæ primæ præerat, ad Traianum retulit se imparem deinceps necandis Christianis fore: quippe qui vltro ad supplicia procurrerent, ac mactandos se offerrent. Igitur Traianus suis mandauit magistratibus, vt ab eorum cæde in posterum abstinerent. Sed de hac persecutione satis: nunc ad secundam.

SECVNDA, HADRIANI IMP.

SEcundam in hoc sæculo persecutionem commouit Hadrianus Imp. patris sui Traiani, tam in vitiis, quàm in virtutibus terens vestigia. Cuius in persecutione, si qui fortè restabant Apostolorum illustres discipuli, omnes ferè cum multis itidem aliis acerbâ violentæ mortis falce demessi sunt, atque hi in primis:

S. DIONYSIVS Areopagita, B. Paulli auditor & comes, vnà cum duobus fidissimis sodalibus Rustico Presbytero & Eleutherio Diacono, de quibus primo sæculo, propter præcipuum vitæ spatium in eo decursum, egimus. Quos quidam imperitorum sub Traiano Hadriano mortem pro fide passos cùm legissent, sub Traiano passos crediderunt, ignari scilicet geminum illud nomen soli congruere Hadriano: quemadmodum & Nerua Traianus,non Neruæ Imp. conuenit,sed Traiano.

S. EVGENIVS dicti Dionysij discipulus, & primus ecclesiæ Toletanæ datus ab eo Pontifex, non diu post magistrum eandem martyrij lauream adeptus, nec longè item à magistro, nempe quatuor dumtaxat à Lutetia milliaribus (sicut ille duobus dumtaxat) cùm ad magistrum proficisceretur, ab hostibus fidei interceptus & interfectus est. De illo plura priore tomo memoraui: sed vide apud Eysengreineum perhonorificam eius ab vrbe Lutetia in ædem Toletanam (cuius olim primus Antistes fuerat) translationem anno Domini M. D. LXV. die Nouembris XIX. celebratam, & pluribus arcubus triumphalibus in ipsa vrbe Toletana nobilitatam, quarum quę prima vrbem intrantibus occurrebat, S. Dionysio erecta eiusdem Dionysij præferebat effigiem cum hac inscriptione:

B. DIONYSIO AREOPAGITÆ: quòd EVGENIVM discipulum Euangelici verbi nuntium in hanc vrbem miserit: eamque Christi fidem semel susceptam in hanc vsque diem conseruarint Toletani, D.

Hanc,inquam,translationem multo nobilissimam diffusiùs descriptam publico dedit Guilielmus Eysengreineus, 1. parte primi centenarij, distinctione 4.

Tres summi Pontifices ALEXANDER, SIXTVS, TELESPHORVS, (de quibus primam lauream adeptis, suprà in recensione Pontificum diximus) horum seriem martyrum amplificant.

S. QVIRINVS Tribunus, qui à dicto ALEXANDRO Pontif. vnà cum omni domo sua salutaribus aquis expiatus, præcidi linguam,torqueri in equuleo, manus pedésque amputari, vitam denique eripi pro nihilo duxit, quò testata in Regem suum fide vitam pacisceretur immortalem. Sed & aliorum plurimorum mar-

martyrum ab eodem S. Alexandro aquis ablutorum memoria, sacris tabulis vtriusque Romani martyrologij ad diem Aprilis decimam legitur consignata.

S. HERON Antistes Antiochenus, magni IGNATII discipulus & successor, qui magistro fuit, quod Eliæ Elisæus, qui & ceteris virtutum suarum palmis supremam pulcherrimę mortis addidit. De quo pulchra in vita S. Ignatij, priore vitarum tomo complexus sum.

S. GETVLIVS, vir clarissimus atque doctissimus, vnà cum fratre suo Amantio Tribuno, & Cereale vicariam agente præfecturam, qui flammis dati nec læsi, fuste tandem capitibus illiso, morte perquam optabili ad bonum Dominum euolarunt.

S. Symphorosa illius beati Getulij vxor longè beatissima, & verè cælestis paradisi fragrans rosa, quæ post sepulta mariti & sociorum eius corpora, simul cum septem filiis bonum factum duxit, in idem martyrij certamen ingredi, & tota gratiæ Dei armatura experiri, an de importunis fidei hostibus perfectam obtinere non posset victoriam. Et potuit verò. Nam ipsa quidē primò palmis cæsa, dein crinibus suspensa, postremò aquis, saxo ceruici alligato, immersa & submersa est: filij verò variis singuli suppliciis excruciati, magna vi facta ad patrem & matrem perruperunt. Nam post alia tormenta CRESCENTI natu maximo guttur ferro transfixum, IVLIANO pectus, NEMESIO cor, PRIMITIVO vmbilicus; IVSTINO omne corpus per iuncturas membratim discissum; STACTEO artus in terram lanceis confixi; EVGENIO denique pectus deorsum bifariam diffissum, viam in cęlum euolaturis latam aperuerunt.

SS. FAVSTINVS ET IOVITA nobiles Brixiani, qui multas præclaras vrbes, fortitudinis suæ in perferendis pro Christo cruciatibus testes fecerunt, Romam, Mediolanum, Brixiam, alias intermedias, quibus illos vinculis constrictos, & mira edentes prodigia, ipsi hostes fidei ad pœnas quidem & supplicia, sed verè triumphabundos, vocauerunt: ac denique cùm nihil ipsis nec feræ, nec flammæ, quibus proiecti fuerant, nocuissent; ferro cæsos ad supernam vrbem inuiti inuictos transmiserunt. Quorum coronis noua accessit corona S. CALOCERVS ab iis ad fidem adductus, & sub eodem Imper. Hadriano martyrum numero adiectus.

SS. EVSTACHIVS ET THEOPISTIS vxor, vnà cum duobus filiis AGAPIO & THEOPISTO, qui post innocuas, licet ferissimas, bestias; in bouem æneum candentem coniecti, ac vèlut aurum igne probati, tanquam legitima numismata, insculptam frontibus suis Domini imaginem exhibentia, ad magni mensam trapezitæ admissi sunt.

S. PHILETVS senator cum vxore LYDIA, & duobus filiis Theoprepio & Macedonio. Item alij quinquaginta quinque, è quorum numero fuerunt Cronides commentariensis & Amphilochius dux: quibus Christi fides & Dei gloria, præ omnibus rebus caris & præ vita fuit.

S. HERMES, vir illustris, qui cum quibusdam aliis, Hadriano Imp. & Iudice Aureliano, turpe & impium iudicauit, vel superstitionem religioni, vel vllam potestatem diuinæ maiestati, quamuis morte intentata, anteferre. Igitur collum gladio, non cultum idolo præbuit.

Eius virtutem & gloriam piè ac fortiter æmulata eius soror THEODORA parem cum illo lauream, & similem apud illum sepulturam in via Salaria obtinuit.

S. TERENTIANVS Tuderti in Vmbria Episcopus, vnà cum Flacco itidem martyre, equuleo & scorpionibus superior, lingua primùm, dein & capite truncatus, ad canendas pleniore modo diuinas laudes sanctis Angelorum choris admixtus est.

S. ELEVTHERIVS Illyrici Episcopus, & mater eius ANTHIA, latinè vera FLORA, Ecclesiam pulchris virtutum floribus ac demum martyrij palmis ornauerunt. Ille quidem sanctimonia & prodigionum copia illustris, nec ferreum & flammeum lectum, nec craticulam & sartaginem oleo, pice, resina feruentem, nec feros leonum rugitus & hiatus, nec denique quicquid moliri insana potuit crudelitas, pro amore Christi reformidauit. Ferociam leones submisere; ignes acrimoniam; incendij fomenta, virtutem. Igitur cum matre postremò iugulatus ad æternitatis patriam in optatissimo comitatu emigrauit.

S. EVPSYCHIVS qui verè bonam (vt ipsum fert nomen) habuit animam, Christianæ religionis nomine in carcerem compactus cùm fuisset, breuique postea emissus, credidit sibi illud tempus à Deo dari, vt de rebus suis disponeret. Igitur patrimonium statim diuendidit, & diuenditi pretium partim in pauperes erogauit, partim accusatoribus, tanquam benefactoribus, tradidit. Egregia sanè optimáque negotiatio! qua & martyrium meruit, & regnum comparauit.

S. EXVPERIVS & ZOE vxor conditione serui cùm essent, ad veram Christi libertatem vnà cum duobus filiis

CYRIACO & THEODVLO adſpirarunt; quos Catalus ipſorum dominus carnibus idolo immolatis veſci renuentes, diris vexatos modis in clibanum denique ardentem coniecit, vitáque in flammis exuit.

S. THEODORVS Preſbyter & *PAVSILIPPVS* ad hanc quoque Hadriani Principis perſecutionem ſe ſpectare dicunt, in qua gladio cæſi, gratæ Deo victimæ ceciderunt.

Nec minùs ſibi iuris aſſumit S. MONTANVS miles & ciuis Romanus, quem multa & grauia pro Chriſto paſſum Tarracini martyrem & patronum colunt.

SS. Petronius, Charitina, Zarbelus, Thathuel, & Bebæa eius ſoror in numerum quoque huius perſecutionis martyrum venerunt: & Thatuel quidem (malè Thamel in Latino Martyrologio) ex idolorum ſacerdote, ſe veri Dei hoſtiam fecit, & varia poſt tormenta tandem cum Bebæa ſorore vitam gladio, Zarbelus lapidatione, ceteri autem, quo ſupplicij genere incertum, certè omnes felici ſupplicio animam poſuerunt.

S. Euſebius Palatinus, & cum illo alij nouem, Metellini in Luſitania pro Chriſti fide mortem fortiter paſſi, eorundem ſanctorum Martyrum choro inſeri volunt.

S. Zoticus cum Irenæo, Hyacintho & Amantio, mortem pro Chriſto paſſi in fundo Capitoli, via Lauicana, decimo ab Vrbe lapide idem ius ſibi vindicant.

S. Afra martyr à Brixianis in martyrum ſub Hadriano paſſorum recenſetur, & ſacris honoribus colitur, non eadem cum Afra Vindelicorum, ſed tantùm cognominis.

S. ANTIOCHVS in Sulcitana inſula apud Sardiniam pro tuenda Chriſti lege ſub eodem Hadriano mortem paſſus, ſibi quoque locum hîc vſurpat. Quippe diem decimam tertiam Decembris ſibi feſtam habet.

Nec paucæ verò Virgines ad laureatam illam turbam accurrunt; & tres quidem è Gallęcia Hiſpaniæ Flauius Lucius Dexter adducit, nempe S. VVilgefortem, ſiue Liberatam, Catelij Luſitanorum Reguli filiam, & S. Marinam ſiue Margaretam, illam omnibus terris celeberrimam, & S. Euphemiam ſiue Eumeliam, vtrâque lauru, vt præcedentes, decoram: quarum duæ priores Amphilochij, hęc tertia Obobrigæ (quæ vrbes eiuſdem ſunt regionis) coronata creditur.

Ternas item alias virgines ſancta SOPHIA femina clariſſima in curru triumphali nobis aduehit, FIDEM, SPEM, CARITATEM cariſſimas ſibi filias, de quarum glorioſo certamine, vtpote in Vrbe Roma, Hadriano Imper. palam edito negat dubitari poſſe, negat debere. Illarum Acta græcè latinéque celebrata exſtant.

His adiungi petit S. Serapia Virgo, beatæ Sabinæ clariſſimæ feminæ itidem martyris in fidei rudimentis quondam magiſtra, & in auſu martyrij dux: quæ duobus laſciuis iuuenibus tradita, & pôſt ardentibus facibus aduri iuſſa, nec ab illis tangi potuit, nec ab his vſtulari. Ergo vt plena potiretur victoria, fuſtibus primùm cæſa, deinde decollata vitam libens commutauit.

Duas iam dictis Virginibus ancillas conditione, ſed liberas fide, MARIAM Nicomedienſem & ARIADNAM Phrygiam ambas virgines, ambas martyres ſubmitto. Quarum egregia virtus in ſufferendis leniter immanibus tormentis in eiuſdem Hadriani dominatu enituit. Illa primo Nouembris, hæc decimo octauo Septembris colitur.

Denique, vt minores tranſiliamus numeros, ecce ſub Hadriano Imper. (idoneo teſte L. Flauio Dextro, & aliis) ſimul decem martyrum millia in Ararath, monte Armeniæ, vno Principis edicto, & vno eodemque loco & tempore, pro Chriſti fide & amore crucifixos. Quorum memoria & in Venerabilis Bedæ eſt martyrologio ad vigeſimam ſecundam Iunij, & ibidem in Romano his verbis: IN MONTE ARARATH, PASSIO SS. MARTYRVM DECEM MILLIVM CRVCIFIXORVM.

Cum quibus vnà idem cæleſte certamen ſubiit S. HERMOLAVS Antiſtes Toletanus, qui bonam illorum partem in Hiſpania ſalutaribus aquis abluerat, atque illos nutriendæ ac fouendæ fidei cauſſa in Armeniam vſque, commendato alteri ſuo epiſcopatu, proſecutus fuerat. An hodiéque talis in tali dignitate zelus fidei perſeuerat? Velim & gaudeam! Nunc ad poſtremam huius ſæculi perſecutionem venio.

M. Aurelij Antonini & L. Veri Impp. perſecutio.

HÆc eſt tertia huius ſecundi ſæculi infeſtatio Chriſtianorum, quæ multos præclaros & incomparabiles viros locis variis è medio abſtulit: nec viros ſolùm, ſed feminas quoque non paucas. Atque (vt Pontifices, quos ſuprà in ſerie Pontificum intueri licet, miſſos faciam) *POLYCARPVM* in primis, nobilem illum ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulum, (cuius vitam & laudes in tomo

in tomo primi sæculi, in quo diutius vixit, persecutus sum) & vnà cum illo alios duodecim Martyres è Philadelphia Smyrnam profectos, qui veram patriam in terra aliena, & pro sæculi mercibus, preciosas cæli margaritas inuenerunt. Sed ante ipsum alios quoque complures strictim attigi, inter quos generosissimo animo adolescentem, Germanicum nomine, qui damnatus ad bestias ipsam feram ad sui deuorationem vltro attraxit.

IVSTINVM item Philosophum, (quem infrà in hoc ipso tomo, qualis doctrinâ & sanctimonia fuerit, totum exhibeo) & ante illum, eos martyres, quos ipse in sua posteriore Apologia nominat, nempe Ptolemæum, & vtriusque sexus ad eandem palmam comites ac socios, qui in eiusdem Philosophi vita collaudati sunt.

BENIGNVM magni Polycarpi discipulum, Diuione in Gallia Celtica Antistitem, prodigiis etiam à morte editis percelebrem.

POTHINVM Lugduni in eadem Gallia Episcopum, extrema in senectute fortissimum fidei defensorem, quam post nonagesimum ætatis annum insigni martyrio vnà cum multis è grege suo consignauit.

CARPVM Thyatiræ in Asia Pontificem, qui simul cum Papylo Diacono & Agathonica eius sorore, optima femina, & Agathodoro eorum famulo, multisque aliis, per multos cruciatus in cælum euasere victores.

CONCORDIVM Presbyterum, cuius egregij pro Christo certaminis Spoletum vrbs Vmbriæ testis fuit. Fustuario primùm, deinde eculeo, postmodum carceris squallore & ærumnis variè probatus, demum gladio perfectam obtinuit victoriam.

PONTIANVM athletam ibidem notissimum, cui post ignominiam & feritatem virgarum, post flammeos carbones nudis pedibus substratos nihilque læso, post eculeum & vncos ferreos animi magnitudine superatos in carcerem retruso, atque Angelica ibidem allocutione dignato, denique post leones innocuos, & plumbum feruens irritum, ferro ceruicem sponte hilariterque submittenti cum gloriosa morte corona obuenit gloriosior.

SPEVSIPPVM, ELEVSIPPVM & MELEVSIPPVM fratres tergeminos Lingonibus in Celtica inclitos, quibus auia Leonilla in martyrij consortium tanquam mulier fortis accessit.

VICTOREM militem è Cilicia, & *CORONAM* alterius militis coniugem etiam tum adolescentulam. Quorum prior, felici omine nominis, plurimorum pro fide certaminum victor fuit. Nam & confractis digitis, & vnguibus à cute reuulsis, & in caminum ignis proiectus, & epoto venefici veneno veneficum ipsum Deo lucratus, & neruorum contusionem passus, & oleum bulliens, & ardentes lampades, has in lateribus, istud in pudendis expertus, semper victor fuit: etiam aceto & calce commistis in os iniectis, etiam erutis oculis, etiam suspenso corpore, etiam excoriato. Nam & in ipsa excoriatione, velut in exspoliatione vestis victor fuit, & victorem ac beatum vocitare ac prædicare ausa mulier militaris & digna suo nomine Corona duas animaduertit missas è cælo coronas, Victori vnam, sibi alteram: nec continere lætitiam, nec sola in sinu gaudere potuit: sed visum aperuit, & palàm verbis extulit. Igitur & ipsa comprehensa est, & voti vt potiretur, duorum arborum cacuminibus religata atque discissa est: Victor autem decollatus. Sic victoriam & coronam Victor & Corona adepti sunt.

SYMITRIVM Presbyterum, & cum illo alios viginti duos Romæ in domo S. Praxedis virginis (vbi cœtus habebantur Christianorum) vnà comprehensos, & confestim gladio percussos. Quæ res sic piam virginem afflixit, vt mortem à Domino poposcerit, & triginta quatuor diebus pòst impetrarit.

GERVASIVM ET PROTASIVM fratres germanos, illum plumbatis ad mortem vsque cæsum, hunc fustibus primò contusum, dein capite truncatum. Quorum gloriam inuenta duobus pòst sæculis à B. Ambrosio corpora penitus incorrupta, ac velut ipso die cæsa, mirificè adauxerunt.

SAGARIM Laodiceæ in Asia Episcopum, S. Paulli Apostoli quondam discipulum, Seruilio Proconsule Asiæ fidem & constantiam Christianorum egregia morte in extrema senectute testatum.

IVLIANVM Soræ in Samnio (vbi pro Christo fortiter occubuit) sacra æde honoratum. Hunc dum fidei hostes torquerent, ira cęlestis ipsorum fanum diruit, & martyrem suum recisa ceruice gloriosum, in cæli templum recepit.

CONSTANTIVM Perusiæ in Hetruria Antistitem, qui ante infulam amplæ hereditatis suæ heredes ex asse pauperes fecerat. Ita ampliorem Dei beneuolentiam promeritus, plurimis è cæli gazophylacio cumulatus est donis. Ea cæci duo illuminatis oculis admirati sunt; sed plures acie mentis capti & in densiore infidelitatis nocte degentes veram per eum lucem

 aspexere.

aſpexere. Hinc ab impiis accuſatus ſuperſtitionis in carcerem compingitur, ſed ibidem ab Angelis inuiſitur, & plagis affectus curatur, capite plexus cæleſti cantu vſque ad iuſta perſoluta honoratur.

HERMIAM Comanæ in Ponto illuſtriſſimum militem, cui bonæ fidei cauſſa comprehenſo cutis à facie detracta, dentes à gingiuis radicitus auulſi, corpus ardenti camino iniectum, venena haurire iuſſo propinata, nerui membrorum violenter diſtracti, flammantis olei pœna aggeſta, effoſſi atrociter oculi, ſuſpendium è pedibus triduanum, cui hæc, inquam, omnia nec animum fregerunt, nec fidem abſtulerunt, ſed illum potiùs roborarunt, & hanc illuſtrarunt. Nam & illęſus è flammis exiit, & innoxius venenum bibit, adeóque ipſum veneficum vitæ melioris beneficio ad fidem conuerſum redonauit, & martyrij palmam, largienti pro Chriſto ceruicem, procurauit. Ipſe autem Hermias omnia fidei certamina dato itidem collo terminauit.

ALEXANDRUM ET EPIPODIUM fidiſſimos à tenera ætate & primis ſtudiis ſocios, & veriſſimos Achates, quos nec vita vnquam, nec mors diuiſit, licet vnum natione Græcum, & alterum patria & vrbe Lugdunenſem: quos denique vnus idémque acerbæ perſecutionis turbo, quamuis corpore violenter in extremo actu diſiunctos, tamen animis coniunctiſſimos dum à terra ſuſtulit, cælo aſſeruit.

Nec infirmi ſexus infirmior in tormentis animus fuit: ſed feminæ, ſi non ſuperiorem, certè non imparem viris fidem conſtantiámque præſtitere. Nam in M. Aurelij perſecutione Lugdunenſi feminæ viginti duæ robur virile in tuenda obiectis corporibus fide Chriſti repræſentarunt: quarum dux beata BLANDINA vtrique ſexui, inter ipſa tormenta verbis & nutibus animos dabat. Ipſam verò cùm carnifices à primo mane ad veſperam alij aliis ſuccedentes, multis ac variis excruciaſſent ſuppliciis, & illa quamuis dilaniato toto corpore firma animo perſtaret, ipſi autem reſolutis viribus deficerent, ſe tandem victos faſſi ſunt; & negarunt vllum eſſe ſupplicium ex iis quæ varia adhibuerant, quod ad vitam ei adimendam vel ſolum non ſuffeciſſet, niſi vis aliqua homine potentior eam roboraſſet. Eius certamina & palmas vita S. Irenæi in hoc volumine exhibebit.

GLYCERIA item virgo, (quæ & nonnullis Glycerium dicitur) his ipſis temporibus magna animi fortitudine præſtans, tormenta pro Chriſti fide non refugit, ſed requiſiuit. Nam & vltro illis occurrit, & gratioſè excepit: teſtéſque ſuæ in Chriſtum fidei & voluntariæ perpeſſionis habet vrbes duas Thraciæ celeberrimas, Traianopolim & Heracleam. In quarum priore dum ſacrificia Diis facienda cum lampadibus eſſent, ipſa lampadis loco fronte ſalutari crucis ſigno inſcriptâ Sabino Præſidi ſe obtulit, ac vni vero Deo ſacrificandum docuit, & Iouis lapidei ſtatuam ſola prece contriuit. Facta igitur mox in eam lapidatio, ſed lapides cælitus ab eâ prohibiti coronam in eius circuitu fecerunt. Poſtridie capillis ſuſpenſa, vngulis ferreis, oculos pugnis contuſa ſemper in fide & amore Chriſti iuncta, immota perſtitit. Reductam dehinc in carcerem, & interdicto omni alimento inedia macerari iuſſam Angelus Domini pane, lacte, aqua, deliciis ſuis muniuit. Heracleam poſtmodò abducta atque in fornacem ignis iniecta, vt nihil læderetur, ſuperno rore circumfuſa eſt: à ſummo item capite in frontem detracta pellis Angelico reſtituta eſt miniſterio, quo & ſolutæ illi compedes: ita vt Laodicius carceris cuſtos harum admiratione rerum, & virginis doctrina permotus fidem amplexus ſit, & catenis quæ martyri exciderant, ſibi circumiectis nouam ſe & inexſpectatam victimam Pręſidi obtulerit, & confeſtim feriri iuſſus magiſtram ad cælum præuenerit. Illa verò ad beſtias damnata cùm immiſſam in ſe atrocem leænam ad ſuos vidiſſet pedes miteſcentem; Deum precata eſt, vt dilatam adhuc coronam ſibi condonaret, atque ad ſanctos in cælo patres aggregaret. Alia igitur leæna apertis emiſſa repagulis in ipſam incurrit, & morſu (cuius tamen nullum reſtitit à morte veſtigium) attactam atque exſtinctam voti compotem fecit. E corpore autem virgineo, poſteaquam in Chriſtianorum manibus fuit & templo condecoratum, perenne ac prodigioſum ad ſalutares miſerorum medelas defluxit oleum.

Age modò beata FELICITAS, tu hoc quoque ſæculum & hanc perſecutionem vnà cum ſeptem filiis tuis in ipſa vrbe Roma purpuraſti: veni ergo in hunc SS. martyrum nobilem chorum, & tua felicitate hoc agmen feliciter claude. Tu enim mulier fortis inuenta es: & tua fortitudo hoſtibus admirabilis, & orco horribilis, & toti Eccleſiæ amabilis (quippe cui tot palmas peperiſti) nunc omnium gentium linguis prædicatur. Nam filios ex te genitos veriſſimo ſimul atque fortiſſimo amore adamaſti, cùm illos ad generoſas pugnas & mortes glorioſas, quàuis Lacænâ fortior animaſti. Singuli igitur te ſin-

gulos adhortante, hostes suos & tormenta omnia vicerunt, & pulchra ac inuidenda morte regni coronas adepti sunt. Quibus septenario numero iam beatis, vt perfectum beatitudinis numerum impleres, octaua FELICITAS accessisti.

Atque hactenus de iis Martyribus, quorum in hac duorum fratrum Augustorum infestatione testatior in sacris scriptis est mentio. *Ceterùm immensa est illorum multitudo* (inquit doctissimus Baronius) *quorum memoria excidit, qui hac eadem persecutione martyrium sunt feliciter consecuti*. Nunc à persecutoribus apertis ad occultos insidiatores, & à tollentibus vitam, ad corrumpentes doctrinam, hoc est, à tyrannis ad hæresiarchas transeamus.

HÆRESIARCHÆ SECVNDI SÆCVLI.

NOminatissimi in hæresiarchis hoc sæculo fuerunt, qui sequuntur: VALENTINVS, natione Ægyptius, è philosopho Christianus, è Christiano ob ambitionem & repulsam episcopatus, nouarum opinionum excogitator & hæresiarcha. Quarum eius opinionum recensionem complector in Notationibus ad vitam S. Irenæi. Eius porrò sectatores Ptolemæus, Secundus, Heracleon, Marcus, Colarbasus & alij, non in omnibus fidei suæ punctis nec cum magistro, nec inter se consenserunt.

CERDO, duorum introductor Deorum; vnius boni, alterius mali, ab hoc creatum mundum dicit: ab illo autem natum Christum; qui Christus quidem non in corpore ad nos venerit, sed in phantasmate, nec omnino passus sit, sed quasi passus; neque ex virgine natus; sed nec omnino natus. Idem veteris testamenti legem & Prophetas reiicit: & noui testamenti vnicum S. Lucæ euangelium, nec tamen totum admittit. Epistolas Paulli neque omnes, neque totas recipit. Acta Apostolorum & Apocalypsim quasi falsa reiicit. Resurrectionem animę tantummodo probat, corporis negat.

MARCION, Cerdonis discipulus, *Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cuiusdam virginis* (vt Tertullianus scribit) *ab Ecclesia communione abiectus*, eadem quæ Magister nonnulla docuit, & quædam alia superadiecit. Capita eius hæreseos succinctè ad vitam S. Iustini recenseo. Marcionis autem discipulos Lucanum, Apellem & alios (tametsi in aliquibus ab illo dissentientes) vt minùs nominatos, pretereo.

TATIANVS Assyrius Encratitarum siue Continentium caput & origo, sed malè & cum iniuria matrimonij continentium, de cuius hæresi ago in vita eiusdem S. Iustini, à quo ille infortunatè desciuit.

BLASTVS, Presbyter Romanus, qui Pascha non aliter, quàm decima quarta mensis iuxta legem Iudaicam esse obseruandum pertendebat, sicque ecclesiam, quantum in se erat, discindebat. De quo in S. Irenæi vita, qui propterea librum scripsit de schismate, nonnulla attingimus.

FLORINVS, Romanus itidem Presbyter, qui Deum auctorem malorum non secus ac bonorum asserebat, quique multa Valentino similia tenebat ac propugnabat. De quo similiter & coniunctim cum Blasto tractamus.

HERMOGENES, à Christi Ecclesia ad Zenonis porticum transfuga, & è bono Christiano malus philosophus, qui materiam Deo coæternam posuit, sine qua nihil creari potuerit; & Domini corpus in sole repositum, & alia eius generis absurda docuit: de quibus nos in S. Theophilo Antiocheno, & in Pantęno infrà suis locis.

BARDESANES, (vt scribit S. Hieronymus) *in Mesopotamia clarus habitus est, qui primùm Valentini sectator, deinde confutator, nouam ipse hæresim condidit*.

MONTANVS Phryx natione, vnde eius hæresis Κατὰ Φρύγας, *Secundùm Phryges*, & corrupto vocabulo *Cataphrygum* est nominata. Hic se paracletum vocabat, & duas comites suas Priscam & Maximillā, prophetissas. De quibus, eorúmque opinionibus in S. Apollinare ipsorum expugnatore disserimus quantum satis. Vbi & de Proclo & Æschine Montani sectatoribus, quia non adeo famosis, tantùm perstringimus.

IVLIVS CASSIANVS hæreseos Δοκητῶν, *Docitarum*, siue *Opinatorum* labentis iam aut dormientis excitator: cuius hic fuit peculiaris error, ęternum Dei Verbum non fuisse re verà incarnatum, sed opinione tantùm: similitérque humana omnia, quæ incarnationem secuta sunt, sola opinione talia fuisse, non veritate. De qua hæresi scribo in vita S. Serapionis.

Alij complures referuntur hęreseon huius sæculi vel auctores, vel resuscitatores, vel propagatores, ab Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Philastrio, Theodoreto: sed pręcipuas hęreses, & quę plus inualuerunt, vnà cum pręcipuis itidem earum præconibus hìc complexus sum, & in ipsis Sanctorum, quas nunc tracto, vitis, latiùs memoro. Iam ad Scriptores.

SCRIPTORES SACRI.

ALiqui ex iis, quos primo sæculo recensui, vixerunt & secundo, atque illo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

illo etiam nonnulla ſcripſerunt, quos tamen in illo poſitos hîc non repetam, ſed eos hîc tantummodo comprehendam, qui non Apoſtolos, ſed Apoſtolorum diſcipulos, & viderunt, & audierunt: neque eos dumtaxat, quorum iam aliqua exſtent ſcripta, ſed etiam quorum aliquando exſtiterunt, quamuis iam non exſtent. Nec enim tantum poteſtatis concedam tempori, vt quorum abſtulerit ſcripta, memoriam quoque ſcriptorum auferat & honorem. Quare primus in huncce chorum tametſi in præſens ſcriptis vacuus, Scriptor tamen, egregiè doctus & pius veniat

S. ABERCIVS Hierapoleos in Phrygia Epiſcopus, ætate eos qui ſequuntur aliquantum antecedens; de cuius nonnullis ſcriptis teſtatur eius vita; de quadam autem epiſtola ad M. Aurelium Imp. ſcripta ipſe oculatus teſtis Cæſar Baronius S. R. E. Cardinalis. Vitam huius Abercij in hoc ſæculo principem pono pulchram ſanè & admirabilem.

S. IVSTINVS Philoſophus & Martyr, vt ætate, ſic loco proximus, tam ſcriptis notus eſt, vt ante vitam eius nihil plus dicere libeat.

S. IRENÆVS ætate S. IVSTINO ſuppar, ſed non impar eruditione, neque ſcriptis, neque martyrio, eadem de cauſſa hîc tacebitur, & in vita ampliùs ac proximè S. IVSTINO memorabitur.

S. HEGESIPPVS, licet fragmenta tantùm afferat, ſed bona & ſuauia, propter antiquitatem tamen & ſanctimoniam locum quartum in hocce choro obtinebit.

S. THEOPHILVS, Antiochiæ Epiſcopus, qui integra ingenij ſui monumenta hodiéque profert, & opiparâ ſpirituali menſâ (cuius micas infrà colligemus) lectores ſuos paſcit, ſuam hîc ſedem vindicat.

S. DIONYSIVS, Corinthiorum Antiſtes Theophilo ætate par, multas ad diuerſos populos litteras ſcripſit: quas malè ab eorum poſteris ſeruatas doleret, ſi dolere poſſet. Nam ad illorum ſanctam eruditionem ſpectabant. Romanos autem poſſe aliqua oſtendere fragmenta eius epiſtolæ, quam ad ipſos miſerit, hoc lætatur, & illos amat.

S. PINYTVS, Cnoſſiorum in Creta Epiſcopus Dionyſio coniungi petit. Ad eum enim elegantem ſcripſiſſe epiſtolam teſtes habet magnos viros Euſebium & Hieronymum: tametſi ea epiſtola exhiberi iam non poſſit.

S. PHILIPPVS Gortynæ in eadem Creta Pontifex opus contra Marcionem ſcripſit accuratiſſimum: cuius cùm hodie ſuperſit nihil, Cretenſes ſuos non ſolùm mendacij, ſed permagnæ item in ſuis & collegæ Dionyſij ſcriptis conſeruandis negligentiæ coarguit.

S. CLAVDIVS APOLLINARIS, Hierapoleos in Phrygia Epiſcopus non pauca poſteris ſcripta reliquit, ſed poſteri pauciſſima conſeruarunt: non illi quidem poſteri, qui aliquot ſæculis proximis eum conſecuti ſunt (nam eius libros etiam octauo poſt ipſum ſæculo ſe legiſſe profitetur Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus) ſed ſæculis huic noſtræ ætati vicinioribus. Is & Apologiam M. Aurelio Imp. pro Chriſtianis dedit.

S. MELITO, Sardium in Aſia Præſul eodem ſe officio functum eſſe in tuenda apud eundem Imp. eccleſia profitetur, & Apologiæ ſuæ nonnullas etiamnum ſupereſſe reliquias, (ſuperſunt enim atque infrà ſuo loco proferentur) verè aſſeuerat.

S. PANTÆNVS, vir Apoſtolicus, & in Orientalem Indiam fidei cauſſa peregrinatus Commentarios in ſacram Scripturam compoſuit, quos hiſtoria eccleſiaſtica diuinorum theſauros documentorum appellat.

S. SERAPION Antiochiæ poſt S. Theophilum Antiſtes, nec ab illo, nec à ſuperioribus degener manum quoque ad ſtilum admouit, & alienos pupugit, & ſuos defendit.

S. ALEXANDER Hieroſolymorum Hierarcha diuino ſuffragio electus epiſtolis ſuis, quas variis eccleſiis varias miſit, & Spiritum Dei, quo agebatur, & ſtudium fidei, quo feruebat, ſapienter expreſſit.

S. CLEMENS Alexandrinus S. Pantæni diſcipulus, & in fidei ac ſacræ doctrinæ magiſterio ſucceſſor permulta plurimis vtilibus referta documentis conſcripſit.

Horum omnium Scriptorum vitas hoc volumine comprehendo. Præter quos referuntur, & quidam alij huius ſæculi Scriptores, ſed ſine elogio ſanctitatis, nempe hi:

AGRIPPA CASTOR, qui Baſilidem hæreſiarcham præclarè detexit, & fortiter refutauit. Huius Agrippæ laudes breuiter complexi ſunt Euſebius lib. 4. hiſt. eccl. cap. 7. & Hieronymus lib. De Scriptoribus eccleſ. cap. 21.

MVSANVS, qui librum in eos, qui ad hæreſim Encratitarum declinabant, ſcripſit elegantiſſimum. De illo iidem iam nominati Auctores meminerunt.

MODESTVS, qui aduerſus Marcionem ſtilum exercuit, eiúſque errorem ac turpitudinem, trahendo in apertum, confudit & confodit.

MILTIADES, qui egregium opus contra Montani ſeu Cataphrygum hæreſim

sim composuit, & alterum contra Gentiles, & tertium contra Iudæos, & præclaram prȩterea pro fide sua apologiam Principibus mundi obtulit.

RHODON, Asianus genere, contra Marcionitarum hæresim generosè decertauit, & Apellem vnum ex iis primarium præsidio Philumenæ virginis malo spiritu actæ suffultum disputando conuicit.

ATHENAGORAS, Scriptor Eusebio quidem vel ignotus, vel obliuione præteritus, sed Proclo philosopho (qui Origeni æqualis fuit) & Methodio Tyri Episcopo, & Epiphanio non incognitus, Apologiam pro Christianis M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo obtulit, & librum De resurrectione composuit. Quod vtrumque opus hodiéque exstat, & viri facundiam doctrinámque testatur haud vulgarem.

HERACLITVS, qui in Apostolum commentarios composuit.

MAXIMVS, qui famosam quæstionem (inquit S. Hieronymus) *insigni volumine ventilauit, vnde malum, & quod materia à Deo facta sit.*

CANDIDVS, qui in Hexaëmeron pulcherrimos tractatus edidit.

APPION, qui similiter in Hexaëmeron tractatus fecit.

SEXTVS, qui librum De resurrectione scripsit.

ARABIANVS, qui aliud quoddam argumentum tractauit.

Alij item plurimi (teste Eusebio libro V. hist. eccl. cap. XXVI) quorum haberi nomina non potuerunt. Atque hæc de Scriptoribus: nunc ad Concilia.

CONCILIA.

Concilium vniuersale secundo Christi sæculo nullum fuit: sed prouincialia fuerunt multa. Quorum autem exstat memoria, sunt hæc:

CONCILIVM TOLETANVM.

Hoc reperio primum è conciliis, quæ hoc secundo Christi sæculo, ob res fidei stabiliendas, & morum disciplinam iuxta Ecclesiæ statuta confirmandam coacta esse memorantur. Habitum est autem à S. EVGENIO Episcopo Toletano sub annum Domini centesimum duodecimum. Ad quem annum sic notat Flauius Lucius Dexter: *S. M. Marcellus Eugenius Toleti concilium ex Episcopis Carpetanis & alijs habet de rebus fidei ac morum.*

CONCILIVM LVGDVNENSE I.

Hoc concilium habitum est ab IRENÆO Primate Galliæ Celticæ aduersus Valentinianos & alios tum grassantes hæreticos: cui interfuerunt Episcopi numero duodecim.

CONCILIVM ROMANVM I.

Habitum est à VICTORE Pontifice pro stabilienda per omnes orbis ecclesias solemnitate Paschatis in die Dominica post æquinoctium proxima, contra eos qui decimaquartâ lunâ primi mensis (quæcumque ea dies esset, etiam non Dominica) celebrandum esse Pascha pertendebant, & non aliâ.

CONCILIVM LVGDVNENSE II.

Habitum est ab eodem IRENÆO, de quò suprà, in eadem caussâ Paschatis: cui interfuerunt Episcopi tredecim. De die autem solemnitatis illius principalis supremo Pontifici assenserunt.

CONCILIVM PALÆSTINVM.

Habitum est hoc concilium eodem tempore, & super eadem quæstione præsidibus S. THEOPHILO Cæsareæ Palæstinæ, & S. NARCISSO Hierosolymorum, Episcopis. In quo concilio (præter alios qui non nominantur) adfuerunt CASSIVS Tyri Episcopus, & CLARVS Ptolemaidis. Sententia autem huius concilij fuit Victori consentiens, vti & Acta ipsa declarant, & epistolæ synodicæ extremum membrum, quæ hodiéque exstant.

CONCILIVM PONTICVM.

Habitum est hoc concilium in Ponto seu Bithynia, conuocatis pro eadem constituendi Paschatis caussa eiusdem regionis Antistitibus, quibus præsedit Palmas, tanquam eorum antiquissimus.

CONCILIVM ACHAICVM.

Habitum est in Achaia super eodem Paschatis negotio: cui præfuit BACCHYLVS Corinthiorum Episcopus.

CONCILIVM OSROENICVM.

In Osroëne regione inter Syriam & Mesopotamiam sita concilium quoque habitum esse, atque in aliis itidem prouinciis (sed quæ nominatim non recensentur) de eadem solemnitatis Paschæ controuersia testantur historiæ ecclesiasticæ.

CONCILIVM EPHESINVM.

Habitum est à Polycrate Ephesiorum Episcopo & Primate Asiæ, in quo definitum fuit retinendam esse antiquam consuetudinem celebrandi Paschatis lunâ decimâ-quartâ primi mensis, & non aliâ, in quamcumque demum diem illa luna incideret,

ideret, siue dominicam, siue aliam. Cuius definitionem Concilij adeo improbauit Victor Pontifex, vt nisi mutarent, excommunicationem interminatus sit, adeóque non mutantibus inflixerit; inflictam tamen (quòd in magnum Ecclesiæ damnum redundaret) suasu, hortatúque Episcoporum, ac præcipuè S. Irenæi Lugdunensis Archiepiscopi sollicitatione reuocauit.

Concilia ecclesiarum Asiæ contra hæresim Cataphrygum.

HAbita esse in regionibus Asiæ complura aduersus Cataphrygum hæresim, eiúsque auctorem Montanum concilia, testatur vetus Scriptor apud Eusebium lib. 5. historiæ ecclesiasticæ, cap. 16. *Cùm sæpe*, inquit, *in Asia & pluribus in locis conuenissent fideles, recentémque doctrinam* [Montani & comitum eius] *examinassent, reprobassent, hæresim esse demonstrassent: demum ab ecclesia depulerunt, & à communione excluserunt.*

De aliis conciliis alibi locorum hoc secundo Christi sęculo habitis nihil hactenus reperi: ab his igitur ad statum ecclesiæ & profectum eius in medio ponendum transeamus.

STATVS ECCLESIÆ, ET FIDEI PROFECTVS in secundo Christi sæculo.

FVit quidem primo sæculo ab Apostolis, eorúmque discipulis, per plurimas mundi partes, prædicatum ac propagatum Christi euangelium, fecitque nouella Dei Ecclesia (licet multis agitata turbinibus ac procellis) non mediocres in fide progressus: sed ij tamen secundo sęculo in tantum aucti sunt, vt iam demum mirari orbis vniuersus, & ipsi frendere ac fremere dæmones maiorem in modum cœperint, tantam rerum commutationem (inualescente Christi religione, & contrà collabascente in dies superstitione) factam esse. Nam Hadriani Imp. temporibus non solùm illæ diræ atque exsecrandæ humanorum corporum immolationes, (quas hactenus importuni dæmones multis imperarant gentibus, adeóque impetrarant) emicante iam Veritatis luce palàm desierunt; sed etiam alia sacrificia perquam vsitata, seu boum, seu aliarum victimarum parciùs exinde, seu domi, seu foris, fieri cœpta. Quin & ipso imperante Traiano, qui hoc ipso sæculo Hadrianum proximè antecessit, sic in Bithynia vigebat sacra religio, vt ipso teste Plinio Iuniore, qui eam administrabat prouinciam, Deorum fana desererentur, sacra solemnia intermitterentur, victimarum denique emptor rarissimus inueniretur: dum scilicet Christiana religio non vrbes tantùm (vt idem Scriptor innuit) sed & pagos circumquaque occuparet. Et cùm primo sæculo vix vsquam publicè & palàm exerceri Christianæ religionis officia à magistratibus sinerentur: contrà hoc sæculo nonnulli populorum Principes ac magistratus vltro fidei excipiendæ occurrerunt, & missis ad primos Ecclesiæ Pontifices è longinqua terra legatis, Christianæ pietatis doctores, à quibus erudiri possent, depoposcerunt. Nam venere in Ægyptum ex India Brachmanorum legati, atque à Demetrio Alexandriæ Pontifice S. Pantænum eiusdem vrbis clarissimum Fidei Christianæ magistrum impetrarunt. Lucius itidem Britannorum Rex nonnullis ad Eleutherum Pontificem super eodem negotio Romam allegatis, sanctos Damianum & Fugatium veritatis præcones obtinuit: à quibus ipse cum vxore & omni ferè populo salutaribus aquis expiati, Christianum nomen plurimùm illustrarunt. Hinc, vt olim Hierosolymis Parthi & Medi, & Ælamitæ, & qui habitabant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, & alij quorum Acta meminere Apostolorum, Christo crediderunt: ita iam (vt Tertulliani, hoc ipso florentis æuo, verbis vtar) *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, & Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero Deo subdita: & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus,* in Christum scilicet, qui iam venit, crediderunt. Quod ipsum S. Iustinus Philosophus & martyr in congressu cum Tryphone Iudæo, aliquam multis ante Tertullianum annis, agens de nouæ Christi legis, præ illa vetere Iudęorum, per omnes terras dilatatione, disertis verbis sic affirmârat. *Hominum genus*, inquiebat, *planè nullum est, seu Barbarorum, seu Græcorum, seu quocumque vis nomine appellatorum, siue Hamaxobios nomines, siue Nomadas, siue Scenitas, & sine domibus atque in tentorÿs ferarum more palabundos, vbi per nomen IESV crucifixi vota & eucharistiæ Patri & omnium creatori non fiant.*

Eusebius lib. 4. De preparat. cap. 17.

Tertull. lib. aduersus Iudæos, cap. 7.

Ex his igitur clarè dilucescit, qualisnam fuerit nostræ matris Ecclesiæ in secundo Christi sęculo status, & quomodo eadem ipsa succedentibus temporibus, magis magísque accrescendo, lucis instar processerit. Nunc ad eorum vitas, per quos sua potissimùm accepit incrementa, secundis ipsorummet adspirantibus ventis, cum bono DEO aggrediemur.

VITA

VITA
S. ABERCII
HIERAPOLEOS IN PHRYGIA
EPISCOPI.

Cuius materies ex his potißimè desumpta est:

Ex antiquis eius Actis in græco codice MS. bibliothecæ Regis Christianissimi, Parisijs.
E Martyrologio Romano.
E Græcorum Menæo.
Ex eorundem Menologio.
Ex Annalibus Illustrissimi Cardinalis Baronij, & ex eiusdem in Martyrologium Rom. Notationibus.

Testimonia de S. Abercij Actis & Scriptis.

Acta vitæ eius.

ΣΥνθεὶς δὲ καὶ βίβλον διδασκαλίας πάνυ ὠφελίμως ἔχουσαν καταλείπει τοῖς ὑπ' αὐτὸν Πρεσβυτέροις ἅμα καὶ Διακόνοις· ἵνα καὶ μετὰ θάνατον φθέγγηται δι' αὐτῆς, καὶ τρόπον τινὰ μηδέποτε ὠφελῶν παύηται. In græco cod. MS. bibliothecæ Regiæ Parisijs.

Composuit etiam librum disciplinæ multò vtilißimum, quem suæ diœceseos Presbyteris simul & Diaconis tradidit: vti & post mortem per eum loqueretur, & quodam modo posteris prodesse nunquam desisteret.

Cæsar Baronius S. E. R. Cardinalis.

CLaruit Abercius temporibus M. Aurelij Antonini & Lucij Veri fratrum Imperatorum. Exstat eiusdem sanctissimi viri epistola ad dictum M. Aurelium Antoninum Imp. quæ Apostolicum redolet spiritum. Exhibemus eam integram in Annalibus ecclesiasticis, acceptam ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Guillelmo Sirleto, Cardinale amplissimo, qui eam grecè scriptam in antiquo manu scripto codice, vt ingentis precij margaritam, custodit. In Notat. ad martyrol. Rom. 22. Octob.

Idem in Annalibus.

DOluimus vehementer è manibus nostris elapsam, nescimus quo modo, epistolam illam, quam ab Abercio ad Marcum scriptam, piæ memoriæ Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Guillelmus Cardinalis Sirletus pro magno munere nobis concesserat. 2. tom. Annal. eccl. ad annum Christi 163.

VITA

VITA
S. ABERCII
HIERAPOLEOS IN PHRYGIA
EPISCOPI.

PRÆFATIO.

INTER prima ſecundi ſæculi aſtra nouum ſidus nobis exoritur ABERCIVS, eruditione, ſanctitate, prodigijs multò clariſſimus: nempe vir, quem Deus circumduxit & docuit: athleta, quem diabolus timuit & fugit: fidei magiſter, quem ſuperſtitio ſuſpexit & honorauit: Antiſtes, cui hæreſis ceſſit & ſuccubuit: Orator denique & Actor, cui nec efficacia verborum, nec patrandorum facultas miraculorum defuit. Hoc antiquiorem inter huius ſecundæ ætatis Scriptores ſacros reperio neminem. Ignotus quidem fuit Euſebio Cæſarienſi ſacræ hiſtoriæ principi, nec inter Scriptores adſcriptus; ſed tamen Euſebio plurimos ſe ignoraſſe libenter atque ingenuè confeſſo. Lib. 5. cap. 26. *E quibus ab ipſo ignoratis multi poſtea, ſeu è ſanctorum Patrum monumentis, ſeu è ſacrarum Hiſtoriarum libris, ſeu è certorum Eccleſiæ Notariorum commentarijs, in publicam venere cognitionem. Sic igitur & S. ABERCIVS è tenebris emerſit, atque inſtar clariſſimi ſideris tandem emicuit: poſtquàm ſcilicet diuina eius Acta, quæ olim à coæuis fideliter conſcripta diutiſſimè latuerant, denique nobis à Simeone Metaphraſte talium antiquitatum perſcrutatore ſtudioſiſſimo è ſuis latebris eruta ſunt, atque in lucem data: vt qui ſub illud tempus perpaucis auditus fuerat, ferè cunctis deinceps per illum fuerit cognitus: quem & nos pòſt futuris, Deo Opt. Max. conatus noſtros adiuuante, redditum imus aliquanto illuſtriorem.*

CAPVT

VITÆ SANCTI ABERCII
CAPVT PRIMVM.
Abercij ortus, ætas, educatio.

NAtus est [a] ABERCIVS [b] Hierapoli, vrbe Phrygiæ, notissima & antiquissima: vbi & CHRISTI fides à primis vsque Apostolorum temporibus effloruit, [c] & vrbem ipsam PHILIPPVS Apostolus sanguine suo in cõfessione fidei profuso decorauit, sepulchro auxit, prodigijs illustrauit.

ABERCII PATRIA HIERAPOLIS.

Non potest quidem ABERCII certus natiuitatis annus liquidò designari: cùm nullus, quod quidem sciam, litteris prodiderit: sed tamen [d] sub extrema saltem Flauij Domitiani Imperatoris tempora, & circiter annum à CHRISTI ortu nonagesimum in lucem editum esse haud dubia est sententia. Quippe quem post sanctum PAPIAM eiusdem vrbis Episcopum (cuius vitam superiore tomo exhibuimus) & ante beatum Apollinarem huius ipsius sæculi Scriptorem, (cuius proinde vita hîc quoque infrà exhibebitur) Hierapoleos itidem Episcopum, eandem rexisse ecclesiam constet. Quin & inter nostrum Magnum Abercium & sanctum Apollinarem [e] alter Abercius interfuit medius: ita vt singulorum putanti annos ætatis ac regiminis, non possit S. Abercij natiuitas ad alia, quàm ad Domitiani Imperatoris tẽpora veriùs referri atque cõmodius.

NATIVITATIS TEMPVS.

[f] Parentes habuit iam quidem nominibus incognitos, sed fide ac religione (vti ex habitis ab eo sermonibus non obscurè nobis colligi datum est) Christianos. Quod quidem facile fuit, vtpote in vrbe ab Apostolis pridem erudita. Nam & ipse Paullus doctor Gentium in ea, quam ad Colossenses scripsit epistola, Christianorum eius vrbis commeminit [g] vbi sanctum EPAPHRAM comitem suum, & vt ipse appellat, *concaptiuum*, non modò pro Colossensibus Christianis, sed etiam pro Laodicenis & Hierapolitanis multum suscepisse laboris attestatur.

PARENTES CHRISTIANI.

Ad Colossenses 4. ver. 13.

Epist. ad Philemonem, ver. 23.

Quanta porrò cura & sollicitudine à parentibus suis in timore Dei educatus sit, vel illud magno argumento esse potest, [h] quòd à prima pueritia sic addictus pietati fuerit, sic sobrietatem & castimoniam amplexus, sic æternæ vitæ, deliciarúmque cælestium odorem gustúmque expertus; vt quo tempore ceteri fere adolescentes liberas terrenis cupiditati-

EDVCATIO INGENVA.

bus ac lenocinijs laxare habenas ſolent, [i] ipſe cunctis voluptatibus corporis ſubter pedes habitis, & omni preſentis vitæ fructu contempto, ad futuram illam, in qua bonorum omnium theſaurus, ſed perpaucis cognitus, latet, feruente etiam adoleſcētia anhelarit, & pòſt natu grandior reliquum ętatis curſum moribus planè Angelicis, vti ab initio inſtituerat, conſtanter traduxerit. Multum enim, multum ſanè in vtramque partem valet parentum erga liberos, à teneris, quod aiunt, vnguiculis bona maláue educatio: vt nimirum & benè inſtituti hauſiſſe ab ipſis vberibus cum materno lacte pietatem, & ſequiùs educati natiuam à maligno vtero traxiſſe improbitatem iudicentur. Quemadmodum autem admodum puer pietati ac puritati; ſic iam adoleſcens bonis litteris egregiam, præ multis æqualibus, operam impendit: neque hoc abſque ſingulari diuinæ eum dirigentis ac velut manu ducentis prouidentiæ conſilio. Nam & illæ artes ad eam dignitatem, in quam creſcebat & alebatur, & ad illam loci ſtatúſque, quò cælitus vocabatur, ſublimitatem adeo erant neceſſariæ, vt ſuum in eo munus dignè exequi abſque ipſarum auxilio non poſſet. Quippe is, *qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, eum inſignem ducem in Eccleſia, & magnum Phrygiæ laborantis Angelum iam olim deſtinauerat: cuius proinde muneris futurum erat, vt non ſibi tantùm ipſi & in ſe luceret; ſed vt foris quoque & alijs longè latéque, radianti virtutum ſuarum ſplendore coruſcaret. Quod quidem quo pacto in maturiori ætate, diffuſis ab Oriente ad Occidentem vſque quaquauerſus rerum ab ſe preclarè geſtarum radijs effecerit, fuſiùs infrà docebitur: nunc ad ipſam in ſupremum ſacrę dignitatis gradum euectionem, & euectionis cauſſas aſcendamus.

ARTIVM LIBERALIVM STVDIA.

Ad Romanos 4 ver. 4.

CAPVT II.

ABERCII ad ſacros ordines, & ad primatum eccleſiæ Hierapolitanæ euectio, & primæ in eo curæ.

ABERCIVM igitur cùm ſtatuiſſet Deus in ſublimi collocare, atque[a] in terra Phrygiâ ([b] vnde omnium origo & Deorum & fabularum extitiſſe prædicatur) eorundem Deorum demolitorem, & impiarum redargutorem fabularum exhibere; eas illi naturæ dotes, eáque ingenij vim præparauit, quæ & apta condiſcendis artibus neceſſarijs, & idonearum virtutum excipiendis referendíſque ſeminibus eſſet accommoda. Ipſe verò Dei donis tam prolixè ac pro fuſè in ſe collatis minimè eſt abuſus; ſed gratiſſimo erga tam benignum largitorem animo, cunctis ad eius honorem gloriamque conuerſis, cùm miros in cultura ingenij progreſſus fecit, tum incredibile in conquirendis virtutibus, & mandatis Domini ad amuſſim exequendis ſtudium poſuit. Hinc & fluxus diuinæ benignitatis, vberiore ſemper copia, in eum emanauit, nec vſquam obiecto (vt interdum fit) de-

DEI DONIS NON ABVTENDVM.

fit) delicti cuiuspiam obice interruptus restitit: sed inter studia, inter negotia perpetuò comitans diuina gratia, sicut *præuenerat eum in benedictionibus dulcedinis*; ita vsque & vsque illi adstitit, donec tandem peractâ huius vitæ militiâ, vt pòst videbitur, victorem munerauit, *& posuit in capite eius coronam de lapide precioso*. Potuit enim verissimè Abercius ijsdẽ erga Deũ vti verbis, quibus olim Propheta ille regius, & dicere: *VIAM MANDATORVM TVORVM CVCVRRI CVM DILATASTI COR MEVM*. quãdoquidem tantâ illam per aduersa, per prospera omnia, promptitudine atque hilaritate animi cucurrerit; vt quæ alijs amara vulgò censebantur, ipsi parerent dulcia: & quę plerisque omnibus horrida & auersanda, huic vni perquam amabilia & expetenda viderentur. Studiorum enim spinę, cupiditatum repressiones, ludorum & theatrorum repudia, exquirẽdę & excolendę virtutis labor, Dei per preces & vota sollicitandi assiduitas, ac totum denique Christianæ legis iugũ, quod primo aspectu ita triste ac horridum plerisque apparet, vt vel respuant inexpertum, vel tantisper expertum excutiant; hæc, inquam, omnia subueniente ac deliniente Dei gratia, non modò illi tolerabilia & facilia, sed etiam iucunda admodum ac deliciosa existebant. Profecit igitur præ ceteris sodalibus, tam in liberalium scientiarum spatijs, quàm in solidarum virtutum exercitijs; quarum quidem virtutum sic intendebat, vrgebátque fastigium, sicut plurimis mortalium (quibus nõ tam facultas quàm animus deficit) vix vllo ipsarum facto experimento surrepit contemptus atque fastidium. Quare facili ingenio & placidis moribus cùm esset, satísque pro ætate moderatus ac prudens appareret, diligi à natu maioribus cœpit, à minoribus honorari, ab æqualibus suspici, denique bona omnium commendatione in Ordinem sacrum cooptari. Hic autem in officio suo, vt ęquum erat, magis magísque attentus ac diligens esse, nemini offensionis ansam prębere, de omnibus, vbi se daret occasio, bene mereri: quando Dei honos ageretur, fortem virum pręstare: nullis in ope fratribus pręstanda laboribus parcere: fidei hostibus, seu Iudęis, seu Gẽtilibus, nostra impugnantibus viriliter se opponere, nec vllis à fidei petra vel promissis auerti, vel minis concuti. Hinc cùm ea incidissent reip. tempora, vt vrbs Hierapolis sui Antistitis præsidio viduata, alterum requireret, maximeque opus tum haberet viro docto simul & forti & pio, qui & suos instruere, & alienos conuincere, & cunctos suo allicere exemplo posset; diuino prorsus consilio is datus est illi vrbi Episcopus, [c] qui doctrina & fortitudine & pietate in paucis excelleret: immo qui & ardenti studio FIDEI, & salutaribus prodigijs ad omnia pręstanda, quæ ex vsu ecclesiæ essent, plurimùm inter omnes polleret. In his enim omnibus insigniter præstitisse ABERCIVM, & quidem (quod maximi ad extraneorum conuersionem momenti erat)

Psalmo 20. v. 4.

IBIDEM.

Psal. 118 v. 32.

GRATIA DEI QVAM EFFICAX!

ABERCIVS IN SACRVM ORDINEM COOPTATVR.

CREATVR EPISCOPVS HIERAPOLEOS.

ti erat) [d] neminem illa ætate, patratorum multitudine prodigiorum, ei fuisse parẽ, dabitur in ipsius vitę decursu manifestò intelligi. Hunc igitur primi illi Apostolorum successores, viri sapientissimi (horum enim iam ætas erat) Episcopum constituerunt: cùm & spiritu imbutum Apostolico, & talibus pernecessarium esse temporibus perpendissent. Talis enim sanè fuit ABERCIVS, & talis in sublimiore iam loco constitutus, magis ac magis in dies comparuit. Cuius etiam, in

Iacob. 1. ver. 17.

hisce primatus sui initiis, maxima cum Deo opt. max. (*à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descẽdit*) per sanctas assiduásque precationes animaduersa est coniunctio. Quippe intelligebat vir apprimè sapiens, cũctis Ecclesiarum pręsidibus, quibus tot res gerendæ instant, tot difficultates expediendæ, tot insidiæ præcauendæ, tot aduersariorum impressiones eluctandæ, & quibus denique tot animarum (de quibus stricta sit reddenda ratio) salus & incolumitas à summâ potestate cõmissa sit; intelligebat, inquam, nihil ijs ecclesiarum Pręsidibus magis esse necessarium, quàm perpetem cũ supremo rerum omnium moderatore Deo coniunctionem ac familiaritatẽ. Quod cùm sciret, atque iustissimâ, vt par erat, trutinâ perpenderet, ac suos insuper tanto impares oneri humeros absque superiori auxilio persentisceret; meritò sanè satagebat, vt continẽter cum Deo versaretur, & coram Deo ambularet: vt eius identidem consilium voluntatémque exquireret, nec ab ea vel latum, quod aiunt, vnguem declinaret. Hinc autem fiebat, vt nõ rarò illi Dominus, (quâ in quærentes se est benignitate) & per visa & per oracula placidam inter quietem sese aperiret', atque ea, quæ incumberent facienda, certis atque euidentibus indicijs (vt pòst explicabitur) commonstraret. Nunc enim qua cura sibi, & qua solicitudine alijs, inter prima sui episcopatus initia attenderit, & suam vnà cum proximorum salute perfectionem coniunxerit, breuiter inspiciendum est.

CONIVNCTIO ET FAMILIARITAS CVM DEO EPISCOPIS PERNECESSARIA.

CAPVT III.

Perficiendi sui & subditis opitulandi eximia in ABERCIO cura & sollicitudo.

POsito sanctarum precationũ, (quas in rerum magnarum primordijs semper anteire verum est) iusto ac stabili fundamento; cœpit ABERCIVS ea, quæ diuinitus acceperat, atque in sacris quoque libris didicerat, haud segniter exequi. Nã quod B. Paullus vocatis ad se Epheso maioribus natu eius ecclesiæ, hisce verbis commendauit: *Attendite vobis, & vniuerso gregi: in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo*; cùm id sibi quoque dictum & commẽdatum existimaret, instituit ante omnia sibi, suęque in virtutibus progressioni sedulò attẽdere: tùm verò curâ non impari, vniuerso gregi suo inuigilare. Igitur paupertatis mirificè à Christo Domino

Actor. 20. ver. 28.

PAVPERTATIS AMOR.

Domino dilaudatę,& in fronte multarum beatitudinum collocatæ admodum ſtudioſus ac retinens fuit. Nam tanta ſemper in eo fuit opum deſpicientia; vt quamuis pauper eſſet ac tenuis, pecunias tamen nec vnquam volens quæſierit, nec vltrò oblatas, licet rogatus, admiſerit: ſed exiguo victu & modeſto veſtitu contentus, de ceteris nihil ſollicitus fuerit. Quibus tamen vel omnino neglectis, vel conſtanter repudiatis, minimè fons eius in ſuos atque alienos benignitatis exaruit, ſed magis magíſque potiùs abundauit: ita vt pauperum & egenorum miſerijs, aut languentium & morbidorum ærumnis plus ſubuenerit oblata recuſando; quàm ſubuenire potuiſſet eadem admittendo. Si enim vel paucula admiſiſſet (nec enim eius pudor ferebat, vt multa) tum iſtis quoque pauxillum commodaſſet: iam autem è contrario illis modeſtè recuſatis hoc vſu venit, vt maiora & diuturniora, nō ſibi quidem, ſed egentibus inualidíſque turbis, ſubſidia impetraret. Nam illis vnicè ſtudebat: pro illis impensè ſatagebat: denique ipſorum penuriam atque miſeriam paternè miſerās, vnde, vnde poterat, Paulli exēplo, ipſis ſuccurrebat: atque vt ille in Gręcia collegit nonnunquam, quod mitteret in Syriam; ſic & aliquando Abercius in Italia petijt & obtinuit, quod conferret in Phrygiam. Pro argento ſcilicet & auro, quod ſibi exiguum accepiſſet, ipſe infirmis Hierapoleos (quemadmodum infrà ampliùs innoteſcet) balnei conſtructionem; egenis autem annuam certi frumenti penſionem ab Imperatrice impetrauit.

EIVSDEM VTILITAS.

Iam verò tractandi corporis curam (quam plerique mortalium, vti eſt naturæ corruptela, in primis habent) ipſe nec in ſecundis, nec in tertijs, ſed in poſtremis ſemper habuit. Nam expletis demum alijs omnibus officij ſui muneribus, precandi, legendi, ſcribendi, docendi, mœſtos conſolandi, diſcordes reconciliādi, ægros curandi (quippe inerat illi gratia curationum ſingularis) ſero veſpere, poſt hymnos horæ nonæ decātatos, ad corporis neceſſariam refectionem, viriúmque inſtaurationem deſcendebat. Nempe hoc viris ſpiritu feruentibus, & Deum toto pectore complectentibus eſt proprium, vt animam à corpore, & à cunctis rebus corporeis, quantū quidem valent, abſtrahant; nec cogitationes ſuas ad terreſtrem cibum potionémue, niſi vocante, & vrgente, & quodammodo cogente neceſſitate, ſubmittant. Tantum abſunt, vt vel exquiſitas epulas, (precioſa, vt quidam Sanctorum meritò appellauit, ſtercora) requirant, aut menſæ comeſſationíſue gratia, ſe ab vlla officij ſui parte, vel à fratrum adiuuandorum quantulacumque occaſione abduci ſinant. Sunt enim, ſunt interdum nonnulli, quibus ad vitę perfectioris ſtatum aſpirantibus velut pedicas quaſdam, & tenacia nimiùm retinacula inijcit terrenarum deliciarum cupido, & malignus ille gulæ ſpiritus, quam gaſtrimargiam ſancti Patres appellarunt, & primam omnium totis viri-

CORPORIS CVRA IN POSTREMIS HABITA.

GVLÆ SPIRITVS ANTE OMNIA EXPVGNANDVS.

viribus & animi & corporis oppugnandam, opprimendámque docuerunt: nimirum prouidè intelligentes, frustra cum alijs vitijs hoc vno stante & vigente suscipi bellum: nullam enim de carne aduersus spiritum concupiscente sperandam esse, dum gula quidem dominetur, victoriam: nullum denique ad absolutam cõsummatámque virtutem, hoc vno interueniente obice, patere aditum. Quocirca perquàm sapienter Abercius minimum sibi cum carne & sanguine voluit esse commercij: ratus nimirum corpore vtendum, vt seruo; menti seruiendum, vt dominæ: neque porrò moris esse, vt prior maiórue serui aut ancillæ, quàm domini aut heræ cura habeatur. Hinc maximam ipse diei partem, & nonnullam item noctis Deo, rebúsque diuinis tribuebat: modicum autem spatium, idque diei ferè vltimum, post omnia pietatis & caritatis officia, seu publica, seu priuata, moderatæ corporis tractationi commodabat. Optimum sanè factum, si id etiam modò cunctis Ecclesiæ Præsulibus, & legatione pro Christo fungentibus (dum quidem Christiana exigat caritas, & valetudo permittat) quàm altissimè cordi infixum esset. Tum enim ipsis, vtpote regnum Dei primùm quærentibus, etiam cetera largiter adijcerentur, & diuinæ inspirationes atque instructiones, quemadmodum Abercio, longè vberiùs prouenirent. Sed, heu dolor! quàm crebrò aliter atque aliter accidit! quàm sæpe ea, quæ sunt deteriora, priores ac potiores partes occupant! & quæ seruire debuerant, quoties & quàm iniquè dominantur! Hinc illæ lachrymæ. Quod autem ad illud Episcoporum principale munus attinet (propter quod & Angeli appellantur) quod est verbum Domini annunciare, quod est rectas ad cęlum vias facere & ostendere, quod est alios docere & illuminare, tanto illud opere exercebat Abercius, quanto quis mortalium posset maximo: neque huius muneris partes facilè in alium transferebat, (quod nunc sæpe multi) sed per sese, vt tùm ferè omnes (quippe Apostolorum ac Discipulorum secuti exempla, quibus ipse Dominus mandarat. *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ*) sed per sese, inquam, illud docendi & prædicandi euangelij munus, & permagna quidem assiduitate ac diligentia pertractabat. Quam diligentiam non in vrbe tantùm, sed etiam foris in sua circumquaque prouincia (quæ latè tum patebat) perlustranda, & promouenda ecclesia adhibebat, quam & laboribus magnis plantabat, & largis sudoribus irrigabat: cùm videlicet & & pedibus iter ageret solo scipione innixus, & vbicumque defatigatio ac virium defectio subijsset, seu in monte, seu in valle, seu in planitie, seu alibi (sub tecto enim, an sub dio cubitaret, parum pensi habebat) ibi mēbra indiscriminatim deponeret. Hoc nempe Propheticum, hoc Apostolicum, hoc verè Christianum est, ad defatigationem vsque & virium defectionem in excolenda Christi vinea

EVANGELII ANNVNTIATIO PRINCIPALE EPISCOPORVM MVNVS.

Marci vltimo, vers. 15.

desudare

desudare. Nam & Christus ipse IESVS (vt habet fidelis & certa sui dilecti discipuli relatio) FATIGATVS EX ITINERE SEDEBAT SIC SVPRA FONTEM. Et Apostoli sæpe defessi, sæpe exhausti, sæpe fluctibus in littora aut loca sola eiecti, modò hîc, modò illic, vt locus & tempus dabat, humi residebant. Itidem & Prophetę, nubium instar, huc & illuc acti, & pane & aqua nonnunquam defecti, quocumque poterant loco, temerè accubabant. Quos & alij posterioribus sæculis, & hac nostra memoria imitati sunt: ac illi in primis noui Indiarum & Iaponum & Sinarum Apostoli, qui sæpe ad lucra gentium barbararum per inuia & inaquosa discurrentes, absque tempore quietis, absque loco securitatis, ibi miserè strati, sine stratis iacuerunt, vbi ipsos necessitas occupauit, non vbi commoditas inuitauit. Verùm hæc in præsens omittamus, & quando nos Abercij pro tuendo Dei honore ardens studium ad se trahit, volentes sequamur. Ioannis 4. ver. 6.

CAPVT IV.

Abercij pro tuendo Dei honore ardens studium, & aduersus fidei impugnatores bellum implacabile.

VErus ac sincerus in Deum amor suis semper igneis stimulis agitatus, quàm propensè ac feruidè in dilecti honorem & gloriam fertur; tam in illi aduersantes incitatè atque incensè, totóque adeo inflammatæ mentis impetu rapitur. Hinc Abercius, vt erat diuini amoris igne ardentissimus, nihil audire, nihil videre, nihil ferre poterat, quo debitus vni ac supremo Deo cultus honósue læderetur. Quare cùm intelligeret, ac propè oculis ipsis cerneret, M. Aurelio Antonino & Lucio Vero Imperatoribus, adeo premi deprimíque (nam certè opprimi penitus nunquam potest) Ecclesiæ, Religionísque Christianæ dignitatem, vt eius pientissimis cultoribus vel acerbissima mors oppetenda, vel summa esset ignominia subeunda; è contrario autem falsorum numinum adoratoribus non modò grauium scelerum impunitatem, sed honores quoque & præmia palam ac publicè esse proposita; tantò intus excruciabatur dolore animi; vt ei leniendo nullum satis esset solatium, adimendo autem nihil prorsus, nisi prompta mutorum simulacrorum disiectio atque diffractio, sufficeret. Cuius rei præclarum sanè exemplum in illa duorum, quos modò nominauimus, Augustorum persecutione palam edidit. Nam cùm PVBLIVS paruæ Phrygię tum præfectus, publica Dijs sacrificia & libamina tanquam duobus Augustis gratissima, siue acceptis ipsorum mandatis, siue sua sponte, tanquam impiæ superstitionis amantissimus procuraret, plurimíque mortales insano quodam furore ad ea prouolarent; incendit cor sanctum Abercij tam indigna cernentis dignus Deo zelus, atque ad hanc

AMORIS IN DEVM EXIMIA VIS.

M. AVRELII ANTONINI ET LVCII VERI IMPP. PERSECVTIO.

hanc vindicandam impietatem, maiorem in modum ſtimulauit: ac tum quidem potiſſimè, cùm ſenatum ipſum Hierapolitanum, omni populo comitãte, feſta illa minimè feſta, & ſacra maximè execranda (pró fatuas hominum mentes!) candido in amictu celebrare, & illo vnico ac ſupremo Deo derelicto, ad ſurda proſterni ſimulacra, oculis ſuis conſpiceret. Hinc & animo propter infirmos fratres ſuos grauiter ſaucio, in ſecretiorem ſe recipiens locum, ibi denſis lachrymis, quas iuſtus exprimebat dolor, habenas laxat: ac Deum opt. max. (præ quo iſti vix vmbrarum ac ne vix quidem mereantur nomen) his ac talibus ex imo depromptis pectore vocibus comprecatur:

ABERCII, IN TEMPORE IDOLATRIÆ AD DEVM DEPRECATIO.

Deus ſæculorum, & Domine miſerationum, qui hoc vniuerſum cõdidiſti & contines, quíque vnigenam filium tuum humanam pro nobis induere naturam voluiſti, age quæſo, in mundum hunc, quem fabricatus es, oculos conyce, neque vrbem hanc tuam, (in qua me ouium tuarum paſtorem, & indignum licet, tamen Epiſcopum conſtituiſti) ne vrbem, inquam, hanc tuam manufactis deditam ſimulacris in præſenti deſpice; ſed illa, qua circumuoluitur, erroris caligine eãm liberans, amica perfuſam luce tibi coniunge. Hæc & alia huiuſmodi magnam diei partem comprecatus cùm fuiſſet, atque oculos in ſoporem nonnihil declinaſſet; ecce venuſtum & eleganti forma adoleſcentem illi apparere, qui porrecto ipſi in manum baculo, *Abi nunc*, inquit, *in nomine meo, Aberci, & hoc baculo auctores erroris Deos potenter protere*.

EIVSDEM CÆLESTE VISVM.

Expergefactus igitur, & de vera Domini apparitione minimè dubius confeſtim exſurgit, ac cæleſti fiducia plenus prægrande lignum corripit, zelúmque & iram ſpirans, fanum Apollinis, vbi plurimæ libationes & ſacrificia fieri ſolita erant, actutum petit (erat tum hora noctis nona circiter) & diuino viſo fretus, primùm ipſas delubri valuas manibus propellit, deinde clauſtris ac vectibus contritis, aditúque reſerato in medium procurrens fanum, ſtatim Apollinis, quod ibi ſtabat, ſimulacrum confringit ac comminuit: indéque circumiens non impari honore Deos alios afficit: è quorum numero ne vnus quidem ad defenſionem ſui ſe commouit. ſed vt ſemper aliàs ſurdi fuerant & vani, ita iam præcipuè adeo ſurdi fuerunt ac muti, vt hanc vnam dumtaxat re ipſa, non loquendo, ſed tacendo, vocem ediderint clariſſimam ac veriſſimam: nimis ſcilicet eos homines inſanire, qui ipſis animum attenderent, deóſque nominarent. Quæ enim iam patiantur, ea ſe meritò ac iuſtiſſimè perpeti. Ecce igitur Abercij ardens zelus. Ecce factum prorſus audax, & hominum ſermonibus continuò diuulgatum, ac diris omnibus, pro populi Gentilis ingenio, deuotum. Quid nunc Abercio fiat? Quis patere poſſit tanti ac tam audacis auctori facinoris effugio locus? Non fuit opinor è Chriſtianis quiſpiam, qui futurum non exiſtimaret, vt mox ad necem & lanienam perquiſitus ac pertractus in mille fruſta diſcerperetur. Verùm, quando tam ma-

ABERCIVS APOLLINIS CONFRINGIT SIMVLACRVM.

magnus & potens eſt Deus, vt quantouis in diſcrimine ſuos ſeruare athletas poſſit; ac ſimul tam bonus ac benignus, vt ſæpenumero velit; quo nunc pacto cum hoc ſuo fideli & zelote Abercio egerit, quóue res tanta euaſerit, bonum eſt ſtilum animúmque ſeduló intendere.

CAPVT V.

Abercij, poſt diſiecta diffractáque Deorum ſimulacra, & poſt irriſos inſuper fani cuſtodes ac miniſtros, tuta euaſio.

Tantum igitur Abercij facinus, & tanta vnius hominis contra tot honoratiſſimos Gentilium Deos audacia, non tam ira & ſtomacho (tametſi etiam illis) idolorum cultores ac fani miniſtros, quàm ſtupore quodam mentis attonitæ, & conſilij rationíſue inopia perculit. Ad quos proinde ſic affectos conuerſus vir ſanctus, & oculis adhuc iuſtam irã vibrantibus, in eos acriùs intuens, *Ite,* inquit, *& ſenatui, cunctóque populo nuntiate, Deos veſtros, heſterno, quod ipſis appatatum fuit, epulo & multa comeſſatione ebrios ac temulentos mutuò inter ſeſe colliſos, & contritos, & ſolo afflictos eſſe. Vos verò, ſi pauxillum modò reliquum habetis bonæ ac ſanæ mentis, hæc ipſa, quæ ſuperſunt, Deorum veſtrorum fragmenta igni tradite. Sic enim fortaſſe vobis vtiles dij fuerint, cum aliqua ex illis extiterit calcis copia.* His autẽ ipſius tam admiranda & agendi & loquendi libertate atque confidentia obſtupefactis, cùm diu nec mens, nec ratio ſatis conſtaret, ipſe liber & nullo perſequente, tanquam fortis imperator communibus victis hoſtibus, domum abſceſſit. Ibi & accedentes ad ſe turbas veram complecti pietatem, & vitam exigere caſtam ſobriámque, vt antè, ſui ſecurus facti condocebat. Verùm ſtupore tandem diſcuſſo adeunt eá ipſa nocte ad ſenatum ſacrificuli & æditui, Abercium deferunt, ſacrilegij incuſant, & quęcumque facta ab eo fuerant, verbis exaſperant. Tum ergo prima luce diſpergi per omnes rumor, magnum in errorem prolapſum eſſe Abercium, inſurrexiſſe aduerſus Deos, ſanctáque eorum ſimulacra ludibrio habuiſſe, euertiſſe, diffregiſſe: ac propterea non Dijs ſolùm, non Imperatoribus modò, ſed toti vrbi omníque populo pœnas debere tanto flagitio pares. Nec mora: fit ad fanum concurſus, ſpectantur dij, non iam dij, ſed ſolo afflicti, membratim huc illuc diſperſi, & inde quidem mulierum magna exoritur comploratio, hinc autem virorum varij ſenſus & affectus & iudicia. Nam primores quidem ciuitatis, & qui longè præſtabant ceteris, auctores erant, vt publici mitterentur miniſtri, qui Abercium adducerent facti ſui tam nefarij, tam audacis rationem redditurum, & quibuſnam id adiutoribus auſus eſſet, coram detecturum. Neque enim veritati eſſe conſentaneum, tanta aggreſſo non

Abercii in Deos sarcasmvs.

Eivsdem fiducia et animi constantia.

non plures fuisse eiusdem facinoris participes. Comprehensos igitur illos, & compedibus vinctos ad Præsidem vnà cum Abercio mittendos esse: vti eorum, quæ in Deos ipsos & in Imperatores tam impiè ac nefariè admiserint, dignas luant pœnas. Atque istorum quidē

TVMVLTVS POPVLARIS OB DEIECTA IDOLA.

ea fuit sententia: sed populi longè alia. Nam cùm deorum suorum hic manus, ibi pedes, illic vultus humi iacere prostratos conspicerent, multò vehementiùs commoti (amentes scilicet facti erant pro rebus inanimis) lignis, lapidibúsque correptis (tale enim est omnis turbæ ingenium, sic iracundia percellitur: sic impotenti impetu rapitur) *eamus*, clamabant, *eamus, & in malefici domũ ignem immittamus, eámque quàm citissimè amburamus, vt non ipse solum, sed tota simul familia, & quisquis eadem cum illo sentit, vnà cũ illo pereat*. Et fecissent sanè, ipsis instigātibus ad hoc Inferis: nisi opportunè (quę diuina fuit prouidentia) obuiam plebeio furori consultior occurrisset

SENATVS IN TVMVLTV PRVDENTIA.

Senatus. Nam animo secum reputans, quāta in ipsam quoque remp. si id fieret, quod populus intentabat, damna exurgerent, (grassaturo latiùs scilicet, quàm ipsimet auctores vellent, incendio) & simul itē perpēdens, qualis à Publio prouinciæ Præside in capita sua, ex eo tumultu (cui modis omnibus occurrere debuissent) vel permisso, vel dissimulato, pœna, ignominiáue immineret, hæc secum, inquam, reputans senatus, efferatos demulcere animos, & æstuantes cohibere impetus tantisper laborauit, peruicítque tandem, vt nulla vis eiusmodi ante legitimam cognitionem afferretur. Quidam interim ex ijs, qui ad pietatem efformati ab Abercio fuerant, deque præsenti eius periculo nimis solliciti erant, cursu ad illius ædes tetenderunt,

ABERCII INTER PERICVLA TRANQVILLITAS.

& quàm propè abesset ab eo discrimen, nuntiatum properarunt. Quem cùm inuenissent ad eos, qui secum erant, pietatis verba spargentem, & placido ac hilari vultu, perinde ac si nihil accidisset, quoslibet ad se venientes excipientem; ipsi illum de paratis insidijs, & de proximo periculo trepidè condocent, hortanturq́;, vt tantisper cęcæ ac tumultuosæ plebis furori se subducat, & vrbe confestim excedat: ne ipsi duas res sibi carissimas simul amittant, patrem nimirum & fratres, ipsum scilicet diuinum Abercium, quem patris loco Spiritus sanctus illis dederit, & eos fratres, quos ipse, si vixerit, ad pietatem sit adducturus. Ita nimirum illi cogitabant. Quid verò ad hæc Abercius? *Enimuero*, inquit, *ô fratres, meritò cruciatuum pro Christo tolerandorum fugitantes à cunctis haberemur, si nunc pati propter Christum ignauiter declinaremus: & id quidem,* [a] *postquam ipse sanctis Apostolis suis mandauit, vti verbum veritatis omni cum fiducia Gentibus prædicarent, neu tormenta vlla in persecutionis tempore formidarent. Nam cùm & ip-*

VOX DIGNA MARTYRE.

sum pro Christo pati, perquam suaue: tum verò & pro eodem mori, longè ipsa vita est suauius. Verumtamen parendum vobis est, & persecutores nostri, quando ita vultis, in præsentia deuitandi: quandoquidem & hoc

quoque

quoque lex Christi iubeat, vt simpliciter fugiamus, atque ex vrbe in vrbē demigremus. Quibus dictis, domo cũ illis vnà egressus, per mediam vrbem, ad forum contendit, ibíque in loco, qui ab ipsis *fragellium* est appellatus, considens, præconium aggreditur veritatis, & cunctis præsentibus veram Dei cognitionem, quatenus quidem capere poterant, benignè affundit. Docebat porrò inter alia ijs, qui sacro baptismate initiati, & nomine Christiano dignati essent, pręsentes contemnendas esse voluptates, vtpote caducas & breues: solam verò æternam vitam omni studio appetendam: quippe quæ sola verè esset vita, quam Deus præparauit diligentibus se. Hęc quidem & alia eiusmodi Abercius disserebat. Sed factum ipsum cõsideranti, ecquid habere simile fugæ aut declinantis periculum videri hoc potest, ire per mediam vrbem, concionari in foro, vetitam ab Imperatoribus legem & fidem palam prædicare? An non potiùs plenum aleæ atque periculi istud est negotium, plenum temeritatis? Sanè humanas solùm attendenti rationes ita videri possit, nempe & verba eius de fuga capessenda ludibrio esse dicta; & factum ipsum arcessendæ persecutionis atq; mortis merum censeri irritamentum: at verò altiores & æternas perpendenti caussas, alia prorsus omnia hic reperientur. Nam vnde periculum timebatur, inde extitit securitas; & pro fidei detrimento ingens accessit ecclesiæ incrementum. Quod quemadmodum factum sit, iam nunc aperiemus.

DOCTRINA ABERCII.

CAPVT VI.

Turbarum in concionantem Abercium incursus interuentu dæmoniacorum distinetur, & eorundem visa curatione in melius conuertitur.

ABscesserat quidem domo Abercius ea mēte, vti credibile est, ne ibi comprehensus mœrori esset damnóue fidelibus, statuerátque omnino concitatum in se tumultum suo ex vrbe discessu mitigare: sed ecce, dum est in via, Dominus Deus (cuius longè aliæ sunt viæ, quàm viæ nostræ) ipsum non per amfractus & angiportus extra vrbem, sed per celebres vicos in forum deducit, ibíque & concionandi animum, & verba concionanti suggerit, quò scilicet concurrentibus turbis, & suam ipsius manifestet gloriam, & illustriorem hunc suum reddat athletam. Obrutum tunc iri lapidibus credidisses Abercium, (sic irritata erat, sic in eum tantã ob audaciam ingruebat multitudo) sed per patrata Dei virtute prodigia, tantum à morte idem abfuit, vt vitam quoque alijs, aut certè omni vita meliorem Dei gratiam conciliàrit. Nam cùm furens populus, audito illum post tanta ausa, etiam medio in foro suam publicè & palam deprædicare religionem, concitato illuc impetu manus violentas illaturus concurrisset, nec longè à vi & nece res abesset; ecce tres robusti

adolescentes

DÆMONIACORVM INTER TVMVLTVM POPVLI AD S. ABERCIVM ACCVRSVS.

adolescentes à malignis spiritibus pridem occupati, iam modò discissis vestibus, ac suas commordentes manus, & membra contorquentes, ipsósque oculorum orbes horrendè inuertentes, ac iam inflatis buccis agentes spumas, iam incertos ac monstrosos prorumpentes sonos turbam diffindunt, sibique viam ad Abercium faciunt: ibi autem, (res cunctis adstantibus & audientibus admiranda!) clamare & vociferari:[b] *Adiuramus te, Aberci, per verum & solum Deum, quem tu annuntias*[c] *vt ne ante tempus nos torqueas.*

DÆMONIS AD ABERCIVM ADIVRATIO.

Inhibuit ea res impotentem furibundæ plebis impetum, dæmoniacis autem miseriæ suæ finem imposuit: aut vtrisque potiùs suã retudit ac repressit insaniam; his quidem eam, quàm dęmones inuexerãt; istis autem, quam sua ignorantia importarat. Steterunt igitur omnes defixis in admirabilem virum oculis, sola eius modestia & morum tranquillitate, velut quibusdam inaspectabilibus vinculis compediti, & quò res euasura esset, præstolantes. Tum verò diuinus Abercius nihil cunctatus ad precationem se conuertit, &[d] *O sancti filij tui Iesu Pater,* inquit, *qui millies licet te offenderimus, salutem tamen nostram non negligis, te oro atque obtestor, vti hosce adolescentes ab illa dæmonum, quæ eos affligit, importunitate vindices: quò & ipsi de cetero tuis obtemperantes iussis, expertum in se prodigium, ad tuam laudem, & ad tui gregis conuertant incrementũ, & sit deinceps nullus, qui te non agnoscat solum esse verum Deũ, ac præter te non esse alium.*

PRECATIO S. ABERCII ANTE EXPVLSIONEM DÆMONVM.

His Deum precatus, atque in adolescentes intuitus, eo, quem manu gerebat, baculo, ipsorum icit capita, dicítque: *Exite nequam dæmonia, in nomine Christi mei, exite ex hisce adolescentibus, neu quicquam eos lædite.*

DÆMONES EXPELLENTIS VERBA.

Quibus dictis ingenti cum eiulatu actutum exière. Isti verò depulsa, quam dęmones obduxerant, mentis caligine, nonnihil cælum respectantes, ac velut respirantes, mox se ad sanctos Abercij pedes abijciunt, iisque satis diu sine voce inhærent, ita vt mortui ab omnibus crederentur:[e] ille autem prehensâ cuiusque dexterâ, eos erigit, & sanæ mentis compotes coram exhibet. Qui requisitis indutísque vestibus deinceps prudenter se gerere, & nusquam ab Abercio posthac discedere, sed eum sequi, colere, reuereri. Quod intuentes turbæ velut vno consensu & vna voce communiter exclamarunt: *Tu solus es verus Deus, qui à tuo Abercio prædicaris.*

GENTILIVM AD FIDEM CONVERSORVM VOX.

Hic ergo tanti motus popularis, & tam certæ optimi Præsulis in Deum fiduciæ exitus fuit. Ita eum reueriti sunt & secuti, quem paullò antè occisum & discerptum volebant: confessíque sunt vnicum esse Deum, alijs omnibus Dijs repudiatis, qui antehac alios potiùs omnes admittebant, illo vnico repudiato. Bonum proinde est in Deo stabilire mentem, & media inter pericula diuinã semper respectare præsentiam, nec de cælesti vnquam diffidere præsidio. Sed nunc istorum, de quibus modò diximus, ordinem conuersionis, & præclaram diuini Abercij doctrinam consideremus.

CAPVT VII.

Gentilium ad Christi fidem accessus, & doctrina Abercij.

TAntam animi vim, & tam præsentem aduersus dæmones efficaciam in Abercio Deorum suorum hoste cùm animaduertissent Gentiles, mirari primò & obstupescere, dein cum animis suis reputantes illum in Dei sui virtute ea patrasse, quæ tam aduersus ipsorum Deos, quàm aduersus illa furiosorum adolescentum demonia designasset; ipsi paullatim in veri Dei agnitionẽ conscendere, & pluris eum, quàm sua simulacra, secum taciti facere: tùm verò sensim ad salutem animæ cum veri Numinis cultu procurandam suscitari, & iusto de peccatis suis olim admissis timore percuti, ac si fortè vlla expiari via possent, sollicitè & pio cum affectu sciscitari: denique dociles se præbere, & tradita rectæ fidei elemẽta cupidis auribus suscipere, ac se totos, (iussis res suas habere alijs omnibus) vni Christo, eiúsque legi sanctissimæ committere. Ita nimirum lupi in oues versi sunt, & serpentes, antiqua pelle deposita, in salutari lauacro renouati, columbinam induerunt cum Christi doctrina simplicitatem.

TIMOR DEI SALVTARIS IN GENTILIBVS AD ECCLESIAM VENIENTIBVS.

Cùm autem essent aliqui, quos admissorum conscientia scelerum grauiùs contorqueret, & quos pede humano diuina metientes, haud exiguus metus detineret, ne (vt fit inter homines) post tot, tantáque in Deum flagitia, illi haud satis grati acceptíque esse possent; id edoceri à sancto viro expetierunt; nũ benignè scilicet respecturus eos, recepturúsque esset Dominus; an verò de ipsis propter ea peccata, quæ quondam in tenebris versantes ignorantiæ admisissent, & quorum iam eos puderet, pœniterétque, debitas repetiturus pœnas esset. Tum igitur vir Dei, hac arrepta prædicandæ diuinæ benignitatis ac misericordiæ ansa, quâ potuit maxima & clarissima voce, *Heus vos,* inquit, *quicumque iam Christo credidistis, hoc pro certo habere, & pulsa omni dubitatione credere debetis: si quidem antiquis vestris malefactis & paternis traditionibus obstinatè non adhæseritis; sed ab omni malitia receptui cecineritis, hoc est, ab inuidia & odio & maledicentia & immunditia; & si ab alijs, quæcumque ignorantes prius deliquistis, iam modò & deinceps per Dei gratiam destiteritis; erit, erit ille vobis propitius, in quem credidistis: & qui flagitijs aggrauatos ad se inuitans clamat: VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS, ET ONERATI ESTIS: ET EGO REFICIAM VOS. Nam talis quidem eius benignitatis innumera nobis suppetunt exempla. Quare qui in illum credidistis, illi quoque animas vestras dedicate. & spe vestra, quam in eo defixeritis, minimè gentium excidetis. At enim grauiter saucij sumus,* inquiunt, *& ingentes plagas sub diaboli tyrannide accepimus, dum nos hactenus corporeis voluptatibus totos immersimus, & omne*

Matthæi 11. vers. 28.

GENTILIVM CONFESSIO.

præte-

præteritum vitæ tempus nequiter ac luxuriosè transegimus: vnde & durißimo nunc [b] *malæ consuetudinis dominatu miserè premimur, miseréque affligimur.* Quibus vicissim pius Antistes, *Accurrite igitur,* inquit, *quam citißimè ad medicum: assumite in auxilium ieiunia, labores, precationes, lachrymas; peccatorum item, & earum, quæ vos obturbant, atque ad malum impellunt, cogitationum confeßionem. Neque enim tum vobis continget idem à Domino exprobrari, quod multis antè temporibus, per Osee Prophetam Iudæis exprobrauit, cùm dixit:* [c] *QVID TACVISTIS IMPIETATEM, ET FRVCTVM EIVS VINDEMIASTIS?*

PECCATORVM REMEDIA.

Osee 10. ver. 13.

Hæc proinde vobis ipsi adhibete multò saluberrima medicamenta: [d] *& vulnerum vestrorum nec tenue relinquetur vestigium.*

Talia dum Abercius partim docens, partim exhortans, magna dicendi & persuadendi vi persequitur; [e] ecce hora diei nona faciendi, finis, & ad consuetas se precationes conferendi commonuit. Nam tempus illud diuino sibi destinauerat colloquio. Finem igitur dictis imposuit, & ad benefacta, quæ iam modò memorabuntur, fraterna caritas traxit.

HORA NONA PRECATIONI DESTINATA.

CAPVT VIII.

Abercius sacris concionibus etiam benefacta & prodigiosas curationes adiungit.

QVàm præclara, & quàm regia est illa docendi & gubernandi ratio; cùm regentis doctrinam ac præcepta consequitur, velut aurea quædam appendix, annulúsue obsignatorius, certa malorũ tam animi quàm corporis, interueniente prodigiorũ potestate, depulsio! Talis erat Domini nostri Iesu Christi docendi norma, qui post conciones & verba viuifica, cunctos populorum se consectantium morbos, & vitia cuiuscũque generis percurabat. Talis & Apostolorum ac Discipulorum Domini institutio; qui virtute à magistro acceptâ, non minùs sanitatem corporibus, quàm animis medelam adhibebant. Talis & Abercij nostri consuetudo, & expressum in re præsenti exemplum: Nam auditâ, vti proximè diximus, solitæ precationis horâ, cùm mox finem dicendi fecisset, surrexit, & ad imponendas ijs manus, qui malè habebant, se conuertit. [a] Pollebat enim & ipse gratia sanitatum. Oblatos igitur sibi infirmos, fusâ prece, & manu illis admotâ, pristinæ restituit incolumitati. Tum cunctis bene precatus, & vnà benedictione, osculóque pacis impertito, cum fratribus domum repetijt: consecuta est autem multitudo sanctis eius inescata sermonibus, & salutaribus lauacri gratiam magnopere depoposcit. Sed ille, tametsi eorum animi stu-

DOCTRINA MIRACVLIS CONFIRMATA.

ſtudium valde approbaret, ac maiorem etiam ipſe ad diuinum hoc opus cæleſtis doni in ſe perſentiſceret alacritatem; tamen quòd alia nunc tempus exigeret, in craſtinum diſtulit. Multi igitur, quos præ ceteris flagrantius tenebat celeris baptiſmi deſiderium, ne domum quidem ſuam, cibi ſomníue gratiâ, reuerti ſuſtinentes, ibi propter Epiſcopi ædiculam quietis aliquātulum capiebant, cùm ille ſub noctem mediam fuſis ad Deum ſolitis precibus egreditur, & turbam intuens fores circumſtātem, ſublatis in cælum oculis, [b] *Tibi*, inquit, *gratias ago Domine Deus, quòd mei ouium tuarum paſtoris miſertus ſis, & excubantem aduerſus nos lupum, prædæq́; inhiantem eluſeris, & hanc gregis partem à veritate auerſam reuocaueris, atque adeo per baptiſmum habere filiorum loco, adoptionis iure, non dedigneris.* Iſta cùm dixiſſet, ad templum ſe ire annuit: proinde ijs, qui baptiſmum peterent, ſubſequi licere: illic enim pijs omnium votis ſe facturum ſatis. Quare ſtatim ſubſecutis omnibus, qui aderant: deinde alijs quoque, diſperſo, vt fit, inter pios ſermone, ad eandem ſalutaris lauacri gratiam pertractis, corona ibi hominum fuit haud pœnitenda: è quibus, ſecundum conſuetas precationes [c] baptiſmo initiati ſunt numero quingenti. Neque verò hic ſtetit fructus boni paſtoris, & cupidiſſimi ſalutis animarum Epiſcopi: ſed famâ virtutes eius, & prodigia longè latéque foras differente, [d] non modò è magna Phrygia & finitima circumquaque regione, ſed etiam ex Aſia, Lydia, Caria, multi ad eum mortales identidem confluxerunt: hi quidem, vt ea quæ ad ſalutem erant, edocerentur; alij verò, vt quibus grauabantur, ſiue dæmonijs, ſiue ærumnis alijs, eius ope & opera liberarentur. Nam eidem vtrumque inerat, & facultas bene de omnibus merendi, & voluntas item alacritáſque, quicquid ad Dei gloriam faceret, promptiſſimè exequendi. Teſtimonijs alijs ne ſit opus, hæc quæ deinceps ſequentur celebratiſſima prodigia, fidem abundè facient.

BAPTISMI CONSEQVENDI INGENS DESIDERIVM.

CAPVT IX.

Matronæ oculis orbatæ redditur viſus: grati eius animi beneficentia collaudatur: ingrati de eodem viſu à Deo primitus accepto redarguuntur.

PAucis igitur diebus, poſtquam hæc diuinitus facta eſſent, cùm Abercius ad verba pro more ad populum facienda proceſſiſſet, ac iam in cōſueto eccleſię loco, ſuis ſtipatus Presbyteris ac Diaconis, doctrinę ſalutaris fluēta longè ſuauiſſima, tanquā ex vberrimo ac limpidiſſimo fonte profūderet; totáque ab eius ſpiritu cōcio penderet; ecce adducitur [a] illuſtris femina orbata oculis, Phrygella nomine,

ne, mater Euxeniani Poplionis, qui magna pollebat, & apud Imperatorem gratia, & apud ciues suos auctoritate, primósque in vrbe honores obtinebat. Hæc vbi adesse Magnum Abercium, ac docere plebem intellexit, confestim ad eum sub manuductore properauit, eiúsque supplex aduoluta genibus,[b] *Miserere*, inquit, *mei, ô vir omnium quàm maximè mihi venerande, & vni ac vero Deo dilecte, oculos, inquam, magnum Dei opus, quibus orbata sum, restitue, & da, vt dulcem illum solem intueri valeam, neu me miserabiliter affectam despice; sed calamitatem hanc meam solare, & claritatis generis mei aliquem respectum habe. Est mihi Poplion filius tam apud Imperatorem, quàm apud ciuitatem gratiosus ac potens: at ego eius conspectu careo. Sunt mihi opes plurimæ, famuli, pecuniæ, prædia: sed quid illa iuuant, quandoquidem cum ipsis miserior sum, quàm ij, qui illis indigent. Illi enim quæ possident, eorum licet paucorum adspectu frui, atque, vt lubuerit, vti possunt: ego autem ne oculorum quidem tenus illa, quorum credor esse domina, vsurpare infelix valeo. Atque vtinam illis exuta omnibus, solos haberem oculos! Quapropter benignitatem illam tuam multis expertam supplex & misera imploro; aperi, quæso, oculos meos, & quâ polles apud verum Deum fiduciâ, videndi facultatem mihi tribue.* Ille autem, *At verò*, inquit, *ô mulier, ego ipse peccator sum, & Dei potius egeo misericordia, cuius ab infinitâ bonitate & clementia totus pendeo. Si tamen Deo, cui ego credo, & tu quoque credideris, potest ille omnino tibi*

Ioannis 9. ver. 1. *[c] sicut olim ei, qui cæcus à natiuitate fuerat, visum reformare.* Tum illa, *Credo*, inquit, *credo in verum Dominum IESVM Christum, & rogo te atque obsecro, vt credentis oculos tangas, atque optatum mihi lumen impertiaris.* Hæc autem non tenuibus tantùm verbis efferebat, sed moribus quoque & fontibus lachrymarum confirmabat. Intimè ergo commotus vir sanctus, ac cælum intuitus qui verè cælo dignus erat, *Veni*, inquit, *lux vera, Iesu Christe, & huius oculos resera.* Tum ad illam conuersus, & contactis eius oculis, *Si verè*, inquit, *Phrygella in Christum credidit, confestim videat.* Dictum, factum. Ipsa enim confestim vidit, & videndo, fidem suam comprobauit. Nam illustrata oculorum eius acies, certa illuminatæ mentis index fuit. Cuius & ipsa, vt de tanto beneficio haud ingrata, mox locuples testimonium palàm reddidit. Sic enim dixit: *Tibi Domine gratias ago, quòd duplici lumine in præsenti me affeceris. Nam apertis oculis corporis, multo magis mihi cordis oculos aperuisti. Quo fit, vt mihi perquam aptè congruant illa*

CONTACTVS OCVLORVM SALVTARIS.

Psal. 114 v. 8. *[d] Dauidis tui verba: Liberasti oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Verè enim ab offensionibus seruata sum, non minùs animæ, quàm corporis.* Atque, vt non ageret solùm aut haberet, sed etiam referret gratiam, meritis quidem eius omni modo imparem, sed

aliquam

aliquam tamen, ipsa diuino Christi amore intus concalefacta, & exequendorum eius mandatorum studio præferuida, *En*, inquit, *pater*, (in virum sanctum intuens) *en coram multis hisce testibus, dimidium tibi fortunarum mearum consigno, vt pauperibus arbitratu tuo dispertias*. Circumfusa autem multitudo nouum hoc demirata miraculum statim exclamauit: *Magnus es Christianorum Deus. Nam & verè magnis perfruuntur gratijs, quicumque inuocant nomen tuum.* Conuersus deinde ad mulierem Abercius, *Ecce*, inquit, *mulier, iam cognouisti, quemadmodum Dominus meus in ipso sperantes amplè ac magnificè muneret. Vade igitur in pace, & tibi ipsi attende, & consentaneam illi gratiam refer.* Quibus auditis, abscessit quidem illa in præsens, sed identidem postea ad illum redijt, & magno semper amore ac honore prosecuta est. Ipse verò ad consuetum & tantisper interruptum doctrinæ cursum se retulit. Ac de hoc quidem insigni miraculo hactenus; breui pòst autem ad maiora & mirabiliora transibimus. [8] Nam hic pauxillùm me detinet istius recens illuminatæ mulieris factum gratiosum, & nonnihil sese perpendi ad vtilitatem lectoris postulat. Ad gratum enim eius animum quod attinet, quid nos illi simile facimus? Illa diues & nobilis, recepto oculorum lumine, dimidium facultatum suarum volens lubens Deo obtulit. Nos qui hoc eodem Dei dono & ab initio fruiti sumus, & nunc fruimur (oculos enim nisi Deus dedisset, non videremus) quas illi, non dico, referimus, sed habemus saltem aut agimus gratias? Et quidem, si dimidium fortunarum vel soli promereantur oculi, quid ceteri omnes sensus communiter, auditus, odoratus, gustus, tactus? Immo quanto his ampliùs nobiliores illæ, immortalis animæ facultates atque vires, intelligentia, voluntas, memoria, quas ab eodem Domino vtendas fruendásque accepimus! Vah amentes & ingratos! Si enim ereptum fortè vnicum sensum, vel ad paucos annos nobis Dominus reddiderit iam magnis natu, haud cunctabimur vel mediam omnium copiarum nostrarum ei offerre partem; & tamen cùm cunctos nobis ab initio, & integros, & pro omnibus annis dederit, ingrati, immemores, cæci sumus & viuimus. Quod si beneficia, nisi post percussionem & orbitatem & expoliationem & miseriam non sentimus; igitur & percuti, & orbari, & expoliari, & inopes, infirmos, miseros fieri iuuerit. Verùm beati illi, ac nimium beati, qui beneficia dum recipiunt, agnoscunt: non qui tum demum, cùm eripiuntur, aut erepta sunt, sentiunt. Sed alia sanctissimi viri beneficia & prodigia reuisamus.

GRATI ET LIBERALIS ANIMI EXEMPLVM.

MIRACVLI FRVCTVS IN AGNITIONE DEI ET LAVDE.

EXTIMVLATIO INGRATORVM.

CAPVT X.

Aliæ Abercij prodigiosæ & beneficæ curationes visis extraordinarijs illustres.

CVm patratum in tam illustri matrona miraculum, haud quaquam posset esse occultum, sed partim ab ipsamet Phrygella, quæ exinde ipsum colere & venerari Abercium mirificè instituit, partim ab alijs eiusdem gloriosi facti conscijs, & domi, & foris (vt in huiusmodi assolet) longè latéque esset diuulgatum, excitatæ sunt tam secundâ recentis prodigij famâ tres prægrandi ætate mulieres, vt eodem malo deformatæ idem requirerent ab eodem curatore remedium. Ad sanctum igitur Antistitem cùm accessissent, grauiter oculorum coram illo deflere orbitatem, profiteri fidem, expostulare gratiam, ac dicere: *Et nos etiam in Iesum, qui abs te prædicatur, credimus: appareat ergo & in nobis eius misericordia, túque lucem, ô vir admirande, quemadmodum Phrygellæ, in eadem nunc constitutis miseria exhibe.* Quibus ille, *Si vera est*, inquit, *vestra in verum Deum fides, vt dicitis, vos eum spiritualibus intuebimini cordis oculis*: & sublata confestim in cælum acie, *Domine Iesu Christe*, inquit, *te rogo ac deprecor, vti & illæ agnitionis tuæ lucem videant, atque ab offusa sibi caligine immunes ac liberæ, veritatis tuæ radios adspiciant.* Hac absoluta ad Deum perbreui precatiuncula, ecce rem prorsus admirandam atque insolentem. Nam locum, in quo hæc fiebant, subitò magnum supernè lumen circumfudit, & cuncti inopino perculsi spectaculo in terram deciderunt. [a] Erat autem hoc lumen, non quale aut à sole radiat, aut à fulgure promicat; sed nouum prorsus, & horrendũ, & inconsuetum (stabant interim illæ, alijs solo afflictis, immobiles) quod lumen in ipsarum oculos cùm vehementiùs incubuisset, eos actutum aperuit, & suauem illam solis carámque lucem spectandam præbuit. Tum Abercius, postquam sanis eas cernere oculis animaduertit, ex ipsis est sciscitatus; [b] *Et quidnam est, quod vobis apparuit? ecquid primum vidistis?* Cui vna: *Senem vidi, cuius species ineffabilis, cuius pulchritudo perhilaris.* Altera autem, *Mihi iuuenis*, inquit, *visus est.* Tertia verò, *Puerulus*, infit, *meos contigit oculos.* Quibus auditis Abercius, Deo rerum mirabilium effectore cum gratijs collaudato, concionem dimisit: ipse autem cum familiaribus domum repetijt. Vbi cùm horæ nonæ hymnos ex more Deo persoluisset, tum panis aliquantulum corpori sustinendo sumpsit. Hanc enim tenebat consuetudinem, vt ad extremum diei tantum, & quasi aliud agens, corporis curam susciperet: idque minimè exquisito aut delicato, sed parabili tenuíque victu. Vna enim erat illi esca, cuius præcipuè appetens

ABERCII PRECATIO ANTE CÆCARVM ILLVSTRATIONEM.

LVMINIS E CÆLO IN CÆCAS EMISSI EFFICACIA.

VISA, IN OCVLORVM APERTIONE, A SINGVLIS DIVERSA.

HORÆ NONÆ HYMNI.

ABERCII SOBRIETAS.

petens

petens, neglecto quolibet alio ferculo, erat, & in qua omnes ponebat delicias, Dei scilicet voluntas, & animarum salus. Nec sanè infrequentes ei erant istæ deliciæ, cùm dispersa circumquaque patratorum ab eo prodigiorum fama plurimos vndique ad eius doctrinam exciret, & ipse Fidei rudimentis edoctos, aquísque salutaribus, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti ablutos, magna cum animi voluptate Christo manciparet. Sed nunc aliquod eius doctrinæ specimen, quando & res & locus hic exigunt, compendiò apponemus.

CAPVT XI.

Abercij doctrinæ specimen, & cum Euxeniano viro nobili congressus.

Qvemadmodum gratorum & magni memorū beneficij animorum est, idētidem id, quod acceperint, commemorare, ac de bene meritis frequenter sermonem interserere, ita & Phrygella illa sępius nobis laudata, & nunquam satis laudanda, siue domi apud suos, siue foris apud alienos, id crebrò factitabat: cùm & Abercij virtutes mirè deprædicaret, & Deum, in cuius nomine prodigia patrabat, propalam confiteretur. Vnde Euxenianus eius filius, GRATI ANIMI EXEMPLVM. vir prudens & doctus, intellecto atque etiam oculis vsurpato, quod in eam vir Dei contulerat, beneficio, die quadam hominis conueniendi captus desiderio ad eum accessit, & perbenignè salutatum sic est affatus: *Si tibi, pater, caras esse pecunias cognoscerem, non exiguam sanè facultatum mearum partem tibi libenter offerrem: quippe qui tam singulari matrem meam beneficio affeceris: sed quando præter alias animi dotes, quas Deus in te magnas contulit, etiam his superiorem te fecit; quid nos tibi, quemadmodum ratio exigit, pro tanta rependamus gratia, nisi vt illam ipsam intimis inscriptam animis perpetuò tibi acceptam referamus?* Cùm igitur & verbis & gestibus prolixè gratias ageret, prehensísque etiam genibus tanti se debitorē beneficij agnosceret, ipse Abercius prehensâ eius dexterâ, *Scias*, inquit, *velim, vir optime, nulla mihi re alia tua opus esse, nisi vt tu, cùm prudens sis, rerúmque intelligens, fidelis fias ex infideli, & missâ impiâ Deorum superstitione, ad agnitionem venias veritatis. Malo enim te fidelem esse & pauperem, quàm illustrem quidem ac diuitem, sed infidelem.* Tum illi Euxenianus, EVXENIANI PRIMA QVÆSTIO. *Si igitur placet*, inquit, *ô sacrum caput*, [a] *est aliquid mihi abs te hac de re inquirendum. Nam audiui à matre mea non semel, sed sæpius, doceri abs te eum, quem palam annuntias, Deum, modò benignum esse & humanum; modò autem iustum & terribilem: ac alios quidem, vt valde bonum, præmijs remunerari; alios autem, tanquam iustum ac seuerum, supplicijs vlcisci;*

vlcisci. Si igitur ab amore manat ista beneficentia & remuneratio; & contrà ex odio supplicium atq; punitio; quinam fieri potest, vt idem & bonus sit, & iustè æterna inferat supplicia?

[ABERCII RESPONSIO.] *Quia nimirum*, inquit Abercius, *cùm vnicuique condigna meritis suis rependere boni sit & iusti; Dominus ijs, qui se præclarè & ex virtute gesserint, tanquam natura bonus, bene facit: ijs verò, qui nequiter se habuerint, & praua facinora designarint, tanquam iustè cuncta faciens ac disponens, pœnas & supplicia irrogat: cùm nihil sit, siue eorum quæ facimus, siue eorum quæ vel cogitamus tantùm, quod eius effugere scientiam, conspectúmue possit. Hic est enim qui profunda mentis penitißimè peruadit,* [Psal. 7. ver. 10. Hebr. 4. ver. 12.] *SCRVTANS CORDA ET RENES, ET PERTINGENS USQVE AD DIVISIONEM ANIMÆ AC SPIRITVS, COMPAGVM QVOQVE AC MEDVLLARVM, ET DISCRETOR COGITATIONVM ET INTENTIONVM CORDIS.* Quam sapientissimi Antistitis responsionem cùm sibi Euxenianus arridere declarasset, [b] aliam rursus ex illa [EVXENIANI SECVNDA QVÆSTIO, DE LIBERTATE ARBITRII.] quæstionem mouit: *Si Deus*, inquit, *delectatur bonis, ecquid caussæ est, quamobrem ab initio talem non creauerit hominem, vt bene quidem agere posset, malè autem non posset? Ita enim & ea quæ illi grata essent, acceptáque, faceremus, & pœnis obnoxij non essemus. Minimè verò sic fieri debuit*, inquit Abercius. [ABERCII RESPONSIO.] *Nam & hoc ipsum eius erga nos curam valde commendat, quòd liberos homines condiderit, & vtrumque tam malum quàm bonum in manu nostra reliquerit. Si enim malè agendi potestas non suppeteret; tum nec bene facere, nobis quicquam emolumenti importaret: cùm ob eiusmodi bene factum nec laude digni essemus, nec commendatione: quandoquidem non ex electione arbitrij, sed ex rei natura factum ita esset. Nec enim is, qui malè agere non potest, propterea laudandus est, quòd malè non agat: sed qui malè agere cùm poßit, non agit tamen, eo quòd bonum appetat, & non malum; is demum laude & commendatione dignus est. In nostra enim vtrumque situm est potestate, vt vel boni simus, vel mali, prout alterutrũ elegerimus. Quid enim ad hominis bonum attineat, probationis illi adimere materiam, & coronarum caussas auferre?* Ad quæ Euxenianus, *Iam satis*, inquit, *mihi persuasum est, hominem sui esse iuris atque arbitrij, & quæ peccet, ex animi sui peccare sententia.* Tales porrò sermones inter sese dum miscerent, ecce horæ nonæ signum insonuit, & statim Abercius fine quæstionibus imposito, salutatísque circumstantibus, domum illos & Euxenianum simul dimisit, ipse solitas ad precationes se cõtulit. Quarum quidem precationum quanta in omni genere vis in ipso fuerit, tam pro bonis, quàm aduersus malos deprecanti, ventura docebunt prodigia. Nam eius virtutem humano fastigio altiorem & elementa sensere, & tremuere dæmonia. Quod quonam pacto in visitandis suæ diœceseos ecclesijs effecerit, age, iam exponemus.

CAPVT XII.

Abercij in visitandis ecclesiis diligentia: eiusdémque potestas in elementa, & conflictus cum dæmone.

PArum habuit Abercius, vrbem ipsam Hierapolim, amplam licet ac frequentem, omni studio ad fidem ac pietatem instituere; nisi & ad vrbes alias, locáque sibi subiecta par studium vigilantiámque afferret. Quidni enim? quando in his interdum, quàm in illis maior sacrę culturæ, pabulíque diuini necessitas id exigat. Nam præterquam quòd rariores sint in pagis atque opidulis rerum sacrarum magistri & administri, quàm in ciuitatibus, magnísque vrbibus; id etiam accedit, quòd rusticani, indole atque ingenio sint plerumque rudiores quàm vrbani, proptereáque non secus ac duriores atque agrestiores terræ, plus laboris cultúsque desiderent. Quod vir sanctus probè intelligens, & se vtrisque debitorem peræquè agnoscens, iam his, iam illis studium impendebat suum, séque ipsummet Paulli exemplo superimpendebat. Neque enim satis sibi esse arbitrabatur, eos qui domi & in vrbe essent per se adire & adiuuare: qui verò foris, per alios, seu Sacerdotes, seu Diaconos: sed quamdiu valetudo & vires ferrent, vtrosque non modò alienâ operâ adiri & adiuuari volebat, sed etiam suâ. Nam reperiuntur interdum ex Antistitibus nonnulli, & quidem pro tanti obligatione officij nimis fortasse multi, qui euocante ipsos foras FRATRVM necessitate satis esse arbitrentur, si visitandæ prouincię negotiũ, & res alias foris expediendas alijs committant, ipsi quietem & commoda domi captent. At non sic Apostoli, non sic Apostolorum discipuli, non sic magnus Abercius. Ipse enim per sese (vti & maiores ac præceptores sui fecerant) ac non per alios dumtaxat, subiectum sibi gregem, vbicumque is esset, adibat, inspiciebat, ac sacri sermonis pabulo reficiebat. Erat enim eius insitum animo, illum magistrum magistrorum & pastorem bonum, cunctorum exemplar pastorum, quaquà posset, docendo, solando, sanando imitari. Quemadmodum igitur Christus Dominus non sedebat Hierosolymis, itinerum parcens laboribus, neque ad se rudes ignarósque fidei, aut corpore inualidos aduocabat, aut deportari imperabat; sed exibat ipse foras, & vrbes, vicos, castella obibat, tam hos, quàm illos perquirens, & illis doctrinæ cibum, his salutarem medelam afferebat: ita S. Abercius cùm esset salutis animarum, & diuini honoris amplificandi studiosissimus, per Domini incedens vestigia, iam in has, iam in istas demandatæ sibi prouinciæ partes, ad animarum lucra conuolabat. Quippe qui euangelicæ illius memor esset parabolæ, in qua bonus pastor non apud nonaginta nouem oues desedisse scribitur, ac præstolatus esse,

EPISCOPI EST PER SE SVAM DIOECESIN VISITARE, NI IGRAVE OBSIT IMPEDIMENTVM.

PASTORIS BONI OFFICIVM.

Matthæi 18. ver. 12. & Lucæ 15. ver. 4.

donec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

donec vna illa errabunda, vel vltro ad ipsum rediret, vel ab aliquo reduceretur: sed ipsemet relictis in deserto nonaginta nouem, ad illam vnicam requirendam abijsse, & inuentam in humeros sustulisse, ac magno cum gaudio ad suum gregem reportasse, memoratur. Huius ergo sensum parabolæ toto amplexus animo, mirabili oues suas amore prosequebatur, nec inferiore studio eas deerrantes requirebat, aut vitio, morbóue quopiam laborantes percurare contendebat. Quod aliquando in vicinis vrbi pagis cùm faceret, accidit, vt in locum quempiam veniret, [b] vbi complures varijs affecti morbis iacebant ope humana destituti: eos igitur circumiens, fusis ad Deum precibus, & impositis manibus per collatam sibi cælitus gratiam, in pristinam restituit sanitatem. Quibus vt etiam in posterum amplius in commune prospiceret, [c] cùm ibidem animaduertisset deesse balneum, cuius vsu & commoditate, si suppeteret, magnum adueniret ægrotantibus solatium; ipse pro eo impetrando, ad illum pauperum atque afflictorum supremum patrem ac medicum adijt, & in loco cui datum nomen, *Ager ad fluuium*, flexis humi genibus calidas ad Deum preces fudit, maiorémque in modum rogauit, obtestatúsque est, vti optatum infirmis subsidium ne dedignaretur tali loco ac tempore suppeditare. Quid multa? Audijt preces misericors Deus. Et ecce sudo ac sereno cælo perstrepere tonitrua, atque è propinquo illic solo, calidarum fontes aquarum erumpere, velut palam & clarè resonante Deo: *en vobis aquas: struite balnea.* Quod intelligens Abercius, statim eodem in loco fodi cisternas excipiendis aquis, & in ęgrorum vsus adaptari iussit. Et videre tum erat cunctos lætitia exultantes, ac de recenti insitatóque spectaculo, & de tam vtili egenorum atque infirmorum subsidio Deum vnanimiter collaudantes, suóque itidem Antistiti (ô si & hodie multi tales!) tam benefico, tam pauperum amanti, tam ægrorum studioso congratulantes, atque prospera omnia è cælo deposcentes. Re sic gesta cùm ouans rediret domum, [d] rumpebatur inuidiâ hostis eius infensissimus dæmon, & vias nocendi omnes secum perquirebat; ac corpori quidem quà noceret, inuenit; animo autem quemadmodum officeret, non reperit. Nam vt callidus est admodum & versipellis, [e] ad Abercium accessit muliebri forma, habitúque; & quasi benedictionem cōsequi vellet, sic ei se obtulit: sed Abercius diuino lumine collustratus, ipso primo adspectu latentem subtus lupum, tametsi ouina pelle contectum, recognouit. Itaque mox eum est auersatus, sed ita, vt in se auertendo, atque dolos eius declinando, grauiter in lapidem (id quod dęmon satagebat) impingeret, pedíque dextro dolorem acciperet acutissimum; ex quo factum, vt protinus ad talum, cui incussus dolor insidebat, manum admoueret: tum verò malignus ille exultim ridere, & cachinnari, & iactare sese, ac pro inuetera-

ABERCII CVRATIONES MIRACVLOSÆ.

BALNEI IN ÆGRORVM VSVS PROCVRATIO.

FONTES PRODIGIOSE ERVMPENTES.

DÆMONIS IN MVLIEBRI FORMA APPARENTIS ILLVSIO.

rata

rata superbia illudere ei, ac dicere: *Ne me arbitreris, heus tu, vnum ex illis vilibus dæmonijs, quæ tu nonnunquam vel verbo nôsti abigere; non, nō: haud ego talis sum, sed vnus è centurionibus, cuius tu nunc, cum feceris periculū, sentis quàm grauibus excrucieris doloribus, tu, inquam, qui multos antehac grauibus leuare solebas molestijs.* Quæ cū dixisset, volens & aliud suarum virium præbere experimentum, protinus in adolescētem quendam ex ijs, qui ibi aderant, insilijt, cúmque grauissimè distractum ac diuexatum in mediam turbam miserabiliter abiecit. Cuius infaustam sortem miseratus vir Dei, ad vindicandum & suum & adolescentis dolorem accingitur, tandémque inuitum ac reluctantem occupato per vim & iniuriam domicilio eijcit. Sed neque sic eiectus, procúlque amandatus, vel tumorem abijcit, vel minis abstinet: immo voce, vt consueuit, aspera & impudenti, *Ehodum,* inquit, *Aberci,* [f] *efficiam, vt tu breui vel inuitus Romam videas.* Verùm, quamuis Romam quidem vt videret, effecerit; longè tamen secus quàm voluerat atque intenderat, res ei vertit. Quod quo pacto acciderit, nunc exponam.

DÆMONIS ARROGANTIA ET IACTANTIA.

DÆMONIS EXPVLSIO.

CAPVT XIIII.

Abercij Romam, dæmone procurante, euocatio.

[a] CONATUS est generosus Abercius tam proteruas dęmonis minas, & tam insolentia molimina frustrari, ac totum illud iter, (quâ quidem tenus à maligno erat) pro viribus impedire atque eluctari. Nam domum reuersus, [b] dies ipsos septem vnà cum fratribus, in ieiunijs & peruigilijs transegit, Dominum assiduè inuocans atque exorans, vt ne tantam hosti aduersum se potestatem permitteret, vt scilicet eū cogeretur sequi, quocūque duceret. Deus igitur opt. max. qui nouit & piorum preces in tempore opportuno exaudire, & omnia nequissimi aduersarij tela atque tentamenta in bonum conuertere; septima demum nocte, fideli seruo suo per visum apparens, *Romam,* inquit, *Aberci, mea sic disponente prouidentia, proficiscere. Volo enim, vt qui ibi sunt, nomen meum per te agnoscant. Confide igitur. Gratia enim mea tecum erit.* Quibus dictis excitatus è somno Abercius, [d] *Fiat,* inquit, *Christe volūtas tua.* Qui & diuinam illam visionem fratribus deinde annuntiauit. Nec longas moras traxit dæmon, quin quod minatus fuerat, citò effectum daret. Breui enim postea Romam è Phrygia euolauit, [e] & filiam M. Aurelij Antonini Imp. iam nubilem (quippe annos sedecim natam) imperij consorti desponsam, Lucillam nomine, inter æquales suas eximiè pulchram ac proceram tyrannicè inuasit, tantóque perculit, agitauítque furoris œstro, vt semet ipsa discerperet, affligeret, dentibus cōmorderet, carnes suas manderet, denique omnia insanientis ac vesanæ facta, timenda

DOMINVS ABERCIO APPARET.

LVCILLA M. AVRELII ANTONINI FILIA A DÆMONE POSSESSA.

menda & pudenda, intrepide & inuerecundè faceret.

[f] Angebat ea res haud mediocriter Faustinam Augustam eius matrem, immo & patrem M. Aurelium Antoninum Imp. qui non magis ob filiæ tam miserandum in modum vexatæ dolores & cruciatus, quàm ob nuptiarum (quæ propediem futuræ ex condicto sperabantur) pudendum ac triste impedimentum. [g] Nam inter Imperatores conuenerat, vti stato tempore Lucius quidem Verus ab Oriente ([h] quò aduersus Vologæsum Regem exercitum duxerat) Marcus autem Antoninus ab vrbe Roma, vbi rem curabat publicā, Ephesum conuenirent, ibíque in Dianæ templo, ipsa Dea teste, Antoninus puellā nuptui traderet, Lucius acciperet. Hoc igitur secundùm pacta Ephesum approperante, cùm alteri hæreret aqua, nec videret, quo pacto obsessam à dęmone filiā aut duceret, aut retineret; tandem procrastinatione vtendum ratus, morę caussam è motu barbarico arripuit, perscriptísque ad Lucium litteris significauit, Germanos traiecto Rheno, in opida & agros Romanæ ditionis fecisse incursionem, proptereáque constitutum inter ipsos iter in annum alterum esse differendum. Receptis Lucius litteris (in media iam erat nauigatione) permagno mœrore ob dilatam spem est affectus, retróque [i] Antiochiam ad Daphnem reuertit. Antoninus interim, & sua sponte, & à coniuge incitatus, in omnem se vertit partem, nihílque intentatum reliquit, quò tantum ac tam deforme malum à filia sua auerteret. [k] Nam & Romanos, Italósque sacrificulos isti aspellendo malo adhibuit, & haruspices ex Hetruria accersiuit, & quicquid aliorum denique fuit consiliorum, à quibus medela sperari posset, in tantæ amolitionem miseriæ aduocauit. Verùm & inanis sacrificulorum labor, & vanæ haruspicum artes, & inefficacia cunctorum remedia palàm comparuerunt, cùm per puellam ipsam [l] vociferari cœpit dæmonium: *se, nisi Abercius Hierapoleos in parua Phrygia Episcopus adueniret, nequaquam è suo tabernaculo discessurum.* Quæ cùm diebus plusculis vociferans ingeminaret; anxius Antoninus, quid hoc esset monstri, [m] accersito ad se Corneliano Pręfecto aulæ requisiuit, num in parua Phrygia vrbs esset aliqua Hierapolis. Et ille, *Maximè*, inquit, *Domine, & ex ea quidem ortus est Euxenianus ille, ad quem tu sæpe de rebus scripsisti publicis.* Quo audito recreatus Imperator; ac velut curis solutus, quòd ibi hominem haberet, qui rem bellè procuraturus esset, [n] aduocatis extemplo Magistrianis Valerio & Basiano, [o] litteras ad eundem Euxenianum dedit, quarum hoc est exemplum:

NVPTIÆ REGIÆ PER DÆMONEM IMPEDITÆ.

SVPERSTITIOSÆ ARTES ADVERSVS DÆMONEM INEFFICACES.

DÆMON NEGAT SE EXCESSVRVM, NISI ADVENIAT ABERCIVS.

M. AVRELII ANTONINI IMP. EPISTOLA.

Antoninus Imp. Aug. Euxeniano Poplioni Salutem.

Ego ingenij tui solertiam rebus ipsis expertus, atque ijs potissimè, quæ nuper potentia nostra iussu Smyrnæ effecisti, leuatâ scilicet eâ, quæ illis ex terræ motu acciderat, calamitate; magnam, vt æquum fuit, percepi voluptatem,

luptatem, tuámque in iussis exequendis diligentiam comprobaui. Nam ego omnia, perinde ac si præsens adfuissem, exactè didici: cùm & relatio abs te missa, & is, qui eam reddidit Cæcilius, procurator noster, cuncta mihi planissimè iam declararint. Nunc autem cùm potentiæ nostræ significatum sit, apud te Abercium quendam Hierapolitanum Episcopum versari, virum in Christianis rebus adeo pium ac religiosum, vt furiosos, correptósque à dæmonibus curet, & morbos alios quàm facillimè persanet, cúmque eius opera nobis sit in præsenti pernecessaria; Valerium & Basianum Magistrianos diuinorum officiorum nostrorum ad te misimus, qui hominem omni cum reuerentia & honore ad nos adducant. Mandamus igitur tibi, vt viro illi persuadeas, vti huc ad nos omni cum alacritate studeat accedere. Te enim hoc expedito negotio non mediocrem apud nos gratiam meriturum haud potes ignorare. Vale.

Hanc epistolam Magistrianis tradidit, atque ipsos confestim Româ dimisit, monitos suam in ipsum obseruantiam ita ostensuros, si Abercium quanta maxima celeritate ad se adduxerint.

ITER ABVR-BE ROMA IN PHRYGIAM.

Hisce igitur acceptis ab Imperatore mandatis & litteris, nihil prorsus omiserunt, nec celeritatis, nec diligentiæ, quo minùs eam rem quàm citissimè effectam darent. [p] Biduo igitur Brundisium cùm peruenissent, conscenso ibi confestim nauigio, quod eam in rem Cornelianus Præfectus præparauerat, secundo ac ferente vento prosperè vsi, mare Ionium die septima transgressi sunt, atque in Peloponnesum appulerunt: vnde publicis equis, decimaquinta luce Byzantium tenuerunt: deinde cùm eadem ipsa die Nicomediam traiecissent, ac publico vehiculo inde Synnada Phrygiæ metropolim attigissent, ibíque certos viæ ductores à Spinthere Gubernatore (quemadmodum à Corneliano imperatum fuerat) accepissent; sub horam diei nonam ad vrbem Hierapolim peruenerunt: cuius in ipso ingressu obuiam fiunt Abercio (nempe is solitus erat illa hora à docendi munere reuerti domum, & consuetas Deo preces persoluere) igitur ex illo sciscitantur, vbinam degat Euxenianus, & quo in loco is conueniri possit? Quibus vicissim Abercius, *Ecquidnam*, inquit, *noui negotij vobis est in manu? quamobrem huc venistis?* Valerius autem cunctantem illum & percontantem indignè ferens, audacius quiddam, fortè à Maligno permotus, attentat: dextrámque in virum sanctum, vt flagello ipsum verberet, extendit: verùm superna Dei manus, quæ seruum suum custodiebat, haud iners quieuit; sed [q] temerariam illam dexteram promptè puniens detinuit, rigidámque & [r] immotam, quasi quodam vinculo stitit. Quo ex tristi spectaculo incessit & hunc & socium pauor: ita vt ambo confestim ab equis desilientes ad sancti genua deciderint, supplicésque demissis precibus eum obtestati sint, vti manum, quæ obriguerat mortuæ similis, vigori pristino restitueret.

PRECANDI CERTIS HORIS CONSVETVDO.

MANVS IN VIRVM SANCTVM INTENTATA OBRIGESCIT.

EADEM MANVS CONTACTV S. ABERCII SANATVR.

tueret. Ille igitur consueta tactus miseratione, (gaudebat enim aliena mala bonis suis peruincere) torpentem obrigentémque dexteram contingit simul & sanat. Sciscitatur deinde rursus, ecqua de caussa conuentum Euxenianum velint: tum illi percussione & metu & beneficio moderatiores facti benignè ac placidè respondent, habere se ad illum ab Imperatore litteras. Hic ergo Abercius, (vti erat apprimè moderatus simul & beneficus,) priorem gratiam nouâ cumulat, & semet ipsis ducem viæ præbet, adeóque ad Euxeniani domum rectà deducit, eúmque illis præsentem exhibet. Ibi Euxenianus data acceptáque salute, & perlectis Imperatoris ad se litteris, ad sanctum Præsulem conuersus, easdem statim ei legendas, quòd eum præcipuè tangerent, offert; vnáque hortatur, vti Imperatoris obsequatur voluntati, & quàm primum ad iter se accingat. Ille autem perlectis in pręsentia litteris,

VISVM DIVINVM DE SVSCIPIENDO ROMAM ITINERE.

& mandato Cęsaris cognito, *Equidem proficiscar*, inquit, *& iter promptè conficiam: quandoquidem id ex Dei est sententia, quemadmodum & mihi à Domino ostensum est.* Ita vir sanctus iter è Phrygia in Italiam, (quod iter insignibus nobilitatum miraculis descriptum venio) aggressus est.

CAPVT XIIII.

Abercij & Magistrianorum iter Hierapoli Romam: & euentus in eo admirabiles.

[a] POstquam igitur Magistriani negotium, propter quod venerant, feliciter cum Euxeniano transegissent, pérque honorifica duorum dierum hospitalitate apud eum vsi essent (nec enim longiorem moram res ferebat) animis iam in reditum versis, inter ipsos & Antistitem Abercium conuenit; vt ipsi cùm vellent, & quàm citissimè vellent, discederent: ipse Abercius propediem consequeretur, & quadragesimo ab illorum discessu die, [b] in Portu Romano eos assequeretur: inde autem cum ipsis vnà reliquum viæ Romam vsque conficeret. Sic illi triduo pòst quàm aduenerant, publicis equis vsi absque Abercio recesserunt. Nec enim dubitabant, quin vir tali fide & tam testata virtute ad diem dictam, (quemadmodum inter ipsos conuenerat) esset adfuturus. vti etiam maximo cum eorum gaudio adfuit. Nam breui expeditis officij sui rebus, curáque ecclesiæ, quibus oportebat, commissa, salutatísque & bono animo esse iussis, quos è suo discessu tristiores cernebat, fratribus, in iter se dedit. [c] Ceperat in viaticum panes pauculos, & in vnum, eundémque vtrem, pauxillum vini, & aceti, & olei infuderat, resumpturus tamen singula, cùm vellet, inconfusa impermistáque. Curru publico vehebatur, & iam vię aliquantulum extra vrbem processerat,

ROMAM HIERAPOLI 40. DIERVM EST ITER.

ABERCII AD ROMANVM ITER VIATICVM.

processerat, cùm vinitorem quendam conspicatus fodientem, colentémque vites, eum nominatim compellans, *Agedum*, inquit, *frater mi Trophimion* (id enim illi nomen erat) *mecum vnà hoc iter Romam conficito*. Hic autem,[e] relictis extemplò ligone & rutro, correptáque, quam humi ob laboris defatigationem deposuerat, veste, comitem se illi præbet, viæque adiutorem. Dum ergo simul iter agunt, & propter sitim, aliámue necessitatem, vsus aliquid ex vtre hauriendi venit, res accidit & auditu iucunda, & admiratione dignissima.[f] Nam si vir sanctus pro communi vsu depromi iuberet oleum, purum exibat oleum: si vinum, purum exibat vinum; si acetum, purum quoque acetum: at si Trophimion sua sponte, & sancti iniussu furtim aliquid gustare vini, vel premente siti, vel gula incitante vellet; mox vbi vtrem ori admouerat, pro vino acetum exibat, aut oleum: & contrà, si nihil opus habens vino, inde acetum haurire cuperet, aut oleum; tunc vinum exibat meracissimum. Cernens igitur Trophimion eorum, quę priuatim appeteret, nihil emanare, sed diuersa semper, & ea, quibus tum minimè indigeret; coactus est tandem solo Abercij arbitrio vtrem illum tractare fideliter, à quo nihil impetrare posset, attrectando fraudulenter. O si & nobis, quoties rebus à Deo creditis abuti volumus, contrarium semper eueniat, quàm volumus! quò nimirum & ea, quæ ad Dei gloriam vsurpauerimus, semper succedant, & quæ secus in nostrum commodum (nec tamen commodum) conuerterimus, nunquam obsecundent! Fuerit enim nobis illa prauarum cupidinum iusta pœna, persalubris meliorum desideriorum disciplina. Sed redeamus ad iter institutum.[g] Venerunt igitur prospero, & terra & mari, cursu Attaliam Pamphyliæ ciuitatem: vbi conscensa naue, quæ Romam rectà cursum tenebat, cùm ad locum destinatum condicta die peruenissent, ibi suos requisituri Magistrianos exscenderunt. Sed illi tertio demum pòst die, seriùs scilicet quàm pepigerant (nauigationis enim celeritatem tempestas retardauerat) ad Portum Romanum appulerunt. Hinc mœrore & metu perculsi, grauiùs ipsi aliquid de se, ni sanctum inuenirent, cogitabant. Nam cùm deducere secum Antistitem potuissent, miserum sibi exitum, si vacuis, quod aiunt, manibus ad Imperatorem reuerterentur, metuebant. Verùm inter multas ancipitis animi fluctuationes, cùm modò diuersoria, modò littora obirent; ecce se offert vir sanctus, & benignè obuios salutat, ac seruatam abs se pacti fidem memorat: tum illi præter spem virum nacti, protinus eum adorare, complecti, laudare, & omnia exultantis animi signa edere: denique simul Romam læti tendere, simul felicibus eò auspicijs peruenire. Vbi quid Abercio cum Faustina Augusta negotij, quid cum Lucilla eius filia prodigij

TROPHIMIONIS VINITORIS PROMPTA OBEDIENTIA.

LIQVORVM DIVERSORVM IN VNO VTRE IN COMMISTA MISTVRA.

ABERCIVS ATTALIA IN ITALIAM SOLVIT.

EIVSDEM ET MAGISTRIANORVM IN PORTV ROMANO LÆTVS OCCVRSVS.

digij, quid cum dæmone iurgij fuerit, in præsentia est exponendum.

CAPVT XV.

Acta Abercij in vrbe Roma.

M. AVRELII ANTONINI IMP. EXPEDITIO ADVERSVS BARBAROS RHENVM TRANSGRESSOS.

INgressi Romam Magistriani Abercium ad Cornelianum Præfectum palatio deduxerunt: & inde, cùm abesset Imperator ([a] nã expeditionem aduersus Barbaros Rhenum transgressos, & amicis Romanorum infestos susceperat) ad Faustinam Augustam de Abercij aduentu, cum mirifica eiusdem laude, nuntiatum iuerunt. Illa verò incredibili gaudio, ex spe rerum meliorum, delibuta, confestim acciri ad se Abercium iubet. Adduxit illum Cornelianus eius hospes: ipsa autem virum contemplata insigni grauitate, modestia, humanitate venerandum, & qui ipsa totius oris ac corporis compositione, miram animi quietem ac tranquillitatem præ se ferret, ingenuo pudore suffusa, honorificè eum salutauit; blandéque affata est: [b] *Quod boni*, inquit, *& omnipotentis Dei seruus sis, tam ex aliorum multorum antehac sermonibus, quàm ex Magistrianorum iam modò reuersorum relatione didici. Quocirca te rogo, nihil vt differas, sed quâ polles virtute, actutum afficias beneficio Imperatores, ac filiam nostram grauiter afflictam pristinæ incolumitati restituas. Ita enim à nobis & honores magnos, & dona haud pœnitenda consequêris.* Hæc autem grandi cum affectu expromebat. Nam eius inflectebant maiestatem naturæ necessitates, adigebántque, vt eius requirerent auxilium, quem (vt sanctus Dauid loquitur) *oderant gratis*: & quem, tanquam verum Deum, adorare non sustinebant. Quid autem Abercius? *Accepta quidem nobis est*, inquit, *beneuolentia tua, ô Imperatrix; verùm nullo istorum, quæ apud vos habentur in precio, delectamur: quippe qui istarum rerum vanas imagines pridem animo expulerimus. Sed hoc præterea accedit*, [c] *quòd gratis in nos collatas à Deo gratias, in alios receptâ transferre mercede, pro magno ducamus piaculo. Quidni enim? cùm præceptum nobis sit à Domino, vt quæ gratis accepimus, gratis demus. Sed enim*, inquit, *vbi est ista vestra filia?* Vix ea dixerat, cùm ipsamet Imperatrix cursu thalamum petit, & correptam manu filiam quanto maximo ardore ac studio ad sanctum adducit, aut magis attrahit. Ibi verò miserrimum erat intueri spectaculum. Qui enim puellam inhabitabat teterrimus dæmon, cùm se Abercio coràm sistendum iam videret, à quo se intelligebat priùs superatum, mox illam discerpere, vexare, affligere, varióśque in ea motus ciere, timoris, tremoris, caliginis: postremóque vocem ipse ex ea sui tumoris atque vsitatæ sibi arrogantiæ prorumpere: [d] *Ecce*, inquit, *ecce, Aberci, Romam*

FAVSTINÆ IMPERATRICIS CVM ABERCIO COLLOQVIVM.

Psal. 34. ver. 19. & psal. 68. v. 5.

ABERCII AD IMPERATRICEM VERBA.

Matthæi 10. ver. 8.

DÆMONIS ARROGANTIA.

Romam ego te adduxi, vti promiseram. Cui contrà Abercius, *Certè,* inquit, *at non ita, vt ea res tibi gaudio vertat.*[c] Tum puellam sub dio educi iubet: Igitur in hippodromum, vbi iam Imperatoris satellites & aulæ regiæ custodes locum occupârant, educta est. Quo in loco, cùm impurus ille & impudens dæmon solita eam tyrannide diuexaret, ac nihil aliud, nisi verba supercilium & arrogantiam spirantia resonaret, (quòd nimirum per tanta terræ, marísque spatia sanctum ab suis abduxisset) ille in cælum suspiciens, Deum primò deprecatur, inuocátque propitium, deinde iacto in puellam acriter obtutu, *Excede,* inquit, *ab illâ dæmon improbe: imperat tibi Christus meus, vt eâ penitus illæsâ, & innoxiâ, protinus exeas.* Ille autem à leonina audacia ad vulpinam redactus timiditatem, *Adiuro te & ego,* inquit, *per eũdem Christum, ne me in solitudinem, neu in alium vllum locum, quàm in eum, in quo prius habitabam, me ire iubeas.* At verò sanctus, *Abibis,* inquit, *non in solitudinem, sed in locum paternum. Quòd autem, vt Romam venirem, effeceris; propterea & ego tibi vicißim in nomine Iesu impero, vt aram hanc* (& aram lapideam manu designabat) *ad meam vsque Hierapolim deferas, atque ad portam australem constituas.* Audijt hæc dæmon, & statim vilis instar mancipij domino terribili cunctis in rebus obsequi ac cedere edocti, à puella se corripit, nihil prorsus damni inferens, & ostensam aram subit, succollátque, grauiter gemens, & nouo atque insolenti intuentibus spectaculo, asportat, ac loco deponit assignato. Quis hìc Dei sapientiam iuxtà & benignitatem satis demiretur, qui vnde malignus spiritus laudem & gloriam aucupatur, inde maximam illi confusionem parit & ignominiam; seruis autem suis fidelibus, & totam in ipso spem defigentibus tales de infernalibus potestatibus triũphos parat? Sed age: needum Augustæ matri factum satis. Tametsi enim fusus, fugatúsque dæmon abscesserit, & ex thrasone glorioso vilis factus sit immanis saxi baiulus; tamen isto exoluta inquilino filia, sic sancti aduoluta pedibus adhærebat, tamdiúque sine voce perstabat, vt non[g] muta, sed mortua crederetur. Quod matrem & astantes maiorem in modum perturbauit: metuentes scilicet, ne is, qui aram abstulerat, & animam quoque vnà abstulisset. Nec hunc timorem suum atque animi perturbationem diu potuit Faustina Augusta premere silẽtio; sed corde tristitiâ oppresso sanctum virum duriùs compellans, *Sanè,* inquit, *vnà cum dæmone & animam filiæ meæ expulisti.* Tum verò ille, vt benignus & misericors pater, super materno in filiã affectu piè commotus, prehensâ puellæ dextera, iubet eam velut è profundo somno surgere, corámque omni cœtu mentis compotem stare: tum conuersus ipse ad Faustinam. *Ecce,* inquit, *ecce tibi adstat filia, nec spiritu vitæ huius priuata, & dæmonis tyrannide liberata.* Qualis tum (Deus bone!) extitit affectuum commutatio! Quomodo

EXPVLSIO DÆMONIS E CORPORE LVCILLÆ.

DÆMONIS TANQVAM VILIS MANCIPII SVBIECTIO, ET COACTA OBEDIENTIA.

LVCILLA A DÆMONIO LIBERATA, SIMILIS MORTVÆ.

MATERNI IN FILIAM AFFECTVS HYPOTYPOSIS.

in complexum redditæ ſibi filiæ multò cariſſimæ læta & gaudens irruit mater! Quomodo gaudij perfuſa lachrymis, & os ori, genámque genæ, & manibus manus applicans ac conſerens, velut rediuiuā diſſuauiata eſt filiam! Quomodo & illam velut medullitus apprehēdere cupiens, & animæ conglutinare animam, nec quid ageret, nec quæ exſuperantis lætitię ſigna ederet, nimio geſtientis animi impetu reperiebat! Difficile ſanè eſt explicatu, quantum inibi gaudiorum, gratulationum, plauſuum fuerit. His autem ſedatis, & puellâ non dubiam, ſed certam, firmámque oſtendente valetudinem, ardentiſſimè rogauit Abercium Imperatrix, vt ne recuſaret aliquod tanti ac tam neceſſarij in ſe ac filiam beneficij operæprecium recipere.[i] Noluit verò ille nec minimam pecuniæ fieri mentionem. *Qui enim, fiat,* inquit, *vt pecunijs indigeat is, cui panis & aqua lautum ſunt prandium?* Repudiauit ergo illas, atque omnis beneficij loco, petijt balneum in Phrygia conſtrui in Agro ad fluuium, vbi flexis orauerat genibus, calidarúmque ſcaturigines aquarum impetrauerat: petijt & ſuæ vrbis pauperibus modios frumenti tria millia. Quæ Imperatrix lubenter & promptè conceſſit, accerſitóque Corneliano Palatij Præfecto in mandatis dedit, omni vt ſtudio laboraret, ne celeris promiſſi gratiam, executionis tarditas defloraret. Ita ſcilicet eſt hominum ingenium, & ita vulgò ſunt affecti: lubentiùs vt ijs benefaciant, quos vident ad accipiendum tardiores, quàm ijs, quos ad petendum cernunt proniores; & minùs ijs faueant, quos ad recipiendum quod ipſis offertur, quàm ad recuſandum, animaduertunt eſſe promptiores. Nam illos quidem, tanquam victos muneribus deſpiciunt; alteros autem, tanquam magnanimos, & donis omnibus altiores ſuſpiciunt, & ſincero amore ac beneuolentia complectuntur. Sic enim factum, ſic cognitum eſt in præſentiâ. Nam Præfectus quidem nec tergiuerſans, nec procraſtinans, continuò adeſſe architectum iuſſit, quem ad Phrygiæ Præſidem cum litteris ablegauit, vti ipſe balneum ex Abercij ſententia exſtrueret, Præſes autem ſumptus ad exſtructionem neceſſarios ſuppeditaret, inſupérque frumēti modios tria millia in pauperes Hierapolitanos diſtribueret. Nec longa interuenit mora; ſed Præſes fidelis & obſequioſus vtrumque breui effectum dedit. Ac balneum quidem eo loco, quem antè Abercius deſignarat (hoc eſt, in *Agro ad fluuium*) exſtructum fuit: qui deinceps nomine commutato, non *Ager ad fluuium*, ſed *Ager calidarum* eſt appellatus. Frumenti autē illius annua diſtributio[l] vſque ad tempora Iuliani apoſtatæ perdurauit. Is enim huic publicæ liberalitati, vt & multis rebus alijs præclaris, ex ſua in Chriſtianos inolita inuidia, malignè obſtruxit. Sed illi ſua ſcelerum digna merces, vt alibi videbitur: noſtro autem Abercio ampla & in cælo, & in terra gloria firmiter ſtetit. Nempe cui Deus frequenter monitor & inſpirator,

PECVNIARVM REPVDIATIO.

PAVPERVM CVRA.

CVPIDI PECVNIARVM SVNT DESPICABILES.

BALNEI IN VSVS PAVPERVM CONSTRVCTIO.

IVLIANI APOSTATÆ IN CHRISTIANOS ODIVM.

rator, semper autem auxiliator adfuerit & protector. Audite iam in quibus,& quomodo.

CAPVT XVI.

Abercij ex Italia in Syriam, diuino monitu, peregrinatio.

[a] QVemadmodum Regibus ac Principibus in more est,vt si quẽ è multis familiaribus ac domesticis habeant egregiè industrium ac fidelem, honorísque & nominis regij tuendi & amplificandi studiosum, illo in plurimis ac maximis rebus vtantur; & sic quidem,vt multis alijs, qui otio abundant, posthabitis, vnum illum ferè semper occupatum, & nunquam vacantem teneant: ita Dominus noster, & Rex Regum sine comparatione maximus, vt olim cum suo Dauide fecit, (de quo est illud: *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*) ita & nunc,inquã,cum suo fideli Abercio facit. Eum enim continenter exercet, occupat,mittit,sollicitat,quietum esse vix punctũ temporis sinit. Atque hoc singularis amoris signum est: vt ne quem aliquando laborum & occupationum, quasi nimiarum, pro Christo tædeat. Miserat ergo Dominus Abercium suum Romam; ibi multis illum, iisque pro fidei amplificatione perutilibus negotijs occupârat, postquam autem satis illic & doctrinæ & exempli, cupidis sui profectus animis reliquit, [b] adest illi in somnis Dominus,& dicit: *Oportet te, Aberci, etiam illorum, qui in Syria sunt, curam gerere.* E somno igitur excitatus, & audita secum retractans dimissionẽ ab Imperatrice efflagitat. Retinebat enim illum curâ, diligẽtiâque maximâ, timens scilicet, ne fortè ab eius digressu malus ille dæmon, obtenta quasi libertate, in filiam resiliret. Verùm Antistes cognita eius diffidentia & sollicitudine, diuiníque item moniti memor ac diligens, bono illã animo esse iubet, nihil, vnde timeat, imminere periculi edocet: ita se spondere, crederet tantùm,& fideret spondenti: deinde vt sibi facultas discessus detur, & copia nauigij, quò in Syriam transmittat, etiam atque etiã rogat. Permouit denique,& impetrauit. Nauẽ ergo Imperatricis iussu cùm apparauisset Cornelianus, cũctáque ad nauigationẽ necessaria in eam imposuisset, mari se credidit Abercius,& septimo, quàm in Portu conscendisset, die peruenit in Syriam. [c] Hîc Antiochiam, vrbem primariam,& eã, quę inibi erat, ecclesiam ([d] Eros illam tum regebat, quartus ab Ignatio martyre Episcopus) visitauit, ac sinceram fidei doctrinã, & Christianorum rituum atque morum integritatem hactenus conseruatam,& modò vigentem, sua auctoritate confirmauit. Recreatis autem, roboratísque sua pręsentia atque doctrina Antiochenis, [e] Apameam secundæ Syrorum prouinciæ metropolim cõtendit, & inde ad alias atque alias ciuitates, suarum vbique

Actorum 13. vers. 22.

DOMINVS PER VISVM DOCET ABERCIVM DE PROFECTIONE IN SYRIAM.

EROS ANTIOCHIÆ SYRIÆ EPISCOPVS.

APAMEA SYRIÆ INVISITVR A S. ABERCIO.

que virtutum relinquens vestigia, & pacis ac concordiæ spargens semina, veri instar Apostoli, peragrauit. Nam serpebat ea tempestate Marcionis apostatæ exitiosum virus, multásque Christiani orbis partes, suscitatis inter fideles ipsos seditionibus, infestabat. Hic verò Christi athleta, eximiæ eruditionis, & insignium miraculorum gratiâ longè clarissimus, quacumque iter ageret; tam hæreticos, nimis alioquin elatos, auctoritatis suæ pondere obterebat; quàm Catholicos minùs interdū cautos, aut fortes & animosos, suæ prędicationis luce, & armorum spiritualium suppeditatione, partim ad detegendas vulpium fraudes illustrabat, partim ad propugnandam & propagandam auitam religionem exsuscitabat. Cùm autem bono ioco res hic constitutas esse animaduerteret, tum aliò atque aliò transibat, eandémque pro virili operam locis omnibus nauabat.

IDEM ABER. TRANSMISSO EVPHRATE INVISIT MESOPOTAMIAM.

Ita nusquam conquiescens, transmisso Euphrate, in Mesopotamiam penetrat, ibíque haud secus, quàm alibi fecerat, omnem perlustrat regionem, eius Antistites conuenit, solatur, laudat, animat: piorum cœtus adit; verbo, exemplo, auctoritate ad virtutem exacuit, ad Pastores suos sequendos, audiendos, honorandos hortatur: ad alienos sub ouina pelle latitantes declinandos, detegendos, diffamandos incendit.

PAVPERTATIS AMOR AC STVDIVM IN EPISCOPO.

Et tota hæc tam dissitarum regionum, in verbo Domini, percursatio, in magna (quod admirêre magis, quàm imitêre) omnium rerum penuria atque paupertate confecta est. [f] Deferebantur quidem à multis fidelium, copiosæ in viaticum pecuniæ, aliáque leuandis viarum difficultatibus subsidia: sed ille spem in Christo, longè optimum & omnibus anteferendum viaticum esse dictitabat.

SPES IN CHRISTO, OPTIMVM VIATICVM.

„ Rerum enim copiam, Verbi diuini præconibus impedimenta „ esse, non auxilia: nec magis conuenire Episcopis opes atque diui„ tias; quàm athletis aut pugilibus compedes. Auro enim & magnis „ fortunis, euangelij cursum retardari, non accelerari. A nullis vnquam plures aditas esse ac decursas, adeóque ad fidem Christianam conuersas fuisse regiones, quàm à nudis Apostolis, quàm à pauperibus discipulis, quàm à nihil habentibus, & omnia possidentibus Episcopis. Qui, si quando nummis abundare cœperint, tum eos desides fore, & sua inter commoda domi remansuros; non verò peregrè, ad opimas licet & optimas animarum prædas, per impressa maiorum suorum vestigia discursuros.

CONSTANTIA IN RE PVDIANDIS MVNERIBVS.

Se quidem, si animum tenuisset multa habendi cupido, maiorem tum admittendi, cùm plurima offerret Imperatrix, occasionem habuisse, quàm in præsentia: verùm, vt tunc satius ac beatius esse iudicàrit recusare, quàm accipere; ita & nunc idē sentire se, nec ab eo sensu facilè dimoueri posse. Barchasanes igitur (erat is inter suos & genere & opibus in paucis clarus) animaduersâ hominis constantia, *Ne violentè*, inquit, *fratres, cum illo, pecuniarum caussâ, agamus* (*nec enim id illi decorum, nec nobis fructuosum*)

sum) sed hoc potius ei tribuamus, quod & præclaris suis factis meretur, & semel sibi datum amoliri non potest. [g] *Decernamus eum nominare ἰσαπόστολον, æqualem Apostolis. Nam vt aliquem perquiramus, qui fratrum caussâ, tantum terræ, marisque obierit, sanè extra summos illos Christi discipulos (quorum vestigia eximiè sectatus est) omnino reperiemus neminem.* Quod ergo Barchasani placitum, hoc omnium punctis atque suffragijs comprobatum fuit. Ita illi ea appellatio adhæsit, quam sua illi virtus, ante omnia suffragia, vindicarat. O si ad eundem vnum titulum, sed omnibus quorumlibet Regum titulis & inscriptionibus multo nobiliorē atque augustiorem, à cunctis etiamnum Episcopis, non quidem magni ambitione nominis, sed regiâ sanctæ Crucis, & Apostolicæ paupertatis viâ tenderetur! quantus tum, Deus bone! quantus, inquam, ecclesiæ honos, quanta ipsorum Antistitum gloria, quanta denique animarum lucra existerent! Verùm ista longè peregrinandi ratio, & tam cælestis sparta, velut ab Episcoporum gradu aliena, (quorum tamen olim fuit maximè & vnicè propria) iam fere alijs relicta est. Sed Abercium copiosis meritorum fructibus grauem è Syria discedentem reuisamus, aliásque in oras, fame salutis animarum insatiabili, properantem prosequamur.

ABERCIVS ΙΣΑΠΟΣΤΟΛΟΣ ÆQVALIS APOSTOLIS APPELLATVS.

CAPVT XVII.

Abercij è Syria in alias regiones discessus, ac denique in Phrygiam reuersio.

VOlitabat bona factorum & prodigiorum beati Abercij fama, per cunctas ditionis Romanæ prouincias; nec erat ferè locus nomini Christiano cognitus, qui eum vel absentem non auidè appeteret, vel præsentem non ambitiosè retineret, vel denique abiturientem non illibenter inuitéque dimitteret. Ita virtus vbique cara, vbique expetita & accepta est. Cùm ergo viri sanctitas vbique locorum expeteretur: eò ille potissimùm tendebat, quò Dei honor, & fidei profectus, & interna Spiritus Sancti motio impellebat. Peragratis igitur Syriæ ac Mesopotamiæ partibus, [a] Ciliciam versus iter direxit, & vtramque tam Asperam, quàm propriè dictam, amica cum suis Episcopis atque Pastoribus, consiliorum & officiorum omnium communicatione, & suis quoque ad cœtus fidelium exhortationibus, in fide & pietate confirmauit. Idem deinde in Lycaonia, idem & in Pisidia fecit. Nec vlla ferè fuit Orientis regio, quæ non maiorem ab illo, (præstantiorem enim, certum est) quàm à sole lucem acceperit. Ille enim corpora tantummodò, & fugitiuis quidem fulgoribus: hic autem animas, & intima mentium longè cælestioribus, stabilioribúsque veræ sapientiæ, & solidarum virtutum radijs penetrabat. Fecit denique vis illa

S. ABERCII CVRSVS APOSTOLICVS.

magni

magni Abercij, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, & retro ab occaſu rurſus vſque ad ortum, magis magíſque laudabile fieret peræquè & formidabile nomen Domini.

S. ABERCII POST VISITATAS, MORE APOSTOLICO, EXTERAS REGIONES, IN PHRYGIAM REDITVS.

Tot porrò decurſis & magna ope adiutis prouincijs, tandem ſeu ætatis admonente veſpera, ſeu Domino ipſo velut canente receptui, ad Phrygiam ſuam reſpexit: vt illi, & quod exiguum reſtabat vitæ, impenderet, & poſt vitam hanc quoque, ſi quà poſſet, moriens proſpiceret. Itaque poſt multos longæ peregrinationis labores ac defatigationes,[b] peruenit Synnada, maioris Phrygię vrbem, vbi aliquantiſper recreatis viribus, (Chriſtianorum enim hoſpitalitas, & inſignis in omni genere caritas valde eum refecerat) ad ſuam cùm reuerteret ciuitatem, nonnulla per iter incidère, quibus liquidò clareſceret, quanta eſſet inhoſpitalitatis, præſertim in pios, & quàm Deo inuiſa malignitas, itémque iuſtę imprecationis Sanctorum quàm prompta, celérque aduerſum impios efficacia.

CARITATIS NEGLECTÆ EXEMPLA REFORMIDANDA.

[c] Æſtas erat, & præ æſtu ac defatigatione, in certo loco, cui Aulon nomen, ſuper quadam petra conſederat; cùm autem contra eum ſpiraret ventus, ruſticíque vicina in area frumentum ventilarent; fiebat, vt vento tenues ſubleuante paleas, atque in ſancti viri vultum deferente, haud parum moleſtiæ pateretur: rogauit ergo agricolas, laborem vt tantiſper intermitterent. Aſt illi recuſarunt. Tum vir ſanctus, vt vel ab inuitis quietem aliquam extorqueret; ad precationem

PRECATIONVM VIS.

(cuius vi pollebat plurimùm) ſe conuertens orat, & impetrat. Nam ita continuò ſopiri eorum ſpiritus, ita in ſomnum inclinari, vt ex grauamine capitis, vellent, nollent, ab opera ceſſare cogerentur. Quod ipſi aduertentes, laborem in præſens dimittunt, atque ad curandum corpus animum adijciunt. Interim Abercius, dum eos potu, cibóque vires cernit inſtaurare, pauxillum aquę (ſiti enim premebatur) ab illis poſtulat: illi, vtpotę agreſtes & inhumani,

POTVM DARE SITIENTI S. ABERCIO RENVENTES PVNIVNTVR.

ferociter & cum ludibrio abnuunt. *Propter vnum ſeniculum*, inquiunt, *menſa abſtinebimus ſcilicet*. Ægrè tulit hanc tantam inhumanitatem omnium hominum humaniſſimus Abercius, & iuſta incitatus ira, nunquam vt deinceps exſatiari poſſent, ipſis ſeriò eſt imprecatus:[d] valuítque imprecatio, & pœna inhumanitatis, perquam humana illa quidem, ipſis tamen haud grata, perpetuò inhæſit.

IMPRECATIONES SANCTORVM REFORMIDANDÆ.

Adeo non ad precationes tantùm, ſed ad imprecationes quoque Sanctorum diuina vigilat prouidentia! nec vt boni duntaxat bona recipiant, ſed vt mali etiam dignas promeritis pœnas luant (prout ſcilicet cari Deo Sacerdotes, vel precati, vel imprecati fuerint) ſimul ſeuerus, ſimul miſericors Deus excubat. Vnde, ſi eorum precationes multùm valent, & valde expetendæ ſunt; non minùs ſanè eorundem imprecationes nonnunquam officiunt, ſummóque opere ſunt deuitandæ. Sed ſuæ propinquātem ciuitati Abercium iuuat proſequi, & læta multorum morta-

mortalium Pastorem suum vnicè dilectum, iam reducem excipientium vota, gratulationésque secundâ admurmuratione comitari.

CAPVT XVIII.

Abercij, post diuturnam in longinqua peregrinatione absentiam, lætus ad sua reditus, & postremi labores.

VIx pedem in Phrygia posuerat Abercius, cùm statim rumor Hierapoli circumuolare, & vbique circumferre; in reditu esse Abercium, breui affore communem omnium patrem ac pastorem, reuisurum postliminio ciues suos, & solita officij sui exercitia magno cunctorum gaudio resumpturum. [a] Cùm autem sensisset populus iam adesse eum propiùs, tum verò vndique plenis vijs ad eum certatim currere, intueri, atque affari velle illam sui Antistitis notissimam humanitatem, audire etiam mansuetissimi senis velut cygneam vocem, tamdiu intermissam, tamdiu desideratam. Ipse quoque Antistes tanta suorum pietate & caritate mirificè recreari, salutare perhumaniter vniuersos, & bene cunctis precari, & omnia amoris ac beneuolentiæ signa ostendere. Ingressus est igitur Hierapolim tanta mortalium vtriusque sexus occurrente & comitãte turba, támque lætis ac resonantibus omnium votis & acclamationibus, vt dies ille vnus quoddam instar triumphi repræsentaret. Nec verò vir sanctus, licet tot perfunctus terrâ, maríque laboribus, quiescendum sibi deinceps est arbitratus: nec, quasi ætas senio iam degrauata ipsi (vt militibus solet) missionẽ daret, aut ius locúmue requiescendi concederet; cessationem aut remissionem vllam admisit: verùm eo magis sibi nunc laborandum, & in futurum ecclesiæ suæ prospiciendum duxit, quo ad vitæ terminum propiùs accederet. [b] Hinc docendi & concionandi munus, quemadmodum priùs fecerat, perpetim exequi voluit. Baptismo item initiandi, & alia sacramenta conferendi onus frequentiùs in se suscepit, quàm in alios deriuauit. Morborum verò curationes, dæmonum expulsiones, & alia id genus, (quorum illi cælitus concessa facultas erat) partem sibi temporis non minimam vindicabant. Tangebatur enim mirum in modum, si quis alius, alienis miserijs: ad quas & ope sua, & diuinis prodigijs atque signis subleuandas, semper ad omnem aquæ motum, & Spiritus sancti impulsum paratus atque succinctus stabat. Cùm autem nollet laborum suorum & industriæ fructus, neque morbis, neque morte sua terminari; sed absens, atque adeo mortuus, cum suis loqui, & rei commodare cõmuni, immo & in multa post se tempora hominibus vniuersis prodesse vellet; ea de caussa ad scribendum se contulit, & [c] *librum Disciplinæ* perutilem conscripsit, quem Presbyteris suis atque Diaconis gratissimum sui monumentum

POPVLI HIERAPOLITANI GAVDIVM IN REDITV S. ABERCII.

PERSEVERANTIA IN LABORIBVS.

LIBER DISCIPLINÆ A S. ABERCIO COMPOSITVS.

mentum tradidit. Et ſanè perquàm optandum eſſet, vt eius exemplo atque reſpectu, illi etiamnum viri in eccleſia primores, qui non doctrina modò excellenti; ſed etiam, ac multò magis eximia pietate, & curandarum animi perturbationum vſu plurimùm valent, eam promouendæ ſalutis animarum, & adiuuandi ſtatus, Ordiniſque ſacri rationem atque diſciplinam ſcriptis proderent, quam longis experimentis, tam in ſe, quàm in alijs, magnum importaſſe ad virtutem momentum didiciſſent. Ita enim non viui tantùm publico prodeſſent, ſed etiam mortui; ac ſæpe quidem plus mortui, quàm viui, cùm ſcilicet non pauci poſterorum in ea incidentes ſcripta, partim vitam corrigerent, partim ad perfectiora contenderent; partim etiam ipſum Scriptoris ſpiritum imbiberent; adeóque ad multos alios felici propagatione transfunderent.

SCRIPTORES SACRI QVANTVM IN COMMVNE PROSINT.

Sed ad poſtremum, quod quidem exſtet, ſancti viri miraculum, idque haud multò ante extremam vitæ periodum, interueniente pietatis ac ſubmiſſionis actu, patratum veniamus. Aliquando in montem excelſum, ita ipſo exigente vſu, conſcenderat:[d] ibi tam ipſe, quàm comites eius, moleſta ſiti laborare cùm cœpiſſēt; ille ad ſolita conuerſus remedia, & in Deo ſuo (vt aliàs ſemper) confiſus ad terram ſe demittit,[e] flexíſque genibus, ſiti reſtinguendæ aquam ſupplex depoſcit: víxque genua curuauerat, vix preces fuderat; cùm terra derepentè aquam potabilem copioſè abundantérque profudit. Ex quo tempore appellatus eſt locus ille,[f] *LOCVS GENVFLEXIONIS*, hæſítque perdiu ea appellatio: hoc ſcilicet ſalutare poſteritati documentum continenter ingerens: bonam precationem cum animi ſubmiſſione & genuflexione fuſam, non modò alijs meliorem, Deóque gratiorem, ſed efficaciorem quoque, & magna impetrandi potentiorem exiſtere. Atque vtinam in intima Chriſtianorum, ac præſertim virorum ſacri ordinis præcordia, hæc penetret conſideratio! Eſt enim procul dubio, cùm ſic orauerint, admirabilem in ipſis paritura votorum ſuorum à Deo humilium reſpectore, & benigniſſimo bonorum largitore, citò exaudiendorum fiduciam. Iam verò, poſtquam vitæ hactenus benè laudabilitérque tranſactæ curſum deſcripſimus; an inſecuta mors ei conformis fuerit, & extrema medijs, vt media primis, reſponderint; nobis dehinc attendendum eſt.

AQVA POTABILIS IN EXCELSO MONTE PRECIBVS OBTENTA.

GENVFLEXIO IN PRECATIONE COMMENDATVR.

CAPVT XIX.

Abercius mortis vicinæ tempus diſcit diuinitus: condit ſepulcrum, & inſcribit.

HIc eſt æternæ ſapientiæ, & diuinæ bonitatis tenor (qui & mortalium animis multò venit acceptiſſimus) vt quos peculiaribus in

bus in ceterà vitâ donis affecerit, hos in extremâ quoque maioribus atque illustrioribus amoris ac beneuolentię signis cohonestet.

[a] Ita nonnullis è Sanctorum proceribus suum, ex hac mortali ad immortalem vitam, transitum (quod in permagni beneficij loco numerandum est) aliquantò antè indicauit. Hoc Abercio quoque, non paucis in superiore vita cęlestibus visis dignato, adiecit nouæ gratię; vt imminentē ei suam emigrationem, raro in terris priuilegio, prędiceret. Cùm enim à *Loco genuflexionis* domū reuertisset, & consueta officij sui munia indefessus alacérque (quāuis æuo fatiscente) pertractaret; [b] accidit haud multò pòst, vt Dominus IESVS in somnis ei appareret, ac nominatim compellato diceret: *Aberci, iam appropinquauit tempus illud, quo prolixis laboribus tuis finem statuas*. E somno igitur excitatus, & impressā imaginationi vocem secū tacitus reuoluens, clarè intellexit vicinam sibi adesse mortem. [c] Nec enim alium habere se velle aut posse laborum suorū terminum, quàm vitæ: iámque dudum statuisse cū animo suo, ac prefiniuisse, vnā eandémque & viuendi & laborandi metam, fore mortem. Ad eam proinde, quātâ decebat curâ, sese comparauit, déque nocturno viso ac cęlesti voce fratres commonuit. Denique & de sepulchro suscepta cogitatione, quadratum quendam lapidem longitudine ac latitudine æqualem in hunc vsum pręparauit: cui & aram illam, suo quondā iussu, àb vrbe Roma, dęmonis baiulatu translatam superposuit: [d] cui & epigrāma insculpsit; in quo germanum se boni Pastoris discipulum cuncta intuentis profitetur, & suas pro sanctæ fidei amplificatione peregrinationes summatim persequitur. Sed hoc sanè deplorandū est, quòd non satis saluum & incolume, sed partim mutilum, partim vitiosum ad nos peruenerit. Quod tamen, ne quid à me retro relictum ex ijs, quæ quomodocumque supersunt, videatur; ita ponere in medio statui, quemadmodum è græcis codicibus manu scriptis elicere potui. Sic igitur, in prosæ formam, referunt:

MORTIS DIES ALIQVIBVS SANCTORVM PRÆNVNTIATA.

IESVS ABERCIO APPARET ET PRÆDICIT MORTIS TEMPVS.

SEPVLCHRI CVRA.

Vrbis electæ ciuis hoc feci: vt hîc habeam in tempore situm corporis, nomine ABERCIVS, Pastoris casti discipulus, in agris & montibus ouium greges pascentis, magnos habentis oculos cuncta intuentes. Is enim litteras fideles me docuit. Is Romam misit, imperij sedem visurum, & Imperatricem conspectutum aureis decoram stolis, & calceolis aureis. Illic & populum vidi splendidos gestantem anulos. Quin & Syriæ regionem, atque vrbes omnes perlustraui, Nisibin quoque, transmisso Euphrate. Habui autem omnes ad me congregatos, & intus Paullum. FIDES porrò vbique mihi dux fuit: & alimentum apposuit, piscem è fonte quàm maximum, purum, quem prehendit virgo casta, & perpetuò edendum amicis tradidit, vinum habens bonum, misturam dans cum pane.

Hæc adstans ego Abercius ita curaui inscribenda, annū agens omnino septuagesimum secundum. Hæc quicumque intelligit, & nobiscum eadem

EPIGRAMMA, EI INSCRIPTO SEPVLCHRI S. ABERCII.

dem ſentit, Deum pro Abercio deprecetur. Neu quis ſepulchrum aliud meo ſuperponat. Qui ſecus faxit, pendet Romano ærario bina aureorum millia, & bonæ patriæ Hierapoli mille aureos.

Ita ergo habet è verbo ferè ad verbum conuerſa inſcriptio, vti ea nũc quidem reperitur, mutila ſcilicet, vt dixi, & vitiata, & è carminibus in proſam deflexa. Nam primitus eam verſibus heroicis exaratam fuiſſe, cùm verba ipſa poëtica, tum etiam hemiſtichia quædã, immo ſæpius integra carmina (quemadmodum in notationibus planum faciam) manifeſtè arguunt. Quare ſi quid in ea minus aptè dictum eſſe videatur; id erit, aut vetuſtati temporis cuncta exedentis, aut imbecillitati captus noſtri, non omnia aſſequentis, pro noſtrâ aduerſus Sanctos reuerentiâ attribuendum. Igitur omiſſâ in præſens, aut dilatâ potiùs ampliori eius inſcriptionis dilucidatione, ad præclaram tanti, ac tam admirabilis viri mortem (quæ & ſacris eccleſiæ, tam Occidentalis, quàm Orientalis, indita eſt tabulis) tandem veniamus.

EPIGRAMMATIS SEU EPITAPHII EXPLICATIO ET PROPUGNATIO VIDENDA IN NOTATIONIBUS.

CAPUT XX.

Abercij felix è vita exceſſus, & ante exceſſum, ſucceſſoris in Epiſcopatu declaratio, & conſecratio

QValis fuit Abercio totius antè actæ vitæ curſus, talis & exitus fuiſſe compertus eſt: nempe pietatis, caritatis, ſapientiæ, glorię plenus: pietatis quidẽ; quam in illo feruenti & inflammato amore ac deſiderio intimæ ac citiſſimæ cum Deo & IESV Chriſto coniunctionis, totus ad cælum aſpirabũdus oſtendit: caritatis autem; cùm accepto diuinitus gratiſſimo eius nuntio, pręcipuos eccleſiæ ſuæ miniſtros & familiares, diſceſſus ſui conſcios, & extremi ſecreti participes eſſe voluit: ſapientiæ verò; cùm in periculoſo tempore, inſtantiũ ſcilicet perſecutionum, & luporum circumcurſantium, noluit ſuã Hierapolim in viduitate, & ſupremi paſtoris orbitate diu degere; ſed ſtatim habere virum voluit, qui eam egregiè tueretur, atque ab omni incurſatione fortiter defenderet: gloriæ item & honoris; cùm rebus optimè, & ex animi ſententia conſtitutis, in ſuorum corona ſubditorum virtutes eius admirantium, & inuicem collaudantium, ad beatiorem vitam lætus exceſſit. Nam vt diem ſibi adeſſe extremum ſenſit, accerſitis ad ſe Presbyteris & Diaconis, ac nonnullis item è populi primoribus, quos virtus & fidei ſtudium præcipuè commendabat, primò quidem Dei opt. max. voluntatem è ſtatione huius vitæ ipſum euocantis perbenignè aperuit: deinde verò de eccleſiæ ſuæ ſtatu, déque recto eius regimine nonnulla diſſeruit; ac poſtremò de dilectu Epiſcopi ſucceſſoris, vt prudenter ſecum cogitarent, eúmque diligerent, in quo virtutes ad tantum onus ſuſtinendum idoneæ copioſiùs abundarent, paternè commonuit. Sic enim dixit: [a] *Ecce, filioli mei, ècce iam propè adeſt, inſtâtque finis meus; & nunc, ô*

grex

grex mihi dilecte, à vobis magni iussu Imperatoris digredior, atque ad id vitæ genus proficiscor, quod mihi vel à teneris annis semper in amore & desiderio fuit. Ad eum enim in præsenti abeo, cuius potiundi voto mirè & vnicè teneor, & cuius diuino amore vehementer accendor. Illum, illum ego in breui, (ò beatus hic nuntius! ò felix dies!) contemplaturus hinc abeo. Itaque vobis considerādum est, quemnam eligatis Episcopum, qui post emigrationem meam vos pascat, & cuius vocem bene atque ex Dei voluntate pascentis oues meæ audiant. Quibus ab illo prolatis, tristes quidem illi de mutatione, sed necessitati tamen concedentes, & optimi patris nutui obsequentes, cùm & priuatim secum taciti, & inter se communiter consilia agitassent, cuncti tādem vna voce Archipresbyterum eiusdem ecclesiæ, iam defuncturo cognominem (Abercius enim & ipse vocabatur) consentientibus suffragijs elegerunt. Arrisit seni ea electio: quòd & vir eximia præstans virtute, & quasi alter ipse, electus esset. Quare & electionem suo calculo comprobauit, & lætus ei manus imposuit, beneque precatus, fungi deinceps episcopatu, quem Dominus & ipse contulissent, ad Dei gloriam iussit. Tum verò sublatis in cælum oculis & manibus, votisque ad Deum missis placidè excessit, atque ad Angelorum choros, qui verè vixerat, vt Angelus, Christo sacros eius labores remunerante, conscendit. Exinde autem ad sacrum beati viri corpus continui piorum hominum concursus fieri cœpti, visentium, laudantium, venerantium; donec factis exequijs, & finitis canticis, illud ipsum, quasi communem thesaurum, in præstituto, (vt ante indicatum est) lapideo tumulo deposuerunt, ad diem Octobris vicesimam secundam. Qua die natalis eius tam in Græcis, quàm in Latinis martyrologijs celebratus hodiéque reperitur. Sic enim est in Romano:

Hierapoli, in Phrygia, sancti Abercij Episcopi, qui sub Marco Antonino Imperatore claruit. Martyrolog. Rom. ad 22. Octobris.

In Græcorum autem Menologio paullò latiùs, his verbis: *Natalis S. Abercij, Hierapolitani Episcopi. Hic cùm esset Hierapoleos Phrygiæ salutaris Episcopus, Imp. M. Antonino, miraculorum & curationum multarum opifex, vita & sanctitate illustris migrauit ad Dominum.* Græcorum Menolog. ad 22. Octobris.

Sic ibi. Nam quæcunque de illo Menæum ab his diuersa profert, siue ad vitam, siue ad laudes pertinentia, hic paullo inferiùs, tam græcè, quàm latinè referemus.

[b] Latinorum quidem antiquiora martyrologia de S. Abercio nihil attingunt: Græcorum autem Menologium, non huius duntaxat Abercij, iam dictâ die; [c] sed alterius quoque meminit ad quintam Decembris, qui martyrij corona decoratus fuisse scribitur, sed absque vlla gesti episcopatus mentione. Alioqui haud dubitarem, quin esset ille ipse Abercius, quem noster sibi cognominem, & fortè gentilem, sibi in officio & dignitate suffecit, quém-

que omnis populus Hierapolitanus, ſtatim poſt alterius demortui celebratas exequias, Deum magnificans, ad ſacram ſupremi ſacerdotij cathedram deduxit.

Noſter autem, qui multa viuus miracula patrauerat, [d] patrare non deſtitit, nec mortuus. Quod quidem Menæum, licet illa quæ fuerint, ſpeciatim non nominet, generatim tamen (vti ex elogijs græcis infrà conſtabit) non ſubticet.

CAPVT XXI.

Scripta S. Abercij, & documenta.

QVàm multa, & quàm vario in genere ſcripſerit Abercius, haud in præſenti conſtat: duorum duntaxat relicta eſt memoria: cùm ipſa ſcripta interijſſe nunc credantur. Sunt autem hæc.

1. *Epiſtola vna ad M. Aurelium Antoninum Imp.*
2. *Liber, De diſciplina.*

Epiſtolæ quidem, vt adhuc exſtantis, meminit Baronius, in Notationibus ad martyrologium Romanum, die 22. Octobris, cuius verba ante vitam appoſui.

[e] Sed cùm ibi dicat exhibere ſe integram in Annalibus eccleſiaſticis, non potuit eo loco præſtare, quod promiſerat. Quippe iſta ipſi ***margarita, ingentis***, vt vocat, ***precij***, antè ſublecta eſt, quàm poſſet legenda exponi. Nam ad annum Chriſti Domini 163. ita eius iacturam deplorat: ***Doluimus***, inquit, ***vehementer, è manibus noſtris elapſam, neſcimus quo modo, epiſtolam illam, quam ab Abercio ad Marcum ſcriptam piæ memoriæ Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus Guillelmus Cardinalis Sirletus, pro magno munere, nobis conceſſerat. Quòd ſi rurſum in manus noſtras deuenerit, & ſi qui fortè ad deſcribendam accepit, reddiderit; ponemus in Appendice, vel editione ſecunda.*** Sic ibi Baronius.

Verùm cùm nulla illam hactenus, nec editio, nec appendix reddiderit; metuendum ſanè eſt, ne funditus interierit. O ſi lateat potiùs, & aliquando tandem, licet ſerò, cum ſpiritu illo Apoſtolico, quem Baronio teſte redolet; velut poſtliminio, reuertatur! Ac ſi iam nobis quidem in manibus foret; haud parum fortaſſis ad hiſtoriã vitę huius illuſtrandam, & ad repræſentãda ingenij eius, morúmque integerrimorum argumenta conferret. Crediderim equidem ſcriptam eſſe eam epiſtolam poſt Lucillæ, ipſius Imperatoris filiæ, à dæmonio liberationem; poſtquam ſcilicet Imperator, accepto de filiæ ſanitate nuntio, gratias Abercio egiſſet, & donationem à domina vxore, in fauorem Chriſtianorum factam cõprobaſſet. Nec enim ſcripſit Abercius, antequã Romam adueniret: cùm ęquè citò illuc peruenerit, quàm Magiſtriani (quippe cũ illis ſimul) qui ab Imperatore

re miſſi fuerant. Sed cùm ante aduentum eius iam ad expeditionem exceſſiſſet Imperator, totóque tempore,quo Romæ demoratus eſt Abercius, ab vrbe procul abfuiſſet; dederunt abſentia & beneficij magnitudo nonnullam vltro citróque ſcribendi occaſionem & materiem.

Iam autem ad alterum eius ſcriptum quod attinet, liber erat inſcriptus, Βίβλος διδασκαλίας, *Liber diſciplinæ*, ſeu, *De diſciplina:* vel certè erat liber, qui perutiles doctrinas contineret, ignotâ iam inſcriptione. Nam illius libri ſic fit in S. Abercij Actis mentio: Συνθεὶς δὲ καὶ βίβλον διδασκαλίας πάνυ ὠφελίμως ἔχουσαν, καταλείπει τοῖς ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις ἅμα καὶ διακόνοις· ἵνα καὶ μετὰ θάνατον φθέγγηται δι' αὐτῆς, καὶ τρόπον τινὰ μηδέποτε ὠφελῶν παύηται. *Cùm autem valde quoque vtilem doctrinæ librum compoſuiſſet, eum dedit ijs, qui ſub ipſo erant, Preſbyteris ſimul & Diaconis; vt cum eis & poſt mortem loqueretur, & aliquo modo nunquam eis prodeſſe deſineret*. Ex quibus videtur colligi librum illum continuiſſe documenta Presbyteris & Diaconis vtilia circa officium ſuum ritè exequendum, & ad plebem verbo & exemplo inſtruendam. Quales ſunt ij libri, qui nunc inſcribuntur, *Inſtructio Sacerdotum*, *Cura Paſtoralis*, aliíque ſimiles: per quos, eorum auctores licet terris demortui, in animis hominum viuunt, & cum viuis loquuntur, ac per eos in commune multis proſunt.

CAPVT XXII.

Documenta morum ex Actis S. Abercij ſummatim collecta.

HAbet quidem omne hominum genus, in vita, & factis S. Abercij, quiddam reperire, quod in ſui profectum trahat: ſed Epiſcopi præſertim in Epiſcopo. Quibus proinde hæc eius virtutum alibi atque alibi, ſed diuiſim diſpersímque tractatarum præſtantia, hic iunctim collectímque repetita, potiſſimè ſeruiet. Ac primò quidem ſtudium pietatis ac deuotionis: quod ita ordinatum ſemper habuit atque dimenſum Abercius, vt adueniente precationum ſtato tempore, mox alijs omnibus ſeſe expediret, eáque vel hac vna de cauſſa confeſtim abrumperet; ne dicatam Deo horam vel præteriret, vel diminueret. Quod illi Antiſtites egregiè & maximo ſuarum eccleſiarum bono imitantur, qui ſemper diuinis intereſſe officijs, & medio in Clero ſe ſpectari ſtudent. Hoc eſt enim, quod Clerum allicit, colligat, detinet, nec abeſſe aut abſcedere à rebus ſacris, quibus ipſe intereſt Epiſcopus, patitur. Nam tunc alios honeſtas & reuerentia, alios pudor & ignominia, vel adeſſe hortatur, vel abeſſe non permittit. Vbi autem eſt Cleri frequentia, ibi & pulcherrimum ædis ſacræ ornamentum, & fortiſſimum pietatis ad plebem incitamentum eſſe iudicatur.

Secundo loco ſpectanda eſt ijſdem Epiſcopis, beati Abercij inſignis ſuper populo ſuo vigilantia,& ſubditorum ſeu domi, ſeu foris, accurata inſpectio & viſitatio. Nam ſuis ipſe, ac non alienis tantùm oculis,eccleſiæ ſuæ ſtatum & colorem diſpiciebat: & ſuis item,non verò alienis pedibus, foris ſitas, aut etiam longiùs diſſitas parœcias viſitabat. Quippe qui non ignoraret, quanto plus momenti rebus afferat oculus Domini, & Paſtoris ipſius auctoritas, atque præſentia, quàm miniſtrorum,partim cupidorum, partim timidorum vicariæ ac perfunctoriæ operæ. Quam Abercij diligentiam & laborem, ij qui nunc ſectantur Antiſtites (habemus enim Dei beneficio nonnullos huiuſmodi in Belgio noſtro hodieque in oculis) dici ſanè vix poteſt, quantum in Clero emendent,quantum proficiant. Tales ſint cuncti,ô Deus!

Tertio autem attendenda eſt eius cura pauperum,& circa infirmos paterna ſollicitudo, tam altè cordi eius infixa,& tam profundè intimis immerſa viſceribus,vt ſui obliuioſum & immemorem ſola iſtorum miſerorum tangere videretur & memoria, & miſeratio. Hinc enim,qui nihil pro ſe, nec à locupletiſſima femina dimidium ſuarũ fortunarum liberaliter offerẽte;nec à cœtibus fidelium multa vltro ingerentibus; nec ab ipſa Imperatrice Fauſtina maximo beneficio ſibi deuinctiſſima, accipere vnquam voluit; pro pauperibus tamen & infirmis,magna atque ampla tam à Deo,quàm ab hominibus & petijt & impetrauit: ab hominibus quidem, apertis eorum benignitatis ac munificentiæ theſauris;à Deo autẽ,recluſis cæleſti miraculo, ad imbecilles reficiẽdos ac recreandos,ipſis terrę viſceribus.Et ſanè, ſi Epiſcopus quiſpiam à Rege aut Imperatore beneficia pro inopibus ac mendicis, aut infirmis corroget, ſalua eſt verecundia: ſi à Deo, ſalua religio. Magna igitur Apoſtolis, vti ex Petro & Paullo liquet, prouidendi pauperibus & morbidis cura & ſollicitudo fuit: magna & Apoſtolorum tam ſectatoribus, quàm ſucceſſoribus: ſit igitur, & hodiernis Epiſcopis atque Presbyteris magna: ſed maximis in neceſſitatibus etiam maxima. O quoties aperta pauperum ora in Abercij ſui laudes, cùm frumentum diſtribueret annuum, fauſtis cum acclamationibus eruperunt! Quoties infirmorum ac morbidorum corpora, cùm impetratis & procuratis à ſancto viro balneis reficerentur, ſuarum illi virium inſtaurationem acceptam retulerunt! Talium enim benefactorum ſemper in laude, ſemper in benedictione viret, vigétque nunquam intermoritura memoria.

Quarto iam ordine, zelus & æmulatio veniat,virtus quidem certè Epiſcopo,ſi vlli alteri,ita propria;vt pudore quàm maximo ſuffundi debeant, quicumque eam in altero videant, in ſe non inueniant. Nihil porrò illa eſt aliud; niſi amor boni quàm flagrantiſſimus, niſi odium mali quàm incenſiſſimum. Sic enim communi ferè vſu viri

doctiſſimi

doctiſſimi capiunt. Quin & propter eiuſmodi erga ſuos amorem, Deum ipſum zelotem appellari magnus indicauit Dionyſius. Preſſiùs tamen ac magis propriè qui loqui ſtudent, amorem eſſe dicunt aduerſus ea, quæ bono dilecti aduerſantur, excandeſcentem: aut ipſammet excandeſcentiam & dolorem ex vehementi amore, contra illi obſiſtentes prorumpentem. Quæ affectio Abercium mirè tunc rapuit & inflammauit, cùm indignatus honores vni vero Deo & ſibi vnicè dilecto debitos, ad muta & vana transferri ſimulachra, Gentilium ingreſſus eſt fanum, & Apollinis (qui præcipuo inibi honore colebatur) aliorúmque Deorum ſtatuas audenti, ardentíque animo confregit, ac comminuit. Quippe, cùm vnicè, & quantum vix dici poteſt, Deum vnum diligeret, eúmque ab omnibus agnoſci, adorari, amaríque mortalibus, maiorē in modum peroptaret, expeterétque; haud pati vllo modo poterat eum ita negligi, atque deſpicj; vt omnis honos & cultus, eo præterito, vel dæmonijs Deo hominíque infeſtiſſimis, vel inanimis, exſensíſque lapidibus, ligníſue tribueretur. Fuit talis zelus Deo opt. max. ſemper acceptiſſimus. Hinc Moyſes in vetere teſtamento filios Leui (quos ad cædem eorum, qui Dei obliti, vitulum conflatilem adorauerant, zelo incenderat) egregium & Deo gratum facinus, in occiſione viginti trium millium hominum, patraſſe prædicauit. Ita enim dixit: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* Quin & ipſe Dominus incenſos ſui honoris zelo, & nefaria impiorum ac libidinoſorum flagitia ferro vltos vehementer collaudauit, & remuneratus eſt. Nam de Phinees, qui iuſtà irà percitus, virum & mulierem in ipſo mœchandi actu, & flagranti delicto occiderat, ita locutus eſt Moyſi: *Phinees, filius Eleazari, filij Aaron ſacerdotis, auertit iram meam à filijs Iſraël: quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſraël, in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius, pactum ſacerdotij ſempiternum: quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſraël.*

Lib. de diuinis nominib. cap. 4. D Thomas 1. 2. q. 28. art. 4.

Exod. 32. verſu 29.

Numer. 25. verſu 11.

Alia veteris inſtrumenti exempla omitto. Sed in lege noua, multò eſt vberior perilluſtrium Sanctorum copia, qui in ferrum & in ignem, pro vnius Dei tuendo honore, & pro idolis exterminandis proruerunt.

Qui ergo illis zelus fuit contra idola, talis nunc eſſe deberet Epiſcopis contra vitia. Ac in templis quidem, aliíſue locis ſacris, ſi quid contra honorem Deo debitum fieri animaduerterint, zelum ducis ac magiſtri ſui Ieſu debent aſſumere, & omnia pietati ac religioni cōtraria, cum ſtomacho & ira diſturbare. Omni enim lenitate & manſuetudine fuerit ira talis melior. Quâ ſi vſus olim fuiſſet Heli aduerſus filios ſuos, & ſi digna ipſorum malefactis reprehenſione eos puniuiſſet,

1. Reg. 3. 4.

niuiſſet, næ illam, quam miſerrimè incurrit, Dei potentiſſimi horrendam indignationem non incurriſſet, nec duos vna die filios perdidiſſet, nec ipſe tam triſti repentináque morte vitã amiſiſſet. Zelus itaque Rege dignus tam contra improbos eccleſiæ miniſtros, filiorum Heli nequitiam imitantes, quàm aduerſus prauarum conſuetudinum profanas corruptelas, ſeu in religioſis locis, ſeu in publicis ſupplicationibus, à ſanctis Epiſcopis & Sacerdotibus diuini honoris amantibus ſeriò aſſumendus eſt. Sed nunc ad eccleſiæ græcæ Menæum tranſeamus.

CAPVT XXIII.

VITÆ S. ABERCII è Menæo compendium & elogia.

QVæ in Menæo Græcorum habentur de S. Abercio, partim vitam compendio exhibent, partim elogia quædam ac velut epinicia actorum eius, virtutúmque, veritatem confirmantia ob oculos ponunt, Igitur ad viceſimam ſecundam Octo'bris ſic habent:

Eodem menſe, [Octobri] die 22.	Τῷ αὐτῷ μηνὶ, κβʹ.
[a] Sancti patris noſtri, & æqualis Apoſtolis Abercij, Epiſcopi Hierapoleos.	[a] Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, καὶ ἰσαποστόλου Ἀβερκίου, ἐπισκόπου Ἱεραπόλεως.
[b] Humum Abercius humo, lege mortali, exhibens,	[b] Ἀβέρκιος δοὺς χοῦν χοῒ, θνητῷ νόμῳ,
[c] Deus ad Deum migrauit, & Deo adſtitit.	[c] Θεὸς θεῷ προσέστη, τῷ φύσει, θέσει.
[d] Sed Deus adoptione, naturà Deo.	

Εἰκάδι δευτερίῃ ὁ Ἀβέρκιος ᾤχετο γαίης.

Vicenâ geminâque die decedis Aberci.

Fuit hic Hierapoleos, [e] in Phrygia Salutari, Epiſcopus, imperante M. Antonino, & multorum miraculorum & curationum effector. Nam vinum, & oleum, & liquorem alium, in idem coniecta vaſculum, precibus ſuis cuſtodiuit incõfuſa. Iuſſit etiam, vt lapis maximus ex vrbe Roma in Phrygiã à dæmone aſportaretur: [f] quem & ſepulchro ſuo, columnæ vice, affixit. Idem & aquas calidas è terræ viſceribus precan-	Οὗτος γέγονεν Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπος Φρυγίας Σαλουταρείας, ἐπὶ τῆς βασιλείας Μάρκου Ἀντωνίνου, θαυμάτων πολλῶν καὶ ἰάσεων αὐτουργός· Οἴνου γὰρ καὶ ἐλαίου, μετὰ καὶ ἑτέρου εἴδους ἐν ἀγγείῳ βληθέντος ἑνὶ, ἀσύγχυτον φυλαχθῆναι αὐτῶν τὴν κρᾶσιν πεποίηκε δι' εὐχῆς· καὶ λίθον μέγιστον προσέταξεν ἀνακομισθῆναι παρὰ τοῦ δαίμονος ἀπὸ Ῥώμης εἰς Φρυγίαν· ὃν καὶ ἀντὶ στήλης τῷ τάφῳ αὐτοῦ προσέπηξε. καὶ θερμὰ ὕδατα διὰ προσευχῆς ἀπὸ τῶν τῆς γῆς λαγόνων ἐξήνεγκεν. Οὕ-

τω βιώσας ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ τὸ λειπόμενον ζωῆς, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν.

do elicuit. Qui cùm in ſanctitate & iuſtitia vitæ reſiduum traduxiſſet, ad Dominum emigrauit.

Sacra in eundem elogia.

1. Ὅλος ἀνακείμενος θεῷ, θείων πληρωτὴς προσταγμάτων ὤφθης, Ἀβέρκιε· χάριν δὲ δεξάμενος ἐξ ὕψους, ἅγιε, νοσημάτων ἀπήλλαξας ποικίλων ἀνθρώπους· δαίμονας ἀπήλασας· βωμοὺς κατέαξας· γνῶσιν ἐνεφύτευσας θείαν τοῖς τῇ ἀγνωσίᾳ ἀθλίως πρώην κινδυνεύουσι, μακάριε.

1. Totus Deo dicatus, ô Aberci, diuinis mandatis exactè paruiſti. Tu & acceptâ cælitus gratiâ, ô ſancte, varijs homines morbis liberaſti, dæmones abegiſti, aras ſuffregiſti, miſerè antehac in ignorantia verſantibus, ô beate, diuinam notitiam inſeruiſti.

2. Θείων διδαγμάτων ἀστραπαῖς ἔλυσας πολύθεον νύκτα, πάτερ Ἀβέρκιε· ὄρθρος δὲ ἀνέτειλας, υἱοὺς ἡμέρας τελῶν τοὺς ἐν ζόφῳ ὑπάρχοντας· τὸ πρὶν, ἱεράρχα, θαύματα παράδοξα ἐπιδεικνύμενος. Ὅθεν τὴν ἁγίαν σου μνήμην πίστει ἑορτάζομεν πάντες ἀνυμνολογοῦντές σε, θεόπνευστε.

2. Diuinorum documentorum fulgoribus, ô pater Aberci, multorum Deorum noctem diſſipaſti: & aurora exoriens in tenebrarum iacentes caligine, filios lucis effeciſti, inuſitata hactenus, ô Antiſtes, exhibens prodigia. Quare ſanctam tui memoriam, ô Deo afflate, cuncti te collaudantes in fide celebramus.

3. Σκεύει ἐν ἑνὶ θαυματουργῶν οἶνόν τε, καὶ ἔλαιον, πάτερ, καὶ εἶδος ἕτερον ἥνωσας, τρεφόμενα ἐν τῷ προέρχεσθαι ἀμιγῆ θείᾳ χάριτι· θερμῶν δὲ ὑδάτων χάριν δι' ἐντεύξεως βλύσαι πεποίηκας, νόσους θεραπεύουσαν πάσας τῶν προσερχομένων ἐν πίστει, καὶ μακαριζόντων σε, Ἀβέρκιε.

3. Vno in vaſe, ô pater miraculorum patrator, vinum & oleum & ſpeciem aliam coniunxiſti, quę per diuinam gratiam, dum inde promerentur, impermiſta prodierunt. Quin & aquas calidas, ô Aberci, precatione tua ſcatere feciſti, morbis omnibus hominum ad te in fide accedentium, & te prædicantium, medelam afferentes.

4. Ἀρχιερεῦ ὅσιε, παμμακάριστε πάτερ, θαυματουργὲ, θεράπον Χριστοῦ, Ἀβέρκιε, προφητικῷ ἐκλάμψας βίῳ, καὶ ἀποστολικῶν ἀξιωθεὶς χαρισμάτων, τῷ Σωτῆρι λειτουργῶν σὺν Ἀγγέλοις ἀπαύστως, πρέσβευε ῥυσθῆναι ἀπὸ πάσης ἀπειλῆς τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

4. Pōtifex ſancte, multò beatiſſime pater, Chriſti ſerue, miraculorum potens, Aberci, qui vitâ ſplēduiſti propheticâ, & gratijs dignatus es Apoſtolicis, tu Saluatori vnà cum Angelis perpetuò miniſtrans, eum deprecare, vt animas noſtras ab omni periculo defendat.

Acroſti-

ACROSTICHIS.

Decanto laudes arduas Abercij.

eitatis trisolaris puro fulgore collustratus, ô Aberci, lux exstitisti versantes in tenebris illuminans, & cunctam dæmonum vesaniam dissipans.

gisti in terra vitam cælestem, ô beatissime, in carne, velut absque carne, viuens, perdomitis perturbationibus, & sacerdotij susceptâ gratiâ.

ùm haberes in te, ô Pater, Verbum loquens, vana sapientes suâ exsoluisti amentiâ, cùm & dæmonum delubra, & errorum simulacra euertisti.

ugustiorē omni sermone conceptionem tuam eloqui oratorum linguæ non possunt. Deum enim in carne genuisti, ô sanctissima [Maria] nobis ob bonitatem assimilatum.

os sacris tuis sermonibus, & inusitatorum exhibitione miraculorum, ô Aberci, in errore fluctuantes, ad salutis portum deducito.

u sanitates efficiens, patrans ingentia, dæmonum imaginationes abigens, omnibus salutis caussa existens, etiam diuitibus patronus factus es.

O Pater, doctrina sancta, côuersatio diuina, mores miraculis splendētes, vita tua gloriosa, & mors quoque preciosa exstitit.

atebat antehac Deus; sed in vtero tuo incarnatus, ô Virgo, per misericordiam visus est. Quapropter te in fide beatam prædicamus.

Α'ΚΡΟΣΤΙΧΙ'Σ.

Α'βερκίε μέγιστον ἐξάδω κλέος.

ἴγλῃ φαιδρᾷ τῆς τρισηλίου θεότητος καταυγασθεὶς, Α'βέρκιε, φῶς ἐχρημάτισας τοῖς ἐν σκότει φωτίζων, καὶ πᾶσαν τὴν δαιμόνων λύων σκοτόμαιναν.

ίον ἐν γῇ ἔσχες, παμμάκαρ, οὐράνιον, μετὰ σαρκὸς, ὡς ἄσαρκος, πολιτευσάμενος, καὶ τὰ πάθη νεκρώσας, καὶ τῆς ἱερωσύνης χάριν δεξάμενος.

χων ἐν σοὶ πάτερ, τὸν λόγον φθεγγόμενον, τῆς ἀλογίας ἔλυσας τοὺς ματαιόφρονας, τά τε δαιμόνων τεμένη καὶ ξόανα τῆς πλάνης καταστρεψάμενος.

ητορικαὶ γλῶσσαί σου λέγειν οὐ σθένουσι τὴν ὑπὲρ λόγον σύλληψιν. θεὸν γὰρ τέτοκας ἐν σαρκὶ παναγία ἡμῖν ὁμοιωθέντα δι' ἀγαθότητα.

αὶ λόγοις ἱεροῖς, καὶ ἀποδείξεσι θαυμάτων, Α'βέρκιε, παραδόξων τοὺς τῇ πλάνῃ θαλαττεύοντας σωτηρίας πρὸς ὅρμον καθοδήγησον.

άσεις ἐνεργῶν, τελῶν ἐξαίσια, δαιμόνων ἀπείργων τὰς φαντασίας, σωτηρίας πᾶσιν αἴτιος, τοῖς πλουτοῦσι προστάτης γεγένησαι.

Ο' λόγος ἱερὸς, ὁ βίος ἔνθεος, ὁ τρόπος τοῖς θαύμασι διαλάμπων, ἡ ζωή σου, πάτερ, ἔνδοξος, καὶ ὁ θάνατος τίμιος γεγένηται.

πάρχων ὁ θεὸς τὸ πρὶν ἀόρατος, ὡράθη, παρθένε, δι' εὐσπλαγχνίαν ἐκ γαστρὸς σου σωματούμενος. Διὰ τοῦτό σε ἐν πίστει μακαρίζομεν.

Μεγά-

εγάλως τὴν καθέδραν, ὅσιε, κατεκόσμησας, ἱεράρχα. μεγάλως γὰρ θαύμασι διέπρεψας, καὶ πολιτείᾳ λαμπρᾷ. Διὰ τοῦτό σε, Ἀβέρκιε, ὁ θεὸς ἡμῶν μεγάλως ἐδόξασεν.

ntistes sancte, cathedram tuã magnificè adornasti. Miraculis enim & claro vitæ instituto excelluisti. Hinc te, ô Aberci, Deus noster admodum glorificauit.

'λέους θελητὴν τὸν Κύριον ἐπιστάμενος, θεοφόρε, θερμῶς αὐτὸν ἠτήσας εἰς ἴασιν καὶ σωτηρίαν πολλῶν, τῶν θερμῶν ὑδάτων ἔκβλυσιν τὴν θαυμαστὴν ποιήσασθαι, Ἀβέρκιε.

olentem misericordiam Dominum cognoscens, feruidè eum deprecatus es, ô deifer Aberci, vt in medelam & salutem multorum, admirabilem aquarum calidarum scaturiginem exhiberet.

ονίμους σου ἀγόνους χάριτι ἀπετέλεσας διανοίας. ἐνθέμενος ταύταις γὰρ Ἀβέρκιε τοῦ λόγου σπόρον σαφῶς, ὡς καλῶν σπορεύς, ἐθέρισας στάχυν ἑκατοστεύοντα, θεόπνευστε.

apsiles gratiâ effecisti mentes, alioqui steriles. Immisso enim illis, ô cælitus afflate Aberci, doctrinæ semine, tanquam bonorum sator, spicam messuisti ferentem centuplum.

'άσω συντριβὴν παναμώμε, καὶ τὴν πάλαι ταλαιπωρίαν τῶν γηγενῶν, τέξασα τὸν βαστάσαντα τὰς νόσους ἡμῶν, δι' εὐσπλαγχνίαν ἄφατον, θεόνυμφε.

xpulisti ærumnam, ô intaminata Dei sponsa, & pristinam terrigenûm miseriam; cùm eũ genuisti, qui infirmitates nostras ex ineffabili sua miseratione portauit.

τήσας σου τοὺς ἐπὶ πέτραν καρδίας, θεόφρον, πόδας, σου ὑποπεσόντας τῇ ἀπωλείᾳ, καὶ σέβας λίθοις ἀπονέμοντας, μάκαρ, θείοις λόγοις σέβειν ἐδίδαξας πέτραν ἸΗΣΟΥ͂Ν τὸν Χριστὸν, καὶ θεὸν ἡμῶν.

tabilitis super petrâ, cordis tui pedibus, ô Deisapiens & beate, eos, qui in perniciem deciderãt, & lapidibus cultum exhibebant, diuinis tuis sermonibus docuisti adorare petram, IESVM Christum, & Deum nostrum.

ὸν ἰατρὸν τῶν ποικίλως νοσούντων καὶ σωτηρίαν, πάντων πλανωμένων τὴν ὁδηγίαν, τὴν μυροθήκην τῶν σεπτῶν χαρισμάτων, τὸ δοχεῖον τοῦ θείου πνεύματος, τὸν ἱεράρχην τιμῶμεν Ἀβέρκιον.

berrantium omnium ducem, medelam & salutem varijs morbis laborantium, venerabilium charismatum vas vnguentarium, sancti Spiritus receptaculum, Antistitem honoramus Abercium.

Οἶνος τῇ προστάσει σου ἐνὶ σκεύει μετ' ἐλαίου, εἶδός τε ἑτέρου ἐμβεβλημένα, καιρῷ ἰδίῳ ἀμιγῆ παραδόξως

eposita iussu tuo vinum & oleum & liquor alius in eodem vasculo, impermista suo tempore

pore

pore mirabiliter hauriebantur, tuam, ô sapiẽtissime Aberci, supereminentem gratiam monstrantia.

Deipara Virgo, leges in te præter opinionem innouantur. Gignis enim sine semine Deũ saluatorẽ, & virgo permanes, rursus nouum miraculum. Hinc te matrem Emmanuelis piè annuntiamus.

Vsque ad occasũ ab ortu cucurristi, ô sancte, Imperatricẽ à diabolica & horrenda vexatione, Spiritus virtute, liberaturus.

Aberci sanctissime, tu mũdi peregrinus cũ esses, noua & horrenda patrasti miracula, tam in corpore circumiens, quàm à terrenis digressus.

Sicut fulgur conspectus, ô pater Deo afflate Aberci, diabolicas phalangas, nõ valentes minas tuas sufferre, subegisti.

Addicti morti, ô sanctissima Dei sponsa, per te vita donati sumus, & corruptioni obnoxij incorruptionẽ adepti sumus.

Beate pater, tu tanquam diuinus pastor, tãquam prodigiorum effector, cæcis visum precatione tua præbuisti, & surdis auditum, & leprosis munditiem, & claudis cursum, concinentibus: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Edita abs te miracula in æternum prædicant, ô sapiẽs Aberci, aquarũ calidarum scaturigo, & ara sepulchro tuo apposita, quam ex vrbe Romanorum maximâ, expulsus per te prauus spiritus transtulit.

ἐκένωτο, τὴν ὑπερβάλλουσαν χάριν σου δηλοῦντα, θεόφρον Ἀβέρκιε.

Νόμοι ἐν σοὶ παραδόξως, παρθένε, καινοτομοῦνται. Τίκτεις γὰρ ἀσπόρως θεὸν σωτῆρα, καὶ διαμένεις παρθενεύουσα, πάλιν ξένον θαῦμα. Ὅθεν μητέρα σε τοῦ Ἐμμανουὴλ εὐσεβῶς καταγγέλλομεν.

Ἀπ' ἑῴας εἰς δύσιν ἐπέδραμες, τῆς δαιμονικῆς καὶ δεινῆς ἐνοχλήσεως τὴν βασιλίδα, ὅσιε, ἀπολύσων δυνάμει τοῦ πνεύματος.

Ξένος κόσμου ὀφθεὶς, ἱερώτατε, ξένα καὶ φρικτὰ ἐπετέλεσας θαύματα, καὶ περιὼν ἐν σώματι, καὶ τῶν τῇδε ἀπάρας, Ἀβέρκιε.

Ἀστραπόμορφος, πάτερ, ὁρώμενος τὰς δαιμονικὰς καθυπέταξας φάλαγγας, στέγειν τὴν σὴν, Ἀβέρκιε, ἀπειλὴν μὴ σθενούσας, θεόπνευστε.

Διὰ σοῦ, παναγία θεόνυμφε, οἱ νενεκρωμένοι ζωῆς ἠξιώθημεν, καὶ τῇ φθορᾷ δουλεύοντες ἀφθαρσίαν σαφῶς ἐπλουτήσαμεν.

Ὡς θεῖος ποιμὴν, ὡς θαυμάτων αὐτουργὸς, τυφλοῖς τὸ βλέπειν ἐνδεύξει, πάτερ. ἐχορήγησας, τὴν ἀκοὴν τοῖς κωφεύουσι, κάθαρσιν λεπροῖς, εὐδρομίαν τοῖς χωλοῖς, ἀναμέλπουσι· Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς, ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Κηρύττει τὸ σὸν τερατούργημα, σοφὲ, εἰς τὸν αἰῶνα, θερμῶν ὑδάτων ἡ ἀνάβλυσις, βωμὸς τῷ τάφῳ σου κείμενος, ὃν ἐκ τῆς Ῥωμαίων μεγίστης μετηνέγκατο πόλεως τὸ πονηρὸν ἐξελαθὲν πνεῦμα, Ἀβέρκιε.

Λαοῦ

αῦ ταπεινοῦ προηγήσω ὑψηλὸς ἐν θεωρίαις καὶ ἐνεργίαις καὶ δυνάμεσιν ἀποδειχθεὶς, ἱερώτατε, καὶ τοῦ ὑψηλοῦ βασιλέως θεραπευτής, ᾧ κραυγάζομεν· Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς, ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

existi, ô sanctissime, humilem populum, tu sublimis in contẽplationibus, & actionibus, & prodigijs, & excelsi Regis cultor, cui clamamus: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

τέχθη ἐκ σοῦ, ὃν ἐγέννησε Πατὴρ πρὸ τῶν αἰώνων, διτταῖς οὐσίαις καὶ θελήσεσιν, οἷα θεός τε καὶ ἄνθρωπος, κόρη, γνωριζόμενος πᾶσι τοῖς ἐν πίστει κραυγάζουσιν. Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

astissima virgo, ille quem genuit Pater ante sæcula, ex te genitus est, duplici natura & voluntate præditus, tanquam Deus & homo, notus cunctis in fide clamantibus: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Ὁ περιδέξιος ποιμὴν, ἡ ἀκένωτος πηγὴ τῶν ἰαμάτων, ἐκκλησίας ὁ στύλος, ὁ τῶν πιστῶν στηριγμὸς, ὁ μέγας ἀστὴρ, ὁ πολύφωτος ὁ ἱερομύστης Ἀβέρκιος τιμάσθω.

nduſtrius omnino Paſtor, fons curationum inexhauſtus, ecclesiæ columna, fidelium firmamẽtum, magnum aſtrum, illuſtris admodum Pontifex honoretur Abercius.

Μὺ ὥσπερ φοῖνιξ ψαλμικῶς ἐξανθήσας ἐν αὐλαῖς θεοῦ τοῦ ζῶντος. ἐπληθύνθης ὡς κέδρος· καὶ ὡς ἐλαία, σοφὲ, ἐφάνης, ἐλαίῳ τῶν ἔργων σου πάντων ἱλαρύνων τὰ πρόσωπα ἐν πίστει.

n aula Dei viuentis, velut palma, vt eſt in psalmis, effloruiſti; multiplicatus es, vt cedrus; & tanquam olea, ô sapiẽs, tuorum operum oleo, cunctorum vultus in fide exhilaraſti.

Hactenus acrostichis: præter quam, hæc quæ sequuntur, eodem die disperse referuntur.

Ἱεράρχης ἐδείχθης, χρίσμα σεπτὸν περικείμενος, πάτερ, θεουργικῶς, καὶ πάντας ἐν χάριτι τελειῶν, ἱερώτατε. δωρεαῖς δὲ θείων θαυμάτων κοσμούμενος ἐνεργεῖς σημεῖα, καὶ θαύματα ἄπειρα, νόσους θεραπεύων, καὶ τοὺς δαίμονας φλέγων, καὶ πλήθη πλανώμενα ἐπιστρέφων, Ἀβέρκιε. Διὰ τοῦτο βοῶμέν σοι· πρέσβευε Χριστῷ τῷ θεῷ.

Pontifex fuiſti, ô pater ſanctiſſime, oleo venerando deificè delibutus, & cunctos in gratia perficiens. Donis autem diuinorum miraculorum ornatus, ſigna operaris, & miracula infinita, morbos ſanans, & dæmones adurens, & errantes conuertens turbas, ô Aberci. Quare tibi clamamus: Chriſto Deo pro nobis ſupplica.

Ὡς ἱερέα μέγιστον, καὶ Ἀποστόλων σύσκηνον ἡ ἐκκλησία γεραίρει σε ἅπασα ἡ τῶν πιστῶν, Ἀβέρκιε· ἣν ταῖς σαῖς

Tanquam Sacerdotem maximum, & Apoſtolis contubernalem, honorat te omnis eccleſia fidelium,

fidelium, quam tuis custodi supplicationibus inexpugnabilem & incõcussam ab omni vana-sapiente hæresi, ô multùm admirande Aberci.

ἱκεσίαις περιφύλαττε, μάκαρ, ἀκαταγώνιστον καὶ ἀκλυδώνιστον ἐξ αἱρέσεως πάσης ματαιόφρονος, πολυθαύμαστε.

Tanquam ciuitas supra montem conspicuum vitæ practicæ posita emicuisti, & vrbem tuam, ô sancte, erroribus antehac immersam, heredem supernæ ciuitatis effecisti.

Ὄρους ἐπάνω πρακτικῆς πολιτείας ἐμφανοῦς καθάπερ πόλις ἐγνωρίσθης κειμένη, καὶ βυθισθεῖσαν τὸ πρὶν τῇ πλάνῃ, ὅσιε, τὴν πόλιν σου, πόλεως τῆς ἄνω δεικνύεις κληρονόμον.

Quàm splendida vita tua! quàm speciosi pedes! quàm admirabilis ad Deum adspiratio simul & familiaritas! Quanta gratia tibi, ô sapiens, collata cælitus! Quare in fide te honoramus, ô Aberci.

Ὡς φωταυγής σου ὁ βίος· ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες· ὡς λίαν θαυμαστὴ ἡ πρὸς θεὸν νεῦσις ὁμοῦ καὶ οἰκείωσις· ὡς μεγίστη ἡ χάρις ἡ ἄνωθεν δοθεῖσά σοι σοφέ· Διὰ τοῦτο ἐν πίστει τιμῶμέν σε Ἀβέρκιε.

Te omnium contubernalem sanctorum martyrum, te diuinis Discipulis cursu parem, Patriarchis honore æqualem, te Prophetis & Sanctis & cælestibus ministris consortem in fide honoramus, ô Aberci.

Σὲ τὸν ὁμόσκηνον πάντων τῶν ἁγίων μαρτύρων, τὸν σύνδρομον τῶν θείων μαθητῶν, πατριαρχῶν τὸν ὁμότιμον, προφητῶν καὶ ὁσίων καὶ τῶν ἐπουρανίων λειτουργῶν τὸν συνόμιλον, ἐν πίστει γεραίρομεν Ἀβέρκιον.

Sanctissima tui memoria mundo expansa, mortalium animas copioso fulgore gratię illuminat; quam ex amore celebrantes petimus abs te, Aberci, à perturbationibus & tenebris tentationum precibus tuis liberari.

Ἡ παναγία σου μνήμη ἁπλουμένη ἐν κόσμῳ φωτίζει τῶν ἀνθρώπων τὰς ψυχὰς φέγγει πλουσίῳ ἐν χάριτι, ἣν τελοῦντες ἐκ πόθου παθῶν ἡμᾶς καὶ σκότους πειρασμῶν, ταῖς πρεσβείαις σου ῥῦσαι δεόμεθα, Ἀβέρκιε.

Signa patrans & prodigia, ô Aberci, calidarum scaturiginem aquarum orationibus tuis impetrasti: atque etiam, ô pater, tuo iussu vinum & oleum & liquor alius in vnum coniecta vasculum, diuina virtute admirabiliter suo vnumquodque tempore, ad diuinam Christi gloriam, prodierunt impermista.

Ἐπιτελῶν, Ἀβέρκιε, τέρατα καὶ σημεῖα, θερμῶν ὑδάτων ἔκβλυσιν, σαῖς εὐχαῖς ἀπειργάσω, καὶ τῇ προστάξει σου, πάτερ, ἐν ἑνὶ σκεύει οἶνος μετ' ἐλαίου, εἴδους τε βεβλημένου ἑτέρου, θείᾳ ῥοπῇ, ἀμιγῆ προεῖρχοντο παραδόξως, καιρῷ ἰδίῳ ἕκαστον, εἰς Χριστοῦ δόξαν θείαν.

Vnxit te Spiritus gratia, ô Aberci, erroris delubra subuertentem,

Ἔχρισέ σε ἀρχιερέα ἡ χάρις τοῦ πνεύματος, Ἀβέρκιε, πλάνης καθαιροῦντα τεμένη,

τεμβρόν, καὶ ἀνιστῶντα τῇ χάριτι ναοὺς Θεοῦ ἱεροὺς, εἰς δόξαν τε καὶ αἴνεσιν τοῦ τεχθέντος ἐκ παρθένου καὶ τὰ πάντα ἁγιάσαντος.

Θαύμασι, πάτερ, ἐβεβαίωσας πάντας λόγους τοῦ θείου κηρύγματος, καὶ τοὺς πλανωμένους ἀνθρώπους, πρὸς θείαν γνῶσιν ἐπέστρεψας, φωταγωγὸς ἀπλανὴς, Ἀβέρκιε, δεικνύμενος, καὶ δαιμόνων καθαιρέτης. Διὰ τοῦτο εὐφημοῦμέν σε.

Μέγιστος, πάτερ, ὡς ἥλιος, τῇ οἰκουμένῃ ἀνέτειλας λάμψεσι τῶν πανσόφων σου λόγων, καὶ ἰαμάτων λαμπρότησι φωταγωγῶν τοὺς πιστοὺς, καὶ σκότος παθῶν πάντοτε ἐκδιώκων, συνεργίᾳ τοῦ ἁγίου, μάκαρ, πνεύματος.

& per gratiam sancta Dei templa erigentem, ad gloriam & laudem eius, qui ex Virgine natus est, & cuncta sanctificauit.

Miraculis, ô pater, cunctos diuinæ prædicationis sermones cōfirmasti, & homines aberrantes ad diuinam cognitionem reduxisti, sincerus illuminator, ô Aberci, effectus, & dæmonum supplantator. Quamobrem te collaudamus.

Vt sol maximus terræ exortus es, ô pater, doctissimorum tuorum sermonum fulgoribus, & curationum fideles collustrantium splendoribus, & tenebras perturbationum sancti Spiritus ope efficaci, ô beate, semper dispellens.

Hactenus quæcumque in Menæo de S. Abercio, Scriptore ecclesiastico, & Hierapoleos Episcopo sanctissimo reperire potui. Vtinam (sicubi plura existant ad eiusdem nomen & gloriam spectantia) hæc tandem aliquando vnà cum eius scriptis in lucem veniant, & nouam nobis huius vitæ ad ipsius honorem dilatandæ materiem suppeditent! Iam ad Notationes.

NOTATIONES
AD VITAM
SANCTI ABERCII
HIERAPOLEOS EPISCOPI.

AD CAPVT I.

A *BERCIVS*] Rarum est hoc nomen in antiquis Auctoribus. Apud Eusebium quidem, lib. V. historiæ ecclesiasticæ, cap. 16. iuxta græca exemplaria; aut 15. iuxta latina Ruffini Presbyteri & Christophorsoni, mētio fit vnius Abercij Marcelli, qui etiam secundo vixit sæculo, B & cui vetus quidam Scriptor illi contemporalis (Apollinarem nonnulli esse autumant) suum opus contra hæreticos, Cataphrygas vulgò appellatos, dedicarit. Verùm & ille Abercius nostro est posterior, & illa hæresis necdum tunc erat cognita. Illius autem Auctoris apud Eusebium hæc sunt verba: Ἐκ πλείστου ὅσου καὶ ἱκανωτάτου χρόνου, ἀγαπητὲ Ἀβέρκιε Μάρκελλε, ἐπιταχθεὶς ὑπό σου συγγράψαι τινὰ λόγον εἰς τὴν τῶν κατὰ Φρύγας C λεγομένων αἵρεσιν. &c. *A plurimo iam tempore incitatus abs te sum, dilecte Aberci Marcelle, vt contra eorum hæresin, qui Secundùm Phrygas dicuntur, aliquem librum conscriberem.* &c. Quæ verba nequicquam apud Ruffinum requiras. Hoc enim illius Auctoris exordium in sua versione Eusebij prætermisit: suppleuit autem Ioãnes Christophorsonus in suâ. In quibusdam libris & Actis S. Abercij scriptum reperitur Ἀυίρκιος, D sed vitiosè, è codicibus manu scriptis malè descriptis. Verùm correctiora exemplaria (quale est & illud, quo vsus sum à nostro Iacobo Sirmōdo Parisijs, & illud item, quod Aloysius Lipomanus est nactus, cùm Metaphrastem latinè pararet edere) in Actis S. Abercij, non Ἀυίρκιος Auircius habent; sed Ἀβέρκιος, Abercius.

S. ABERCIVS DIVERSVS EST AB ABERCIO MARCELLO.

Iam autem præter illum Abercium Marcellum Eusebij (vbi interpres quidam malè Anicium scribit) duos habemus alios in Actis eius, cuius modò vitam descripsimus, nempe ipsum S. Abercium, Scriptorem nostrum, Hierapoleos Episcopum, & alium item ipsi cognominem, quem ipse sibi successorem constituit, vt suprà, capite 20. huius vitæ indicauimus.

ABERCII NOMINE PLVRES EXSTITERVNT

Quartus denique Abercius, est ille martyr, cuius meminit Græcorum Menæum ad quintam Decembris. Annotabo eam memoriam vnà cum græcis versibus senarijs in eius honorem compositis, infrà ad caput vicesimum.

Extra hos 4. Abercios, alium hoc nomine, nec in Latinorum martyrologijs, nec in Græcorum Menæis aut Menologijs, nec item in sacris historijs, reperio neminem.

b *HIERAPOLI*] De hac vrbe nonnihil egi superiore tomo, ad vitam S. Papiæ Hierapolitani Episcopi, & discipuli S. Ioannis Apostoli, & rursus infrà ago ad vitam S. Apollinaris, eiusdem quoque vrbis Episcopi eruditione iuxtà & sanctitate clarissimi.

c *ET VRBEM IPSAM PHILIPPVS*] S. Philippum Apostolum Hierapoli mortem oppetijsse martyrio illustrem, habent antiqua martyrologia: Romanum quidem ad Kalendas Maij, his verbis: *Natalis beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi: ex quibus Philippus, postquam omnem penè Scythiam ad fidem Christi conuertisset, apud Hierapolim Asiæ ciuitatem cruci affixus & lapidibus obrutus, glorioso fine quieuit.* De eiusdem ibi sepultura & miraculis ita breuiter S. Ioannes Chrysostomus, in oratione de duodecim Apostolis: Φίλιππος θαυματουργῶν σώζει τὴν Ἱεράπολιν. *Philippus miraculis conseruat Hierapolim.* tanquam patronus scilicet, & custos eius vrbis, in qua ipsius corpus seruatur & colitur. Solent enim Sancti in cælo triumphantes eas vrbes miris modis conseruare,

RELIQVIÆ SANCTORVM CVSTODES SVNT VRBIVM.

ſeruare, vbi ſacræ ipſorum honorantur Reliquiæ: vti & hanc vrbem Duacum, in qua hæc ſcribo, conſeruaſſe olim prædicatur S. Mauroncus, ille clarus quondam in aula Theodorici primi, Regis Francorum, ſed poſtea in ſacra militia Abbas ſanctitate multò clarior, qui cùm mortem in vicino Marcianenſi Monaſterio, ad annum Domini ſeptingenteſimum primum ſanctiſſimè obijſſet; inde in vrbem hâc ad S. Amati ſacram ędem, (incertum quo anno) tranſlatus eſt: vbi eius dies natalis ad 4. nonas Maij ſolemni celebritate peragitur: ac rurſus eiuſdem commemoratio, cum publica totius Cleri ac populi circum vrbis mœnia proceſſione, proximâ ante feſtum S. Ioannis Baptiſtæ Dominica, in vrbis ab eo conſeruatæ gratam memoriam, quotannis renouatur.

S. MAVRONTVS ABBAS, VRBIS DVACI PATRONVS.

Sic S. Martinus Turonenſis Epiſcopus vrbem Turonum, (vbi eius cuſtoditur corpus) cõtra Haſtingum Regis Nortmannorum Ducem ſtricta illam atque acerba obſidione cingentem olim protexit; nec protexit ſolùm; ſed etiam obſidentes immiſſo pauore ſic conſternauit, vt ab ipſis obſeſſis (quibus à ſuo patrono noua redierat in præcordia virtus) partim cæſi, partim capti, partim in fugam acti miſerè perierint. Quam victoriam effecit illatum ſancti viri corpus in eam partem, quà maximè ingruebat & ferociebat hoſtilis acies: vt meritò exclamauerit S. Odo, Abbas Cluniacenſis, in huius relatione hiſtoriæ: *O admirabilem per omnia virum! qui dum adhuc viueret, ſignipotens appellatus, vigorem virtutis aſtris intulit; defunctus autem bellipotens triũphator, hoſtium cuneos ſolâ ſui præſentia confecit.* Accidit ea victoria ſub annum Chriſti Domini 845. O ſi & in hac temporum, (quibus omnia bellis ardent perquam infeſtis) miſera calamitate, talia aduerſus fidei hoſtes ſubmittantur præſidia!

S. MARTINI EPISCOPI TVRONENSIS CORPVS CONTRA HOSTES ILLATVM, HOSPROSTRAVIT.

S. ODO, ABBAS CLVNIACENSIS IN LIBELLO, DE TRANSLATIONE S. MARTINI.

d SVB EXTREMA SALTEM DOMITIANI IMP. TEMPORA.] Eò referendam eſſe S. Abercij natiuitatem colligimus, partim ex annis vitæ eius, partim ex eo tempore, quo poſt illum conſtitutus eſt eiuſdem eccleſiæ Hierapolitanæ Epiſcopus, S. Apollinaris. Cùm enim hunc conſtet claruiſſe in epiſcopatu, anno Chriſti Domini 173. (vt nobis exhibet Euſebij chronicon) qui annus eſt M. Aurelij Antonini Imp. vndecimus; ac certum item ſit S. Abercium, qui ante Apollinarem in eadem cathedra præſedit, vixiſſe annos 72. inde neceſſariò conficitur in viuis fuiſſe eũdem Abercium anno Chriſti 101. & Traiani Imp. 2. Rurſus cùm præter illos 72. annos vitæ S. Abercij, accipiendi ſint aliquot alij anni alterius Abercij iunioris, qui proximè illi ſucceſſit, & inter ſanctos magnum Abercium

A & Apollinarẽ medius interfuerit (quemadmodum liquet ex vitæ Actis, cap. 20. ſuprà) ſi vel quinque duntaxat annos tribuamus iuniori illi Abercio in epiſcopatu (tot enim minimum vixiſſe probabile eſt) inde emerget magnum Abercium ætate Domitiani Imp. natum eſſe. Quia verò non eſt omnino liquidum, quot reſtrictè annos epiſcopatum tenuerit Iunior Abercius; hinc fit, vt certus quoque maioris Abercij natiui-

B tatis annus liquidò haberi non poſſit. Iuniorem porrò Abercium non tenuiſſe epiſcopatum ampliùs quinque annis, ex eo colligitur; quòd eius anteceſſor peruenerit ſaltem vſque ad annum quintum Lucij Veri Imp. vt videre eſt & ſumere ex Actis vitæ eius, iunior autem non potuerit ſupereſſe vltra vndecimum eiuſdem Imperatoris: cùm illo anno S. Apollinaris videatur cõſtitui Epiſcopus Hierapoleos ab

C Euſebio, qui ad illum annum ſic notat: *Apollinaris Aſianus, Hierapolitanus Epiſcopus, inſignis habetur.*

Notandum eſt autem Euſebium tam in libro primo Chronicorum græco, quàm in Canone chronico (ſunt enim diuerſi libri) tribuere Lucio Vero tantùm nouem annos imperij. Ita enim in illo primo: Λούκιος αὐτοκράτωρ ἐννάτῳ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἔτει ἐτελεύτησεν. Ἀπολλινάριος Ἐπίσκοπος Ἱεραπό-

LVCIVS VERVS QVOT ANNOS IMPERII NVMERAVERIT.

D λεως τῆς ἐν Ἀσίᾳ ἱερὸς ἀνὴρ ἤκμαζεν: *Lucius Imperator nono imperij ſui anno obijt. Apollinaris Epiſcopus Hierapoleos in Aſia, vir ſanctus floruit.* Addit, *in Aſia*, propter aliam Hierapolim, quæ eſt in Syria.

Vide porrò, ne tibi ex hoc loco perſuadeas Apollinarem fuiſſe Epiſcopum anno Lucij Veri Imp. nono; propterea quòd poſt indicatum annum illius nonum proximè ſubiunxerit de S. Apollinare Epiſcopo: ne-

E que item illum ſibi contradicere, dum in Canone chronico diſiungit Apollinarem duobus annis à morte Lucij. Nam in primo libro chronicorum græco non diſtinguit annos rerum geſtarum ſingillatim; ſed tantùm narrat generatim, quæ ſub quoque Imperatore acciderint, tacitis imperij annis: in Canone autem chronico diſtinguit ſingulos ſingulorum Imperatorum annos,

F & vnicuique anno res ſuas aſſignat: ita vt ex illo poſſis diſcere, quę hoc aut illo Imperatore acciderint: ex hoc autem, etiã quoto quidque anno acciderit. Igitur cùm in Canone chronico ad annum imperij nonum ita ſcripſiſſet: Λούκιος Αὐρήλιος Κόμμοδος ἀπέθανεν ἐν Ἀλτίνῳ, ἄρξας ἔτη θ. *Lucius Aurelius Commodus oppetijt Altini, cùm imperaſſet annos nouem*; poſtea ad annum 11. M. Antonini conſortis imperij, hoc eſt, duobus annis poſt mortem Lucij Veri demum ſcribit floruiſſe Apollinarem, Seuero 2. &

Herenniano Coss. quia nimirum in hoc A canone distinguit annos rerum gestarum, & initorum episcopatuum, & aliorum eiusmodi.

De annis Lucij Veri in imperio congruit S. Hieronymi latina versio: nisi quòd addat quosdam diuersa opinari: & de loco, si non prorsus idem, saltem ferè idem dicit. Sic enim habet ad dictum Lucij Veri annum nonum: *Lucius Imp. anno regni nono siue (vt quidam putant) vndecimo, inter Concor-* B *diam & Altinum apoplexi exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.*

Ad quæ verba Iosephus Scaliger in Animaduersionibus, numero MM. CLXXXV. *Omnino*, inquit, *vndecimo anno imperij obijt.* Cui & ego lubens assentior. Nam & veteres Scriptores ab illo sunt. Iulius Capitolinus in extrema vita Veri Imp. sic de illo: *Non longe ab Altino subitò, in vehiculo, morbo, quem apoplexin vocant, correptus Lucius, de-* C *positus è vehiculo, detracto sanguine Altinum perductus, quum triduo mutus vixisset, apud Altinum periit.* Et paullò postea subiungit id, quod ad rem maximè facit (nam alia ad ostendendam Auctorum in genere mortis conformitatem dicta sunt.) *Vixit annis quadraginta duobus*, inquit. *Imperauit cùm fratre annis vndecim.*

Sextus Aurelius Victor, in Lucio Annio Vero, *Qui Verus*, inquit, *inter Altinum* D *atque Concordiam iter faciens, ictu sanguinis (quem morbum Græci ἀπόπληξιν apoplexin vocant) vndecimo imperij anno exstinctus est.*

Eutropius lib. VIII. hist. Rom. ita de eodem: *Seleuciam, Assyriæ vrbem nobilissimam cum CCCCC. millibus hominum cepit: Parthicum triumphum reuexit: cum fratre, eodémque socero triumphauit. Obijt tamen in Venetia, cùm à Concordia ciuitate Altinum proficisceretur; & cum fratre in vehiculo sederet, subitò sangui-* E *ne ictus, casu morbi, quem Græci ἀπόπληξιν apoplexin vocant: vir ingenij parum ciuilis, reuerentiâ tamen fratris nihil vnquam atrox ausus. Cum obijsset XI. imperij anno, inter Diuos relatus est.* Sic ille.

Sed veri est simile, vnum C (errore, an aliter?) iniectum. Certè Scaliger, vsus opinor, alia editione, scribit Eutropium dicere, *cum quadringentis millibus.* Sexti Rufi breuiarium etiam de quadringentis tantùm F loquitur. *Seleuciam, Assyriæ vrbem*, inquit, *cum quadringentis millibus hostium cepit: ingenti gloria de Parthis cum socero triumphauit.* Eusebius autem in Chronico, ad annum Domini 166. trecenta millia dumtaxat recenset. *Seleucia*, inquit, *Syriæ vrbs* [meliùs dixisset, *Assyriæ*] *cum trecentis millibus hominum capta.* Sed hæc obiter, καὶ ἐν παρόδῳ. Non obstante autem antiquorum consensu de II. annis imperij Lucij Veri, Baronius adhærens Eusebio, nouem tantùm annos illi attribuit, & hoc præcipuè propter vnum elogium, quod ad molem Hadriani repertum ita habet:

IMP. CÆSARI. L. AVRELIO. VERO. MED. PARTIC. PONTIF. TRIBVNIC. POT. IX. IMP. V. COS. III. PP.

Facit autem, vt illi non queam prorsus assentiri, tum ipsa inscriptionis incertitudo, quæ satis vitiosa est ex se, tum ipsa numeri *IX.* ratio, quæ facilè ex numero *XI.* inuerti potuit. Nam in antiquis inscriptionibus numerus nouenarius cùm solus ponitur, fere semper hoc modo inscribitur *VIIII.* vndecimus autem semper sic: *XI.* In hac inscriptione vitiosa deest primus titulus, *ARMENIACO*, qui nunquam aliàs, aut vix vnquam, & qui debebat poni ante *MED.* id est, *MEDICO*, à deuicta Media. Quare multo melior & accuratior est illa inscriptio, quam nobis exhibet, vir longè doctissimus, & in his versatissimus Hubertus Goltzius, (qui & eruditionis ac virtutis merito, ciuitate Romana donatus est) quam nobis, inquam, in suo thesauro rei antiquariæ, inter L. Aurelij Veri numismata sic exhibet:

IMP. CÆSARI. L. AVRELIO. VERO. AVG. ARMENIAC. MED. PARTHIC. PONTIFIC. TRIB. POT. VIIII. IMP. V. COS. III. P. P. *V. inscr.*

Ex hac igitur & similibus inscriptionibus bene & validè probari potest, tot annos imperasse Augustos, quot illis tribuuntur anni Tribunitiæ potestatis (si modò illam nacti non sint ante imperium;) non tamen perinde effici potest, illos non vixisse pluribus: cùm accidere potuerit, vt illis factæ sint inscriptiones primis annis, non autem postremis: aut si factæ sint, interierint. Eadémque est numismatum ratio. Exstitit aliquando Romæ in foro Traiano (vtrum adhuc exstet, nescio) vna inscriptio, tantùm VIII. annos Tribunitiæ pot. illi tribuens. Ex qua, si quis colligeret, Verum annos VIII. dumtaxat imperasse; haud dubiè à vero aberraret: ita non ex quacunque inscriptione licet colligere annos imperij, ob caussam prius allatam. Hanc porrò inscriptionem è Boissardo & Vrsini schedis exhibet Ianus Gruterus in corpore Inscriptionum Romanarum, pag. CCLVIII. numero 3.

Fateor tamen aliquid habere admirabilitatis, regnasse Lucium Verum annos XI. & nullum exhiberi numisma, aut inscriptionem veterem, quæ annos X. Tribunitiæ potestatis contingeat, aut XI. tùm enim res cuncta esset liquidiùs.

Et facit item pro Baronio Onuphrius Panui-

Panuinius in Chronico ecclesiastico, qui A ad annum nonum duorum Impp. notat: *Hoc anno L. Aurelius Verus Augustus mortuus est*. Et Ioannes Temporarius lib. 3. Chronologicarum demonstrationum, vbi sic refert: *L. Verus cum fratre Marco imperat an. 8. m. 9.*

Quin & ratio Scaligeri, in Animaduersionibus ad chronicum Eusebianum, numero MMCLXXXV. qua conatur probare Lucium vndecimo anno imperij obijsse, B aliqua ex parte contra ipsum, & pro Baronio pugnat. Dicit enim de M. Aurelio Antonino, Veri collega: *Imperauit solus annos X. dies IX.* Quod si verum est, cùm constet ex Dione, lib. LXXI. in M. Antonino Philosopho, ipsum M. Antoninum regnasse dumtaxat annos nouemdecim & dies vndecim; sequitur Lucium regnasse tantùm nouem. Alioqui, si Lucius regnauit XI. (siue X. integros) ita vt obierit anno C XI.) & Marcus illo mortuo regnauit rursus X. & dies IX. nonne sequeretur contra Dionem & omnes historicos atque chronographos regnasse Marcum vniuersè annos XX. & paullo ampliùs? Quare aut Iosephum Scaligerum fugit hîc ratio, aut aliquis in notas numerorum irrepsit error: sicut eodem in ipso loco, vbi de annis vitæ M. Aurelij sic scribit: *Vixit ann. LVIII. mens. X. dies XX. auctore Dione*. Atqui Dio D habet dies XXII. cuius hæc sunt verba loco iam indicato: Ἔτη γὰρ ὀκτὼ καὶ πεντήκοντα, καὶ μῆνας δέκα, ἡμέρας τε εἴκοσι καὶ δύο ζήσας· κἀν τούτοις τῷ τε πατρὶ Ἀντωνίνῳ συχνὸν χρόνον ὑπάρξας· καὶ αὐτὸς ἐννέα καὶ δέκα ἔτη, καὶ ἕνδεκα ἡμέρας αὐταρχήσας, ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη. *Annos enim quinquaginta octo & menses decem ac dies viginti duos cùm vixerit; & in ijs cum patre Antonino diu fuerit cum imperio; atque ipse decem annos &* E *dies vndecim regnauerit; tamen æquabilis in omni vita, nec vlla in re mutatus fuit*. Sic ibi. Igitur apud Scaligerum oportuit aliquid turbatum esse in numeris. Aliter enim non constat sibi. Nostræ autem sententiæ de XI. annis Lucij Veri suffragatur noster Horatius Tursellinus, in sua historiarum epitome, lib. 4. ad annum Christi CLXIII. vbi sic: *Ceterùm Lucius triumpho de Parthis acto subita apoplexi exstinguitur anno principa* F *tus XI.*

Denique, vt ad S. Abercij tempus natiuitatis reuertamur, cùm ipse iam Episcopus Romam venerit primo aut secundo Lucij Veri anno, vt Lucillam ei nupturam à dæmonio liberaret, & aliquot deinde annis in Syriam, Mesopotamiam, aliáque loca peregrinatus sit, eíque eodem regnante Lucio alter Abercius morienti successerit, ac demum XI. anno eiusdem Lucij, (si tot annos imperarit, quod satis probabile est) aut duobus circiter post eius mortem annis, (si quidem nono imperij sui anno dicatur obijsse) episcopatus honore post duos Abercios donatus sit S. Apollinaris anno Domini 173. inde conficitur magnum Abercium (qui aliquot annis ante hoc tempus obijt, cum exegisset annos vitæ 72.) sub extrema Domitiani tempora, siue sub annum Domini nonagesimum sextum, in lucem editum esse.

f *ALTER ABERCIVS INTERFVIT MEDIVS.*] De minore Abercio, qui huic nostro successit in episcopatu, & præcessit S. Apollinarem, agitur in vita cap. XX. non diu autem fuisse in ea dignitate, ex iam dictis perfacile est colligere.

g *VBI S. EPAPHRAM COMITEM* *S. Epaphra laudes.*
SVVM &c.] Planè egregius fuit verbi diuini minister hic Epaphras, & eo nomine admodum S. Paullo carus; nec semel, sed sæpius ab eo laudatus: bis quidem in epistola ad Colossenses; semel autem in epistola ad Philemonem. In illa his verbis, cap. *Paullus in ep. ad Colossens. cap. 1 ver. 7.* 1. ver. 7. *Sicut didicistis*, inquit, *ab Epaphra, carissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi IESV: qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu*. Et ca. 4. ver. 12. *Salutat vos*, inquit, *Epaphras, qui* *Ibid. cap. 4. ver. 12.* *ex vobis est, seruus Christi IESV, semper sollicitus pro vobis in orationibus: vt sitis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Testimoniū enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.* Vnde patet iam tum primo Christi sæculo, & tempore Apostolorum recepisse Hierapolitanos semen euangelij, saltem aliquos. In epistola autem ad Philemonem extrema, *Salutat te*, ait, *Epaphras concaptiuus meus in Christo IESV*. Exiuisse porrò ex ea captiuitate, & ab eodem Paullo creatum esse Colossis Episcopum, & ibidem pro fide occisum discimus è Romano martyrologio ad diem Iulij 19. vbi sic habetur: *Natalis sancti Epaphræ, quem sanctus Paullus Apostolus concaptiuum appellat. Hic ab eodem Apostolo Colossis Episcopus ordinatus, clarus virtutibus, ibidem martyrij palmam pro ouibus sibi commendatis, virili agone percepit. Cuius corpus Romæ in basilica sanctæ Mariæ Maioris conditum est.*

An alicubi exstent huius sanctissimi Epaphræ Acta martyrii, me hodie fugit. Nam præter ea, quæ hîc protuli, nihil admodū reperio: nisi apud Adonē in Libello, De festiuitatibus, sepultum fuisse apud vrbē Colossas; & apud Petrum, Equilinum Episcopū, lib. 6. Catalogi Sanctorum, c. 116. fuisse vnū è 72. Discipulis. Aueo, si quis habeat, audire plura. Nam talium sanctorum vera elogia, aurium mearum inaures sunt aureæ.

h *QVOD*

h *QVOD A PRIMA PVERITIA SIC ADDICTVS PIETATI* &c.] Declarauit ipsemet Abercius primæ ætatis suæ pietatem in ipso vitæ huius excessu, cùm dixit adstantibus, ad eam se abire vitam, quam à puero dilexisset, & iuuenis appetijsset. Sic enim dixit: Ἄπειμι, ὦ φίλον ἐμοὶ ποίμνιον, ἄπειμι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἐκ νέου διαγωγήν. &c. *Abeo, mi dilecte grex, abeo ad eam vitam, quam à puero appetij.* &c. Sic est in extremis eius Actis, in codice MS. bibliothecæ Mediceæ.

i *IPSE CVNCTIS VOLVPTATIBVS CORPORIS SVBTER PEDES HABITIS*] S. Abercium perdomuisse carnis voluptates, notum est è Menæo suprà, in acrostichidis littera secunda è principalibus: Βίον ἐν γῇ ἔσχες, παμμάκαρ, οὐράνιον &c. *Egisti vitam in terra cælestem, ò beatissime.* &c.

k *MORIBVS PLANE ANGELICIS*] Talem fuisse Abercium, & Acta eius conuincunt, & Græcorum elogia contestantur. Nam in illis habemus eum propter vitam Apostolis simillimam, & ob celeres, prædicandi euangelij gratiâ, in varias terras discursationes, parem æqualémue Apostolis (quorum scilicet Angelici fuere mores) esse appellatum. De quo vide cap. X. vitæ. In his autem ἔνθεος βίος, *diuina vita* illi attribuitur, & dote splenduisse prophetica memoratur; vti suprà capite 23. vitæ est animaduertere.

AD CAPVT II.

PHRYGIÆ DESCRIPTIO.

a *IN TERRA PHRYGIA*.] Minus dumtaxat Phrygiæ mentionem generatim facit Plinius lib. V. nat. hist. cap. vltimo, vbi illam ex professo sic describit. *Phrygia*, inquit, *Troadi superiecta, populisque à promontorio Lecto ad fluuien Ethelcum prædictis, septemtrionali sui parte Galatiæ contermina, meridiana Lycaoniæ, Pisidiæ, Mygdoniæque, ab Oriente Cappadociam attingit*. Eadem fere habet Iulius Solinus Polyhistor, Plinij curtus assecla, cap. 43. absque vlla tantæ terræ diuisione. Verùm eam diuidunt ac duplicem faciunt nobilissimi & accuratissimi Geographiæ scriptores, Claudius Ptolemæus, lib. V. cap. II. & Strabo libro XII. Quibus accedunt Stephanus Byzantinus, in libro De vrbibus, & Dionysius Alexandrinus in descriptione orbis, versu 809. & sequentibus. Quos versus, vt pulchros & claros, non pigebit hic apponere, immo & latinis reddere, licet minùs pulchris. Sic igitur habent:

PHRYGIÆ DIVISIO IN MAIOREM ET MINOREM.

Ἔνθεν ἐφ' Ἑλλήσποντον ἐπιβρέχει ἄσπετος αὐχὼν
Βαιοτέρης Φρυγίης· ἑτέρη δ' ἔτι νόσφι κεῖται
Εὐρυτέρη γαῖα παρ' ὕδασι Σαγγαρίοιο.

Inde Hellespontum pars se non parua minoris
Insinuat Phrygiæ: verùm altera solis ad ortum,
Latior hæc Phrygia est: quam Sangarus alluit amnis.

Ibi ergo duplicem distinguit Dionysius Phrygiam, minorem vnam appellans, alteram maiorem seu latiorem: subditque ibidem hanc ad orientem solem respicere; illam ad occidentem: & illam quidem fecundam & pinguem esse, & equorum altricem: hanc verò ventosam (ac propterea minùs felicem) ad pedes Idæ montis sitam, in qua iacet Ilium tot olim heroibus nobile: quod Neptunus & Apollo condiderunt, Minerua & Iuno destruxerunt: *vt vrbanè ostendatur* (inquit Dionysij interpres Eustathius) *quæ a viris construuntur, a mulieribus destrui.*

QVÆ VIRI STRVVNT, MVLIERES DESTRVVNT.

Sed cur lectorem pulchris defraudem versibus? Ecce illos à Dionysio, subiunctis ad interpretationem nostris:

Ἀλλ' ἤτοι μεγάλη μὲν ἐπ' ἀντολίην τετάνυσται
Ἱππόβοτος, λιπαρή τε· πρὸς ἑσπερίην δ' ἀνέμοιο
Τὴν ἑτέρην, ἣ κεῖται ὑπὸ ζαθέους πόδας Ἴδης,
Ἴλιον ἠνεμόεσσαν ὑπὸ πλευρῇσιν ἔχουσα.
Ἴλιον ἀγλαὸν ἄστυ παλαιγενέων ἡρώων.
Ἴλιον, ἣν ἐπόλισσε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων·
Ἴλιον, ἣν ἀλάπαξαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη.
Ξάνθῳ ἐπ' εὐρὺ ῥέοντι καὶ Ἰδαίῳ Σιμόεντι.

Magna sed ad Solis longè protenditur ortum,
Aptus equis vbérque locus: verùm altera Phœbi
Respicit occasum, sacra in radicibus Idæ
Ilion attingens latere ex vtroque præaltum.
Ilion heroum priscorum nobile regnum:
Ilion exstruxit quod Rex maris, & quod Apollo:
Iliom euertit, quod Pallas & aspera Iuno,
Latisluū propter Xanthum, Idæum & Simoënta.

PHRYGIÆ VTRIVSQVE SITVS.

Ad quos versus notat Eustathius tres assignatas esse à veteribus Phrygias. Ita enim scribit: Ἰστέον δὲ, ὅτι καὶ τρεῖς ἀναγράφονται Φρυγίαι παρὰ τοῖς παλαιοῖς· μία μὲν, ἡ μεγάλη, ἧς ὁ Μίδας ἄρξαι λέγεται· περὶ ἣν καὶ Πισιδία, καὶ τὸ Ἀμμόριον, καὶ τὰ Σύνναδα. ταύτης δὲ τῆς μεγάλης ἐστὶ καὶ ἡ Πάρειος Φρυγία· περὶ ἣν τὸ Φιλομήλιον. καὶ αὕτη μὲν μία Φρυγία. Δευτέρα δὲ ἑτέρα Φρυγία ἡ μικρὰ, ἡ ἐν Ἑλλησπόντῳ καὶ περὶ Ὄλυμπον. Καὶ τρίτη, ἡ λεγομένη Ἐπίκτητος, ἐν ᾗ τὸ Κοτυάειον, καὶ τὸ Δορύλαιον ὡς ὁ γεωγράφος ἱστορεῖ· τὸ καὶ Δορυλάειον. κατὰ δὲ τὴν ὀρθογραφικὴν τέχνην, καὶ τὸ Δορύλαιον, διὰ διφθόγγου. *Sciendum*, inquit, *apud antiquos tres Phrygias describi. Quarum vna est magna Phrygia, vbi regnasse fertur Midas: in qua & Pisidia continetur, & Ammorium, & Synnada. Eiusdem magnæ Phrygiæ est & Parea Phrygia, in qua est Philomelium. Atque ista quidem est vna Phrygia. Secunda autem est parua Phrygia, quæ in Hellesponto & circa Olympum iacet. Tertia verò est, quæ Epictetus dicitur: in qua est Cotyaium & Doryleum (vt refert Geographus) quod & Dorylæum: secundum artem verò orthographicā, etiam Doryleium per diphthongum.*

AN SIT TRIPLEX PHRYGIA.

thongum. Sic ibi Eustathius Thessalonicæ A
Episcopus. At saluâ eius pace, nequaquam distinguenda est Epictetus à parua Phrygia, cùm sit eadem & eodem loco sita, teste ipso Strabone, libro XII. geographiæ, cuius hæc verba: Τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ὁμοροῦσι πρὸς νότον, ὡς ἔφην, οἱ περὶ τὸν Ὄλυμπον προσαγορευόμενοι Μυσοί τε καὶ Φρύγες. Ἑκάτερον δὲ τὸ ἔθνος διττόν ἐστι. Φρυγία τε γὰρ ἡ μὲν καλεῖται μεγάλη· ἧς ὁ Μίδας ἐβασίλευσε, καὶ ἧς μέρος οἱ Γαλάται κατέσχον. Ἡ δὲ μικρά, ἡ B
ἐφ' Ἑλλησπόντῳ, καὶ ἡ περὶ τὸν Ὄλυμπον, ἡ καὶ Ἐπίκτητος λεγομένη. *Bithynis autem confines sunt ad austrum, vt dixi, ij qui circa Olympum habitant, Mysi & Phryges. Vtrumque porro genus duplex est. Phrygia enim quidem altera magna appellatur, cui Midas imperauit, & cuius partem Galatæ tenuerunt: altera autem parua; nempe ea quæ in Hellesponto est, & circa Olympum, quæ & Epictetus dicitur.* Sic ibi. Crediderim porrò illa extrema verba Stra- C
bonis: ἡ καὶ Ἐπίκτητος λεγομένη, *quæ & Epictetus dicitur*, ita accepisse, quasi esset distinctum membrum, hoc sensu; *& ea, quæ Epictetus dicitur*. Et inde occasionem accepisse ponendi tres Phrygias, quasi hæc foret distincta à minore Phrygia. Sed debebat animaduertere Strabonem hoc eodem loco pronuntiasse duplex tãtùm genus Phrygum, qui debuisset alioqui triplex genus ponere. Sed & alijs pluribus locis, eodem li- D
bro, vnam eãdémque Phrygiam facit Strabo eam, quæ Hellespontiaca & Epictetus dicitur: vt in illis verbis sub medium librũ: Πρὸς νότον δὲ, ἥ τε Μυσία, καὶ Ἐπίκτητος καλουμένη Φρυγία· ἡ δ' αὐτὴ καὶ Ἑλλησποντιακὴ Φρυγία καλουμένη. *Ad Austrum verò est Mysia, & Phrygia Epictetus appellata: hæc autem ipsa, etiam Hellespontiaca Phrygia appellatur.*

Iam autem maioris Phrygiæ situm ita paullò inferiùs describit idem Strabo his E
verbis: Ὑπὲρ δὲ τῆς Ἐπικτήτου πρὸς νότον ἐστὶν ἡ μεγάλη Φρυγία, λιποῦσα ἐν ἀριστερᾷ τὴν Πεσσινοῦντα, καὶ τὰ περὶ Ὀρκαορύκους καὶ Λυκαονίαν· ἐν δεξιᾷ δὲ Μαίονας καὶ Λυδοὺς καὶ Κᾶρας· ἐν ᾗ ἐστιν ἥ τε παρώρειος λεγομένη Φρυγία, καὶ ἡ πρὸς Πισιδίαν, καὶ τὰ περὶ Ἀμόριον καὶ Εὐμένειαν, καὶ Σύνναδα· εἶτα Ἀπάμεια, ἡ Κιβωτὸς λεγομένη, καὶ Λαοδίκεια· αἵπερ εἰσὶ μέγισται τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων. *Supra Epictetum*, inquit, *ad austrum est magna Phrygia, quæ relinquit à læ-* F
ua Pessinuntem & Orcaorycos & Lycaoniam: à dextra autem Mæonas & Lydos & Caras. In ea est & Phrygia, quæ ad montana adiacens Paroreos dicitur, & quæ ad Pisidiam est, & regio circa Amorium & Eumeniam & Synnada: deinde Apamea cognomento Cibotus; & Laodicea, quæ maxima sunt Phrygiarum vrbium.

Deinde persequitur alias eiusdem Phrygiæ vrbes & opida recensere: Περίκειται δὲ ταύταις καὶ πολίσματα, Ἀφροδισιάς, Κολοσσαί, Θεμισώνιον, Σαναός, μητρόπολις Ἀπολλωνιάς. &c. *His autem circumiacent opida Aprodisias, Colossæ, Themisonium, Sanaos & Apollonias Metropolis.* &c. Vide ibi plura, vti & apud Ptolemæum lib. V. cap. II. vbi, perinde ac Strabo, duas tãtùm ponit Phrygias (tametsi & aliæ sub illis regiones continentur) & distinctè vtriusque vrbes recenset.

Hactenus de Phrygia; de qua aliquanto egi fusiùs, propterea quòd frequenter in his vitis, ecclesiæ Phrygiæ, & quarundam modò nominatarum vrbium occurrat mentio. Nam & Lugdunenses & alij ecclesiæ Gallicanæ populi magnam cum Phrygibus Christianis necessitudinem ac familiaritatem tam scriptis inuicẽ litteris, quàm missis legationibus habuerunt: quemadmodum ad vitam S. Irenæi Lugdunensis Archiepiscopi infrà licebit contueri.

b *VNDE OMNIVM ORIGO ET DEORVM ET FABVLARVM*] E Phrygia emanare Dij & Deorum fabulæ credũtur, propter Rheam inde ortam, & matrem Deûm habitam. De qua, & de varijs eiusdem nominibus ita doctissimus Strabo lib. X. geographiæ sub medium: Οἱ δὲ Βερέκυντες, Φρυγῶν τι φῦλον. καὶ ἁπλῶς οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἴδην κατοικοῦντες, Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Ἄγδιστιν, καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πυλήνην, καὶ Πεσσινουντίδα, καὶ Κυβέλην. *Berecynthij, Phrygum quoddam genus sunt: & in vniuersum Phryges, atque ij Troës qui circa Idam habitant, Rheam & ipsi venerantur, eiúsque Orgia celebrant, matrem Deûm appellantes, & Agdistin, & Phrygiam, Deam magnam: à locis autem Ideam, & Dindymenen, & Pylenen, & Pessinuntida, & Cybelen.*

Hanc Deam fingebant à quatuor leonibus curru vehi solitam, capite coronâ turris in morem cincto, tenentem manu sceptrum, quam circumstabant incedentem famuli eius & Sacerdotes, qui Corybantes & Curetes & Galli, à Gallo fluuio Phrygiæ (cuius potâ aquâ in furorem vertebantur & se in Deę honorem castrabant) sunt appellati, tympana æráque pulsantes, & insanorum more capita iactantes, & vulnera sibi inferentes. Romani sacra magnæ Matris Deûm vocabant Megalesia, & celebrabant pridie Nonas Aprilis. De quibus vide Ouidium lib. 4. Fastorum. Contra quam insaniam & execranda sacra multi SS. Patrum & Græcorum & Latinorum scripserunt, Athanasius, Gregorius Naziãzenus, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Firmicus, & alij. Verba S. Athanasij in orat. contra Gentes, sub medium sunt ista: Ἄνδρες δὲ τὴν φύσιν ἀρνούμενοι, καὶ μηκέτι εἶναι θέλοντες ἄρρενες, τὴν γυναικῶν πλάττονται φύσιν·

ὡς

ὡς ἐκ τούτων καταθύμια καὶ τιμὴν τῇ μητρὶ τῶν παρ' αὐτοῖς λεγομένων θεῶν ποιοῦντες. *Viri autem, naturam abnegantes, neque vltrà volentes esse mares, in naturam feminarum se deformāt: quasi ex his gratum quiddam & honorificum Matri Deûm, qui ab illis vocantur, faciant.* cùm scilicet in Rheæ honorem se castrauerint: à qua (vt paullo post subdit) ἀσέλγειαν, *obscenitatem* didicerint.

Pulcherrimè ista sacra describit & execratur Aurelius Prudētius in libro, De coronis, hymno 9. in Romani martyris supplicio, sub finem:

Quid maximorum lancinatores gregum,
Euiscerată carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis,
Votiuus & cùm membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque Matrem brachijs placat Deûm:
Furere ac rotari, ius putatur mysticum.
Parca ad secandum dextra fertur impia:
Cælum meretur vulnerum crudelitas. &c.

Fiebant porrò illa sacra simul in honorem Rheæ, matris Deûm, simul in memoriam Atyos, quem illa adamauerat, & cui deinde ex zelotypia furorem immiserat, in quo ille se exsecuit, erepturus quoque vitam, nisi illa eius ærumnam miserata, ipsum in arborem pinum conuertisset, quæ proinde illi Deæ sacra. Hinc Ouidius lib. X. Metamorphoseos sub initium:

Et succincta comas, hirsutáque vertice pinus,
Grata Deûm Matri. Siquidem Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncóque induruit illo.

Et Aurelius Prudentius citato suprà hymno sub initium, vbi sic idem Romanus martyr:

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem,
Per triste vulnus, pérque sectum dedecus.
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ.

Quotannis autem cædebatur in sacris eius vna pinus, & in illa ligabatur iuuenis effigies, haud dubiè in memoriam pœnæ Atyos: sed quâ diabolus abutebatur, (vt quidem vult Iulius Firmicus) ad obscurandam Christi Domini crucifixionem. Verba eius libro, De errore profanæ religionis, cap. 28. sunt hæc: *Sacra sua perditus carnifex, (pro dolor!) per lignum semper renouari disposuit; vt quia sciebat ita fore, vt ligno crucis affixa Vita hominis, perpetuæ immortalitatis compagine stringeretur; ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet. In sacris Phrygijs, quæ Matris Deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur: & in media arbore simulacrum iuuenis subligatur.* Sic ibi. Extat effigies huius rei apud Rosinum libro 2. Antiquitatum Rom. cap. 6.

Dicet fortasse aliquis, non magnopere laborandum fuisse, nec Abercio, nec cuiuis

A alteri Doctorum fidei, ad auocādos Phrygum animos à talibus mysterijs, sed facili negotio persuaderi illis potuisse, nihil illa veri, nihil sancti continere: quæ & naturam inuerterent, & furorem inducerent, & crudelitatem in ipsos eorum cultores ac sacerdotes exercerent. Quin & Deam turritam curru vehi, & à quatuor leonibus currum trahi, & à furentibus ac perstrepentibus circumsisti, & temerè per montes vagari, & a-
B lia id genus, non difficulter conuinci posse, plus amentiæ, quàm rationis, & amplius impietatis præferre, quàm religionis.

Verū est quidē ita plerisq; Christianis, & fidei luce illustratis videri: at Gentilium ingenia & mores expertis prorsus aliter. Nēpe qui sciant, quantæ sit operæ & laboris, vel antiquos ac inueteratos ritus abrogare, vel acceptas à maioribus, atque animis penitus insitas de Dijs opiniones (quas præ-
C sertim magna doctrina & auctoritate tueātur Philosophi) euellere. Nam quæ nobis externas tantùm intuentibus cærimonias parent absurda, & à ratione perquam alienā; ipsis abditorum mysteriorum plausibilia quædam sensa recludētibus, non solùm vulgo non absurda, sed etiam æqua admodum & mirifica videbantur. Recluserunt autē illa sensa (vt alios omittam) Lucretius Carus, Strabo, Macrobius, Iulianus Imp.
D magni omnes philosophi: & hic quidē postremus, degustatā fide Christiana & desertā; passim Apostata appellatus, integrā orationem in Matrem Deûm composuit, quæ est numero V. in operibus eius nuperrimè à nostro Dionysio Petauio, viro ingenioso & docto editis, & Notarum face illustratis.

Lucretius igitur Matrem Deûm vocat Tellurem, & quæcumque isti attribuuntur, ipse huic in sensu philosophico attri-
E buit, lib. 2. De rerum natura, sub medium, in his versibus:

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poetæ,
Sublimem in curru biiugos agitare leones,
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem: neque posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras: quia quamuis effera proles
Officijs debet molliri victa parentum.
F *Muralique caput summum cinxere coronâ:*
Eximijs munita locis quia sustinet vrbes.
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur diuinæ Matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant Matrem, Phrygiásque cateruas
Dant comites: quia primùm ex illis finibus edūt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt: quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint;
Significare volunt, indignos esse putandos,

Viuam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circũ
Concaua: raucisonóque minantur cornua cantu.
Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes:
Teláque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine Diuæ.
Ergo cùm primum magnas inuecta per vrbes
Munificat tacitâ mortales muta salute;
Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
Largifica stipe ditantes: cingúntque rosarum
Floribus vmbrãtes Matrẽ, comitumq; cateruas.

Ita Lucretius, quantum ad explicationem mysteriorum Matris Deûm, & ad effigiẽ eius attinet, satis quidem philosophicè, & plausibili apud Gentes ratiocinatione; sed pro Telluris, siue terræ pedibus nostris substratæ, tanquam Deæ, cultu & veneratione, nihil attulit, sed tacitè transilijt: vti & ferè alij. Strabo sanè, Geographiæ simul, & historiæ, & philosophiæ scientissimus fatetur difficile esse istorum mysteriorũ ænigmata omnia resoluere, tentat tamen aliqua: & nominatim montanam vagationem, dicit significare venationem & indagationem rerum ad vitam vtilium. Videri potest lib. X. post medium. Macrobius verò lib. I. Saturnaliorum, cap. 21. *Similiter Phryges*, inquit, *fabulis & sacrorum administrationibus immutatis, circa Matrem Deûm & Attinem eadem intelligi præstant. Quis enim ambigat Matrem Deûm terram haberi? Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu atque feruore animalibus: quæ natura cæli est, cuius ambitu aër continetur, qui vehit terram. Solem verò sub nomine Attinis, ornat & fistulâ & virgâ. Fistula ordinem spiritus inæqualis ostendit: quia venti, in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de Sole substantiam. Virga, Solis potestatem asserit, qui cuncta moderatur. Præcipuam autem Solis in his cærimonijs verti rationem, hinc etiam potest intelligi; quòd ritu eorum, καταβάσει finitâ, simulationéque luctus peractâ, celebratur lætitia exordium ad octauum Calendas Apriles, quem diem Hilaria appellant: quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Sic ibi.

Iuliani porrò tã vanas, quàm altas speculationes nõ iudico operę preciumhîc referre: sed Iulij Firmici, Scriptoris verè Christiani, qui & originem horum mysteriorum sincerè ac succinctè, & eorum physicas rationes, quæ à sapientissimis Gentilium, aut potiùs à minùs insipientibus proferuntur, eius, inquam Scriptoris verba, e libro, quem Constantini magni filijs dedicauit, iuuat apponere. Sic igitur in libro, De erroribus profanarum religionum, cap. 3. *Phryges*, inquit, *qui Pessinuntem incolunt circa Galli fluminis ripas, Terra, ceterorum elementorum tribuunt principatum. Hanc volunt omnium esse*

A *matrem. Deinde, vt & ipsi annuum sibi sacrorum ordinem facerent; mulieris diuitis ac Reginæ suæ amorem, quæ fastus amati adolescentis tyrannicè voluit vlcisci, cum luctibus annuis consecrarunt. Et vt satis iratæ mulieri facerent, aut, vt pœnitenti solatium quærerẽt; quem paullò ante sepelierant, reuixisse iactarunt: & cùm mulieris animus ex impatientia nimij amoris arderet, mortuo adolescenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro iniuria spretæ fece-*
B *rat formæ, hoc ordinantes à se pati voluère Sacerdotes. Sic annuis sacris cum honore Terræ, istius funeris pompa componitur. & cùm persuadetur hominibus, quòd colant terram; miseri funeris venerantur exitium. Hic quoque, sacratissimi Imperatores, vt error iste celetur; etiam hæc sacra physicâ volunt esse ratione composita. Amare terram volũt fruges: amatum verò hoc ipsum volunt esse, quod ex frugibus nascitur: pœnam autem quam sustinuit, hoc volunt esse, quod*
C *falce messor maturis frugibus facit. Mortem ipsius dicunt, quòd semina collecta conduntur: vitam rursus, quòd iacta semina annuis vicibus reconduntur.* Sic ille. Tum ad refutationem aggreditur hoc modo: *Vellem nunc inquirenti mihi responderent; cur hanc simplicitatem seminum ac frugum, cum facinore, cum morte, cum fastu, cum pœna, cum amore iunxerint. Itáne non erat aliud, quod diceretur? Itáne non erat aliud, quod in agendis Deo summo pro frugibus*
D *gratijs, faceres. Vt gratias pro renatis frugibus agas, vlulas? vt gaudeas, plangis?* &c. Quibus finge eos sic respondere: Quid tam diuersum à vobis facimus? aut quid magis quàm vos præposterum, aut à ratione alienum? Nos Atyn exectum quotannis plangimus: verum est: sed vos Christum in cruce suffixum, & inter latrones demortuum. Ac si verbera & vulnera nobis infligimus: quid minus vestri illi, qui prælata cruce cateruaE
E tim & longa serie, certis anni diebus in publicum prodeunt, & ad multi profusionem sanguinis in terga sua desæuiunt; quid minus, illi quàm nos faciunt. Quòd si nos nõnullis temporibus tam à piscibus, quàm à certis leguminibus abstinemus (quod à nobis rectissimè fieri Iulianus docuit Imperator) at vos, quod deterius est, etiam à carnibus, quæ longè meliores sunt, nullâ non hebdomade diebus aliquot abstinetis. Hęc
F igitur illi, aut pro illis non pauci partim athei, partim hæretici. Quibus quæ potest adhiberi responsio? nempe ista: non tam quid ab vtrisque fiat, quàm cui fiat, & quãobrem fiat, præcipuè spectãdum esse. Nam quæ vero Deo, cum eius honore & sincero cultu, fiunt; seu ad iræ mitigationem, seu ad gratiæ impetrationem; hæc si quis vel ad dæmonia transferat, vel ad aucupandam nomini suo gloriam deriuet; quis non videt, quantum sit inter illa facta, (quamlibet foris

foris similia) discriminis ac differentiæ? Igitur cùm summa sit verum nosse Deum; in hoc sibi laborandum ac desudandum vidit Abercius, vt eam notitiam genti Phrygiæ, non tantùm validis rationibus; (quas ipsi quoquo modo habebant eludere) sed vi quoque miraculorum, quoad eius fieri posset, præpararet.

QVI DOCTRINA ET FORTITVDINE &c.] His excellentissimè S. Abercium probant elogia, quæ illi à Græcis Patribus in B Menæo attributa sunt. Vide cap. 23. suprà, vbi & ob doctrinæ eminentiam Soli maximo comparatur; & ob fortitudinem, animique inuicti altitudinem, cum palmâ in Dei aula efflorescente cōfertur; & ob eximiam denique ac incredibilem pietatem, vitam in terrâ cælestem exegisse memoratur.

d *NEMINEM ILLA ÆTATE, PATRATORVM MVLTITVDINE PRODIGIORVM*, &c.] Consideraui Sanctorum C huius secundi sæculi vitas præcipuas propè omnes, nec vllam reperi, quæ huic par esset salutarium prodigiorum, seu copia, seu fructu, seu raritate. Hæc per vitam eius sparsa sunt, & in Græcorum sacris tabulis strictim ostensa. Hinc inter alias huius S. Abercij laudes, eum appellatum inuenio τὴν ἰαμάτων πηγὴν ἀκένωτον, *sanationum fontem inexhaustum*, eidémque attribui σημεῖα καὶ θαύματα ἄπειρα, *signa & miracula infini-* D *ta*. Quorum ea, quæ speciatim referuntur, suprà in vitæ decursu enarrauimus.

AD CAPVT III.

a QVæ in hoc capite perscripta sunt, partim ex Actis vitæ, partim è Menæo deriuata lector attentus obseruabit. Nam paupertatis studium, vnà cum pauperum amore coniunctum, in Actis expres- E sum est, & habetur cap. 15. suprà: postremæ autem corporis curæ, & deliciarum fuga, tam in ijsdem Actis, quàm in Menæo cap. XXIII. descriptæ sunt. In hoc enim dicitur μετὰ σαρκὸς, ὡς ἄσαρκος, πολιτεύσασθαι, *in carne velut absque carne vixisse*, seu cælestem in terra vitam agitasse.

EPISCOPORVM MVNVS PRINCIPALE.

b *QVOD AVTEM AD ILLVD EPISCOPORVM PRINCIPALE MVNVS* &c.] Diligentia S. Abercij in annuntian- F do Dei verbo iure commendatur, & cunctis Episcopis meritò deberet esse commēdatissima: quippe in quo præcipuam officij Episcopalis curam Concilia constituāt. *Prædicationis munus*, (inquit Concilium Tridentinum, sessione 24. cap. 4.) *quod Episcoporum præcipuum est.* &c. Hinc Episcopis in consecratione, offertur codex euangelij, & dicitur: *Accipe euangelium & vade, prædica populo tibi commisso.* &c. In Orienta- A li verò ecclesia, liber sacræ Scripturæ super caput Episcopi imponebatur, ad significandum eius scientiam sibi habendam esse, & cum alijs communicandam. Vide S. Dionysium Areopagitam libro De ecclesiastica hierarchia cap. 5.

EPISCOPI VNDE NAM ANGELI SINT APPELLATI.

Ab hoc porrò annuntiandi verbi diuini munere appellati sunt Episcopi in Scriptura Angeli; quemadmodum in Apocalypsi cap. 2. & 3. *Angelo Ephesi ecclesiæ scribe*; id B est, Timotheo. *Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe*, id est, Polycarpo, & ita de alijs Episcopis, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ. Nam vt cælestes illi spiritus, Angeli græcè παρὰ τὸ ἀγγέλλειν, *à nuntiando* dicti sunt, eò quòd hominibus nuntient Dei mysteria: ita & Episcopi. Quod est enim Angelorum interior inspiratio atque ad bonum impulsio, hoc est, Episcoporum exterior doctrinæ fidei & virtutum C prædicatio, atque ad mores homine Christiano dignos cohortatio.

SCIPIONIS GESTANDI VSVS.

c *SOLO SCIPIONE INNIXVS.*] Sed & hoc nimium, inquiet aliquis: quandoquidem Dominus vetuerit discipulis, ne omnino portarent quicquam in via, nisi planè necessarium. Nam ait Matthæi X. versu IX. & X. *Nolite possidere aurum, neque* Matthæi 10 ver. 9 & 10. *argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calcea-* D *menta, neque virgam.* Et Lucæ 9. ver. 3. *Nihil* Lucæ 9. ver. 3. *tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.*

Per virgam autem videtur intelligere baculum seu scipionem, vti vox græca ῥάβδος indicat.

Respondeo vocem ῥάβδον sicut & latinas *virgam* & *baculum* in Scriptura sacra esse ancipites, & modò pro scipione accipi, E seu pro baculo ad innitendum apto, quali viatores ac præsertim senes atque infirmi solent vti: modò pro ligno aut vimine, ad genus armorum, aut ad pœnarum instrumenta pertinente. In prima igitur significatione accipitur apud Marcum, cap. 6. versu 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in* Marci 6. ver. 8. *via, nisi virgam tantùm*: græcè est, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Vbi proinde *virga* ponitur pro scipione seu baculo viatorio. Qui, vt Apostolis permissus fuit, sic eorum discipulis, & consequenter S. Abercio imitatori Apostolorum studiosissimo. Apud Matthæum verò & Lucam locis suprà citatis, tam nomen græcum ῥάβδος, quàm latinum *virga*, ex genere armorum est: quibus neutiquam vti Dominus suos voluit: quippe quos eodem cap. apud Matthæum, nihil plus quēquam offendere, nihil plus cuiquam resistere, quàm oues voluit; cùm dixit, ver. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Matthæi 10. ver. 16.

Quare

Quare Dominus in Matthæo, & in Luca, A interdicēdo Apostolis ac discipulis virgam seu baculum, interdicit per synecdochen speciei, omne armorum genus. Pacem enim, quocumque irent, portare eos voluit, non arma: quippe *PRINCEPS PACIS.*

Isaiæ 9 ver. 6

Vtendi autem baculo, seu virga, seu scipione, tam in Iudæa, quam in Phrygia, hęc fuit potissima ratio; quòd vtraque regio esset admodum montosa, ita vt in itineribus tali opus esset subsidio. Quo tamen, non B in illis dumtaxat regionibus; sed etiam passim ac promiscuè in omnibus vsi sunt Apostoli, eorúmque successores Episcopi, ac diuini verbi præcones: vti & olim Patriarchæ ac Prophetæ, qui & suis baculis interdum, tanquam prodigiorum & curationum instrumentis, vtebantur. Ac patriarcha quidem Iacob baculi sui viatorij, cum quo profectus est in Mesopotamiam Syriæ, mentionem facit cap. 32. C Geneseos, versu 10. *In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* id est, cùm pater meus Isaac misit me in Mesopotamiam, ad capiendam inibi vxorem, ego eius obediens mandato, solus & sine vllo comitatu, cum solo baculo & absque diuitijs eò profectus sum; & ecce iam diues, & opulentus, & cum multo comitatu virorum ac mulierum, & insigni gregum atque armentorum copia, quæ D in duas diuisi turmas, ad patrem meum regredior. Vbi Nota obiter fructum obedientiæ, in benedictione Iacob à Domino: quam vide copiosiùs in ipsa Genesi.

Gen. cap. 32. ver. 10.

OBEDIENTIÆ FRVCTVS.

Notus quoque est baculus seu virga Moysis, cap. 4. Exodi, ver. 2. vbi ad illum Dominus: *Quid est, quod tenes in manu tua? respondit: virga. Dixitque Dominus: proyce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* &c. Hac igitur virga E seu baculo, vt destinato ad patranda prodigia instrumento deinceps vsus, tam admiranda & horrenda designauit; vt Ægyptij, apud quos ea fiebant, consequentibus temporibus virgam in singulis templis (quemadmodum Artapanus in suo de Iudæis opere memorat) consecrarint, eadémque omnino, qua ipsammet Isin religione coluerint; Isin quippe Terram esse rati, quæ virgâ percussa tot miraculorum F formas exclusisset. Vide Eusebium lib. IX. Præparationis euangelicæ, cap. XXVII. sub finem. Iam & Elisæus lib. 4. Regum, cap. 4. misit Giezi discipulum suum ad Sunamitidis filium (qui paullò antè obierat) imposito super eum baculo suo resuscitandum. Ita enim dixit: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.* &c. Sic & B. Petrus Apostolus duos è suis discipulis, S. Eucharium & Valerium, dato illis baculo suo misit ad S. Maternum, tunc diaconum dumtaxat, vita functum, eodem imposito baculo suscitandum. *Et vt eorum mentes* (verba sunt Harigeri Abbatis Lobiensis, in ipsius S. Materni, primi Leodiensis Episcopi vita) *ad signa patranda corroborarentur; cuius vmbra sanauerat omne genus morborum, eius baculus beatum reuocauit a morte Maternum.* His similia, de ijsdem tribus S. Petri discipulis scribit Otto Frisingensis Episcopus in chronico, lib. 3. cap. 15. *Qui venientes*, inquit, *ad locum sepulchri, triginta dies inuenerunt eum in monumento iacentem: attamen viri Dei, fide & bonis operibus pleni, sub obedientia magistri, admotâ virgâ socium à morte suscitauerunt.* Qui tamen in dierum numero ab Harigero dissentit, quandoquidem Harigerus dicat: *quadragesimo defunctionis beati viri die ad corpus cum fide regressi sunt.* Cui Harigero (vt rectè annotauit Ioannes Chapeauillus) omnia chronica Leodiensia, Latina, Gallica consentiunt. Vt autem ille S. Petri baculus discipulo morigero attulit vitam: sic B. Hermelandi scipio Abbati moribus dissoluto, & monita despicienti intulit mortem. Vidit enim Adalfredus Abbas in visione se pro sua inobedientia B. Hermelandi scipione verberari, móxque cœpit tanquam vrentibus flammis dirè torreri, donec vitâ simul & dignitate priuatus, breui pòst in æterna ruit incendia. Vide hæc fusius in vita S. Hermelandi, tomo 2. Surij.

Artapanus in opere de Iudæis.

Lib. 4. Regum cap. 4 ver. 29.

BACVLVS S. PETRI INSTRVMENTVM RESVSCITATIONIS AD VITAM.

Harigerus Abbas Lobiensis in vita S. Materni.

Otto Frisingensis in Chronico l. 3. cap. 15.

Alia exempla patratorum à Sanctis prodigiorum, adhibitis baculis, non pauca in Historicis sacris occurrunt: quorum nonnulla attingemus in vita S. Gregorij Thaumaturgi. Vsum autem esse eodem instrumento, in abigendis dæmonijs, nostrum Abercium, complexi sumus in vitæ huius capite 6.

AD CAPVT IV.

a VERVS AC SINCERVS IN DEVM AMOR &c.] Zeli pro domo Dei & pro Christi honore ardentissimi exemplum pulcherrimum in hoc cap. memoratur: dum scilicet Abercius Apollinis fanum ingressus idola prostrauit ac fregit, & insanis eorum cultoribus audacter insultauit. Simili efferbuit zelo S. Epimachus martyr, qui Antiochiæ eo tempore, quo dijs sacrilega fiebant sacrificia, plenus FIDEI ardore, & contra deos stomacho, in medios sacrificantes procurrit, atque aram ipsam, in qua immolabant, sine cunctatione

ne ſubuertit. Vide Menæum & Menologium pridie Nouembris. Nec diſſimili flagrauit impietatis odio inclitus ille Nicomedienſis martyr (cuius fortitudo ab Euſebio mirificè laudatur, ſed nomen tacetur) qui edicta Impp. Diocletiani & Maximiani contra Christianos publicè fixa publicè detraxit, lacerauit, conculcauit, & omnibus tormentis, cum plurima Imperatorum in eadem vrbe Nicomedia verſantium indignatione atque impatiētia, ſuperior fuit, & palmam martyrij illuſtriſſimā reportauit.

b *M. AVRELIO ANTONINO &c.*] Perſecutionis à M. Aurelio Antonino & Lucio Vero aduerſus Christianos excitatæ plurimi Scriptores meminerunt, Euſebius Cæſarienſis, Flauius Dexter, Sulpitius Seuerus, Paullus Oroſius, alij Acta S. Abercij græca mS. ſic de ea ſcribunt: Μάρκου Ἀντωνίνου καὶ Λουκίου Βήρου τὴν αὐτοκράτορα Ῥωμαίοις διεπόντων ἀρχὴν, δόγμα ἐπὶ πᾶσαν ἐφοίτα τὴν γῆν, ὅση τότε Ῥωμαίοις ὑπήκουε, δημοτελεῖς κελεύων τοῖς λεγομένοις θεοῖς σπονδάς τε καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν. *Marco Antonino & Lucio Vero Romanum adminiſtrantibus imperium, exijt edictum in omnem terram Romanis tum ſubiectam; quo iubebantur ÿs, qui Dÿ vocabantur, libamina fieri & ſacrificia.* Vbi obſerua *edictum* hoc loco græcè appellari δόγμα, quod aliàs διάταγμα, ἐπίταγμα, πρόγραμμα. S. Melito in libro ad M. Aurelium Antoninum pro Christianis ſcripto, iam voce δόγμα vtitur, iam διάταγμα. pro *edicto*. Vide infrà ad vitam S. Melitonis in ſecundo Fragmento, aut apud Euſebiū lib. 4. hiſt. eccl. cap 25. Eſt autem edictum non Imperatorum dumtaxat, ſed etiam Conſulum, Proconſulum, Præfectorum, Præſidum, & eorum, qui ſimili aliqua pollent poteſtate. Voce programma vtitur Vulcatius Gallicanus in Auidio Caſſio, de cuius celebrata ſeueritate ſic ſcribit: *Nec ſefellit de ſe iudicium habitum. Nam ſtatim ad ſigna edici iuſsit, & programma in parietibus fixit, vt ſi quis cinctus inueniretur apud Daphnē, diſcinctus rediret.* id eſt, priuaretur honore cinguli & militię. Super iā dictis mouetur hęc

QVÆSTIO HISTORICA.

An M. Aurelius Antoninus & L. Verus Impp. edictum aduerſus Christianos ediderint?

Nam huius rei dubium mouet ipſa S. Melitonis, Scriptoris huius ipſius ſæculi, dubitatio: qui ſcribens M. Aurelio Antonino Imp. & perſecutionem hanc deplorans, neſcire ſe indicat cuiuſnam potiſſimùm impulſu hæc mota ſit. *Quòd ſi tuo iuſsu*, inquit, *hæc fiunt: ſit ſanè bene factum (nam iuſtus Imperator nihil vnquā iniuſtè ſtatuerit) nóſque talis mortis munus non illibenter capimus, &c. ſin à te non eſt iſtud conſiliū & nouum decretū, quod neque contra hoſtes barbaros ferre deceat, tāto magis te obſecramus, ne tā publico latrocinio vexari nos permittas.*

Non exiſſe porrò ab Imperatore huiuſmodi edictum, videtur ipſius nota clementia, & ſæuitię horror comprobare. Scribunt enim profani Auctores eum vel nimis clementem fuiſſe. De quo eſt illud Auidij Caſſij eo ipſo tempore affectatoris imperij, in epiſtola ad generum ſuum: *Marcus, homo ſanè optimus: qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorum ipſe non probat vitam.* Ipſe autem Marcus reſcribens vxori ad necem eiuſdem Caſſij ipſum inſtiganti, ſic inter alia reſpondet: *Relegi epiſtolam tuam in Formiano, qua me hortaris, vt in Auidij conſcios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & genero, & vxori: & ad ſenatum ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit, aut pœna crudelior. Non enim quicquam eſt, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia.* In epiſtola verò ad ſenatum: *Vtinam poſſem, inquit, mortuos etiam ab inferis excitare!* eorum ſcilicet, qui ipſius iniuſſu necati fuerant. Quam eius clementiam ſenatus quoque ipſe ſua approbatione & acclamatione ſic proſecutus eſt: *Antonine pie dÿ te ſeruent. Antonine clemens dÿ te ſeruent. Tu noluiſti, quod licebat: nos fecimus, quod decebat.* Vide plura de eiuſdem M. Aurelij Antonini clementia apud Vulcatium Gallicanum in Auidio Caſſio, & apud Iulium Capitolinum in M. Antonino Philoſopho, (vbi blandiens ipſe Capitolinus Diocletiano, *Ac ſæpe dicitis*, inquit, *vos vitā & clementiā tales eſſe cupere, qualis fuit Marcus)* & apud alios denique plurimos.

CLEMENTIA ADMIRABILIS M. AVRELII ANTONINI IMP.

QVÆSTIONIS RESOLVTIO.

His tamen & alijs profanorum Auctorum non obſtantibus teſtimonijs, tenendum eſt omnino, dediſſe M. Antoninum Rectoribus prouinciarum in mandatis, vt iuberent à cunctis prouincialibus ſuum dijs cultū exhiberi, & vt in Christianos atque alios quoſcumque edicto reluctantes, ſecundùm leges animaduerterent.

Nec enim Infideles id inclementiæ tribuendum iudicabāt, ſed laudandæ in Deos pietati. Erat autem Marcus (ſi qua poteſt erga Deos eſſe pietas) ipſius iudicio ſenatus (quod iam adductis acclamationibus teſtatum eſt) maximè pius. Vnde & qui eū imitari præ ſe tulit Diocletianus, tametſi in Christianos fuerit atrociſſimus: tamen etiā pius & clemens ab impijs habitus eſt. Nam & apud Christianos ij cenſentur omnium pientiſſimi & clementiſſimi, qui erga Deos, Deorúmue cultores ſunt ſeueriſſimi. Adde non tantùm in Actis S. Abercij, expreſſam edicti aduerſus Christianos mētionem eſſe factam; ſed in aliorum quoque non paucorum

ram, ac nominatim S. Glyceriæ martyris, (cuius memoria 13. Maij celebratur) & in sanctorum Victoris & Coronæ martyrum, die 14. eiusdem mensis. Nam in Actis quidem S. Glyceriæ martyris, misisse Antoninum in omnes regiones ac prouincias edictum de sacrificijs Ioui offerendis, disertè conscriptum est: in his autem, Sebastianus Iudex ita S. Victorem aggreditur: *Venerunt ad nos litteræ ab Imperatore, quæ iubent vos Christianos Dijs sacrificare: illos verò, qui edicto non obediunt, supplicijs grauissimis subijci oportere* &c.

Accedit magnam fuisse Imperatoribus occasionem ferendi eiusmodi edicti, vt scilicet vbique & ab omnibus sacrificia Dijs fierent, ob illustres de hostibus victorias, præsertim confecto felicissimè bello Parthico, & *Seleuciâ* vrbe opulentissimâ, *cum trecentibus millibus hominum*, vt scribit Eusebius in Chronico, *à Romanis captâ*. Sic igitur Imperatores pietatis nomē erga Deos ambientes, gratias illis agi publicis sacrificijs, à quibus nulla excusaretur secta aut religio, mandauerunt. Descripsit illud bellum Parthicum Dio Cassius lib. 71. historiarum Romanarum, & carptim ex illo Ioannes Xiphilinus delibauit, vbi de Cassio exercitus Imperatorij duce, & de Vologæso Parthorum Rege deuicto sic scribit: *Cassius adorientem se Vologæsum fortiter sustinuit, desertúmque tandem à socijs, ac terga vertentem insequutus, Seleuciam & Ctesiphontem venit; deinde Seleuciâ vastatâ atque incensâ, regiam Vologæsi, quæ in vrbe Ctesiphonte erat, solo æquauit.* Igitur Præfecti ac Præsides prouinciarum, acceptis super victoria & gratiarum actione, Imperatorum litteris, Christianos ad Deorum sacrificia adire renuentes, tanquam impios & boni publici osores puniuerunt.

De hac persecutione sic notat Flauius Lucius Dexter ad annum Christi 170. & vrbis Romæ 921. *Plurimi in Gallia, Hispaniáque ob Christi nomen interfecti.* Eusebius tantùm Galliæ meminit: sed pro Dextro attrahit Franciscus Biuarius Aurelium Prudentium, in hymno de Cæsaraugustanis Martyribus, dicentem in omni persecutione creuisse in Hispania numerum martyrum, iuxta istos versus:

HISPANORVM IN PERSECVTIONIBVS FORTITVDO.

Nec furor quisquam sine laude nostrûm
Cessit, aut clari vacuus cruoris.
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.

At enim Tertullianus, qui eodem vixit sæculo, negat à M. Aurelio Antonino vllam contra Christianos legem seu edictum promulgatum esse. Dicit enim in Apologetico, cap. 5. post Neronem & Domitianum vsque ad Seuerum Imp. qui A viuebat, dum hæc scriberet, nullum fuisse Christianorum persecutorem: quin & ipsum M. Aurelium Antoninum, de quo disputamus, Christianorum asserit fuisse protectorem. *Ceterùm de tot exinde Principibus*, inquit, *vsque ad hodiernum, diuinum humanúmque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem: si litteræ M. Aurelij grauissimi Imp. requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum* B *precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Et paullò pòst: *Quales ergo leges istæ, quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quanquam omnium curiositatum explorator, nullus Vespasianus, quanquam Iudæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit.* C Vbi per *Verum*, intelligit M. Aurelium Antoninum, qui etiam *Verus* aliquo tempore est appellatus. Nam id fuit patrium eius & auitum nomen; siquidem tam eius pater, quàm auus, vocabatur *Annius Verus*, quod nomen *Verus* transtulit Marcus in Lucium Commodum, postquam eum imperij participem fecit, vti Iulius Capitolinus auctor est in vita eiusdem Veri, dum ita de Marco scribit: D *Dato igitur imperio, & indulta tribunitia potestate, proconsulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quum antè Commodus vocaretur.* Quare vterque vocatus est *Verus*, primò quidem Marcus Aurelius, deinde Lucius Commodus post adeptum imperium. Tertullianus igitur suprà & quidam Patres Græci per *Verum* intellexerunt M. Aurelium Antoninum. Vnde cùm scri- E bat idem Tertullianus Verum seu M. Aurelium Antoninum leges contra Christianos non impressisse, id est, nulla edicta promulgasse, videtur verum non esse, quod antè est dictum de edictis in omnes regiones ac prouincias dimissis.

Tertullian. in Apologetico cap. 5.

Respondeo tamē M. Aurelium Antoninū fuisse vtrumque, tam persecutorem, quàm protectorem, sed diuersis temporibus, ac priùs quidem specie pietatis in Deos, per- F secutorem Christianorum eos adorare recusantium; deinde verò affectatione clementiæ, eorundem, à receptis apologijs, protectorem. Igitur Tertullianus, vt religionis ac fidei caussam faceret meliorem, nec Imperatores illos, qui boni & iusti & clementes vulgò habiti essent, vlla ex parte reprehenderet; tacitis eorum in Christianos duris temporibus, clementiora tantùm memorauit, & imitanda proposuit: addiditque iis solis maximè exo-

ſam fuiſſe religionem, qui ipſi maximè fuiſſent, ob ſuam impietatem & inhumanitatem, cunctis exoſi: nempe Neroni & Domitiano, duobus naturæ monſtris ac prodigiis: ita vt alij Imperatores horum duorum comparatione, qui peſſimi fuerunt, boni extitiſſe Chriſtianis à Tertulliano prædicentur. Atque de iſta quæſtione hactenus.

Notandum porrò ab hoc loco, ſeu à narratione perſecutionis M. Antonini & L. Veri Imp. inchoari Acta vitæ S. Abercij in græco MS. ita vt tria priora capita, quæ antè poſui, aliunde deſumpſerim: vnde autem ſingula, in ipſis Notationibus ſingillatim oſtendi. Deinceps autem omnia, quæ protulimus, partim ex iiſdem Actis, partim è Græcorum Menæo depromſimus, & ſuo vnumquodque loco per capita diſpoſuimus.

Albæ veſtes in sacrificiis.

CANDIDO IN AMICTV CELEBRARE] Græcè eſt λευχειμονήσαντας, quod & vna voce *albatos* dici poteſt. Venit vox λευχειμονεῖν (quâ & Ariſtides vſus reperitur ſimili in re, in Palinodia de Smyrna inſtaurata) ex λευκὸν & εἷμα, *albus amictus*. Fuit autem Gentilibus in more, vt feſtis diebus albati ad ſacrificia, & ſupplicationes, & ad alia eius generis accederent. Quod ex multis veterum Scriptorum teſtimonijs probari poteſt. Certe M. Tullius orat. in Vatinium, valde illum ipſum exagitat, quòd in templum Caſtoris atratus introiſſet, & quòd itidem ſupplicationibus & feſto epulo atratus & non albatus interfuiſſet. *Cùm ipſe epuli Dominus*, inquit, *Q. Arrius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, ceteriſque tuis furijs funeſtum intuliſti. Quis tum non ingemuit?* Et paullò poſt: *Quæ te tanta tenuit amentia, vt niſi id feciſſes, quod fas non fuit; niſi violaſſes templum Caſtoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterem; eius, qui te inuitarat, auctoritatem; parum putares te teſtificatum eſſe, ſupplicationes te illas non probare?*

Cicero orat. in Vatiniũ.

Huc etiam facit illud Horatij Flacci, ſatyra 2. libri 2.

Horat. lib. 2. ſatyra 2.

Ille repotia, natales, alióſue dierum
Feſtos albatus celebret. ---

Sic ergo & Hierapolitani λευχειμονοῦντες, ſiue albati, ad ſacra Deorum execranda concurrebant. Cùm autem alba veſtis duo præcipuè ſignificet, puritatem ſcilicet & hilaritatem, hæc ipſa ſunt duo, quæ ſacris ritibus ac feſtis diebus maximè congruunt, ijs, inquam, ſacris ac feſtis diebus, quæ in vnius & veri Dei honorem, & non ad impiam dæmonum ſuperſtitionem, celebrantur. Decet enim ad tanti numinis cultum, non modò puritate atque innocentia commendabiles; ſed etiam lætos, hilaréſque accedere. Hinc rectè monet Ieſus Sirach, Eccleſiaſtici 35. ver. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.* Denique viri Ordinis ſacri, neque ad ſacrificia, neque ad laudes Deo concinendas, niſi albati ferè accedunt. Indigniſſimè igitur ferebat S. Abercius, eo habitu, cultúque ad inanimas ſtatuas & fictiles Deos à populo concurri, quo ad verum & viuentem Deum certatim decurrendum eſſet: proptereáque eo zelo exarſit, quem in vita deſcripſimus.

Eccleſiaſtici 35. ver. 11.

APOLLINIS, QVOD IBI STABAT, SIMVLACRVM CONFRINGIT. &c.] Tale quoddam facinus, nō quidem in Apolline, ſed in Cybele matre Deum appellatâ repræſentauit par zelus S. Theodori, militis Amaſeę in Pōto celebratiſſimi, cuius beata memoria in diem nonam Nouembris incidit apud Latinos; apud Græcos autem in decimam ſeptimam Februarij. Cùm enim aliquātiſper, exſolutus vinculis & carcere, ad deliberandum an Dijs ſacrificaret, liber dimiſſus eſſet, ipſe Dei amore & Deorum odio peræquè incenſus, non verbo, ſed facto animum ſuum teſtatus eſt. Nam in templum Cybeles flammas immiſit, & Deum Deóſque combuſſit. Nec territus eſt facto, ſed gloriatus, in hoc quoque non diſſimilis noſtro Abercio. Illius autem factum egregiámque in tormentis virtutem atque conſtantiam diſerta S. Gregorij Nyſſeni lingua celebrauit.

AD CAPVT V.

IN hoc cap. elucet diuina in ſuis fidelibus protegendis atque conſeruandis prouidentia, atque ijs præſertim, qui inſtar Eliæ Prophetę, lib. 3. Regum. c. 19. dicere habuerint: *Zelo Zelatus ſum pro Domino Deo exercituũ.* Talis enim ſanè fuit Abercius, qui etiā perinde atque ille, & Deos & Deorū cultores amarulentè irriſit. Elias quidem, cùm prophetæ Baal inuocarent *Baal de mane vſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos*; nec ille exaudiret, nec loqueretur; *illudebat illis dicens: Clamate voce maiore. Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Abercius autem haud paullo amariùs ſimul & audaciùs, *Ite*, inquit, *& ſenatui, cunctóque populo nuntiate, Deos veſtros heſterno, quod ipſis apparatum fuit, epulo, & multa comeſſatione ebrios ac temulentos, mutuò inter ſeſe colliſos, & contritos, & ſolo afflictos eſſe.* Et hæc quidem non valde aliena ſunt à vulgata de Dijs opinione: quorum conuiuia, & rixas, & vulnera, & è cęlo precipitationes, ipſi eorum cultores deſcripſerunt. Iam verò

3. Regum cap. 19 ver. 10.

3. Reg. 18. ver. 26.

Idolorum irriſio.

verò istud, quàm amarum! *Hæc ipsa*, inquit, *quæ supersunt, Deorum vestrorum fragmenta igni tradite. Sic enim fortaße vobis vtiles Dij fuerint, cùm aliqua ex illis exstiterit calcis copia.*

Et sanè nulli ferè poterant alij esse vsui; cùm essent, vti ex verbis eius colligitur, lapidei. E tali enim materia, vt plurimùm, conficiebantur, aut è ligno: quamuis interdum etiam ex auro vel argento, vel ære, vel orichalco, vel quouis alio in statuas idoneo. De dijs, & eorum fabricatione & cultu, & nulla vtilitate insigniter scripsit Baruch propheta, cap. 6. *Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari, ostentantes metum Gentibus.* &c. Et infrà: *Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum, inutile efficitur; tales sunt & Dij illorum.* Ornatus autem (vt indidem colligitur) erat talis: Amiciebantur veste purpurea, capite coronam auream gestabant, manu sceptrum, aut gladium, aut securim tenebant: lucernæ coram ijs accendebantur, hostiæ mactabantur. At enim, exceptâ hostiarum mactatione, inquiet aliquis, fiunt ista omnia in templis Christianorum, circa Sanctorum & Sanctarum statuas. Fiunt verò, sed in re alia, & alia de caussa, & sensu diuerso. Nam isti quidem idolis, tanquam Dijs, faciebant: Christiani autem statuis & imaginibus Sanctorum, non tanquam Dijs, nec tanquam diuis, sed tantummodo vt referentibus, & quodammodo repræsentantibus ipsos Sanctos. Deinde Gentilium ratio, quare illa idola colerent; vel erat, quòd vim diuinam inesse illis crederent, vel certè quòd eos, quorum idola essent, in Deorum loco haberēt. Vtrumque autem stultum. Nam pro priori rectè probat propheta Baruch loco citato, nullam in operibus hominum esse diuinitatem: pro posteriori autem, quæ potest esse diuinitas in ijs, quorum ipsimet gentiles referunt, adulteria, lites, pugnas, cædes? Christianis verò caussa cultus Sanctorum, est ipsorum sanctitas vitæ, & honor in vnum verum Deum redundans; non autem, quòd existiment auro, argento, lapidibus, lignis vllam inesse adorabilem sanctimoniam.

Baruch cap. 6. ver. 3.

RELIGIONIS ET SVPERSTITIONIS QVANTA DIVERSITAS.

Postremò Gentiles externis tantùm cærimonijs, & ijs inutilibus, nec à Deo, sed à dæmonio procuratis idola sua afficiunt; aut si quid interni cultus & submissionis, tanquā inferiores superioribus, adhibeant, in inscitia & falsitate id faciūt. Nec enim Iuppiter, nec Apollo, nec eiusdem farinæ quispiam alius, (vtpote infimi & damnatissimi) viuis hominibus superiores sunt, aut esse possunt. Christianorum autem adoratio & veneratio erga Deum aut Sanctos, in spiritu sit & veritate: internis, inquam, & veris religionis actibus, ipso Deo mouente, & gratos habente, & præmijs remunerante. Nam sanctos honorant, vt amicos Dei, vt vita sanctè perfunctos, vt omnis virtutis & pietatis duces, vti verè sunt & habentur.

a *POSTQVAM IPSE SS. APOSTOLIS MANDAVIT* &c.] Duo hic producit S. Abercius Domini mandata, vnum de prædicando verbo Dei cum omni fiducia, sine tormentorum metu: alterum de fugiendo è ciuitate in ciuitatem, tempore persecutionis. Quæ quidem videntur quadamtenus contraria; sed tamen non sunt. Diuersis enim occasionibus iam vnum, iam alterum exequendum est; etiam in vna, eadémque persecutionis tempestate. Quamdiu enim Pastoris vita seruandis ouibus est necessaria; fugere is debet, si quidem possit, è ciuitate in ciuitatem: sin martyrij & constantiæ exemplum (non defuturis eius loco alijs Pastoribus) magis est necessarium, & ipse cælesti confixus auxilio sustinere & superare se tormenta posse confidit; tum illi in statione sua manendum potiùs, & metu omni deposito, gloriosum pro Christo certamen ineundum est. Nituntur enim hæc ipsius Christi Domini, non doctrinâ tantùm, Matthæi 10. sed etiam exemplo; quæ vtraque persequitur egregiè S. Athanasius in Apologia pro fuga sua. Et doctrina quidem hæc est: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Et infrà versu 28. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Prius est de fuga: posterius de mortis constantia. Exemplum autem, est eius etiam tum infantis fuga in Ægyptum, metu Herodis; & pòst secessus in Nazaret, metu Archelai, Matthęi 2. & alias, natu grandioris egressio ex vrbe, & desertum versus profectio, metu Iudæorum, Ioannis 11. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. IESVS ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Cur autem hoc? quia scilicet needum eius hora sustinendę mortis aduenerat. Nam vbi aduenit, obuiam persecutoribus vltro processit, vt Matthæi 26. ver. 46. perscriptum est, vbi Dominus discipulis ait: *Surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet.* Sic & Abercius in eo sermone, quem ad suos fugam suadentes habuit, se in vtrumque paratum ostendit; seu mortem pro Christo oppetere, si maior eius gloria ageretur; seu fugâ periculum declinare, si adhuc necessarius foret, ac diuinus honor id postularet. Iuit ergo Dei ductum sequens in media pericula; & in ijs (vt proximo cap. referetur) non modò tutus fuit,

Matthæi 10. ver. 23. & seqq.

Ibid ver. 28.

Ioannis 11. ver. 53. & 54.

Matthæi 26 ver. 46.

ſed etiam patratis diuina virtute prodigijs, ipſis hoſtibus ad Chriſti fidem cõuerſis extitit venerandus.

AD CAPVT VI.

a ABSCESSERAT QVIDEM DOMO ABERCIVS &c.] Ea mente domo abſceſſiſſe Abercium, vt furorem declinaret perſequentium, & furibundæ plebis tumultum ſedaret, colligitur ex ipſiuſmet dictis capite ſuperiori poſitis. Ait enim ſibi deuitandos in præſentia perſecutores, quãdoquidem ita lex Chriſti iubeat. Et tamẽ, dum foris & in via fuit, non dubitauit in forum progreſſus, ibi conſiſtere, & doctrinam Chriſtianam publicè & palam edocere. Quod quidem illi & Chriſtianis in perniciem vertendum nemo non dixiſſet, rem humanitus perpẽdendo: ſed ſecus vt eueniret, atque in magnam ipſorum non modò ſecuritatem, ſed etiam laudem & gloriam verteret; diuinæ prouidentię admirabile conſilium fuit. Nam plebis furorem & impetum in eum ingruentem, aliquot iuuenes obſeſſi à dæmonio, cum inſanis motibus in medium procurrentes auerterunt, & ab Abercio ſibi redditi, & in gyrum rationis reducti, eúmque cum Dei laudibus, tãquam ſalutis auctorem, conſectantes multis exemplo ad fidem fuerunt.

DÆMONES ADIVRANT S. ABERCIVM.

b ADIVRAMVS TE, ABERCI, PER VERVM ET SOLVM DEVM &c.] Vt grauiſſimum eſt ſuperbis humiliari, & alijs cedere; ſic malignis ſpiritibus ſuperbiâ & arrogantia elatiſſimis, nihil eſt grauius, quàm cogi ab homine mortali loco cedere; & corpora, quæ occuparint & inhabitauerint, relinquere. Et hoc ſanè magnĩ ipſis tormenti loco eſt. Inde eſt illa ad S. Abercium, à quo ſe abigendos prę̨ſentiebant, vehementiſſima per verum & ſolum Deum, quem ipſe prædicaret, adiuratio; vt ne ante tempus eos torqueret, hoc eſt, è poſſeſſis à ſe corporibus, tanquam iniuſtos poſſeſſores depelleret. De hiſce dæmonum, in depulſione, tormentis, locus eſt peregregius S. Cypriani, in libro ad Demetrianum, Proconſulem Africæ, Chriſtianorum perſecutorem, ſub medium, vbi de falſis Dijs ſeu dæmonibus ſic eum affatur. *O ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritalibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eyciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana, & poteſtate diuinâ flagella & verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur! Veni, & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Et quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis, crede: aut, ſi volueris & tibi credere, de te ipſo loquetur audiente te, qui nunc pectus tuum obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit; videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras: videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis & veneraris, vt dominos. Certè vel ſic confundi in erroribus tuis poteris, quando conſpexeris & audieris Deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas & fallacias ſuas non poſſe celare.* Sic ibi.

S. CYPRIANVS LIB. AD DEMETRIANVM.

DÆMONES COACTI VERA CONFITERI.

Talem in dęmonia poteſtatem exercuit Dominus, talem Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus, ac Miniſtris eccleſiæ tribuit. Habemus eam expreſſam in euangelio S. Marci cap. 5. vbi ſpiritus immundus in homine obſeſſo *clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi IESV fili Dei altiſſimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem*. Geraſenorum ſcilicet, vbi tunc erat. S. Lucas cap. 8. ver. 38. habet petijſſe, ne in abyſſum mitterẽtur. *Et rogabant illum*, inquit, *ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.* hoc eſt, in loca inferorum. Nam illuc mitti, maximo illis tormento eſt: propterea ſcilicet, quòd illis occaſio nocendi hominibus, & in grauia peccata eos impellendi adimatur: præterquam etiam, quòd vel ſolùm in illis locis detineri, & vagandi, quò velint, libertate priuari (quod tãquam naturæ ſuæ peſſimum atque alieniſſimum habent) maximè illos excruciet. Nam alioqui etiam in hoc aëre (vbi ad extremum vſque iudicium pro exercendis hominibus relinquuntur) ſuis excruciantur ſupplicijs, & circumfuſis ignibus concremantur. De tributa autem Apoſtolis eadem poteſtate clarum eſt teſtimonium Matthęi 10. ver. 1. *Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eycerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.*

Marci cap. 5 ver. 7. & ſeqq.

Luca 8. ver. 31.

Matthæi 10. ver. 1.

Quæ poteſtas ab illis ad ſucceſſores trãſijt, & creſcente poſtea dæmoniacorũ multitudine, eorum curandorum munus ab Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis ad inferiorem ordinem eorum, quos ducto ab ea functione vocabulo ἐξορκιστὰς *exorciſtas* ſeu *adiuratores* appellarunt, ſub initia ſecundi ſæculi tranſlatum eſt.

EXORCISTARVM MVNVS.

Nec vlla exinde ætas fuit, in qua non frequenter, ſeu ab illis exorciſtis, ſeu à Presbyteris, ſeu ab alijs ab Epiſcopo deputatis, ſeu etiam à ſanctis Monachis, & alijs religioſis viris, dæmonia potenti virtute ex obſeſſorum corporibus depulſa ſint. Eiuſmodi enim exemplis tam ſacra hiſtoria, quàm vitæ Sanctorũ nouæ ac veteres plenæ ſunt.

Lactan-

Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum institutionum cap.16.tam de nocumētis dæmonum,quàm de eorundem expulsionibus hæc scribit inter alia: *Nocent illi quidem, sed ijs à quibus timentur:quos manus Dei potens& excelsa non protegit;qui profani sunt à sacramēto veritatis. Iustos autem, id est, cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati de corporibus excedunt: quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt.* &c. Nec longè pòst. *Itaque maximis sæpe vlulatibus editis verberari se & ardere,& iam iámque exire proclamant.* Et plura lib. 5. cap. 22. *Hi enim,* inquit,*quamdiu pax est in populo Dei, fugitant iustos & pauent:& cùm corpora hominum occupant,animásque diuexant,adiurantur ab his,& nomine Dei veri fugantur:quo audito tremunt, exclamant,& vri se verberaríque testantur, & interrogati qui sint,quando venerint, quomodo in hominem irrepserint,confitentur. Sic extorti & excruciati virtute diuini nominis exulant. Propter hæc verbera & minas sanctos & iustos viros semper oderunt.* Hęc Lactantius. Quæ & ante illum haud minùs disertè attigerat Minutius Felix in Octauio, vbi post alia, *Hæc omnia,*inquit, *sciunt plerique vestrûm ipsos dæmonas de semetipsis confiteri,quoties à nobis & tormentis verborum, & orationis incendijs de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus & Serapis & Iupiter, & quicquid dæmonum colitis,victi dolore,quod sunt,eloquuntur: Nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus,mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite. Adiurati enim per Deum verum & solum,inuiti miseris corporibus inhærescunt, & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat. Sic Christianos de proximo fugitant, quos longè in cœtibus per vos lacessebāt.* Sic ibi.

Non solùm autem dæmones adiurantur,sed ab illis quoque homines, quemadmodum hoc loco S. Abercius: immo adiurare & adiurari potest quælibet natura mētis & rationis compos, sed sola; non item res inanimæ. Nihil porrò aliud est adiurare,quàm quodam sacro metu violandæ religionis ac pietatis,quempiam ad id,quod volumus,adstringere. Sic Abraham, Geneseos 24.ver.3.adiurat seruum seniorem domus suæ,per Dominum Deum cæli & terræ,vt non accipiat vxorem filio suo de filiabus Chananæorum. Sic princeps Sacerdotum,Matthæi 26. ver.63.adiurat Christum, *Adiuro te,* inquit, *per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Et spiritus immundus itidem Christum,Marci 5. ver. 7. *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Et Paullus Thessalonicenses, in epistola priore,cap. vltimo. *Adiuro vos per Dominum,*inquit, *vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* quasi dicat, per reuerentiam & amorem, quem Domino debetis, à vobis exigo,vt hanc legatis epistolam Christianis omnibus, qui sunt Thessalonicæ. Quòd si quis absque caussa talem adiurationem cōtemneret; etiam eum contemnere censebatur,per quem adiurabatur. Hinc & Christus ipse principi Sacerdotum, se adiuranti per Deum,est obsecutus: vt est apud Matthæum loco suprà citato.

Matthæi 26. ver. 63. — *Marci 5. ver. 7.* — *Ad Thessalon. 1. cap. vltimo ver. 27.* — *1. ad Thessalonicenses, cap. vlt. ver. 27.*

C *VT NE ANTE TEMPVS NOS TORQVEAS.*] Nolebant scilicet dæmonia tam citò suis eijci habitaculis: quippe quæ sibi ad longius tempus data arbitrabātur. Nam quod alicui venit inuito & reluctanti,semper illi ante tempus venire,querimonia est. Torqueri autem ab S. Abercio dæmonia, nihil est aliud,quàm eijci. Testis Theophylactus in caput 5. Marci. *Βάσανον νομίζουσιν οἱ δαίμονες, τὸ ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. Διό φασι μὴ βασανίσῃς, τουτέστι, μὴ ἐξαγάγῃς ἡμᾶς ἐκ τοῦ κατοικητηρίου ἡμῶν, ἤτοι τοῦ ἀνθρώπου. Tormentum,*inquit,*reputant dæmones exire ex homine. Propterea dicunt: ne torqueas, hoc est, ne eijcias nos ex habitatione nostra, siue ex homine.* Vnde colligitur, quid ipsi per *ante tempus* intelligant hoc loco; nempe, citiùs quàm ipsi velint, & ipsorum iudicio, velut præmaturè. In quo sensu (qui maximè apertus, est & obuius) videtur & euangelij locus apud Matthæum cap. 8. ver. 29. intelligendus. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Nam quod Abercio quidem dixerunt, id non potuerunt de tempore iudicij intelligere; cùm nec ille tum futurus esset cum ea potestate, & ipsi dæmones iam multâ experientiâ scirent hoc etiam tempore se posse torqueri,nempe iam à Christo & Apostolis sæpius torti Quin & cùm dicerent ipsi Christo? *Venisti huc ante tempus torquere nos*, multis item experimentis didicerant omni tempore se torqueri posse, & ante Christum quoque à Iudæis fidelibus tortos fuisse,& ex obsessis corporibus vi exorcismorum eiectos.

Matthæi 8. ver. 29.

DÆMONVM DVPLEX POENA.

Notandum porrò duplicem esse dæmonum pœnam (sicuti & beatorum est duplex præmium) vnam essentialem,qua & beatitudine orbati sunt, & æternis ignibus addicti & alligati;qua pœna semper & necessariò atque etiamnum torquentur: alteram accidentalem, quæ est priuari libertate,per hunc mundum,quoquò velint, euagandi,& probos tentandi, & varijs modis in anima & corpore nocendi. Eam enim libertatem maximi faciūt, & ea spoliari plurimùm metuunt. Spoliantur autem,dum vel corporibus,quæ obsidere amant, exiguntur, vel certis regionibus expelluntur, vel in barathrum relegantur. Hinc apud Marcum

Marci 5. ver. 10.

Marcum cap. 5. ver. 10. *Et deprecabantur eum multùm, ne se expelleret extra regionem.* & apud Lucam cap. 8. ver. 31. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* quò scilicet tantùm in die iudicij præcipitandi sunt. Nam interim ad hominum probationem & omnigenæ virtutis exercitium, per varias ipsorum tentationes, relinquuntur. De loco pœnali dæmonum tractat S. Thomas in 1. p. quæst. 64. art. 4. probatque eum non esse solum infernum, sed etiam aërem hunc, in quo perinde ignem suum, quàm si in inferno essent, circumferunt. An verò Christus ante tempus venerit torquere dæmones, quæstionem format Alphonsus Tostatus, in cap. 8. Matthæi, quæst. 119.

Lucae 8. ver. 31.

d *O SANCTI FILII TVI IESV PATER* &c.] Est hæc tota precatio in Actis græcis MSS. nihilque illi nec adiectum, nec detractum. Est autem notandus modus, quo vir sanctus dæmonia eiecit. Primò quidem ad Deum efficacissima precatione vsus est: deinde baculo suo seu scipione capita adolescentum ab ipsis obsessorum tetigit: tertiò verba vsurpari solita pronuntiauit: *Exite nequam dæmonia* &c. nec mora fuit, & exierunt. Nempe id quorundam sanctitati concessum est, vt confestim ad ipsorum imperia dæmones exeant: cùm frequenter satis accidat, vt aliorum longis precationibus & sæpe repetitis exorcismis non pareant.

a *ILLE AVTEM PREHENSA CVIVSQVE DEXTERA* &c.] In eadem vita apud Aloysium Lipomanum, Veronensem Episcopum paullo aliter: *Ipse autem cùm apprehendisset vtriusque dexteram.* quasi scilicet duo tantùm fuerint: cùm tamen ex antecedentibus constet tres fuisse, vti & in græcis est exemplaribus, quæ habent: Ἰδοὺ τρεῖς νεανίσκοι πονηρῶν πάλαι δαιμόνων εἰς τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐνσκηψάντων &c. & in latina apud eundem Lipomanum versione: *Ecce tres adolescentes, cum maligni dæmones eos longo ante tempore inuasissent.* &c. Curauit autem Abercius omnes tres, & prehensa cuiusque illorum dextera, dum ad eius pedes strati iacerent velut mortui, releuauit, & à malis & iniustis possessoribus liberos, & sanæ menti restitutos ostendit. Erroris autem, qui in Lipomano & Surio cernitur, occasio fuit; quòd interpres in Actis græcis MSS. legerit: αὐτὸς μὲν τοι λαβόμενος ἑκατέρου τῆς δεξιᾶς. pro ἑκάστου τῆς δεξιᾶς, *vtriusque dexteram*, pro *cuiusque*. Nam de tribus agi etiam illud confirmat, quòd totus orationis contextus nunquam in duali, sed continuò in plurali progrediatur.

LIPOMANVS ET SVRIVS IN ABERCII VITA EMENDANTVR.

AD CAPVT VII.

GENTILIVM RATIO PROGRESSVS.

Describitur in hoc capite Gentilium ad Christi fidem accedentium ordinata progressio, ex inspectione designati à S. Abercio prodigij, & fugatis in Christi nomine dæmonibus: vnde magna nostræ religionis admiratio, & eius cognoscendæ primò ardor, deinde & suscipiendæ cupiditas cum salutari timore coniuncta exstitit. Hinc grauium sibi peccatorum in gentilitate admissorum conscij petierunt ab eodem Abercio, an tanta esset Dei bonitas, ac benignitas, vt illa ignosceret, ipsósque de cælo respiceret, atque in gratiam reciperet? Hanc ipsorum petitionem vnà cum sancti viri responsione exhibuerunt nobis Acta vitæ eius græca MSS. quem locum penè è verbo transtuli. Petitio incipit ab illis verbis. Δίδαξον ἡμᾶς, ἔλεγον, ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ &c. *Doce nos, dixerunt, vir Dei* &c. Responsio autem ab istis: Ἄνδρες οἱ νῦν πιστεύσαντες. &c. *Viri qui nunc credidistis* &c. quæ nos in textu vitæ stilo nostro edidimus. Similibus interrogationibus pulsatas esse aures suas ab infidelibus nuper ad FIDEM conuersis innuit S. Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha, in sua secunda Catechesi, vbi post nonnullas eiusmodi interrogationes, *Qui Lazarum*, inquit, *quatriduanum, iam fœtentem suscitauit, ô homo, an te viuentem non multo facilius suscitabit? Qui preciosum sanguinem pro nobis fudit, ipse nos a peccato liberabit.* Et infrà: *Ne ergo dixeris: scortatus sum, mæchatus sum, horrenda patraui, neque semel, sed sæpius, an ignoscet? an obliuione delebit? Audi quid dicat psaltes:* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! *Non vincunt peccata tua multitudinem miserationum Dei: non superant vulnera tua summi illius medici experientiam.* Et inferius: *At fortè & è mulieribus dicet quæpiam: Ego scortata sum, mæchata sum, corpus meum omnimoda luxuria contaminaui. Conijce oculos in Rahab, ô mulier, & tu quoque salutem expecta.* &c. Deinde paullo post subijcit: *Quòd si de eius salute scriptum requiris testimonium, habes scriptum in psalmis: Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.* Denique tota illa catechesis eo tendit, vt spem salutis grauia perpetrasse confessis ingeneret.

Psal. 30. ver. 20.

Psal. 86. ver. 4.

a *VENITE AD ME OMNES QVI LABORATIS* &c.] Aptissimè hunc locum attulit S. Abercius ad eos, qui de grauium peccatorum conscientia prætimidi verebantur, ne Dei maximi ac potentissimi misericordiam non consequerentur. Docet igitur non modò maximum esse ac potentissimum, sed etiam optimum ac benignissimum, & qui non modò peccatores non repel-

Matthaei 11. ver. 28.

repellat, sed vltro etiam inuitet, atque adeo ad eos oneribus suis leuandos ac reficiendos se perhumaniter offerat. Benè porrò dicuntur peccatores laborare & onerati esse: cùm vel vnum peccatum letale, onus sit Ætna grauius, nec sit præter vnum solum Deum, qui impedire vi vlla possit, quò minùs hominem illo pressum in barathrum vsque deprimat, ac penitus opprimat. Sentiebat peccatorum pondus is, qui lugens dicebat: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Exemplum grauitatis peccatorum reddentis hominem immobilem, tametsi aliàs corpore sanum, vide in extrema vita S. Simeonis, monachi Treuirẽsis, apud Surium 1. Iunij: vbi iuuenis quidam peccatorum suorum pressus pondere cùm ad sepulchrum eiusdem beati Simeonis, eo die quo altare ibidem à Poppone Archiepiscopo Treuirensi consecrabatur, intrare vellet, ita grauis ac ponderosus exstitit, vt nec se ipse intrò mouere, nec ab alijs moueri posset, donec de exoneranda flagitiorum sarcina admonitus, bene monentibus obtemperauit, & salutari peracta confessione leuior effectus, facilè suo marte intrauit.

PECCATI LETALIS GRAVITAS.

Psal. 37. ver. 5.

Surius tom 3.

Notandum autem verba Christi Domini non tantùm capienda esse de labore, aut onere peccatorum, sed etiam de quouis alio, nempe morborum, rerum aduersarũ, tentationum, & nominatim pro Iudęis, de onere cærimoniarum legis veteris: de quibus Scribas & Pharisæos Dominus incusabat, quòd eas multiplicarent, & grauiores obseruatu redderent, nec quicquam ad earum obseruationem adiuuarent. Sic enim Matthæi 23. versu 4. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Quæ synagogæ reprehensio, ne quando & in ecclesiam (quod Deus opt. max. & IESV benignitas auertat) peccatis nostris incidat, summopere cauendum est.

Matthæi 23. ver 4.

b *DVM NOS HACTENVS CORPOREIS VOLVPTATIBVS TOTOS IMMERSIMVS,*] Fuerunt Gentiles & cuncti legis diuinæ ignari, insano quodam furore in prauas libidines proiecti; nec mirum. Quippe Deorum suorum exemplis ad imitationem inuitati. Hinc meritò Tertullianus in Apologetico cap. 9. *Proinde incesti*, inquit, *qui magis, quàm quos ipse Iuppiter docuit?* Nota nimis sunt Deorum inter se adulteria & infandæ libidines, ac multis decantata. Ab omni porrò spurcitie nulli abhorrent magis, quàm quos sanctæ Ecclesiæ puritas in sinu suo educauit. Nam hæreticorum iuuentus quam sit carnis corrupta illecebris, ipsa sibi testis sit. Vbi enim semel in istiusA modi voluptatis retia inciderint, captiui manent, nec se per humilis confessionis (quam nesciunt, aut contemnunt) ac seriæ pœnitentiæ sacramentum è pessimæ consuetudinis nexibus expediunt.

c *MALÆ CONSVETVDINIS DOMINATV MISERE PREMIMVR*] Sub tali se fuisse aliquando dominatu deplorauit S. Augustinus lib. 8. Confessionum, cap. 5. *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & cõstrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus.* De tali praua consuetudine scripsit ipse M. Tullius lib. 1. de legibus in medio, *Tanta est corruptela malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exoriantúrque & confirmentur vitia contraria.* Libro autem 3 in Verrem sic exclamat: *O consuetudo peccandi quantam habes iucunditatem in improbis & audacibus cùm pœna abfuit, & licentia consecuta est!* De qua iucunditate non modò in illis improbis & audacibus, sed etiã in plerisque mortalibus egregiè scribit B. Clemens Alexandrinus in protreptico, post medium, hoc ferè sensu: *Quemadmodum cibis dulcibus delectamur, eósque propter voluptatis iucunditatem alijs præferimus: tametsi ea medeantur & sanent, quæ amara sint & sensum exasperantia, dum talis medicamentorum acrimonia eos, qui imbecilliore sunt stomacho, corroborat: sic delectat & titillat consuetudo, sed in barathrum impellit: in cælum autem deducit veritas, quæ aspera quidem primò est, sed bona puerorum nutrix.* Et sub finem; *Fugiamus ergo consuetudinem, tanquam scopulum difficilem, aut Charybdis minas, aut fabulosas Sirenes: suffocat hominem, a veritate auertit, abducit a vita: est laqueus, est barathrum* &c.

CONSVETVDINIS MALÆ PERNICIES.

M. Tullius lib. 1 de legibus.

Idem lib. 3. in Verrem post mediũ.

Denique quantum sit malum praua consuetudo; ipsæ quorundam populorum execrationes manifestum faciunt. *Cretes enim, cum acerbissima execratione aduersus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt; vt mala consuetudine delectentur, optant; modestoque voti genere efficacissimum vltionis euentum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio vicina dulcedo est.* Ita Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

d *QVID TACVISTIS IMPIETATEM ET FRVCTVM EIVS MESSVISTIS?*] Hic locus est ex Osee Propheta desumptus, sed quò ad sensum duntaxat, non quò ad verba, & ex editione Septuaginta interpretum, vt moris fuit SS Patribus primorum sæculorum. Habet igitur editio Septuaginta hoc modo, cap. 10. Osee, versu 13.

Vt a

foris similia) discriminis ac differentiæ? Igitur cum summa sit verum nosse Deum; in hoc sibi laborandum ac desudandum vidit Abercius, vt eam notitiam genti Phrygiæ, non tantùm validis rationibus; (quas ipsi quoquo modo habebant eludere) sed vi quoque miraculorum, quoad eius fieri posset, præpararet.

QVI DOCTRINA ET FORTITVDINE &c.] His excellentissè S. Abercium probant elogia, quæ illi à Græcis Patribus in Menæo attributa sunt. Vide cap. 23. suprà, vbi & ob doctrinæ eminentiam soli maximo comparatur; & ob fortitudinem, animique inuicti altitudinem, cum palmâ in Dei aula efflorescente cōfertur; & ob eximiam denique ac incredibilem pietatem, vitam in terrâ cælestem exegisse memoratur.

d *NEMINEM ILLA ÆTATE, PATRATORVM MVLTITVDINE PRODIGIORVM*, &c.] Consideraui Sanctorum huius secundi sæculi vitas præcipuas propè omnes, nec vllam reperi, quæ huic par esset salutarium prodigiorum, seu copia, seu fructu, seu raritate. Hæc per vitam eius sparsa sunt, & in Græcorum sacris tabulis strictim ostensa. Hinc inter alias huius S. Abercij laudes, eum appellatum inuenio τῶν ἰαμάτων πηγὴν ἀκένωτον. *sanationum fontem inexhaustum*, eidémque attribui σημεῖα καὶ θαύματα ἄπειρα, *signa & miracula infinita*. Quorum ea, quæ speciatim referuntur, suprà in vitæ decursu enarrauimus.

AD CAPVT III.

a QVæ in hoc capite perscripta sunt, partim ex Actis vitæ, partim è Menæo deriuata lector attentus obseruabit. Nam paupertatis studium, vnà cum pauperum amore coniunctum, in Actis expressum est, & habetur cap. 15. suprà: postremæ autem corporis curæ, & deliciarum fuga, tam in ijsdem Actis, quàm in Menæo cap. XXIII. descriptæ sunt. In hoc enim dicitur μετὰ σαρκὸς, ὡς ἄσαρκος, πολιτεύσασθαι, *in carne velut absque carne vixisse*, seu cælestem in terra vitam agitasse.

EPISCOPORVM MVNVS PRINCIPALE.

b *QVOD AVTEM AD ILLVD EPISCOPORVM PRINCIPALE MVNVS* &c.] Diligentia S. Abercij in annuntiando Dei verbo iure commendatur, & cunctis Episcopis meritò deberet esse commēdatissima: quippe in quo præcipuam officij Episcopalis curam Concilia constituāt. *Prædicationis munus*, (inquit Concilium Tridentinum, sessione 24. cap. 4.) *quod Episcoporum præcipuum est*.&c. Hinc Episcopis in consecratione, offertur codex euangelij, & dicitur: *Accipe euangelium & vade, prædica populo tibi commisso*.&c. In Orientali verò ecclesia, liber sacræ Scripturæ super caput Episcopi imponebatur, ad significandum eius scientiam sibi habendam esse, & cum alijs communicandam. Vide S. Dionysium Areopagitam libro De ecclesiastica hierarchia cap. 5.

EPISCOPI VNDE ANGELI SINT APPELLATI.

Ab hoc porrò annuntiandi verbi diuini munere appellati sunt Episcopi in Scriptura Angeli; quemadmodum in Apocalypsi cap. 2. & 3. *Angelo Ephesi ecclesiæ scribe*; id est, Timotheo. *Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe*, id est, Polycarpo, & ita de alijs Episcopis, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ. Nam vt cælestes illi spiritus, Angeli græcè παρὰ τὸ ἀγγέλλειν, *à nuntiando* dicti sunt, eò quòd hominibus nuntient Dei mysteria: ita & Episcopi. Quod est enim Angelorum interior inspiratio atque ad bonum impulsio, hoc est, Episcoporum exterior doctrinæ fidei & virtutum prædicatio, atque ad mores homine Christiano dignos cohortatio.

SCIPIONIS GESTANDI VSVS.

c *SOLO SCIPIONE INNIXVS.*] Sed & hoc nimium, inquiet aliquis: quandoquidem Dominus vetuerit discipulis, ne omnino portarent quicquam in via, nisi planè necessarium. Nam ait Matthæi X. versu IX. & X. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Et Lucæ 9. ver. 3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* [Matthæi 10. ver. 9. & 10.] [Lucæ 9. ver. 3.]

Per virgam autem videtur intelligere baculum seu scipionem, vti vox græca ῥάβδος indicat.

Respondeo vocem ῥάβδον sicut & latinas *virgam* & *baculum* in Scriptura sacra esse ancipites, & modò pro scipione accipi, seu pro baculo ad innitendum apto, quali viatores ac præsertim senes atque infirmi solent vti: modò pro ligno aut vimine, ad genus armorum, aut ad pœnarum instrumenta pertinente. In prima igitur significatione accipitur apud Marcum, cap. 6. versu 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*: græcè est, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Vbi proinde *virga* ponitur pro scipione seu baculo viatorio. Qui, vt Apostolis permissus fuit, sic eorum discipulis, & consequenter S. Abercio imitatori Apostolorum studiosissimo. Apud Matthæum verò & Lucam locis suprà citatis, tam nomen græcum ῥάβδος, quàm latinum *virga*, ex genere armorum est: quibus neutiquam vti Dominus suos voluit: quippe quos eodem cap. apud Matthæum, nihil plus quēquam offendere, nihil plus cuiquam resistere, quàm oues voluit; cùm dixit, ver. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* [Marci 6. ver. 8.] [Matthæi 10. ver. 16.]

Quare

A Quare Dominus in Matthæo, & in Luca, interdicẽdo Apostolis ac discipulis virgam seu baculum, interdicit per synecdochen speciei, omne armorum genus. Pacem enim, quocumque irent, portare eos voluit, non arma: quippe PRINCEPS PACIS. Vtendi autem baculo, seu virga, seu scipione, tam in Iudæa, quàm in Phrygia, hæc fuit potissima ratio; quòd vtraque regio esset admodum montosa, ita vt in itineribus tali opus esset subsidio. Quo tamen, non in illis dumtaxat regionibus; sed etiam passim ac promiscuè in omnibus vsi sunt Apostoli, eorúmque successores Episcopi, ac diuini verbi præcones: vti & olim Patriarchæ ac Prophetæ, qui & suis baculis interdum, tanquam prodigiorum & curationum instrumentis, vtebantur. Ac patriarcha quidem Iacob baculi sui viatorij, cum quo profectus est in Mesopotamiam Syriæ, mentionem facit cap. 32. Geneseos, versu 10. *In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* id est, cùm pater meus Isaac misit me in Mesopotamiam, ad capiendam inibi vxorem, ego eius obediens mandato, solus & sine vllo comitatu, cum solo baculo & absque diuitijs eò profectus sum; & ecce iam diues, & opulentus, & cum multo comitatu virorum ac mulierum, & insigni gregum atque armentorum copia, quæ in duas diuisi turmas, ad patrem meum regredior. Vbi Nota obiter fructum obedientiæ, in benedictione Iacob à Domino: quam vide copiosiùs in ipsa Genesi.

Isaiæ 9 ver. 6

Gen. cap. 32. ver. 10.

OBEDIENTIÆ FRVCTVS.

Notus quoque est baculus seu virga Moysis, cap. 4. Exodi, ver. 2. vbi ad illum Dominus: *Quid est, quod tenes in manu tua? respondit: virga. Dixitque Dominus: proyce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* &c. Hac igitur virga seu baculo, vt destinato ad patranda prodigia instrumento deinceps vsus, tam admiranda & horrenda designauit; vt Ægyptij, apud quos ea fiebant, consequentibus temporibus virgam in singulis templis (quemadmodum Artapanus in suo de Iudæis opere memorat) consecrarint, eadémque omnino, qua ipsammet Isin religione coluerint; Isin quippe Terram esse rati, quæ virgâ percussa tot miraculorum formas exclusisset. Vide Eusebium lib. IX. Præparationis euangelicæ, cap. XXVII. sub finem. Iam & Elisæus lib. 4. Regum, cap. 4. misit Giezi discipulum suum ad Sunamitidis filium (qui paullò antè obierat) imposito super eum baculo suo resuscitandum. Ita enim dixit: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.* &c. Sic & B. Petrus Apostolus duos è suis discipulis, S. Eucharium & Valerium, dato illis baculo suo misit ad S. Maternum, tunc diaconum dumtaxat, vita functum, eodem imposito baculo suscitandum. *Et vt eorum mentes* (verba sunt Harigeri Abbatis Lobiensis, in ipsius S. Materni, primi Leodiensis Episcopi vita) *ad signa patranda corroborarentur; cuius* B *vmbra sanauerat omne genus morborum, eius baculus beatum reuocauit a morte Maternum.* His similia, de ijsdem tribus S. Petri discipulis scribit Otto Frilingensis Episcopus in chronico, lib. 3. cap. 15. *Qui venientes*, inquit, *ad locum sepulchri, triginta dies inuenerunt eum in monumento iacentem: attamen viri Dei, fide & bonis operibus pleni, sub obedientia magistri, admotâ virgâ socium à morte suscitauerunt.* Qui tamen in dierum C numero ab Harigero dissentit, quandoquidem Harigerus dicat: *quadragesimo defunctionis beati viri die ad corpus cum fide regressi sunt.* Cui Harigero (vt rectè annotauit Ioannes Chapeauillus) omnia chronica Leodiensia, Latina, Gallica consentiunt. Vt autem ille S. Petri baculus discipulo morigero attulit vitam: sic B. Hermelandi scipio Abbati moribus dissoluto, & monita despicienti intulit mortem. Vidit D enim Adalfredus Abbas in visione se pro sua inobedientia B. Hermelandi scipione verberari, móxque cœpit tanquam vrentibus flammis dirè torreri, donec vitâ simul & dignitate priuatus, breui pòst in æterna ruit incendia. Vide hæc fusiùs in vita S. Hermelandi, tomo 2. Surij.

Exodi 4. ver. 2.

Artapanus in opere de Iudæis.

Lib. 4 Regum cap. 4 ver. 29.

BACVLVS S. PETRI INSTRVMENTVM RESVSCITATIONIS AD VITAM.

Harigerus Abbas Lobiensis in vita S. Materni.

Otto Frisingensis in Chronico l. 3. cap. 15.

Alia exempla patratorum à Sanctis prodigiorum, adhibitis baculis, non pauca in Historicis sacris occurrunt: quorum nonE nulla attingemus in vita S. Gregorij Thaumaturgi. Vsum autem esse eodem instrumento, in abigendis dæmonijs, nostrum Abercium, complexi sumus in vitæ huius capite 6.

AD CAPVT IV.

a *VERVS AC SINCERVS IN DEVM AMOR* &c.] Zeli pro domo Dei F & pro Christi honore ardentissimi exemplum pulcherrimum in hoc cap. memoratur: dum scilicet Abercius Apollinis fanum ingressus idola prostrauit ac fregit, & insanis eorum cultoribus audacter insultauit. Simili efferbuit zelo S. Epimachus martyr, qui Antiochiæ eo tempore, quo dijs sacrilega fiebant sacrificia, plenus FIDEI ardore, & contra deos stomacho, in medios sacrificantes procurrit, atque aram ipsam, in qua immolabant, sine cunctatione

ne subuertit. Vide Menæum & Menologium pridie Nouembris. Nec dissimili flagrauit impietatis odio inclitus ille Nicomediensis martyr (cuius fortitudo ab Eusebio mirificè laudatur, sed nomen tacetur) qui edicta Impp. Diocletiani & Maximiani contra Christianos publicè fixa publicè detraxit, lacerauit, conculcauit, & omnibus tormentis, cum plurima Imperatorum in eadem vrbe Nicomedia versantium indignatione atque impatientia, superior fuit, &
B palmam martyrij illustrissimã reportauit.

b *M. AVRELIO ANTONINO* &c.] Persecutionis à M. Aurelio Antonino & Lucio Vero aduersus Christianos excitatæ plurimi Scriptores meminerunt, Eusebius Cæsariensis, Flauius Dexter, Sulpitius Seuerus, Paullus Orosius, alij. Acta S. Abercij græca mS. sic de ea scribunt: Μάρκου Ἀντωνίνου καὶ Λουκίου Βήρου τὴν αὐτοκράτορα Ῥωμαίοις διεπόντων ἀρχὴν, δόγμα ἐπὶ πᾶσαν ἐ-
C φοίτα τὴν γῆν, ὅση τότε Ῥωμαίοις ὑπήκοε, δημοτελεῖς κελεῦον τοῖς λεγομένοις θεοῖς σπονδάς τε καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν. *Marco Antonino & Lucio Vero Romanum administrantibus imperium, exijt edictum in omnem terram Romanis tum subiectam; quo iubebantur ijs, qui Dij vocabantur, libamina fieri & sacrificia.* Vbi obserua *edictum* hoc loco græcè appellari δόγμα, quod aliàs διάταγμα, ἐπίταγμα, πρό-
D γραμμα. S. Melito in libro ad M. Aurelium Antoninum pro Christianis scripto, iam voce δόγμα vtitur, iam διάταγμα. pro *edicto*. Vide infrà ad vitam S. Melitonis in secundo Fragmento, aut apud Eusebiũ lib. 4. hist. eccl. cap 25. Est autem edictum non Imperatorum dumtaxat, sed etiam Consulum, Proconsulum, Præfectorum, Præsidum, & eorum, qui simili aliqua pollent potestate. Voce programma vtitur
E Vulcatius Gallicanus in Auidio Cassio, de cuius celebrata seueritate sic scribit: *Nec fefellit de se iudicium habitum. Nam statim ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt si quis cinctus inueniretur apud Daphnẽ, discinctus rediret.* id est, priuaretur honore cinguli & militiæ. Super iã dictis mouetur hæc

QVÆSTIO HISTORICA.

An M. Aurelius Antoninus & L. Verus Impp. edictum aduersus Christianos ediderint?

F Nam huius rei dubium mouet ipsa S. Melitonis, Scriptoris huius ipsius sæculi, dubitatio: qui scribens M. Aurelio Antonino Imp. & persecutionem hanc deplorans, nescire se indicat cuiusnam potissimùm impulsu hæc mota sit. *Quòd si tuo iussu*, inquit, *hæc fiunt sit sanè bene factum (nam iustus Imperator nihil vnquã iniustè statuerit) nosque talis mortis munus non illibenter capimus, &c. sin à te non est istud consiliũ & nouum decretũ, quod neque contra ho-*
A *stes barbaros ferre deceat, tãto magis te obsecramus, ne sĩ publico latrocinio vexari nos permittas.*

Non exisse porrò ab Imperatore huiusmodi edictum, videtur ipsius nota clementia, & sæuitiæ horror comprobare. Scribunt enim profani Auctores eum vel nimis clementem fuisse. De quo est illud Auidij Cassij eo ipso tempore affectatoris imperij, in epistola ad generum suum: *Marcus, homo sanè optimus: qui dum clemens dici*
B *cupit, eos patitur viuere, quorum ipse non probat vitam.* Ipse autem Marcus rescribens vxori ad necem eiusdem Cassij ipsum instiganti, sic inter alia respondet: *Relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris, vt in Auidij conscios vindicem. Ego vero & eius liberis parcam, & genero, & vxori: & ad senatum scribam, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Non enim quicquam est, quod Imperatorem Romanum melius commendet*
C *gentibus, quàm clementia.* In epistola verò ad senatum: *Vtinam possem, inquit, mortuos etiam ab inferis excitare!* eorum scilicet, qui ipsius iniussu necati fuerant. Quam eius clementiam senatus quoque ipse sua approbatione & acclamatione sic prosecutus est: *Antonine pie dij te seruent. Antonine clemens dij te seruent. Tu noluisti, quod licebat: nos fecimus, quod decebat.* Vide plura de eiusdem M. Aurelij Antonini clemen-
D tia apud Vulcatium Gallicanum in Auidio Cassio, & apud Iulium Capitolinum in M. Antonino Philosopho, (vbi blandiens ipse Capitolinus Diocletiano, *Ac sæpe dicitis*, inquit, *vos vitâ & clementiâ tales esse cupere, qualis fuit Marcus*) & apud alios denique plurimos. **CLEMENTIA ADMIRABILIS M. AVRELII ANTONINI IMP.**

QVÆSTIONIS RESOLVTIO.

HIs tamen & alijs profanorum Auctorum non obstantibus testimonijs,
E tenendum est omnino, dedisse M. Antoninum Rectoribus prouinciarum in mandatis, vt iuberent à cunctis prouincialibus suum dijs cultũ exhiberi, & vt in Christianos atque alios quoscumque edicto reluctantes, secundùm leges animaduerterent.

Nec enim Infideles id inclementiæ tribuendum iudicabãt, sed laudandæ in Deos pietati. Erat autem Marcus (si qua potest erga Deos esse pietas) ipsius iudicio sena-
F tus (quod iam adductis acclamationibus testatum est) maximè pius. Vnde & qui eũ imitari præ se tulit Diocletianus, tametsi in Christianos fuerit atrocissimus: tamen etiã pius & clemens ab impijs habitus est. Nam & apud Christianos ij censentur omnium pientissimi & clementissimi, qui erga Deos, Deorúmue cultores sunt seuerissimi. Adde non tantùm in Actis S. Abercij, expressam edicti aduersus Christianos mẽtionem esse factam; sed in aliorum quoque non paucorum

ram, ac nominatim S. Glyceriæ martyris, (cuius memoria 13. Maij celebratur) & in sanctorum Victoris & Coronæ martyrum, die 14. eiusdem mensis. Nam in Actis quidem S. Glyceriæ martyris, misisse Antoninum in omnes regiones ac prouincias edictum de sacrificijs Ioui offerendis, disertè conscriptum est: in his autem, Sebastianus Iudex ita S. Victorem aggreditur: *Venerunt ad nos litteræ ab Imperatore, quæ iubent vos Christianos Dijs sacrificare: illos verò, qui edi-* B *cto non obediunt, supplicijs grauissimis subijci oportere &c.*

Accedit magnam fuisse Imperatoribus occasionem ferendi eiusmodi edicti, vt scilicet vbique & ab omnibus sacrificia Dijs fierent, ob illustres de hostibus victorias, præsertim confecto felicissimè bello Parthico, & *Seleuciâ* vrbe opulentissimâ, *cum trecentibus millibus hominum*, vt scribit Eusebius in Chronico, *à Romanis* C *captâ*. Sic igitur Imperatores pietatis nomẽ erga Deos ambientes, gratias illis agi publicis sacrificijs, à quibus nulla excusaretur secta aut religio, mandauerunt. Descripsit illud bellum Parthicum Dio Cassius lib. 71. historiarum Romanarum, & carptim ex illo Ioannes Xiphilinus delibauit, vbi de Cassio exercitus Imperatorij duce, & de Vologæso Parthorum Rege deuicto sic scribit: *Cassius adorientem se Vologæsum forti-* D *ter sustinuit, desertúmque tandem à socijs, ac terga vertentem insequutus, Seleuciam & Ctesiphontem venit; deinde Seleuciâ vastatâ atque incensâ, regiam Vologæsi, quæ in vrbe Ctesiphonte erat, solo æquauit.* Igitur Præfecti ac Præsides prouinciarum, acceptis super victoria & gratiarum actione, Imperatorum litteris, Christianos ad Deorum sacrificia adire renuentes, tanquam impios & boni publici osores puniuerunt.

E De hac persecutione sic notat Flauius Lucius Dexter ad annum Christi 170. & vrbis Romæ 921. *Plurimi in Gallia, Hispaniáque ob Christi nomen interfecti*. Eusebius tantùm Galliæ meminit: sed pro Dextro attrahit Franciscus Biuarius Aurelium Prudentium, in hymno de Cæsaraugustanis Martyribus, dicentem in omni persecutione creuisse in Hispania numerum F martyrum, iuxta istos versus:

HISPANORVM IN PERSECVTIONIBVS FORTITVDO.

Nec furor quisquam sine laude nostrûm
Cessit, aut clari vacuus cruoris.
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.

At enim Tertullianus, qui eodem vixit sæculo, negat à M. Aurelio Antonino vllam contra Christianos legem seu edictum promulgatum esse. Dicit enim in Apologetico, cap. 5. post Neronem & Domitianum vsque ad Seuerum Imp. qui A viuebat, dum hæc scriberet, nullum fuisse Christianorum persecutorem: quin & ipsum M. Aurelium Antoninum, de quo disputamus, Christianorum asserit fuisse protectorem. *Ceterùm de tot exinde Principibus*, inquit, *vsque ad hodiernum, diuinum humanúmque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem: si litteræ M. Aurelij grauissimi Imp. requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Et paullò pòst: *Quales ergo leges istæ, quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quanquam omnium curiositatum explorator, nullus Vespasianus, quanquam Iudæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit.* Vbi per *Verum*, intelligit M. Aurelium Antoninum, qui etiam *Verus* aliquo tempore est appellatus. Nam id fuit patrium eius & auitum nomen; siquidem tam eius pater, quàm auus, vocabatur *Annius Verus*, quod nomen *Verus* transtulit Marcus in Lucium Commodum, postquam eum imperij participem fecit, vti Iulius Capitolinus auctor est in vita eiusdem Veri, dum ita de Marco scribit: *Dato igitur imperio, & indulta tribunitia potestate, proconsulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quum antè Commodus vocaretur.* Quare vterque vocatus est *Verus*, primò quidem Marcus Aurelius, deinde Lucius Commodus post adeptum imperium. Tertullianus igitur suprà & quidam Patres Græci per *Verum* intellexerunt M. Aurelium Antoninum. Vnde cùm scribat idem Tertullianus Verum seu M. Aurelium Antoninum leges contra Christianos non impressisse, id est, nulla edicta promulgasse, videtur verum non esse, quod antè est dictum de edictis in omnes regiones ac prouincias dimissis.

Tertullian. in Apologetico cap. 5.

Respondeo tamẽ M. Aurelium Antoninũ fuisse vtrumque, tam persecutorem, quàm protectorem, sed diuersis temporibus, ac priùs quidem specie pietatis in Deos, persecutorem Christianorum eos adorare recusantium; deinde verò affectatione clementiæ, eorundem, à receptis apologijs, protectorem. Igitur Tertullianus, vt religionis ac fidei caussam faceret meliorem, nec Imperatores illos, qui boni & iusti & clementes vulgò habiti essent, vlla ex parte reprehenderet; tacitis eorum in Christianos duris temporibus, clementiora tantùm memorauit, & imitanda proposuit: addiditque iis solis maximè exosam

 sam

sam fuisse religionem, qui ipsi maximè **A** infensi fuissent, ob suam impietatem & inhumanitatem, cunctis exosi: nempe Neroni & Domitiano, duobus naturæ monstris ac prodigiis: ita vt alij Imperatores horum duorum comparatione, qui pessimi fuerunt, boni extitisse Christianis à Tertulliano prædicentur. Atque de ista quæstione hactenus.

Notandum porrò ab hoc loco, seu à narratione persecutionis M. Antonini & **B** L. Veri Imp. inchoari Acta vitæ S. Abercij in græco MS. ita vt tria priora capita, quæ antè posui, aliunde desumpserim: vnde autem singula, in ipsis Notationibus singillatim ostendi. Deinceps autem omnia, quæ protulimus, partim ex ijsdem Actis, partim è Græcorum Menæo deprompsimus, & suo vnumquodque loco per capita disposuimus.

ALBÆ VESTES IN SACRIFICIIS.

CANDIDO IN AMICTV CELEBRARE] **C** Græcè est λευχειμονοῦντας, quod & vna voce *albatos* dici potest. Venit vox λευχειμονεῖν (quâ & Aristides vsus reperitur simili in re, in Palinodia de Smyrna instaurata) ex λευκὸν & εἷμα, *albus amictus*. Fuit autem Gentilibus in more, vt festis diebus albati ad sacrificia, & supplicationes, & ad alia eius generis accederent. Quod ex multis veterum Scriptorum testimonijs probari potest. Certe M. **D** Tullius orat. in Vatinium, valde illum ipsum exagitat, quòd in templum Castoris atratus introiisset, & quòd itidem supplicationibus & festo epulo atratus & non albatus interfuisset. *Cum ipse epuli Dominus*, inquit, *Q. Arrius albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. Fidulo atrato, ceterísue tuis furijs funestum intulisti. Quis tum non ingemuit?* Et paullò post: *Quæ te tanta tenuit amentia, vt nisi id fecisses, quod* **E** *fas non fuit; nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterem, eius, qui te inuitarat, auctoritatem; parum putares te testificatum esse, supplicationes te illas non probare?*

Cicero orat. in Vatinium.

Huc etiam facit illud Horatij Flacci, satyra 2. libri 2.

Ille repotia, natales, aliósue dierum
Festos albatus celebret. ---

Horat. lib. 2. satyra 2.

Sic ergo & Hierapolitani λευχειμονοῦντες, **F** siue albati, ad sacra Deorum execranda concurrebant. Cùm autem alba vestis duo præcipuè significet, puritatem scilicet & hilaritatem, hæc ipsa sunt duo, quæ sacris ritibus ac festis diebus maximè congruunt, ijs, inquam, sacris ac festis diebus, quæ in vnius & veri Dei honorem, & non ad impiam dæmonum superstitionem, celebrantur. Decet enim ad tanti numinis cultum, non modò puritate atque innocentia commendabiles; sed etiam lætos, hilarésque accedere. Hinc rectè monet Iesus Sirach, Ecclesiastici 35. ver. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Denique viri Ordinis sacri, neque ad sacrificia, neque ad laudes Deo concinendas, nisi albati ferè accedunt. Indignissimè igitur ferebat S. Abercius, eo habitu, cultúque ad inanimas statuas & fictiles Deos à populo concurri, quo ad verum & viuentem Deum certatim decurrendum esset: proptereáque eo zelo exarsit, quem in vita descripsimus.

Ecclesiastici 35. ver. 11.

APOLLINIS, QVOD IBI STABAT, SIMVLACRVM CONFRINGIT. &c.] Tale quoddam facinus, nō quidem in Apolline, sed in Cybele matre Deum appellatâ repræsentauit par zelus S. Theodori, militis Amaseę in Pōto celebratissimi, cuius beata memoria in diem nonam Nouembris incidit apud Latinos; apud Græcos autem in decimam septimam Februarij. Cùm enim aliquātisper, exsolutus vinculis & carcere, ad deliberandum an Dijs sacrificaret, liber dimissus esset, ipse Dei amore & Deorum odio peræquè incensus, non verbo, sed facto animum suum testatus est. Nam in templum Cybeles flammas immisit, & Deum Deósque combussit. Nec territus est facto, sed gloriatus, in hoc quoque non dissimilis nostro Abercio. Illius autem factum egregiámque in tormentis virtutem atque constantiam diserta S. Gregorij Nysseni lingua celebrauit.

AD CAPVT V.

IN hoc cap. eluxit diuina in suis fidelibus protegendis atque conseruandis prouidentia, atque ijs præsertim, qui instar Eliæ Prophetę, lib. 3. Regum. c. 19. dicere habuerint; *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituū.* Talis enim sanè fuit Abercius, qui etiā perinde atque ille, & Deos & Deorū cultores amarulentè irrisit. Elias quidem, cùm prophetæ Baal inuocarent *Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos*; nec ille exaudiret, nec loqueretur; *illudebat illis dicens: Clamate voce maiore. Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Abercius autem haud paullo amariùs simul & audaciùs, *Ite*, inquit, *& senatui, cunctóque populo nuntiate, Deos vestros hesterno, quod ipsis apparatum fuit, epulo, & multa comessatione ebrios ac temulentos, mutuò inter sese collisos, & contritos, & solo afflictos esse.* Et hæc quidem non valde aliena sunt à vulgata de Dijs opinione: quorum conuiuia, & rixas, & vulnera, & è cęlo precipitationes, ipsi eorum cultores descripserunt. Iam verò

3 Regum cap. 19 ver. 10.

3. Reg. 18. ver. 26.

IDOLORVM IRRISIO.

verò istud, quàm amarum! *Hæc ipsa*, inquit, *quæ supersunt, Deorum vestrorum fragmenta igni tradite. Sic enim fortasse vobis vtiles Dij fuerint, cùm aliqua ex illis exstiterit calcis copia.*

Et sanè nulli ferè poterant alij esse vsui; cùm essent, vti ex verbis eius colligitur, lapidei. E tali enim materia, vt plurimùm, conficiebantur, aut è ligno: quamuis interdum etiam ex auro vel argento, vel ære, vel orichalco, vel quouis alio in statuas idoneo. De dijs, & eorum fabricatione & cultu, & nulla vtilitate insigniter scripsit Baruch propheta, cap. 6. *Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari, ostentantes metum Gentibus.* &c. Et infrà: *Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum, inutile efficitur; tales sunt & Dij illorum.* Ornatus autem (vt indidem colligitur) erat talis: Amiciebantur veste purpurea, capite coronam auream gestabant, manu sceptrum, aut gladium, aut securim tenebant: lucernæ coram ijs accendebantur, hostiæ mactabantur. At enim, exceptâ hostiarum mactatione, inquiet aliquis, fiunt ista omnia in templis Christianorum, circa Sanctorum & Sanctarum statuas. Fiunt verò, sed in re alia, & alia de caussa, & sensu diuerso. Nam isti quidem idolis, tanquam Dijs, faciebant: Christiani autem statuis & imaginibus Sanctorum, non tanquam Dijs, nec tanquam diuis, sed tantummodo vt referentibus, & quodammodo repræsentantibus ipsos Sanctos. Deinde Gentilium ratio, quare illa idola colerent; vel erat, quòd vim diuinam inesse illis crederent, vel certè quòd eos, quorum idola essent, in Deorum loco haberẽt. Vtrumque autem stultum. Nam pro priori rectè probat propheta Baruch loco citato, nullam in operibus hominum esse diuinitatem: pro posteriori autem, quæ potest esse diuinitas in ijs, quorum ipsimet gentiles referunt, adulteria, lites, pugnas, cædes? Christianis verò caussa cultus Sanctorum, est ipsorum sanctitas vitæ, & honor in vnum verum Deum redundans; non autem, quòd existiment auro, argento, lapidibus, lignis vllam inesse adorabilem sanctimoniam.

Baruch cap. 6. ver. 3.

RELIGIONIS ET SVPERSTITIONIS QVANTA DIVERSITAS.

Postremò Gentiles externis tantùm cærimonijs, & ijs inutilibus, nec à Deo, sed à dæmonio procuratis idola sua afficiunt; aut si quid interni cultus & submissionis, tanquã inferiores superioribus, adhibeant, in inscitia & falsitate id faciũt. Nec enim Iuppiter, nec Apollo, nec eiusdem farinæ quispiam alius, (vtpote infimi & damnatissimi) viuis hominibus superiores sunt, aut esse possunt. Christianorum autem adoratio & veneratio erga Deum aut Sanctos, in spiritu sit & veritate: internis, inquam, & veris religionis actibus, ipso Deo mouente, & gratos habente, & præmijs remunerante. Nam sanctos honorant, vt amicos Dei, vt vita sanctè perfunctos, vt omnis virtutis & pietatis duces, vti verè sunt & habentur.

a *POSTQVAM IPSE SS. APOSTOLIS MANDAVIT* &c.] Duo hic producit S. Abercius Domini mandata, vnum de prædicando verbo Dei cum omni fiducia, sine tormentorum metu: alterum de fugiendo è ciuitate in ciuitatem, tempore persecutionis. Quæ quidem videntur quadam tenus contraria; sed tamen non sunt. Diuersis enim occasionibus iam vnum, iam alterum exequendum est; etiam in vna, eademque persecutionis tempestate. Quamdiu enim Pastoris vita seruandis ouibus est necessaria; fugere is debet, si quidem possit, è ciuitate in ciuitatem: sin martyrij & constantiæ exemplum (non defuturis eius loco alijs Pastoribus) magis est necessarium, & ipse cælesti confixus auxilio sustinere & superare se tormenta posse confidit; tum illi in statione sua manendum potiùs, & metu omni deposito, gloriosum pro Christo certamen ineundum est. Nituntur enim hæc ipsius Christi Domini, non doctrinâ tantùm, Matthæi 10. sed etiam exemplo; quæ vtraque persequitur egregiè S. Athanasius in Apologia pro fuga sua. Et doctrina quidem hæc est: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Et infrà versu 28. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Prius est de fuga: posterius de mortis constantia. Exemplum autem, est eius etiam tum infantis fuga in Ægyptum, metu Herodis; & pòst secessus in Nazaret, metu Archelai, Matthæi 2. & aliàs, natu grandioris egressio ex vrbe, & desertum versus profectio, metu Iudæorum, Ioannis 11. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. IESVS ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Cur autem hoc? quia scilicet needum eius hora sustinendę mortis aduenerat. Nam vbi aduenit, obuiam persecutoribus vltro processit, vt Matthæi 26. ver. 46. perscriptum est, vbi Dominus discipulis ait: *Surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet.* Sic & Abercius in eo sermone, quem ad suos fugam suadentes habuit, se in vtrumque paratum ostendit; seu mortem pro Christo oppetere, si maior eius gloria ageretur; seu fugâ periculum declinare, si adhuc necessarius foret, ac diuinus honor id postularet. Iuit ergo Dei ductum sequens in media pericula; & in ijs (vt proximo cap. referetur) non modò tutus fuit,

Matthæi 10. ver. 23. & seqq.

Ibid. ver. 28.

Ioannis 11. ver. 53. & 54.

Matthæi 26. ver. 46.

sed etiam patratis diuina virtute prodigijs, A ipsis hostibus ad Christi fidem cōuersis extitit venerandus.

AD CAPVT VI.

a ABSCESSERAT QVIDEM DOMO ABERCIVS &c.] Ea mente domo abscessisse Abercium, vt furorem declinaret persequentium, & furibundæ plebis tumultum sedaret, colligitur ex ipsiusmet B dictis capite superiori positis. Ait enim sibi deuitandos in præsentia persecutores, quādoquidem ita lex Christi iubeat. Et tamē, dum foris & in via fuit, non dubitauit in forum progressus, ibi consistere, & doctrinam Christianam publicè & palam edocere. Quod quidem illi & Christianis in perniciem vertendum nemo non dixisset, rem humanitus perpēdendo: sed secus vt eueniret, atque in magnam ipsorum non modò C securitatem, sed etiam laudem & gloriam verteret; diuinæ prouidentię admirabile consilium fuit. Nam plebis furorem & impetum in eum ingruentem, aliquot iuuenes obsessi à dæmonio, cum insanis motibus in medium procurrentes auerterunt, & ab Abercio sibi redditi, & in gyrum rationis reducti, cúmque cum Dei laudibus, tāquam salutis auctorem, consectantes multis exemplo ad fidem fuerunt.

DÆMONES ADIVRANT S. ABERCIVM.

b ADIVRAMVS TE, ABERCI, PER VERVM ET SOLVM DEVM &c.] Vt grauissimum est superbis humiliari, & alijs cedere; sic malignis spiritibus superbiâ & arrogantia elatissimis, nihil est grauius, quàm cogi ab homine mortali loco cedere; & corpora, quæ occuparint & inhabitauerint, relinquere. Et hoc sanè magnī ipsis tormenti loco est. Inde est illa ad S. Abercium, à quo se abigendos pręsentiebant, vehementissima per verum & solum Deum, quem ipse prædicaret, adiuratio; vt ne ante tempus eos torqueret, hoc est, è possessis à se corporibus, tanquam iniustos possessores depelleret. De hisce dæmonum, in depulsione, tormentis, locus est peregregius S. Cypriani, in libro ad Demetrianum, Proconsulem Africæ, Christianorum persecutorem, sub medium, vbi de falsis Dijs seu dæmonibus sic eum affatur. *O si audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eyciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana, & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur! Veni, & cognosce vera esse, quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede: aut, si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur audiente te, qui nunc pectus tuum obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit; videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras: videbis sub manu nostra stare vinctos, & tremere captiuos, quos tu suspicis & veneraris, vt dominos. Certè vel sic confundi in erroribus tuis poteris, quando conspexeris & audieris Deos tuos, quid sint, interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis, præstigias illas & fallacias suas non posse celare.* Sic ibi.

S. CYPRIANVS LIB. AD DEMETRIANVM.

DÆMONES COACTI VERA CONFITERI.

Talem in dęmonia potestatem exercuit Dominus, talem Apostolis & Apostolorum successoribus, ac Ministris ecclesiæ tribuit. Habemus eam expressam in euangelio S. Marci cap. 5. vbi spiritus immundus in homine obsesso *clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi IESV fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.* Gerasenorum scilicet, vbi tunc erat. S. Lucas cap. 8. ver. 38. habet petijsse, ne in abyssum mitterētur. *Et rogabant illum,* inquit, *ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* hoc est, in loca inferorum. Nam illuc mitti, maximo illis tormento est: propterea scilicet, quòd illis occasio nocendi hominibus, & in grauia peccata eos impel- D lendi adimatur: præterquam etiam, quòd vel solùm in illis locis detineri, & vagandi, quò velint, libertate priuari (quod tāquam naturæ suæ pessimum atque alienissimum habent) maximè illos excruciet. Nam alioqui etiam in hoc aëre (vbi ad extremum vsque iudicium pro exercendis hominibus relinquuntur) suis excruciantur supplicijs, & circumfusis ignibus concremantur. De tributa autem Apostolis eadem potestate E clarum est testimonium Matthęi 10. ver. 1. *Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eycerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.*

Marci cap. 5 ver. 7. & seq.

Lucæ 8. ver. 31.

Matthæi 10. ver. 1.

Quæ potestas ab illis ad successores trāsijt, & crescente postea dæmoniacorū multitudine, eorum curandorum munus ab Episcopis & Presbyteris & Diaconis ad inferiorem ordinem eorum, quos ducto ab ea F functione vocabulo ἐξορκιστὰς *exorcistas* seu *adiuratores* appellarunt, sub initia secundi sæculi translatum est.

EXORCISTARVM MVNVS.

Nec vlla exinde ætas fuit, in qua non frequenter, seu ab illis exorcistis, seu à Presbyteris, seu ab alijs ab Episcopo deputatis, seu etiam à sanctis Monachis, & alijs religiosis viris, dæmonia potenti virtute ex obsessorum corporibus depulsa sint. Eiusmodi enim exemplis tam sacra historia, quàm vitæ Sanctorū nouæ ac veteres plenæ sunt.

Lactan-

Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum in- A stitutionum cap. 16. tam de nocumẽtis dæmonum, quàm de eorundem expulsionibus hæc scribit inter alia: *Nocent illi quidem, sed ijs à quibus timentur: quos manus Dei potens & excelsa non protegit; qui profani sunt à sacramẽto veritatis. Iustos autem, id est, cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati de corporibus excedunt: quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt.* &c. Nec longè B pòst. *Itaque maximis sæpe vlulatibus editis verberari se & ardere, & iam iámque exire proclamant.* Et plura lib. 5. cap. 22. *Hi enim,* inquit, *quamdiu pax est in populo Dei, fugitant iustos & pauent: & cùm corpora hominum occupant, animásque diuexant, adiurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur: quo audito tremunt, exclamant, & vri se verberaríque testantur, & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti C & excruciati virtute diuini nominis exulant. Propter hæc verbera & minas sanctos & iustos viros semper oderunt.* Hęc Lactantius. Quæ & ante illum haud minùs disertè attigerat Minutius Felix in Octauio, vbi post alia, *Hæc omnia,* inquit, *sciunt plerique vestrûm ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties à nobis & tormentis verborum, & orationis incendijs de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus & Serapis & Iupiter, & quicquid dæmonum coli- D tis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur: Nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite. Adiurati enim per Deum verum & solum, inuiti miseris corporibus inhærescunt, & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat. Sic Christianos de proximo fugitant, quos longè in cætibus per vos lacessebãt.* Sic ibi. E

Non solùm autem dæmones adiurantur, sed ab illis quoque homines, quemadmodum hoc loco S. Abercius: immo adiurare & adiurari potest quælibet natura mẽtis & rationis compos, sed sola; non item res inanimæ. Nihil porrò aliud est adiurare, quàm quodam sacro metu violandæ religionis ac pietatis, quempiam ad id, quod volumus, adstringere. Sic Abraham, Geneseos 24. ver. 3. adiurat seruum seniorem do- F mus suæ, per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipiat vxorem filio suo de filiabus Chananæorum. Sic princeps Sacerdotum, Matthæi 26. ver. 63. adiurat Christum, *Adiuro te,* inquit, *per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Et spiritus immundus itidem Christum, Marci 5. ver. 7. *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Et Paullus Thessalonicenses, in epistola priore, cap. vltimo. *Adiuro vos per Dominum,* inquit, *vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* quasi dicat, per reuerentiam & amorem, quem Domino debetis, à vobis exigo, vt hanc legatis epistolam Christianis omnibus, qui sunt Thessalonicæ. Quòd si quis absque caussa talem adiurationem cõtemneret; etiam eum contemnere censebatur, per quem adiurabatur. Hinc & Christus ipse principi Sacerdotum, se adiuranti per Deum, est obsecutus: vt est apud Matthæum loco suprà citato.

Matthæi 26. ver. 63.

Marci 5. ver. 7.

Ad Thessalon. 1. cap. vltimo ver. 27.

1. ad Thessalonicenses, cap. vlt. ver. 27.

c *VT NE ANTE TEMPVS NOS TORQVEAS.*] Nolebant scilicet dæmonia tam citò suis eijci habitaculis: quippe quæ sibi ad longius tempus data arbitrabãtur. Nam quod alicui venit inuito & reluctanti, semper illi ante tempus venire, querimonia est. Torqueri autem ab S. Abercio dæmonia, nihil est aliud, quàm eijci. Testis Theophylactus in caput 5. Marci. Βάσανον νομίζουσιν οἱ δαίμονες, τὸ ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. Διό φασι μὴ βασανίσῃς, τουτέστι, μὴ ἐξαγάγῃς ἡμᾶς ἐκ τοῦ κατοικητηρίου ἡμῶν, ἤτοι τοῦ ἀνθρώπου. *Tormentum,* inquit, *reputant dæmones exire ex homine. Propterea dicunt: ne torqueas, hoc est, ne eijcias nos ex habitatione nostra, siue ex homine.* Vnde colligitur, quid ipsi per *ante tempus* intelligant hoc loco; nempe, citiùs quàm ipsi velint, & ipsorum iudicio, velut præmaturè. In quo sensu (qui maximè apertus, est & obuius) videtur & euangelij locus apud Matthæum cap. 8. ver. 29. intelligendus. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Nam quod Abercio quidem dixerunt, id non potuerunt de tempore iudicij intelligere; cùm nec ille tum futurus esset cum ea potestate, & ipsi dæmones iam multâ experientiâ scirent hoc etiam tempore se posse torqueri, nempe iam à Christo & Apostolis sæpius torti Quin & cùm dicerent ipsi Christo? *Venisti huc ante tempus torquere nos,* multis item experimentis didicerant omni tempore se torqueri posse, & ante Christum quoque à Iudæis fidelibus tortos fuisse, & ex obsessis corporibus vi exorcismorum eiectos.

Matthæi 8. ver. 29.

DÆMONVM DVPLEX POENA.

Notandum porrò duplicem esse dæmonum pœnam (sicuti & beatorum est duplex præmium) vnam essentialem, qua & beatitudine orbati sunt, & æternis ignibus addicti & alligati; qua pœna semper & necessariò atque etiamnum torquentur: alteram accidentalem, quæ est priuari libertate, per hunc mundum, quoquò velint, euagandi, & probos tentandi, & varijs modis in anima & corpore nocendi. Eam enim libertatem maximi faciũt, & ea spoliari plurimùm metuunt. Spoliantur autem, dum vel corporibus, quæ obsidere amant, exiguntur, vel certis regionibus expelluntur, vel in barathrum relegantur. Hinc apud

repellat, sed vltro etiam inuitet, atque adeo ad eos oneribus suis leuandos ac reficiendos se perhumaniter offerat. Benè porrò dicuntur peccatores laborare & onerati esse: cùm vel vnum peccatum letale, onus sit Ætna grauius, nec sit præter vnum solum Deum, qui impedire vi vlla possit, quò minùs hominem illo pressum in barathrum vsque deprimat, ac penitus opprimat. Sentiebat peccatorum pondus is, qui lugens dicebat: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Exemplum grauitatis peccatorum reddentis hominem immobilem, tametsi aliàs corpore sanum, vide in extrema vita S. Simeonis, monachi Treuirēsis, apud Surium 1. Iunij: vbi iuuenis quidam peccatorum suorum pressus pondere cùm ad sepulchrum eiusdem beati Simeonis, eo die quo altare ibidem à Poppone Archiepiscopo Treuirensi consecrabatur, intrare vellet, ita grauis ac ponderosus exstitit, vt nec se ipse intrò mouere, nec ab alijs moueri posset, donec de exoneranda flagitiorum sarcina admonitus, bene monentibus obtemperauit, & salutari peracta confessione leuior effectus, facilè suo marte intrauit.

PECCATI LETALIS GRAVITAS.

Psal. 37. ver. 5.

Surius tom. 3.

Notandum autem verba Christi Domini non tantùm capienda esse de labore, aut onere peccatorum, sed etiam de quouis alio, nempe morborum, rerum aduersarū, tentationum, & nominatim pro Iudæis, de onere cærimoniarum legis veteris: de quibus Scribas & Pharisæos Dominus incusabat, quòd eas multiplicarent, & grauiores obseruatu redderent, nec quicquam ad earum obseruationem adiuuarent. Sic enim Matthæi 23. versu 4. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Quæ synagogæ reprehensio, ne quando & in ecclesiam (quod Deus opt. max. & IESV benignitas auertat) peccatis nostris incidat, summopere cauendum est.

Matthæi 23. ver. 4.

b *DVM NOS HACTENVS CORPOREIS VOLVPTATIBVS TOTOS IMMERSIMVS,*] Fuerunt Gentiles & cuncti legis diuinæ ignari, insano quodam furore in prauas libidines proiecti; nec mirum. Quippe Deorum suorum exemplis ad imitationem inuitati. Hinc meritò Tertullianus in Apologetico cap. 9. *Proinde incesti*, inquit, *qui magis, quàm quos ipse Iuppiter docuit?* Nota nimis sunt Deorum inter se adulteria & infandæ libidines, ac multis decantata. Ab omni porrò spurcitie nulli abhorrent magis, quàm quos sanctæ Ecclesiæ puritas in sinu suo educauit. Nam hæreticorum iuuentus quam sit carnis corrupta illecebris, ipsa sibi testis sit. Vbi enim semel in istiusmodi voluptatis retia inciderint, captiui manent, nec se per humilis confessionis (quam nesciunt, aut contemnunt) ac seriæ pœnitentiæ sacramentum è pessimæ consuetudinis nexibus expediunt.

c *MALÆ CONSVETVDINIS DOMINATV MISERE PREMIMVR*] Sub tali se fuisse aliquando dominatu deplorauit S. Augustinus lib. 8. Confessionum, cap. 5. *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & cōstrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus.* De tali praua consuetudine scripsit ipse M. Tullius lib. 1. de legibus in medio, *Tanta est corruptela malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exoriantur que & confirmentur vitia contraria.* Libro autem 3 in Verrem sic exclamat: *O consuetudo peccandi quantam habes iucunditatem in improbis & audacibus, cum pœna abfuit, & licentia consecuta est!* De qua iucunditate non modò in illis improbis & audacibus, sed etiā in plerisque mortalibus egregiè scribit B. Clemens Alexandrinus in protreptico, post medium, hoc ferè sensu: *Quemadmodum cibis dulcibus delectamur, eósque propter voluptatis iucunditatem alijs præferimus: tametsi ea medeantur & sanent, quæ amara sint & sensum exasperantia, dum talis medicamentorum acrimonia eos, qui imbecilliore sunt stomacho, corroborat: sic delectat & titillat consuetudo, sed in barathrum impellit: in cælum autem deducit veritas, quæ aspera quidem primò est, sed bona puerorum nutrix.* Et sub finem; *Fugiamus ergo consuetudinem, tanquam scopulum difficilem, aut Charybdis minas, aut fabulosas Sirenes: suffocat hominem, à veritate auertit, abducit à vita: est laqueus, est barathrum* &c.

CONSVETVDINIS MALÆ PERNICIES.

M. Tullius lib. 1 de legibus.

Idem lib. 3. in Verrem post medium.

Denique quantum sit malum praua consuetudo; ipsæ quorundam populorum execrationes manifestum faciunt. *Cretes enim, cum acerbissima execratione aduersus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt; vt mala consuetudine delectentur, optant; modestoque voti genere efficacissimum vltionis euentum repeƒriunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio vicina dulcedo est.* Ita Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.

d *QVID TACVISTIS IMPIETATEM ET FRVCTVM EIVS MESSVISTIS?*] Hic locus est ex Osee Propheta desumptus, sed quò ad sensum duntaxat, non quò ad verba, & ex editione Septuaginta interpretum, vt moris fuit SS. Patribus primorum sæculorum. Habet igitur editio Septuaginta hoc modo, cap. 10. Osee, versu 13.

Ivα

Osee 10. ver. 13. Ἵνα τί παρεσιωπήσατε ἀσέβειαν, καὶ τὰς ἀδικίας A
αὐτῆς ἐξυγήσατε; ἐφάγετε καρπὸν ψευδῆ. *Vt quid tacuiſtis impietatem, & iniquitates eius vindemiaſtis? Comediſtis fructum mendacem.* S. Abercius autem ſenſu ſolo contentus extulit ſic: Ἵνα τί παρεσιωπήσατε ἀσέβειαν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτῆς ἐξυγήσατε; *Vt quid tacuiſtis impietatem, & fructum eius vindemiaſtis?* Quę ſententia cum priore concordat quidem ſenſu, ſed vnico verbo diſcordat, nempe τὸν καρπὸν. *fructum*, vbi Septuaginta habent B τὰς ἀδικίας, *iniquitates*. Senſus autem eſt: Cùm impietatem & peccata veſtra confiteri coram Domino & deflere deberetis, malè ea reticuiſtis, hinc fructum iniquitatis veſtræ recepiſtis, hoc eſt, puniti eſtis. Nullum enim parit alium fructum iniquitas, quàm pœnam & ſupplicia. Hunc autem Oſee locum aptè ſubiunxit S. Abercius cohortationi ſuæ ad bona opera & fructus dignos pœnitentiæ, nempe ad ieiunia, labo- C res, lachrymas, precationes, peccatorum & malarum cogitationum confeſſionem, quæ conuerſis ad fidem Gentilibus plurimum proſint, neglecta verò non minus obſint: immo faciant, vt exprobrari poſſit illud Oſee: *Vt quid tacuiſtis impietatem* &c. ſicut modò explicuimus.

Nota porrò locum hũc editionis Septuaginta in Biblijs Regijs, opera Benedicti Ariæ Montani editis, minùs rectè & diſtinctè D haberi, & corrigẽdum eſſe ex editione Romana Sixti & Aldina & Baſileenſi, vt ſuprà poſuimus, & quò ad primam partem, etiam ex verbis S. Abercij. Nam bibliorum iſtorum corrupta lectio ſic habet: Τί παρεσιωπήσατε ἀσεβείας, καὶ τὰς ἀδικίας αὐτῆς· ἐξυγήσατε, ἐφάγετε καρπὸν ψευδῆ. *Quid tacuiſtis impietates, & iniquitates eius? Vindemiaſtis, comediſtis fructum mendacem.* Igitur pro τί, corrige ἵνα τί. pro ἀσεβείας corrige ἀσέβειαν. E alioqui loco αὐτῆς deberet eſſe αὐτῶν. Et poſt αὐτῆς nullum debet eſſe punctum: ſed poſt ἐξυγήσατε debet eſſe nota interrogationis; Et in latina conuerſione corrigendum ſimiliter, & pro *impietatès* ponendum in ſingulari *impietatem*, & ſignum interrogationis transferẽdum eſt poſt vocem *vindemiaſtis*. Tranſlatio B. Hieronymi habet tantùm ſic: *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij*. Chaldaica F autem paraphraſis: *Machinati eſtis rapinam, impietatem commiſiſtis, recepiſtis retributionem operum veſtrorum*. Origo diuerſæ interpretationis orta eſt è voce hebræa חרש *charas*, habente varias ſignificationes, quarum prima & vſitatiſſima eſt *tacere*, *ſilere*, quam Septuaginta Interpretes amplexi ſunt: ſecunda *arare*, *ſeminare*, quàm Hieronymus elegit, dicendo *Araſtis impietatem*: meliùs tamen dixiſſet, *ſeminaſtis*. Non enim aratur impietas, ſed ſeminatur: ſicut & lolium nõ dicitur arari, ſed ſeminari: ſola enim terra propriè aratur, cuius rationem tenet anima: vt ſicut in terram bonum aut malum ſemen inijcitur; ſic in animam virtutes aut vitia. Deinde idem metitur, quod ſeminatur, meti autem dici non poteſt id, quod aratur. Tertia *excogitare*, *machinari*. qua ſignificatione vſa eſt paraphraſis Chaldaica paullò altiùs poſita. Iam (vt metaphoræ illæ ſeminationis, meſſionis, & comeſtionis panis mendacij explicentur) cum dicitur in anima ſeminari impietas, cùm eius committendæ propoſitum & ratio corde voluitur & agitatur: tunc autem meti, cùm ad opus ipſum peruenitur, & delectatio capitur, quemadmodum agricolis in meſſe accidit: denique comedi fruges mendacij ſiue mendaces, cùm tandem pro eo, quod ex talium vſu operum & peccatorum bona ſperabantur, è contrario mala maxima & intolerabiles cruciatus exiſtunt. Ita Iudæis circa Chriſti Domini interfectionem accidit. Nam ſeminarunt impietatẽ, dum conſilia inierunt eius comprehendendi, excruciandi, crucifigendi: meſſuerunt autem, dum hæc opere complerunt: comederunt verò frugem mendacij, dum & gentem ſuam & regnum (quæ Chriſti morte ſalua ſibi fore ſperabant) perdiderunt.

BIBLIORVM REGIORVM LOCVS CORRECTVS.

d *ET VVLNERVM VESTRORVM NEC TENVE RELINQVETVR VESTIGIVM*] Ita prorſùs in græco: Καὶ οὐδὲ ἴχνος ὑμῖν τῶν τραυμάτων ὑπολειφθήσονται. Eſt porrò hic totus Abercij de pœnitentia & bonis operibus ad Gentiles recenter conuerſos locus, planè illi ſimilis & eodem ſpiritu dictus, quem Iſaias cap. 1. ver. 16. vſurpauit, cùm dixit: *Lauamini, mundi eſtote, auferte* Iſaiæ cap. 1. ver. 16. *malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſe: diſcite bene facere: quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. id eſt, ita delebuntur peccata veſtra, ita animę vulnera ſanabuntur; vt nec horum cicatrix vlla appareat, neque illorum tenue extet veſtigium; ſed mundiſſimi ab omni ſorde peccati, & ab omni animæ plaga, futuri ſitis quàm ſaniſſimi. Quæ vtriuſque verba tam Abercij in textu vitæ poſita, quàm hæc Iſaiæ modò producta permagno ſaucijs animabus, & omni flagitiorum genere inquinatis poſſunt ac debent eſſe ſolatio.

e *ECCE HORA DIEI NONA* &c.] Exemplo Apoſtolorum horam diei nonam ſacris precationibus dedicarat Abercius, vt hinc & ex alijs locis colligitur. De Apoſtolis

lis quidem, ipsorum testantur Acta, cap. 3. ver. 1. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

Actorum 3 ver. 1.

HORARUM AD SYNAGOGÆ ET ECCLESIÆ PRECES DIVISIO.

Est autem hora diei nona, eadem quæ tertia pomeridiana. Nam horæ diei ab ortu solis munerabantur; ita vt sex ante meridiem, & totidē quoque essent post meridiem: & cùm Iudæi pro ratione sacrificiorum & orationum, ac post eos primi Christiani diem diuiderēt in 4. partes, primam, tertiam, sextam, nonam, vocabant primam B quę ab ortu solis, seu diei initio, tres horas continebat, tertiam quæ à tertia diei hora vsque ad sextam procurrebat: sextam similiter, quæ à sexta diei hora siue à meridie vsque ad nonam protendebatur, hoc est vsque ad tertiam pomeridianam: nonam itidem quæ à nona vsque ad occasum solis. Hæc est vera diuisio & designatio partium diei, ab antiquissimis olim & nunc à doctissimis vsurpata: nec videtur mihi illa ratio, C quam init Baronius ad annum Christi Domini 34. vbi de hora passionis disputat, æquè esse probabilis. Nam ipse eam, quam nos vocamus primam, vocat tertiam; & quam nos tertiam, ipse sextam; & quam nos sextam, ipse nonam; & quam nos nonam, ipse vesperam: ita vt iuxta ipsum è 4. partibus diei nulla vocetur prima, & sine prima inchoetur numeratio partium diei à tertia, ita vt singulæ partes nomen accipiāt, D non a principio, sed à fine. Et hoc quidem, vt apparet, propter verba S. Petri Actorum 2. ver. 15. *Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.* Illa enim citat, & vim negat habitura, si per tertiam intelligatur spatium, quod est ab hora diei tertia vsque ad sextam. *Sanè quidem,* inquit, *si, vt illi volunt, hora TERTIA producebatur vsque ad SEXTAM; quid adeo mirum & inusitatum significasset Petrus, illos non esse ebrios, eò* E *quòd esset hora diei TERTIA, cùm iam pransos esse eâ horâ, quæ terminaretur ad SEXTAM, potuisse non sit dubium?* Sic Baronius.

Actorum 2. ver. 15.

BARONII CONTRA PRIOREM HORARUM DIVISIONEM OBIECTIO.

Respondeo autem eius argumentū in duobus, quibus præcipuè innititur, fulcimentis deficere ac collabascere. Nam prius ponit, quasi Petrus per TERTIAM, intellexerit totum spatium vsque ad SEXTAM, minimè sic est; sed initium illius spatij, seu horam primam è tribus, ita vt nondum esset F quarta diei hora, aut saltem nondum esset quinta, nedum sexta. Voluit enim procul dubio S. Petrus aliquod restrictè tempus determinatum ac minus latum designare: immo verba faciens ad populum non videtur alio, quàm populari modo locutus esse, & tertiam appellasse eam, quę à quarta distinguitur, eámque pręcedit, nec pluribus quàm quatuor constat quadrantibus, vti etiamnū hora in populis appellatur. Posterius autem illud, quo dicit *iam pransos esse ea hora, quæ terminaretur ad sextam, potuisse,* etiā falsum est. Nam prandium inchoabatur demum hora sexta diebus solemnibus apud Iudeos, & quidem satis diu durabat, & maximè si ad ebrietatem vsque biberetur, vti bibisse Apostolos iudicabant ij, qui eorum cælestem eloquentiam allatrabant, & spiritum nouum musto attribuebant. Ecce autem de hora prandij, locus FLAVII IOSEPHI, Iudæi & Sacerdotis, in libro de vita sua, post medium, vbi instantem populi tumultum superueniente in sabbato legitima prandij hora impeditum fuisse indicat: Πάντως ἂν εἰς στάσιν ἐχώρησαν, εἰ μὴ τὴν σύνοδον διέλυσεν ἐπελθοῦσα ἕκτη ὥρα, καθ' ἣν τοῖς σάββασιν ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν. *Omnino,* inquit, *in seditionem iuissent, nisi conuentum soluisset superueniens hora sexta, qua nobis sumendi prandij in sabbatis legitima est.* Ex quibus verbis videtur etiam quadam tenus colligi, datum esse ad singulas horas aliquod signum, seu tubā, seu quouis alio modo, vt quotæ essent, intelligeretur, & suis omnia temporibus fierent. Populus igitur, qui auditis in cœtu litteris minùs sibi placentibus, propè à tumultu aberat, vbi signum aut indicium sextæ horæ audijt, (quā vel lex, vel consuetudo sabbatis ac festis diebus sumendo prandio addixerat) statim soluto conuentu abijt. Hic porrò apud Iosephum *SEXTA*, non est pars aliqua diei, tres horas continens; sed hora vnica, nempe ab ortu solis sexta. Sicut ibidem paullò antè cùm dixit: Τῇ δὲ ἐπιούσῃ, περὶ πέμπτην ὥραν ἐν Γαβαρὼθ γενόμενος, εὑρίσκω πᾶν τὸ πεδίον τὸ πρὸ τῆς κώμης ὁπλιτῶν πλῆρες. *Postera verò die, circa quintam horam profectus Gabarotham, inuenio totum campum ante vrbem armatis plenum.* Vbi per *quintam horam*, intelligit *quintam diei*, & illam vnicam: itidémque & alij Auctores, etiam sacri; nisi si quid occurrat, quod ad alteram interpretationem cogat recurrere. Vnde & S. Petrus per tertiam diei horam, vnicam tantùm horam intellexit, quæ inter duodecim diei est numero tertia, nempe ab ortu solis.

FLAVII IOSEPHI LOCUS DE HORA PRANDII, IN SABBATIS.

SEXTA HORA QUID SIT APUD IOSEPHUM

De consuetudine autem orandi hora nona, quæ à ritu Iudæorum ad Apostolos, & ab Apostolis ad successores, deinde ad omnes ecclesias defluxit, multi scripserunt, atque ij fere omnes, qui De horis Canonicis ediderunt. E quibus est & æqualis meus atque in Theologia condiscipulus P. Oliuerius Bonartius, qui nuper tres libros De institutione horarum canonicarum apprimè accuratos emisit. Is lib. 1. cap. 2. de earum in veteri testamento adumbratione sic inter alia: *Adeo verò certam est preces Canonicas originem ducere ab Hebræis (apud quos stata erant orationis hora) vt etiam Caluinus in cap.*

Oliuerius Bonartius lib. 1. De institut. horarum canon. cap. 2.

cap. 3. *Actorum illud fateatur.* De tribus temporibus, quibus orabant Iudæi, expressum est Danielis exemplum, in libro eius, cap. 6. versu 10. ubi sic de illo: *Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cenaculo suo contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut ante facere consueuerat.* Ad quæ verba S. Hieronymus, *Erat autem,* inquit, *secundum præceptum Dei, dictaque Salomonis, qui contra templum orandum esse admonuit. Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam horam, sextam, & nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere ad orationem ascendit in cenaculum. Nona Petrus & Ioannes pergebant ad templum.* Sic ille. Igitur de primo sæculo hic habemus exemplum Apostolorum: de secundo autem, nostri Abercij hic, & cap. X. vitæ eius, quantum quidem ad nonam attinet. De alijs videri possunt iam laudatus Bonartius, & qui ex nostris quoque fuit, & inter nos sanctissimè mortuus est, Benedictus Herbestus; *qui horarum canonicarum scripsit Rationarium. Hic exactis feliciter sanctéque in nostra Societate XXII. annis, anno SALVTIS M. D. XCIII. flexis humi genibus,* (vt Petrus Ribadeneira in suo Scriptorum catalogo scriptum reliquit) *mortuus repertus est.* Nempe cui carissimum erat & familiarissimum, flexis genibus cum Deo colloqui, eiusque spiritum bonum recipere, is hoc accepit à Deo singularis beneficij, vt & suum illi flexis humi genibus, inter pios precatus redderet. Sic olim & Paullus primus eremita inuentus est à S. Antonino Abbate flexis genibus, viuo & precanti similis, sed mortuus. Sic & S. Homobonus Confessor, cùm propinquante mortis hora vesperi ad templum accessisset, ibique in precationibus vsque ad horam diei primam ex more pernoctasset; dehinc ab introitu sacrosancti sacrificij, flexis genibus, iunctisque manibus, ante Crucis vexillum, vsque ad *Gloria in excelsis Deo,* prostratus perseuerauit, cumque ad euangelij lectionem non exsurgeret, à circumstantibus mortem obijsse deprehensus est. Ad cuius sepulchrum multa deinceps edita sunt egregia miracula. Vide Petrum Equilinum lib. X. Catalogi Sanctorum, cap. LVI.

Danielis 6. ver. 10.

BENEDICTVS HERBESTVS SCRIPTOR.

GENIBVS FLEXIS MORTVI.

Atque hoc est genus mortis longè felicissimum, quod & mihi, meisque amicis optem à Domino & in Domino contingere.

AD CAPVT VIII.

Referuntur in hoc cap. fructus à S. Abercio ex doctrina & miraculis reportati.

a *POLLEBAT ENIM ET IPSE GRATIA SANITATVM*] Sic vocat Apostolus Paullus eam facultatem, quæ in prima & nascente Ecclesia dabatur ad sanandas infirmitates, cum in priore ad Corinthios, cap. 12. dicit. *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum. alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum.* Notandum autem illud, *ad vtilitatem,* ad omnia referri inferiora, & per hoc distingui ea, quæ fideles Dei serui faciunt admirabilia, ab ijs quæ inimici Christi & falsi prophetæ interdum designant. Nam illi omnia ad vtilitatem & fructum animarum cum Dei honore coniunctum referunt: hi autem ad populi inanem plausum, & suæ gloriæ commodiue captationem cuncta dirigunt. Quantum porrò Abercius non sibi, sed Deo & ecclesiæ lucrum patrandis miraculis acquisiuerit, in vitæ contextu dicitur. Nam de gratia sanitatum, quæ in illo multa fuit, tam Actorum eius historia, quàm Menæi Græcorum sacræ tabulæ contestantur. Illa enim sic habet: Ὁ μὲν οὖν ἀνέστη, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπέθηκε χεῖρας τοῖς κακῶς ἔχουσιν ἐπ' αὐτοῖς, ἔσβεσέ τε αὐτοῖς τὰς ὀδύνας, καὶ πρὸς τελείαν ὑγείαν ἐπανήγαγεν. *Ille igitur surrexit, & sacras illas manus male habentibus imposuit, & dolores ipsorum restinxit, atque ad perfectam sanitatem reduxit.* Sacræ autem tabulæ eum vocant θαυμάτων πολλῶν καὶ ἰάσεων αὐτουργόν, *multorum miraculorum & curationum effectorem.* Item ἀχείρωτον πηγὴν τῶν ἰαμάτων, *inexhaustum fontem sanationum.*

1. ad Corinthios, cap. 12.

ABERCII CVRATIONVM ELOGIA.

b *TIBI, INQVIT, GRATIAS AGO.* &c.] Est hæc tota oratio & gratiarum actio in Cod. Ms. & totidem ferè verbis, Sic autem incipit: Εὐχαριστῶ σοι δέσποτα &c. *Gratias tibi ago Domine* &c. Bonum est res magnas & naturę communem modum superantes aggredienti, à gratiarum actione exordiri. Ita ipse Dominus IESVS (quem libenter Abercius imitabatur) in resuscitatione Lazari triduo mortui fecit, Ioannis XI. ver. 41. *IESVS autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, magna voce clamauit: Lazare, veni foras.* &c.

c *BAPTISMO INITIATI SVNT NVMERO QVINGENTI*] Id ex Actis græcis sumptum est, vbi sic notatum: Τελειοῦνται τῷ βαπτίσματι ἄνδρες πεντακόσιοι τὸν ἀριθμόν. *Initiat baptismate* [Abercius] *viros numero*

mero quingentos. An soli viri tum baptizati fuerint, an verò & feminæ quidem, sed virorum dumtaxat exprimere numerū Scriptor voluerit, non satis exploratum est. Nam talis virorum recensio, non comprehensis mulieribus, in sacris quoque litteris nonnunquam est vsurpata, tametsi quod viris attribuitur, nō minùs ipsis cōueniret.

d *NON MODO E MAGNA PHRYGIA* &c.] Factum esse concursum in paruam Phrygiam ad S. Abercium, non solùm è magna Phrygia & ex vicinioribus locis, sed etiam ex Asia, Lydia, Caria, (quò eius sanctitatem, & prodigiorum facultatem in curandis morbis, abigendis dæmonibus, alijsque admirandis operibus patrandis fama detulerat) disertè in Actis Græcis expressum est. Sic olim ad Christi famam mira circa homines prodigia designantis, vndique (vt Marcus cap. 3. ver. 6. & deinceps scribit) concurrebatur. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare*, inquit, *& multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trās Iordanem: & qui circa Tyrum. & Sidonem multitudo magna audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.* Sic item ad Petri curationum famam concursum esse, testis est Lucas, Act. cap. 5. ver. 16. *Concurrebat autem*, inquit, *& multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes*. Ex his collige, quàm cōueniens ad celerem Gentilium & quorumcunque hominum conuersionem fuerit gratia illa curationum quæ Apostolis, eorúmque discipulis à Domino tributa est.

FAMA SANCTITATIS ET PRODIGIOSARVM CVRATIONVM.

Marci cap. 3. ver. 6.

Actor. 5. ver. 16.

AD CAPVT IX.

COmplectitur hoc caput nobilis matronæ liberationem à cæcitate; vnà cum S. Abercij, in depellenda prius ex animo eius infidelitate, insigni prudētiā. Dein ex occasione gratissimi erga benefactorem animi, subinde ingrati de tali aut maiori beneficio redarguuntur. Totam miraculosæ curationis rationem decerpsi ex Actis græcis manu scriptis, quæ & nomen feminæ, & dignitatem proferunt, vt sequitur:

a *ILLVSTRIS FEMINA, PHRYGELLA NOMINE, MATER EVXENIANI POPLIONIS*] Tāto celebrius hoc exstitit miraculū, quanto in digniore persona expressum. Erat autē Poplion ille, vnus ex ijs, qui primæ erant apud Imperatorē auctoritatis, siue, vt græca habent, ὃ δὲ ἦν τῶν παρὰ τῷ αὐτοκράτορι τε καὶ τῇ πόλει πάσῃ τὰς πρώτας ἐχόντων τιμάς. *Hic erat ex ijs, qui apud Imperatorem, & totam vrbem primos obtinebant honores.* Quis autem ille Imperator? Nempe M. Aurelius Antoninus, is cuius & initio horum Actorum facta est mentio, & rursus posthac fiet.

b *MISERERE, INQVIT, MEI* &c.] Tota hæc deprecatio in ijsdem Actis, seu græco cod. MS. continetur: vti & Abercij plena modestiæ, fidei, sapientiæ responsio. Hæc enim actum FIDEI ab illa expressit, & diuinæ lucis beneficio dignam fecit.

c *SICVT EI, QVI CÆCVS A NATIVITATE FVERAT* &c.] Affert Abercius cæci à natiuitate exemplum e cap. 9. S. Ioannis. versu 1. & deinceps: quem cæcum Christus Dominus oblitis cœno oculis, & in natatoriā Siloë ablutis (sic enim iusserat) visus compotem fecit. *Et præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate.* &c. At enim, inquiet aliquis, inepta & sine fructu illa exempli quod mulier Gentilis & Scripturæ ignara nesciat, tam breuis & fugax indicatio. Illi enim narratio mihi videtur persimilis, qua quis diceret homini res Indiæ prorsus ignoranti: ditaberis sicut ille in India olim mendicissimus. Cui enim rei illa verba, cum nec hic de illo mendicissimo quicquam audiuerit nec illa de cæco à natiuitate nato? Respondetur tamen satis illa verba significationis apud cęcam habuisse: quòd intelligeret ex præsenti, quo de agebatur negotio, & ex verbis consequentibus, apertos esse alicui cæco à natiuitate oculos, idque à Deo quem Abercius prędicaret. Dicebat enim ille: *Si Deo, cui ego credo, & tu quoque credideris, potest ille omnino tibi, sicut ei qui cæcus à natiuitate fuerat, visum reddere.* Quasi diceret: Reddidit Deus meus cæco nato visum, reddet & tibi, si credideris ei. At vero, inquies, ille cæcus non credidit ei qui visum reddidit, nisi postquam visum accepit. Nam eodem cap. S. Ioannis refertur, quomodo iam illuminatus, à Pharisæis è synagoga eiectus & excommunicatus fuerit, propterea quod de IESV ex ipsorum sententia nō respondisset: & quomodo IESVS hoc audito, cum eum inuenisset, dixerit ei: *Tu credis in filium Dei?* ille responderit: *Quis est Domine, vt credam in eum?* & dixerit ei IESVS. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* ac demum ille subiecerit: *Credo Domine* & procidens adorauerit eum. Igitur nunc primum credidit in Filium Dei, non verò antequam in natatoria Siloë eius aperirentur oculi. Vnde videtur etiam ipsi Phrygellæ debuisse, aut potuisse aperire oculos, antequam crederet, nec pro impetranda fide ante oculorum eius apertionem quippiā valuisse, nec ad rem pertinuisse illius à sua natiuitate cæci exemplum. Vtriusque enim eandem videri esse rationem.

Ioannis 9. ver. 1.

Respondeo tamen longè diuersam esse inter eos rationem 1. quod illa Gentilis esset,

ſet, atque vnius veri Dei penitus ignara: hic A autem fidelis, & veri Dei cultor; vtpote Iudæus, ac proinde & ſanctæ ſynagogæ membrum, à qua immeritò & iniuſtè propter Chriſti confeſſionem poſtea reſciſſus eſt & excommunicatus. *Iam enim conſpirauerant Iudæi*, inquit idem Ioannes, *vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* id eſt, excommunicaretur, ſeu excluderetur à cœtu fidelium. Vnde idem cæcus, vnus ex primis fuit, qui B pro Chriſto iniuriam & ignominiam paſſi ſunt: atque illo nomine admodum felix & fortunatus. 2. Quòd hic, tametſi expreſſam & explicitam, vt Theologi loquuntur, in Chriſtum, vt Dei Filium, fidem non haberet; tamen implicitam, & virtualem, vt ſic loquar, perinde atque alij, qui ante Chriſtum è populo Iudæorum fideles erant, habebat: illa verò omnis in Chriſtum fidei expers erat. C

Ioannis 9. ver. 22.

Adde illum cæcum ſua modeſtia & humilitate, qua ſibi luto oblini oculos permiſit; & promptâ cæcâque obedientiâ, quâ Chriſti iuſſu ad natatoriam Siloë, oblitis & deturpatis ſic oculis, per medium populum iuit, magno argumento fuiſſe, non mediocrem illi exiſtere erga Chriſtum FIDEM, quam deindę ſuper eâ interrogatus & edoctus, clariſſimè exprompſerit. Atque hoc de ea quæſtione ſatis. D

d *ILLA DAVIDIS TVI EXPROMERE*] Sed vnde, inquiet aliquis, Gentili mulieri iſta Dauidis & pſalmorum cognitio & memoria? Nam & mihi aliquando fuit ſuſpicio, ab Actorum ſcriptore, aut deſcriptore potius, fuiſſe hæc adiecta. Verùm re maturiùs perpenſa, & Actorum fideli ſinceráque ſerie attentius conſiderata, prorſus ſentio eam mulierem, non modò inaudiſſe antea de fide Chriſtiana quippiam, vt- E pote vrbis primariam, & à cæcitate, vt ſolet, rerum nouarum ſtudioſam, ſed etiam à Chriſtianis aliquibus, ſeu domeſticis, ſeu alijs, tam de miraculis Chriſti, & ſectatorũ eius, quàm de libris ſacris edoctam eſſe, ſibique ex illis quę forent ad ſolatium, (quid autem magis quàm pſalmi Dauidis?) legi curaſſe, ac ea potiſſimùm retinuiſſe, quibus ſua in mentem redibat calamitas. Nec mihi etiam dubium, quin è conſanguineis, vel F propinquis eius aliqui Chriſtiani, quibus erat ſtudium propagandæ fidei, frequenter ex caritate eam adierint, fidei rudimentis imbuerint, pijs collocutionibus recrearint, ac ſenſim ad amorem diuinæ legis accenderint. Quin & verba filij eius Euxeniani habita cum Abercio nõ diu poſt redditum matri viſum, ſatis teſtantur, iam anteà non mediocriter eam fuiſſe myſterijs fidei inſtructam.

Cùm enim idem Euxenianus veniſſet ad Abercium gratias pro tanto in matrem beneficio acturus, dixit inter alia, ſępius audiſſe ſe à matre, de Dei bonitate pios magnificè remunerantis, ac de eius itidem ſeueritate impios grauiter vindicantis, vti capite XI. vitæ perſcriptum eſt: quæ cauſſa fuit, cur & nonnullas illi quæſtiones proponeret, quas ad idem caput explicuimus.

Matronæ porrò honoratæ fidem & modeſtiam commendat, quòd Abercium non accerſiuerit, ſed acceſſerit, & quidem manu ducta, & feſtinatò, & perhumaniter ac peramanter eum ſalutauerit & deprecata ſit: ac poſt receptum viſum tam grata & erga Deum & erga benefactorem fuerit. Locum autem Dauidis nec integrum, nec eodem prorſus ſenſu, quo ille, protulit, ſed ad cæcitatem ſuam & facilem offendendi atque impingendi occaſionem accommodato. Nam integer illius pſalmi 114. verſiculus ita habet: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.* Vbi Dauid ſe Deum diligere & gratias ei agere dicit, quia illum eripuerit e periculo mortis, & lapſu in manus Abſalonis eum perſequentis, atque etiam è magnis, quos inde perſentiſcebat, doloribus vberes lachrymas elicientibus.

e *VERE ENIM SERVATA SVM* &c.] Huius ſententiæ poſteriorem partem paullo aliter habet Aloyſius Lipomanus, nempe ſic: *Verè enim ſum liberata ab offenſione: neque greſſus animæ ſunt minores greſſibus corporis:* vbi poſterior pars nec ſatis græco textui reſpondet, nec ſenſui. Sic enim græcus codex: Ἐῤῥύσθην γὰρ ἀληθῶς τοῦ προσκόπτειν οὐδὲν ἧττον τῶν σωματικῶν, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς διαβήματα. *Seruata enim verè ſum ob offendendo greſſus animæ non minùs quàm corporis.* id eſt, non minus ſeruata ſum, ne animâ offenderem, quàm ne corpore. Qui ſenſus eſt planus, & reſpondens ſuperioribus ſententijs, & græco textui, qui non habet diſtinctionem eam, quæ ponitur à Lipomano faciente duo membra, cùm ſit vnicum. Neque enim poſt verbum προσκόπτειν, quod eſt, *offendere, impingere*, vlla eſt diſtinctionis nota. Debuiſſet autem eſſe, iuxta ipſius verſionem & editionem.

f *MAGNVS ES O CHRISTIANORVM DEVS* &c.] En fructus verorum à ſeruis Dei miraculorum, diuinæ ſcilicet maieſtatis atque in ſuos benignitatis, ex ore Infidelium, clara & publica confeſſio: quam & vnicè quærebat eius fidelis ſeruus ac legatus Abercius, non ſuam (vt falſi prophetæ & hæretici doctores) laudem & gloriam. Sic poſt Domini IESV prodigia, & nominatim (vt in ſimili proferamus exemplum) poſtquam cæcum illum apud vrbẽ Iericho illu-

illuminauit, qui propter viam mendicans A clamabat: IESV, FILI DAVID MISERERE MEI, populus qui aderat,& ex cæco videntem videbat, Deum datorem lucis laudare cœpit, atque, vt Lucas ait: *Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.* Sic Matthæi cap. 15. turbæ post multa eiusdem Domini miracula, *videntes mutos loquētes, claudos ambulantes, cæcos vidētes, magnificabant Deū Israel.*

Lucæ 18. ver 38.

Matthæi 15. ver 31.

g *NAM HIC TANTISPER DETINET*] Hæc & quæ sequuntur verba, concitandę B erga Deum actioni gratiarum seruiunt. Ea enim mente ad scribendas genere quodam exornatorio, & stilo sanctorum Patrum æmulo, hasce vitas animum adieci, vt interiectis opportunè nonnullis morum ex virtute instituendorum documentis, vtiliores simul & sapidiores redderem, adeóq; boni instar filij, Patris ęterni gloriam, & fratrum meorum salutem vndique venarer. Quò valde iuuat, beneficiorum à Deo recepto-C rum nos esse memores, & in omnibus *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Nam ingratis aufert Deus quod dedit,& donat gratis quod illis abstulit. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Matthæi 25. ver. 29. id est, Is qui gratus est de acceptis à Deo be-D neficijs, & ijs ad laudem & gloriam eius vtitur, plura accipiet & abundabit: qui autem ingratus est, nec magis vtitur donis acceptis, quàm si non haberet; etiam ea quæ habet, aut videtur habere, cùm non habeat, (vti scilicet habenda sunt ad vsum & lucrum) auferentur ab eo. Ingrati enim sanè cēsendi sunt, quicumque gratis beneficia à Deo acceperunt cum mandato ijs vtendi ad eius gloriam, si illis vti negligant. E Quare meritò illis priuantur. Magna proinde nobis incumbit necessitas bene vtendi Dei beneficijs,& continuò pro ijsdem gratias agendi, siue vt accipiamus noua, siue vt retineamus accepta. Nec abs re fuerit interdum cum animis nostris cogitare, quantum vellemus pro alicuius amissi sensus recuperatione, vel dare, vel facere, vel pati. Nam hæc cogitatio non parum habet virium ad diuini æstimationem beneficij, & F ad gratiarum super eo obtento actionem excitandam. Fuit enim in hac vrbe Duaco, (vt hoc obiter dicam) haud ita pridē mulier quædam vtroque valens oculo, sed tāti boni fructum non aliter, quàm multi vulgò solēt, æstimans; verùm postquam vnum ex illis insidente morbo perdidit, tùm verò & boni amissi magnitudinem, & factæ iacturę grauitatem seriò cœpit apprehendere, ac simul pro alterius conseruatione Dominum sedulò deprecari. Nam cùm illi vna ex amicis de legendo quotidie vno rosario in VIRGINIS honorem, pro retinenda alterius oculi vsura, consilium suggereret; *Atqui, propterea*, inquit, *duo nunc quotidie lego, vt hunc vnum oculum non amittam.* Ita nimirum tam in animi facultatibus, quàm in corporeis sensibus, quanta sint Dei opt. max. beneficia, carendo magis intelligimus, quàm fruendo.

Colos. 1. ver. 12.

Matthæi 25. ver. 29.

GRATIARVM PRO RECEPTIS BENEFICIIS AGENDARVM NECESSITAS.

OCVLORVM ÆSTIMATIO POST IACTVRAM.

Ita terræ patriæ dulcedinem multò magis illi agnoscunt, qui vel lōgè peregrinati, ab ea diu abfuerunt, vel quopiam aduerso casu solum vertere compulsi sunt; quàm ij qui aut semper in ea vitam transegerunt, aut ab ea haud diutius, quàm voluntas & voluptas ipsis fuit, abfuerunt. Vnum quidem Vlyssis errores testati sunt, alterum Marci Tullij relegatio declarauit.

AD CAPVT X.

EXhibentur hoc cap. tria sancti viri in aperiendis trium cæcarum mulierum oculis miracula, sed eadem visis quibusdam raris illustrata. Sunt autē tota, vt hîc iacent, in Actis græcis.

a *ERAT AVTEM HOC LVMEN, NON QVALE ALIAS, AVT A SOLE RADIAT,* &c.] Græcè totidē ferè verbis in MS. Cod. ita vt lumen illud cæleste magis per negationes, quàm per affirmationes (quemadmodum in omnibus diuinis, teste Dionysio Areopagita, accidere necessum est) explicari debuerit, & meliùs ac veriùs potuerit.

LVMEN È CÆLO ADMIRABILE.

Hoc porrò fuit in illo lumine admirabilissimum, quòd alios ibi præsentes suâ vehementiâ solo afflixerit, solas mulieres cæcas non prostrauerit, sed rectas & stantes, vti erant, reliquerit & illuminarit.

Deinde quòd videntium oculos nihil læserit, nec caligine aliqua, (vti natum est fieri, & in Paullo quondam factum est) diuturna molestáue affecerit. Nam in illos etiam incubuisse, videtur ipsa eorum in terram prolapsio denotare: nisi tamen magis timori & horrori subitaneo, ex re tam insitata, quàm ipsi lumini in ipsos ingruenti caussa attribuenda sit. Benedictus autem ille Pater luminum, qui qualia vult è thesauris suis educit lumina, & quæ ad tempus excęcent videntes, & quæ in tempore illuminent cæcos, & quæ vnà cū cæcitate corporis, deterrimā animæ exterminent cęcitatē.

b *ECQVIDNAM EST, QVOD VOBIS APPARVIT* &c.] Interrogauit Abercius, quidnam illæ tres mulieres, post acceptam videndi facultatem, primùm vidissent; non sanè ex curiositate, sed ex studio diuina opera cognoscendi, & admirandi, & venerandi: aut etiam aliquid salutaris doctrinæ inde eliciendi, atque ad adstantes

proferendi. Sic ipse Dominus, Marci 8. ver. 23. cùm exspuisset in oculos vnius cæci, & manus illi imposuisset, *interrogauit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines, velut arbores, ambulantes.* i. video homines ambulantes, & illos quidem arboribus similes. Nam vox *ambulantes* coniungenda est cum *homines*, non cum *arbores*, vt patet è græco, quod habet: Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ, περιπατοῦντας. *Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia. Et misit illum in domum suam.* &c.

Marci 8. ver. 23. Ibidem ver. 25.

Ibi IESVS, (qui virtutis suæ & infinitæ potestatis diuitias dispensat, prout vult) noluit totam & perfectam vidēdi facultatem (quod tamen facillimè poterat, & aliàs fecerat) simul dare, sed sensim ad eius accendendum integræ sanationis desiderium, & fidem acuendam: fideli autem seruo suo Abercio dedit, vt non vni tantùm, sed tribus simul, & quidem perfectam, & modo quodam nobilissimo, (nempe obtenta de cælo luce) videndi virtutem cōcederet.

Quòd autem singulæ diuersa in primo aspectu viderint, vna senem, altera adolescētem, tertia puerulum, non est explicatum in Actis vitę Abercij, quid velint: & nisi adumbratio quædam fuit Sanctissimæ Trinitatis, aliud non diuino mysterium. Nam Pater, antiquus dierum appellatur, & senis figurâ depingitur: Filius autem specie iuuenis exprimi solet, quidni & Spiritus sanctus puerulì effigie dici possit fuisse repræsentatus, tanquam scilicet puritatis dator? Id tamen, vt probabile dumtaxat, non vt certum profero, & si quid melius quis afferat, libenter suscipio.

AD CAPVT XI.

IN hoc capite, Euxemianus, vir vrbis Hierapoleos clarissimus, ex occasione matris suæ à cęcitate liberatæ, Abercium liberatorem adijt, & post actas prolixè gratias, quęstiones ei nonnullas de Deo, quem colebat & prædicabat, proposuit. Quarum hîc duæ referuntur; prior quidem de supplicijs, quæ Deus irrogat, quomodo non repugnent eius infinitæ bonitati? & cùm illa non nisi ex odio proueniant, quomodo possit in Deum cadere odium? Posterior autem, quæ ex priore consequitur, est eiusmodi: Si Deus adeo bonus est, vt ferre malum non possit, sed illud oderit; quare talem non creauit hominem, vt malè agere non posset, sed tantùm bene?

Quas quidem quæstiones in S. Abercij honorem, & in Lectoris (vt alibi non requirat) gratiam & commoditatem, paullò fusiùs hic pertractabo.

QVÆSTIO I.

CVR DEVS, CVM BONVS SIT, SVPPLICIA INFERT? ET VTRVM INFERRE POSSIT, PRÆSERTIM ÆTERNA?

NOn esse diuinæ bonitatis æterna inferre supplicia, his videtur posse argumentis comprobari.

I. ARGVMENTVM. Primò, Quia summæ & infinitæ bonitatis est, bene omnibus facere, malè nemini. Nā malè facere ad malum spectat, non ad bonum. Igitur æterna non infert supplicia.

II. ARGVM. Secundò, Inferre supplicia, & tormentis excruciare, videtur ex odio & vindictæ cupidine procedere, quod à summa bonitate alienum est, aut esse debet.

III. ARGVM. Roman. 12. ver. 17. Tertiò, Iubet ipse Deus, vt nulli malum pro malo reddamus, sed vincamus in bono malum, & bene faciamus his, qui oderunt nos, & alia similia: quæ si valde bona sunt, certè ipsa magis Deum, & summam, infinitámque bonitatem, quàm homines longè à summo bono, non culpâ, sed natura abstantes, decent. Igitur parcet, nec æternas de facta sibi iniuria pœnas poscet.

IV. ARGVM. Quartò, Dicit ipsa æterna veritas, nec ore alieno dicit, sed suo; ita nos forè germanos Dei filios, ita nos ad nostri patris imitationem fore perfectos: si peræquè & inimicis nostris bene faciamus, & amicis. Ait enim Matthæi 5. ver. 44. & deinceps: *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderūt vos: & orate pro persequentibus, & calumniātibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Et paullò pòst, eodem extremo cap. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Cùm igitur patris imitatio, non tantùm in remissione iniuriarum, sed etiam in benefactis erga malos & inimicos nostros commēdetur; certè non est patris nostri & Dei, suas persequi iniurias, de inimicis, (quos à nobis amari vult) pœnas reposcere: immanibus, & ijs, quæ nullus expromat aut excogitet tyrannus, aut carnifex, tormentis excruciare, & quidem sine intermissione, sine quantiuis spatij termino: & pro culpis etiā, si non leuibus, certè nec numero, nec tempore infinitis. Quid? Ergo vitæ breuissimæ peccata mortis longissimæ pœnis; & centum anni flagitiorum, innumeris millibus flagellorum, totâ illâ, quanta quanta est, æternitate pensabuntur? Quis hoc animus mortalis, quæ mens recta & mansueta adduci possit, vt credat?

Matthæi 5. ver. 44. & deinceps. Ibid. versu vltimo.

V. ARG. Quintò, videntur ista supplicia laudatissimæ eius misericordiæ plurimùm reclamare.

mare. Quę enim tantis in supplicijs habere A locum possunt illa in sacris litteris decantatissima elogia? *Miserator & misericors Dominus: patiens & multùm misericors. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.* Nam si super omnia opera; etiam super opera iustitiæ, & rigoris. Atqui tantus est erga æternis addictos ignibus iustitiæ rigor, tam in pœnarum longitudine, quàm in damni grauitate; totam vt eius exhauriat potentiam. Nec enim cruciare B longinquiori tempore potest, nec maiori damno, quàm æterna diuinæ lucis ac bonitatis iacturâ, afficere. Quomodo igitur Iacobi 2. dicitur? *Superexaltat autem misericordia iudicium*, cùm tantopere vincatur à iudicio misericordia, & à pœnis ac tormentis beneficia. Nam misericordia quidem temporalis, & quasi momentanea fuit; iudicium autem ad incomprehensam æternitatis immensitatem C se extendit: nec beneficia, nisi in hoc mortalis æui celerrimo cursu tantisper fuerunt, & finem habuerunt: pœnæ autem & supplicia sine vllo fine in sempiternum durant. Nam de præcipiti huius æui celeritate atque fine, illi ipsi qui illud transierunt, & in diuitijs atque delicijs vixerunt, minimè dubium proferunt, teste omniū sapientum sapientissimo Salomone, testimonium: *Quid nobis*, inquiunt, *profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius: sic & nos nati continuò desiuimus esse: & virtutis quidem nullum signū valuimus ostendere: in malignitate autem nostra cōsumpti sumus. Talia dixerūt in inferno hi, qui peccauerūt: quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.*

Psal 114. ver. 8.

Iacobi 2. ver. 13.

Sapientiæ cap. 5. ver. 8

VITÆ MORTALIS BREVITAS.

Ecce igitur totius vitę, & bonorum, quę in ea sunt, & participari a peccatoribus possunt, breuitatem. Confer nunc cum ea, pœnarum, (quas apud inferos luendas dicis) æternitatem. Sed tamen age, vita hominis incerta & breuis, ad centum vsque annos, aut paullò plus (quod perrarum est) protendatur, & totidē quoque annis homo peccauerit; cur eum puniri diutius velis, quàm peccauerit? Centum annis peccauit? puniatur centum. Peccauit quinquaginta? puniatur quinquaginta. peccauit triginta tantùm annis, aut viginti? totidem puniatur, nec pluribus. Cur enim strictū velimus esse Deum in bonis, laxum in malis? An nō dixit ille ipse, cui datum est omne iudicium? *Quantū glorificauit se & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Exiguum proinde & breue: vti nec gloria fuit magna, nec prolixæ deliciæ. Nam & illa citò decidit, & hæ ocyùs fugerunt, vix expertæ, vix agnitæ.

Apocalypseos c. 18. ver 7.

Deinde vbinam illud erit ipsius itidem Domini ore depromptum? *Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Qualis enim misericordia, nunquam manū retrahere à verbere? nunquam à carnificina desistere? Et illud quoque vbi est? *Eadē quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis*, si temporale peccatum supplicio punitur æterno? Et illud rursùm è lege veteri, cap. 25. Deuteronomij, vbi est? *Pro mensura peccati erit & plagarum modus: ita dūtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Atquin vbi pœna æterna est, quàm fœdè laceratus ante oculos nostros, non dicam, abit (vtinam hoc liceret!) sed perpetuò manet, D & perpetuò laceratur frater noster? Hoccine humanum? hoccine diuinum est?

Luc. 6. ver. 6.

Ibidem ver. 38.

Deuteronomij 25. ver. 2.

Postremò, Si ob peccata, hæc omnis superuenire infinitorū cruciatuum intolerabilis acerbitas debuit; an nō paternæ fuit prouidentiæ, filijs suis prouidere, ne ipsi aliquando in illa laberentur? nonne & omnes labendi occasiones, (vt mater à filio, vt amicus ab amico solet) studiosè amoliri? immo longè magis quàm illi, ac tāto quidem magis, quàm illi; quanto plures Deo sunt cum E ijs, quos creauit ac progenuit, necessitudines; quàm parentibus cum filijs. Præterquā enim, quòd Deus multò plus ad productionem hominis, quàm parentes ipsi, contulit; etiam diutius & penitiùs cum illis & in illis fuit, quàm illi. Talis autem naturæ coniunctio atque nexus, ad amoris accessionem & incrementum facere non parum solet. Nam & hac de caussa dicuntur matres liF beros suos ardentiùs constantiùsque amare, quàm ipsi patres: quòd illæ scilicet ipsos & in vtero gesserint, & lacte suo nutrierint, & in sinu collóque gestauerint: quin & maiorem pro ijs sollicitudinem, cùm infirmior esset ętas, magísque auxilio indigeret, indefessè præstiterint. Tanta igitur Dei necessitudo maiorem requirebat prouidentiam.

V ARGVM.

Atque hæc pro ista opinione, quâ & Gentiles, & Iudæi, & quicumque è Christianis mysteriorum Dei, & arcanorum eius cōsi-

liorum nimis rudes sunt, sed & ij quoque A
qui plus nimio scrutatores sunt maiestatis,
& ad suæ amussim rationis diuina reuocant,
potissimè laborant: in quos illa Sapientis sententia prouerbiorum 25. ver. 27.
haud malè quadrauerit: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*. id est, nimia rerum diuinarum atque inaccessam maiestatem attingentium peruestigatio, non minùs homini curioso obest, quàm mediocris B
& moderata viro studioso profuisset. Quod adeo verum est, vt præcellentia ingenia in talium rerum, quas nos timidè, & quasi littus legentes, peruadimus, profundiore abysso submersa sint. Nobis autem Dei celsitatem & infinitam sapientiam submissa mente adorantibus, talis placet & statuitur

Prouerb 25. ver. 27.

CONCLVSIO CATHOLICA.

Tametsi Deus summè & infinitè bonus sit ac misericors, æterna tamen nonnullis inferre potest, & infert supplicia.

HÆc conclusio certa est Christianis ex beneficio fidei; Gentilium autem primoribus Philosophis, ex lumine rationis saltem quadam tenus cognita. Nam & illorum præcipui animas immortales posuerunt, & diuersa pijs atque impijs loca post D
mortem distinxerũt, his ad supplicium, istis ad præmium, & quidem, vt pòst docebitur, æternum.

Nititur porrò Christianorum fides locis è Scriptura sacra, tam veteris, quàm noui instrumenti, minimè dubijs: quorum aliqua è clarioribus non pigebit in medio ponere.

Primò igitur probari potest è libro Iob, vt omnium antiquissimo, (quippe ante ipsum Moysen scripto,) vbi ipse Iob & amici E
eius, licet Gentiles, æternas inferorum pœnas se agnouisse certis indicijs demonstrãt. Nam cap. 20. ver. 18. ita ipse Iob vnum ex amicis suis inducit loquentem: *Luet, quæ fecit, omnia; nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit*. Et ver. 26. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius: deuorabit eum ignis, qui non succenditur; affligetur relictus in tabernacu-* F
lo suo. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. id est, Homo impius omnium, quæ in vita commiserit, pœnas luet meritis suis condignas? Omnes tenebræ, siue densissimæ tenebræ, sunt in istis inferorum latibulis, quò ipse deproperat. Deuorabit eum ignis gehennæ, qui nec opera humana suscitatur, nec vlla combustili materie confouetur: & quicumque eo mortuo relictus fuerit è domesticis, affligetur. Ipsius porrò iniquitatem & Deus è cælo iudicabit, & homines è terra condemnabunt.

Iob 20. ver. 18.

Et ipse Iob in persona sua, cap. 21. ver. 30. *Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur*. id est, quamuis hic non puniatur, sed prosperè agat; minimè tamen felix dici potest, qui ad tempus æternæ perditionis in furore iudicãdus reseruatur. Iob 21. ver. 30.

Secundò probatur ex Isaia, cap. 66. ver. 24. vbi de impijs dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad satietatem visionis omni carni*. Chaldaica paraphrasis habet: *Et erunt impij iudicati in gehenna, donec dicant super eos iusti: satis vidimus*. Quæ nihil aliud volunt, quàm impios fore iustis perpetuo spectaculo & irrisioni, iuxta illud Psalmi 51. *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicẽt: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem* C *suum*. De hac visione, qua videbuntur damnati à beatis, & persecutores ab ijs, quos persecuti fuerint, ita S. Cyprianus in libro Ad Demetrianum, sub finem: Spectabitur illic à nobis semper, qui hîc nos spectauit ad tempus: & in persecutionibus factis, oculorum crudelium breuis fructus perpetua visione pensabitur, secundùm Scripturæ sanctæ fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad visionem vniuersæ carni*. Sic ibi Idem est autem vniuersæ carni, atque omnibus hominibus beatis. Nam alij post generale iudicium nec vllo digni nomine, nec vllo in numero habendi: quandoquidem & in hoc mundi statu homines vilissimi & improbissimi, tam Græcis, quàm Latinis, nullo in numero esse censeantur ac dicantur.

Isaiæ 66. ver. 24. Psal. 51. ver. 8. Isaiæ 66. ver. 24. Vide Adagium: Megarenses neque tertij, neque quarti &c.

Tertiò probatur è libro Iudith, cap. 16. vers. 20. *Væ*, inquit, *genti insurgẽti super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis: in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum*. Item Danielis cap. 12. ver. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper*.

Iudith cap. 16. ver. 20. Danielis 12 ver. 2.

Quid videant? illi Deum & sua benefacta: hi opprobrium scilicet, & quæ patrarunt mala. Hebraicè ad verbum est, *in satietate visionis*. Quod benè cum illo Regis prophetæ congruit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Et damnati quoque erunt in satietate visionis, dum videndis saturabuntur opprobrijs, & confusione implebuntur. Quam pœnam S. Basilius Magnus ad psalmum 33 valde ponderat, cùm dicit: *Qui enim mala fecerunt, in opprobrium ac confusionem resurgent, inspicientes in se ipsis turpitudinem ac formas peccatorum impressas. Et fortè magis*

Psal 16. ver. 15. S Basilius in psal. 33.

magis horrenda est ea confusio, quàm tenebræ ipsa, & ignis æternus, in quo peccatores perpetuò mansuri sunt, semper ob oculos habentes vestigia peccati, in animæ suæ memoria æternùm permanentia, non secus ac tinctura quadam indelebilis.

Iam in nouo testamento ex ipsius ore Domini hæc æterna impiorum pœna nimis testata est in ijs verbis, quæ Matthæi 25. ver. 41. prolaturum se dicit in eos, qui à sinistris fuerint, siue in reprobos: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Et infrà, versu 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.*

Matthæi 25. ver. 41.

Nolo post clarissima Domini IESV verba testimonijs vti pluribus. Nam Christianis hæc abundè sunt.

ÆTERNITAS POENARVM PROBATVR RATIONE.

Ratione autem, æternitas pœnarum, pro his, qui à fide auersi sunt, probari potest ex argumento diuinæ iustitiæ, cuius est tam vindicare mala, quàm bona munerare, grauia grauibus, tenuia tenuibus, & infinita, si qua eiusmodi sunt, seu bona, seu mala, præmijs, pœnisue infinitis. Pro modo enim peccati debet esse modus & supplicij: sicut pro ratione benefacti, ratio est & præmij.

Quare cùm dentur tam enormia quædam flagitia, vt infinitam in se contineant malitiam; vti sunt ea, quæ aduersus personam infinitæ magnitudinis, potentiæ, bonitatis, ab infimo & vilissimo mancipio per summam ingratissimi animi fœditatem admittantur; consequens est, vt & pœnam mereātur infinitam, & quanta quāta infligi potest: præsertim si quis eandē grauiter intentatā euitare facilè potuerit, & noluerit.

Rationi huic accedit, summorum Philosophorum, & primorum in varijs Gentibus magistrorum auctoritas: à quibus inferi & pœnæ in illis infinitæ statuuntur: in eorum scilicet scelerum vindicationem, quæ in hac vita, omni polluto iure & diuino & humano, admissa fuerint: vti è contrario ijs, qui piè ac iustè vixerint, beatorum loca, omni bonorum, quæ optari, aut excogitari possint, genere & varietate redundantia.

Locus est insignis apud Platonem in Phædone, eóque extremo, vbi inducitur Socrates disputans de locis, ad quæ post mortem deducuntur animæ; atque inter alia sic de Tartaro: Οἱ δ' ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν, διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, ἢ ἱεροσυλίας πολλὰς καὶ μεγάλας, ἢ φόνους ἀδίκους καὶ παρανόμους πολλοὺς ἐξειργασμένοι, ἢ ἄλλα ὅσα τυγχάνει ὄντα τοιαῦτα, τούτους δὲ ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν. *Qui verò,* inquit, *ob maxima peccata, videntur esse incurabiles, vt propter sacrilegia multa & magna, propter cædes iniustas, & alia multa contra leges perpetrata, aut quæcumque huiusmodi alia fuerint; hos sors conueniens præcipitat in Tartarum, vnde nunquam exeunt.* Deinde subdit nonnulla de loco purgatorio, vbi animę, quæ non adeo horrenda flagitia patrarint, ac pœnitentiam de patratis licet grauibus egerint, detinentur, & expiantur, & liberantur. Postremò de illis agit, qui egregiè præ ceteris vixerint, quos ait ex his terrenis regionibus, velut ex ergastulis, solutos ac liberos ad altiora conscendere, ac puram supra terram habitare regionem. Subiungit tamen Socrates perquam sapienter, nolle se, vt quis asseueret planè ita res habere, vt dixerit; sed tamen illo aut simili quopiam modo, *quandoquidem animus,* inquit, *immortalis sit.* Quasi dicat: scio esse post hanc vitam, vbi bonis præmia reddantur, vbi malis supplicia, & æterna quidem pessimis; sed planè ac distinctè singula loca, quemadmodum se habeant, describere & asseuerare non est meum: esse autem aliqua, licet ex ipsius animæ immortalitate colligi. Et quam fuerit hæc communis inter Gētiles opinio, potest id argumento esse, quòd & Poëtis fuerit decantata. Tacitis alijs, loquatur Latinorum princeps Virgilius:

Virgilius lib. 6. Æneidos.

--- *Sedet,* inquit, *æternúmque sedebit*
Infelix Theseus: Phlegyásque miserrimus omnes
Admonet & magna testatur voce per vmbras:
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.
Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem
Imposuit, fixit leges precio, atque refixit.
Hic thalamū inuasit natæ, vetitósque hymenæos;
Ausi omnes immane nefas, ausóque potiti.

Ecce illos, qui in Tartarum & barathrum detrusi sunt. Sed quæ supplicia expendunt? quas pœnas? Sunt, inquit, inexplicabiles, sunt innumeræ.

Non, mihi si linguæ centum sint, oráque centum
Ferrea vox; omnes scelerū comprendere formas;
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

His porrò non exiguum momentum accedit è Sibyllarum, quæ diu ante Christi in terris natalem fuerunt, oraculis, & in his nominatim Erythrææ, cuius acrostichi versus de Christo, de iudicio, de inferno, de cęlo, apud Eusebium Pamphili græcè extant, lib. 5. de vita Constantini Magni, cap. 18. & latinè apud Augustinum, lib. 18. *De ciuitate Dei,* cap. 23. vbi quidem apud illum, quod de damnatis æterno supplicio huc spectat, est illud inter cetera:

——— ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
——— *Sontes æternùm flamma cremabit.*

Sic apud S. Augustinum vertitur: apud Onuphrium autem Panuinium, libro De Sibyllis, alijs quidem verbis, sed eodē sensu:

Ignis

—— *Ignis fontes æternus aduret.*

IOANNIS CHRISTOPHORSONI VERSIO MANCA.

Quod hemistichium nescio quo pacto sit à Christophorsono in sua Eusebij versione omissum. Minimè enim decuit. Ac ne quis fortè obtendat, carmen istud acrostichon à Christianis esse confictum, rectè ibidem opponit Eusebius, lectum illud carmē fuisse olim, & ante Christi natalem à M. Tullio Cicerone, adeóque Romanâ linguâ ab eo donatum. Cuius & innuere mentionem videtur idem Tullius, lib. 2. De diuinatione, post medium: *Sibyllæ versus*, inquit, *obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur.* &c. Ac paullò post: *Atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ, primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur.* &c. Conatur quidem Cicero illis versibus fidem derogare: sed eo ipso saltem tunc illos extitisse indicat, & quidem nonnunquam publica auctoritate consuli solitos. Priuatâ enim nefas fuit.

Cicero lib. 2. De diuinatione.

Denique nulla ferè gens tam inculta, nulla natio tam remota fuit ac barbara, quæ non Deum aut deos aliquos esse cognouerit, atque eos grauibus grauiter offendi flagitijs, pungente intus conscientia, non crediderit. Hinc frequentes illę in Gētibus exsecrationes. *Dí te perdant. Iupiter te male perdat.* & aliæ his similes apud Comicos, & alios; quibus vtentes denotabant mala facinora non relinqui à dijs impunita; aut certè, ne relinquerentur optabant & postulabant.

Postremò, Ad diuinam videtur hoc spectare prouidentiam, vt nulli homini vsus rationis iam participi, & beatitudinis capaci eam notitiam deneget; quæ ad bonum capessendum, & ad malum declinandum ei sit necessaria, sed vnicuique tantum naturæ lumen præbeat, vt possit vel illud sequens, & quod in se est faciens, sensim ad obtinendam Dei gratiam ac misericordiam, ipso se insinuante disponi: per quam gratis datam, ad fidem, aliasque virtutes, ac demum ad gloriam perueniat; vel illud idem lumen deserens, atque accepta Dei cognitione abutens, talia contra conscientiam & Angeli eum custodientis inspirationes designare, vt tandem pœnas sibi accersat sempiternas. Quemadmodum enim Dei bonitas ab homine plura non exigit, quàm possit; & facienti quod potest, dat ex misericordia & liberalitate, quod acquirere ex se non potest: ita eiusdem iustitia homini datum lumen peruersè exstinguenti, & internos ad innocentiam motus ac monitus improbè suffocanti, nihilique nec vitæ promissa, nec mortis minas facienti, condigna factis supplicia, etiam æterna (si tantum est crimen) quidni iustè irrogaret? Nam ad prius quod attinet, hoc est S. Thomæ Aquinatis iudicium, hoc effatum: *Si aliquis nutritus in syluis, inquit, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut Petrum ad Cornelium.* Addam ego: vel Angelum delegaret, vti Michaēlē Archangelum ad Cononem Isaurum. Nam testis est Menæum ad diem sextam Septembris, B eundem Cononem à S. Michaële fidem edoctum, salutari lauacro ablutum, sacrorum mysteriorum participem factum, immo & prodigiorum facultate donatum.

S. Thomas lib. De veritate q. 14. art. 11. ad 1.

Quod autem ad alterum de æternarum pœnarum irrogatione spectat, nequaquam potest dubitari, quin diuina prouidentia & bonitas, *quæ omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, tanta illis prę- stet, seu incitamenta ad bonum, seu à malis C territamenta, vt eorum æterna damnatio, perinde ac latronibus suspendium, nulli quàm ipsis iure attribuenda sit.

1. ad Timoth. 2. ver. 4.

De hac conclusione cùm hęc in præsenti sufficiant, opposita in contrarium argumenta nunc dissoluenda sunt.

RESPONSIONES AD ARGVMENTA.

I. ARGVMENTI REFVTATIO.

Ad primum igitur respondeo, prorsus verum esse quòd sumitur; sed non bene consequi, quòd infertur. Nunquam enim non D homini bene facit Deus, seu viuenti, seu mortuo. Omnia enim, quę viuens aut mortuus tenet bona, sunt à Deo, auctore ac fōte bonorum omnium; mala autem, non nisi à malo, siue ipsomet homine, siue dæmone, cui, relicto Deo, se subiecit homo. Nam quod Deus Israëli per Osee prophetam exprobrauit, hoc iñ omnes quolibet infortunio multatos, & quouis malo damnatos valet: *Perditio, tua, Israel: tantummodò in me* E *auxilium tuum.* id est, quod perieris, non meum est, sed tuum: quod autem adiutus sis, hoc duntaxat meum est, non tuum: seu breuiùs: Perditio est tua, auxilium est meū. Huc facit & illud, Ezechielis 18. ver. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Et infrà, versu 32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.* Denique pura & infinita F bonitas nemini malè facit, sed etiam ijs quos punit, bene facit: quia in ipsorū commodum facit. Hinc illa Azariæ, apud Danielem cap. 3. *Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti, & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorum.* &c.

Oseæ cap. 13. ver. 9.

Ezechielis 18. ver. 23. & 32.

Danielis 3. ver. 31.

Quæ & ipsi æternis damnati supplicijs, nisi odium & desperatio mentem sanam abstulissent, ex vero vsurpare possent. Nam & ipsis Deus opt. max. omnia in vero iudicio

cio fecit,& tradidit eos potestati inimicorum suorum iniquorũ & pessimorum, hoc est, dæmonum, quibus hic viuentes tanquam amicis obsecuti fuerunt,vero & solo amico Deo derelicto. Quin & iisdem æternæ damnationis reis in suo ipsorum cruciatu bene fecit, facitque, & aliquam suæ misericordiæ stillam in loco illo tenebroso non denegat, cùm infra ipsorum meritum eos punit. Recepta est enim illa scholæ Theologorum sententia, quæ adstruit Deum in beatis benefacta remunerare suprà meritum: in damnatis autem malefacta vindicare,infrà meritum, seu, vt vulgò loquuntur,punire citra condignum.

II. ARGVMENTI REFVTATIO. Ad secundum respondetur supplicia & tormenta sępe quidem in malis hominibus, & in prauis spiritibus ab odio & vindicta,etiã iniquè & properanter procedere: sed in Deo,in quo nulla potest eiusmodi esse perturbatio, iustè tantùm & tardè ab eius æquissima sententia emanare. Non properat enim Dominus ad pœnas,non; sed patienter emendationem ambit & expectat: immo & beneficia interim confert,vt demulceat; & iudicium minatur,vt terreat,& terret,ne puniat. Vnde fidelis propheta Isaias, cap.30. vaticinij sui, versu 18. *Propterea*, inquit, *expectat Dominus, vt misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis*. id est,laudibus extolletur eius in expectando & parcendo longanimitas & misericordia,si quidem in tempore à via inuia peccatorum vestrorum deflexeritis, atque in semitam mandatorum eius reuerteritis. Nam omnes ad se,tanquam pater filios,vocat:& à se deuios,tanquam pastor oues, dulci bonæ inspirationis susurro reuocat: sed sponte obsurdescentes, aut malitiosè renuentes, & promissa,minásque contemnentes,iusta vltione persequitur. Audi enim quid dicat Prouerb.1.ver. 23. *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea*. Nolentibus autem illis,nec conuerti, nec audire, *Quia vocaui*, inquit, *& renuistis: extendi manum meam, nec fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum,& increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo,& subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit*.

Isaiæ 30. ver. 18.

Prouerb. 1. ver. 23 & deinceps.

III. ARGVMENTI REFVTATIO. Ad tertium, in quo colligitur ex Paulli verbis ad Romanos 12. ver. 17. dicentis: *nulli malum pro malo reddentes*,& paullo post: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, id Deum & summam infinitámque bonitatem maximè decere: ac proinde futurũ, vt non persequatur iniurias sibi factas,sed parcat,ac vincat in bono malum, ad illud, inquam,ita respondeo,prorsus magnum esse discrimen inter ea quæ priuatos,& ea quæ Reges & summas potestates, ac diuinam præsertim maiestatem decent. Illos enim, vt humiles,& egenos, & in peccata labiles, maximè humilitas,& humanitas,& fraterna caritas, & iniuriarum mutua condonatio addecet: at verò Iudices, Reges, Deum, quorum est res iustè ac sanctè administrare, atque sedulò aduigilare,vt suum vnicuique seruetur ac reddatur, iudicium & iustitia in primis decent.

Roman. 12. ver. 17.

Hinc Dauid iam senex filio suo Salomoni,ad bonã regni, quod illi in manus tradiderat,gubernationem,illa potissimè à Deo precibus exposcit: *Deus iudicium tuum regi da,& iustitiam tuam filio Regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio*. Nec ferè est aliud iustitia in rep. quàm quod sol in mundo: nec vsquam res magis florent,quàm in iis vrbibus aut prouinciis, vbi est legum seueritas,& rigida in violatores animaduersio.

Psal. 71. ver. 1.

IV. ARGVMENTI REFVTATIO. Ad quartum,de præcepto Domini mandantis diligi inimicos, & bene iis fieri, qui oderint nos; dico ea ipsa à Domino prolixè & abundanter facta esse: quippe qui illis vitam, fortunas, & alia omnia,non modò ad vitam hanc bene ac commodè exigendam,sed etiam ad alteram illam,quæ in cęlo viuitur,sibi acquirendam necessaria,sufficienter quidem omnibus,vt queri nemo possit;sed multis largiter,vt tanto gratiores esse debeant, minimè parcâ manu contribuit: & ea quidem lege,vt si paucis & paruis bene vterentur,plura & maiora acciperent:& his quoque ex Domini sui voluntate impensis maior maiórque, pro ratione impendij & compendij,fieret accessio. Deinde,quid aliàs pro inimicis suis non fecit, qui in ipsa etiam morte(quàm ei acerbissimam & ignominiosissimam innumero spectante populo inferebant) & inter irrisiones,conuitia,maledicta,calumnias,adeo de illis bene mereri, & bona pro malis reddere studuit, vt & precationes pro ipsis ad cęlum sparserit,& pro excusatione atque eleuatione peccati,ignorantiam allegarit?

OBIECTIO CONTRA RESPONSIONEM AD 4. Verum est hoc quidem,inquies,satis aliquando beneficus est, & largus interdum, & in malefactis atque iniuriis patiens, & nonnunquam flagitiorum grauitatem magnitudine beneficiorum impensè vincens: sed omnia tandem immani suppliciorum pondere,supra modum, & tota æternitate, ad miserorum desperationem repensat,fitque prorsus inexorabilis.

OBIECTIONIS DILVTIO. Fateor ita esse: negari enim non potest: sed quæ in Deo culpa; si eius beneficiis vti homo improbus noluit,si æterna bona sibi promissa contẽpsit, si promittentem irrisit, si denunciata inferorũ infinita supplicia,in quæ prolapsurus esset,nì caueret; nihili fecit,

cit, nō cauit, denuntiantem quoq; & inter-minantem irritauit? Certè tanti exitij culpa nulli est alteri accepta referenda, quàm ei qui exitij periculum vidit, & monitus vt caueret, cauere noluit: cùm & cauendo euitare posset, & euitando, regnum adipisci, & adepto beatus esse, atque extra omnē amittendi aleam, Deo similis, æternum cum illo æuum agere.

V. ARGVMENTI REFVTATIO. Ad quintum respondeo, ista supplicia quamuis æterna minimè aduersari, nec reclamare eius misericordiæ, postquam antea scilicet plenum misericordiæ cornu obtulit, & à peccatore peccatis suis inhærente proiectum & conculcatum est, & nunc iustitia, vt decuit, obstinatione eiusdē peccatoris euocata æquissimam damnationis sententiam in ipsum tulit. Nam partes suas vicissim agunt, modò iustitia, modò misericordia. Qui viuens suscepit in sui iusta punitione temporalem iustitiam, mox obtinet & misericordiam: sed qui illam reiecit, & hanc contempsit: istam pro temporali patitur æternam, & hanc quam in die suâ contempsit, in æternitate frustra requirit. Frustra enim, frustra rebus iam statutis illa regij Prophetæ verba iactaueris: *Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* (Psal. 76. ver. 7. 8. 9.) Ista enim aliquid valuerunt, & valent ante extremam supremi Iudicis sententiam: sed post illam nihil. Etenim, si vt Dauid pro se & pro populo illa medullitus, ad accersendam & cælitus eliciendam Dei misericordiam, viuus & videns pronuntiauit, ita etiā qui pœnis æternis addicti sunt, illa in tempore opportuno, & in die salutis vsurpassent: procul dubio non magis ipsos quàm Dauidem & alios FIDELES paria Dauidi sentientes, proiecisset Deus in æternum; sed ad se in æternum assumpsisset, & sedatâ irâ gratum se ac placitum illis præbuisset: neque ipsos in perpetuum à gratia sua exclusisset; sed recordatus fuisset miserationum suarum, neque tanta in eos exarsisset ira, vt misericordiam velut erumpere conantem contineret ac cohiberet, sed illam vltro potiùs iam votis & precibus & pœnitentia demitigatus profudisset, dixissétque quod est apud Isaiam: *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* (Isaia 49. ver. 8.) Quod tempus intelligens Paullus, ille Gentiū doctor, quàm preciosum esset, & quàm minimè absque bonorum operum fructu transmittendum, impensiùs Corinthios adhortabatur, vt in acquirendis & exercēdis virtutibus illud impenderent. *Adiuuantes autem exhortamur*, inquiebat, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem.* &c. (2. Cor. 6. ver. 1.) Tempus igitur illud, quo redimere peccata; & virtutes acquirere poterant, cùm præterlabi absque vllo fructu, partim socordia, partim malitia permisissent: frustra, eo prætento, de sua miseria & defectu misericordiæ conqueruntur. Quamuis nec illa omnino deficiat, nec prorsus contineat Deus in ira sua misericordias suas; sic nimirum, vt leniùs quàm pro flagitiorum grauitate ac multitudine puniat; non autem, vt pœnarum æternitati quicquam detrahat. Sic enim Augustinus libro 21. De ciuitate Dei, cap. 24. priorem sensum patitur, & posteriorem reijcit, dum ita scribit: *Sed quibus placet istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, vt manente in eis ira Dei, quæ in æterno est prænuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari: non vt eas pœnas, vel nunquam subeant, vel aliquādo finiant; sed vt eas mitiores, quàm merita sunt eorum, leniorésque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit.* Sic ille.

Quod autem quæritur, quem tantis in supplicijs habere locum possint illa Scripturæ verba: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius;* (Psal. 144. ver. 9.) Respondeo, ad sensum quærētis, nullum. Nec enim necesse est, ad illorum veritatem, vt etiam in damnatorum supplicijs habeant locum, nec vt in omni loco & tempore misericordia præualeat ac prædominetur Iustitiæ; sed satis est, vt simpliciter & absolutè præualeat: ita vt maior sit erga bonos Dei misericordia, quàm erga improbos eiusdem seueritas. Sic autem esse tam in cælo (de quo dubitari non potest) quàm in terra, de qua cecinit veridicus psaltes, *Diligit misericordiam & iudicium: misericordia Domini plena est terra,* (Psal. 32. ver. 5.) certissimum est. Vtrobiq; enim maior est Domini misericordia, quàm iustitia: in solo autem inferno maior est iustitia, quàm misericordia, nec tamen ibi tam acerba est iustitia, quàm in cœlo misericordia.

Nam licet in Deo virtutes omnes prorsus æquales sint, vtpote omnes infinitæ; tamen in earum vsu atque exercitio vna exsuperat alteram, non minùs operis magnitudine, quàm manifestationis multitudine, atque frequentia. Quippe cùm & præmiū bonorum in cælo longè sit, adeóque infinitè maius, quàm in inferno malorum supplicium: & in terra multò frequentiora edantur diuinæ miserationis, quàm iusti rigoris

goris exempla, non solùm erga bonos, sed etiam erga malos. Quod enim tam his, quã illis terram substernit, aërem circumfundit, cælum suspendit, aquam dispertit, ignẽ suppeditat, vsum denique omnis terrenæ facultatis indiscriminatim vtrisque permittit, & quod (sicut dixit Dominus) *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, nonne continua quædam est eius perennis misericordiæ series? Quis par huic tantæ lenitati, iustitiæ rigor? quæ tanta malorum inter se connexorum catena; quàm bonorum eius, aliorum super alia, in omne huius vitæ tempus continuatio? Quòd si nonnunquam ex peccatorum nimia enormitate acciderit, vt impiorum peccata in quartam vsque generationem vindicentur; at piorum benefacta, non ad tres, quatuórue generationes; sed ad centum, sed ad mille generationes compensantur. Audi enim Deum ipsum loquentem, Exodi 20. *Ego sum*, inquit, *Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*. Quanto igitur quatuor à mille superantur; tanto, eóque ampliùs iustitię rigor à suauitate misericordiæ retro relinquitur. Hinc fit, vt misericordia, velut propria, illi attribuatur; iustitia verò, quatenus vindex, ab eo censeatur extranea; vt quasi à se videatur foras discedere, cùm à misericordia ad iustitiam (si fas sic loqui) cogitur transmigrare. Quẽ in sensum, sacræ Scripturæ Interpretes illa Micheæ prophetę verba assumunt: *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum: & valles scindentur, sicut cera à facie ignis; & sicut aqua, quæ decurrunt in praeceps*. id est, Dominus Iudæis & Israëlitis iratus, non se ampliùs continebit intra mansuetudinis & misericordiæ suæ fines; sed procedet ad punitionem, quæ à natura eius quodammodo aliena est, & cõculcabit potentes eorum in terra, ac principes proteret: & populos ac plebeios dissoluet, ita vt deficiant & liquescant, sicut cera igni; & humi decidant prostrati non aliter quàm aquæ in prona ac decliuia diffluentes. *Qui enim mitis est & benignus*, (inquit Hieronymus in eundem locum) *& cuius natura, clementia est, vestri caussa cogitur personam, quam nõ habet, crudelitatis assumere*.

Matthæi 5. ver. 45.

Exodi 20. ver. 5.

Micheæ 1. ver. 3.

Hieronymus in cap. 1. Micheæ.

Atque hæc dicta sint de miserationibus Domini *super omnia opera eius*, ad sensum obiectionis; hoc est, *præ omnibus operibus eius*. Alioquin sensus litteræ primus & principalis non est iste, sed hic potiùs: nempe quòd miserationes Domini sint erga omnia opera eius, siue erga res omnes ab eo creatas: nec sit vllum omnino ex operibus ab eo conditis, (seu spiritus sit, seu res animata, seu inanima) quod non miserationes eius participet. Quia enim in omnibus aliquis est defectus, seu naturæ, seu gratiæ, (qui defectus est instar quoddam miseriæ) Dominus id totum conferendo, quod deficit, miserationis suę fructum in ea spargit. Et hunc sensum, totius capitis illius cõtextus exigit.

De altero autem, qui est secundarius (de quo iam à me saltem ex parte disputatum est) quo modo etiam verus sit; S. Thomas, & eius sequaces, ad secundam secundæ, quæst. 30. art. 4. ita disputant, vt misericordiam non modò iustitiæ vindicatiuæ (quod nos egimus) sed omni omnino virtuti, etiã reginæ virtutum Caritati, certo modo antecellere contendãt. Nos id certamen illis relinquimus, nostrum confecimus. Nam vt valde valeat è Scriptura sacra argumẽtum; è sensu primo ac proprio (quem litteralem vulgo vocant) sumendum est.

Iam quod afferebatur, tantum esse Domini aduersus damnatos rigorem iustitiæ, vt totam eius exhauriret potentiam; id certè à vero abest quàm lõgissimè. Licet enim ad pœnarum diuturnitatem nihil addi possit, & infiniti boni priuatio sit quodam modo infinita ex parte obiecti, quo priuatur anima: & ex parte durationis, qua perseuerat illa priuatio, tamen ex parte ipsius doloris (cuius grauitas magis magísque interminatè augeri potest) non est pœna infinita. Quin si quis parum eam priuationem apprehenderit, dolebit minus; & rursus si dolor, qui æternum durat, sit perexiguus, haud multum cruciabit. Minimè igitur dici potest exhausta Dei potentia in illis supplicijs, quę exaugere in infinitum potest. Nam alioquin si ex sola & mera priuatione obiecti infiniti, & duratione item pœnarum infinita exurgeret tanta pœna, vt ei nihil addi posset; inde consequeretur, omnium, qui in istis locis inferis conclusi detinentur, parem esse pœnam, & æquale supplicium: cùm tamen ipsorum peccata, vt satis constat, nec numero fuerint paria, nec grauitate æqualia. Ex quo rursus illud emergeret, aberrasse Paullum tam in ijs, quæ ad Romanos de Deo perscripsit dicẽs: *Qui reddet vnicuique secundum opera eius*; quàm in ijs, quæ ad Corinthios epist. 2. cap. 5. exarauit. Ita enim dixit: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*. id est, vt recipiat, quæ meritus est, dum in corpore viueret, seu præmium, pro ratione, & proportione bonorum operum; seu pœnam, pro malorum grauitate

Ad Romanos 2. ver. 6.

Ad Cor. 2. cap. 5. ver. 10.

grauitate & multitudine. Id enim significatur illis vocibus *prout gessit*, siue, prout fecit. Quæ autem vocantur propria corporis, sunt & animæ propria; siue, vnius facta, sunt etiam alterius. Nec enim potest quicquam corpus sine anima, in hoc vitæ statu, nec anima item sine corpore; cum & ipsa intellectio (qua nihil in se habet homo magis spirituale) a corpore ipso pro receptione phantasmatum dependeat.

Nec locus S. Iacobi in obiectionis confirmationem allatus nouam habet difficultatem. Totus enim sic habet: *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium.* Cuius sententiæ sensus non est alius, quam eum non obtenturum misericordiam; qui ipse alteri non fecerit: qui autem fecerit, obtenturum: ita vt misericordia triumphet quodammodo de rigore iustitiæ. Quod planè verum est, sed in tempore, & statu, & loco merendi, non item in inferno, vbi nulla est redemptio.

Iacobi 2. ver. 13.

At enim breuitas & paucitas peccatorum, isti pœnarum infinitæ longitudini omnino aduersatur. In tam celeri enim, & tam fugaci vita, quæ nunc vmbræ comparatur, nunc præcurrenti nuntio, nunc naui fluctuanti, nunc aui transuolanti, nunc sagittę in scopum emissæ, quid longum esse possit? quid in peccatis diuturnum? non debere proinde pœnam breuis peccati esse longam, nedum infinitam. Satis enim fore, si annorum in peccatis numero annorum in supplicijs numerus respondeat: & magnitudini deliciarum, magnitudo tormentorum, iuxta illud Apocalypseos: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.*

Apocal. 18. ver. 7.

Respondeo hunc locum Apocalypseos, ad litteram, de excidio vrbis Romæ, in extremis temporibus primo ac principaliter intelligendum esse; non de temporali cuiusque damnatorum supplicio & tormento: vti & antecedentia monstrant, & consequentia. Nam mox ratio subditur desumpta ex vrbis Romæ superbia, in his verbis: *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina: & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius.* &c. Innuitur enim in his & sequentibus verbis huius capitis, Romam olim in eum statum redituram (quantum quidem ad potentiam, & ad idololatriam & ad omnia flagitiorum genera attinet) in quo fuit sub Nerone, Domitiano, & alijs similibus naturæ monstris, ita vt reges ei subdantur,

Ibidem ver 7. & 8.

A & cum illa fornicentur, hoc est, ijsdem, quibus illa, superstitionibus & voluptatibus & execrandis flagitijs inquinentur: ac subitò cùm minimè expectabit, supremum illi superuenturum exitium, non minori dolore atque luctu, quàm antehac fuerit gaudium atque deliciæ. Atqui in hoc sensu nihil aduersus æternas pœnas effici potest, cum de illis non agatur. Si tamen secundario de illis agi concedamus, tum verba illa superiùs

B posita: *tantum date illi tormentum & luctum,* non restrictè ad æqualitatem arithmeticam sumenda erunt (vti nec quisquam ferè catholicorum sumit) quasi directè tantum tormentorum & tam diu, ac non amplius, nec diutius habere debeat, quam habuerit deliciarum; sed ad æqualitatem geometricam, seu quandam in genere proportionem, hoc est, vt magis puniatur, qui magis peccauerit; minùs itidem, qui minùs.

C Nam & talis in inferorum tormentis reperitur proportio: vbi & mendacia furtis, & furta rapinis, & rapinæ latrocinijs, & quælibet minora crimina maioribus flagitijs leuiùs puniuntur.

Sed esto, inquiunt, minùs ac leuiùs puniantur, qui minora admiserunt crimina: hoc tamen manet, quod etiam minoribus illis criminibus supplicium, vt dicitis, infeiatur æternum. Cuius æternitatis ecquam

D nam potest, amabo, in paruis criminibus idonea excogitari ratio? *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit.* (inquit Sapiens Prouerbiorum. 6.) *Furatur enim, vt esurientem impleat animam.* An igitur hic, licet non grandi admissâ culpâ, & duos tresue dumtaxat furatus aureos, pœna æterna cruciabitur? Quæ mens, quis animus hoc incomprehensæ iustitiæ genus concipere valeat, valeat comprehendere? Scribitur enim Ex-

Prouerb. 6. ver. 30.

E odi 22. reddendum pro sublata pecunia duplum, pro oue quadruplum, pro boue quincuplum: cuius ratio æquitatis facilè concipi potest & probari: sed vt decies millies millecuplum, ad satis faciendum pro vna oue, aut boue, dicatur non esse satis in vita altera; sed pœnas igni quouis terreno grauiores in ęternū luēdas esse, id sanè omnem humanæ intelligentiæ captū excedit.

Exodi 22. ver. 1. & seqq.

Respondeo difficile quidem id punF ctum esse cognitu, adeóque inter ardua fidei, locum habere non postremum: quin & multa magnorum Theologorum exercuisse ac fatigasse ingenia: quo scilicet rationes aliquas inuenirent, ad ostendēdum id minimè esse incredibile, saltem probabiles; non esse tamen à diuinę æquitate iustitiæ prorsus alienum, nec omnino ab humanæ mentis captu extraneum, aliquâ saltem tenus ostendi potest, & à nonnullis antehac ostensum est.

Nam

Nam cùm proposuisset olim Gentilis quidam Philosophus sancto Deogratias, Carthaginiensi Presbytero, nōnullas super fide nostra quæstiones, & inter alias, vnam de æternis supplicijs, ipsius Christi dicta tanquam inter se contraria irridens & cauillans, hisce verbis; *Minatur Christus sibi non credentibus, æterna supplicia; & alibi ait: IN QVA MENSVRA MENSI FVERITIS, REMETIETVR VOBIS. Satis ridiculè atque contrariè. Nam si ad mensuram redditurus est pœnam, & omnis mensura circumscripta est fine temporis, quid sibi volūt mina infiniti supplicij?* Hanc quęstionem cum alijs quibusdā misit idem sanctus Deogratias sancto Augustino, quibus hic respondit epist. 49. & huic quidem quæstioni respondens, docuit nihil absurdum, nihilque contrarium in Christi dictis contineri; cùm mensura non sit solius temporis, sed etiam aliarum rerum, & consistere in damnatis possit pœna ad mensuram respectu grauitatis & intensionis; & interim æterna, quò ad longitudinem & extensionem: vti nunc re vera finitis, & ad mensuram peccatorum puniuntur supplicijs, & tamen duratione æternis: ita vt mensura non super tempus cadat, sed super cruciatus acerbitatem, maiorem aut minorem, prout peccata maiora, minoráue fuerint. Deinde addit rationem, cur peccatis exigui temporis pœna infligatur duratione infinita. *Ex qualitatibus quippe voluntatum,* inquit, *non ex temporum spatijs, siue rectè facta, siue peccata metimur. Alioquin maius peccatum haberetur, arborem deijcere, quàm hominem occidere. Illud enim fit longâ morâ, ictibus multis: hoc vno ictu, breuissimo tempore: pro quo tamen exigui temporis tam grandi peccato, si perpetuâ deportatione homo puniretur, etiam mitiùs cum illo actum, quàm dignus fuerat, diceretur: quamuis in spatio temporali, longitudo pœnæ cum breuitate facinoris nullo modo sit comparanda. Quid ergo contrarium est, si erunt pariter longa, vel etiam pariter æterna supplicia; sed alijs alia mitiora vel acriora? vt quibus tempus æquale est, non sit æqualis asperitas: propter mensuram etiam peccatorum, non in productione temporum, sed in voluntate peccantium. Voluntas quippe ipsa punitur, siue animi supplicio, siue corporis: vt quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis: & vt qui iudicat sine misericordia, sine misericordia iudicetur. Et in hac quippe sententia, ad hoc solùm eadem mensura est, vt quod non præstitit, non ei præstetur. Atque ita, quod ipsa iudicatur æternum erit: quamuis quod iudicauit, æternum esse nequiuerit. In eadem igitur mensura, quamuis non æternorum malefactorum, æterna supplicia remetiuntur: vt quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inueniat seueritatem.* Sic Augustinus.

S. August. epist. 49. ad Deogratias, quæst. 4.

Quæsiuit etiam è S. Gregorio magno, vrbis Romæ Episcopo, Petrus Diaconus, quid super hac ipsa re illi videretur, & quæsiuit his verbis: *Scire velim, quomodo iustum sit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur?* Cui Gregorius sic respondit: *Hoc rectè,* inquit, *diceretur; si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerūt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.*

S. Gregor. Pont. lib. 4. dialog. cap. 44.

Approbat hanc rationem, & explicat S. Thomas, in 1. 2. quæst. 87. art. 3. ad primum, vbi dicit: *Iustum tamen est secundùm Gregorium, quòd qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solùm secundùm continuationem actus in tota hominis vita durantis; sed quia ex hoc ipso, quòd finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi.*

S. Thom. in 1. 2 q. 87. art. 3.

Quæ ratio, vt valeat non parum in multis mortalibus, verbi gratia, in auaris; quorum extant terribilia exempla, nonnullorū, qui etiam in ipsa morte nummos ad sepulchrum deferendos deglutiuerunt; in luxuriosis, qui nec in extremo spiritu, voluptatum exire laqueis voluerunt; in gulosis, qui & colla gruū pro longiori fruendarum deliciarum sensu (vti Philoxenus ille apud Athenæum) habere peroptarunt: in vindictæ cupidis, quorum aliqui iam iam morituri illa filijs suis ac nepotibus extrema dederunt mandata; vt patrias iniurias quoquo modo vlciscerentur; ni facerent, æternam maledictionem pro hereditate participarent: in his, inquam, & similibus insignitæ nequitiæ hominibus, vt non parum valeat ista S. Gregorij, ac D. Thomæ ratio; tamē sunt etiam plurimi, quibus voluntas intra vnicum peccati cuiuspiam actum se teneat, nec vltrà illum, nedum ad infinita scelera, progredi cupiat: in quibus proinde locum ea ratio habere non possit. Quid ergo de illis dicetur? non puniendos pœnâ æternâ, quoniam peccandi voluntas non fuerit æterna? Minimè gentiū. Neque enim peccatorum pœna simpliciter ipsorum duratione metienda est, aut inefficaci voluntati coæquanda: sed ex ipsorum potiùs grauitate atque enormitate æstimāda est. Hinc Augustinus, lib. 21. De ciuitate Dei, cap. 11. contra illos, qui iniustè infligi æternas pœnas peccatis non diuturnis existimant, ita scribit: *Sic autem,* inquit, *quidam eorum, contra quos*

Athenæus lib. 1. Dipnosophistarum, cap. 3.

Augustin. l. 21. De ciuitate Dei cap. 11.

vt pro peccatis quamlibet magnis, paruo scilicet tempore perpetratis, pœnâ quisque damnetur æterna: quasi vllius id vnquam iustitia legis attendat, vt tantâ morâ temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, vnde puniretur, admisit. Et sanè quis ob illatum filiæ suæ virgini stuprum, aut vxori probrum, aut sorori incestum flagitium, tametsi omnia in breuissimo tempore admissa sint, æquè breui in admissarios vindicatione, & pari acceptis voluptatibus dolore contentus sit? Quod si tale animaduersionis genus homo ab homine violatus, par à pari, & æqualis ab æquali nemo patitur; sed grauiorem quàm voluptas fuerit, & longiorem quàm ipsa cupiditas durauerit, pœnam exposcit; quid Deus ab homine, dominus à mācipio, creator ab opere manuum suarum, summa iniuria affectus, quid is faciet, cùm ad iudicādum, cùm ad puniendum venerit? Quanta enim erga pios in remunerando elucescet benignitas, tanta ferè illius erga impios exardescet in vlciscēdo acerbitas. In ira enim iudicabit, & in furore indignationis suæ vlciscetur. Quanta porrò ira futura sit, quis dicat? *Quis nouit potestatem iræ tuæ*, (inquiebat Rex ille potentissimus simul & sapientissimus Dauid) *& præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quasi diceret: Nemo prorsus homo capit, quantum possit ira tua: nemo ex ingenti, quo percellitur, tui timore, quātus futurus sit furor tuus, valet comprehendere. Non igitur ex breuitate voluptatis, sed ex peccati ipsius cōtra supremā & infinitam bonitatem (quæ contēpta & vilissimis rebus postposita fuerit) grauitate atque enormitate pēdetur, ac statuetur supplicium.

Psal. 89. ver. 11.

Vnde ad illud, quod de minoribus peccatis, & exiguis furtis, intra offensæ mortiferæ rationem ingerebatur, hęc deduci potest responsio; nempe non solum rei æternę in peccatis spectari quantitatem, sed etiā ac multò magis ipsius, volūtatis, quæ in quolibet peccato, Deum creatorem, & sanctissimam eius legem sciens, volens contemnit ac violat, ac proinde constitutam violatoribus pœnam, ipsam contemnendo, iure incurrit. Nam si violās legem humanam, quæ à bono ac prudenti legislatore in magnum reip. commodum lata est, & facilè seruari potest; adiectam illi pœnam meritò censetur incurrere: quanto magis ij, qui constitutas à Deo opt. max. æquissimorum mandatorum tabulas, & inculcata sæpius præcepta audacter & impudēter contempserint; ijs obnoxij erunt supplicijs, quæ contemptoribus intentata sunt? præsertim si eorūdem obseruatoribus maiora fuerint proposita præmia, quàm constituta violatoribus supplicia. Atqui ita res hic agitur. Magna sunt constituta peccatoribus aduersus Domini præcepta venientibus supplicia, nempe toleratu admodum grauia, & duratu æterna: sed ea custodientibus, præmia æquè æterna duratione, & gaudij vbertate atque præstantiā, longè maiora.

Quare, quod de imitanda patris æterni misericordia in eodem quinto argumento, amarulētè iactatur, & simul quæritur, qualis sit illa misericordia, nunquā manum retrahere à verbere, nunquam ab inferendis pœnis cessare; respondetur id nō esse opus misericordiæ, sed iustitiæ: quippe in loco iustitiæ, non misericordiæ, vt suprà dictum est. Nam & locus sancti Lucæ ibi allatus, *Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est*, non de misericordia erga omnes, vbicumque illi sint, intelligitur, sed de solis hominibus in mundo degentibus, & misericordia indigentibus: non de ijs, qui aut in inferno cōstituti nullius capaces sunt, aut in cęlo nullius indigent. Nam qui in purgatorio detinentur, tametsi de illis expresse apud Lucam eo loci non agitur, tamen, quòd & ipsi iuuari possint, misericordia digni sunt.

Lucæ 6. ver. 36.

Nec ille itidem alter eiusdem S. Lucæ locus, de remetiendo eâdem mensurâ, quā quis mensus fuerit, contra æternas damnatarum pœnas quicquam momenti habet: cùm nihil aliud ibi velit Dominus, quàm spe metúue similis retributionis hortari ad bene alijs faciendum, aut à malè faciendo dehortari; perinde ac si dicat: Talem se Deus erga vos præstabit, quales fueritis in fratres vestros; misericordem, si misericordes; liberalem, si liberales; &c. Vbi illud *eâdem mensurâ*, non sic capiendum est, quasi æqualitatem significet, sed tantùm similitudinem. Nam multo liberaliorem se præstabit Deus homini, quàm homo alteri homini possit: ac multò item seueriùs iudicabit & puniet admissa peccata, si quidē mortifera fuerint, quàm humanum ferat tribunal ac iudicium. Siquidem in hoc tribunali nec præmium, nec supplicium æternum est, vt in diuino. Quia mortalis in mortalem, nihil ad dolorem & cruciatum, vltra mortem potest: faceret autem interdum, si posset. Adeo grauia nonnunquam exstant flagitia! Deus autem, qui potest, itidem & facit: quia iustissimas faciēdi caussas habet. Quas si refellere homo conetur, sua ipsum conscientia condemnabit.

Ibidem ver. 37.

Denique ad pręceptum Deuteronomij, quo iubetur, vt pro mēsura peccati sit plagarum modus, &c. dico illud præceptum valde conformè esse in hac nostra mortalitate, diuinæ misericordiæ, quā plena est terra, & cælum plenissimum sedibus, qui illam hîc contempserint, cùm frui possent; magis conformis est in locis inferis (quò se ipsi vltro præcipitauerunt) diuinę ipsius iustitiæ,

Deuteronomij 25. ver. 2.

iustitiæ, digna commissis vindicatio. A qua nos per misericordiam suam in hoc tempore opportuno eripiat, qui solus bonus & potens est, Deus.

VI. ARGVMENTI REFVTATIO. Ad postremum, de paterna Dei in suos prouidentia, dico & contendo, nunquam patrem vllum, aut matrem vllam tantũ boni liberis suis voluisse, tantum ad eorum protectionem & salutem aduigilasse, tam præsto in omnibus aduersis & prosperis, ne animo aut in illis caderent, aut in his efferrentur, adfuisse, quàm Deus ille misericordiarum & totius consolationis in omni tẽpore suis adfuit. Nã prętérquam quòd ipse nunquam ab illis ne vestigio quidem abfuit, sed intima sui præsentia eos insedit, paratus semper adiuuare, cùm inuocaretur; etiam Angelos illis custodes adhibuit sciẽtissimos ad docendum, vigilantissimos ad obseruandum, fortissimos ad defendendũ, quibus si obsequerentur, nihil omnino posset ipsis aduersi accidere. Age verò, diuinam audi curam ac prouidentiam, matris cura & prouidentia longè maiorem ac vigilantiorem: *Numquid obliuisci potest*, inquit, *mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Isaie 49 ver. 15.

Hoc Sioni dictum est, inquies, ciuitati Deo dilectæ, sed *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*, vt ipse protestatur Dauid. Quare multò aliter nobiscum quàm cum illis fecit, nec præcepta sua & iudicia nobis manifestauit, & tamen punit nos, perinde quasi nobis manifestauerit. In quo quidnam sit æquitatis, nec videmus, nec capere possumus. Psal. 147. ver. 20.

Verum quidẽ ex parte est, quod obijcitur: quãdoquidem Sioni ciuitati & populo Iudæorum vniuerso longè plus contulerit Deus, toto veteris legis tempore, quàm vlli sub cęlo nationi: quippe quibus per Moysen leges dedit, & monita atque cõsilia per Prophetas addidit. Alijs enim si quando leges datæ sunt, at non à paribus Moysi; si quando monita & consilia addita, sed non à similibus Prophetarum: diuino illi spiritu, hi humano agebantur. Hoc quidem, inquam, verissimum est, plus Iudęis datum, & abundantiùs quàm ceteris, sed non propterea etiam Gentilibus, quod à patre dandum fuit, est denegatum. Nam & matres licet interdum è liberis suis istos plus diligant, quàm alios, non ideo tamen vllis sinunt suum desiderari maternum amorem ac beneuolentiam, nisi si peccatis suis indignos se faciant. Denique faciliùs ac citiùs cuiuscumque filij sui obliuiscetur mater, quàm imaginum suarum paterna Dei bonitas: & citiùs, atque ob minora scelera suos exhereditabit liberos parentum amaritudo, quam supremæ maiestatis seueritas, (si bene delicta pensentur) suos. Quoties enim, & quàm grauiter tantus à tantillis offenditur Deus? & quoties ijdem & quàm hilariter, vbi se respexerint, & veniam poposcerint, seria omnium condonatione, perfectissimáque obliuione recipiuntur in gratiam? In hoc enim Dei filius inter homines versans, multarum inductione parabolarum (quas S. Lucas euangelij sui capite 15. enarrauit) Scribis & Pharisæis declarare dignatus est, quanta ipse cura & affectu peccatores, & requireret aberrantes, & repertis gauderet, & redeuntibus occurreret. Nempe proposito boni pastoris de vna oue reperta singulari gaudio, cum amicis & vicinis ad congratulationem communicato, ita subiungit: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Et iterum post mulieris de inuenta drachma exultantis lætitiam, *Ita dico vobis*, infit, *gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* De filij autem prodigi post dissipatam viuendo luxuriosè omnem substantiam, ad patrem suum reditu & receptu, illo pœnitentiæ, hoc amoris & gratiæ plenissimo, quid dicam? Cùm enim ille adhuc longè esset, & cum animo suo, quid patri dicturus esset, meditaretur: *vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.* Quod ergo ille pater ex abundanti bonitate circa filium sua culpa nudum & miserum, sed resipiscentem, fecisse prædicatur; hoc longè veriùs & abundantiùs erga homines non luxuria modò, sed quouis etiam alio flagitiorum genere perditos, sincerè tamen pœnitentes, verus ille & solus bonus Pater facit, qui non solùm redeunti occurrit, sed etiam vt redeat, vel flagellis impellit, vel beneficijs allicit; cetera verò omnia longè excellentiore ac diuiniore modo, quàm possit mens nostra capere, perficit. Internos enim amplexus, & animæ oscula, & nouos cultus, ornamentáque virtutum quis dicendo explicare, quis meditando comprehendere possit? Atque hæc eò spectant, vt

Lucæ cap. 15. ver. 7. Ibid. ver. 10. Ibidem ver. 20.

vt ex illa diuini amoris erga homines abyſſo,& ex tanto recipiendorum peccatorum deſiderio, & per pœnitentiam receptorum gaudio,intelligamus fieri non poſſe, quin omnibus ad quærẽdam & obtinendam ſalutem ſuam (*nec eſt enim perſonarum acceptio apud Deum*;) ſapienter,benigneque proſpiciat.

Ad Coloſſ. 3 ver. 25.

Sed Gentilibus,inquies, quonam pacto? Nam *iudicia ſua*,vt modò dicebatur,*non manifeſtauit eis*: quod ex hoc ipſo Regis & Prophetæ teſtimonio notum eſt. Quid igitur? An ea lege teneri quis poteſt, quam ignorat? Et ſi quis nõ obſeruet iudicia,quæ non audiuit; & præcepta, de quibus ne ſuſpicatus eſt quidem; is æternæ damnationis reus erit? Apage inauditam iniuſtitiam, immanem ſæuitiam. Non decent hæc vllum magiſtratum, vllum iudicem, vllum legis latorem, nedum infinitam ſapientiam,iuſtitiam, bonitatem. Itaque vel manifeſtat illis iudicia ſua, vel de ijs non ſeruatis pœnas non repoſcit.

Pſal. 147. ver. 20.

Reſpondeo,ad ſenſum teſtimonij ſuprà poſiti bene inferri, homines non daturos pœnas de iudicijs, quæ propter ignorationem nõ ſeruauerint,ſeruaſſent autem,ſi sciuiſſent: ſcire porrò non potuerunt,quia qui eos doceret,non habuerunt. Iudicia igitur illa & præcepta diuina ac humana, quæ voce aut ſcripto ad ſui manifeſtationem eguerunt, ſi quis abſque culpa ſua ignorauit, libenter alioqui auditurus & ſeruaturus, ſi cognouiſſet, nullam prorſus eorum gratiâ luet pœnam. Sed ſi eſt aliqua lex naturæ, vti certiſſimò eſt, eáque omnibus ratione vtentibus per ſe cognita, & obſeruatu facilis; certè ſi quis aduerſus eam fecerit, ac Deum eius auctorem ac vindicem contempſerit; nihil cauſſæ eſt,quamobrem pro delicti modo pœnam non ſubeat, tam diuino, quàm humano iudicio conſtitutam.

Et ex amore ſalutis noſtræ immenſo, quem in aliquibus vocandis ad ſe, aut à pernicie reuocandis, ſæpe oſtendit, quid aliud debemus de illo, quàm bona omnia & iuſta & ſancta ſentire & prædicare? & ſi quos pœnis addicit interminatis, id poſt plurima ſua beneficia, & grauiſſima eorum peccata,& indelebiles ingratiſſimi animi notas,velut adigente iuſtitia,facere?

Neque poſſunt infideles vitijs ſuis ac ſceleribus ignorantiæ velum prætexere,neque allegare quòd Deum, quòd eius potẽtiam, aliáſque eius perfectiones ignorauerint. Satis enim rationis habuerunt, vt cognoſcere poſſent,ſi vellent: immo & ſatis cognouerunt, ingerente ſe quodam modo è rebus creatis notitia creatoris: ſed cùm cognoſcerent,& cognitum colere,amare, in-

A uocare, laudare deberent, & pro cunctis eius donis gratias agere; tamen tantum abfuerunt, vt hæc facerent; vt potiùs eo ſpreto ac derelicto, omni ſe vitiorum genere contaminauerint. Nam de ſufficiente in ipſis Dei notitia diſertè proteſtatur ipſorum Apoſtolus, in epiſt. ad Romanos, c. 1. ver. 19. *Quia quod notum eſt Dei*, inquit, *manifeſtum eſt in illis*. id eſt, quod de Deo venire in notitiam hominis natum eſt, illis cogni-

Ad Rom. 1. ver. 19.

B tum fuit. *Deus enim illis manifeſtauit*. Quomodo autem? aut qui id probetur? manifeſtauit, inquam, non lumine quidem fidei,quod tamen nacti eſſent,ſi aliud lumen à natura datum non extinxiſſent, ſed lumine rationis, quod in rebus creatis emicans ipſarum auctorem oſtendebat Deum. *Inuiſibilia enim ipſius*, inquit idem Paullus, *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus &*

Ibidem.

Ibidem verſu 20.

C *diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles*. id eſt, Deus, & diuinæ quæ in eo ſunt, (aut quæ potiùs ipſe eſt) perfectiones, licet in ſeipſis videri & cognoſci non poſſint, vtpote inuiſibiles, tamen iam vſque ab ipſa mundi creatione ex rebus creatis intelliguntur, & in illis quadam tenus conſpiciuntur. Nam totus hic mundus, velut quoddam ingens volumen eſt, in quo Dei potentia, ſapientia, bonitas, iuſtitia, aliæque virtutes, in ipſis tam anima-

D libus, quàm rebus inanimis, formâ quadam hieroglyphicâ adumbratæ cernuntur. Quin & in formicis, in apiculis, in bombycibus mira videas diuinæ potentię, ſapientiæ, prouidentiæ veſtigia. Sed quòd illa fortè, propter exiguitatem, non ita ſenſus feriant, ad maiora ſuſtollamus oculos, nonne *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum?* id eſt, prædicant cæli & firmamentum, Dei potentiam,

Pſal. 18. ver. 1.

E qui ipſa condidit, ſapientiam qui ſic ordinauit, prouidentiam, qui rerum conditioni, auctioni, conſeruationi, curſus eorum volubilitatem tam certam, tam conſtantem proſpexit. Hinc præclarè S. Proſper Aquitanus, lib. 2. De vocatione Gentium, cap. 4. explicans S. Paulli locum ex Actis Apoſtolorum, c. 14. vbi docet Lycaonios, qui Gentiles erant, non caruiſſe omnimoda Dei notitia, ſed etiam illis reliquiſſe

Actor. 14. ver. 16.

F Deum aliquod ſui teſtimonium, vnde in perfectiorem eius venirent cognitionem; præclarè, inquam, idem Proſper illud teſtimonium de hac mundi fabrica (quod admirabiliſſimum eſt Dei opus) explicat, dum ſic ſcribit: *Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſeruiuit, & nunquam de eius bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æterna*

S. Proſper lib. 1. de vocatione Gentium, cap 4.

æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis A *elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur? Cælum ergo, cunctaque cælestia, mare & terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ, ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris: & tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc* B *legem est: & odor vitæ, qui spirabat ad vitam, factus est ei odor mortis ad mortem, vt etiam in illis visibilibus testimonijs disceretur, quod littera occideret, spiritus autem viuificaret. Quod ergo in Israel per constitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in vniuersis nationibus, totius creaturæ testimonia, & bonitatis Dei miracula semper egerunt.* Hæc Prosper de cognitione Dei, ex rebus creatis, nationi Gentium concessa: C quæ locum S. Paulli ad Romanos suprà laudatum nonnihil illustrant.

ORIECTIO INFIDELIVM.

Verùm si ista cognitio sufficiens non fuit ad credendum, quomodo sufficiens erit ad puniendum? Nam si Gentiles, cum omni ista cognitione, non possint suis naturæ viribus, ad promerendam fidem assurgere, vt Theologi docent; quæ culpa est non credere? quam pœnam meretur, non habere fidem, ad quam totis niten- D do viribus nequeas ipse attingere?

RESPONSIO CATHOLICORVM.

Respondetur verum quidem esse, non sufficere naturæ vires ad credendum, aut ad fidem, quæ donum supernaturale est, promerendam; sed tamen sufficere ad cognoscendum Deum, & glorificandum, & illi pro beneficijs gratias agendum: quod si à Gentilibus factum esset, maiores procul dubio Deus opt. max. illis gratias contulisset, non naturales tantùm & debitas, E sed etiam indebitas & supernaturales, quemadmodum nonnullis fecit, & Gentili Iobo inter alios, in quem fere dubites, vnde plura Deus bona effuderit, è cælo, an è terra. Nam eum certè vtrorumque bonorum longè ditissimum effecit, atque etiam in paupertatem deuolutum releuauit. At ij Gentiles, qui à Deo reprobati sunt, ideo reprobati sunt, quia illa non fecerunt, quæ debebant facere, & pote- F rant. *Quia cùm cognouissent Deum* (vt testatur ipsorum doctor & Apostolus) *non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium*: id est, loco veri & æterni Dei, coluerunt ido-

Ad Roman. cap. 1. ver. 23.

la & simulacra hominum, & diuersarum animantium: ita vt quemadmodum ex rectæ rationis præscripto viuentibus, & naturæ donis bene vtentibus, etiam dona gratiæ fuisset additurus ille omnium bonorum beneficus largitor Deus; sic è contrario facientibus & indignè abutentibus meritò irascens, manum suam à maiorum collatione munerum inhibuit, & *tradidit illos*, vt Paullus loquitur, *in desideria cordis eorum*, hoc est, in omnem irruentibus impuritatem habenas laxauit, siuitque ire præcipites. Ad huius doctrinæ confirmationem spectat ille S. Ioannis Chrysostomi locus, in libro primo De compunctione cordis, sub finem, vbi de triplici hominum genere loquens, quorum aliqui gratiam recipiunt & retinent: alij recipiunt quidem, sed non retinent: tertij vero ne recipiunt quidem, sic scribit: *Venit quidem ad vnumquemque gratia Dei, sed apud eos qui dignè explent ea, quæ mandata sunt, permanet: ab his vero qui minus dignè agunt, cito discedit: ad eos autem, qui nec initium faciunt conuertendi ad Dominum, omnino non venit.* Per hos enim postremos intelligit eos, qui nihil prorsus conferunt ad sui conuersionem, ne legis quidem naturalis obseruationem, neu Dei, licet à se aliquo modo è rebus creatis cogniti, vllam glorificationem, aut gratiarum actionem.

Verumenimuerò neque hic plenæ ac perfectæ sciétię & veritatis studiosus quiescit animus (nam Paulli dicta videntur tantùm contra sapientes mũdi, & philosophos sæculi esse dicta: vtpote qui ingenio præpollentes potuerunt illum mundi librum legere & intelligere) sed ad quęrendum vlterius mouetur, de hominibus plebeio ac humili tardóue ingenio, qui librum illum legere non potuerunt, nedum intelligere; quomodo illi de ignoratione Dei & fidei, vel in crimẽ, vel in pœnam vocari possunt? Si enim hodie in tanta euangelij luce, & tot circumuolantibus fidei aquilis, nõ pauci per remotiores ac tenuiores pagos reperiuntur, adeo agrestis stupidæque indolis, vt non modò nihil legere in illo naturæ libro possint, sed neque paucissima religionis nostræ mysteria, licet sæpe inculcata, condiscere retineréue possint; quid ijs accidere necessum est, qui in media viuunt Barbaria? vbi homines nihil nisi præsentia & vsu cognita imaginantur & cogitant; cupiunt & refugiunt; amãt & auersantur: nec quicquam denique supra sensus sapiunt? Hinc si aliquem credant in terris Deum, Solem illum esse dicent, non auctorem Solis, quem nullum agnoscunt.

Ac de Sole quidẽ habito & culto pro Deo, & à maxima quidẽ orbis parte alibi à nobis ostensum est. Quis igitur Gentiles illos natura

tura sua rudes, & locorum situ incultos, qui nihil de vero Deo audierunt, nihil audire potuerunt, æternis addicendos supplicijs propter Dei ignorantiam, & defectum fidei, censere ausit? Nam valde durum est attrahere in hoc Paulli verba, è priore ad Corinthios cap. 14. ver. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. id est, Qui Deum ignorauerit, à Deo ignorabitur, & tanquam alienus reprobabitur, & à regno excludetur. (1 ad Cor. 14. ver. 38.)

Respondeo Paullum in loco ad Romanos suprà citato præcipuè quidem de Philosophis loqui, quorum vt maior scientia fuerit, ita & culpa, & vt culpa, itidē & pœna; sed tamen illos quoque sua sententia comprehendere, qui licet minore scientia & Dei cognitione præditi fuerint, tamen sufficientem habuerunt, vt eum timerent, & à peccatis abstinerent: eum amarent, & de beneficijs gratias agerent: eum colerent, & à dæmonum simulacris abhorrerēt: quæ cùm non fecerint, sed rationi resistentes & conscientiæ stimulis recalcitrantes, in grauia peccata scientes volentes se præcipitauerint, eos itidem fore inexcusabiles, & æternis meritò hauriendos incendijs. Quod autem de alijs affertur, non sua culpa, sed ingenij ac doctrinæ defectu Deum ignorātibus. dico tales Gentiles nō propter ignorantiam, cuius depulsio in ipsorum nō fuerit potestate, damnandos esse; sed propter peccata, quæ admiserint aduersus Deum, si non directè ac distinctè, saltem aliquo modo & confusè cognitum: aut licet eum non norint; eo saltem nomine, quòd tanto in ea affectu irruerint, vt neque propter Deum (si illum esse atque ea vetare sciissent) ab ijs temperaturi fuerint. *Nam virtualis quidam contemptus Numinis in illorum affectu continetur*: vti loquitur & docet Leonardus Lessius lib. 13. *De perfectionibus diuinis*, cap. 26. sub finem.

Quòd si nec Deum vllo modo sciuerint, & omni culpa caruerint, tā in eo ferè statu futuri sunt, quo paruuli & alij vsus rationis expertes; qui vt peccata nescierunt: sic neque pœnas cruciabiles sentient. Cum enim pœna æterna ob æterni Dei contemptum statuta sit, vbi talis contemptus abfuerit, abesse & pœnam necesse est. Abesse autem Dei contemptum, vbi nulla prorsus exstet eius notitia, satis liquidò constat.

Hinc Paullus in cap. 1. & 2. ad Romanos, vbi de Gentilibus agit, quibus nec ea cognitio Dei obtigit, quæ Iudæis; nec viuendi lex data, quæ illis; non tam ipsorum ignorantiæ, quàm peccatis ex ea consecutis, aut in illa admissis diuinam animaduersionem attribuit. *Quicumque enim sine lege peccauerunt*, (inquit cap. 2.) *sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*. id est, quicumque non habuerunt legem Dei scriptam, aut sibi traditam, seu verbo, seu scripto, & sine lege illa peccauerunt; (scilicet contra legem naturæ) ij non quidem ex præscripto legis scriptę, sed ex violato legis naturæ dictamine peribūt: quicumque autem habentes legem, à Deo per Moysen datam, contra illam fecerunt, ipsi per illam iudicabuntur. id est, propter eius violationem damnabuntur, ac punientur. (Ad Rom. cap. 2. ver. 12.)

Ad alterum Paulli locum quod attinet, fateor durum esse, illa eius ad Corinthios verba, *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, trahere ad Gētiles, qui nulla sua culpa Deum ignorauerint. Nec enim ad illos habuit, aut direxit sua verba Apostolus; sed ad eos, qui illum audiebant, & tali laborare ignorantia non poterant: nec de ignorantia Dei locutus est, sed de crassa ignorantia, & contemptu eorum, quæ ipse Corinthijs ex parte Domini cum scribebat, vt liquet ex eius verborum contextu. Post multa enim à se allata, quæ ad bonos mores & ad mutuam Christianorum inter sese pacem, atque concordiam, ac bonum ecclesiæ ordinem spectabant, ita subiecit: *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis; cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis*. Quorum hic est sensus: Si quis sibi videtur prophetię dono instructus, & Dei spiritu agi, seu prophetando, seu linguis loquendo; seruet in his modum, quem pręscribo; & sciat ea, quæ dico, esse mandata Domini, & eo inspirante à me dici, ac propterea si quis scire, & obseruare non curauerit; ignorabitur & ipse, ac reprobabitur à Domino; vt qui vel ab eo missum audire noluerit, vel audita contempserit. Quare, fratres mei, auctor quidem vobis sum, vt studeatis prophetare, & verbis alios erudire, ac permitto etiam loqui linguis, neque illos impediri velim, qui loqui illis possunt, sed tamen hæc omnia fieri honestè & ordinatè .i. sine arrogantia, sine quæsitu laudis, sine contentione, sine ordinis (qui in ecclesia, si vsquam alibi, quàm diligentissimè seruari debet) perturbatione, cedentes alij alijs; vt non omnes prophetare seu proferre sermonem ædificationis velint, sed duo aut tres dumtaxat, alijs auscultantibus: nec omnes similiter loqui linguis: præsertim ijs, quas ferè nullus, aut paucissimi in cœtu illo nōrint. Hoc enim magis laudem quærentis esset, aut frustra loquentis, quàm viri spiritualis & modesti. (1. ad Cor. 14. ver. 38.) (Ibid. ver. 37.)

Iste est igitur sensus verborum S. Paulli, non is qui vulgò circumfertur, & iactatur,

tur, velut aduersus omnes infideles Dei ignaros, vel cōtra quosuis Christianos mysteriorum fidei quoquo modo rudes & inscientes prolata sint.

QVALIS SIT CONDITIO INFIDELIVM IN IGNORANTIA INVICTA, SI QVA DETVR, MORIENTIVM.

Iam porrò, vt finem huic de infidelibus quæstioni, cum aliqua eorum, qui ex illis progeniti sunt, & fidem susceperunt, consolatione finiamus; satis probabile est, & diuinæ bonitati conforme, primò quidem, multos ex ijs infidelibus, ita in vitæ puritate & innocentia esse à suis custodibus Angelis conseruatos, vt lumen fidei sufficiens ad æternam vitam cum baptismo vel baptismi voto (si de noua lege agatur) diuinitus acceperint: tempore autem veteris, in qua nec baptismus illis, nec circumcisio erant necessaria, cum desiderio dumtaxat rectè & secundùm naturæ legem aut rationis dictamen vitam exigendi, & Deum pro modo cognitionis suæ colēdi, amandi, gratias agendi. Secundò, quamuis fortè illud fidei lumen aliqui rectè ac iustè viuentes non recepissent (si qui sint eiusmodi) saltem non esse tormentis inferni, adeóque nec vllo dolore sensus, sed solo diuini conspectus damno (quod eos non aliter quàm nunc degentes in terra grauet) afficiendos: quin & meliore loco videri futuros in die iudicij (loquor de illis, qui naturæ legem quam solam nôrant, exactè seruauerunt) quàm pueros Christianorum, in prima infantia, absque baptismo vita functos. Hi enim nihil boni fecerunt, ac proinde nihil meriti sunt, nec æternum, nec temporale: at illi legem naturæ seruauerunt, & bona opera temporalium bonorum remuneratione digna ediderunt: vt proinde si quis in terra, post supremum diem, futurus sit in hominibus ibi relictis sensus delectationis, seu in anima, seu in corpore; is maior in his qui adulti non peccarunt, cùm possent; quam in illis, quibus per ætatem peccare non licuit, futurus videatur. Malim equidem omnibus, qui actu nō peccarunt, cùm possent: affusum esse fidei lumen diuinitus, sed quoniam in mera Dei misericordia id situm sit, nec ipsi ad hoc aspirare solis naturæ viribus, nec se congruenter & dignè tanto munere disponere, nedum mereri potuerint; ita factum esse quamuis probabilissimum sit, tamen ob incognita nobis Dei consilia, non omnino certum est. Quare secundus, quod aiunt, portus tali infidelium nationi fuerit, Dei quidem conspectu orbari, sed in terris nonnullo, quamuis exiguo, & qui ad naturalem beatitudinem (quā nonnulli perperam posuerunt) non assurgat, oblectamentorum sensu, nullo autem tormentorum affici: sícque meliore, quàm infantes baptismi aut martyrij exortes, cōditione perfrui.

Et quia suspicari quis posset, in terris planè incultis ac barbaris, bonorum Angelorum desideratam esse operam: qui scilicet hominibus, quorum custodes erant, & quibus auxilium necessariò afferre debebant, (quippe nullo illic alio suppeditante præsidio) opitulari prætermiserint; responderi certò potest, nullo modo id in bonos Angelos cadere posse, vt in hominum salute procuranda officio desint suo. Cùm enim nunc beati sint, & toto in Deum, Deíque voluntatem ex incomparabili eius amore, ferantur impetu; fit vt non tantùm Domini sui exemplo, salutem hominum, præsertim sibi commissorum sitiant; sed etiam, vt sint prorsus impeccabiles; ac proinde omnia sibi mandata cælitus exequantur ad amussim: ita vt non in illis, si qua in hoc negotio culpa sit; sed in hominibus, qui eorum obsequi impulsionibus noluerint, tota hæreat.

Atque hęc, doctrinæ S. Dionysij Areopagitę sunt valde consentanea, qui in libro *De cælesti hierarchia*, cap. 9 similem ferè obiectionem tangit & soluit. *Si quis autem* inquit, *quærat, quid caussæ sit; quamobrē cùm omnes nationes Angelos habeant sibi præsidentes, tamen solus populus Iudæorum ad diuinas reuelationes, & vnius veri Dei notitiam perductus sit; respondendum est, aliarum nationum errores, non ex culpa Angelorum ipsis præsidentium prouenisse; sed ab ipsismet hominibus, qui sui amore, & proprio arbitrio de recta ad Deum via in idololatriam deflexerunt. Nam & aliqui è Gentilibus Deum agnouerunt: vt Melchisedec, qui non tantùm Deo carus, sed & Sacerdos fuit, & alÿs ad Deum perueniendi dux fuit. Pharaoni quoque adfuit per visum Angelus Ægypti, & Babyloniorum Principi Angelus Babyloniorum, ÿsdemque sua visa exposuerunt; vni quidem Ioseph Patriarcha, alteri Daniel, per quos Deum agnoscere & colere potuerunt.* Hęc summatim doctrina magni Dionysij. Quā omnes verum est sequi.

Dionysius Areop. l. de cælest. hier. cap. 9.

Qualis autem ibi Melchisedec describitur; talis fuit & ipse Iob, Gentilis scilicet, & Sacerdos, & aliorū doctor, tam autem sanctus, vt tentatori eius dixerit Dominus: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedēs à malo?* Quod autem erat ipse, id & alios tanquam Sacerdos, & in gentem suam benignus, edocebat. Est enim Deum amantis, promouere quaquà datur, amati honorem & gloriam; & hominis itidem humani, velle fratribus suis, si qua in re alia, præsertim in religione, vt in re omnium maxima, prodesse. Quod ipsum fecisse Iobum, vel ex istis eius verbis potest colligi: *Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium*

Iob cap. 1. vers. 8.

Iob 29. vers. 21.

lium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluuiam: & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum. Si quando ridebam ad eos, non credebant: & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator. Quæ autem maior meliórue consolatio, quàm ea ipsa, quam sibi afflictissimo adhibebat, nempe è malis aliquando resurgendi & Dei clarè videndi spes, quæ ad fidem maximè pertinet? *Scio enim*, inquiebat, *quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Iob. 19. ver. 25.

Quemadmodum igitur illis inter suos præcipuè prospexit Deus, ita & priuatis hominibus, quin sufficientia procurarit, seu per homines, seu per Angelos præsidia, minimè dubitandum est. Atque de hac quæstione satis, nunc ad alteram.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Deus talem creare debuerit hominem, vt bene quidem agere posset, malè autem non posset?

HÆc quæstio formata est ex interrogatione Euxeniani Gentilis, viri clarissimi, & ex responsione S. Abercij, quas in textu vitæ, cap. XI. posuimus. Vtramque porrò huius quæstionis partem, hoc est, opinionem Euxeniani, & sententiam Abercij, suis quamque firmando argumentis, in medio ponemus, & veram pro virium facultate stabiliemus.

OPINIO EVXENIANI GENTILIS, ET ALIORVM INFIDELIVM.

DEbuit DEVS, si summè bonus est, & bonis delectatur, creare hominem bonum, & qui tantùm bene agere posset, non malè.

I. ARGVMENTVM. Primò: Quia summæ & infinitæ est bonitatis (qualis Deo tribuitur) summè aduersari & resistere omni malo, nec vllum illi dare vspiam locum. Nam si homines, vt boni sint, aut boni permaneant, auscultare iubentur Apostolo dicenti: *Nolite dare locum diabolo*: ne scilicet eius occidat animã, quicumque illi locum dederit: quanto minùs decuit Deum, qui est suprema bonitas, illi locum in mundo concedere, ne aut illum totum, aut maximam eius partem in exitium traheret sempiternum? vti iam fecit, facitque.

Ad Ephes. 4. ver. 27.

Aut certè, si permissurus erat Deus diabolo potestatem incitandi, & prouocandi, & protrahendi homines in malum, nonne saltem iisdem hominibus talem circumdare debuit armaturam, vt penitùs essent inuulnerabiles? aut potiùs, quod facillimum illi fuit, eam indere vim animi, quæ nulli cedere aut succumbere peccato posset? B Nam si nullus est carnalium parentum vel mediocriter bonus, qui liberos suos, (si quidem posset) non cuperet præstare quàm optimos, & aduersus omne peccatum longè tutissimos custodire, præsertim si vel per vnum peccatum fore mortis reos crederet, & temporalis dumtaxat mortis; quid igitur, si æternæ, & suppliciorum interminabilium? Si nullus, inquam, parentum carnalium, vel mediocriter bonus, id non faceret; C quanto magis infinitæ & plusquam paternæ intererat bonitatis, id ipsum conditis ab se hominibus exhibere? quippe in re, quam nullo ipse negotio, & sola voluntate, immo nutu, præstare, & pro sua omnipotentia posset, & pro sua infinita bonitate deberet.

2. Nunquam bonus magistratus in vrbem suam eos admittet, quos fore malos & reip. perniciosos certò præsciuerit, si quidem D in eius potestate sit, tam eos excludere, quàm admittere. Atqui Deus cuncta ab omni retro æternitate præuidit futura, tanquam præsentia; nec fuit, nec est quicquam, nec erit, quod eius effugere scientiam possit. Igitur præuidit hominem illum, quem primum creauit, esse peccaturum, & perniciem toti mundo allaturum: igitur illum in mundum, tanquam in remp. suam, minimè debuit admittere, nedum introducere. II. ARG.

E 3. Quis homo, si vel micam bonitatis ac prudentiæ habeat, operari velit ei generationi, ex qua nascituram sibi sobolem sciat malè morigeram, contumacem, refractariam, hominibus infestam, Angelis inuisam, Deo inimicam, immo nec verentem impiissima ac sæuissima aduersus parentes agitare cum inimicis consilia? Quod si nemo tali generationi operaturus homo esset, præsertim si alij non deessent bonorum F ferendorum liberorum modi, quomodo Deus infinitæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, quem latere non potuit, quales futuri essent homines ex ea creationis ratione quam elegit, hoc est, superbi, inuidi, impij, sanguinolenti, (quemadmodum exempla in ipsis propè mundi incunabulis ostenderunt) quomodo, inquam, à tali hominis creatione non abstinuit, atque ad aliam lõgè illa meliorem, quales in manu sua habuit innumeras, sese applicuit? III. ARG.

4. Quan-

IV. ARG. 4. Quandoquidem in supremo diuinæ maiestatis consilio decretum erat, creari hominem ad imaginem & similitudinem Dei, nonne videtur ei danda fuisse anima in bono firma ac stabilis, nec tam in malum prona & labilis? Qui enim creat pronam in malum, videtur & ipse malum velle, ac malo delectari. Si autem in bono stabilem & inconcussam creasset, tum homo maximè imaginem Dei & similitudinem tulisset, & sartam tectam retinuisset.

V. ARG. 5. Estne sapientis ac prouidentis, ea facere, quorum deinde ipsum pœniteat? immo quæ destruere debeat? Nam sic Deus fecisse hominem videtur: vt postea eum fecisse pœnituerit; & omnes, exceptis paucissimis, hoc est, viris quatuor, & totidem feminis, immisso aquarum diluuio deleuerit.

Quod sanè non accidisset, si vel naturâ, vel opportunæ gratiæ succursu impeccabiles constituisset. Nam quòd innata procliuitas ad malum, tantæ caussa perditionis atque exitij fuerit, ipse videtur confessus fuisse Dominus, cùm dixit, Geneseos 8. ver. 21. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Deum autem olim pœnituisse conditi hominis, & ipsum propter peccata, (quæ procul dubio futura præuiderat, si liberum & labilem procrearet) penè ad internecionem deleuisse, manifestant ipsiusmet verba, Geneseos sexto, ver. quinto: *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse eos.* Atqui eum non pœnituisset, dixerit Euxenianus noster, aut aliorum aliquis infidelium, si vel eum non creasset, vel creasset impeccabilem; quorum vtrumque facilè potuit: vel etiam, si quod aliquibus beneficij exhibuit singularis, forti gratiæ suæ protectione à grauioribus culpis defendisset.

Geneseos cap. 8 ver. 21.

Genes 6. ver. 5.

VI. ARG. 6. Denique vix imaginari aut mente concipere animus hominis potest, qui fieri quea; vt Deus, qui optimus & benignissimus & est, & prædicatur, eam voluerit creationis atque administrationis mundi rationem atque formam eligere, in qua de creatis ab se innumeris hominibus, & sua quidem imagine insignitis, tristissimum ipse atque eius amicissimi coram oculis suis tota æternitate habituri essent spectaculum, ille quidem filiorum, hic autē propinquissimorum, sempiternis ignibus cum immani

A desperatione & mortis continua deprecatione ardentium, & tanto quidem numero, vt si beatorum fiat cum illis cōparatio, vix vnus pro mille reperiendus sit, & decem pro denis millibus. Quod quidem ne videar verbis exaggerasse, non abs re erit, idoneis idipsum comprobare testimonijs, & habitum iam à septingentis fere annis super hac quæstione colloquium in medio ponere. Sub annum igitur Domini 976. imB perantibus in Oriente Basilio & Constantino fratribus; in Occidente autem, Ottone II. cùm degeret in Calabria beatus Nilus Abbas, vir eximia vitæ sanctitate multò clarissimus, neque illo magno Nilo S. Ioannis Chrysostomi discipulo, (si cælestis gratiæ dona spectes) vlla ex parte inferior; ad eum accesserunt Theophylactus Calabriæ metropolita, & Domesticus Leo, viri eruditissimi, & cum illis vnà principes ciuitaC tis, Sacerdotes, aliique è populo non pauci: quos cùm ille venientes animaduertisset, dixit intra se: *Cur nunc isti accedentes ad vana colloquia nos conijcient? Sed ô Domine IESV Christe libera nos à laqueis alienis, & concede nobis intelligere & loqui quæ oportet & facere quæ tibi sunt placita.* Et cùm orasset, aperit quem præ manu habebat librum, & forte fortuna inuenit reuelationem factam sancto Symeoni in admirabili monte. Cùm D igitur illi appropinquassent, & post salutationem sedissent, beatus Nilus tradit librū Domestico, vt legeret, vbi erat signum: ille verò aperiens os suum cœpit valde diligenter & attentè legere: cùm verò venisset ad locum illum, vbi dicit quòd ex decem millibus vix reperitur anima vna his temporibus, quę ad manum sanctorum Angelorum perueniat: cœperunt omnes quasi vno ore dicere: *Absit hoc, non est verum: hæreticus est,* E *qui hoc dicit. Nos igitur frustra baptizati sumus, & Crucem adoramus, & communicamus, & Christiani dicimur?* Hæc atque his similia cùm omnes obijcerent, videns beatus Nilus Metropolitam & Domesticum nihil talia dicentibus contrà dicere, humaniter respondit ipse, ac dixit: *Si verò demonstrauero vobis magnum Basilium & Chrysostomum & Ephræm beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, necnon sanctum euan*F *gelium eadem sentire ac dicere; quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora obloquimini, & Spiritui sancto aduersamini, & sanctorum Patrum metuenda verba hæreticis attribuitis, propter vitæ vestræ iniquitatem?* Denique tam serijs ac fortibus verbis illos increpuit, pœnásque inferorum æternas, nisi resipiscerent, interminatus est, vt perterriti & suspirantes dicerent: *Væ nobis peccatoribus & miseris.* Exstat hæc historia in peruetusto codice græco manu scripto monasterij Cry-

PAVCITAS SALVANDORVM.

NILI ABBATIS IN CALABRIA SANCTITAS.

DE NVMERO HOMINVM SALVANDORVM VARIÆ OPINIONES.

ptæ ferratæ, in vita eiuſdem B. Nili, quam A latinè vertit FEDERICVS METIVS Thermularum Epiſcopus, & ex eo in annales ſuos deduxit Cæſar Baronius ad annum Domini 976. Equidem duorum duntaxat è laudatis ibi Patribus hic verba referam: nempe S. Ephræmi, & S. Ioannis Chryſoſtomi, quorum ille in ſuo teſtamento, *Si vero*, inquit, *totam iudicabis terram, ſicut remuneratio tua manifeſtat, vnus non ſaluabitur ex millibus, & ex decem millibus duo non redi-* B *mentur.* Alter autem in homilia, *De pœnitentia, & quod non oporteat lapſum deſperare*, ſic Antiochenos affatur: *Quot*, inquit, *eſſe putatis in ciuitate noſtra, qui ſalui fiant? Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt in tot millibus, centum inueniri, qui ſaluentur: quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus, quæſo, malitia? quantus in ſenibus torpor? Filij curam gerit nemo: nemo zelum habet, vt ſenem reſpiciens imitetur:* C *exemplaria deleta ſunt: propterea neque iuuenes euadunt laudabiles.* &c. Hæc autem dicebat S. Ioannes Chryſoſtomus florente tum quàm maximè Antiochia, quam homil. 3. ad populum Anthiochenum initio, vocat *caput & matrem vrbium totius Orientis*, Τῶν γὰρ πόλεων, τῶν ὑπὸ τὴν Ἕω κειμένων, κεφαλὴ καὶ μήτηρ ἐστὶν ἡ πόλις ἡ ἡμετέρα. *Ciuitatum enim*, inquit, *ſub Oriente ſitarum caput & mater eſt ciuitas noſtra.* Et paullo pòſt, vbi D B. Flauianum Antiochiæ tunc Epiſcopum inducit ſic alloquentem Theodoſium magnum Imp. multum in eadem vrbe ſanguinis profundentem: Ἐνόησον τὸ τῆς πόλεως μέγεθος, καὶ ὅτι οὐ περὶ μιᾶς καὶ δύο ἢ τριῶν καὶ δέκα ψυχῶν ἐστιν ἡ σκέψις, ἀλλὰ περὶ μυριάδων ἀπείρων, περὶ τῆς κεφαλαίας τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. Αὕτη ἡ πόλις ἐστὶν, ἐν ᾗ πρῶτον ἐχρημάτισαν Χριστιανοί. *Cogita vrbis magnitudinem, quòd non de vna, vel de duabus, vel tribus, vel* E *decem animabus nunc nobis eſt conſideratio, ſed de millibus infinitis, de totius orbis capite.* De illa igitur vrbe, ciuium numero frequentiſſima, fide à viris ſanctiſſimis Petro Apoſtolo, Euodio, Ignatio, Herone, Theophilo, Serapione, magno Flauiano, & iam ipſo quoque Chryſoſtomo inſtructiſſima, in qua olim primitus fideles appellati ſunt Chriſtiani, de illa, inquam, vrbe ipſe Chryſoſtomus, eiuſdem ciuis & Presbyter, notos F habens populares ſuos, dubitare ſe dicit an centum ſalui futuri ſint è ducentis, aut trecentis, aut infinitis, vt ipſe loquitur, millibus, qui tum Antiochiæ erant.

ANTIOCHENÆ VRBIS AMPLITVDO ET DIGNITAS.

Denique è pluribus ſacræ Scripturæ locis liquidiſſimò colligitur, quanta futura ſit ſaluandorum paucitas, præ innumera multitudine damnandorum: cum & ipſius Noë tempore, vt ſuprà indicatum eſt, octo dumtaxat iuſti, in toto mundo reperti ſint: & poſtea ſæpe conqueſti ſint prophetæ & Apoſtoli totum ferè vniuerſum, immo ſine fere, *mundum totum in maligno eſſe poſitum.* & Dauid dicere non ſit veritus, pſal. 52. *Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominũ, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* id eſt, Tam corrupta eſt in omnibus natura, vt non ſit vel vnus, qui aliquod opus perfe-B ctè bonum exerceat. In tali autem corruptione pauciſſimi per ſingularem Dei miſericordiam ad ſalutem peruenerunt. Ex his igitur omnibus colligitur, quàm hæc creationis & libertatis ad peccandum ratio generi hominum damnoſa, exitialiſque fuerit: cùm tam multi perierint, tam pauci euaſerint.

SALVANDORVM PAVCITAS E SCRIPTVRIS PROBATVR.

1. Ioan. 15. ver. 19. Pſalmo 13. & 52. ver. 2. Ad Rom. 3. ver. 12.

SENTENTIA FIDELIVM PIA ET THEOLOGICA.

RAtio creationis & adminiſtrationis huius mundi, quemadmodum à Deo primitus eſt inſtituta, perquam bona eſt, & ſapiens, & iuſta: nec talis creari homo debuit, vt peccare non poſſet.

Probatur 1. Quia non poteſt id quod à ſummo bono fit, non eſſe bonum; & quod ab infinita ſapientia emanat, non eſſe ſa-D piens; & quod ab ipſamet ordinatur iuſtitia, non eſſe iuſtum. Quàm igitur Deus eſt bonus, tam amat bonum; quàm item ſapiens, tam amat ſapiẽtiam; & quàm itidem iuſtus, tam amat iuſtitiam: & quàm item amat quod bonum, quod ſapiens, quod iuſtum eſt; tam odit illud quod malum, quod inſipiens, quod iniuſtum eſt. Quis autem facit, quod ſummè odit? aut quis non facit, quod ſummè amat? ſi quidem face-E re aut omittere, in eius ſit poteſtate. Conſequitur proinde, rationem illam creationis & adminiſtrationis mundi, quæ Dei eſt opus, non poſſe (qua quidem tenus ex illo eſt) non eſſe admodum bonam, ſapientem, iuſtam.

2. Malum eſt à cauſſa deficiente & imperfectâ. Talis autem non eſt Deus. Igitur vel creatio & adminiſtratio mundi huius non eſt mala; aut, ſi eſt mala, ab illo non F eſt; cùm non ſit ipſe cauſſa deficiens & imperfecta, ſed abſolutiſſima & perfectiſſima. Iam autem cùm eam creationem ab illo eſſe conſtet (*In principio* enim *creauit Deus cælum & terram.* &c.) conſentaneum eſt non eſſe malam, ſed valde bonam; perinde atque omnia eius opera, de quibus exſtat illud ineluctabile teſtimoniũ, cap. primo Geneſeos, verſu vltimo: *Vidítque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Bene igitur & ſapienter & iuſtè facta. Hinc illa de

Geneſis 1. ver. 1.

Ibid. ver. 31.

Marci 7. ver. 37. de ipso popularis vox, Marci 7. *Bene omnia fecit*, semper & in omnibus Dei operibus locum habet: sicut & illa sapientissimi Regis acclamatio? Psal. 103. ver. 24. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua*, id est, rebus tuis & dominij tui, vtpote abs te creatis & conseruatis, & gubernatis. & ista Sapientis omnem eius circa res omnes dispositionem approbantis vox: Sapient. 12. ver. 15. *Cùm ergo sis iustus, iuste omnia disponis*.

III. ARG. 3. Illa est bona & præstans creationis & administrationis ratio, quæ ad optimum ac nobilissimum finem directa est, & cuius assequendi gratiâ, plurimis atque eximijs instructa est adiumentis. Atqui hæc Domini nostri conditoris est eiusmodi. Nam ad summam, (ex parte quidem Angelorum & hominum, vt de alijs taceatur) felicitatem, & bonorum omnium indeficientē copiam, cum pace & securitate destinata est. Via item eò perueniendi haudquaquam ex sese difficilis, datâ lege quasi luce, ostensa est; & viaticum insuper satis abundans subministratum. Ac de hominibus quidem (quorum caussâ vel vnicè vel præcipuè hāc olim mouit quæstionem noster, de quo suprà, Euxenianus) vt agamus speciatim, nonne illi ad hoc creati sunt, vt per viam mandatorum Domini (*& mandata eius grauia non sunt*, 1. Ioannis cap. 5. ver. 3. inquit illa expertus & accuratissimè executus Ioannes Apostolus) ad regnum perueniant, & regnum quidem incomparabile, securum, æternum, vbi Deo ipso perfruantur, ipsi consimiles effecti, nec vlla deinceps cuiuscumque mali, incommodiue contagione attingantur?

IV. ARG 4. In hac creatione impressit Deus homini imaginem suam, testimonium amoris præcipui, & ne parcior in donis videretur, liberrimam illi voluntatem dedit, ac promptum ad omnia arbitrium, non ad bona solùm, sed etiam ad mala: nempe vt tanto maior illi ex solius boni electione accederet gloria, quanto & mali, si quidem vellet, facultas suppeteret. Ne tamen facilè in malum laberetur, sed ei (tanquam quod Deo parenti, vt summè bono, aduersaretur) faciliùs resisteret, magnas ei vires & naturæ & gratiæ contulit, & beneficijs ingentibus cumulauit.

V. ARG. 5. Illa videtur præstantissima, vti cuiuslibet reip. sic totius mundi œconomia, in qua & legislatoris maxima elucet sapientia cum amore & prouectione subditorum coniuncta, & totius populi virtus singulariter emicat, præmijs amplissimis incitata. Talis porrò est hæc cæli terræque, Angelorum & hominum structura & administratio: in qua scilicet Dei opt. max. non solùm in hominibus condendis & ornandis potentia, sed etiam post lapsum & ruinam instaurandis & altiùs erigendis sapientia, caritas, benignitas infinita elucet. Nam æternus Dei Patris Filius, Deus ipse, & Patri per omnia æqualis, ad redimendum hominem, qui sub peccato venumdatus erat, & ad condignum peccato precium persoluendum, fieri homo, & frater hominum peccatorum elegit, vt illos ipse efficeret deos, eorúmque naturam strictissimo cōiunctionis & vnitatis vinculo diuinitati suæ vnâ in personâ copularet. Altissimè igitur prouecta est natura humana in hoc mundi statu, qui proinde vel ob hoc vnicum diuinissimę atque admirabilissimæ incarnationis mysterium longè optimus censeri debet, hominique peccatori felicissimus. Quippe per quod illi ius adoptionis obuenerit. Nā per vnum hominem, qui filius Dei fuit naturalis, reliqui homines filij facti sunt adoptiui. INCARNATIONIS MYSTERIVM. Cuius adoptionis luculentum habemus Paulli testimonium in epistola ad Romanos, cap. 8. *Non enim accepistis*, inquit, Ad Roman. cap. 8. ver. 15. *spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Quibus in verbis scopus Apostoli est, Romanos Christianos incitare ad viuendum, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, quem à Deo receperint, eius magis ductum sequendo, quàm corporis obsequendo illecebris: siquidem iam à Domino adoptati sint in filios, vt proinde instar filiorum in caritate debeant ambulare, cuncta propter Deum & Christum libenter faciendo & patiendo; non autem instar seruorum in timore & metu vili: nec enim deinceps illos esse seruos, sed verè filios Dei adoptiuos & heredes, Christi autem coheredes: si tamen parati sint eius exemplo pro Dei gloria, id quod vsus aut persecutionis necessitas tulerit, fortiter pati. Nihil enim fore tam durum, quin futuræ gloriæ aspectu censendum sit perquam leue; sicut in plurimis martyribus certo experimento compertum est. Quorum virtus inter aduersa mirificè in hac forma rerum, & arbitrij libertate emicuit.

VI. ARG. 6. Ac postremo, forma ista creationis dispositionísque rerum, quæ nunc est, non potest, etiam ab ipsis hominibus, (qui possint quidem & velint iustè ac sincerè arbitrari) non optima iudicari. Adeo fructus bonorum operum in libera voluntate, post certaminum labores & varia pericula, iucundi suauésque existunt. Quod nec ille, tametsi à fide extraneus, ignorauit, qui milites per auia & inaccessa & aspera loca ducēs aiebat:

——— *serpens*

Apud Lucanum lib. 9 DE BELLO CIVILI.

—— *serpens, sitis, ardor, arena*
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat, honestum.

Et vero quoties iam in cælo illæ beatæ exultant animæ, & quantis triũphant gaudijs, & qua gratiarum actione Deum prosequuntur, quòd ipsis & arbitrij dederit libertatem, & illos ex infinita benignitate creauerit, quamuis peccaturos sciret; & gratia ac misericordia exceperit, cùm peccasse nosset; ac denique omnia ipsis in bonum, B etiam peccata ipsa, conuerterit, déque eorum fœda sanie, efficacissima æternæ salutis medicamenta confecerit: seu cùm è percusso tumore superbiæ dulces humilitatis aquas elicuit, seu cùm iniurijs suis non tantùm patienter & longanimiter toleratis, sed etiam grandi beneficiorum multitudine velut oppressis, ex magno sui odio maiorem sui amorem in defluentium abundantia lachrymarum expressit, satis amara- C rum quidem primò, è fodicantibus inquietæ conscientiæ, & irrumpentis pœnitentiæ stimulis; sed postmodùm, (subeunte sensim spe bona prodentis se misericordiæ, & mox oblatis rediuiuæ gratiæ, & inhabitantis diuini Spiritus, cùm flagranti eius amore, certis pignoribus) præ quàm dici possit, amabilium atque dulcium. Verissimè enim dixit quidam sanctorum, & expertus, vt quidem opinor, dixit, *dulciores esse lachrymas pœni-* D *tentium, quàm gaudia theatrorum.* Certè tam suauis est peccatoribus Dei misericordia, & Deo vicissim peccatorum pœnitentia, vt ferè tanti fuerit, non dicam homini peccatori peccatum admisisse, sed Deo misericordi illud permisisse. Præcipua sanè mundi columina, (secũdum duos peccati prorsus, & singulariter immunes, matrem & filium Virgines) præcipua, inquam, mundi columina, fructus sunt misericordiæ Dei & E pœnitentiæ, Adamus, Eua, Dauid, Magdalena, Petrus, Paullus, aliique his similes, tam post pœnitentiam amici, quàm per peccatum inimici. Illos igitur, si (quod Euxenianus volebat) non creasset Deus, quos sciebat peccaturos, nequaquam haberemus: & ignota nobis esset tam laudanda & admiranda Dei erga illos misericordia.

POENITENTIVM EXALTATIO.

OBIECTIO ADVERSVS DICTA.

Verumenimuerò, dicet aliquis, non hoc est præcipuè, quod Euxenianus voluit (fa- F cilè enim concedat illos creari potuisse, licet peccaturos, dummodo in sinum gratiæ per pœnitentiam reuersuros, & in cælum per benignitatem transituros) sed hoc est, quod voluit, nempe non videri sibi creandos illos fuisse, qui non solùm peccaturi essent, sed etiam in peccatis morituri, & ęternis ignibus vstulandi.

OBIECTIONIS REPVLSIO.

Sed contra istud perinde venit IVSTITIA, quàm contra alterum MISERICORDIA. A Si enim non obstante peccato creandi priores fuerunt, vt manifestaretur Dei MISERICORDIA; non minùs & posteriores creandi fuerunt, vt manifestaretur Dei IVSTITIA. Accersit porrò, quemadmodum POENITENTIA MISERICORDIAM, sic IMPOENITENTIA IVSTITIAM: ita vt vtrobique multa Domini virtus circa peccatores eluceat; sed hæ duæ potissimum. Nam de alijs quoque virtutibus testatur ille S. Paulli illustris ad Romanos locus, cap. 2. ver. 4. *An diuitias bonitatis eius & patientia & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius: ijs quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,* scilicet, *aduenient.* Alioqui clariùs & pressius per accusatiuos, *iram & indignationem*, hoc est, damnationem æternam. Est enim Synecdoche antecedentis, & alterum hic membrum Antitheseos.

Ad Rom. cap. 2. ver. 4.

Ex his autem colligitur, quàm pronus sit pater & iudex noster ad misericordiam, & quòd eiusdem misericordiæ erga aliquos tarditas, aut omnimoda priuatio, non aliũde quàm ex ipsorum duritia atque obstinatione proueniat. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age*, inquit idem benignissimus Dominus. *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecũ in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.* En bonitatem: en misericordiam. Quid mitius? quid amicius dici aut mente fingi potest? Vltro & prior accedit ad peccatores & inimicos, stat ad ostium domus sibi rebellis, & animæ refractariæ, pulsat fores conscientię, tam receptorum beneficiorum, quàm admissorum flagitiorum conscias, emittit vocem reconciliationis & amicitiæ prouocatricem, & si quis quantumcumque aliàs ingratus & flagitiosus eam benignè exceperit, & illi ianuam emolliti cordis aperuerit, ad eum amicè & beneuolè intrat, comiter assidet, hilariter & iucundè conuiuatur. Nam qui vocem audijt appellantis, & ostium pulsanti Domino aperuit, iam salutis nostræ hostem vicit, & peccatis est superior, & Domino iunctus cum illo sedebit in eius throno; sicut & ipse Dominus IESVS cum Patre suo in throno eius sedet.

Apocal. 3. ver. 19. & 20.

Quandoquidem igitur tales Domini Dei virtutes, in hoc mundi statu, & hominum pec-

peccabilium cōditione, multò clariùs emicant, quàm si creatus esset impeccabilis; aut peccabilis quidem, sed diuina semper assistente gratia à peccando defensus, & quibusdam velut habenis inhibitus: & quoniā similiter plurimę in hominibus heroicæ virtutes, per varios tentationum impetus, & tyrannorum sæuas persecutiones, & hominum iniquissimorum immanes iniurias, illustrius coruscant; nempe pœnitentia, modestia, abstinentia, continentia, patientia, longanimitas, aliæque his similes; satis in aperto est, quàm non modò bene, iustè, sapienter, sed etiam omni in genere excellenter, hunc ordinem rerum, & hanc peccatorum permissionem Deus opt. max. statuerit, atque ordinarit. His proinde sufficienter pro huius loci ratione comprobatis, ad respōdendum argumentis in oppositū productis, cùm Dei auxilio, (sine quo nihil conatus omnis potest) accingemur.

RESPONSIO AD ARGVMENTA OPPOSITÆ SENTENTIÆ.

RESPONSIO AD I. ARGVMENTVM.

AD 1. argumentum respondetur, summam & infinitam bonitatem summè aduersari & resistere malo, hoc est, peccato. Nam hoc solùm propriè & absolutè est malum, licet nomen mali non rarò etiam pœnæ ob cruciatum & dolorem attribuatur, sed abusiuè. Deum autem summè aduersari peccato, inde liquet; quòd aliud nihil, quā peccatū & peccatores ipse oderit, & in peccato perseuerantibus pœnas interminetur, atque etiam inferat sempiternas. Hinc Sapientię 14. ver. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Et psal. 5. ver. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et psalmo 10. ver. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* .i. euadere non poterūt manus Dei, ipsos velut plurimis laqueis irretitos tenentis: quibus etiam in iudicij supremi die, cùm *reddet vnicuique secundum opera eius*, pro sua parte & potione, dabit ignem, & sulphur, & procellosos flatus in æternum hauriendos. Et Matthæi 25. ver. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Quod igitur maius signum odij peccatorū reperiri potest, quàm & frequens in hac vita punitio, & supplicium in altera sempiternum?

Sapient. 14. ver. 9.

Psal. 5. ver. 7.

Psal. 10. ver. 7.

Ad Roman. cap. 2. ver. 6.

Matthæi 25. ver. 41.

OBIECTIO CONTRA RESPONSIONEM.

At melius fuisset, inquies, peccatum non permittere, quàm ita punire. Illud enim est prouidentiæ, hoc crudelitatis.

OBIECTIONIS SOLVTIO.

Respōdeo vtrumque certò falsum esse. Nā permittere quædam mala, propter ingentiū bonorum copiam illa consecuturam, longè est melius, quàm vtrisque carere, & malis, & bonis. Necest bonę & salutaris prouidētię, ex odio malorum, viā claudere & obsæpire quantislibet bonis, sed potiùs è contrario, magnæ est cùm prouidentiæ, tum sapientiæ; in aduentu malorum, longè prospicere interminatam bonorum excellentiū catenam, ad cælum vsque protensam, atque ita horum aspectu & amore illa mala permittere, præsertim quæ tollere possis, cùm velis; & vbi tempus venerit, aut bonis permutare, aut pœnis vindicare: quod nequaquam odiosæ crudelitatis est apud mente sanos, sed admirabilis potiùs iustitiæ & æquitatis.

Quæ autem sint illa multa & ingentia bona, quæ ex malorum diuina permissione secuta sint, indicatum est suprà in rationibus pro meliore sentētia allatis: nempe ex parte Dei erga peccatores, clementia, patientia, lōganimitas, misericordia, prouidētia, iustitia, quæ lōgè plus admisso & tolerato peccato relucent, quā penitus præcluso; ac speciatim & singulariter naturæ humanæ peccatricis ad summam dignitatē, per sanctissimæ incarnationis mysterium, prouectio. Nā est admodum probabile, & eò Patres sanctissimi plùs propendent, non futurum fuisse illud mysterium, si Adam primus generis nostri parens non peccasset: ita vt morbi remedium fuerit ipsa sanitate optatius, certè multò, quàm dici possit, præstantius. Quantum enim est, seu Deum fieri hominē, & in nostra humilitate versari; seu hominem fieri Deum, & eius cōsortem esse naturę? Ex parte item hominis, haud sanè pauca occasione peccati surrexerūt, atque illustriùs emicuerunt bona; hæcque in primis, pœnitentiæ feruor, & ebulliētes contriti cordis lachrymæ, humilitatis & agnitionis sui profunditas, rediuiui amoris & gratissimi erga Saluatorem ac Liberatorem tam benignū ardētes faces, caritatis & patientię in sufferendis aduersantiū iniurijs insignes palmæ, eximiorum Christi martyrū in tolerandis quibuslibet tormentis, & in vitā quoque ipsā in illis rēlinquendā, vires, robúrque incomparabile.

INCARNATIONIS MYSTERIVM NON FVISSET, SI ADAM NON PECCASSET.

Ex eo autem, quòd dicat Paullus scribens ad Ephesios, *Nolite locum dare diabolo*, quidnam, amabo, effici potest? Nam ad sensum Paulli, non modò non dat Deus locum diabolo, sed nec dare potest. Quid est enim eo loci, *dare locum diabolo*, nisi sua negligentia permittere aliquem diabolo introitū, ad animæ suæ subuersionē, & lapsum in peccatū? quod cadere in Deum nequaquā potest. Nō igitur petit Apostolus, vt nullus in mūdo detur diabolo locus: quod pręstari ab homine nō potest, cùm ei à Domino concessus sit, nō modò certus aliquis & definitus, verbi gratiâ, in terręabysso, sed etiam

Ad Ephesios 4. ver. 27.

LOCVM DARE DIABOLO QVID SIT.

quilibet in hoc inferiore mundo alius: idque ad hominum, quos variè tentat, exercitationem, caussámque virtutis. Tametsi enim non paucos dolosis artibus suis circumuentos, aut validis incursionibus prostratos supplantauit; à nonnullis tamen victus ipse ac prostratus, egregias ipsis palmas atque victorias, inuitus licet, concessit.

Quod in Iobo illo omnium fortium Dei athletarum facilè principe, & in quibusdam antiquorum Patriarcharum primoribus notissimū esse, ipsæ sacræ litteræ palàm & certò cōtestantur. Nunquā enim tam illustres illi exstitissent, nisi dęmones colluctatores, & acerrima cū illis certamina nacti essent.

Nam quod afferebatur Deum opt. max. si quidem homines à dæmonibus oppugnari fineret, tali saltem debuisse armatura eos circumdare, quali redderentur inuulnerabiles; hoc, inquam, malè & vanè dictum est. Quid hoc estenim aliud, quā generosis Dei athletis magnam suæ laudis & gloriæ partem detrahere? Quid item magni est, eos in certamen descendere, qui sint inuulnerabiles? & ab ijs stare victoriam, qui prorsus inuicti sint? At verò si vincas, cùm fortis sit inimicus, & tu vulnerari ab eo possis & vinci, & vincas multo cum labore, & sudore, & nonnunquam fortassis etiam vulnere; id demum laudem habet, id gloriam meretur non vsitatam, sed palmarem & decantandā.

OBIECTIO INFIDELIVM, ET RESPONSIO.

At sine eiusmodi armatura plures vincuntur, quàm vincunt. Quid tum? Idcircóne debebit Deo nostro maior eorum esse cura, qui vincuntur; quàm eorum, qui vincunt? hoc est, maior cura ignauorum & ingratorum & malitiosorum, quàm generosorum, & gratorum, & sincerorum. Nam illi, si vincuntur, ex ignauia sua vincuntur: nec caussa in gratiæ penuria aut exiguitate ponenda est, quę semper datur ad sufficientiam, sed in animi laborisque defectu. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*, scribebat S. Paullus Corinthijs, & per illum Spiritus Dei omnibus. (1. ad Cor. 10. ver. 13.) Quomodo ergo vincuntur, inquies, si non tentantur supra id, quod possunt? Ignauiâ, inquam, suâ, & quòd facere nolint, quantum possunt: quod si facerent, adderet Deus gratiam, & faceret cū tētatione prouentū, vt pro modo tentationis & laboris, cresceret & gratia succurrētis: sicque in finē sustinere possent & vincere.

Sed dum homines vitę huius addicti voluptatibus, & sensuum oblectamentis perditè inhærentes, nihil admittere, nisi blandum, volunt; & ne Deum quidem inuocare in auxilium curant; fit, vt ad primum tubæ sonitum turbentur, hastámque abijciant; & timentes pruinam, obruantur niue, hoc est, pro modico labore cruciatus subeant intolerabiles. Quicumque igitur sapitis, *subditi estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis*, inquit Iacobus Apostolus, (Iacobi 4. ver. 7.) per hæc verba innuens, nihil aliud diabolum, si quos ad resistendum paratos animaduerterit, quàm fugam meditaturum.

Nec est, quòd parentum contra Deum afferantur exempla: melior est Deus cunctis parentibus, & meliùs illis quàm parentes vlli prouidet, qui & filios suos multò minoribus culpis exheredant, quàm rebelles à beneficijs suis Deus excludat.

Benedictus proinde Deus, solus bonus & rectus, cui cura quidem est de omnibus, sed de probis & morigeris meritissimò singularis. Nam & nobis pauca frumenti grana pluris sunt, & æstimantur, quàm ingentes cumuli palearum. Hactenus de primo argumento.

ARGVMENTI II. REFVTATIO.

Ad 2. de magistratus cura circa improbos allatum, respondeo magistratū bene & ex officio facere, dum eos arcet à rep. quos sciat esse perniciosos, immo vel periculosos duntaxat: quia sic ordinem reip. non perturbat, nec commutat, sed conseruat. At verò Deus opt. max. qui longè aliam infinitā suā sapientiā remp. numeris omnibus absolutam constituit, & innumeros eius regendæ ac conseruandæ modos nouit, nihil habet caussæ, quamobrem timeat (quemadmodum homines, quorum, vtpote mortalium, cogitationes timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ vt loquitur Sapiens) (Sapientia 9 ver. 14.) ne culpâ suâ quippiam detrimenti resp. capiat, aut ne deprehendere, vel punire noua molientes non possit. Neque enim vlla vel facta, vel dicta, vel cogitata, æternę illius mētis effugere aut latere aciem valent. Et (quod maius est atque admirabilius) illi perniciosi, haud parum ad totam vniuersi perfectionem, & Dei ipsius ac Sanctorum eius gloriam, vel manifestandam, vel amplificandam concurrunt. Introduxit igitur in mundum, non modò quos fore bonos & in sua permansuros innocentia sciuit, sed etiam quos peccaturos, & quidem in peccatis perseueraturos cognouit; quia eius ordo reip. & vniuersi status, & præstituti quibusque sui fines, longè omnem humanum sensum exsuperantes id exigebāt. Quare, quòd Adamum præuiderit peccaturum, & perniciem toti mundo illaturum, leuatur ex eo, quòd & illum præuiderit pœnitentiā acturum; & alterum hominem prouiderit, non modò cunctam illam perniciem à ceruicibus nostris amoliturum, sed etiam imbecillitatem humanam ad longè altius ac nobilius diuinæ fastigium dignitatis euecturum: vt non tam primi Adam obfuerit culpa, quàm secundi profuerit gratia.

ARGVMENTI III REFVTATIO.

Ad 3. (quod magnam cum secundo argumēto habet similitudinem, & vim haud multùm imparem) potest magna ex parte secunda seruire responsio. Nam aliquid habet Deus simile parentibus, per creationē; & magistratibus, per gubernationem; sed quantum differt caussa prima & maxime vniuersalis ab infima & particulari, tantum potestas eius excedit patris erga liberos suos potestatem. Hinc Deus in omnes omnino homines vitæ necisque habet potestatem: non autem pater in liberos. Et sicut magistratus potest in vrbe sua permittere certa peccata, quæ permittere non potest pater liberis suis in priuata domo; sic Deus qui supra omnes magistratus est, multo plura potest in mundo constituere & permittere, quàm non solum parens quilibet, aut vnus aliquis magistratus, sed etiā quàm omnes simul. Non permittet sanè bonus pater liberos suos coram se iurare, cōuitiari, mentiri: Deus autem in conspectu suo etiam peierare, calumniari, blasphemare: & punit ille quidem extemplo talia coram se ausos: hic vero dissimulat, tacet, differt pœnam in tempus statutum, aut, si quidem iste pœnitentiā preuenerit, & factis bonis compensarit, tam bonus est etiam, vt obliuiscatur, & remittat. Ecce enim verbum Regis, verbum peccatores consolantis: *Si autem,* inquit, *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vitā viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impÿ, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vÿs suis, & viuat?* Permittunt item magistratus in suis vrbibus nonnunquam quæstus meretricios, & plateas prauis infames amoribus, & loca fœneratoribus deputata: quæ nullus vnquam bonus pater domi suæ permiserit. Adeo diuersitas est regiminis in patre in magistratu, in Deo. Nam Deus quidem, tametsi illa omnia vetet, & grauioribus quàm quisquam pœnis interdum vindicet; tamen sciens prudens, (licet impedire posset, si vellet) fieri permittit, non vno in loco, sed pluribus. Verùm permittēdo mala, miram ostendit in eliciendis exinde plurimis & maximis bonis, cum pari potestate, sapientiam. Et sanè, *malum bene ordinatum, & suo loco positum* (vt verbis S. Augustini vtar) *eminentiùs commendat bona; vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparātur malis. Neque enim Deus omnipotens, (quod etiam Infideles fatentur) rerum cui summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret* A *etiam de malo.* Et infrà, cap. 96. *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò bonum est omne, quod iustum est. Quamuis ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, vt essent & mala; nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Bono. Cui procul dubio quàm facile est, quod vult, facere;* B *tam facile est, quod non vult, esse non sinere.* Ita S. Augustinus.

Ezechielis 18. vers. 21.

S. August. in Enchiridio cap. 11.

Quare, vt ad obiectionem Infidelium reuertamur, non eo inficias, hominem quemque qui bonus sit, non facilè operaturum generationi quæ aliquod naturæ mōstrum productura sit, vel quę hominem vitiis omnibus inquinandum in suæ ruinam familiæ in lucem editura, si modò id futurum certò prouideat; Deum tamen, qui cursui na- C turæ vim facere nolit, bene & consultò id permissurum. Quia quod vni rei malum sit, hoc alteri aut toti generi sit bonum.

Quippe videre licet pinguescere sæpe cicutā
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenū.

Vt rectè Lucretius Carus libro 5. De rerum natura. Quare & venena quæ plurimis, & vt plurimùm, sunt noxia, & quæ vulgò reperiri priuatis in ædibus non sit bonum; ipsi mundo generatim sunt bona: & theriacę, D optimo omnium medicamento, conficiendæ non inutilia. Ita superbi, inuidi, impij, sanguinolenti, licet parentibus dedecori, licet multis odiosi, licet sibi & nonnullis perniciosi sint; tamen suam quoque habēt nec mediocrem in mundo vtilitatem. Ab illis enim venit & elucescit laus humilium, gloria diligentium, piorum commēdatio, martyrum palmæ: sed & Dei (quod multò pluris fieri debet) vel iustitiæ manifestatio, E vel gloriæ exaltatio indidem innotescit.

ARGVMENTI IV. REFVTATIO.

Ad 4. quod erat de imagine Dei & similitudine in homine expressa, quasi ea magis suum exemplar & πρωτότυπον repræsentatura esset, si vnà cum libertate coniunctam habuisset stabilitatem in bono, atque indeclinabilem à recto firmitatem, respondeo id verum quidem esse quod sumitur, sed nihil opus fuisse homini tanta simi- F litudine: nimisque ingrati esse animi, magis quid accipere potueris, quàm quid acceperis, & quàm gratuitò acceperis, attēdere. Si enim homo tot inter res creatas, tam varias inter animalium species, tot inter genēra existentium Dei figmentorum, secundas nactus est, & solis cælestibus spiritibus inferior natus est, & omnium interim terrenorum accepit dominatum; quid conqueri habet ingratus, quòd Angelis prior, nobiliórque nō factus sit? Quid enim est hoc superbiæ

perbiæ & elationis, id hominem affectare, A quod nec Angelis datum sit? Nam & ipsi labiles in malum fuerunt, & quidam lapsi sunt. Sed melior pars sua sorte contenta non appetiuit, quod non habuit; sed quod habuit, Deo acceptum retulit, & gratias egit, agitque dum viuit. Hominis autem est, eius exemplo, subditum esse Deo, nec altioribus se paria cogitare, sed de secundis gaudere, & dignas Deo datori gratias agere, & cum regio propheta, tam eius magni- B tudinem super omnia eminentem, quàm naturæ humanæ dignitatem haud multò Angelica inferiorem admirari, ac dicere: *Domine, dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos: vt destruas inimicum & vltorem. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum; lunam & stellas, quæ tu fundasti. C Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paullo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cæli & pisces maris, qui perambulãt semitas maris. Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* (Psalmo 8.) Quem psalmum eo spiritu vir diuinus pro- D tulit, vt & magnum duxerit, sibi facultatem esse datam concinendi laudes Dei, ad confusionem inimicorum & impiorum, maiestatem tantam non agnoscentium, aut præ superbia non curantium; & se capere præ admiratione & lætitia vix quiuerit, quòd ferè æqualis, & par Angelis creatus sit, & dominatũ in terrena omnia de manu Domini acceperit. Tantum abfuit, vt de conditione humana, & de sui status libertate E quereretur.

HOMINIS PRIMI CREATIO.

Deinde Dominus Deus hominem creauit non magis labilem in malum, quàm procliuem in bonum: quippe quem gratiâ in ipso creationis articulo instruxit, per quam propensus ad virtutem, & alienus à vitijs facilè poterat se aduersus inimicum tutari, & auctoris sui retinere amicitiam, si magis attendere Domini præcepto, quàm malè suadenti auscultare serpenti, animo imbi- F bisset. Verùm huius incognitæ & inexpertę adhuc fraudes, facile incautum & improuidum (præsertim duplici excæcante cupidine, vnâ pomi, quod pulchrum oculis, & aspectu erat delectabile; alterâ honoris & excellentiæ, quæ ad Dei æqualitatem inuitabat) facilè, inquam, eius fraudes hac præsertim duplici excæcante cupidine, incautum & improuidum fefellerunt, atque ad deuorandum vnà cum fructu hamum pellexerunt. Placuit enim fructus, & latuit hamus. *Hinc illæ lachrymæ.* Sed ô bene! quòd decepti misertus est Deus, & deceptorem suus excepit & inuoluit laqueus. Nam huic in terram prostrato adhæsit maledictio: illum ad cælestia releuatum æterna circumdedit gratia, & copiosa benedictio.

EIVSDEM IN PECCATVM PROLAPSIO.

Neque est caussa, quamobrem Deus ob malorum permissionem censeri debeat malis delectari, cùm & rationes permittendi iustissimas habuerit, & eorum interim odium & abominationem, grauissimis aduersus ea constitutis supplicijs, abundè testatus sit.

Nam quòd inhibitis arbitrij ad peccandum habenis, habiturus fuisse dicitur maiorem atque illustriorem Dei similitudinem, & semper sartam tectam retenturus; id quidem ex parte verum est, vt suprà concessi, nempe respectu eorum, qui peccatis eam imaginem deformarunt, nec vllâ pœnitentiâ absterserunt, sed ijs immortui & damnati sunt: at respectu eorum, qui post peccata resipuerunt, & incarnationis glorioso mysterio ad longè altiorem & gloriam & dignitatem eleuati sunt, aliter res habet. Isti enim multò illustriorem in se Dei imaginem ac similitudinem per virtutes heroicas, quàm si nullum exstitisset ab initio peccatum, ostenderunt. Hinc & laus quoque illis amplior tribuitur, qui non peccarint, cùm possent, quàm qui non peccarint, cùm non possent. Ecce enim, quàm istos præ his extollit Ecclesiasticus, cap. 31. ver. 8. & deinceps: *Beatus diues*, inquit, *qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abyt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Qui probatus est in illo & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.* (Ecclesiastici 31 ver. 8.) Quibus in verbis perquam sapienter vnum ex ijs produxit, qui maximè in peccata sunt proni ac labiles, & de quibus ipse Saluator tale protulit oraculum, Matthæi 19. ver 23. *Amen dico vobis: quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* (Matthæi 19 ver. 23.) Atque, vt magis difficultatem illam imprimeret, inculcarétque animis, mox subdidit: *Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorũ.* Quibus verbis nihil significare aliud voluit, quàm multò difficillimũ esse, ac ferè *ἀδύνατον* (Impossibile.), hominẽ diuitẽ, inter plurima vitæ huius pericula, in peccata nõ mergi, aut ex ijs ita emergere, vt regni portũ attingat: perin-

perinde ac difficillimum est & impossibile, humanitus loquendo, vt magnum, crassum, gibbosum animal, vti est camelus, per paruæ foramen acus transeat. Quod admirantibus discipulis ac dicentibus: *Quis ergo poterit saluus esse?* respondit IESVS: *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* id est, viribus humanis, & cursu rerum ordinario est vtrumque impossibile, tam diuitem in cælum, quàm camelum in acum penetrare: sed vtrumque item diuina virtute est possibile, cui omnia sunt possibilia. Quem sensum videtur & ipse indicasse Ecclesiasticus suprà, in illis verbis de diuite insonte & immaculato: *Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* id est, talis vir reperiri vix potest, & si reperiatur, maxima laude dignus est. Nam seruando inter opes innocentiam, rem prorsus admirabilem facit, & est ipse instar miraculi. Nec enim opus hoc est hominis, sed Dei. Quare qui probus & perfectus in hoc diuitiarum negotio, & iusto pecuniarum vsu inuentus fuerit, is æternam lucrabitur gloriam: quia cùm potuisset per incitamenta diuitiarum, æquitatis iura, & officia caritatis peruertere, & aliarum itidem virtutum munia facilè trãsgredi, non est transgressus, & cùm libertas & facultas malè faciendi non deesset, malè tamen non fecit. Propterea non solùm in cælo sua sunt illi præmia, sed hîc etiam in terra stabilitæ sunt eius facultates, quas dispersit, dedit pauperibus, atque in optimos vsus expendit, vt proinde eius eleemosynę in memoria & benedictione apud pios futurę sint, & in omni cœtu, ad Dei gloriam, & in ipsius munifici datoris laudem celebrandæ. Cuius sanè laus haud tanta extitisset, si bene tantùm, non etiam malè diuitijs suis vti potuisset. Et quod in diuitijs valet, hoc in honoribus, hoc in voluptatibus, hoc in alijs peccatorum illecebris itidem valet; quas illecebras quicumque generosè superant (sunt ij certè admodum pauci) næ illi eximia ac singulari virtute præditi sunt, & præclaram in se Dei viui imaginem repræsentant.

Ibidem 25. & 26.

DIVES SANCTVS, INSTAR MIRACVLI.

Ad 5. Respondeo minimè esse alienum à sapiente ac prouidente, ea facere, quę postea varijs incidentibus caussis, & rerum ac temporum varietatibus, mutare, aut etiam destruere debeat; immo etiam (si quidem de homine agatur mortali, & multa citra culpam ignorante) etiam factorum pœnitere: cùm autem de Deo & æterna agatur sapientia, dico alienum prorsus ab eo esse, facti cuiuspiam pœnitere, non item id quod aliquando fecerit, postea mutare aut destruere. Nam pœnitere quidem, vt propriè & communiter accipi- A tur, aliquam inuoluit cuiuspiam rei ignorantiam, quæ si cognita fuisset, res acta non esset: ita vt aliquem facti pœnitere, nihil sit aliud, quàm eum dolere aliquid fecisse, vnde aliquod incommodum emersisse agnoscit, quod antè non præuiderat; alioqui non facturus, si præuidisset. Hoc autem cadere in Deum, (cui futura perinde nota sunt, ac præterita, aut præsentia) neutiquam potest. Dicitur B tamen nonnunquam ἀνθρωποπαθῶς seu affectu, moréque loquendi humano pœnitere, hoc est, ea agere, quæ solent ij, in quos cadit pœnitentia: verbi gratia, tollere aliquibus ea, quæ aliquando dederit: mutare, quæ constituerit; destruere, quæ condiderit. Quæ omnia nullam prorsus in Deo imperfectionem denotant, sed potiùs infinitam eius potentiam cum pari omnino sapientia atque C iustitia coniunctam demonstrant. Sic dedit Deus nonnullis, sed tum bonis & iustis, regnum; & idem deinde illis abstulit, sed malis & iniustis: creauit hominem bonum, sed eundem puniuit malum. Et si mundum hominibus frequentissimum, octonis dũtaxat exceptis, perdidit; caussa est, quòd octoni duntaxat essent boni, & vellet ingratis, immò ingratissimis (quod etiam humanæ permit- D tunt leges) donationem gratuitò factam rescindere, & data omnia prorsus adimere. Id enim pessimis suis factis meriti erant, & datum sibi pœnitentiæ tempus contempserant; quin & pœnarum minas irriserant, atque in dies in peius ac peius ibant.

ARGVMENTI V. SOLVTIO.

POENITERE IN DEO ET IN HOMINE QVID SIT?

Sed enim non accidisset hoc, inquis, si vel naturæ bonitate, vel opportunæ gratiæ succursu homines constituisset impec- E cabiles.

Non accidisset sanè, si id fecisset: sed alterum facere non licuit; alterum non libuit. Nam quid fuisset aliud, creare homines natura impeccabiles, quã creare Deos. At Dij non creantur. Nec potest idem esse simul Deus, simul creatura: simul ab ęterno, simul in tempore: simul à se, simul ab alio. Esse autẽ Deum, quisquis à natura sit impeccabilis, apud Theologos satis in confesso est. Nã F personæ creatæ proprium est, à recto posse deficere: non creatæ autem & diuinæ, non posse. Ad quod probandum, ac simul ostendendum, quid Deo, quid homini conueniat, insignem reperio Tertulliani locum nostro aptissimè seruientem proposito, vbi aduersus Marcionem disputat, quid homini Deus contulerit, quo ad eius esset imaginem, quidque item negauerit. Sic igitur lib. 2. aduesus eundem Marcionem, cap. 9. *Porrò*, inquit, *imago veri-*

Tertull. l. 2. aduersus Marcionem, cap. 9.

tati non vsquequaque adaequabitur. Aliud est A *enim secundùm veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. Sic & afflatus, cùm imago sit spiritus, non potest ita imaginem Dei comparare, vt quia veritas, id est spiritus, id est Deus, sine delicto est: adeo & afflatus, id est imago, non debuerit admisisse delictum. In hoc erit imago minor veritate, & afflatus spiritu inferior, habens illas vtique lineas Dei, quà immortalis anima, quà libera & sui arbitrij, quà praescia plerumque, quà rationalis, capax intellectus & scientiae; tamen* B *& in his imago, & non vsque ad ipsam vim diuinitatis. Sic nec vsque ad integritatem à delicto: quia hoc soli Deo cedit, id est, veritati; & hoc solùm imagini non licet. Sicut enim imago, quum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsa caret, non habens motum; ita & anima imago spiritus solam vim eius exprimere non valuit, id est, non delinquendi felicitatem. Ceterum non esset anima, sed spiritus; nec homo qui animam sortitus est, sed Deus.* Sic il- C le. Quibus verbis hoc agit & probat, non esse aequum, nec posse fieri, vt homo, licet imago sit Dei, in omnibus illi comparetur & adaequetur: sed satis esse animae ipsius ad hoc, vt sit ad imaginem; quòd haec Dei habeat lineamenta, esse scilicet immortalem, esse liberam, seu sui arbitrij, esse aliquando futurorum praesciam, esse rationalem, esse capacem disciplinae: non verò peruenire vsque ad impeccabilitatem, quae vni pro- D pria sit Deo. Quare ex illa quidem parte non licuit, nec fieri potuit, vt hominē crearet Deus impeccabilem: ex parte autem altera, dando scilicet gratiam ab omni peccato praeseruatricem, non libuit. Nec enim quod seruabatur aliquibus, dandum fuit omnibus: neque id ordo rebus creatis à Deo praestitutus exegit, vt cuncti eodem modo ad virtutem & ad peccatum se haberent, sed vt multiformi ac vario: & vnus E sic, alius aliter. Nam & *in magna domo*, sicut ait Apostolus, *non solum sunt vasa aurea & argentea; sed & lignea & fictilia: & quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam:* & in magna quoque ciuitate, multa & varia sunt officia, quaedam digniora, quaedam viliora, quędam media: multóque praestantior est ea varietas, quàm vnius tantùm generis, quamuis eximij, paritas & similitudo: sic in toto hoc vniuerso, quod F supremi caeli ambitu continetur, magnam voluit Deus opt. max. inesse varietatem, & meritorum, & pręmiorum: neque omnes à quouis peccato custodire immunes, sed perpaucos; neque item sinere cunctos in ea delabi, sed aliquos: neque hos item omnes post lapsum aut releuare, aut deserere, aut parem vniuersis gratiam distribuere, sed his maiorem, istis minorem, omnibus tamē, ad se peccatis eripiendos, si labor & conatus non desit, sufficientem. Cur autem his plus, illis minus dederit, nec est modestiae subditorum, & cunctis gratijs indignorum quaerere; nec est maiestatis Dei cuncta gratuitò largientis, rationem reddere: sed nostrûm est omnium, tantam adorare maiestatem, adamare bonitatem, reuereri iustitiam, osculari misericordiam. Haec de quinto.

ANIMA IMAGO DEI, OB QVAE LINEAMENTA.

2. ad Timotheum 2. ver. 20.

Ad sextum, quod erat de spectaculo damnatorum, semper ipsius Dei, & beatorum oculis in aeternum obuersante: quasi id nimis triste & iniucundum ipsis foret, suos scilicet propinquissimos & amicissimos intueri habitantes *cum igne deuorante, cum ardoribus sempiternis*, ad hoc, inquam, argumentum respondeo, tantum abesse, vt triste futurum sit eiusmodi spectaculum oculis beatorum; vt potiùs è contrario non minus sint laudaturi Deum de hac in ipsos iustitia, quàm de benigna in pios misericordia. Toti enim cùm sint in Deum absorpti, & omnia eius facta sine exceptione, tāquam optima & iustissima, approbent, ament, extollant, magnificent, alijs omnibus infinitè praeferant, & tam conformis sit eorum sensus diuinae voluntati, vt nihil magis; ita fit, vt ipsi de nullo dolere aut tristari possint, quod ab ea profectum sciāt. Id eximiè intellexit & praedicauit magnus ille Pontifex Gregorius, qui libro 6. in Iob, cap. 16. super illis verbis: *In vastitate & fame ridebis, & bestias terrae non formidabis*: quae habētur in ipso libro Iob, cap. 5. ver. 22. ita eadem verba ad hominem in caelo beatum, & de damnatis securum transtulit: *In vastitate igitur*, inquit, *& fame iustus ridebit: quia cum iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria digna retributionis hilarescit. Nec damnatis iam tunc ex humanitate compatitur: quia diuinae iustitiae per speciem inhaerens, inconcusso districtionis intimae vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernae rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit: quia has à miserijs altitudo beatitudinis alienas reddit. Vnde bene per Psalmistam dicitur.* VIDEBVNT IVSTI ET TIMEBVNT: ET SVPER EVM RIDEBVNT ET DICENT: ECCE HOMO, QVI NON POSVIT DEVM ADIVTOREM SVVM. *Iniquos enim iusti nunc vident & metuunt: tunc visuri sunt, & ridebunt. Quia enim modò ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem: quia verò tunc damnatis prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Aeterno itaque supplicio deditis non esse miserendum, in ipsa, qua beati sunt, iustitia iudicantis legunt. Qui (quod suspicari fas non est) qualitatem sibi perceptae felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt, quod implere nequaquam possunt.* Ita S Gregorius. Neque adeo sanè mirum, in illa caelestium vita quieta & imper-

VI. ARG.

Isaia 33. ver. 14.

S Gregor. lib 6. in Iob. cap. 16.

Iob 5. cap. ver. 22.

Psal. 51. ver. 8. & 9.

per-

perturbabili, ista accidere, seu potiùs necessariò euenire: sed quòd in hac ipsa humi repentium vita, multis perturbationibus obnoxia, nonnullæ reperiantur animæ sancti amoris glutino ita Deo copulatæ, ita cuicumque eius nutui conformes, vt non modò æquanimiter suorum æternas damnationes sustineant (quo modo Maria Oegniacensis, teste Thoma Cantipratano, matris suæ alias carissimæ) sed etiam semetipsas, si talem Dei esse rescirent voluntatem, vltro ac libenter se in illas pœnas præcipitaturas dicant, (vti de B. Maria Magdalena de Pazzi Carmelitana memoratur) id verò rarum, id admirabile: creditu tamen veris amatoribus haud difficile. Ita nonnunquam filij scelerati (si parua licet componere magnis) horrendas pœnas ab ipsis parentibus luunt, spectante siccis oculis tota reliquorum fratrum turba, qui & patris iustissimam iram, & fratrum meritissimam pœnam agnoscunt.

Thomas Cantipr. lib. 1. miraculorum. cap. 54 §. 18.

DAMNANDORVM NVMERVS INNVMERVS.

Quod autem in eodem argumento dicebatur de numero damnandorum, præ saluandis, propè innumero; minimè falsi, nec etiam incerti arguo; quin potius & infra rei magnitudinem, & miserorum multitudinem dictum suspicor (tanta semper fuit infidelium, hæreticorum, improborum Christianorum turba) & concedo etiam illorum omnium certam damnationem præuidisse Dominũ, priusquam illos crearet, creasse tamen prudenter, & iustè, ac sanctè, contendo. Quod & nobis suprà probatum est. Nec enim propter suâ malitiâ perituros, à pulcherrima & gloriosissima mundi ordinatione abstinere Conditor sapientissimus debuit: neque etiam decuit quamuis multorum turbam obstinatè pereuntium, immensæ saluandorum gloriæ, licet pauciorum, fraudi esse. Tam multa porrò etiã ijs, qui pereunt, prouidit Deus adiumenta, vt nihil nisi suam, vel detestabilem ignauiam, vel intolerabilem malitiam incusare debeant. Et sunt quidam interim adeo insani ac væcordes, vt cùm ijsdem abundent aduersus peccata remedijs, quibus electi merentur regnum; tamen aduersus Deum murmurare non erubescant, quòd vel corrumpi bonam indolem in Adamo siuerit, vel ipsos in ignorantia reliquerit, vel concupiscentiæ fomitem non represserit. *Quibus breuiter respondetur* (iuuat enim illos verbis S. Augustini referire) *vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem* A *nõ tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quia negligis quærere, quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare, contemnis. Ista tua propria peccata sunt. NVLLI ENIM HOMINI ABLATVM EST SCIRE VTILITER, QVOD INVTILITER IGNORATVR.*

S. Augustin. lib. 3. De libero arbitrio, cap. 19.

Denique exploratum nobis cùm sit, & esse omnibus debeat, adeo bonum esse B Deum, vt solus dici bonus mereatur: certè debemus de illo sentire in bonitate, & omnino credere illum ijs omnibus, quos condidit, contulisse paterno amore, quantum ex se fuit, tantum gratiæ, quantum ipsis fuit necessarium, ad viam salutis ineũdam, non modò Iudæis primò, deinde Christianis, sed etiam Infidelibus: nempe missis opportuno tempore bonis inspirationibus, & impulsionibus per Angelos sanctos eorum C custodes, ad faciendum quod natura & ratio dictaret, & ad declinandum ex iusto timore peccatum: quod si factitarunt, nec peccatis suis obicem illustrationi fidei posuerunt; haud dubium, quin eadem diuina bonitas ipsis è rectæ rationis præscripto aliquamdiu viuentibus, fidei lumen, & sufficientem ad gradiendum in via iustitiæ gratiam aspirarit, nõ quidem ex operibus, quæ ipsi fecerint, sed ex mera, quam ipsis benignè D præstitit, gratia & misericordia. At verò si qui statim ab initio internis vocibus aures nequiter obturarunt, & contra inspirantem Angelum, & vellicantem conscientiam, in vitia se præcipitarunt, & qualemcumque Dei cognitionem animis obiectam improbè repulerunt, ac tandem ita aduersus rectè monentes, ac sanctorum scientiam docentes se gesserunt, vt propè similes illis viderentur, *qui dixerunt Deo, Recede à nobis: & scientiam viarum tuarum nolumus;* E non est cur ipsi postea, vel de ignorantia se excusent, quam affectarunt: vel de penuria gratiæ conquerantur, qua vti noluerunt. *Illa est enim peccati pœna iustissima,* inquit Augustinus, *vt amittat vnusquisque, quo bene vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit; amittat posse, cùm velit.* F Sic ille.

Iob cap. 21. vers. 14.

S. Augustin. lib. 3. De libero arbitrio cap. 18.

Beatus proinde *homo qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.*

Prouerb. 28. vers. 14.

Atque de hac quęstione in præsenti satis: nunc reuertor ad Notationes.

AD CAPVT XII.

a AGitur in hoc cap. de diligentia S. Abercij in suæ diœceseos visitatione,

ne,& visitationis caussa, atque fructu. Habet autem visitatio minorum vrbium, & castellorum, & pagorum, Christi Domini exemplum, de quo scribitur Matthæi 9. cap. vet. 35. *Et circuibat IESVS omnes ciuitates,& castella, docens in synagogis eorum & prædicans euangelium regni,& curans omnem languorem,& omnem infirmitatem*. Id quoque omnes Episcopi facere deberent, vt non solùm animos, sed & corpora curarẽt. Quod si eam geminam potestatem fortè non habent, sic ipsi viuant, & sic orent, vt obtineant. His enim duobus ea potestas comparatur, vitę scilicet episcopalis sanctimoniâ, & precationis ardore ac fiduciâ. Quàm autem necesse sit, tam oppidula & pagos, quàm magnas & frequentes ciuitates inuisere & excolere: tam subditi pane & solatio indigentes clamant, quàm ipsa Episcoporum nomina & officia profitentur. Nam à gregis inspectione dicuntur Ἐπίσκοποι, Episcopi græcè, Inspectores latinè: itémque ab euangelij & doctrinę Christianę annuntiatione, priore linguâ Ἄγγελοι, *Angeli*, posteriore *Nuntij*. Non minùs autem pars gregis Episcoporum sunt ij, qui in oppidis & pagis & castellis habitant, quàm qui in matre vrbiũ: nec minus etiam isti ope ac subsidio, quàm hi indigent; atque haud scio, an non frequenter multò magis: siue propter maiorem rerum fidei ignorãtiam, siue propter luporum circumcursantium insidias. Multi enim suarum sementem hæreseon à pagis & ignobilioribus oppidis, (vbi plus sibi latebrarum, & minus perspicaciæ esset auditoribus) adorsi sunt, & inde in ampliora atque ampliora loca sensim grassati, magnam ouium stragem fecerunt, & tota denique regna occuparunt. Hinc perquam sapienter ecclesiæ concilia, (& nominatim Tridentinum, sessione 24. in Decreto de reformatione, cap 3.) constituunt, vt Episcopi per seipsos, quantum fieri potest, suas visitent diœceses. Tridentini verba sunt hæc: *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diœcesim per se ipsos; aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, Visitatorem: si quotannis totam, propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, (ita tamen vt toto biennio per se, vel Visitatores suos compleatur) visitare non prætermittant.*

Matthæi 9. ver. 35.

C (E)

Concilium Trident. sess 24.

Quæ autem ex visitationibus eiusmodi sequantur, aut certè sequi debeant commoda, in primis Ecclesiæ Episcopis, & præcipuis singulorum sæculorum Antistitibus clarè dilucet; nempe hæc potissimùm: in viris status ecclesiastici, egregia morum suo gradui consentaneorum conformatio, tam nulli culpæ obseruabili affinis, quàm ad exempla honestioris vitæ accommoda; in tẽ-Aplis & quibuslibet sacris locis dignus Deo nitor, & sine vlla sorde mundities: sollicita deinde ad cœtus & sacrificia & sacramenta & catechesin, siue doctrinam Christianam, euocatio: in popularibus autem, Catholicæ fidei tenacitas & existimatio; necnon insignis erga Ecclesiæ Ministros obseruantia, & inter sese mutuus amor & concordia, atque aduersus satores zizaniorum, si qui aliunde obrepant, conspiratio: denique in omnibus, pietatis ac religionis, & veræ solidæque virtutis augmentum, & contrà, omnis hæretici erroris, ac pullulantium inde vitiorum generosa exstirpatio. Hæc sunt præcipua, quæ in suis subiectorum sibi locorũ visitationibus, vel reperire debent Episcopi, vel ponere. Nam his positis facilè alia consequentur. Alioqui, si cessantibus domi Episcopis, & dormientibus peregrè pastoribus, ingruerint lupi, & gregem Domini partim deuorarint, partim dispersint (quod in sopore & torpore horum & illorum accidere natum est) quidnam expectandum erit aliud, quàm vt veniat non expectantibus ille supremus Pastor, & iudex, vindéxque pastorum, & vnũquemque istorum increpans, & gregem reposcens dicat id, quod est apud Ieremiam: *VBI EST GREX, QVI DATVS EST TIBI, PECVS INCLYTVM TVVM? Quid dices, cùm visitauerit te?* Quid, inquam, respondebis visitanti te in supremo iudicio, qui commissum tibi gregem non visitasti ex officio, & perdidisti ex otio? *Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.* Qui sunt autem illi, nisi qui suâ culpâ dispergi, & dilacerari gregem suũ non vigilando, non visitando, & (quod plus est) dormiendo & ludẽdo sinunt: Quibus proinde per eundem prophetam idem minatur Dominus, tantæ negligentię longè aliam visitationem & vindicationem: *Vos dispersistis*, inquit, *gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus*. id est, examinabo malas occupationes vestras, quas officio prætulistis vestro, & curæ gregis mei nequiter præposuistis, examinabo, inquam; & seuerè, sed iustè, puniam. Horribiliter quidem sanè visitauit Vdonem illum, quondam Magdeburgensem Archiepiscopum, & malitiam studiorum eius, hoc est, nefariarum voluptatum colluuiem; quia scilicet, qui pascere, regere, visitare gregem suum debebat, cùm ijs officij sui muneribus neglectis, in otium & variam libidinem præceps abijsset, in ipso turpissimi flagitij æstu ter admonitus, *fac finem ludo: quia satis lusisti Vdo* (nam tribus continuis noctibus ea vox eius insonuerat auribus) tandem impœnitens ad tremendi

Ieremiæ 13. ver. 20.

Ibidem cap. 23. ver. 1.

Ibidem ver. 2.

B C D E F

di Iudicis tribunal, quod in S. Mauritij ęde primaria situm erat, viuus vidénſque à Dei ſatellitio attractus, condemnatus, capite ibidem truncatus, & in ſanguine ſuo volutatus, relictus eſt. Rem totam fuſiùs pertractatam inuenies apud Ioannem Nauclerum, Chronographiæ volumine 3. generatione 34. & apud Tilmannum Bredenbachium, libro 8. Collationum ſacrarum, cap. 15. & apud complures alios ibi citatos.

b *VBI COMPLVRES VARIIS AFFECTI MORBIS* &c.] Non explicantur hic ſpeciatim, nec morbi, nec corporum vitia, quæ depulerit, curaueritue Abercius: ſed in Menæo Grecorum nonnulla ex ijs attinguntur in Acroſtichide, littera Ω. cap. 23. ſuprà, vbi dicitur vir ſanctus non modò cæcis viſum, ſed etiam ſurdis auditum, claudis inceſſum, leproſis munditiem contuliſſe: haud dubium autem eſt, quin & à languoribus varijs, ſeu febrium, ſeu tabium, ſeu aliarum eiuſmodi affectionum, quibus prodeſſe poſſet balneum (ſiquidem & vnum ibi procurauit) multos liberauerit. Nam cæcitas, ſurditas, claudicatio, vitia ſunt corporis, non morbi.

MIRACVLA S. ABERCII.

c *CVM IBIDEM ANIMADVERTISSET DEESSE BALNEVM*] Magnum olim, præſertim in Syria atque Aſia, fuiſſe vſum balneorum aduerſus morbos & infirmitates, tum hinc, tum ex alijs Sanctorum vitis liquet. A quibus nec abhorruiſſe viros ſanctos, teſtimonio eſt ipſius S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ exemplum, qui *propter imbecillam valetudinem*, (vt ſcribit B. Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, in Cerintho) *interdum balneo vtebatur*. Hinc aliquando accidit, (quemadmodum refert idem Auctor) vt cum ſe Epheſi ad balneum infirmitatis cauſſâ contuliſſet, ibique Cerinthum hæreticum reperiſſet, mox inde ſe proripuerit, atque illotus fugerit, timens, vt dicebat, ne balneum corrueret, in quo lauaret Cerinthus veritatis inimicus. Qua de re pleniùs ſcripſi in vita S. Polycarpi, cap. X.

B. Theodoretus lib. 2. haret. fabul. in Cerintho.

Affert B. Clemens Alexandrinus libro 3. Pædagogi, cap. 9. quatuor cauſſas, propter quas adiri ſoleant balnea: vnam, valetudinis gratiâ; ſecundam munditiei; tertiam, caloris; quartam, voluptatis: quarum priores duas Chriſtianis permittit, viris quidem, ſolius valetudinis; feminis autem, etiam munditiei. Nam duas poſteriores prorſus à Chriſtianis omnibus ablegat: caloris quidem, quòd alibi & aliter procurari poſſit; voluptatis verò, quod ea minimè deceat Chriſtianos, nec ibi, nec vſquã. Improbat deinde frequentem balnei vſum, quòd vires eneruet, & naturalē roboris vigorem & contentionem relaxet: immo & ſæpe diſſoluat, etiam vſque ad animi deliquium.

QVANDO VTI LICEAT BALNEIS.

BALNEORVM FREQVENS VSVS IMPROBATVR.

Bibunt enim, inquit, *quodammodo corpora, perinde atque arbores, non ore ſolùm, ſed cunctis totius corporis, vti aiunt, poris, ſeu meatibus. Cuius rei indicium eſt, quòd ſitientes, ſi frequenter in aquas deſcenderint, ſitim reſtinguant. Quare*, inquit, *niſi ſi propter aliquam vtilitatem balneo vtendum ſit; ne vires noſtras eo diſſoluamus. Veteres porro balnea vocabant ἀνθρωπογναφεῖα*, anthropognaphia, hoc eſt, fullonicas ſiue officinas, in quibus homines atterantur, non ſecus ac panni à fullonibus. Et rationē ſubdit his verbis: Ἐπεὶ θᾶττον, ἢ προσῆκεν, ῥακοῖ τὰ σώματα, καὶ προγηράσκειν ἀναγκάζει καθεψῶντα, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ σιδήρῳ, μαλασσομένης τῇ θερμότητι τῆς σαρκός. Ἐντεῦθεν οἱονεὶ τῆς βαφῆς, καὶ τῆς στομώσεως τοῦ ψυχροῦ δεόμεθα. *Quoniam balnea citiùs, quàm oporteat, deterunt corpora, & illa decoquendo cogunt ante tempus ſeneſcere, dum ſimiliter, atque ferro accidit, calore caro emollitur. Hinc & rigore frigidæ, velut temperatura, indigemus*. Verterat Gentianus Heruetus parum aptè, & perquam obſcurè, hoc modo: *Quoniam citiùs, quàm par erat, pannoſa efficiunt corpora, & ante tempus cogunt conſeneſcere abſtergentia: dum non ſecus atque in ferro, calore caro mollificatur. Hinc frigidi veluti tinctura & temperatura opus habemus*. Daniel Heinſius porrò in ſua editione Clementis, tantùm vnicam vocem correxit, nempe pro *abſtergentia* repoſuit *abſtergendo*. At vox καθεψάω non ſignificat *abſtergo*, ſed *coquo*, *decoquo*, & alia eiuſdem ſignificati, quæ calidis balneorum aquis conueniunt. Illæ enim quodammodo corpora decoquunt & emolliunt & reſoluunt, vt ſubiecta indicat ſententia: nempe quam vim habet calor ad emolliendum ferrum, eandem in corpora habere aquas balneorum calidas. Deinde *pannoſa efficiunt corpora*, quod græcè eſt ῥακοῖ τὰ σώματα, *deterunt corpora*, corrigendum etiam fuit. Nam vt ῥάκος *vile, detritum ac lacerum veſtimentum* ſignificat, ſic verbum ῥακόω ſignificat *detero, vilius reddo*, ſeu, vt Turpilij apud Nonium voce vtar, *vilito*. Denique illud, *Hinc frigidi* &c. quotuſquiſque eſt, qui abſque græci textus ſubſidio non exiſtimet eſſe nominatiuum pluralem, cùm tamen debeat eſſe genitiuus ſingularis, cùm græcè ſit ψυχροῦ *frigidæ*, vbi intelligitur ὕδατος, *aquæ*: ac proinde meliùs dictum fuiſſet *frigidæ*, quàm *frigidi*. *frigida* enim abſolutè, ſignificat aquam frigidam. Sicut & græcè ψυχρὸν in neutro: quia ſubſtantiuũ, quod ſubauditur eſt neutrum, nempe ὕδωρ, *aqua*. Hæc autem dicta ſint pro loci B. Clementis explicatione, in lectoris tantùm latini, & minùs græcis litteris eruditi gratiam. Vtinam autem tantus vir idoneum aliquando nanciſcatur interpretem! Nam quæ Heinſius corre-

DANIELIS HEINSII CORRECTIO.

correxit, præ ijs quæ reliquit, & vltro neglexit, sunt paucissima. Atque, vt ad balneã redeamus, ijs præcipuè abundasse Smyrnam in Asia, vbi S. Polycarpus tenuit Episcopatum, testis est Aristides Orator, in orat. de Smyrna, qui inter alias eius laudes, & hanc ponit, Λουτρὰ μέν γε τοσαῦτα, ὥστε ἀπορήσαις ἂν οὗ λούσαιο. *Balnea quidem sanè tam multa, vt hæreas, vbinam laues.*

Insignis porrò fuit illa S. Abercij erga ægros ac morbidos humanitas, quòd gratuitum illis balneum, rem magni auxilij & solatij, procurauerit. Hinc innumeræ illi à toto infirmorum grege benedictiones.

d *RVMPEBATVR INVIDIA HOSTIS EIVS INFENSISSIMVS DÆMON.*] Solent dæmones viris sanctis ex inuidia & odio benefactorum, varijs modis insidiari, & cùm nocere animis non possint, in corpora iram exercere. Ita hic fecit S. Abercij aduersarius, qui cùm plus non posset, dolorem saltem non mediocrem eius incussit calcaneo. Sic alijs compluribus eximijs virtutum ascetis, ac nominatim & præcipuè magno Antonio, vitæ monasticæ insigni antesignano, innumeros atque intolerabiles ictus impegit. Nam, vt in eius vita scribit S. Athanasius, Alexandriæ Episcopus, προσελθὼν ἐν μιᾷ νυκτὶ, μετὰ πλήθους δαιμόνων, τοσοῦτον αὐτὸν ἔκοψε ταῖς πληγαῖς, ὡς καὶ ἄφωνον αὐτὸν ἀπὸ τῶν βασάνων κεῖσθαι χαμαί. *Accedens quadam nocte inimicus, cum turba dæmonum, tantis eum plagis cecidit, vt præ cruciatibus sine voce humi iaceret.* Deinde ipsius S. Antonij de ijsdem suis cruciatibus addit testimonium, his verbis: Διεβεβαιοῦτο γὰρ ἧττον σφοδροὺς γεγενῆσθαι τοὺς πόνους, ὡς λέγειν μὴ δύνασθαι τὰς παρὰ ἀνθρώπων πληγὰς τοιαύτην ποτὲ βάσανον ἐμποιῆσαι. *Affirmabat enim tam vehementes fuisse dolores, vt diceret inflictas ab hominibus plagas nunquam tantum posse afferre tormentum.* Sic & S. Pachomius tam crudeliter aliquando à dæmone est cæsus, *vt à vespera vsque mane* (sic loquitur vitæ auctor, aut eius potius interpres Dionysius Exiguus, Abbas Romanus) *totum corpus multis esset verberibus exaratum.* Sic & magnus Hilarion, (qui hoc fuit in Syria, quod Antonius in Ægypto) precationis suæ tempore non solùm flagello verberatus, sed etiam amaro cachinno, quòd abstractam à Deo in mentem haberet, est irrisus. Vide S. Hieronymum in eius vitâ. Sic & S. Nicolaus Tolentinas, cuius dies natalitius in diem Septembris decimam incidit: sic & alij, quos habuit dæmon inuisissimos, flagellis ab eo cæsi sunt, & cædente fortiores exstiterunt. Quin magnum amicitiæ Dei argumentum est, ab eius hoste cædi, nec cedere; vexari, nec succumbere.

DÆMONVM IRAS ET VERBERA PATIVNTVR VIRI SANCTI.

Sæpe S. Ignatio, Societatis IESV fundatori, acres ad animæ ruinam tetendit insidias, nonnunquam & corpori vim afferre conatus est. Nam cùm sanctus pater eum ex adolescente quodam Cantabro, Matthæo nomine (qui postea Camaldulensium ingressus Ordinem Basilius est appellatus) vi precationum expulisset, ipse expulsorem suum *in vltionem exilij sui* (vt refert Nicolaus Orlandinus lib. 3. historiæ Societatis IESV) *suffocare conatus est dormientem: faucésque tanta vi pressit, vt IESV nomen clamare cùm vellet, voce penitus inclusa non posset. Ad extremum tamen, omni adhibita contentione, in salutarem illam vocem erupit, & infernum monstrum protinus abs se abegit: diu tamen raucus ac propè sine voce fuit.* Neque B. Franciscus Xauerius Indorum & Iaponum Apostolus à dæmonum vexatione immunis fuit. Quippe illum dæmon Meliaporæ, seu in oppido S. Thomæ (vt pòst meliori nomine est appellatum) apud Gasparem Coëllium, Episcopi vicarium, hospitantem durè admodum tractauit. Cùm enim idem Xauerius nocte intempesta ad orationem de more surrexisset, atque in ædem malignis spiritibus infestam intrasset; ecce illi medias inter preces cum horrendo fremitu & inconditis clamoribus in eũ irruere, tórque & tam acerbis plagis Deo intentum affligere, vt fractus debilitatúsque necesse habuerit triduo decumbere. Neque sic tamen à nocturna precandi cõsuetudine absterritus fuit, sed illam semper retinuit, & impugnatores contempsit. Vide eundem Orlandinum l. 5. hist. num. 88.

Nicolaus Orlandinus in historia Soc. IESV. lib. 3. num. 10.

e *AD ABERCIVM ACCESSIT MVLIEBRI FORMA &c.*] Non est infrequens dęmoni muliebrem induere formam. Multos enim tali forma supplantauit. Atque in primis Victorium illum, ipso primo Christi sæculo insignem ascetam; qui in celsæ rupis specu angustissimum, & vix duorum capax tugurium sibi cõstruxerat, vbi Angelicè viuenti tentator puellam simulans noctu affuit, & se vt miseram, ac siluis, errore, & tenebris vagam, contra ferarum incursus tantisper hospitio exciperet, lugubriter efflagitauit: tum hic misertus, miserrimè ab eo, quem secum incluserat, carnis victus lenocinijs succubuit. Sed bene: quòd durissimâ pœnitentiâ culpam eluerit, tandémque (inuitus licet) Amiterninæ ecclesiæ creatus fuerit Episcopus, & gratia miraculorum, ac denique martyrij palma donatus sit. Vide Adonis martyrologium ad Nonas Septembris. Vide de alijs vitam Pachomij cap. 9. & Macarij Romani, cap. 20. & S. Ioannis eremitæ, per Ruffinum Presbyterum, cap. 1. In quibus vitis horribiles nonnullorum lapsus, ex diaboli fallacia femineum sexum mentiti, reperies.

Vt autem nequiuit sub tali latens forma fallere Pachomiũ; ita nec Abercium: quippe ambos in timore Domini fundatos, non verò arrogantia & præsumptione (vt ij qui corruerunt) supra se eleuatos.

f *EFFICIAM, VT BREVI VEL INVITVS ROMAM VIDEAS*] Voluptati fuit nonnullis dęmonibus, viros sanctos à suis domicilijs in lóginqua loca, seu eos fatigãdi & vexandi caussâ, seu quocũque alio occulto fine pertrahere. Quæ tamẽ itinera Deus B opt. max. non modo ad maiorem dæmonum ignominiam, & pœnam permisit, sed etiam ad suam & seruorum suorum gloriam & honorem, cum multa hominum vtilitate conuertit. Quemadmodum igitur nunc Abercio minatus est dæmon se illum Romam pertracturum, ita is, qui altero pòst sæculo Artemiam Diocletiani Imp. & Serenæ Augustæ filiam obsedit, cùm a S. Cyriaco Diacono eijceretur, *O Cyriace*, inquit, C *si hinc me eijcis, in Persidem te adigam.* Adegit autem, sed malo suo: aut potiùs seruum suũ Deus illò misit, permagno illius regni commodo. Nam Regis Persarum filiam, nomine Iobiam, idem cum insedisset dæmon, nec se, nisi à Cyriaco Diacono depellendum inclamasset, legatione ad Imperatorem missa euocatus Cyriacus illuc iuit, dæmonem expulit, Iobiam & Regem ipsum, simul cum magna propinquorum turba, & D alijs promiscui sexus, numero quadringentis viginti, aqua salutari abluit. Sed cùm primum idem Cyriacus in Regis & obsessæ filię conspectum venisset, ausus est etiam dæmon ipsum irridere, & de fatigatione cauillari, ac dicere. *Quid hoc rei est Cyriace? quis te huc adduxit?* Cyriacus autem, *In nomine Domini mei IESV Christi*, inquit, *præcipio tibi immunde spiritus, exi & iam vltra ad eam non reuertaris. Atqui fatigatus es*, inquit ille. Nam Cyriacus aliquam itineris partem E cum baculo pedes confecerat. Qui respõdit: *Ego huc veni in nomine Domini mei IESV Christi, cuius auxilio non sum fatigatus, sed in omnibus gubernatus.* Et ille: *At ego te perduxi, ad quod volui.* Cyriacus autẽ, quòd puellam videret fatigari, ad precationem se humi strauit; quâ peractâ, semel atque iterum his ferè vsus verbis, *Dominus meus IESVS Christus, Deus de Deo imperat tibi, vt* F *exeas*, eum denique expulit.

DÆMONIS IN S. CYRIACVM CAVILLI.

AD CAPVT XIII.

a AGitur in hoc cap. de euocatione S. Abercij Romam: quæ diuinitus per visum eidem præsignificata est, simul cum auxilij promissione, & boni ex eo itinere prouentus indicatione. Euocationi occasionem præbuit dæmon in Lucilla, M. Aurelij Antonini Imp. filia, à se obsessa, vociferatus eam se non derelicturum, nisi pręsens adigeret Abercius, Hierapoleos in Phrygia Episcopus. Sunt quædam in hoc capite, quæ à profanis quoque historijs, lucem & confirmationem accipiant: quæ nos in hisce notationibus tanto persequemur diligentiùs, quanto promtiores sunt homines ad fidem ijs tribuendam, quæ ex vtraque historia tam sacra, quàm profana deducũtur, quàm quæ ex earum dumtaxat alterutra.

b *DIES IPSOS SEPTEM, VNA CVM FRATRIBVS, IEIVNIIS* &c.] Exemplum hîc proponitur obsistendi quauis ope, & reluctandi infestis diaboli conatibus, nihilque, quod is prætenderit, nisi diuino iussu, exequendi. Igitur S. Abercius septẽ ipsos dies ieiunijs, & precibus & peruigilijs, ad eius amoliendos conatus, institit: donec à Deo (qui sibi adhærentibus, opémque aduersus infernos hostes exposcentibus deesse non solet) quid sibi faciendum esset, intellexit. In Actis græcis M.SS. sic habetur: Ἑπτὰ ὅλας εἶλκεν ἡμέρας ἐν νηστείαις καὶ παννυχίσιν ἅμα τοῖς ἀδελφοῖς, δεόμενος μὴ τοιαύτην γενέσθαι κατ᾽ αὐτοῦ ἰσχὺν τοῦ ἐχθροῦ. &c. *Totos septem dies protraxit in ieiunijs & peruigilijs vnà cum fratribus, rogans Deum, ne tantam aduersus se inimico permitteret potestatem.*

PRECATIO MVLTORVM MELIOR.

Nota verò sanctum Abercium ad faciliùs promerendam in hoc negotio Dei gratiam, auxiliares sibi adhibuisse fratrum preces, & ieiunia, & peruigilationes. Valet enim vt in alijs, sic & in precationibus illud Homericum:

Πλειόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον.

Plurium opus melius.

Homer. Iliad. μ.

Enimuero certius & minimè fallax habemus diuinum Christi oraculum, Matthæi 18. versu 19. *Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hinc & B. Polycarpus S. Ioannis Apostoli discipulus, cùm ab eo postulassent Smyrnæi, in tempore siccitatis, pluuiam cælitus impetrari; vicissim ab ijs postulauit, sibi vt liceret Presbyteros asciscere in comprecando adiutores. *Mecum enim*, inquiebat, *sunt Presbyteri, viri pij ac religiosi, quibus ego, cùm aliquid obtinere diuinitus contendo, vti apud Deum deprecatoribus soleo: hos ergo, si ita vobis videtur, adducam, vt & ipsi pro vobis ad Deum orationes spargant.* Vide cetera in eiusdem S. Polycarpi vita, cap. 8. à me scripta. Hinc & consuetudo in ecclesia inualuit, vt in maioribus rerum momentis communes ac publicæ indicantur preces.

Matthæi 18. ver. 19.

c *GRATIA ENIM MEA TECVM ERIT*] Vox est Dei implentis animam sancta

GRATIÆ DIVINÆ PROMISSIO.

cta fiducia. Quid enim melius præsente & opitulãte eius gratia? Cum hac omnia possumus, sine illa nihil. Hinc familiare Apostolis fuit, in capite epistolarum, eam quibus scribebant fratribus optare, atque in earundem rursum clausulis apprecari. Nam initia ferè erant: *Gratia vobis & pax* &c. vt in Petri, vt in Paulli, vt in alijs videre est. Et clausulæ itidem: *Gratia Domini nostri IESV Christi cum omnibus vobis, Amen.* Sic ad Romanos, sic ad Corinthios. Et ferè ad Galatas similiter: *Gratia Domini nostri IESV Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.* Sic ferè in omnibus; quę ad populos missę sunt: ad priuatos autem tribus ferè verbis: *Gratia tecum: Amen. Gratia vobiscum. Amen.* aut certè haud multùm dissimilibus. Verè autem cum Abercio fuit & perseuerauit Dei gratia, quæ Romam duxit incolumem, ac reduxit; sed bona stipe in pauperes conferenda auctum, vt pòst videbitur.

APPRECATIO GRATIÆ.

Galat. cap. vltimo.

d *FIAT, INQVIT, CHRISTE, VOLVNTAS TVA.*] Fuit hæc vox viris sanctis perquam familiaris, præsertim in arduis rebus suscipiendis, vel duris casibus sufferendis. De qua voce notaui non pauca ad vitam S. Polycarpi, in cap. XII. Notationum. tomo I. harum vitarum. Nec mirum, adeo frequentatam esse illam vocem à sanctis, cùm è cælo descenderit, & à Sancto Sanctorum nobis tradita sit. Hinc in quamuis tristi & aspero tempore medullitus pronũtiata, satis virium habet ad omnem abstergendam animi caliginem, & Solis æterni serenitatem reducendam. Ita in me & in omnibus, IESV Christe, semper FIAT VOLVNTAS TVA, nunquam mea, nunquam aliena, si quando dissideat à tua.

e *ET FILIAM M. AVR. ANTONINI IMP. IAM NVBILEM* &c.] Refertur hîc, quo pacto dæmon Lucillam M. AVR. ANTON. Imp. & FAVSTINÆ AVGVSTÆ filiam LVCIO VERO consorti imperij desponsatam inuaserit, pessimisque modis tractauerit: quæ caussa fuit tam dilationis nuptiarũ, quàm euocationis Abercij è Phrygia. Quæ omnia in Actis græcis MSS. vitę ipsius, quemadmodum latinè reddidi, continentur.

Desponsationis quidem & nuptiarum meminerunt & Auctores profani, tam Gręci, quàm Latini, Dio quidem Cassius lib. historię Rom. LXXI. strictim sub initium, vbi caussam affert, cur Marcus Lucium participem imperij fecerit: nempe quòd ille ἀσθενὴς ἦν τῷ σώματι καὶ τὰ πολλὰ λόγοις ἐσχόλαζε, *imbecillis corpore esset, & litterarum studijs admodum deditus.* Ὁ δὲ Λούκιος ἔρρωτό τε καὶ νεώτερος ἦν, τοῖς στρατιωτικοῖς τε ἔργοις καταλληλότερος. Ὅθεν καὶ γαμβρὸν αὐτὸν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ Λουκίλλῃ ὁ Μάρκος ποιήσας, εἰς τὸν πρὸς

A Πάρθους ἔπεμψε πόλεμον. *Lucius verò robustus & iunior erat, ac rei militari aptior. Vnde & illum datâ ei filiâ Lucillâ Marcus generum fecit, atque ad bellum aduersus Parthos misit.* Herodianus in Commodo Imp. paria his scribit: Λουκίλλα ἦν τοῦ Κομμόδου πρεσβυτάτη πάντων ἀδελφή. Αὕτη πρότερον Λουκίῳ Βήρῳ αὐτοκράτορι συνῴκει, ὅν τε αὐτῷ τὴν θυγατέρα, δεσμὸν ἐννοίας ὀχυρώτατον, τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπιγαμίαν ἐποιήσατο. *Lucilla erat Commodo maxima natu soror: ea prius L. Vero Imperatori nupserat: quem consortem imperij sibi Marcus asciuerat, locataque in matrimonium filia firmissimo affinitatis vinculo strinxerat.* Ita politè vertit Angelus Politianus, Herodiani admodum politus interpres. Iam autem Iulius Capitolinus, qui res Marci & Veri pleniùs perscripsit, hæc in Marco: *Et quasi pater Lucij Commodi esset, Verum eum appellauit addito Antonini nomine, filiamque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionem, pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt.* Quæ postrema verba spectare existimat Baronius ad historiam S. Abercij, vt per nouos homines intelligantur Christiani, quibus idem Abercius annuam frumenti pensionem ab Imperatrice obtinuerit. Nam ad Christi annum 163. post iam citata Capitolini verba subdit: *De frumento pauperibus erogando ab Abercio, singulisque annis præstando intelligendum esse existimamus.* Agitur de hac frumenti impetratione & largitione in Actis S. Abercij, & in vita eiusdem à nobis conscripta, cap. 15. suprà. Nec caret aliqua probabilitate, Iulium Capitolinum (qui sub Diocletiano Imp. Christianorum acerrimo persecutore hæc scribebat) aliorsum traxisse largitionem illam, aut beneficium in Christianos appellatione nouorum hominum occultasse. Nam & Christiani Infidelibus vocari potuerunt noui homines, vtpote nuper ipsis cogniti, & nouo nomine appellati. Quamuis Salmasius more suo, hoc est, arrogantiæ pleno, hæc contemnat, cùm ad dicta Capitolini hæc notat: *Mitto illorum sententiam, qui de Christianis accipiendum docuere, quæ ne refutari quidem digna est. Quid enim aut quare noui homines hic Christiani? aut cur liberet Capitolino sic eos appellare?* At vero dignam refutatu iudicauit Isaacus Casaubonus ad eundem Iulij Capitolini locum, cuius argumenta non respuo. Sunt enim probabilia, & probabiliora saltẽ quàm Salmasij, qui ferè in suis Notis

—— *nubes & inania captat.*

Ego quidem non intelligi eos Christianos, pro quibus Abercius pensionem annuam frumenti petierit, duabus potissimè de caussis arbitror: vnâ quidem, quòd verba Iulij Capitolini videantur loqui de largitione

Herodianus in Commodo Imp.

Angelus Politianus Herodiani politus interpres.

Horat. in epist. Ad Pisones.

tione facta Romæ ijs, qui alioqui partici- A pes non fuissent eius largitionis: & hæc fauet Casaubono contra Salmasium: largitio autem ab Abercio impetrata, facienda erat Hierapoli: alterâ verò caussâ, quòd Abercius, non pueris & puellis, sed mẽdicis (quo nomine veniunt potissimum viri ac feminæ non valentes familiam sustentare) illam largitionem impetrarat. Quare ea largitio, quę est ab Abercio pro mendicis Hierapolitanis impetrata, non est à Capitolino lit- B teris tradita, siue quòd homini Gentili ignorata, siue quòd contempta; sed à Christianis, ad quos ea res pertinebat, quæ fidei simul sanctitatisque complectebatur commendationem, meritò scriptis est prodita. Admittunt hanc largitionem Christianis Ecclesiæ Hierapolitanę factã illi quoque, qui à nostra Ecclesia sunt extranei: & Sethus quidem Caluisius in opere suo chronologico, ad annum mũdi 4110 post Chri- C stum autem, 161. auctoritatem secutus Baronij sic scribit: *Lucilla sponsa Lucy à malo Dæmone exagitatur, quo liberata est per Abercium Hierapolitanæ Ecclesiæ Episcopum: qui hoc beneficio ab Imperatore obtinuit, vt pauperibus in sua Ecclesia erogarentur quotannis ter mille modij frumenti, & thermæ ibi ædificarẽtur.* Tũ addit: *Frumẽti summa fuit, ducẽti mody Lipsẽses.* Sic ille. De hac largitione suo loco pluribus. Spectat enim propriè ad cap. XV. D

Lucillæ autem obsessio à dæmone (quæ huius capitis est propria, & disertè in Actis comprehensa est) idcirco videtur à profanis auctoribus prætérita; quòd eam, si fortè quid inaudierint (solent enim talia parietibus tegi) non alio, quàm morbi loco habuerint.

Quæ porrò de eiusdem Lucillæ ætate, pulchritudine, diuexatione, parentum curis distinxi, ea ferè totidem verbis in græ- E co MS. reperies.

f *ANGEBAT EA RES FAVSTINAM AVGVSTAM*] Erat Faustina, Antonini Pij Imp. filia, M. Aurelij Antonini vxor, Lucillæ Lucio Vero Augusto desponsę, & à dæmonio obsessæ mater: quæ propterea mirè pro filia angebatur.

Fuit hæc Faustina virilis ac martialis animi, & in castris viro comes. Hinc MATER CASTRORVM appellata. Vnde F & in quibusdam numismatis reperiuntur inscriptiones: MATRI CASTRORVM. Rationem appellationis affert Capitolinus in Marco, *Diuam etiam Faustinam*, inquit, *à senatu appellatam gratulatus est, quàm secum & in æstiuis habuerat, vt matrem castrorum appellaret.*

Huius exstant non paucæ inscriptiones, in Corpore Inscriptionum Romanarum, operâ IANI GRVTERI editarum, in quibus vna est huiusmodi. Pag. CCLX.

FAVSTINÆ.
AVG.
IMP. CÆ. T. ÆLI.
HADRIANI. ANTONINI.
AVG. PII. PP. TR. POT. X.
IMP. II. COS. IIII.
FILIÆ.
M. AVRELI. CÆSARIS.
VXORI.

E PANVINIO.

Eandem in suum Thesaurum rei antiquariæ retulit Hubertus Goltzius, sed non è Panuinio, vt apparet: cùm in tertia linea omiserit *CÆ.* verùm aliunde. Nec est, quòd quis abundare existimet post *Imp.* vocem *CÆ.* quasi idem sint *Imp.* & *Cæs.* Nihil enim frequẽtius, quàm ea cõiunctio *Imp. CÆ.* in veteribus inscriptionibus & num. vti apud eundem Goltzium hoc ipso loco, id est, vbi numismata & vet. inscrip. M. AVRELII ANTONINI persequitur, videre est. Exstant etiam eiusdem FAVSTINÆ multi nummi, partim græcè, partim latinè inscripti. Quidam sic:

ΦΑΥCΤΕΙΝΑ CΕΒΑCΤΗ ΕΥCΕΒΟΥC CΕΒ. ΘΥΓΑΤΗΡ.

Talis est ille, quem acceptum à nostro Iacobo Sirmondo Parisijs, hîc exprimendum curaui.

Cui respondet ille aureus Excell.mi Principis, CAROLI CROYI, Ducis Arschotani, latinè inscriptus, & totidem verbis illum interpretans. Vide aurea eius numismata, tabulâ trigesimâ.

Hæc igitur Faustina Pij Imp. filia, & M.

h Aurelij

Aurelij Imp. vxor, admodum sollicita de Lucillæ filiæ miserabili infortunio, propter pactas cum L. Vero Imp. nuptias, nihil non tentauit, vt eam incolumitati restitueret. Sacra enim & profana non modò Gentilium, sed etiam Christianorum experta est. Quippe vbi nec à Romanis flaminibus & sacrificulis, nec ab auguribus & haruspicibus vlla spes remedij apparuit, ad Abercium voce dæmonis designatum postremò respexit, & expeditam ab eodem præsente medelam accepit; vt in Actis fusè continetur, & à nobis in vita explicatur.

g *NAM INTER IMPERATORES CONVENERAT* &c.) De hoc Imperatorum, super nuptijs, conuentu sic est in Actis: Τὴν πρώτην δ' ἀλλήλοις συγκείμενοι κατά τινας ῥητὰς ἡμέρας, τὸν μὲν ἀπὸ τῆς Ἕω τὸν Λούκιον, τὸν δ' ἀπὸ Ῥώμης τὴν Ἔφεσον καταλαβεῖν, καὶ ἐν τῷ C κατ' αὐτὴν ναῷ τῆς Ἀρτέμιδος, τὸν μὲν ὑπὸ μάρτυρι τῇ θεῷ καταθέσθαι Λουκίῳ τὴν παῖδα, τὸν δὲ δέξασθαι. *Inter sese constituerant, vt ad dictos dies, Lucius quidem ab Oriente, alter autem ab vrbe Roma Ephesum conuenirent, & in Dianæ, quod inibi est templo, dea teste, ille filiam Lucio traderet, hic autem acciperet.*

Vtriusque profectionis, tam L. Veri ab Oriente Ephesum, quàm M. Antonini ab vrbe Roma, mentionem facit Iulius Capi- D tolinus, sed in diuersis locis. Nam itineris L. Veri Ephesum meminit in vita eiusdem Veri, Marci autem ab vrbe Roma, in vita eiusdem Marci: sed de pacto inter ipsos Impp. ne verbum; quod tamen intercessisse necessarium est; alioqui si tantùm indicasset Marcus Aurelius, se deducturum filiam in Syriam, nec quicquam de Epheso conuenisset; fieri potuisset, vt ambobus diuersas vias sequentibus neuter alteri oc- E curreret. Verba Capitolini in Vero sunt hæc: *Ad Euphratem tamen impulsu comitum suorum secundò profectus est. Ephesum etiam redijt, vt Lucillam vxorem missam à patre Marco susciperet, & idcirco maximè, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, ac flagitia eius agnosceret. Nam Senatui Marcus dixerat se filiam in Syriam deducturum.*

Discessit igitur Marcus ex Vrbe, ea mente, vt filiam Lucillam deduceret vsque in F Syriam, sed demum, postquam ex itinere Ephesum, propter stabiliendas ibi nuptias coram Dea Lucina seu Diana earum præside & fautrice, tantisper diuertisset: vnde ad bellum aduersus Parthos vnà cum Lucio progredi cogitabat. Sed Brundisium vsque progressus, cùm spargi rumorem intellexisset, ideo se in Syriam proficisci, vt confecti belli (quod iam satis affectum erat) gloriam quæreret; con- A silium mutauit, & sorori suæ negotium deductionis Ephesum vsque, & confectionis nuptiarum commisit, ipse confestim domum reuertit. Nam de hoc ita Capitolinus, in M. Antonino: *Filiam suam nupturam*, inquit, *commissam sororis suæ cura, eandem locupletatam Brundisium vsque deduxit, & ad eum misit. Romam vero statim redijt, reuocatus eorum sermonibus, qui dicebant Marcum velle finiti belli gloriam* B *sibimet vindicare; atque idcirco in Syriam proficisci. Ad Proconsulem scripsit, ne quis filiæ suæ iter facienti occurreret.* Sic ille. Ad quæ verba, & maximè ad illa; *Atque idcirco in Syriam proficisci*, affert Isaacus Casaubonus, pro ipsorum confirmatione, locum ex Actis S. Abercij ijsdem, quibus nos in hac vita vtimur, & sic notat: *Decreuerat enim*, inquit, *initio Marcus in Asiam proficisci, & filiam suam ad Verum ipse adducere: quod Acta* C *etiam Abercij confirmant: Inter eos conuenerat, vt stato die Lucius quidem ab Oriente, Antoninus autem Roma venirent Ephesum: & in templo, quod ibi erat, Dianæ, Antoninus, Dea teste, traderet puellam, Lucius acciperet.* Ita illic Casaubonus, qui non semel, sed sæpius eadem Acta laudat. Ex his autem verbis, & ex ijs, quæ aliquanto antè è Capitolino produximus, colligi debet germanus sensus quorundam verborum Dio- D nis Cassij apud Xiphilinum, qui paullò est alius, quàm quem ipsa verba præ se ferunt. Nam libr. LXXI. historiæ Roman. verba sic habent: Ὁ δὲ Λούκιος ἐῤῥωμένος τε καὶ νεώτερος ἦν, τοῖς στρατιωτικοῖς τε ἔργοις καταλληλότερος· ὅθεν καὶ γαμβρὸν αὐτὸν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ Λουκίλλα ὁ Μάρκος ποιήσας, εἰς τὸν πρὸς Πάρθους ἔπεμψε πόλεμον. *Erat autem Lucius robustior ac iunior, & rebus militaribus aptior. Hinc & generum illum, data* E *filia Lucilla, sibi factum misit Marcus ad bellum contra Parthos.*

Quæ verba videntur significare Lucium non esse missum aduersus Parthos, nisi postquam ipse cõfecto matrimonio factus est gener: at verò, è Capitolino suprà penè confectum erat bellum, antequam Lucilla nuptura venisset Ephesum, & Lucius ei è Syria ibidem occurrisset. Quare verba Dionis, aut Xiphilini potiùs ipsum F Dionẽ decurtantis, sic accipienda sunt, *vt factus gener* dicatur, quia certò designatus: non autem, quod iam celebratæ essent nuptiæ.

h *QVO ADVERSVS VOLOGESVM REGEM EXERCITVM DVXERAT*) Erat Vologesus, Rex Parthorum, priórq; bellũ Romanis intulerat, quorum omnem exercitum collocatum à Seueriano duce ad Elegiam, regionem Armeniæ, & vndique vnà cũ ipsis ducibus inter-

interclusum telis confecerat, atque perdiderat; etiam vrbibus Syriæ formidolosus erat: vt scribit Dio libr. LXXI. in M. Antonino. Contra quem proinde missus fuit Lucius Imp.

In Actis S. Abercij græcè Βύλγεσος appellatur, & à latino interprete, *Bulgessus*, formâ quadam contractionis. Nam alioqui vsitatius græcè Βολόγεσος, *Bologesus*, vt Aristidi, aut Βολόγαισος, *Bologæsus*, vt apud Photium in Iamblicho, aut denique Οὐολόγαισος, *Vologæsus*, vt Dioni, in Marco. Sed à latinis communiùs scribitur Vologesus sine diphthōgo, vt à Suetonio, Tacito, Capitolino, Aurelio Victore Schotti, & alijs.

MORÆ CAVSSAM E MOTV BARBARICO ARRIPVIT] Probabilem hanc caussam moræ seu dilationis facit, quod scribit Iulius Capitolinus, in M. Antonino: *Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum: quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est, vt finito iam Orientali bello Marcomannicum agi posset.*

Marcus igitur occasione nascentis huius belli vsus est, in excusationem dilati itineris Ephesum versus, cum filia: quòd diceret nō posse se, antequam tumultus Germanici essent compositi, tam longè & ab illis, & ab vrbe Roma (quò Ducum litterę soleant destinari) talibus reip. temporibus.

GERMANOS TRAIECTO RHENO &c.] His cōformia sunt, quę scribit Dio Cassius loco proximè citato: Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον Κελτῶν, μέχρι τῆς Ἰταλίας ἤλασαν, καὶ πολλὰ ἔδρασαν ἐς τοὺς Ῥωμαίους δεινά. οἷς ὁ Μάρκος ἀντεπιών, Πομπηϊανόν τε καὶ Περτίνακα τοὺς ὑποστρατήγους ἀντικαθίστη. *Multi etiam Celtarum, qui supra Rhenum incolunt, vsque in Italiam penetrarunt, & multa Romanis damna intulerunt, quibus Marcus occurrens, Pompeianum & Pertinacem legatos opposuit.* Per Celtas autem Transrhenanos, sine dubio intelligit Germanos. Hinc vetus interpres pro Celtis Germanos reddidit. *Eodem tempore,* inquit, *Germani, qui trans Rhenum incolunt* &c. Paullò autem pòst agit idem Dio speciatim de Marcomannis, additque Marcum ijs deuictis obtinuisse appellationem GERMANICI, his verbis: Κρατήσας δὲ αὐτῶν Γερμανικὸς ὠνομάσθη. Γερμανοὺς γὰρ, τοὺς ἐν τοῖς ἄνω χωρίοις οἰκοῦντας ὀνομάζομεν. *Quum autem eos vicisset* [Marcus scilicet Marcomannos] *Germanicus est appellatus. Germanos enim, eos, qui superiora loca incolunt, nominamus.*

k *ANTIOCHIAM AD DAPHNEM REVERTIT*] Quod Abercij Acta habent Lucium Verum reuertisse εἰς τὴν ἐν Δάφνῃ Ἀντιόχειαν, *Antiochiam, quæ est ad Daphnen,* id ita expressè dictum videtur, vel ad distinctionem ab alijs vrbibus idem nomen habentibus, (recenset enim Stephanus Byzantinus vrbes duodecim eiusdem nominis) vel ad sugillationem deliciarum L. Veri, qui ducibus suis contra Parthos missis, hærebat ipse apud Daphnem, locum iuxta Antiochiam deliciosissimum, Dio lib. LI. vocat Daphnem, *suburbanum Antiochiæ:* Καὶ τήν γε Δάφνην τὸ πρὸ τῆς Διδίῳ τὸ τῆς Ἀντιοχέων προάστειον ἐνοικεῖν μέχρι ἂν τῷ Καίσαρι ταῦτα δηλωθῇ, ἔλαβον. *Et Daphnem, Antiochenorum suburbanum, à Didio inhabitandam acceperunt, donec ea res Cæsari significata esset.* Cæsari Octauiano scilicet, de quo ibi agitur. De Lucij Veri porrò delicijs ibidem loci, habemus Iulij Capitolini in M. Antonino hoc testimonium: *Et VERVS quidem,* inquit, *posteaquàm in Syriam venit, in delicijs apud Antiochiam, & Daphnem vixit, armisque se gladiatorijs & venatibus exercuit: quum per legatos bellum Parthicum gerens, Imperator appellatus esset, quum Marcus horis omnibus, reip. actibus incubaret, patienterque delicias fratris, & propè inuitus ac volens ferret.* Legit Casaubonus: *propè non inuitus ac volens ferret.* Quæ lectio est admodùm perspicua & obuia: sed an ita scripserit Capitolinus incertum est; cùm possit Augustani codicis lectio, habentis *inuitus ac volens* retineri, & directè respondeat illi Euripideo in Hecuba;

—— Ὅ δ᾽ ἑκὼν θέλων τε καὶ θέλων.

Hic autem non volens ac volens.

Quod idem prorsus est cum illo Capitolini: *inuitus ac volens.* & cum illo Homerico, Iliad. lib. 4.

——Ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ.

Volens nolente animo.

Nam M. Antoninus amore virtutis ferebat inuitus fratris vitia & delicias, volens tamen ferebat metu discordiæ. Vt enim Sapiens de pigro dicit Prouerb. 13. ver. 4. *Vult & non vult piger* (Quia vult propter vtilitatem, non vult autem propter laborem) sic amici aut propinqui dissimulans vitia, vult quidem illa esse emendata propter eius bonum, & quodammodò non vult, quia admonere negligit timens offensionem. Sed valere hic debet illud Ioannis, (& vt erga me valeat, oro atque opto) *Perfecta caritas foras mittit timorem,* quamuis in alio quidem sensu, sed tamen vicino. Prouerb. 13. ver. 4. 1. Ioannis c. 4. ver. 18.

Vereor tamen, vt illa lectio sit germana Capitolini (vtpote nec admodùm acuti, nec diserti Scriptoris, sed sæpè rudis ac rustici) ac non potiùs illa, quæ in plurimis reperitur exemplaribus: *patientérque delicias fratris, & propè inuitus ac nolens ferret:* quasi scilicet patienter quidem ferret; sed velut necessariò & coactè, ad retinendam concordiam; aut certè illa Casauboni

ſauboni paullò antè laudata. Eligat lector, quam volet.

l *NAM ET ROMANOS ITALOSQVE SACRIFICVLOS &c.*) Acta græca ſic habent: Τοὺς Ῥωμαίων τοίνυν καὶ Ἰταλῶν ἱερεῖς συναγαγὼν καὶ οἰωνοσκόπους ἀπὸ Τυῤῥηνίας μεταστειλάμενος ἐξώρκιζέ τε τὸν δαίμονα δι᾽ αὐτῶν καὶ οὐδὲν ἦν, ὅτι οὐκ ἐπενόει πρὸς τὴν τοῦ κακοῦ θεραπείαν. *Conductis igitur Romanorum & Italorum ſacerdotibus, & accerſitis ab Hetruria auguribus adiurauit per illos dæmonem* [Marcus Antoninus ſcilicet] *nihilq́ fuit, quod ad medelam mali non excogitauerit.*

NOTA apud Aloyſium Lipomanum, in vita eiuſdẽ S. Abercij, pro *auguribus*, verſum eſſe *haruſpicibus*: licet vox οἰωνοσκόπος propriè *augurem* ſignificet, ſiue, ex etymologiâ, auium inſpectorem. De his auguribus agit Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 2. Antiq. Rom. ſub finem, vbi ordines ſacerdotum referens ſic inter alia: *Quartus ordo erat,* inquit, *de cælo ſigna obſeruantium, & publica à priuatis diſcernentium. Hi Romanis dicuntur AVGVRES, noſtris autem hominibus* Οἰωνοπόλοι *Oeonopoli.* Sic Homero Iliad. Z. ſiue lib. 6.

Dionyſius Halic. l. 2. Antiq Rom.

Πριαμίδης Ἕλενος οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος,
Priamides Helenus longè optimus omnium augur.

Eſt autem οἰωνοπόλος idem quod οἰωνοσκόπος & ὀρνεοσκόπος, *ſpeculator, inſpector, contemplator auium,* quia ſcilicet earum volatus, aut cantus, aut paſtus obſeruabant.

De his multa Cicero, vti & de haruſpicibus, lib. 1. De Diuinatione. Et quamuis differant augures & haruſpices, aliaque ſit augurij diſciplina, & alia haruſpicinæ, vt ex eodem Cicerone cognoſcitur; veri tamen eſt ſimile, Actorum S. Abercij ſcriptorem grecum, vtroſq; tam haruſpices, quàm augures ſub vno nomine οἰωνοσκόπων, *auium contemplatorum* comprehendiſſe, eò quòd addiderit accitos ex Hetruria; vnde vt plurimùm *haruſpices*, non verò augures euocabantur: cùm ſe Romani ipſis Hetruſcis augurandi arte præferrent. Hinc Tiberius Gracchus Conſul Rom. cùm de comitijs ab eo habitis, interrogati à ſenatu Hetruſci haruſpices reſpondiſſent, non fuiſſe iuſtum comitiorum rogatorem, ipſe *incenſus ira, Itáne verò?* inquit, *ego non iuſtus, qui & Conſul rogaui, & augur, & auſpicatò? An vos Thuſci ac barbari auſpiciorum populi Romani ius tenetis, & interpretes comitiorum eſſe poteſtis?* Quaſi dicat: Nos Romani meliores augures ſumus, quàm vos Hetruſci. Et id verum erat: ſed id, quod Hetruſci dixerant, non ab augurandi arte, ſed ab haruſpicina ſibi propria didicerant: & falſus poſtea eſt idem Gracchus, ſe imprudentem aliquid vitij in capiendo ad augurium tabernaculo admiſiſſe, itáque vitio creatos eſſe Coſs. ac proinde ipſi ſe abdicauerunt. Vide hæc fuſius apud Tullium libr. 2. De natura Deorum, ſub initium, vbi ſubdit: *Magna augurum auctoritas. Quid haruſpicum ars? nonne diuina?* Qui & libr. 1. De diuinatione, initio, non obſcurè innuit Romanos eminuiſſe in augurandi diſciplina; *Principio huius vrbis, parens Romulus,* inquit, *non ſolùm auſpicato vrbem condidiſſe, ſed etiam ipſe optimus augur fuiſſe traditur. Deinde auguribus & reliqui Reges vſi. Et exactis Regibus nihil publicè ſine auſpicijs, nec domi, nec militiæ gerebatur.* Tum de haruſpicibus Hetruſcis ita continenter ſubiungit: *Cùmque magna vis videretur eſſe, & in impetrandis conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis, in haruſpicum diſciplina; omnem hanc ex Hetruria ſcientiam adhibebant: ne genus eſſet vllum diuinationis, quod ab iis neglectum videretur.* Ex quibus patet curationem Lucillę à dæmone obſeſſæ magis ad haruſpices pertinuiſſe, quàm ad augures. Nam obſeſſiones dæmonum, & inſanæ proprij corporis dilacerationes ad genera monſtrorum ſpectabant. Ecce & alium eiuſdem Tullij locum ex eodem libro, ad oſtendendum auguria non minùs fuiſſe Romanorum, quàm haruſpicinam Hetruſcorum. *Quod Hetruſcorum,* inquit, *declarant & haruſpicini, & fulgurales, & rituales libri: noſtri etiam augurales.* ſcilicet artem ac diſciplinam eſſe, tam haruſpicinam Hetruſcorum, quàm Romanorum augurandi vſum.

Cicero li. 2. De natura Deorum.

Cicero li. 1. De Diuinatione.

Vnde autem dicatur haruſpex, declarat Donatus ad Phormionem Terentij, actu 4. ſcena 4. *Haruſpex,* inquit, *ab haruga deriuatur, quæ eſt hoſtia, ab ara, in qua conclutitur & ſeruatur.*

Donatus in Terentium.

Hoſtiarum igitur, ſeu animalium exta conſiderabant haruſpices, (vnde & extiſpices dicti) & ex illis, de rebus faciendis aut omittendis, inceptandis aut differendis iudicabant. *Atque hac extiſpicum diuinatione ſublata, omnis haruſpicina ſublata eſt,* inquit Tullius lib. 2. De diuinatione, id eſt, ſi tollatur extorum conſideratio, tolletur & haruſpicum ars. Nam alioqui conſtat perſeueraſſe artem haruſpicum Romę, quamdiu ea Gentilibus ſubiecta Imperatoribus fuit. Atq; vtinam & nunc penitus deſijſſet! Marium, genere alioqui ignobilẽ, haruſpices ad magna excitarũt: & ille magna auſus eò vſque creuit, vt multarum gentium victor claruerit, & Romæ ſepties Cõſul fuerit. De illo ſic Iulius Exuperantius in opuſculo de bellis ciuilibus: *Haruſpices magna quædam impendere Mario reſponderunt, atque hortati ſunt, vt quæ vellet, auderet, peterétque celſiora natalibus, meritíſque maiora: ſiquidem cuncta*

Iulius Exuperantius, de bellis ciuilibus.

cuncta videbatur fauor spondere fortunæ. Tunc capiendi cõsulatus inuasit magna cupiditas &c. Viluit tamẽ etiam antiquis temporibus, & risui habita est à doctioribus, præsertim cũ leuia quæque & propè ridicula deferri ad eos cœperunt: qualia sunt illa apud Terentium loco iam citato:

—— Illa monstra euenerunt mihi:
Introÿt in ædes ater alienus canis.
Anguis per impluuium decidit de tegulis.
Gallina cecinit. interdixit hariolus,
Haruspex vetuit ante brumam aliquid noui
Incipere. Quæ caussa est iustissima.

Exempla dilationis rerum ex haruspicina, & approbationis quæsitorum ex augurio attingit per Occupationem figuram Q. Cicero, lib. 1. De diuinatione, his verbis: *Quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? Quid augur, cur à dextra coruus, a sinistra cornix faciat ratum?* &c. Videri potest ibi responsio.

Q. Cicero l. 1. De diuinatione.

Ipse M. Tullius Cicero, lib. 2. De diuinatione: *Vetus autem illud Catonis*, inquit, *admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quòd non rideret haruspex, haruspicem cùm vidisset. Quota enim quæque res euenit prædicta ab istis? aut si euenit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id euenerit? Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti pugnare placeret, negabat se audere, quòd exta prohiberent; an tu,* inquit, *caruncula vitulinæ mauis, quàm Imperatori veteri credere?*

M. Cicero l. 2. De diuinatione.

Ibidem multa habentur in reprobationem & irrisionem haruspicum, & inter alia: *Quid ego haruspicum responsa commemorem (possum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? Hoc ciuili bello, Dÿ immortales? quàm multa luserũt? quæ nobis in Græciam Romã responsa haruspicum missa sunt? quæ dicta Pompeio? Etenim ille admodum extis & ostentis mouebatur. Non lubet commemorare, nec verò necesse est, tibi præsertim qui interfuisti; vides tamen omnia ferè contrà ac dicta sint, euenisse.* Sic ibi.

Perstitit nihilominus illa superstitio haruspicum, & perseuerauit longè post Christi Domini tempora: vt non mirum sit hoc secundo sæculo addictos illi fuisse Imperatores.

Hæc autẽ de haruspicibus dicta sint pluscula, tum vt intelligatur & comprobetur nostræ huius historiæ veritas, tum præcipuè, vt eorum occurratur dubitationi, quibus videretur alienum à veritate, accersitos ab Hetruria οἰωνοσκόπους siue, vt verbum sonat, *auium inspectores, seu augures*, siue, vt sensus requirit, & res postulabat, *haruspices*: quasi ij sufficerent, qui Romæ essent, præsertim augures. Ideo attuli verbum illud οἰωνοσκόπους dilatato significatu, pro *haruspices*, vsurpatum esse à græco Actorum Abercij scriptore, & bene à latinis interpretibus versum hoc loco *haruspices*: quandoquidem ad eos magis spectabat Lucillæ calamitas, quàm ad Augures: & illi potiùs, quàm hi, essent in Hetruria celebres & nominati. Igitur & ego magis ad sensum & veritatem, quàm ad propriam nominis significationem respectum habens, dixi ex Hetruria accersitos haruspices, cùm id minimè dubium sit; præsertim quòd in iisdem Actis subdatur, nihil reliqui Imperatorem fecisse, quin pro curatione filiæ experiretur. Atqui in rebus eiusmodi tristibus & ominosis primum fere ac præcipuum perfugium ad haruspices erat. Verùm ab his ad alia.

m *VOCIFERARI COEPIT DÆMONIVM, SE, NISI ABERCIVS ADVENIRET* &c.] Similia sunt & alibi exempla. Nã & dæmon ille, qui filium Diocletiani Imp. possidebat & vexabat, talibus per os obsessi vsus esse fertur vocibus: *Ego hinc non exibo, nisi veniat VITVS LVCANVS.* Quare quæsitus est Imperatoris iussu S. VITVS, & apud Silerum fluuium (vbi eum esse dæmon indicarat) repertus, atque ad eundem Imp. ductus, coram ipso filium eius, depulso dæmone, percurauit. Vide Acta SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ, tomo 3. Surij, ad decimam quintam Iunij. Sic & is, qui Artemiam eiusdem Diocletiani filiam insederat, linguam insessæ in hæc mouebat verba: *Nisi veneris Cyriacus Diaconus, non exeo.* Eductus igitur è carcere Cyriacus, in quo simul cum Largo & Smaragdo fidei caussa detinebatur, atque ad insessam adductus, præcepit spiritui, vt in nomine Domini IESV Christi exiret, & ille tandem coactus exiuit. Habes fusiùs in Actis S. Marcelli Papæ, 16. Ianuarij, apud Surium. Sic & ille, qui LEONIS Romani Imp. filiam occupabat, ex eius ore vociferabatur: *Non hinc egredior, nisi Archidiaconus Lugdunensis adueniat.* &c. quod exemplum alia occasione infrà diffusius ad cap. 15. In vita item S. Homoboni, per Equilinum Episcopum, in Catalogo Sanctorum, lib. X. cap LVI. puella quędam Bergomas ab immundo vexata spiritu, aut hic potiùs in illa, clamitabat, se ab ea non discessurum, nisi expellente Homobono Cremonensi. Is tum Cremonę superstes erat, sed nondum sanctitatis fama notus ac celebris: cùm autem eius demortui virtus miraculorum dispergi cœpta est, tum puellam ad eius sepulchrum adductam mox Malus deseruit. Neque his valde absimilis ille fuit, qui exorcistis ipsum eijcere ex impudica muliere conantibus inclamabat: *Ex hoc corpore me nunquam pellere poteritis, nisi huc veniat vir ille, qui in medio ignis positus*

vri non potuit. Intelligebat autem S. Vincentium Ordinis Prædicatorum. Cuius vide vitam lib. 1. cap. 12.

n *ACCERSITO AD SE CORNELIANO PRÆFECTO.* &c.] Is est Attidius Cornelianus, qui præfectus fuerat Syriç ab Antonino Pio Imp. Quem Cornelianum Vologesus Parthorum Rex (de quo egi suprà hoc ipso cap.) fugauit, & belli contra se gerendi caussam M. Aurelio Antonino & L. Vero Impp. Pij successoribus præbuit: sed B & triumphi occasionem, & Vero quidem agnomen *Parthici*. Is enim bellum illud Parthicum, vt antè indicaui, gessit & absoluit.

Huius porrò Attidij Corneliani meminit quoque Iulius Capitolinus in M. Antonino his verbis: *Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Attidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat.*

Ad hunc Capitolini locum notauit Isaacus Casaubonus num. 38. malle se legi, *Atilio*, quàm Attidio. Nam in antiqua inscriptione, inquit, nominatur *Atilius Cornelianus*, huius, nisi fallor, filius. Sic ille. Sed ego dum illam perquiro, nec inuenio, ecce vna mihi alia occurrit, & se pro me facere dicit, in qua disertè scriptū reperio semel ATTIDIVS CORNELIANVS, semel ATTIDI CORNELIANI. Eam ex Inscriptionum Romanorum corpore, Iani Gruteri auspicijs edito, maioris fidei caussa totam hîc, vt ibi iacet, apponam.

ROMÆ, PROPE CAPITOLIVM, IN MARMORE ET CAPITE ET PEDE DESTITVTO.

P. MARSIVS VERVS. IMP. COMMODO VI. ET. PETRONIO
SEPTIMIANO COS. A. P. R. C. DCCCC. XII. KAL. DECEM.
IN PALATIO. IN ÆDE IOVIS PROPVGNATORIS. IN LOCVM
M. VERI ------ L. -- ATTIDVS CORNELIANVS COOPTATVS
TI. SATVRNINO ET. C. GALLO COS. A. P. R. C. DCCCCL.
PR. EID. DEC. IN PALATIO. IN ÆDE IOVIS PROPVGNATORIS
IN LOCVM ATTIDI CORNELIANI VITA FVNCTI CL.
PATERNVS COOPTATVS ------------------------
TI. SEVERO. C. AVFIDIO VICTORINO COS. A. P. R. C.
DCCCCLII. EID. APR. IN PALATIO. IN ÆDE IOVIS PROPVGNATORIS
IN LOCVM CLAVDI PATERNI VITA FVNCTI ---- ALLIVS
COLONIVS ----- COOPTATVS.

Metellus ex schedis Iucundi, qui vidit.

Hic autem Attidius Cornelianus est ille C ipse, ad quem exstat greca epistola Phrynichi Arabij dedicatoria Eclogæ Atticorum verborum & nominum, præmissa cum hac inscriptione: Φρύνιχος Κορνηλιανῷ εὖ πράττειν. *Phrynichus Corneliano bene rem gerere.*

Epistola autem ipsa sic incipit: *Τὴν τε ἄλλην σου παιδείαν θαυμάζων, ἣν διαφερόντως ὑπὲρ ἅπαντας, ὅσοις ἐγὼ ἐνέτυχον, πεπαίδευσαι, καὶ δὴ καὶ τοῦτο θαυμάσας ἔχω τὸ περὶ τὴν τῶν καλῶν καὶ δοκίμων ὀνομάτων κρίσιν.* &c. *Cùm tuam* D *in alijs doctrinam admirarer, quâ egregiè præ omnibus ijs, in quos ego incidi, eruditus es: tum in primis tuum admiratus sum de bonis & probatis verbis iudicium.*

Ex his autem satis colligitur, quantus vir, & quàm eruditus fuerit hic Cornelianus: totam tamen epistolam, ad harum Notationum calcem, propter nōnulla, quæ continet vtilia, tam latinè adijciam nonnihil emendatam, quàm græcè.

Nostræ porrò sententiæ, quâ tenemus non alium hunc esse, quàm nostrum Attidium Cornelianum, accedit ac suffragatur bona Petri Ioannis Nunnesij, in præfatione ad eundem Phrynichum, suspicio. Sic enim ait: *Inscribuntur autem hi libri Corneliano cuidam. Eum fuisse suspicor Attidium Cornelianum, quem Capitolinus in M. Antonino præfectum fuisse Syriæ refert, noster autem Phrynichus Græciæ quoque præpositum addit: cum ab epistolis Imperatorum M. Antonini & L. Veri, vt*

vt suspicor, primùm; deinde quæstor sacri palatij A *lectus fuisset. Sic enim* πάρεδρον *accipiendum puto, qui postea* μέγας λογοθέτης *honestiori nomine appellari cœpit*. Sic ille.

Fauet etiam quod de Phrynicho scribit Photius in Bibliotheca, Cod. CLVIII. nempe eum floruisse temporibus M. Antonini, & filij eius Commodi, Impp. Tunc autem florebat & Attidius Cornelianus, quem Acta S. Abercij vocant ἔπαρχον τῆς αὐλῆς, *præfectum aulæ, siue palatij*. Sic etiam B appellat hanc dignitatem Plutarchus prioris sæculi Scriptor, in Sulpicio Galba, sub initium.

Sed quis est hic præfectus aulæ, siue palatij? Non alius, vt opinor, quàm Magister officiorum, qui Græcis iam ἔπαρχος αὐλῆς, *præfectus aulæ*, iam ἡγεμὼν τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων, *dux ordinum palatinorum*, iam alijs similibus appellationibus designatur. Quod confirmari videtur è Zosimi hist. lib. 2. sub C medium, vbi de Constantino magno agens sic scribit: Διαπλεύσας τοίνυν εἰς τὴν Χαλκηδόνα, καὶ κοινωνὸν ἐλόμενος τῷ κινδύνῳ Μαρτινιανὸν ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ὄντα· μάγιστρον τῶν ὀφφικίων καλοῦσι Ῥωμαῖοι· Καίσαρα καθίστησι. *Quamobrem nauigio Chalcedonem delatus, adiunctum sibi socium periculi Martinianum, qui ordinum palatinorum dux erat (Romani magistrum officiorum vocant) Cæsarem constituit*. Et infrà: Ἀλλὰ Νεποτιανὸν μὲν, D οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἐκπέμψας Μαγνέντιος δύναμιν, ἡγουμένου Μαρκελλίνου, τῷ τὴν ἀρχὴν ἐπιτετραμμένῳ τῶν περὶ τὴν αὐλὴν τάξεων· ὃν μάγιστρον ὀφφικίων καλοῦσιν· ἀνεῖλε. *Sed Nepotianum quidem Magnentius, non multis pòst diebus misso exercitu, duce Marcellino, cui commissum erat in palatinos ordines imperium (Romani magistrum officiorum vocant) interfecit.*

o *ADVOCATIS EXTEMPLO MAGISTRIANIS, VALERIO ET BASIANO* E &c.] Magistriani seu Magisteriani (qui vulgo Agentes in rebus, in Glossis latinogræcis appellantur) ijdem erant, qui apud Imperatores dicebantur Magistri officiorum, aut Principes officiorum. Nam cùm essent in aulis Imperatorum officia multa, ij qui aliquibus præerant officijs, vocabantur magistri officiorum: qui autem omnibus; ij vel magistri, vel magistriani, vel principes omnium officiorum dicebantur: sin F diuinis tantùm præessent, ij magistri aut magisteriani diuinorum officiorum nuncupabantur. Valorius porrò & Basianus, qui hîc, & in Actis Abercij nominantur, non erant magistri omnium officiorum, sed tantummodò diuinorum, vti in epistola Marci Imp. paullò pòst subiungenda appellantur. Officia autem diuina erant, quæ ad Deos & cærimonias, résque sacras spectabant.

Misit autem Marcus tales ad Abercium potiùs quàm alios, propterea quòd ad hominem sacrum, & pro re sacra, hoc est, pro eiectione dæmonum mitteret. Corippus lib. 4. vocat officia sacra, in his versibus:

——— *mandante Magistro,*
Omnis sacrorum vis adfuit officiorum

De principibus officiorum ita Iulius Capitolinus in Marco Antonino: *Et Verum quidem Marcus Capuam vsque prosecutus, amicis comitantibus è senatu ornauit, additis officiorum omnium principibus*. De his itidem Ælius Lampridius in Alexandro Seuero Imp. *Iniuriam*, inquit, *nulli vnquam amicorum comitumue fecit: nec magistris quidem aut principibus officiorum.*

Nescio autem, an nominis Magistrianorum antiquior vlla reperiatur mētio, quàm quæ habetur in Actis SS. Processi & Martiniani, quos S. Petrus Apost. in custodia Mamertini ad fidem Christi conuertit, & aquis salutaribus è monte Tarpeio prodigiosè elicitis expiauit. De quibus sic Ado, Archiepiscopus Viennēsis in libello De festiuitatibus, ad 6. Nonas Iulij: *Tūc sunt baptizati Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo, & alij promiscui sexus, numero XLVII. Quod cùm nunciatū esset Paulino, scilicet quòd Processus & Martinianus Magistriani Melloprincipes, Christiani effecti essent, misit milites & tenuit eos, iussitque in custodiam retrudi.* MAGISTRIANI.

Sic legendum existimo hunc locum, non (vt est corruptè apud Adonē) *Magistri mellichristiani effecti essent*. Quid enim est hoc *melli-Christiani*? certè nō potest esse idem, quòd mox futuri Christiani, quandoquidem iam facti essent Christiani, vt ibidem dicitur. Quare dicendum syncopen hic factam esse, & duas syllabas *mello*, quæ coniungi debebant cum *principes*, coniunctas fuisse per errorem librarij aut typographi, cum *Christiani*. Nam eodem ipso loco sic paullo antè dixerat idem Ado: *Natalis sanctorum Processi & Martiniani, qui cum essent Magistriani melloprincipi*, (vt legendum ibidem probat noster Heribertus Rosweidus) id est, futuri principes Magistrianorum, seu Agentium in rebus. Quemadmodum igitur vocati sunt ab Adone, in primo initio illius diei natalis, *Magistriani Melloprincipes*: sic paullò pòst ab eodem dictum est: *Magistri melloprincipes, Christiani effecti*. &c. Probat verò idem Heribertus haud malè coniecturam suam, ex eo quòd inter Magistrianos, seu Agentes in rebus, essent aliqui Principes. De quibus in Cod. Iustin. lib. XII. extat hic titulus numero XXII. *De Principibus Agentium in rebus*. Vbi L. 1. dicitur: *Agentes in rebus post palmam laboris emeriti, principatus honore remuneramus*. Hinc qui proximi erant huic principatui, dicebantur

bantur *Melloprincipes*. Tales erant Processus & Martinianus, non *Magistriani* tantùm, sed & *Melloprincipes*.

Hæc est coniectura Heriberti nostri, hominis sanè in huiusmodi nodorum scrutandis solutionibus diligentissimi, & mihi, dum viueret, animo & studio coniunctissimi. Nec ego quidem hactenus aliam vidi meliorem huius restituendi loci coniecturam. Quæ tamen si cuipiam minùs placeat, præsertim quòd vox Mello-princeps ante Adonis B tempus nunquam visa, nunquam audita, neque Græcis, neque Latinis reperiatur; nō verebor equidem, & meam ipse coniecturam in medio ponere. Quid si igitur recta lectio habuerit sic? *Natalis sanctorum Processi & Martiniani, qui cùm essent Magistriani Neronis Principis, & viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apostolos suos Petrum & Paullum Dominus IESVS Christus, mirari cæperunt.* &c. Nam verè illi erant Magistriani C Neronis Principis, hoc est, ab eo ad illud officium electi: & satis vicina est mutatio *Neron. Principis* in *Melloprincipis*: neque tum quicquā restabit ambigui, sed omnia clara erunt, & quidē Imperatoris personam, sub quo hæc fiebant, designantia. Neque etiam abbreuiatio illa Neron. pro Neronis, videri debet insolens, vti nec illa NER. pro NERVÆ. quam inuenies in columna Emeritæ, vrbis Lusitaniæ, & in Opere Inscriptionum D Romanarum Iani Gruteri, pag. CLV. num. 11. E Schotti schedis. Nec denique quòd *Principis* ponatur pro *Imperatoris*: quod scitur vsu frequentissimum. Hinc & in actis veterrimis eorundem Martyrum sic vsurpatur. Vbi hæc inter alia. *Iussit deinde Paullinus suspensos scorpionibus castigari, adhibita voce præconis: PRÆCEPTA PRINCIPIS NOLITE CONTEMNERE.* Neronis scilicet. Profert hunc titulum totidem E verbis vir doctissimus, Iacobus Gutherius, lib. 2. De officijs domus Augustæ, cap. 20. vbi & Actorum S. Abercij commeminit his

Iac. Gutherius l. 2. De officijs domus Augustæ, cap. 20.

verbis: *Magistrum officiorum sub imperio M. Antonini fuisse, Acta S. Abercij Episcopi Hierapolitani comprobant: in quibus litteræ Imperatoris referuntur, quas ad Euxenianum scripsit. Atque ex illis partem apponere sufficiet:* Valerianum & Bassianum Magistros nostrorum Officiorum misimus: vt Abercium cum F omni humanitate & reuerentia ad nos adducant. Sic ille. Notandum porrò in Actis græcis esse *diuinorum nostrorum officiorum*, vt paullò pòst in ipsa Imperatoris epistola (quā hîc apponam integram) videbitur: non, *nostrorum officiorum*, dumtaxat. Itaque vox *diuinorum*, quæ desideratur in Gutherio, seu typorum, aut operarum lapsu: seu aliter, supplenda est. Adde postremò Magistrum officiorum, nonnunquam absolutè ac simpliciter, quadam excellentiæ prærogatiua, A vocari græcis Μάγιστρον, *Magistrum* latinis: itidémque ipsorum honorem, appellari *Magisteriam dignitatem*. Quod & Barnabas Brissonius, lib. X. De verborum significatione, annotauit. Cuius magisteriæ dignitatis formula & munia describuntur, eodem teste, ab Aurelio Cassiodoro, lib. VI. Variarū, ep. VI. cuius hoc initium: *Reuerendum honorem sumit, quisquis Magistri nomen acceperit: quia* B *hoc vocabulum semper de peritia venit: & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum. Ad eum nimirum palatij pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prosperè disserenat. Tam multi ordines sine confusione aliqua componuntur: & ipse sustinet onus omnium, quod habet turba discretum. Sic nominis sui grauitate perfunctus ornat actibus principatum.* Et infrà inter alia: *Caussarum præterea maximum* C *pondus in eius audientiæ finibus optimâ securitate reponimus: vt eius curis fidelibus subleuati, vtilitatibus publicis viuaciùs occupemur. Veredorum quin etiam opportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentiæ suæ districtione custodit: vt sollicitudines nostras, quas consilio iuuat, beneficio celeritatis expediat.* &c. Sic ibi.

MAGISTERIA DIGNITAS.

CONSISTORIVM AVLICVM.

VEREDORVM CVRA.

LITTERAS AD EVNDEM EVXENIANVM DEDIT. &c.] Exemplum litte- D rarum M. Aurelij Imp. ad Euxenianum extat græcè in Actis S. Abercij M. ss. estque huiusmodi:

ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ αὐτοκράτωρ σεβαστὸς, Εὐξενιανῷ Ποπλίωνι χαίρειν.

Ἐγὼ εἰς πεῖραν τῆς σῆς ἀγχινοίας ἔργοις αὐτοῖς καταστάς, καὶ μάλιστα οἷς ἔναγχος, προστάξει τοῦ ἡμετέρου κράτους, διεπράξω κατὰ τὴν Σμύρναν, ἐπικουφίσας Σμυρναίοις τὴν ἐκ τοῦ κλόνου τῆς γῆς ἐπιγενομένην αὐτοῖς συμφοράν, ᾔδειν τε, ὥσπερ E εἰκὸς, καί σε τῆς τῶν πραγμάτων ἐπιμελείας ἐπήνεσα. Ἔμαθον γὰρ ἅπαντα μετὰ ἀκριβείας, ὥσπερ ἂν εἰ παρών· ἥτε γὰρ παρὰ σοῦ πεμφθεῖσα ἀναφορά, ὅ τε ἀποδιδοὺς ταύτην Κεκίλιος ὁ ἐπίτροπος ἡμῶν, ἅπαντά μοι σαφῶς διηγήσαντο. Ἐπὶ δὲ τοῦ παρόντος, γνωσθὲν τῷ ἡμετέρῳ κράτει, Ἀβέρκιόν τινα, τῆς Ἱεραπολιτῶν Ἐπίσκοπον, παρά σοι διατρίβειν, ἄνδρα εὐσεβῆ οὕτω τὰ τῶν Χριστιανῶν, ὡς δαιμονῶντάς τε ἰᾶσθαι, καὶ νόσους ἄλλας εὐκολώτατα θεραπεύειν, τούτου κατὰ τὸ ἀναγκαῖον ἡμεῖς χρῄζοντες, Οὐαλέριον καὶ Βασσιανὸν, F μαγιστριανοὺς τῶν θείων ἡμῶν ὀφφικίων ἐπέμψαμεν, τοῦ τὸν ἄνδρα μετ᾽ αἰδοῦς, καὶ τιμῆς ἁπάσης, ὡς ἡμᾶς ἀγαγεῖν. Κελεύομεν οὖν τῇ σῇ στερρότητι πεῖσαι τὸν ἄνδρα σὺν προθυμίᾳ πάσῃ πρὸς ἡμᾶς ἀφικέσθαι, εὖ εἰδότι, ὡς οὐ μέτριός σοι κείσεται παρ᾽ ἡμῖν καὶ ὑπὲρ τούτου ὁ ἔπαινος. Ἔρρωσο.

Ita græcè.

Latina autem versio apud Aloysium Lipomanum, tomo 6. ad XXII. Octobris, in eiusdem S. Abercij vita sic redditur:

ANTO-

M. AVRELII ANTONINI IMP. EPISTOLA.

ANTONINVS Imperator Augustus Euxeniano Popltoni Salutem.

Ego ingenij tui solertiam re ipsa expertus, & maximè ijs, quæ iussu nostræ potentiæ nuper fecisti Smyrnæ, leuata Smyrnensibus calamitate, quæ eis ex terræ motu euenerat, vt par erat, sum lætatus, & tuam in rebus gerendis laudaui diligentiam. Omnia enim accuratè didici, perinde ac si affuissem. Nam & à te missa relatio, & qui eam reddidit Cæcilius, procurator noster, omnia mihi apertè narrauit. In præsentia autem, cùm B *sit potentiæ nostræ significatum, Abercium quendam, Episcopum Hierapolitanum, apud te versari, virum adeo pium in Christiana religione, vt medeatur dæmoniacis, & alios morbos curet facillimè, eo cùm nos necessariò opus habeamus, Valerium & Basianum Magistrianos diuinorum nostrorum officiorum misimus, vt eum cum omni honore & reuerentia ad nos adducant. Tua ergo iubemus præstantia, vt ei persuadeas ad nos venire cum summa animi alacritate, sciens non* C *paruam hoc nomine tibi futuram esse apud nos laudem. Vale.*

De Smyrnæ casu & instauratione per M. Aurelium Antoninum, testes sunt, cum Aristidis viri eloquẽtissimi ad eundem Marcum, super illius vrbis calamitate, orationes complures, quæ hodieq; exstãt, tam græcè quàm latinè; tum etiam illa Dionis Cassij verba, in Marco, sub finem: Χρήματά τε πολλαῖς πόλεσιν ἔδωκεν· ἐν αἷς καὶ τῇ Σμύρνῃ δεινῶς D ὑπὸ σεισμοῦ φθαρείσῃ, καὶ αὐτὴν καὶ βουλευτῇ ἐστρατηγηκότι ἀνοικοδομῆσαι προσέταξεν. *Pecuniam quoque multis ciuitatibus largitus est: in quibus etiam Smyrnæ graui terræ motu labefactata: quam & senatori atque exercitus quondam ductori instaurandam commisit.*

Dio Cassius in Marco.

Quibus in verbis per *senatorem, exercitus quondam ductorem;* non alius mihi videtur designari, quàm hic noster Euxenianus, ad quem scripsit Imperator.

p *BIDVO IGITVR BRVNDISIVM CVM PERVENISSENT &c.*] Hinc colligi potest cursus Magistrianorum celeritas, qui Roma Brundisium itinere bidui peruenerint; cùm inter vtramque vrbem sint passuum millia haud minus trecenta. Est autem ad mare Ionium, vrbs longè quondam celebratissima, & commodissimo portu etiamnum laudatissima, vulgò *Brindesi* appellata. De qua vide Philippi Ferrarij nouam topographiã in Martyrologium Rom. Cœperunt porrò Magistriani iter breuissimum & tritissimum in Græciam, atque Phrygiã. Solebãt enim Romani, dum ex Vrbe peterent Græciam, rectà tendere Brundisium, & inde conscendere. Quod & M. Tullius, in sua prima Philippica innuit. *Cùm Brundisium,* inquit, *itérque illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa vitauissem, kalendis Sext. veni Syracusas, quòd ab ea vrbe transmis-* A *sio in Græciam laudabatur.*

BRVNDISIVM, VRBS MARITIMA.

Cicero 1. Philippica.

q *TEMERARIAM ILLAM DEXTERAM PROMPTE PVNIENS &c.*] Didicit igitur Valerius Magistrianus ex tam præcipiti pœna modestiam; & quàm graue ac periculosũ sit, in viros sãctos temerè insurgere; ex immisso diuinitus rigore dexteræ intellexit. Ita sæpius attentatas in seruos suos iniurias legitur Dominus præsentissimis supplicijs vindicasse. Sic Ieroboami Regis Israël manus, quam contra prophetam, virum Dei, iniquè extenderat, extemplo exaruit, lib. 3. Regum, cap. 13. *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.* Tam diu autem remansit arida, quoad se coram eodẽ propheta humiliasset, precésque eius expostulasset. Sic enim ibidem: *Et ait Rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciẽ Domini: & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.* Ita & Abercium precati sunt Magistriani, vt retentam & reuinctam in alto manum relaxaret, qui continuò sparsis ad Deum precibus relaxauit. Simile quiddam, quod Abercio, accidit duobus pòst sæculis S. Theotimo, Tomitanorum in Scythia Episcopo, quem Hunni vicina Istro incolẽtes, eius admirãdæ virtutis gratia, θεὸν Ῥωμαίων *Deum Romanorum,* appellabant. Cùm enim illos naturâ feros ac barbaros, partim epulis, partim muneribus deliniisset, atque mansuefecisset; illorum quidam oestro auaritiæ incitatus, ex hospitis benignitate, quasi vir diues esset ac locuples, in spem extorquendarum pecuniarum venit; igitur accommodato ad eum comprehendendum atq; abducendum laqueo, dum ad eius iniectionem manum eleuat, ea confestim supernè E obriguit immota, neque priùs occultis est exsoluta vinculis, quàm socijs pro illo deprecantibus, ipse Theotimus Dei bonitatem exorasset. Refert hæc & alia de illo Sozomenus, lib. 7. hist. eccl. cap. 25. & Nicephorus Callistus lib. 12. c. 45. De S. autem Ambrosio memorat eius Presbyter Paullinus, in vita ipsius ad beatum Augustinum scripta, manum cuiusdam sicarij in eundem Ambrosium eleuatam obriguisse. *Alius etiam,* F inquit, *gladium ferẽs ad cubiculum vsque, vt interficeret Sacerdotem, peruenit, sed cùm eleuasset manum districto gladio, dextera obrigente remansit: tunc se missum à Iustina postquam confessus est, brachium quod iniquè cum extenderetur, obriguerat, sanatum est confessione.* Ita ille.

MANVVM MIRACVLO AREFACTARVM EXEMPLA.

Lib. 3. Regum. c. 13. ver 4.

Ibid. ver. 6.

S. THEOTIMVS, DEVS ROMANORVM APPELLATVS.

Paullinus Presbyter in vita S. Ambrosij.

De Sanctulo Nursiæ prouinciæ Presbytero narrat S. Gregorius magnus, Pontifex, lib. 3. dialog. cap. 37. cùm quidam Longobardorum, ad amputandum ei caput innocenti

nocenti machæram subleuasset, ipsum continuò exclamasse: *Sancte Ioannes suscipe illam*, nec mora, istius barbari brachium diriguisse, atque inflexibile permansisse. Quid autem posteà? nempe barbari hoc attoniti spectaculo, & furore in fauorem conuerso, primùm admirari hominis sancti efficaciam, deinde & brachij restitutionem postulare: ille autem, *Hac tantùm*, inquit, *lege, vt mihi iuratus promittat se nunquam hominem Christianum manu sua occisurum*: B promisit ille, & brachium recepit. Prędones autem tanta viri virtute suis oculis perspecta, boues ac iumenta, quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre: quorum hic nihil admisit, sed pro quouis munere, solos sibi reddi captiuos postulauit, & impetrauit. Hęc summa exempli: si quis velit fusiùs, licet ipsum adire Gregorium.

r *IMMOTAM QVASI QVODAM VINCVLO STITIT* &c.] Cùm varijs modis C reddi possit manus vi diuinâ subitò immobilis, verbi gratiâ, vel subtracto ad motum necessario concursu, vel indita virtute quapiam intus retentiua, vel iniectis extrinsecus occultis & inaspectabilibus vinculis, vel alia denique atq; alia (vt facillimũ diuinæ potestati est) nobis ignota ratione; hîc determinatur modus tertius, qui operâ Angeli facilè fieri potuit, nempe vibrati impetum brachij, absque vlla eius læsione, D solo tenuissimi corporis oppositu inhibendo, & cùm ei placuerit, idem auferendo. Quem modum indicant Acta his verbis: Καὶ ἡ τολμηρὰ ἐκολάζετο, καὶ ἀκίνητος ἦν, ὥσπερ τινὶ κατασχεθεῖσα πέδῃ. *Et audax reprimebatur dextra, & erat immobilis, tanquam vinculo aliquo præpedita*. In restituendo autem brachio non aliter se habuisse credendus est Angelus, quàm homines in ijs, quos manibus vinctos habeant, relaxandis. E Et hi enim, & ille nihil aliud quàm vincula amouent, homines perspicua, Angelus occulta. Sed Dominus interdum, cui potestas & ira maior, non tantùm vincit membra, sed etiam arefacit, omni scilicet aut humore exempto, aut sanguine intercepto: tum noua humoris ac sanguinis subitanea productio, eiusdem opus est Domini. Nec enim aliter, vel homines, vel dęmones, vel Angeli curare norunt; quàm F applicando (quod aiunt) actiua passiuis, hoc est, non producẽdo noua, sed producta congruè his aut illis applicando: instar scilicet medicorum, herbarum vires, artémque medendi callentium.

Varijs modis redduntur manus immobiles.

Enimuerò mirari hîc subit admirabilem, adeóque incomprehensam Dei erga nonnullos longanimitatem ac patientiam. Qui enim tam celer fuit in erectis aduersus seruos suos brachijs subito rigore aut ariditate A inhibendis aut vindicandis; quomodo in caussa filij tam tardus & non curans extitit? quonam pacto Iudæorum manus, cùm *accesserunt & manus iniecerunt in IESVM*, non obriguerunt, non exaruerunt, non in aëre suspensæ sunt, tam in iustum supplicium, quàm in memorandum exemplum? Nempe aut nihil intelligo, aut tota diuini consilij in hominum redemptione dispositio, cùm ad repræsentandam modo quam optimo eorum salutẽ, tum simul ad exhibendam, & exemplo proponendam agni innocentissimi mansuetudinem ac patientiam directa est: non verò ad impediendam, nec ad vindicanda in eum pro cunctis morti datum ausa nefaria.

Matthæi 26 ver. 50.

AD CAPVT. XIV.

a DEscribitur in eo capite iter S. Abercij ex vrbe Hierapoli Romam. Quo in itinere nouum prorsùs & antehac inauditum contigit in liquoribus prodigium. Nam cùm in vno eodemque vtre tres essent diuersi liquores, vinum scilicet, oleum, & acetum, quorum vnumquodque facilè alia corrumpit, aut ab illis corrumpitur, tamen quodlibet eorum non modò incorruptum permansit, sed etiam inconfusum, quódque est amplius, ex arbitrio viri sancti prodiens nominatim, modò vinum, si vir sanctus illud peteret; modò oleum, si idem oleum mallet; modò acetum, si hoc præ alijs cuperet, & effundi mandaret. Nam oleum quidem priuilegij sui iure; quod in supernatatione habebat, cessit, debuitque euocationis seruare ordinem. Exibant autem singula ad magistri imperium tam pura, quàm si essent sola. Si tamen minister nimis vini amans libare illi osculum vellet, ac furtim abuti, recedebat illud introrsum, & acetum illi mittebat, aut oleum, iucundo lusu, sed vero, atque ad docendam temperantiam vtili.

b *IN PORTV ROMANO EOS ASSEQVERETVR* &c.] Caue, intelligas portum vrbis Romæ, qui nullus est, cùm illa absit à mari longiùs: sed ciuitatem Hetruriæ episcopalem *Portus Romanus* appellatam, & sexdecim millibus passuum ab vrbe Roma distantem, atque ex aduerso Ostiæ vrbis sitam, quæ & plurali numero *Ostia Tiberina* dicitur. Habent nunc singulæ suos Cardinales, Portus Portuensem, Ostia Ostiensem: sed hic primum in Cardinalibus locum tenet, coronandi Pontificis Romani iure pollens. Fuerunt ambæ, magnæ quondam vrbes, nunc satis habent quantulacumque magnitudinis suæ seruare vestigia.

c *CEPERAT IN VIATICVM PANES PAVCV-*

VIATICVM S. ABERCII.

PAVCVLOS &c.] Hinc sanctorum antiquæ ecclesiæ Episcoporum paupertatem collige, quibus tam leue in tam longum iter viaticum: itémque frugi abstinentiam de recentioribus panibus minimè sollicitam. Neque de his sane prouidisset, nisi locorum necessitas adegisset.

d *ET IN VNVM EVNDEMQVE VTREM, PAVXILLVM VINI, ACETI, ET OLEI* &c.] In Actis græcis M.S. Ἀβέρκιος δ' ὁ θεῖος οἶνόν τε, καὶ ὄξος, καὶ ἔλαιον, εἰς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἀσκὸν ἐμβαλὼν &c.) *Diuinus autem Abercius, vino & aceto & oleo in vnum eundemque vtrem iniectis &c.* Sed Græcorum Menæum vini quidem & aceti expressè meminit, non item olei; sed tantùm tertij cuiuspiam liquoris, seu oleum, seu aqua, seu quælibet alia species fuerit. Sic enim in vitæ huius compendio: Οἶνος γὰρ, καὶ ἔλαιον, μεθ' καὶ ἑτέρου εἴδους ἐν ἀγγείῳ βληθέντος εἰς ἀσύγχυτον φυλαχθῆναι αὐτῷ τὴν κρᾶσιν πεποίηκε δι' εὐχῆς. *Nam vinum & oleum & liquorem alium in idem coniecta vasculum precibus suis custodiuit inconfusa.* Sic & in elogijs eiusdem S. Abercij sæpius, quæ vide cap. XXIII. suprà, nominatim elogio 3. & duobus alijs in acrostichide.

At enim quæ caussa est, quamobrem in Menæo tertij liquoris nomen non exprimatur, cùm in ipsis vitæ Actis diserrè sit oleum? An fortè historiarum de S. Abercio, vt subinde accidit, diuersitas, quæ in duobus quidem liquoribus cōcordarint, de vino scilicet, & aceto; sed in tertio, quod alijs aqua, alijs quippiam aliud nominatum sit, non concordarint? Ita quidem opinor: & de oleo quidem planè Actis assentior, non modò propter ipsorum auctoritatem, licet præcipuè, sed etiam ob varios olei, per itinera, vsus ac commoditates, quæ illud assumendum persuaserint.

e *RELICTIS EXTEMPLO LIGONE ET RVTRO* &c.] Insigne obsequij & obedientiæ ad Episcopi vocem exemplum, in Trophimione vinitore, qui ex agro & ab opere rusticano derepentè euocatus, relictis quæ in manu erant, mox Antistitem suum Romam è Phrygia comitatus est. Grecè in M. S. sic: Βραχὺ δὲ τῆς ὁδοῦ προελθὼν ὁρᾷ τινα ἀμπελουργὸν σκάπτοντα, καὶ περὶ τὰς ἀμπέλους ἐπιμελῶς ἔχοντα· ὄνομα τῷ ἀνδρὶ Τροφιμίων· τοῦτον ὀνομαστὶ καλέσας, Δεῦρο, φησιν, ἀδελφὲ, συνδιάνυσόν μοι τὴν ἐπὶ Ῥώμην ὁδόν. Ἤκουσεν ἐκεῖνος, καὶ τὴν δίκελλαν εὐθὺς καὶ τὸ σκαφεῖον ἀπολιπὼν, τὴν οἰκείαν τε ἀρτίως ἐσθῆτα, ἣν διὰ τὸν ἐκ τῆς ἐργασίας κόπον τῇ γῇ καταθεὶς ἦν, εἵπετο ἁγίῳ. *Paullulum autem via cùm processisset, conspicit vinitorem fodientem, & circa vites satagentem (nomen viro Trophimion) hunc appellans nominatim, Ades huc, inquit, frater, & hoc mecum iter Romam confice. Audyt ille, & relictis continuò ligone & rutro, & sua correpta veste, quam ob fatigationem ex terræ cultura humi deposuerat, secutus est sanctum.*

Nota δίκελλαν καὶ σκαφεῖον *ligonem & rutrum* instrumenta esse rustica ad fodiendum & eruendum, ac species ligonis generatim sumpti. Cato in lib. de re rustica, cap. 11 *Oportet habere villicum palas sex, rutra quatuor, rastros quadridentes duos.*

Festus: *Rutrum tenentis iuuenis effigies, in capitolio, ephebi fuit, more Græcorum, arenam eruentis.* &c. Dicitur ergo rutrum à ruēdo, sicut aratrum ab arando. Hinc rutellum diminutiuū, quod frumentarij quoque seu mensoris frumenti instrumentum est, & supra modium ad exæquandam mensuram, & deruendum quod abundat, ducitur, iuxta illud Lucilij Poëtæ eò respicientis.

Frumentarius est: modium secū atque rutellū
Vnum adfert.

f *NAM SI SANCTVS &c. DEPROMI IVBERET OLEVM.* &c.] Nouum est hoc, & cui simile nondum reperi miraculum, vt è tribus in vtre, vno cōclusis liquoribus, nec confusis, ex arbitrio viri sancti, is liquor solus & purus efflueret, quem vellet; sin eius minister abuti vellet, contrarium illi, quàm vellet, eueniret. Quamuis autem nouum & aliàs inusitatum sit miraculum, non tamen incredibile: quandoquidem & Angelo factu fuit facillimum, vt & singulos liquores seruaret inconfusos, & quemcumque vellet è tribus, illum emitteret. Neque enim hoc maius est miraculum, licet sit rarius, quàm aquam in vinum aut in oleum (quod sæpè factum legimus) esse commutatam. Et verò, si fluuij quidam sunt, qui in mare defluentes, illique velut subequitantes, natiuum colorem, saporémque retinent (nam de Alpheo Arcadiæ fluuio id aliqui tradiderunt) aut si tales quorundam fontium venæ vel in medio mari sunt, & erumpunt; vt plurimis sæculis (Philone teste, in libro De somnijs à Deo immissis, sub initium) nulli marinarum vndarum fluctus non modò extinguere illas potuerint, sed nec diluere: quid adeo potest censeri incredibile, quod hic miraculo esse factum dicitur: Veruntamen hoc illis dictum sit, qui fabulis Poëtarum credunt: prodigijs Sanctorum non credunt. Nam hæc, quę afferimus, ac longè his mirabiliora, nō quidem suâ, sed Dei virtute, viri sanctissimi effecerunt: quibus nō ratio aut experimētum, sed sui submissio, & diuinæ agnitio potestatis, fidei affert firmamentum. Auctor sane est Ruffinus Presbyter Aquileiensis, aquā maris à Duli Bessarionis Abbatis discipulo sitibundo haustam, & magistri iussu epotam, illi dulcem, adeóque dulcissimam extitisse. Vide l. 3. *de vitis Patrum,*

trum, num. 215. & lib. 6. ibid. libello 2. nume- A ro 1.

g *VENERVNT IGITVR IN ATTALIAM PAMPHYLIÆ CIVITATEM* &c.] In græco M. S. Πᾶσαν οὖν εὐμαρῶς ἀνύσαντες τὴν ὁδὸν ἐν Ἀτταλείᾳ τῆς Παμφυλίας κατάγονται *Omni igitur via facilè confecta in Attaliam Pamphyliæ deuehuntur*. Est omnino Attalia in Pamphylia, quamuis Stephanus Byzantinus in Lydia ponat. Nam assertores habemus præcipuos omnium geo- B graphos, Strabonem & Ptolemæum. Ille quidem libro 14. post medium in descriptione Pamphyliæ sic infit: Μετὰ Φασηλίδα δ' ἐστὶν ἡ Ὀλβία τῆς Παμφυλίας ἀρχὴ, μέγα ἔρυμα &c. *Post Phaselidem Olbia est Pamphyliæ initium, magna munitio*. &c. Deinde paullo pòst nulla alia vrbe interiecta subdit: Εἶτα πόλις Ἀττάλεια, ἐπώνυμος τοῦ κτίσαντος Φιλαδέλφου. *Deinde sequitur vrbs Attalia, nomen habens ab Attalo Philadelpho conditore*. Alter C autem lib. 5. suę geographiæ describens situm Pamphyliæ, in tabula 1. Asiæ, sic inter alia: Μετὰ τὴν Φασηλίδα πόλιν Λυκίας, Παμφυλίας παράλια.

Ὀλβία.

Ἀττάλεια.

Καταρράκτου ποταμοῦ ἐκβολαί. &c.

Post Phaselidem ciuitatem Lyciæ sequuntur Pamphyliæ littorales;

Olbia.

Attalia.

Catarracti fluuij ostia, &c.

Quare quod apud Stephanum legitur, Ἀττάλεια, πόλις Λυδίας, *Attalia, ciuitas Lydiæ*, Forsan Λυκίας, *Lyciæ* legendum: quandoquidem Lyciæ proxima sit Pamphylia, & vrbes finitimarum regionum, per varios temporum fluxus, iam vnius fiant regionis, iam alterius: vt ex ipso Strabone alibi docuimus. Nam qui Attaliam statuat in Ly- E dia, adhuc reperi neminem.

Notandum porrò feliciorem S. Abercio & socio contigisse nauigationem, quàm Magistrianis: quippe triduo tardiùs ad Portum Romanum appulsis, atque inde plurimùm anxijs. Sed Deus fidelitatem serui sui, atque insignem in ipsorum prętolatione patientiam voluit ostendere; quin & occasionem ijs, per reliquum iter, ad Christi fidem incitandis, tametsi silentio præteri- F tum sit, exhibere.

AD CAP. XV.

DEscribitur in hoc capite, S. Abercij ad Faustinam Augustā Romæ accessus, imperium in dęmonem, Lucillę liberatio, & cum magnarum opum recusatione, insignis in pauperes largitionis impertatio.

a *NAM EXPEDITIONEM ADVERSVS BARBAROS RHENVM TRANSGRESSOS* &c.] De hac Barbarorum in prouincias Romanorum transgressione egi suprà cap. XIII. Acta sic habent: Ὁ δὲ [Κορνηλιανὸς] ἐπειδὴ τὸν αὐτοκράτορα Ἀντωνῖνον ἡ κατὰ τῶν βαρβάρων εἶχεν ἐκστρατεία, τῶν Ῥῆνόν τε διαβάντων, καὶ τὴν Ῥωμαίων λεηλατούντων, τὸν ἄνδρα πρὸς τὴν Αὐγοῦσταν ἄγει Φαυστῖναν. *Hic autem* [Cornelianus] *quoniam Antoninum Imp. expeditio contra Barbaros Rhenum transgressos, & Romanorum vltionem depopulantes detinebat, virum ad Faustinam Augustam ducit.* Occupatus igitur fuit initio huius tumultus Imp. sed paullò pòst eo Ducibus suis commisso Romam rediit, & sanatam ab Abercio filiam Brundisium vsque deduxit, & inde ad Lucium Verum Ephesi nupturam misit, vt antè ex Capitolino dictum est.

b *QVOD BONI, ET OMNIPOTENTIS DEI SERVVS SIS* &c.) Sunt ipsissima Faustinæ Augustæ verba ex Actis deducta: vti & illa quæ paullo pòst tribuuntur Abercio, ipsius sunt indidem desumpta.

c *QVOD GRATIS COLLATAS IN NOS A DEO GRATIAS* &c.) Est insignis hic locus aduersus eos Ecclesiasticos, qui existimulante auaritia, pro exorcismis, aliisue rebus sacris diuinitus & gratuitò acceptis D mercedes admittunt, aut oblata eo intuitu munera non recusant. Quid ait S. ABERCIVS promittenti & honores & dona Imperatrici? Primò quidem se talibus minimè delectari: cùm & ipsorum imagines ex animo pridē expuerit & expulerit: deinde verò Sacerdotes Christianos, diuina chrismata conferre acceptâ mercede, pro magno ducere piaculo: cùm ipse magister Christus eos docuerit, ea quæ gratis acceperint, gratis dare. Nam Matthæi 10. postquā datā discipulis suis in morbos & mortem & dæmonia potestate dixisset: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite*, continenter subiecit: *gratis accepistis, gratis date*. Quod & ipse, quamuis pauperum omnium pauperrimus, vt non minùs exemplo doceret, quàm verbo, semper quàm exactissimè obseruauit, & obseruare negligentes seuerissimè puniuit. Nam & in veteri lege viri Dei & prophetæ sancti, ab hoc peccato, & à rerum diuinarum ęstimatione plurimùm abhorruerunt. Hinc libro 4. Regum, cap. 5. ver. 15. cùm Naaman Syrus, Elisei prophetę iussu, septies lauisset in Iordane, & à lepra sua miraculo mundatus esset, reuersúsque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo venisset, & stetisset coram eo, & dixisset: *Verè scio, quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israel. Obsecro itaque, vt accipias benedictionē à seruo*

Matthæi 10. ver. 8.

L. 4. Reg. c. 5. ver. 15.

à seruo tuo. id est, munera quæ tibi è Syria attuli, respondit ille: *Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam.* id est, Iuro tibi per Deum viuum in cuius sto cõspectu, me ex omnibus quæ attulisti, nihil accepturũ. *Cumque vim faceret* (Naaman) *penitus non acquieuit.* O planè egregium & cũctis imitabile factum! Non imitatus est Giezi, puer Elisæi, sed carò illi stetit. Nã cùm ipse abeuntem Naaman cursu assecutus esset, ac mendaciter Elisæi nomine talentum vnum argenti, & vestes mutatorias duplices postulasset, plúsque etiã accepisset (duo enim talenta pro vno) in huius flagitij pœnam lepra percussus est ipse, & semen eius omne in sempiternum. Elisęi porrò virtutem imitatus est Daniel, prophetiæ suæ cap. 5. ver. 17. qui regi Baltassari purpuræ & torquis aureę, & tertij in regno suo principis honorem sibi pollicenti, si ostensam ei scripturã legeret, eiúsque interpretationem indicaret, respondit: *Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem eius ostendam tibi.*

Ibid. ver. 21. & seqq.

Danielis 5. ver. 17.

At in nouo testamento terribile est Petri Apostoli cum Simone Simoniacorũ patre colloquium. Cùm enim vidisset Simõ, *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* &c. Ad eum igitur antesignanum spectant quicumque de beneficiis ecclesiasticis, & rebus sacris, tanquam de mercibus tractantes, ex eiusdẽ Simonis nomine nomen Simoniacorum trahunt. Præclarè S. Ambrosius in libro De dignitate Sacerdotali, cap. 5. vbi contra Episcopos & Sacerdotes simoniacos agit: *Quod dedit, cùm ordinaretur, Episcopus,* inquit, *aurum fuit; & quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; & quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum.* Sic ille.

Actor. 8. ver. 18.

d *ECCE, ECCE ABERCI, ROMAM EGO TE ADDVXI* &c.] Ita scilicet vanè gloriari solet superbiæ auctor & mancipium. Sic in S. Marcelli vitã S. Cyriaco caussam attulisse fatigationis se iactauit, & neganti fatigationem, *Tamen ego te perduxi*, inquit, *ad quod volui.* De quo supra pleniùs ad cap. 12.

e *TVM PVELLAM SVB DIO EDVCI IVBET* &c.] Cõtinentur hæc ipsa verbis propè totidem in actis græcis, quæ sic habent: Οὕτως ἔφη, καὶ τὴν κόρην εἰς ὕπαιθρον ἀχθῆναι κελεύει· Ἤχθη οὖν ἀνὰ τὸν ἱππόδρομον ἡ παῖς, ὑπασπιστῶν τε βασιλικῶν προέτρεχον καὶ φρουρῶν τὸν τόπον διαλαβόντων. *Ita dixit* [*Abercius*] *& puellam sub dio duci iubet. Ducta igitur est in* A *hippodromum filia, satellitibus imperatoriis & custodibus priùs locum occupantibus.*

Verùm, ne quis temerè hæc vellicet, & antè damnet, quàm expendat: munire hũc locum statui. Facile enim factu video, vt quispiam è leuibus & præcipiti iudicio criticis, nõ satis videri hęc probabilia, nec Augustæ Principis maiestate digna, nec sancti viri modestię consentanea esse dicat, in publicum velut spectaculum filiam educi im- B peratoris, & Antistitem suæ in dæmonem potestatis specimen, velut gloriæ captandæ gratia, publicè ac palam in ipso vrbis hippodromo exhibere. Quocirca primò attendi velim, nihil aliud quæsisse virum sanctũ, nisi vt puella in locum aliquem subdiualem abduceretur, vbi libera esset respiratio, & minus à fœtore, quẽ diaboli egressio relinquere solet, periculi, aut etiam vbi ab agitatione & nocumẽto, quod sua ad parietes C allisione in angustiore loco inferre Principi puellæ posset, maior foret securitas; cũ autem in ipso palatio vicinus esset hippodromus, placuisse eam illuc deduci, sic tamen, vt satellites & custodes aulici obseruarent, vt nulli tantisper intro admitterentur extranei, atque si ipsi ad arcendos diaboli in puella conatus forent necessarij, præsto adessent: non displicuisse autem hoc S. Abercio, cùm alijs de caussis, tùm vt palam pa- D tesceret, non vi aliqua magica, sed sola virtute diuina suis precibus euocata, depulsũ esse à puella dæmonem, & illam pristinæ libertati restitutam. Dei proinde gloriã quęrebat, non suam. Quare nec publicus fuit vrbis hippodromus, in quem puella deducta est, sed proprius palatij, nec vlla in eo spectaculi species, neque alij quàm eiusdem aulæ domestici, quos ea res latere non poterat, præsentes affuisse memorantur. Fuis- E se autem olim, atque etiamnum esse in Imperatorum aulis ac palatiis hippodromos, clarior res est, quàm vt luce egeat.

In actis S. Sebastiani martyris apud Petrum De Natalibus Equilinum Episcopũ, ita de Diocletiano in martyrem sæuiente legimus: *Tunc Imperator iussit eum in hippodromum palatij duci, & tam diu fustibus cædi, donec spiritum exhalaret.*

Hippodromus Latinis est circus: vnde F ludi Circenses, qui & Equiria dicti. De quibus sic Ausonius:

Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
Prima hæc Romanus nomina circus habet.

Circi seu hippodromi publici ad ludos, Romæ fuerunt multi: priuati autem ad familiaria quælibet exercitia, ferè tantùm in palatiis Augustorum. De ludis qui in publico circo seu stadio, seu hippodromo fiebant, sic Cicero lib. 2. De legibus sub medium: *Iam ludi publici, quoniã sunt caueã, circoque*

L

cóque diuisi, sint corporum certationes, cursu, pugilatione, luctatione, curriculisque equorum vsque ad certam victoriam, circo constitutæ; caueâ, cantu, voce, ac fidibus & tibijs: dum modo ea moderata sint, vt lege præscribitur.

f *IMPERO IN NOMINE IESV, VT ARAM HANC* &c.] Nihil est noui, quod viri sancti aliqua dæmonibus onera imperent: sed cur aram lapideam ex Imperatoris hippodromo vsque in Phrygiam asportari imperauit? An quod eâ in vsum aliquem Hierapoli indigeret? an potiùs, vt ne in posterum sacra eo in loco dæmonibus fierent, in quo vnus è puella principe, vi sanctarum precum, & in nomine IESV abactus esset? Neutra sanè caussa est improbabilis. Nam & vsui fuit ille lapis Hierapoli, vt pòst videbitur: & satis decuit, vt ibi cessaret cultus dæmonis, vbi victus fuisset: atque etiam eiectionis signum esset euidens, ablatâ derepente eius ministerio arâ lapideâ & magni ponderis. Huius autem facti non modo in Actis, seu Græcis, seu Latinis est mentio, sed etiam in Menæi sacris tabulis aliquoties. Nam in vitæ compendio, sic de Abercio: Καὶ λίθον μέγιστον προσέταξεν ἀνακομισθῆναι παρὰ τῆ δαίμονος ἀπὸ Ῥώμης εἰς Φρυγίαν. *Et lapidem maximum transferri iussit à dæmone, Româ in Phrygiam.* Hũc lapidem in acrostichide vocat βωμὸν, *aram.*

LABORES DÆMONIBUS IMPERATI.

Βωμὸς τῷ τάφῳ σε κείμενος, ὃν ἐκ τῆς Ῥωμαίων μεγίστης μετηνέγκατο πόλεως τὸ πονηρὸν ἐξελαθὲν πνεῦμα. *Ara sepulchro tuo imposita, quam è maxima Romanorum vrbe transtulit expulsus prauus spiritus.* Acta græca nominant βωμὸν λίθινον, *aram lapideam.*

Admirandam quoque in dæmones potestatem & imperium habuit S. Conon Isauricus, martyr primo sæculo, & S. Gregorius Thaumaturgus tertio. De hoc agemus σὺν θεῷ in ipsius vita. De illo autem sic menæum ad diem quintam Martij: Τοσαύτην δὲ κατὰ δαιμόνων χάριν καὶ ἐξουσίαν ἔλαβεν, ὡς τινὰς μὲν αὐτῶν ἐπὶ γεωργίαν ἐκπέμψαι, καὶ τῶν φυομένων καρπῶν καταστῆσαι φύλακας. *Tantam porrò gratiam atque potestatẽ accepit in Dæmones, vt eorum aliquos ad agriculturam mitteret, atque nascentium frugum custodes constitueret.*

g *VT NON MVTA, SED MORTVA CREDERETVR.*] Non rarò accidit, vt abscedens à possessis corporibus dæmon homines mortuis similes relinqueret. Ita & illum reliquit, quem Dominus IESVS Marci 9. ver. 24. possessum à dęmone surdo & muto curauit. Sic enim de illo inter alia: *Et cum videret IESVS concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. IESVS autem tenens manum eius eleuauit eum, & surrexit.*

Marci 9. ver. 24.

h *QVOMODO IN COMPLEXVM REDDITÆ SIBI FILIÆ.* &c.] Cõtinetur hæc materni in filiam affectus hypotyposis in ipsa Actorum Abercij historia. Vide ad illa verba: Ὡς δὲ εἶδε τὴν παῖδα ἡ μήτηρ εἶδε, περιβαλοῦσα ταύτην, καὶ δάκρυα χαρᾶς αὐτῇ καταχέασα, παρειὰν τε παρειᾷ ἐπετίθει, καὶ στόματι στόμα &c. *Postquam igitur ita filiam mater vidit, eam circũplexa, & effusis præ gaudio lachrymis, genam genæ imponebat, ósque ori.* &c.

i *NOLVIT VERO ILLE NEC MINIMAM PECVNIARVM AVDIRE MENTIONEM* &c.] Egregiam hic, vti & paullo superiùs, magnitudinem animi præstitit S. Abercius in contemptu pecuniæ, cùm Imperatrici eius bonam operam & in tanto itinere suscipiendo, & in propulsando à filia sua dæmonio, remunerari aliquo modo cupienti dixit inter cetera, vt in Actis expressum est, τί δέησοι χρημάτων, ᾧπερ ἄρτος καὶ ὕδωρ, πολυτελὴς ἀεισον; *Quid is egeat pecunijs, cui panis & aqua opiparum sint prandium?* Tali animo fuit & S. Cyriacus Diaconus, is qui Diocletiani Imp. temporibus Iobiam Regis Persarum filiam à dæmonio liberauit. Regi enim multa munera & pecunias offerenti respõdit; *Nos gratiam Domini nostri IESV Christi precio non offerimus, sed fide æstimamus. Et nihil accepit, sed tantùm pane & aqua cum Largo & Smaragdo vsus est.* Vide Gesta S. Marcelli Papæ tomo 1. Surij, ad 26. Ianuarij. Nec his dissimile, sed per omnia propè geminũ est illud, quod refert S. Gregorius Turonẽsis, in lib. De gloria Confessorum, cap. 36. in hæc verba: *Leonis autem Romani Imp. filia, cùm ab spiritu vexaretur immundo, & per loca sancta duceretur, assiduè clamabat nequam spiritus:* Non hinc egrediar, nisi Archidiaconus Lugdunensis adueniat; & nisi ipse me de hoc vasculo, quod acquisiui, eijciat, nullatenus hinc sum egressurus. *Audiens hæc Imperator dirigit suos in Gallias. Quem illi repertum suppliciter exorant; vt cum eis ad visitandam puellam Romam dignaretur accedere. Ille verò contradicens, & se indignum per quem Christus miracula ostenderet, esse vociferans, admonitus Episcopi sui consilio, cum eiusdem missis iter dirigit: & ad Imperatorem veniens, cum honore suscipitur. Audiens autem de infirmitate puellæ, se ad basilicã beati Petri Apostoli cõfert: ibique cõtinuato cum vigilijs & orationibus triduano ieiunio, quarta die, per inuocationem Domini nostri IESV Christi & Crucis vexillũ, immundum spiritum à corpore puellæ depellit. Quã sanatã, tria ei centenaria auri Imperator offert: sed ille vir altioris spiritus caducas diuitias pro nihilo respuit dicẽs:* Si me tuis muneribus locupletare desideras, illud quod cunctę proficiet ciuitati, largire: tributũ in tertio circa muros

PECVNIÆ CONTEMPTVS EXEMPLA.

IEIVNIVM VTILE AD EXPVLSIONEM DÆMONII.

muros milliario populis cede: hoc vtrisque animabus salubre beneficium erit. Aurum verò tuum necessariũ non habeo: pauperibus illud pro tua tuorúmque felicitate dispensa. *Quod ille non abnuens, aurum pauperibus erogat, & tributum petitum ciuitati concedit. Vnde vsque hodie circa muros vrbis illius in tertio milliario tributa non redduntur in publico. Post discessum verò beati Archidiaconi ait Imperator suis*: Si iste, *inquit*, Deum plùs quàm pecuniam diligit, dignè Ecclesia illa cuius nobis minister obsequitur, nostris muneribus illustratur. *Tunc capsam ad sancta Euangelia recludenda, patenámque & calicem ex auro puro pretiosisque lapidibus præcepit fabricari.* Hactenus verba Gregorij Turonensis Episcopi.

Ex his porrò trium sanctissimorum virorum exemplis addisci licet, permagnæ virtutis esse, & quidem ipsis Regibus atque Imperatoribus admirandæ, pecunias & honores contemnere, & pauperum magis vtilitati consulere, quàm suæ.

k *ATQVE OMNIS BENEFICII LOCO PETIIT BALNEVM IN PRHYGIA CONSTRVI*] Hoc sẽper sanctis viris cordi fuit, vt oblata sibi beneficia, quantum quidem honestè possent, in pauperes & ægros ac miseros deriuarent. Ita nunc vice oblatorum munerum petiit S. Abercius ab Imperatrice in ægrorum vsus, balneum: in sustentationẽ pauperum, tria millia modiorum frumenti annua. Quæ omnia protinus concessa sunt. Græcè in Actis: Οἰκοδομηθῆναι δὲ βαλανεῖον αὐτῷ ἐπὶ τοῦ παρὰ ποταμὸν ἀγρῶ, ἔνθα κλίνας αὐτὸς γόνατα ηὔξατο, καὶ ἡ γῆ πηγὰς ὑδάτων ἀνῆκε θερμῶν. σιτηρέσιόν τε τοῖς ἐν τῇ πόλει αὐτῷ πτωχοῖς εἰς τριχιλίους μεδίμνους, ἀπέζησεν. *Ædificari autem petit balneum in Agro ad fluuium, vbi ipse flexis genibus precatus Deum fuerat, & terra calidarum fontes aquarum emiserat: simulque frumenti distributionem sua ciuitatis pauperibus ad tria modiorum millia consignari.* De qua distributione ita doctissimus Annalium scriptor Baronius ad annum Christi 163. *Porrò*, inquit, *quamlibet increbrescentibus compluribus persecutionibus in Ecclesiam, nunquam tamen cessasse constat eiusmodi frumenti annuam pensionem, vsque ad tẽpora Iuliani Apostatæ, qui eam penitus sustulit, vt eadem quoque Acta testantur.* Intelligit autem Acta S. Abercij, ea ipsa quæ nos græcè nacti sumus, & passim vsurpamus. De hoc balneo actum est & suprà ad caput 12. vbi & de balneorum vsu. Constructum est autem in loco, cuius nomen fuit Ἀγρὸς *Ager*, qui locus fluuio vicinus erat. Alioqui nomen ἀγρὸς *ager* est passim appellatiuum, sicut & ipsum latinum *ager*, quod ex eo descendit, prorsúsque eandẽ retinet significationem; sed hoc loco est nomen proprium, vt ex iisdem Actis patet, suprà dicto ca. 12. in quibus græcè est: Εἴς τινα χῶρον ἐλθεῖν, ᾧ Ἀγρὸς μὲν ἡ κλῆσις, ποταμὸς δὲ αὐτοῦ παραρρεῖ. *Cum venisset in locum, cui Ager quidem est nomen, fluuius autem eum præterlabitur.* Constructo autẽ inibi ex Imperatricis liberalitate balneo, vocatus est ἀγρὸς θερμῶν. *Ager calidarum*, nõ autem vlteriùs παρὰ ποταμὸν Ἀγρός, *Ager ad fluuium.*

l *VSQVE AD TEMPORA IVLIANI APOSTATÆ* &c.] Græcè: Καὶ τὸ σιτηρέσιον δὲ διέμεινε χορηγούμενον, ἕως τῶν Ἰουλιανοῦ χρόνων τοῦ δυσσεβοῦς. Ἐκεῖνος δὲ, καθάπερ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν πάντων, οὕτω δὴ καὶ τούτου φθονήσας χριστιανοῖς τὴν χορηγίαν, εὐθὺς ἔπαυσεν. *Et hæc frumenti distributio perseuerauit vsque ad tempora impij illius Iuliani. Ipse autem illius largitionem, vti & alia omnia bona, Christianis inuidens, confestim inhibuit.*

Sed quænam alia bona, inquies, Christianis inuidit? Auet enim animus audire aliqua speciatim, nõ quòd delectare talia possint, sed quòd apostasiæ seu defectionis à fide inducere horrorem possint. Igitur homo nefarius inter alia omnem beneficiorum & miraculorũ Christi memoriam, seu in statuis illi erectis, seu in fõtibus, arboribúsque aliquo prodigio celebratis, statuit quaqua posset penitus abolere. Notissima est ex euangelio mulier illa *quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, & accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius*, & tactu sanata est. Nam tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas memoriam eius facti in sacris libris euulgarunt. Hæc ergo mulier, vt tanti à Christo beneficij monumentum aliquod exstaret, erexit illi Cæsareæ Philippi, in ciuitate sua statuam, quę quàm grata Deo fuerit, insignia miracula prodiderunt. Nam ad eius pedes in ipsa basi noua quædam & inusitata herbæ species enata est, quæ cùm ad ænei vestitus fimbriam excreuisset, vim medicandi quibusuis morborum generibus obtinebat, seu, vt scribit Eusebius Cęsareæ Palæstinæ Episcopus, testis oculatus, ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων νοσημάτων τυγχάνει, *remedium est omnigenos morbos abigens*. Iulianum porrò Imperatorem apostatam eandem Christi Domini statuam sustulisse, atque eius loco suam substituisse scribunt Sozomenus, Cedrenus, & alij: ille quidem libr. 5. histor eccl. cap. 20. his verbis: Ἐπεὶ γὰρ ἔγνω ἐν Καισαρείᾳ τῇ Φιλίππου· Φοίνικος δὲ αὕτη πόλις, ἣν Πανεάδα ὀνομάζουσιν· ἐπίσημον εἶναι Χριστοῦ ἄγαλμα, ὃ τοῦ πάθους ἀπαλλαγεῖσα ἀνέθηκεν ἡ αἱμοῤῥοοῦσα, καθελὼν τοῦτο, ἴδιον ἀνέστησε· βίαιον δὲ πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσὸν τὰ περὶ τὸ στῆθος τοῦ ἀνδριάντος διεῖλε, καὶ τὴν κεφαλὴν σὺν τῷ αὐχένι κατέβαλε, καὶ ἐπὶ πρόσωπον ἐνέπηξεν

Matth. 9. vers. 20. Marc. 5. vers. 25. Luc. 8. vers. 43.

Eusebius l. 7 hist. eccl. cap. 14.

ξεν, ἢ τὸ διῤῥωγὸς τῦ σέρνυ ἐςί. *Posteaquam* A *enim cognouit* [Iulianus] *Cæsareæ Philippi (ea est vrbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) insignem esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, eo morbo liberata erexerat, eâ sublatâ, suam posuit: ignis autem violentus è cælo delapsus eam circiter pectus dissecuit, capútque vnà cum collo in terrã deiecit, atque in faciẽ ea parte defixit, qua pectoris pars disrupta erat.* Vide etiam Georgium Cedrenum in compendio historiarum, ad B tempora Iuliani.

Cedrenus in compendio historiarum.

Idem porrò Iulianus fontem quendã iuxta castellũ Emmaus (quod postea Nicopolis Palęstinæ dictum est) multarũ & hominibus & animantibus medelarum potentem inuidiâ miraculorũ, & memorię Christi, quę illic celebrabatur, obstruxit; & arborẽ quoque Persidem appellatam, quæ fugienti in Ægyptum Domino se velut adorabũdam inclinasse, atque vmbram fecisse memora- C batur, eadem de caussa excidit. De quibus loco citato ita Cedrenus: Ἐν δὲ Νικοπόλει τῆ Παλαιςίνης τῇ Ἐμμαοῦς, πηγὴ ἦν παντοίων παθῶν ἀνθρώπων τε καὶ κτηνῶν ἴασις· ἐν αὐτῇ γάρ φασι τὸν κύριον ἡμῶν τοὺς πόδας ἀπονίψασθαι ἐξ ὁδοιπορείας. Ἐν Ἑρμοπόλει δὲ τῆς Θηβαΐδος δένδρον ἵςαται Περσέα· Ταύτης φύλλον ἢ καρφος εἰ λάβοι τις, πρὸς πᾶσαν νόσον ἐςὶν ἰάσιμος· ὅπερ δένδρον, φασὶ, κλιθὲν προσεκυνήσε τῷ χριςῷ, ἡνίκα πρὸς Αἴγυπτον ἔφευγε, καὶ σκιὰν D αὐτῷ πεποίηκε. Καὶ τὴν μὲν πηγὴ φθονήσας κατέχωσε, τὸ δὲ δένδρον ἐκοψεν. *Nicopoli Palæstinæ, quæ & Emmaus dicta, fons erat omnis generis morbos & hominum & pecorum curans. Christũ ferunt ex itinere pedes in eo fonte abluisse. Hermopoli item vrbe Thebaidis arbor fuit, cuius folium aut cortex cuiuis morbo medebatur: quam arborem aiunt se inclinasse, Christúmque cùm in Ægyptum fugeret, adorasse, eique vmbram prabuisse. Illum fontem Iulianus ex inuidia ob-* E *struxit, & hanc arborem præcidit.*

Neque his contentus etiam in S. Ioannis Baptistæ sacras reliquias sæuijt, vt idẽ testis est Cedrenus, his verbis: ἀνοίξας ὁ μιαρὸς τὴν τοῦ προδρόμου θήκην ἀνοίξας, πυρὶ τὰ λείψανα παρέδωκε, καὶ τὴν κόνιν διελίκμησε. *Idem ille scelestus apertâ Præcursoris thecâ, reliquias eius igni tradidit, & cineres dissipauit.* Sed de his ante Cedrenum, & quidem illo fusiùs scripsit Ruffinus Presbyter lib. 2. suæ histo- F riæ eccl. cap. 28. *Iuliani*, inquit, *temporibus, velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sæuitiam feritas Paganorũ. Ex quo accidit, vt apud Sebasten Palæstinæ vrbem sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabida & funestis manibus inuaderent, ossa dispergerent, atque rursum collecta igni cremarent, & sanctos cineres puluere immistos, per agros & rura dispergerent.* Vide ibidem plura de eorum recollectione & ad magnum Athanasium deportatione. Quomodo igitur, inquiet aliquis, dicunt nonnulli se eiusdem S. Ioannis habere caput? Nam & illud ostendunt & mihi ostenderunt Ambianenses. Respondetur non omnes sancti martyris reliquias vno in loco fuisse conditas, præsertim cùm & ab initio caput ipsum petente Herodiade saltatricula fuerit à reliquo trunco separatum. Etiã S. Babylæ martyris corpus, e loco vbi sepultus erat, & colebatur, moueri iussit, propterea quòd responsa dæmonum, quæ dari isthic solebant, ob sancti vicinitatẽ nulla redderentur. Quemadmodum id acciderit, & quàm ei malè verterit, refert idẽ Ruffinus lib. 1. hist. cap. 35. *Dedit*, inquit, *& aliud Iulianus vecordiæ suæ ac leuitatis indiciũ. Nam cùm Daphnis in suburbano Antiochiæ iuxta fontẽ Castalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat, responsa susciperet, caussasque silentij percontaretur à sacerdotibus dæmonis, aiunt Babylæ martyris sepulchrum propè assistere, & ideo responsa non reddi: tum ille venire Galilæos (hoc enim nomine nostros appellare solitus erat) & auferre sepulchrũ martyris iubet. Igitur Ecclesia vniuersa conueniens, matres & viri, virgines iuuenésque, immensa exultatione succincti trahebant longo agmine arcam martyris, psallentes summis clamoribus, & cum exultatione dicentes. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulacris suis.* *Psal. 96. ver. 7.* *Hæc in auribus profani principis per sex millia passuum tanta exultatione psallebat omnis Ecclesia, vt cælum clamoribus resultaret. Vnde & ille in tantam iracundiæ rabiem deductus est, vt altera die cõprehendi Christianos passim & tradi iuberet in carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici.* Hæc ille.

Nota in citato psalmi versiculo, lectionem bibliorum vsitatam non habere: *& qui confidunt*, sed: *& qui gloriantur.* Vti & Septuaginta, quæ habent: Αἰσχυνθήτωσαν πάντες οἱ προσκυνοῦντες τοῖς γλυπτοῖς, οἱ ἐγκαυχώμενοι ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* In vno igitur verbo fefellit, vt credibile est, Ruffinum memoria: quamuis duarum vocum eadem fere sit vis, & in ijs plerumque gloriemur, in quibus confidimus.

AD CAPVT XVI.

a Agitur in hoc cap. de S. Abercij in varias regiones Apostolica peregrinatione.

b *ADEST ILLI IN SOMNIS* &c.) Adstitit enim illi Dominus in somnis, & de profectione in Syriam ad eas partes in fide roborandas admonuit. Impetrata igitur ab Imperatrice missione, Roma Syriam versus abscesit, quâ, vt decuit, ritè visitatâ, transijt in Mesopotamiam, indéque

indeque aliò atque aliò, firmandæ fidei A & amplificandæ religionis gratia. Deduxi hoc caput partim ex Actis, partim è sacris Græcorũ tabulis, partim ex historia Ecclesiastica, Eusebij & aliorum. Acta quidẽ visum eius diuinum sic referunt: Ὁρᾷ γάρ ποτε τὸν Κύριον ἐπιστάντα ὄναρ, καὶ, Δεῖ σε Ἀβέρκιε, λέγοντα, καὶ τῶν ἐν τῇ Συρίᾳ φροντίσαι μερῶν. *Videt Dominum per quietem sibi adstantem ac dicentem: Oportet & te, Aberci, partium Syriæ curam gerere.* Hinc autem liquidò apparet, quàm B vigiles Dominus oculos habeat super Ecclesiam suam, & quàm non dormitet, neque dormiat qui custodit eam. (Psal. 110. ver. 4.) Dum scilicet aut per visa, aut per inspirationes assiduè operarios suos nunc in hanc, nunc in illam vineæ suæ electæ partem mittit, vbi maior culturæ aut custodię vsus ac necessitas exigit. Quemadmodum enim cũ Apostolis, ita & cum eorum successoribus non absimili prouidentia egit. Petro quidem, vt C est in Apostolorum Actis, cap. 10. adfuit Spiritus, qui à Ioppe vrbe Palæstinæ ad vicinam Cæsaream eum transire iussit, ad instruendum Cornelium Centurionẽ cohortis Italicę. (Actor. c. 10. ver. 19.) *Petro autẽ cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærũt te. Surge itaque & descende, & vade cum eis nihil dubitãs, quia ego misi illos.* &c. Paullo item & comitibus idem Spiritus indicauit, quibus vellet in præsẽti prædicare illos verbum salutis, qui- D bus non, & quò profectionem suam instituere, vnde absistere. Sic enim Actorum 16. ver. 6. (Actor. 16. ver. 6.) *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus IESV. Cùm autem pertransiissent Mysiam, descenderunt Troadem: & visio per noctem Paullo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum & di- E cens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniã, certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis.* Ecce igitur, quomodo Spiritus IESV post excessũ ad cælos in ecclesiæ erectionẽ ac directionẽ intendebat. Quidni & nunc intendat? Iterũ eidem Paullo, Corinthi cùm esset, ac nihil cũ Iudæis proficeret, indéque abiturus videretur, adfuit Dominus, cúmq; inibi plusculũ detinuit: Acta F enim c. 18. ver. 9. sic loquuntur: (Actor. 18. ver. 9.) *Dixit autem Dominus noctè per visionẽ Paullo: Noli timere, sed loquere & ne taceas: propter quod ego sũ tecũ: & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniã populus est mihi multus in hac ciuitate.* Itaq; diutius illic cõmoratus est, vt ibidem dicitur: (Ibid. ver. 11.) *Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.*

Hæc eò dicta sint, vt constet diuinã prouidentiã ecclesię suę rectoribus, nec in principio defuisse, nec in finẽ defuturam, iuxta illud veridicum Christi rediuiui oraculum extremo Matthæi euangelio: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi.* (Matthæi 28. ver. vltimo.) Nec enim de solis Apostolis & ijs qui præsentes tum aderant, cùm dicerẽtur, hęc intelligenda sunt (quandoquidẽ isti non erant victuri vsque ad cõsummationẽ sęculi) sed de illis simul, & de successoribus, quibus omnibus dicebat se adfuturũ, inspirando scilicet Episcopis, & alijs Ecclesiæ ministris principalibus, ea quæ ad serendã, fouendam, stabiliendam fidem spectarent, eósque in suis laboribus adiuuãdo: reliquis item fidelibus opportuna ad vitam piè religioséque instituendã gratiæ cælestis auxilia suppeditando: denique tam his quàm illis Spiritum sanctũ, præsertim petentibus, atque ad eũ, vt cuique facultas est, anhelantibus contribuendo. Cùm autem Dominus se adfuturũ perpetuò ecclesiæ suæ promiserit, variè quidem varijs eius mẽbris adest, sed excellẽter sine dubio capitibus, siue sãctis Pręsulibus, in quorũ numero quẽ tenuerit locum Abercius, hæc ipsa eius vita donis Spiritus abundãs, diuinis visis coruscans, raris prodigijs intermicãs luculentè declarat.

c *HIC ANTIOCHIAM, VRBEM PRIMARIAM* &c.) S. Abercium septimo die postquàm cõscendisset in Portu Romano, peruenisse in Syriam cõtinent eius Acta, vti & primùm Antiochenam ecclesiã, vtpote principem, adiisse. Decebat enim alienam ingressum prouinciam, eius ante omnia, (si quidem commodè fieri posset) conuenire Antistitẽ, & aduentus sui caussam, cũ eiusdẽ fidei cõmunicatione, in caritate declarare.

d *EROS EAM TVM REGEBAT* &c.) Quo tempore Abercius diuino iussu Syriam petijt, tenebat ibi Antiochenam sedem & sacrum totius Syriæ principatum beatus Eros tertius ab Ignatio martyr & Episcopus. Nã Ignatio successit Heron Diaconus, Heroni Cornelius, Cornelio Eros. Hic autem Eros iuxta Eusebij chronicon Antiochenæ ecclesiæ regimẽ suscepit anno Christi Domini 144. Antonini Pij Imp quinto, & tenuit vsque ad annũ Christi 170. & M. Aurelij Antonini & Lucij Veri Impp. octauũ, per annos nimirum viginti sex. Cui consentit & S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chronico, totidem illi annos tribuens. Nam in recensione Episcoporum Antiochenorum, Post Petrum Apostolum, & Euodium, & Ignatium, ita successorum Ignatij annos computat: (Antiochenorum Episcoporũ series.)

Δ. Ἥρων· ἔτη κ. Ε. Κορνήλιος ἔτη ιγ.
ς. Ἔρως. ἔτη κς.

Quartus Heron. annis 20.
Quintus Cornelius. an. 13. Sextus Eros. an. 26.

Notandũ porrò in Eusebij canone chro-

nico, quem græcè edidit Iosephus Scaliger, videri errorem irrepsisse in numeros, dum ita scribitur ad annum Christi ΡΜΓ. 143. Ἀντιοχείας πέμπτος καθίσταται ἐπίσκοπος Ἔρως, κδ. *Antiochiæ quintus Episcopus constitutus est Eros, 24. annis*, præsedit, scilicet, illi Ecclesiæ. Nam ibidem, in singulorum computatione annorum, ab eius ingressu vsque ad successorem S. Theophilum reperiuntur 26. anni, tam in græco, quàm in latino. Quin idē ipse Eusebius in posteriore Chronicorum libro (qui diuersus est à Chronico canone) vbi tempora Hadriani Imp. persequitur, ita expressè notat: Ἀντιοχείας ε ἐπίσκοπος Ἔρως, ἔτη κς. *Antiochiæ quintus Episcopus Eros, annis 26.* Ita in eodem opere chronico Iosephi Scaligeri, siue Thesauro temporum Eusebij &c. Vnde manifestò liquet erratum in Chronico canone, & κδ. 24. positum pro κς. 26. Quòd autem Cornelius ab Eusebio numeretur quintus Antiochiæ Episcopus, à Nicephoro autem Patriarcha sextus, ratio est, quòd Eusebius incipiat recensere Episcopos Antiochenos non à S. Petro, sed ab Euodio eius successore: Nicephorus autem à S. Petro incipiat. Nam Eusebius in honorem Apostolatus S. Petri, etiam in recensione Episcoporum Romanorum, ordinem inchoat ab eius successore Lino, his verbis: *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus annis* XI. Deinde in alijs sic procedit: *Romanæ Ecclesiæ secundus constituitur Anacletus.* Et ita deinceps de alijs: vbi semper intelligendum est, *Post Petrum.* Ita & in Episcopis Antiochenis.

Denique, vt ad nostrum redeamus Abercium, cùm constet Erotem resedisse Antiochiæ vsque ad annum Christi 170. & M. Aurelij Antonini, & Lucij Veri octauum, (vti exhibent emendatissima Eusebiani Chronici exemplaria, tam ab Arnaldo Pōtaco, Vazatensi Episcopo, quàm ab Auberto Miræo, cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis nunc Decano, in lucem è plurimis manu scriptis edita) & cùm itidem in confesso sit S. Abercium Roma in Syriam abscessisse, antequam ad L. Verum Imp. duceretur Lucilla (quod accidit tertio circiter eorundem Impp. anno, Christi autem Domini 165.) consequitur necessariò incidisse hanc Abercij profectionem in Syriam, tempore eiusdem Erotis, Antiochiæ Episcopi.

e *APAMEAM, SECVNDÆ SYRORVM PROVINCIÆ METROPOLIM, CONTENDIT.* &c.] S. Abercium Antiochia petijsse Apameam, & alias deinceps ciuitates, vbi Marcionis grassabatur hæresis, disertè in Actis conscriptum est. Ita enim habent: Καὶ πρῶτα μὲν τῇ Ἀντιοχέων ἐπιδημεῖ· εἶτα δέχεται τοῦτον Ἀπάμεια· κἀκεῖθεν ἐπὶ τὰς λοιπὰς μεταβαίνει πόλεις, καὶ στασιαζούσας διαλλάττει τὰς ἐκκλησίας. Πάνυ γὰρ τότε τὸ τῆς αἱρέσεως τοῦ Μαρκίωνος κακὸν ἐνέμετο ταύτας; *Ac primò quidem vrbem Antiochenam accedit. Inde Apamea illum excipit: & hinc ad alias transit ciuitates, & dissidentes reconciliat Ecclesias. Valde enim tunc perniciosa Marcionis hæresis eas depascebatur.*

MARCIONIS HÆRESIS IN SYRIA VALDE GRASSATA EST.

Addidi autem: *secundæ Syrorum prouinciæ metropolim*, ad distinctionem aliarum vrbium eiusdem nominis extra Syriam, quæ multæ sunt. Nam est Apamea vrbs Messenorum in Peloponneso: & alia paruæ Phrygiæ, olim Celænæ appellata: & alia Bithyniæ à Nicomede Epiphane condita, priùs Myrlea dicta &c. Vide Strabonem, præcipuè lib. 12. geographiæ, & 16. & Stephanum Constantinopolitanum, *De vrbibus*, in voce Ἀπάμεια, *Apamea*.

APAMEÆ NOMINE VRBES MVLTÆ.

Hic autem agi de Apamea Syriæ ex eiusdem Abercij itinere in Actis descripto liquet, vbi dicitur visitatis Syriæ ciuitatibus trāsisse Euphratem, & inuisisse Mesopotamiam. In alijs autem SS. Actis reperi eandem Apameam sic vocatam, vt suprà posui. A principali autem hac vrbe denominata est regio ipsa Apamene: cuius vrbes præcipuas sic recenset Ptolemæus lib. V. Geographiæ, cap. 15. Ἀπαμηνῆς πόλεις· Νάζαμα· καὶ ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ Ὀρόντου ποταμοῦ, Θελμινισσός. Ἀπάμεια, Ἔμισα. *Apamenes hæ sunt ciuitates, Nazama, & ab orientali parte Orontis fluuij, Thelminissus, Apamea, Emissa.* Hanc postremam vocat Plinius *Emesam.*

f *DEFEREBANTVR QVIDEM A MVLTIS FIDELIVM COPIOSÆ IN VIATICVM PECVNIÆ* &c.] Duplex in hoc loco elucet virtutis exemplum, caritatis quidem in Christianis Mesopotamenis pecunias vltrò afferentibus: abstinentiæ autem in Abercio constanter eas recusante. Dicunt Acta: Ἐντεῦθεν χρήματα αὐτῷ κομίζεται παρὰ πάντων, ἀμοιβὴ μετρία τῆς πολλῆς αὐτοῦ δῆθεν περὶ τὰς ἐκκλησίας κακοπαθείας. *Inde ad illum deferuntur ab omnibus pecuniæ, mediocris multorum eius laborum circa Ecclesias diu susceptorum remuneratio.* &c.

g *DECERNAMVS EVM NOMINARE* Ἰσαπόστολον, *æqualem Apostolis* &c. Græcè: Ψηφιζόμεθα τοῦτον ἰσαπόστολον ὀνομάζειν. *Suffragijs decernamus illum Apostolis æqualem appellare.* Hinc in Menæo & in Menologijs, cùm dies eius natalis recensetur, eadem illi venit appellatio: Τοῦ ἁγίου ἰσαποστόλου Ἀβερκίου &c. *Sancti Apostolis-æqualis Abercij* &c. Vide etiam suprà, cap. 23. initio. Cur autem ea illi congruenter ac meritò tribuatur appellatio, vnica affertur caussa, ab eius primo inditore Barchasane: nimirū quòd non minores peregrinationes ac labores fratrum

ABERCIVS ÆQVALIS APOSTOLIS NOMINATVS

trum caussa susceperit, quàm Apostoli: sed & aliæ addi potuissent, nempe quòd par zelus animarum, & diuini honoris tuendi ardor: quòd par admirabilium prodigiorum cum vtilitate communi coniunctorum potestas: quòd visorum cælestium, aliorumque eiusmodi donorum non inferior copia.

AD CAPVT XVII.

IN hoc cap. quarundam aliarum S. Abercij peregrinationum descriptio continetur, atque ad extremum eius in Phrygiam, & diœcesim suam gloriosus & felix postliminio reditus.

CILICIA DVPLEX. *CILICIAM VERSVS ITER DIREXIT.* &c.] Profectum esse Abercium in vtramque Ciliciam testantur Acta, his verbis: Ἐν ἑκατέρᾳ τῇ Κιλικίᾳ γενόμενος, καὶ τῇ Λυκαονίᾳ καὶ Πισιδίᾳ ἐπιδημήσας εἰς Σύναδα τῆς μικρᾶς Φρυγίας μητρόπολιν ἧκει. *In vtramque profectus Ciliciam, & Lycaoniâ ac Pisidiâ peragratâ venit Synnada paruæ Phrygiæ metropolim.*

Duplicem Ciliciam agnoscunt Strabo & Ptolemæus duo Geographiæ principes: vnam propriè dictam seu campestrem, alteram asperam. Strabo quidem lib. 14. sub medium: Ἡ Λυκία κεῖται μέχρι Παμφυλίας· εἶθ᾽ ἡ Παμφυλία μέχρι Κιλίκων τῶν τραχέων· εἶτα Κιλίκων τῶν περὶ τὸν Ἰσσικὸν κόλπον. *Lycia*, inquit, *protenditur ad Pamphyliam: Deinde Pamphylia vsque ad Ciliciam Asperam: tum hæc vsque ad reliquam Ciliciam, quæ est circa sinum Issicum.*

Et post pauca: Τῆς δὲ Κιλικίας τῆς ἔξω τοῦ Ταύρου ἡ μὲν λέγεται Τραχεῖα, ἡ δὲ Πεδιάς. Τραχεῖα μὲν, ἧς ἡ παραλία στενή ἐστι, καὶ οὐδὲν ἢ σπανίως ἔχει τι χωρίον ἐπίπεδον, καὶ ἔτι ἧς ὑπέρκειται ὁ Ταῦρος οἰκούμενος κακῶς &c. *Cilicia, quæ extra Taurum est, hæc quidem dicitur aspera, altera autem campestris: aspera porrò, cuius ora maritima est, angusta est, & vel nullum, vel rarò habet locum aliquem planum, atque etiam cui imminet Taurus malè habitatus.* &c.

Et paullò pòst subdit: Καλεῖται δὲ ἡ αὐτὴ Τραχειῶτις, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες Τραχειῶται. *Vocatur autem hæc ipsa Tracheotis; & incolæ, Tracheotæ.* Tum adijcit de Cilicia campestri: Πεδιὰς δὲ, ἡ ἀπὸ Σόλων καὶ Θαρσοῦ μέχρι Ἰσσοῦ. &c. *Campestris autem est, quæ à Solis & Tarso vsque ad Issum procurrit.* Vide ibi plura. Ptolemeus autem describit accuratè omnē Ciliciæ situm & regiones eius atque vrbes lib. V. cap. VIII. De eadem sic breuiter Iulius Solinus cap. 41. *A Cilice*, inquit, *nomen trahit: quem ætas pristina penè vltra æuum memoriæ abscondit. Hunc aiunt Phœnice ortum, qui antiquior Ioue de primis terræ alumnis habetur. Matrem vrbium habet Tarson: quam Danaës proles nobilissima Perseus locauit.* Sic ille. Tulit Tarsus Paullum Apostolum, & nihil aliud nec antè nec pòst nobilius. *Ego homo sum quidem Iudæus* (inquit ipsemet Actor. 21. ver. 39.) *à Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps.* Et cap. seq. ver. 3. *Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate.*

Cùm autem dicatur S. Abercius non modò vtramque Ciliciam, sed Lycaoniam quoque & Pisidiam more Apostolico peragrasse, de Lycaonia quidem, quæ non procul à Tauro monte, cuius proximè mentionem fecimus, absistit, ita idem Strabo lib. 12. post medium: Πλησιάζει δ᾽ ἤδη τούτοις τοῖς τόποις ὁ Ταῦρος, ὁ τὴν Καππαδοκίαν ὁρίζων καὶ τὴν Λυκαονίαν πρὸς τοὺς ὑπερκειμένους Κίλικας τοὺς Τραχειώτας. *Ad hæc autem loca Taurus accedit Cappadociam & Lycaoniam distinguens à Cilicibus suprà positis, qui Tracheotæ appellantur.* De Pisidia verò eidem monti Tauro vicina, sic ibidem paullò post: Συναφεῖς δ᾽ εἰσὶ τούτοις, οἵ τε ἄλλοι Πισίδαι, καὶ οἱ Σελγεῖς, οἵπερ εἰσὶν ἀξιολογώτατοι τῶν Πισιδῶν. τὸ μὲν οὖν πλέον αὐτῶν μέρος τὰς ἀκρωρείας τοῦ Ταύρου κατέχει. *His autem* (Lycaonibus & Isauris) *contigui sunt, cùm reliqui Pisidæ, tum Selgenses inter ipsos nobilissimi. Porrò maior Pisidarum pars extrema Tauri montis cacumina incolit.* Pisidiç vrbes si quis nosse velit, habet ibidem ab Artemidoro recitatas, *Selgam, Sagalassum, Petnelissum, Adadaten, Briadem, Krennam, Pityassum, Ambladem, Anabura, Sinda, Aarassum, Tarbussum, Termessum.* Sed cur hîc omissa Antiochia Pisidiæ, Paulli Apostoli prædicatione celebrata? Nam Actor. 13. ver. 14. ita de illo & socijs: *Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum sederunt. Post lectionem autem legis & Prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paullus, & manu silentium indicens ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite* &c. Nisi fortè, vt sæpe accidit, Artemidori temporibus alio antiquiori nomine appellata sit ex ijs nominibus, quæ ab illo producta sunt, pòst autem Antiochia vocata sit: aut certe nisi alterius tum regionis fuerit, demum verò Pisidiæ. Certe Claudius Ptolemæus lib. V. Geographiç, cap. IV. inter Pisidiæ ciuitates expressè has nominat *Apolloniam, Antiochiam Pisidiæ, Ambladam, & Neapolim.* quæ sunt ad occidentem; alias autem recenset cap. V. insequenti. Strabo autem lib. 12. post medium videtur non in Pisidia ponere Antiochiam, sed propè Pisidiam. Agens enim de templo Ascæi, dicit illum esse apud Antiochiam, quæ est propè Pisidiam, licet interpres verterit: *apud Antiochiam Pisidiæ.*

ARTEMIDORVS GEOGRAPHVS.

ANTIOCHIA PISIDIÆ.

Pisidia. Verba Strabonis varia templa enumerantis sunt hæc inter alia: Καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀσκαίου τὸ πρὸς τῇ Ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς Πισιδίαν, καὶ τὸ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἀντιοχέων. *Et aliud* [templum] *Ascæi apud Antiochiam quæ est prope Pisidiam, & aliud quod est in agro Antiocheno*. Vnde dici potest ex vicinitate loci hanc Antiochiam aliquibus vocatam esse Ἀντιόχειαν Πισιδίας, *Antiochiam Pisidiæ*, vt Ptolemæo: aliis Ἀντιόχειαν πρὸς Πισιδίαν, *Antiochiam apud* vel *prope Pisidiam*, vt Straboni.

SYNNADA, VRBS PHRYGIÆ.

b *PERVENIT SYNNADA* &c.] Τὰ Σύνναδα, Synnada Synnadorum, plurali numero, vt Bactra, Artaxata. Sunt autem Synnada, vrbs maioris Phrygiæ iuxta Strabonem suprà citatum ad caput 2. harum Notationum. Cui concordat Claudius Ptolemæus lib. V. Geographiæ, cap. 2. vbi sic: Φρυγίας μεγάλης πόλεις &c. *Phrygiæ magnæ ciuitates*: tum ordine recenset quadraginta vnã, inter quas decima nona annotatur *Synnada*. Vnde mirum in Actis græcis vocari Τῆς μικρᾶς Φρυγίας μητρόπολιν, *paruæ Phrygiæ metropolim*. Nisi fortè in illis non situs regionis spectatus sit, sed ecclesiarum obseruata dispositio, vt illic Episcopi Metropolitani sedes fuerit.

Synnadorum & aliarum ciuitatum S. Abercio percursarum meminit M. Tullius lib. 15. epist. 4. sub initium: *Biduum*, inquit, *Laodiceæ fui: deinde Apameæ quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomelij*.

Auctorem vrbis Synnadorum, & eius appellationis caussam disertè refert Stephanus Constantinopolitanus in lib. De vrbibus, ad vocem Σύνναδα Synnada. Dicit enim Acamãtem post bellũ Troianum deerrantem venisse in Phrygiam, & inibi vrbem condidisse, Συναθροίσαντα δὲ πολλοὺς οἰκήτορας τῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος Μακεδόνων κατὰ τὴν Ἀσίαν, τὸ μὲν πρῶτον αὐτὴν ἀπὸ τῆς συναγωγῆς καὶ συνοικήσεως Σύνναια προσαγορευθῆναι· μετὰ δὲ ταῦτα παρεφθαρμένως ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων Σύνναδα κληθῆναι. *Postquam autem multos Macedonas è Græcia in Asiam profectos, ibique degentes in vnum locum collegisset, primò quidem ab hac collectione & cohabitatione Synnæam* (id est cohabitationem) *appellasse, postmodùm autem corrupto à finitimis vocabulo nominatam esse Synnada*.

PHRYGIA PACATIANA QVÆ ET VNDE DICTA.

Socrates lib. 7. hist. eccl. cap. 3. Synnada vocat vrbem Phrygiæ Pacatianæ, & vsurpat etiam. Σύνναδον *Synnadum*, in neutro singulari. Ἐν Συννάδῳ, πόλει τῆς Πακατιανῆς Φρυγίας Θεοδόσιός τις ἐπίσκοπος ἦν. &c. *In Synnado*, inquit, *vrbe Phrygiæ Pacatianæ erat Theodosius quidam Episcopus*. &c. Sed quænam est Phrygia Pacatiana? In nullis dum antiquioribus Geographis tale nomen reperi, non in Strabone, non in Ptolemæo, non in Dionysio, non in Stephano, Græcis auctoribus: neque itidem in Plinio aut alijs latinis pari æuo aut suppari. Quare obseruandum est Constantini magni temporibus vtramque Phrygiam noua sumpsisse nomina, & Phrygiam maiorem, appellatam esse Phrygiam Salutarem: minorem verò vocatam esse Pacatianam. Vnde Socrates dicendo Synnada esse vrbem Phrygiæ Pacatianæ, conuenit cum Actis S. Abercij, quæ Synnada nominant vrbem minoris Phrygiæ: vti & Nicephorus Callistus lib. 14. hist. eccl. cap. 11.

Vnde autem dicta sit Pacatiana, licet omnino certum non habeam, tamen ex satis probabili coniectura videtur esse dicta ab Ouinio Pacatiano, quem Constantinus magnus Præfectum Prætorio in Oriente habuit, & qui consul fuit cum Mecilio Hilariano ad annum imperij Constantini magni 27. vt notant conformiter Chronicum Alexandrinum & Onuphrius Panuinius, malè autem Aurelius Cassiodorus ad annum 24. vbi subdit: *His consulibus ciuitas quæ priùs Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino Constantinopolis dicta*. Chronicum autem Alexandrinũ sub ijsdem Coss. Pacatiano & Hilariano, ita subijcit: Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἤρξατο ἀναλίσκεσθαι τοῖς πολίταις Κωνσταντινουπόλεως ἄρτος ἀπὸ ιη Μαΐου. *His consulibus cœptus est erogari panis in ciues Constantinopoleos à decima octaua Maij*. Hoc, vt credibile est, in gaudium noui nominis, vrbi suæ à Constantino inditi. Hoc autem scribit idem Chronicon accidisse anno primo Olympiadis ducentesimæ septuagesimæ octauæ, Indictione V. Exstãt Constantini magni aliquot litteræ ad eundem Pacatianum: vnæ quidem, cùm esset Præfectus Vrbi, quæ habetur in Codice Theodosiano, lib. 3. tit. 5. De sponsalibus &c. Tum autem erat & consul: quandoquidem tempus datæ epistolæ ita subnotatum sit: *Dat. pridie Id. April. Martianop. Pacatiano & Hilariano Coss*. Alteræ autem litteræ ad eundem, cùm esset Præfectus prætorio; habentur in eodem Cod. Theod. lib. 10. tit. 15. *De aduocato fisci*. & datę notantur *II. Non. Iul. Singinduno Optato & Paullino Coss*.

PANIS IN CIVES PVBLICA EROGATIO.

Ita nihil adeo mirum videri debet, si à tanto viro sit minori Phrygiæ inditum nomen Pacatianæ.

PHRYGIA SALVTARIS QVÆ ET VNDE DICTA?

Quando autem, & à quo, & qua ex caussa Maior Phrygia nomen acceperit *Phrygia Salutaris*, mihi nõ liquet. Id quidem probabile est, maiorem Phrygiam tum esse appellatam Salutarem, cùm minor appellari cœpta est Pacatiana, nempe sub Constantino magno, atque etiam ab illo; sed qua ex caussa incertum. An in honorem & memoriam SALVTIS nostræ, Christi? Nam & in quibusdam

busdam alijs prouincijs similiter in duas A partes diuisis, prior *Salutaris* vocatur, altera simplici nomine. Ita reperies in NOTITIA DIGNITATVM, c. 1. vbi in recensione Præsidum Orietis, quos ait esse octo: *Per Orientem*, inquit, *VIII. Palæstina Salutaris, Palæstina secunda. Phœnices Libani, Euphratensis, Syria Salutaris, Osrsëna, Mesopotamia, Cilicia secunda.* An fortè magis placet, vt *Phrygia Salutaris* dicatur, ob plurimos à Michaële Archangelo sanitati restitutos? B Quod placere Guido Pancirolo videtur, cõmentario in Notitiã imperij Orientalis, cap. CXXV. vbi citat Nicephorum Callistum lib. VII. cap. L. & lib. VIII. cap. 4. referentem, quæ Michaël Archangelus in loco, qui Sosthenium appellatur, & vbi templa duo in eius honorem condidit Cōstātinus magnus, quæ, inquam, in eo loco Michaël Archangelus, ad hominum salutem mira fecerit. Quin & ibi non longè ab Ilio C ædificare Constantinopolim idem Imperator instituerat: sed per quietem diuino admonitu ibi ædificare illam iussus est, vbi pòst ædificauit. Verùm, quòd nusquam in citatis locis innuat Nicephorus, eam Phrygiæ partem propterea esse appellatam Salutarem: neque item, quod quidem sciam, alius; hinc res in dubio maneat, dum alius quippiam afferat certius.

Margo: NOTITIA DIGNITATVM CITATA.

Nota per transennam in eundem Pan- D cirolum ibidem irrepsisse mendum non spernendum, in editione Geneuensi anni M. DC. XXX. vbi sic legitur: *Alia mira de aquis salubribus ope D. Michaëlis factis recitat Simeon Metaphrastes, qui precibus D. Alberti aquas etiam in Phrygia minore scaturisse scribit.* Corrigendum est, *D. Abercij.* Nam hoc in Actis nostri Abercij continetur, vt suprà ostensum est; quæ Acta vidit Pancirolus, & *Abercij* scripsit, alius autem E *Alberti*, qui in Phrygia nullus fuit, imprudens immisit. Idem Pancirolus post verba illa proximè citata, nouam caussam affert, quare Phrygia maior, Salutaris appellata sit. *Pythia, ciuitas*, inquit, *in Phrygia ad mare sita, ob aquarum calidarum ibi scaturientium salubritatem Soteropolis, id est, Salutaris ciuitas est appellata: à qua prouincia nomen inditum: & ibi Constantino magno venenum datum Zonaras scribit.* Sic ille. Verùm licet F Ioannes Zonaras tomo 3. Annalium in Imperio Constantini magni, eum Soteropolim delatum ferat, quæ postmodum dicta sit Pythia, & de hausto ibi toxico meminerit; tamen nec eam esse vrbem Phrygiæ dicit, nec illam Phrygiæ partem ab ea vocatam esse Salutarem. Verba eius sunt: Ἐκεῖνος δὲ κατὰ Περσῶν ἐκστρατεύων τριήρεσι κομίζεται εἰς τὴν Σωτηρόπολιν· ἣ νῦν ὀνομάζεται Πύθια· καὶ τοῖς ἐκεῖσε χρησάμενος αὐτομάτοις θερμοῖς ὕδασιν ἔνθα καὶ φάρμακόν τι πιεῖν δηλητήριον παρὰ τῶν ἑτεροθαλῶν αὐτοῦ κεκραμένον ἀδελφῶν, εἰς Νικομήδειαν παραγίνεται, ὅπου καὶ τετελεύτηκεν. &c. *Ille autem* [Constantinus] *suscepta aduersus Persas expeditione triremibus Soteropolim deuehitur (quæ nunc Pythia appellatur) & aquis ibidem naturâ calidis vsus, potionem exitialem ibi hausisse fertur sibi a fratribus ex alio vtero genitis mixtam. Inde proficiscitur Nicomediam, vbi & obijt. &c.*

Margo: PANCIROLI LOCVS A LIBRARIIS CORRVPTVS.

Margo: IOANNIS ZONARÆ ANNALIVM LOCVS EXAMINATVS.

Quare ista Panciroli opinio, donec antiquiore idoneo Scriptore fulciatur, valde infirma est. Accedit contra illam opinionē, regiones ferè illas, quæ ab aliquâ suarum vrbium denominantur, potius à nobili aliqua vrbe denominari, quàm ab obscura & paucis nota, qualis est hæc Soteropolis, quæ nec *Salutarem vrbem* significat, sed *Soteris* potius seu *Saluatoris* vrbem: quam proinde propiùs fidem est ab aliquo conditore eius C nominis esse appellatam. Multi enim Reges partim in Macedonia partim alibi Σωτῆρες, *Saluatores*, sunt appellati, vt Antiochus Seleuci filius, & secundus Rex Syriæ: vt Demetrius Rex itē Syriæ, Antiochi magni nepos, teste Appiano in l. De bellis Syriacis, post medium: vt Antigonus Rex Macedonum, victis Lacedæmonijs, teste Polybio, lib. 5. itemque alij. A quorum aliquo videri posset ea vrbs potiùs appellata, quàm à scaturientium aquarum salubritate: à qua meliùs dicta fuisset Σωτηριόπολις *Salutaris vrbs*, quàm Σωτηρόπολις, *Saluatoris vrbs*.

Margo: SOTEROPOLIS VRBS VNDE DICTA.

c ÆSTAS ERAT. &c.] Insignia duo exempla hîc referuntur diuinæ animaduersionis in eos, qui S. Abercio exigua caritatis officia, nempe aquæ frigidæ potum, & tantillam à ventilando in area frumento cessationem denegarunt. Quę si concessissent, haud dubium quin à viro sancto eximiæ caritatis pleno longè plus recepissent, aut si minùs ab illo, certè à Domino legislatore caritatis, amplius centuplo. Sed cùm caritati contraria fecissent, etiam contraria receperunt, & pro benedictione maledictionem hereditarunt. Adeo iuuat audisse & meminisse, sed multo magis factitasse, quæ Dominus omnium auctor & dator exigebat, cùm diceret Matthæi 10. ver. 41. & 42. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* id est, insignem in cælo mercedem accipiet. Notandum autem, vt caritati mercedem, sic inhumanitati suam fore. Vtrumque autem exemplum in Actis græcis cum designatione loci, vbi res accidit, continetur. Vide ab illo loco: Τὸ χωρίον

ὄν, ὅπερ

Margo: CARITATIS OFFICIA DENEGANTES PVNITI.

Margo: Matthæi 10. ver. 41.

ὖν, ὅπερ Αὐλῶν ἐκαλεῖτο, θέρους καταλαβὼν, ἐπὶ τῆς πλησίον ἐκάθισε πέτρας. &c. *Ad locum, qui Aulo vocabatur, æstate cùm peruenisset, sedit in propinquo quodam saxo.* &c. Deinde refert quæ nos in vita persecuti sumus: nempe illum precatione sua homines rusticanos qui tantisper laborem, quo ipsius quies impediebatur, intermittere noluerãt, sopiuisse: ac postmodo ijsdem potum sibi sitienti negantibus imprecatum fuisse, vt nunquam satiarentur. Quod & factum est.

IMPRECATIONES SANCTORUM ET EXECRATIONES QVAM EFFICACES.

d *VALVITQVE IMPRECATIO* &c.] Sanctorum imprecatoines vt plurimum esse efficaces non paucis exemplis, tam è vetere nouóque testamento, quàm è varijs Sanctorum vitis manifestò liquet. Elias Thesbites duobus Regis Ochozię principibus vicissim ad se missis ignem è cælo, alteri post alterum imprecatus est, & cunctis simul ipsorum comitibus; nec fuit mora, quin statim è cælo ignis descenderet, illósque & comites concremaret. Cùm enim libro 4. Regum, cap. 1. Princeps quinquagenarius ei dixisset: *Homo Dei, rex præcepit, vt descendas*: & ille respondisset: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos*, mox descendit ignis de cælo, *& deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo*. Et quemadmodum cum hoc factum est; ita & cum altero, qui post illum ijsdem cum mandatis venit.

Regum l. 4. c. 1. ver. 9.

Eliseus item propheta, eodem lib. cap. 2. pueris sibi illudentibus & clamantibus: *Ascẽde calue, ascende calue, maledixit, in nomine Domini, egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros*.

Eod. l. Reg. c. 2. ver. 23.

Eandem caluitiem cùm exprobrasset S. Malachiæ Episcopo Iberniæ mulier maledica, in insaniam versa est, & morte horrenda perijt. Auctor est ipse S. Bernardus Abbas Claræuallis in eiusdem Malachiæ vita.

S. Bernardus in Malachia vita.

In nouo autem testamento, Apostolorum Petri & Paulli verba, velut nouorum Eliæ & Elisei, quàm horrifica fuerunt? quàm ad ictum certa? Nam Ananias quidẽ Actor. 5. postquam fraudasset de pretio agri, conscia vxore sua, & audisset illa Petri verba: *Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* &c. tanquam violento quodam fulminis ictu percussus, *cecidit & exspirauit*. Sic & Sapphira eius vxor, non absimilibus in peccato simili increpata verbis, *confestim cecidit ante pedes eius & exspirauit*.

Actor. 5. ver. 1. & seqq.

Ibid. ver. 10.

Iam S. Paullus cùm obsistentem prædicationi suæ Elymam magum animaduerteret, *repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret*. Ita in ijsdem Apostolorum Actis cap. 13. ver. 9. & seqq.

Actor. 13. ver. 9.

Nec desunt in posterioribus sæculis exempla similia. Nam Cõstantini magni temporibus, regnante Sapore in Perside, S. Milles ibidem Episcopus, cùm neminem in sua ciuitate ad Christi fidem adducere posset, eam execratus abscessit. Itaque haud multo pòst, cùm eiusdem ciuitatis viri primarij grauiter Regem offendissent, euersa prorsus & aratro subacta est: ipse vero Hierosolymam, cum sola pera, in qua sacrum euangeliorum librum gerebat, precationis caussa se contulit, atque inde in Ægyptum ad intuendam monachorum inibi degentium virtutem ac sanctimoniam transijt. Hæc pluribus referunt Sozomenus lib. 2. hist. eccl. cap. 12. & Nicephorus lib. 8. cap. 37. & Laurentius Surius tomo 2.

Iisdem ferè temporibus non minori eluebat virtute S. Iacobus Nisibita, suæ ciuitatis in Persidis & imperij Romani confinio Episcopus, & fidei Cõfessor, cuius execrationes quædam referuntur perquam admirabilis efficaciæ. Nam in Persidem vicinam cùm transisset, conspexit ad quendam fontem puellas quasdam, dum pannos lauant, & pedibus in aquis premunt, satis indecorè succinctas, & se transeuntem impudenter & contemptim respectantes; ipse igitur, vt earum curaret proteruiam, & honestatem condoceret, tam ipsum fontem est execratus, qui confestim exaruit; quam ipsas, quæ subitò mutatâ in caniciem comarum nigredine deformes effectæ sunt. Narrat hæc fusiùs B. Theodoretus in Philotheo seu Religiosa historia, cap. 1.

Aliud exemplum refert S. Gregorius Turonensis, libro, De gloria Confessorum, cap. 108. nempe quendam pauperẽ & senem à domino cuiusdam nauis eleemosynam petentem, cùm ille commotus respondisset; *Absiste quæso, decrepite, & noli à nobis quærere quicquam. Nihil enim hic aliud præter lapides habemus*, dixisse illi: *Si lapides dicis esse, quæ in tuis ditionibus nauis hæc continet, omnia vertantur in lapides. Et statim cunctum nauis onus, inquit, quod mandi potuit, in saxum conuersum est. Ego enim ex his & dactylos vidi, & oliuas aspexi marmore duriores. Nam cùm in lapidis duritiam conuersa fuissent, nunquam tamen colorem, quem habuerant, perdiderunt: nisi eadem forma, eadémque species erat. Dominus autem nauis, pœnitentia motus, inquisitum senẽ nunquam potuit reperire, & sicut ferũt, per multas ciuitates, de ijs, quæ in saxum mutata fuerant, ad videndum direxit: vt scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent* Ita S. Gre-

Gregor. Turonensis lib. De gloria Confess. forum, cap. 108.

S. Gregorius: qui & illud, ad extremum, adijcit epiphonema: *Ecce, quid agit impudens auaritia! fecisti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi, putauit se posse fieri ditiorem.*

S. EMMERAMMVS RATISPONENSIS EPISCOPVS.

Nec minus virium habuit S. Emmerãmi Ratisponensis Episcopi & Martyris imprecatio, qui cùm morti vicinus, & plagarum cruore oppletus ac semiuiuus relictus petijsset ad sui refrigerium quippiam aquę, & Vitalis Presbyter, vir alioqui pius ac religiosus, non sine lachrymis, quas ipsi immanes illius sui magistri cruciatus eliciebant, respondisset: *Quid vis refocillari, cum sis membris corporis destitutus? Meo quidem iudicio rectiùs tibi mortem optaris, quàm tot affectus iniurijs vitam producere velis*; vir sanctus dictũ istud ægrè ferens, abscissâ licet linguâ, vt vt potuit, eo correpto pœnam quoque addidit imprecabundus, vt quoties potum ori suo applicaret, toties mentis inops fieret; sic C tamen vt nemini noceret, & omnibus inobedientiæ suæ & inhumanitatis exemplum daret. Vt autem dixit, ita factum est. Nam quodcumque potionis genus percepisset, mox destitutus mente, à spiritu immundo rapiebatur. Pluribus hæc perscripsit in eiusdem Emmerãmi vita Cyrinus Ratisponensis Episcopus, & ex eo Surius tomo 5. ad 22. Septembris.

AD CAPVT XVIII.

TRia potissimùm in hoc capite proferuntur: S. Abercij labor extrema in ætate infatigabilis: scribendi & posteris opitulandi cura: & eius postremum, ad sitim restinguendam, aquæ de terra diuinitus erumpentis miraculum.

CVM AVTEM SENSISSET POPVLVS EVM ADESSE &c.] Populi Hierapolitani gaudium in reditu Antistitis sui declarant ipsa Acta his verbis: Τὸ γοῦν πλῆθος αἰσθόμενοι τῆς τοῦ ἀνδρὸς παρουσίας, συνέῤῥεον πανδημεὶ, γλιχόμενοι ὄψιν τε γλυκεῖαν ἰδεῖν, καὶ φωνῆς ἀκοῦσαι τῆς ποθημένης. &c. *Percepto viri aduentu, confluxit omnis populus suauem eius faciem videre, & amabilem audire vocem gestiens.* &c. Ita ferè solet fieri, vt clarorum & carorum virorum, post longam peregrinationem & absentiam, ad suos reditus mirè exhilaret popularium animos, ac tum præsertim, cùm & rem benè gesserint, & populi commodis in commune prospexerint. Quod vtrumque à S. Abercio, Episcopo suo egregiè præstitum certi detulerant nuntij.

b *HINC DOCENDI, ET CONCIONANDI MVNVS* &c.] Testantur eadem Acta virum sanctum, post tot in longis ac diuturnis peregrinationibus exantlatos A labores, post tantam è rebus præclarè gestis acquisitam nominis gloriam, licet ætate iam aggrauante, ad solita redijsse officij sui exercitia, nihilque de susceptis antea laboribus remisisse. Ὁ μὲν οὖν ἀσμένως αὐτοὺς εὐλογήσας καὶ ἀσπασάμενος περιῄει καὶ αὖθις τὴν πόλιν διδάσκων τε τὸν λόγον τῆς ἀληθείας σὺν παῤῥησίᾳ, καὶ τοὺς προσιόντας διὰ τοῦ θείου βαπτίσματος τελειῶν. &c. *Ipse igitur cùm hilariter suam ipsis benedictionem, salutémque impertijsset, circumibat rursus & ipsam ciuitatem, doctrinam veritatis cum libertate condocens, & diuini lauacri gratiâ ad se accedentes initians.* &c. Ita olim & primitus non per alios, sed per semet ipsi sacrum regenerationis lauacrum administrabant Episcopi, vt manifestè patet tum è doctrinâ S. Dionysij Areopagitæ, discipuli S. Paulli, tum ex ipsis SS. Episcoporum vitis atque scriptis. Scribit sanè de S. Ambrosio, insigni illo Ecclesiæ Doctore, ipsius comes & discipulus Paullinus Presbyter in eius vita, hæc inter alia: *In rebus etiam diuinis implendis fortissimus: in tantum, vt quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque posteà Episcopi, à tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimiùm pro pauperibus & captiuis.* &c. vt planè idem in eo Spiritus fuerit, & operatus sit, qui in S. Abercio. Hinc autem collige ordinarium illud munus Episcoporum fuisse, quod nunc ferè in Sacerdotes deriuatum est. Nec tamen incusandi hoc tempore Episcopi, si in orbis Catholici partibus non idem circa baptismum præstent, quod illis primis sęculis. Est enim magna nunc, vt temporum, sic rerum commutatio atque diuersitas. Nam tum ferè maiores natu dumtaxat, & pleno rationis iudicio vtentes eo sacramento initiabantur, & præuia quidem catechesi seu doctrinâ Christianâ publicè in templis ad ipsos in commune congregatos haberi solitâ; quæ ad Episcopos propriè spectabat: nunc verò sublatâ eiusmodi doctrinâ seu concione catecheseos, cuius infantes minimè capaces sunt, minimè mirum est, si in baptizandis infantibus (nec enim in præsenti maturioris ac florentioris Ecclesiæ statu alij ferè quàm eiusmodi baptizantur) minimè, inquam, mirum est, si sublatâ docendi & concionandi necessitate, ipsa nuda paruulos expiandi ratio, quæ Episcopi occupationem non requirit, ad Sacerdotes translata sit. Nam satis ipsi aliarum habent magis vrgentium occupationum, quibus, seu in Confirmationis inunctione, seu in sacrorum Ordinum collatione, seu in visitandis diœcesibus, & Cleri informandi, aut etiam reformandi cura ac labore, distinentur.

BAPTISMI ADMINISTRATIO CVR OLIM EPISCOPORVM, NVNC SACERDOTVM MVNVS SIT?

c *LIBRVM DISCIPLINÆ PERVTILEM*

LEM CONSCRIPSIT &c.] Hinc & ex epistola ad M. Aurelium Antoninum Imp. data, (quam Guilielmus Sirletus & Cæsar Baronius ambo Cardinales habuerunt, vt ante vitam præposui) liquet S. Abercium fuisse Scriptorem ecclesiasticum, sed, perindè ac multos alios, Eusebio Cæsariensi fuisse ignotum. Fatetur enim idem Eusebius, vt alibi notauimus in priore nostro tomo, plurimos exstitisse Scriptores, quorum libri ad se non peruenerint. De hoc autem S. Abercij libro, vti & de epistola, nihil habeo in præsenti, quod ijs addam, quæ à me producta sunt capite 21. vitæ suprà.

d *IBI TAM IPSE, QVAM COMITES EIVS, MOLESTA SITI LABORARE* &c.] Magna est sitis, vti & famis, præsertim diuturnæ, molestia & cruciatus. Quem experti quondã Israëlitæ in deserto, murmurarunt

Exodi 17. ver. 3. contra Moysen dicentes: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti?* Et Numerorum 20. ver. 2.

Numer. 20. ver. 2. *Cúmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino! Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos & nostra iumenta moriamur*: Quem expertus & Samson, vir alioqui fortissimus, Iudicum cap. 15.

Iudicum 15. ver. 18. *clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam: & en siti morior, incidámque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum & vires recepit.* Quem & Betuliæ ciues ab Holoferne obsessi, & aquis suis ab eodem aliorsum diductis, maiorem in modum experti, clamauerunt ad principes vrbis & seniores:

Iudith. 7. ver. 17. *Contestamur hodie cælum & terram & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.* Iam autem Dominus noster IESVS Christus etiam hunc sitis cruciatum post alia omnia cruciaměta sentire in Cru-

Ioannis 19. ver. 28. ce voluit, cùm dixit Ioannis 19. ver. 28. *SITIO.* Quem sanè cruciatum reddebat acerbissimum, ex tot acceptis plagis ac vulneribus, omnis propè sanguinis defectio. Siti igitur sua sitim nostram & sanctorum beauit, quos non rarò permisit eius sentire molestias, vt in istis suorum molestijs suam manifestaret gloriam, vti in hoc nostro Abercio, & in non paucis aliorum sanctorum fecit. Vt enim ipsorum sitim sedaret, aut eorum pro quibus orabant, sæpenumero in locis inaquosis prodigiosas erumpere aquas iussit: nunc quidem precibus S. Aber-

cij in monte excelso, aliàs S. Basilissæ, & aliàs S. Benedicti orationibus è petra, aliàs S. Humberti ad restinguendam B. Aldegundis sitim ex arenti & arenoso solo, nonnunquam à martyribus in ipso carcere. Nam S. Euplus martyr sub Diocletiano, εὐχῇ μόνῃ πηγὴν ὕδατος ἀναδοθῆναι πεποίηκεν ἐν τῇ φυλακῇ, *sola precatione fontem aquæ scaturire fecit in custodia*, vt refert Menæum ad diem Augusti vndecimam. Sed & S. Clemẽs Ponti-

B fex, B. Petri discipulus longè saluberrimum in hoc genere prodigium fusa prece obtinuit. Nam in solitudine vrbis Chersonæ trans mare Ponticum iussu Traiani exulãs, cùm duo Christianorum millia sanctæ religionis caussa eodem amandata, in eruendis ac secandis marmoribus aquæ penuria laborarent, ipse *facta oratione in vicinum collem ascendit: in cuius iugo vidit Agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatebat, attingen-*

C *tem, vbi omnes sitim expleuerunt: eóque miraculo multi infideles ad Christi fidem conuersi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.* Ita ferè in eius Actis, & in officio ecclesiastico.

e *FLEXISQVE GENIBVS SITI RESTINGVENDÆ AQVAM SVPPLEX DEPOSCIT*] Habuerunt in more viri sancti, cùm res magnas & supra naturæ cursum à Deo postularent, genu vtrumque humi flectere, vt pluribus ad S. Iustini Phi-

D losophi & martyris vitam hîc infrà annoto, & multò magis post Dauidem id factitari cœptum legitur, quàm antea. De Moyse auté & de Aarone scribitur Numerorum 20. eos pro impetranda Israëlitis de siti murmurantibus aqua, corruisse pronos in terram: *Ingressúsque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum atque dixerunt: Domine Deus audi clamo-* Numerorum 20. ver. 6.

E *rem huius populi, & aperi thesaurum tuum fontem aquæ viuæ* &c. Exaudiuit autem Dominus humilem ac supplicem eorum precationem, & iussit vt Moyses virga petram percuteret, fore enim, vt inde abundanter aqua exiliret, tam hominibus, quàm iumentis. *Cúmque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* Sed cur bis percussit? Non enim mandauit Dominus, vt Ibid. ver. 11.

F bis percuteret. An quia prima percussione nihil effectum est? An potius bis percussit, semel ex parte vna, vt homines biberent, semel ex altera, vt simul potarent & iumenta, statimque abũde esset vniuersis? Si prius, culpanda Moysis & Aaronis incredulitas: si posterius, miranda Dei opt. max. largitas. Priori tamen suffragantur ista verba proximè & continenter subiecta: *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs* Ibid. ver. 12.

Israel,

Israël, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis. Fuisse autem eorum peccatum haud adeo leue, ipsa punitionis declarat seueritas.

Non dissimili miraculo precúmque efficacia claruit B. Theodosius Abbas, qui è petra præcipiti, suo impendente monasterio, baculi percussione aquam eliciut, & quò voluit, deduxit. *Erat autem ea petra* (inquit B. Theodoretus in Philotheo, cap. 10.) *primò sicca, & omni humore vacua. In ea fecit aquæductum, qui à vertice fertur in monasterium, tanquam qui motum aquarum haberet in potestate.* Quomodo autem id fecerit, paullo post subdit his verbis: *Priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas, Deum precatus, & fretus eo*, qui facit voluntatem timentium se, *virgá, cui innixus erat, petram percussit. Ea verò rupta, aqua instar fluminis scaturit, & monasterium ingrediens per aquæductum & quantum ad omnem vsum sufficit, abundè suppeditans, in mare propinquum influit.* &c.

Theodoretus in Philotheo cap. 10.

Psal. 199.

LOCVS GENVFLEXIONIS &c.] Est in Actis græcis: Καὶ ὁ τόπος δὲ ἐκεῖνος ΤΟΠΟΣ ΓΟΝΥΚΛΙΣΙΑΣ τὸ λοιπὸν ἐκλήθη. *Et locus hic* [vbi post genuflexionem aqua erupit] *ex eo tempore vocatus est deinceps LOCVS GENVFLEXIONIS*. Sic igitur in prodigij memoriam, simul & genuflexionis in precationibus commendationem, nomen ei loco ab euentu datum.

Familiare fuit & Hebræis, à rerum euentibus nomina indere. Sic Genesеos cap. 16. fons aquæ in solitudine, ad quem Angelus vidit & allocutus est Agar ancillam Sarai, vocatus est ab ea *PVTEVS VIVENTIS ET VIDENTIS ME*. Sic eiusdem Geneseos 22. ver 14. locus, in quo Abraham immolaturus erat filium suum Isaac, nisi respiciens Dominus obstitisset, appellatus est: *DOMINVS VIDET. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Sic Exodi 17. ver. 7. locus vbi filij Israël de aquæ penuria murmurantes *tentauerunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* vocatus est à Moyse, *TENTATIO*. Sic & Iudicum 15. cùm ad precationem Samsonis siti nimia oppressi, aperuisset Dominus dentem in maxilla asini, & egressę essent ex eo aquæ, cúmque refocillassent, *appellatum est nomen loci illius, FONS INVOCANTIS DE MAXILLA.*

Geneseos 16. ver. 14.

Ibid cap. 22. ver. 14.

Exodi 17. ver. 7.

Iudicum 15. ver. 19.

Sed ad ipsam S. Abercij genuflexionem quod attinet, quam Dominus opportuno & præsentissimo miraculo gratam sibi esse commonstrauit, non abs re, opinor, erit, etiam alterius, quam perinde Deo acceptā perenne obsignauit miraculum, m... tionem facere: nempe eius, qua S. ... Patauina virgo & martyr, lapi... genuum suorum vestigia impr... [A] que Venetijs conspicienda. Nam cùm persequentibus eam militibus, carpento, quo vehebatur exilijsset, vt se suáque Deo commendaret, atque in ponte, qui silice stratus erat, genua flexisset, *in signum obauditæ precis* (verba sunt Iacobi Cauacij in eius vita) *saxum genibus cessit, idémque vestigia genuum adhuc retinens Venetijs in templo ipsius Virginis asseruatur multa fidelium pietate.* Vide dictum Cauacium lib. 1. historiarum cœnobij [B] D. IVSTINÆ Patauinæ. Eius dies natalis adscriptus est martyrologio Romano, ad Nonas Octobris.

AD CAPVT XIX.

Repræsentat hoc caput S. Abercij præsensionem vicinæ mortis, ex diuino viso Domini IESV illi apparentis: itémque sepulchri præparationem, eiúsque in-[C]scriptionem.

ITA NONNVLLIS E SANCTORVM PROCERIBVS &c.] Præcipuis quibusdam Sanctorum suam prænuntiauit mortem vitæ mortisque arbiter Deus. Sic sanctissimæ Virgini Deiparæ sui excessus diem præsignificauit per Angelum Dominus IESVS Christus: vti noster Christophorus de castro, in historia Deiparę, ad caput 20. è pluribus Scriptoribus annotauit. Sic S. Petro [D] Apostolo, teste eius secunda epistola, cap. 1. *Iustum autem arbitror*, inquit, *quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione certus, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster IESVS Christus significauit mihi.* Et S. Paullo item Apostolo, qui in posteriore ad Timotheum epistola, cap. 4. postquam eum sui efficij paternè admonuit, ita subdit: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bo-*[E]*num certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Et S. Cornelio centurioni, ei qui à S. Petro edoctus & aquis salutaribus ablutus & expiatus fuit. Nam paullo ante obitus sui tempus vocem è cęlo audiuit euocantem ac dicentem: *Corneli, veni ad me. Ecce enim tibi parata est* [F] *corona iustitiæ.* Vide Acta vitæ eius, ad diem 13. Septembris.

2. Petri 1. ver 13.

2 ad Timotheum 4. ver. 6.

Act. 10.

Nec magnus Antonius expers eius gratiæ fuit. Cum enim centenario maior eos, qui in exteriori monte habitabant, monachos inuiseret, ac diuinitus accepisset (magno teste Anastasio in eius vita) pauxillum sibi restare ante emigrationem temporis, ita fr... suo excessu locutus est: *Iam vlti... es inuiso, & miror si rursus in ha... platurus sim: quandoquidem resolu-*

S. Athanasius in vita S. Antonij græca.

resolutionis meæ tempus iam aduenit. Quinque A *enim fere annos supra centum vitæ meæ addidi.* &c. Ac paullo post inde digressus atque ad solitum reuersus habitaculum *vocatis ad se duodecim fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, quique ei iam senes cœperant ministrare, ait: Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat: iam cupio videre cælestia: sed vos, ò viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem* B *repente perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, & quasi cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* Sic ille.

Fasgrius Presbyter Auctor vitæ, interprete S. Etharasio.

S. Gallo Aruernensi Episcopo mors octo antè annis prænuntiata est: VVaifrido autē Episcopo, teste Beda annis quatuor.

Greg. Turon. l. 4. hist. c. 5. Beda l. 5. hist. c. 20.

In Sanctum verò Dunstanum, Cantuariensem olim Archiepiscopum, quanta in hoc genere Dei opt. max. benignitas fuit? Nam ipso Ascensionis Domini ad cælum C die anniuersario, cùm expleto noctis officio solus in æde Saluatoris Cantuariæ, ad contemplandum tam lætæ solemnitatis mysterium, restitisset; ecce ad eum innumera multitudo tanquam virorum coronas aureas in capite gestantium, ac fulgore incomparabili micantium propius accedere, & peramica voce consalutare: *Salue Dunstane noster, salue. Mandat tibi, quem piè desideras, FILIVS DEI, vt, si quidem paratus* D *sis, venias, & diem hanc, ad cuius gaudium vnica dilectione suspiras, nobis associatus, in sua curia gratiosus & hilaris celebres*. Ille autē cognitis beatis Spiritibus, de tāto honore gratias ipsis agens, quamuis suæ illius beatitudinis, ad quam inuitabatur, admodum amans, tamen caritatis in fratres, & officij sui, ac honoris diuini amantior, respondit sui esse Pontificij muneris, plebem tali in solemnitate non deserere, sed eam cùm sua E præsentia exhilarare, tum etiam verbo pascere, & cælesti pane reficere. Placuit supernis mentibus studium caritatis, & rem in sabbatum proximum, ipso hilariter admittente, distulerunt. Quare peractis interim & impletis omnibus officij sui partibus, & collecta bonorum operum egregia messe, ac sepulcro sibi præparari iusso, dicta sabbati die ad cælum triumphaturus ascendit. F

S. DVNSTANVS INVITATVR AD CÆLVM.

Hæc pluribus est persecutus Osbertus, Cantuariensis monachus, in eius vitâ: ego autem summatim rem attigi.

OSBERTVS MONACHVS SCRIPTOR VITÆ S. DVNSTANI.

Ex his porrò exemplis clarè intelligitur, quantum sit fidelibus Dei seruis beneficium de instanti mortis suæ tempore tempestiuè præmoneri. Nam & ipsis multum prodest ad augmenta meritorum, & alijs ad incitamenta virtutum. Quippe & illi, quantillum sibi supersit ad negotiandum, & lucrandum, aut etiam ad debita soluenda temporis facti certiores, toti in eo sunt, vt quam fructuosissime illud impendant: & hi, qui illis omni diligentia ad excessum è vita hac se parantibus, ac breui morituris adsunt, ipsorum monita & hortamenta vltima, tanquam diuina quædam oracula, maximi faciunt, iisque aut ad vitæ emendationem, aut ad virtutis cursum magis, magisque incitandum inflammantur. Hanc proinde mortis prænotionem S. Franciscus Xauerius Indorum ac Iaponum Apostolus, viro erga se benefico, tanquam insignem dignæ remunerationis vicem, repromisit. Cùm enim vir sanctus, & viscera indutus misericordiæ, Machaum, celebre Sinarum emporium, attigisset, atque inibi puellam propter penuriam castimonia periclitantem reperisset; adiecto ad eam adiuuandam animo, Petrum Vellium veterem suum familiarem, hominem pecuniosum adijt, stipis alicuius pro illa misella impetrandę caussâ. Is tum domi alienæ ludebat latrunculis. Interpellauit tamen illum ardens FRANCISCI XAVERII caritas, & mutuum ab eo aurum petiit, in cælo, cum fœnore centupli, redhibendum: opponebat ille, non hoc dandi tempus esse, cùm abesset domo, vbi repositæ essent pecuniæ: sed Francisco comiter reponenti, nunquam non esse tempus benè faciendi, *Ecce igitur*, inquit ille, *clauis arcæ meæ nummariæ, i domum, licet; & aufer, quantum voles*. Inerant autem nummorum aureorum triginta millia, & cogitabat ratum se habiturum, si vel dimidiam partem Xauerius abstulisset: cùm autem relata claui intellexit trecētos dumtaxat aureos nummos abstulisse, *Tua*, infit, *verecundia mihi iniuriam fecit. Nam multo minus sumpsisti, quam volebam. Dimidium enim totius summæ tibi dabam, dum clauem darem: at quantilla est ea particula, quam sumpsisti?* Franciscus igitur hominis sinceritatem in tanta liberalitate pernoscens, *Bonum*, inquit, *factum, mi Velli, accepta est Deo hæc tua liberalitas: ac proinde eius tibi verbis polliceor, ipsum tibi nunquam defuturum: quin & hoc insuper additurum, vt extremum vitæ tuæ diem illo indicante prænoscas*. Quibus verbis plenam fidem adhibuit Vellius, & ex eo totus alius fuit, pietate, benignitate, ceteris virtutibus. Ita post aliquot annos, accepto diuinitus mortis ac diei vltimæ nuntio, cuncta ad eam diem præparauit, & illa iam præsente celebrari suas exequias semet adstāte illarum sacrificio iussit. (adeo certus erat ea die & nō alia emori) quo peracto valeque amicis dicto, domum repetijt, subitaque extinctus morte

S. FRANCISCI XAVERII MIRA CARITAS.

MVTVI PETITIO REDDENDI IN CÆLO.

PETRVS VELLIVS [illegible] EX-[illegible] INTER-[illegible]T VIVVS.

morte ab amicis eâdem ipsâ die elatus est. Fusiùs memorat hâc historiam noster Horatius Tursellinus lib.5. vitę S. Francisci Xauerij, cap.3.

Beatos proinde, ac térque quatérque beatos esse illos iudico, quibus sua dies extrema, Deo præsignificante, innotescit: nec possum, quin illa regij Prophetæ verba (licet aliorsum fortasse ab eo directa, in hunc sensum traham, ac votis conceptis dicam:

Psal. 38. ver. 5.

NOTVM FAC MIHI DOMINE FINEM MEVM: ET NVMERVM DIERVM MEORVM QVIS EST, VT SCIAM QVID DESIT MIHI. Nec vereor sanè aut curo, si quis curiositatem aut temeritatē vocet, quādo ipse mihi conscius sum bono me animo & Christi IESV amāti petere; vt ne frustra in ijs, quæ imperfecta māsura sunt & peritura, allaborē: sed ijs me dedam, quæ primò ad honorem Dei mei, deinde ad salutem animæ meæ spectare didicero. Ita sit illi, qui semper est, & nunquam non fuit, & semper erit, omnis & ab omnibus & semper honor & gloria, in sæcula sæculorum, & vltra.

b *ACCIDIT HAVD MVLTO POST, VT DOMINVS IESVS IN SOMNIS EI APPARERET* &c.] Apparuisse Dominum S. Abercio, & præsignificasse vicinum tempus mortis, ipsa indicant eius Acta, in quibus sic græcè de illo legitur: Ὁρᾷ πάλιν ὄναρ αὐτῷ τὸν Κύριον ἐπιστάντα, καὶ, Ἀβέρκιε, λέγοντα, ἤγγικεν ἤδη ὁ καιρὸς, ὥστε ἀναπαύσασθαί σε τῶν πόνων σου τῶν μακρῶν. *Conspicit rursus in somnis Dominum sibi adstantem & dicentem: Aberci, iam tempus appropinquauit, quò à longis tuis laboribus requiescas*. id est, quo è vita hac laboriosa emigres, & dulces diuturnorum laborum tuorum fructus, in quiete summa, percipias.

ÆTAS NVLLA VACARE DEBET LABORIBVS.

c *NEC ENIM ALIVM HABERE SE VELLE AVT POSSE LABORVM SVORVM TERMINVM, QVAM VITÆ* &c.] Ita res habet. Nolunt generosi sanctorum animi, & munita Deo pectora alium agnoscere suorum laborum finem, quàm vitæ. Nam si oportet (vt quidam dixit profanorum Im[illegible]atorum) Imperatorem stantem mori, qu[illegible] o magis Episcopum, Abbatem, Religiosum, adeóque omnem egregium militem Christianum, gentem sanctam, regale sacerdotium, homines in conspectu Dei & Regis sui pro tuendo ipsius honore, ac cælesti regno acquirendo (quod vnicum plus omnibus regnis est, & æternum perdurat) gloriosissima in arena decertantes. Si quis enim, quamlibet senex ac decrepitus, quasi aliquo ætatis suæ priuilegio sibi quiescendum, & hactenus partis in otio deinceps perfruendum existimet; næ is tanto indignus regno est, ac velut ante mortem

A mortuus. Et sanè qui hic quietem quasi factorum mercedem recepit, quid alibi habere speret, quod iam habuit? Laboriosam enim iuuentutem otiosa ac deliciosa senectus compensauit. Lignum proinde exsuccum & aridum ad quid valet, nisi vt comburatur? Quare cùm magnus ille Rex, & sapientissimus Propheta Dauid hæc perspicaci prouideret oculo, atque admodum reformidaret, clamabat sollicitus ad Dominum, ac dicebat: *Ne proyicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. minimè scilicet ignorans quàm plurimos ab incepto vitæ cursu, post multas superioris ætatis palmas, tandem in fine ac proximè ab ipsa meta turpiter ac propudiosè deficere. Quocirca ego quidem ita me sentio in pręsenti animatum, vt si quis mihi post aliquammultos annos iam seniori suggestum

B

Psalm. 70. ver. 9.

C

venerit: *Senex es, & viribus debilis; non est is tibi, qui olim fuit, vigor: quiescendum deinceps est, & cessandum à laboribus, vti & ætas deuexa te admonet*; ego ipsi responsurus videar, aut certè debeam: *Quid? Ego si in stadio currerem, & aliquò vsque haud infeliciter antehac cucurrissem, an me oporteret vicinum iam metæ, & propinquum victoriæ, cursum remittere, an è contrario magis intendere? Atqui si omnes, qui Christiano censemur nomine, in Christi stadio (vti liquidum est) ad propositum nobis brauium decurrimus, vt comprehendamus, quidni ego tamdiu curram, donec comprehendam?* Ita enim & Abercius ille noster cucurrit: ita & ante illum Apostoli, ita & quicumque eos secuti nunquam retro respexerunt, sed ad anteriora semper contendentes, iuerunt de virtute in virtutem, & semel conceptum animo calorem nunquam siuerunt deferuescere. Tales in eremo ad extremam vsque senectutem se præstiterunt illi principes ascetæ, Paullus, Antonius, Hilarion, ambo Macarij, & alij haud numero pauci, quos liber SS. Patrum, & liber vitæ continet. Talis inter cœnobitas Bonosus S. Seuerini Noricorum Apostoli discipulus, de quo in magistri vita scribitur: *Quadraginta fere annis in monasterij excubijs perseuerans, eodem quo conuersus est fidei calore transiuit ad Dominum*. Talis & Bernardinus Senensis de quo in eius vita hoc elogium: *Nunquam auertit pedem extra vias rectas, nec à primo tepuit proposito*. Talis & B. Lutgardis inter virgines, de qua cùm eius ęmulæ dicerent? *Sinite eam, dum feruor in motu est: vbi ille tepuerit, non absque rubore redibit ad ea, quæ nunc stulta contemnit*. Atqui ad ea nunquam rediuit. Nam nimis formidolosa, ne id accideret, ad beatissimam confugit Deiparam, tantúmque à se ma-

D

SENES IN DEI SERVITIO INDEFESSI.

E

FERVOR VIRTVTIS AD FINEM CONTINVATVS.

F

lum

lum feruidè conſtantérque deprecata eſt: A vnde multa inter alia ſolatia, etiam illud accepit multò optatiſſimum: *Non minuetur in te gratia & virtus, ſed cumulabitur.* O ſi mihi, & omnibus, qui Deum amant, id eueniat! liceátque nobis de ſtatu virtutis, animique robore, iiſdem vti verbis, quibus ille quondam terræ promiſſionis explorator Caleb, de valetudine, fortitudinéque corporis, ad ducem Ioſue vſus eſſe legitur: *Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* O ſi talis, inquam, in nobis eſſet, ac perſeueraret animi fortitudo, tam ad bellandum contra communes ſalutis noſtræ hoſtes, quàm ad gradiendum ad excelſa virtutum cacumina, quale illi corporis robur aduerſus populos ſibi reſiſtentes fuit, aut qualis nobis ipſis in primo Religionis, velut terræ promiſſionis, ingreſſu, feruor ad curſum ac profectum in virtute exſtitit!

Ioſue 14. ver. 11. B

d *CVI ET EPIGRAMMA INSCVLPSIT* &c.] Acta græca totius ſepulchri ac monumenti ſtructuram ſic deſcribunt: Καὶ λίθον τινὰ τετράγωνον, μήκός τε καὶ πλάτος ἴσον, τάφον ἑαυτῷ κατασκευάζει· καὶ τὸν βωμὸν, ὃς ἐκείνου προστάξαντος ἀπὸ Ῥώμης ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἐκεῖ μετηνέχθη, τῷ λίθῳ ἐφίστησι, τοιόνδε τι αὐτῷ ἐπίγραμμα ἐγχαράξας. &c. *Et lapidem quendam quadratum longitudine ac latitudine æqualem, ſibi tumulum facit; & aram quæ ipſo iubente, Romà à Dæmone illuc tranſlata erat, lapidi imponit, tale illi epigramma inſcribens.* aræ ſcilicet, non autem ſubiecto lapidi. Quamuis & ara illa nihil aliud, quàm prægrandis lapis fuit, nec aræ nunc vicem retinens, tametſi antiquo nomine hîc appelletur. Quàm grandis autem fuerit, è longitudine inſculpti epigrammatis intelligi poteſt: quod minimùm viginti tribus longis verſibus conſtabat: vt mox videbitur. Fieri tamen poteſt, vt idem lapis vtrimque fuerit inſcriptus. Nam inter monumenta Chriſtianorum, apud Gruterum, inuenies, paginâ CIↃ. LVI. numero. 1. vnum eiuſmodi lapidem, vtrimque inſcriptum. Deinde pag. M. C. XXIII. vnam monumenti inſcriptionem habet multò quàm hæc ſit Abercij longiorem, quippe conſtantē diſtichis viginti tribus. Quæ porrò tumulis, aut ſupra tumulos inſcribebātur, vulgò appellabantur epigrammata, epitaphia, tituli, elogia, ſeu proſa cuderentur, ſeu verſu. Nam, vt alterutro, vſus obtinuit. Erant quidem illa antiquitus breuia, vt duorum fere aut quatuor ſummùm carminum, poſt autem ad plura, vt cuique voluntas fuit, apud Latinos præſertim, excreuerunt.

SEPVLCHRORVM EPIGRAMMATA, SEV INSCRIPTIONES.

Nam Plato cauerat, ne lapis ſepulchro impoſitus maior eſſet, quàm qui quatuor verſus heroicos caperet, vt de illo auctor eſt Tullius libro 2. De legibus extremo, *Extrui autem vetat ſepulchrum, inquit, altius, quam quod quinque homines quinque diebus abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui inciſam quatuor heroicis verſibus, quos longos appellat Ennius.*

LEX ANTIQVA DE SEPVLCHRIS.

Quod autem ad noſtrum hoc S. Abercij ſpectat epigramma, non pigebit geminum laborem hîc ſuſcipere: vnum, referendi fideliter codicum græcorum manu ſcriptorum formam & verba: alterum redigendi illa in ſeriem carminum. Nam idem epigramma heroïcis exaratum verſibus fuiſſe, partim integra, partim dimidiata carmina declarant: quamuis & deſcriptores græci, & latini interpretes, in formam ſolutæ orationis, ad nos tranſmiſerint. Ita enim priores.

Ἐκλεκτῆς πόλεως πολίτης τόδ' ἐποίησα ζῶν· ἵν' ἔχω καιρῷ σώματος ἐνθάδε θέσιν, τοὔνομα Ἀβέρκιος, ὁ ὢν μαθητὴς ποιμένος ἁγίου, ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας ὄρεσι, πεδίοις τε· ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους πάντα καθορῶντας. Οὗτος γάρ με ἐδίδαξε γράμματα πιστά· εἰς Ῥώμην ὃς ἔπεμψεν ἐμὲ βασιλείαν ἀθρῆσαι, καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον. Λαὸν δὲ εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα· καὶ Συρίης πέδον χώρας εἶδον καὶ ἄστεα πάντα, Νίσιβιν, Εὐφράτην διαβάς· πάντας δ' ἔσχον συνομηγύρους, Παῦλον ἔποθον· Πίστις δὲ πάντη προῆγε, καὶ παρέθηκε τροφὴν ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς παμμεγέθη, καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνὴ, καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἐσθίειν διὰ παντὸς, οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.

Ταῦτα παρεστὼς εἶπον Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι, ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἄγων ἀληθῶς· ταῦθ' ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ Ἀβερκίου πᾶς ὁ συνῳδός. Οὐ μέν τοι τύμβον ἕτερόν ἐπ' ἐμοῦ ἐπάνω θήσει· εἰ δ' οὖν Ῥωμαίων ταμείῳ θήσει δισχίλια χρυσᾶ, καὶ χρηστῇ πατρίδι Ἱεραπόλει χίλια χρυσᾶ.

Hactenus epigramma græci codicis M. S. Cuius interpretatio apud Aloyſium Lipomanum, Veronenſem Epiſcopum, tomo ſexto Vitarum, Romanæ editionis, ad XXII. Octobris ſic habet.

Electæ vrbis ciuis hoc viuens feci, vt hic tempore habeam poſituram corporis, nomine Abercius. Qui ſum diſcipulus paſtoris caſti, paſcentis ouium greges in montibus & agris, ac magnos habentis oculos omnia intuentes. Is enim me docuit litteras fideles, Romam qui me miſit ad videndum imperium, & Imperatricem aureis veſtibus & calceis. Illic autem vidi populum præclarum, inſignes annulos in manibus geſtantem. Et Syriæ regionis campum vidi,

EPITAPHIVM S. ABERCII, VT EXSTAT APVD LIPOMANVM.

vidi, & omnia oppida, Nisibin, & Mesopotamiæ transmisso Euphrate. Habui autem omnes ad eandem venientes concionem, & Paullum intrinsecus. Fides autem omnino produxit, & apposuit nutrimentum, piscem ex fonte ingentem, quem purum apprehendit virgo casta, & eum perpetuo edendum tradidit amicis, vinum habens bonum, quod dat cum pane temperatum. Hæc adstans Abercius iussi, vt scriberentur, septuagesimum secundum annum verè agens. Hæc cogitans orauerit pro Abercio, quicumque B *nobiscum sentit. Non tamen alterum tumulum mihi, neque hoc in superiori loco imponet aliquis. Quod si fecerit, Romano ærario soluet bis mille aureos, & bonæ patriæ Hierapoli mille aureos.* Ita ibi.

Haud porrò dubium, quin cuncta græ- A cè modò allata, & fuerint, & sint (si paullulum in ordinem redigatur) carmina: tametsi manca quædam, hiulca alia, nonnulla confusa, & conturbata, pauca vero prorsus integra, & numeris omnibus absoluta: non quidem ex conditoris vitio, vt opinor, sed ex iniuria temporis, lapides & marmora exedentis; aut etiam (quod non rarò accidit) ex librariorum vel ignorantia, vel oscitantia. Conabor autem ea nonnihil ad numeros suos reducere saltem ex parte. Nam alius postmodum exorietur, qui meliorum ope codicum, quod defuerit, absoluat. Ego Parisiensi vsus sum, quem mihi noster Iacobus Sirmondus ἄνθος φίλων *flos amicorum* inibi commodauit. Ita igitur scribenda mihi videntur & ordinanda:

1. Ἐκλεκτῆς πόλεως τόδε ζῶν ποίησα πολίτης.
2. Ὡς ἂν ἔχω καιρῷ τοῦ σώματος ἐνθάδε θήκην,
3. Τοὔνομ᾽ Ἀβέρκιος, ὢν ὁ μαθητὴς ποιμένος ἁγνοῦ,
4. Ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας, ὄρεσίν τε, πέδοις τε.
5. Ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους πάντ᾽ εἰσορόωντας.
6. Οὗτος γάρ μ᾽ ἐδίδαξε -- — -- γράμματα πιστά,
7. Εἰς Ῥώμην ὃς ἔπεμψεν ἐμὲ, βασίλειον ἀθρῆσαι,
8. Καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον.
9. Λαὸν δ᾽ εἶδον ἐκεῖ, λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα.
10. Καὶ Συρίης χώρας εἶδον, καὶ ἄστεα πάντα,
11. Νίσιβιν, Εὐφράτην διαβὰς -- -- -- -- --
12. Πάντας δ᾽ ἔσχον ὁμηγερέας, καὶ Παῦλον ἔσωθεν
13. -- -- -- -- -- -- -- -- πίστις δὲ προῆγε
14. Πάντη, καὶ παρέθηκε τροφὴν, ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς
15. Παμμεγέθη, καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνὴ,
16. Καὶ τοῦτον παρέδωκε φίλοις ἐσθίειν διὰ παντὸς,
17. Οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ᾽ ἄρτου.
18. Ταῦτα παρεστὼς εἶπον Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι,
19. Ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἦγον ἀληθῶς.
20. Ταῦθ᾽ ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ μου πᾶς ὁ συνῳδός.
21. Οὐ μέν τις τύμβον ἕτερον ἐπ᾽ ἐμοῦ ἐπιθήσει.
22. Εἰ δ᾽ οὖν, Ῥωμαίων ταμείῳ διχίλια θήσει,
23. Καὶ χρηστῇ πατρίδ᾽ Ἱεραπόλει χίλια χρυσᾶ.

Hanc græci epigrammatis restitutionem si admittat æquus lector, hanc latinam totidem versibus interpretationem vt ne reiiciat, pro pari beneuolentia postulo,

EPITAPHIVM S. ABERCII AB IPSOMET COMPOSITVM.

1. *Vrbis ego electæ ciuis tumulum huncce peregi*
2. *Viuus; in hoc olim iaceant vt membra silentis,*
3. *Nomine Abercius, innocui pastoris amicus*
4. *Sectator, pascentis oues in montibus, atque*
5. *In campis: magno qui lumine cuncta tuetur.*
6. *Is me doctrinæ docuit sacra verba fidelis:*
7. *Is Romam misit: vidi hîc palatia regni,*
8. *Augustámque stolis, soleísque micantibus auro*
9. *Ornatam: & populum, digitos cui fulgidus ambit*
10. *Annulus: & Syriæ terras, atque oppida vidi;*
11. *Nisibin, Euphratem transgressus -- -- -- --*
12. *Collectósque habui cunctos, intus quoque Paullum.*
13. *-- -- -- - Fides mihi vbique præiuit,*
14. *Apposuítque cibum, piscem de fonte perenni*
15. *Prægrandem, purum, quem virgo pudica prehendit,*
16. *Proposuítque suis vescendum semper amicis:*
17. *Et quod habet vinum eximium, cum pane propinat.*

 18. *In-*

18. *Inscribi hæc tumulo volui ipse ego Abercius adstans,*
19. *Qui decies septem, atque duos vixi insuper annos.*
20. *Hæc noscens prece me adiutet, quisquis pia mecum*
21. *Sentit; neu mi aliquis tumulum tumulo superaddat.*
22. *Aut det Romuleis auri duo millia gazis:*
23. *Hierapolique, bonæ patriæ, insuper altera mille.*

Hæc igitur est nostra græcorum versuum A interpretatio, secuta quidem sensum, non verba. Ac ne quis putet solo arbitratu meo lacunas, vbi non essent, fodisse; sciat non solùm ex connexionis ipsorum versuum necessitate, sed etiam ex ipsis Actis, manifestò prodi, aliquid ad integritatem & sinceritatem deficere. Nam eidem epigrammati proximè subditur: Τὰ μὲν δὴ τοῦ ἐπιγράμματος ὧδέ πως ἐπὶ λέξεως εἶχεν· ὅτι μὴν ὁ χρόνος ὑφεῖλε κατ' ὀλίγον τῆς ἀκριβείας, καὶ ἡμαρτημένως B ἔχειν τὴν γραφὴν παρεσκεύασεν. *Inscriptio quidem sic se habebat ad verbum; sed tempus ex ea aliquid detraxit: & effecit, vt nonnihil postea desideraretur.* Ita versio Lipomani. Sed meliùs sic reddideris: *nisi quod tempus pauxillum integritati detraxit, & scriptum vitiosum reddidit.*

ALOYSII LIPOMANI VERSIO CORRECTA.

Iam vt emendationis reddamus rationem, coniecturámque nostram, dum melior proferatur, nonnihil stabiliamus: in primo quidem versu exigua (vt conferenti patet) mutatio facta est; atque in secundo item nonnulla; ac præsertim, quòd θήκην *thecam, loculum, conditorium* loco θέσιν *positionem seu posituram* reposuerim. Nam & vox θήκη *theca* magis congruit, magisque vsitata est, pro *sepulchro*. Qua & Plato ipse vsus est, libro 12. De *legibus*, post medium; vbi vetat sepulchra & monumenta fieri in locis arabilibus, aut fertilibus: sed in iis tantùm, quæ ad nihil aliud valeant. Verba eius sunt: Θήκας δ' εἶναι τῆς χώρας, ὅπου μὲν ἐργάσιμα, μηδαμοῦ, μήτε τι μέγα, μήτε τι σμικρὸν μνῆμα· ἃ δὲ ἡ χώρα πρὸς τοῦτ' αὐτὸ μόνον φύσιν ἔχει. *Sepulcra autem esse in iis locis, quæ arabilia sint, nequaquam permittendum; neque item monumentum vllum, seu magnum, seu paruum: sed in iis tantùm, vbi locus ad hoc ipsum dumtaxat naturam habet.* Hunc Platonis locum, eiusque interpretationem magis diffundit M. Tullius libro 2. *De legibus* extremo, vbi sic scribit; *Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reiicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulchris autem dicit hæc: Vetat ex agro culto, eóue qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro: sed quæ natura agri tantummodò efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit, eam nequis nobis minuat, neue viuus, neue mortuus.* Ita Cicero: qui Platoni vocem θήκας interpretatus est *sepulchra*. Eandem vocem recenset Iulius Pollux lib. 3. onomastici, cap.

LEGES DE SEPVLCHRIS.

19. inter eas, quæ ad rem sepulchralem pertinent. Et quia in hisce nostris Sanctorum vitis sæpe facienda erit sepulchrorum atque exequiarum mentio; bonum factum iudico, totum istud caput, quod de illis est & solis (præsertim quòd breue & clarum sit) hîc apponere. Sic igitur habet: Εἰσὶ δ' οὖν τάφος, μνῆμα, μνημεῖον, μνημόσυνον, ἠρίον, θῆκαι, σοροί, πύελοι, ληνοί, χῶμα. χῶσαι, χῶμα ἐγεῖραι, χῶμα περιβαλέσθαι, στήλην ἀναστῆσαι, ἐπίγραμμα ἐπιγράψαι, χοὰς χέασθαι, ἐναγίσαι. ἐναγίσματα, κτερίσματα, προθέσεις, ἐκφοραί, ἔννατα, τριακοντάδες, γενέσια, νεκύσια. Ταῦτα γὰρ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ἀπηλλαγμένων ἐνενόμιστο. *Dices igitur, sepulchrum, monumentum, memoriale, mnemosynon, tumulus, conditoria, loculi, vrnæ, labella, gleba: tumulare, tumulum erigere, glebam iniicere, columnam statuere, epigramma inscribere, libamina infundere, iusta persoluere: iusta, exequiæ, inferiæ, propositiones, elationes, nouendiaC lia, tricenaria, natalitia, funeralia. Hæc enim circa defunctorum curam legitima sunt.*

VOCES AD EXEQVIAS ET AD SEPVLCHRA PERTINENTES.

Ita Pollux: qui sanè non pauca eiusdem generis, tametsi vsu tritissima, prætermisit. Qualia sunt: τύμβος, ταφή, τράπεζα, ἐπιτάφιον, κενοτάφιον. &c. *Bustum, tumulus, mensa, epitaphium, cenotaphium.* &c. Item θάπτειν, κηδεῦσαι, κηδεύεσθαι, χοὰς ἐπιφέρειν, *sepelire, condere, tumulare, terram iniicere,* & alia complura. Sed nec illi, nec mihi studium fuit cunD cta colligere. Videndus tamen est Tullius lib. 2. De legibus, sub finem, vbi multa pulchra de funeribus, exequiis, sepulchris, & hæc inter alia: *De sepulchris autem,* inquit, *nihil est apud Solonem amplius, quam nequis ea deleat, neue alienum inferat: pœnaque est, siquis bustum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum,* inquit, *aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.*

Itaque Cicero τύμβον *bustum* interpreE tatur, & στήλην *columnam*: sicut & libro 5. Tusculanarum quæstionum, *columellam*: vbi agens de Archimedis sepulchro à se perquisito, & reperto vnà cum epigrammate nonnihil exeso, sicut de illo Abercij dicebamus, ita infit: *Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Acraganas magna frequentia sepulchrorum) animaduerti columellam non multum è dumis eminentem: in qua inerat sphæræ figura & cylindri: atque ego F statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum; quò cùm patefactus esset aditus, ad aduersam basim accessimus: apparebat*

parebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis ferè. Ita nobilissima Græca ciuitas, quondam verò etiam doctissima, sui ciuis vnius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Ita ille.

Mensæ autem, & labella, quæ itidem ad sepulturam pertinent, ita meminit extremo libro secũdo De legibus, agens de Demetrij circa sumptus funerum constitutione, *Iste igitur*, inquit, *sumtus minuit, non solùm pœna, sed etiam tempore. Ante lucẽ enim iussit efferri. Sepulchris autem nouis finiuit modum. Nam super terræ tumulum noluit quicquam statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum & huic procurationi certum magistratum præfecerat*. Sic ibi.

Mensa, de qua hoc loco, lapis erat in mẽsæ formam quadratus, sepulchro imponi aptus. Qualis fuit illa S. Abercij ara Hierapolim ab vrbe Roma dæmonis ministerio translata, & illius sepulchro imposita.

Labellum autem & labrum, lapis concauus ad labri formam sepulchris apponi olim solitus.

Redeo ad versus, & eorum vnà operà explicationem.

In 3. versu, leui mutatione, quod prosa credebatur, factum est carmen, nempe pro ὁ ὢν, restituto ὢν ὁ. & pro ἁγίυ, *sancti* reposito ἁγνῦ *casti*, quo etiam modo videtur habuisse codex Lipomani, quandoquidem verterit *casti*. Eodem autem redit sensus.

Vocat se porrò Abercius discipulum pastoris casti, id est, Christi boni pastoris, non quasi eius auditor fuerit, aut è 72. discipulis vnus, qui primo vixerunt sæculo, sed quia disciplinę eius per Apostolos & viros Apostolicos acceptæ sectator.

In 4. versu, duarum vocum perparua emendatio numerum reddidit aliàs deprauatum: similiter & in quinto.

Versus 6. deficiente in medio vna atque altera voce mancus restitit, nec propius fidei quicquam existimo, quàm has duas voces λογικὰ, artes &, exesas vetustate intercidisse, & versum primitus ita scriptum fuisse:

Αὐτὸς γάρ μ' ἐδίδαξε λόγυς κ̀ γράμματα πιςά.
Hic me artes docuit, docuitque fidelia scripta

.i. docuit me eloquentiã & sacras litteras, quæ sunt verissime scripta fidelia, cùm exhibeant fidei Christianæ documenta multò certissima.

In octauo versu vltima dictio χρυσοπέδιλον vitiat quantitatem, fortè in alterius vicem supposita est, quę inchoabatur à vocali, qualis ἰσοπέδιλον *similem calceis*, vt dicatur Augusta habuisse stolam auream & similes calceos. Nam ἀργυρόπεζαν *argenteos pedes habentem*, Homeri epitheton de Thetide, minùs placet, tum quia longiùs abest à corruptæ vocis similitudine, tum quia ad nudos pedes respicit, epitaphium autem ad ornatos. In decimo vox πεδον superfluit, & sine illa constat carmen & sensus.

Vndecimus & decimus tertius mutili sunt, vnus extrema parte, alter prima: nec facilè emendabiles.

Reliqui versus (excepto 19. vbi in voce ἑβδομήκοςον neglecta est quantitas) haud magno labore emendati sunt.

Verùm enimuerò, inquiet aliquis, ecqui possit istud epigramma tam vanum ac tumidum, adeóque meram terram redolens, viro tam sancto, tã modesto, tam ab humo & cunctis rebus terrenis eleuato cõuenire? Difficile enim erit viris sapientibus, tantæ inter hunc & illud discordiæ assensum præbere. Age igitur, exigit res ipsa, vti apparet, quæstionem. Hæc tractetur, & argumenta proferat, quibus epigramma istud labefactetur, si minus solidum: & firmamẽta subministret, quibus magis fulciatur, si solidũ.

QVÆSTIO.

An epitaphium seu epigramma inscriptum tumulo S. Abercij eiusmodi sit, vt eius grauitatem ac sanctimoniam dedeceat?

SVnt, quibus dedecere videri possit, ex sequentibus argumentis:

Primò, quia in carmine sexto & tribus sequentibus, de suo Romam itinere nihil aliud dicit, quàm se ibi vidisse palatium, & Imperatricem superbè vestitam, & populum fulgidos annulos gestantem: quæ leuitatem ac vanitatem sonant hominis curiosi magis, quàm viri sancti.

Secundò, in proximis versibus, vbi se adiisse Syriã, & transgressum esse Euphratem, & populos congregasse, & intus Paulum habuisse memorat, quid ex eo nisi arrogantia & iactantia colligi potest? Nam & de populorum ad conciones suas concursu gloriatur, & de se velut altero Paullo prædicandi Verbi feruorem extollit. Quod ab aliorum sanctorum modestia longè recedit.

Tertiò, quæ de pisce, virgine, vino, pane afferuntur, mera sunt ænigmata; aut si ad litteram accipiantur, pura deliria.

Quartò & postremò, vt alia omittantur, quid hoc ad virum Christianum & sanctũ attinet, vetare ne suo tumulo alius superimponatur, & contrà facienti multam imponere Romano ærario inferendam? Et vnde eius imponendæ multæ auctoritas? Aut quæ eius gratia? Quanto enim melius in pauperes Christianos, quàm in Dominos infideles ea pecunia insumeretur?

Hæc

ὗν, ὅπερ Αὐλὼν ἐκαλεῖτο, θέρους καταλαβὼν, ἐπὶ τῆς πλησίον ἐκάθισε πέτρας. &c. *Ad locum, qui Aulō vocabatur, æstate cùm peruenisset, sedit in propinquo quodam saxo.* &c. Deinde refert quæ nos in vita persecuti sumus: nempe illum precatione sua homines rusticanos qui tantisper laborem, quo ipsius quies impediebatur, intermittere noluerāt, sopiuisse: ac postmodo iisdem potum sibi sitienti negantibus imprecatum fuisse, vt nunquam satiarentur. Quod & factum est.

IMPRECATIONES SANCTORVM ET EXECRATIONES QVAM EFFICACES.

d *VALVITQVE IMPRECATIO* &c.] Sanctorum imprecatoines vt plurimum esse efficaces non paucis exemplis, tam è vetere nouóque testamento, quàm è variis Sanctorum vitis manifestò liquet. Elias Thesbites duobus Regis Ochoziæ principibus vicissim ad se missis ignem è cælo, alteri post alterum imprecatus est, & cunctis simul ipsorum comitibus; nec fuit mora, quin statim è cælo ignis descenderet, illósque & comites concremaret. Cùm enim libro 4. Regum, cap. 1. Princeps quinquagenarius ei dixisset: *Homo Dei, rex præcepit, vt descendas*: & ille respondisset: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos*, mox descendit ignis de cælo, *& deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo*. Et quemadmodum cum hoc factum est; ita & cum altero, qui post illum iisdem cum mandatis venit.

Regum l. 4. c. 1. ver. 9.

Eliseus item propheta, eodem lib. cap. 2. pueris sibi illudentibus & clamantibus: *Ascēde calue, ascende calue, maledixit, in nomine Domini, egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros*.

Ibid. l. Reg. c. 2. ver. 23.

Eandem caluitiem cùm exprobrasset S. Malachiæ Episcopo Iberniæ mulier maledica, in insaniam versa est, & morte horrenda periit. Auctor est ipse S. Bernardus Abbas Claræuallis in eiusdem Malachiæ vita.

S. Bernardus in Malachiæ vita.

In nouo autem testamento, Apostolorum Petri & Paulli verba, velut nouorum Eliæ & Elisei, quàm horrifica fuerunt? quàm ad ictum certa? Nam Ananias quidē Actor. 5. postquam fraudasset de pretio agri, conscia vxore sua, & audisset illa Petri verba: *Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* &c. tanquam violento quodam fulminis ictu percussus, *cecidit & exspirauit*. Sic & Sapphira eius vxor, non absimilibus in peccato simili increpata verbis, *confestim cecidit ante pedes eius & exspirauit*.

Actor. 5. ver. 1. & seqq.

Ibid. ver. 10.

Iam S. Paullus cùm obsistentem prædicationi suæ Elymam magum animaduerteret, *repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret.* Ita in iisdem Apostolorum Actis cap. 13. ver. 9. & seqq.

Actor. 13. ver. 9.

Nec desunt in posterioribus sæculis exempla similia. Nam Cōstantini magni temporibus, regnante Sapore in Perside, S. Milles ibidem Episcopus, cùm neminem in sua ciuitate ad Christi fidem adducere posset, eam execratus abscessit. Itaque haud multo pòst, cùm eiusdem ciuitatis viri primarii grauiter Regem offendissent, euersa prorsus & aratro subacta est: ipse vero Hierosolymam, cum sola pera, in qua sacrum euangeliorum librum gerebat, precationis caussa se contulit, atque inde in Ægyptum ad intuendam monachorum inibi degentium virtutem ac sanctimoniam transiit. Hæc pluribus referunt Sozomenus lib. 2. hist. eccl. cap. 12. & Nicephorus lib. 8. cap. 37. & Laurentius Surius tomo 2.

Iisdem ferè temporibus non minori cluebat virtute S. Iacobus Nisibita, suæ ciuitatis in Persidis & imperii Romani confinio Episcopus, & fidei Cōfessor, cuius execrationes quædam referuntur perquam admirabilis efficaciæ. Nam in Persidem vicinam cùm transisset, conspexit ad quendam fontem puellas quasdam, dum pannos lauant, & pedibus in aquis premunt, satis indecorè succinctas, & se transeuntem impudenter & contemptim respectantes; ipse igitur, vt earum curaret proteruiam, & honestatem condoceret, tam ipsum fontem est execratus, qui confestim exaruit; quam ipsas, quæ subitò mutatâ in caniciem comarum nigredine deformes effectæ sunt. Narrat hæc fusiùs B. Theodoretus in Philotheo seu Religiosa historia, cap. 1.

Aliud exemplum refert S. Gregorius Turonensis, libro, De gloria Confessorum, cap. 108. nempe quendam pauperē & senem à domino cuiusdam nauis eleemosynam petentem, cùm ille commotus respondisset; *Absiste quæso, decrepite, & noli à nobis quærere quicquam. Nihil enim hic aliud præter lapides habemus*, dixisse illi: *Si lapides dicis esse, quæ in tuis ditionibus nauis hæc continet, omnia vertantur in lapides. Et statim cunctum nauis onus, inquit, quod mandi potuit, in saxum conuersum est. Ego enim ex his & dactylos vidi, & oliuas aspexi marmore duriores. Nam cùm in lapidis duritiam conuersa fuissent, nunquam tamen colorem, quem habuerant, perdiderunt: nisi eadem forma, eadémque species erat. Dominus autem nauis, pœnitentia motus, inquisitum senē nunquam potuit reperire, & sicut ferūt, per multas ciuitates, de iis, quæ in saxum mutata fuerant, ad videndum direxit: vt scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent* Ita S. Gre-

Gregor. Turonensis lib. De gloria Confessorum, cap. 108.

S. Gregorius: qui & illud, ad extremum, adijcit epiphonema: *Ecce, quid agit impudens auaritia! fecisti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi, putauit se posse fieri ditiorem.*

S. EMMERAMMVS RATISPONENSIS EPISCOPVS.

Nec minus virium habuit S. Emmerāmi Ratisponensis Episcopi & Martyris imprecatio, qui cùm morti vicinus, & plagarum cruore oppletus ac semiuiuus relictus petijsset ad sui refrigerium quippiam aquę, & Vitalis Presbyter, vir alioqui pius ac religiosus, non sine lachrymis, quas ipsi immanes illius sui magistri cruciatus eliciebant, respondisset: *Quid vis refocillari, cùm sis membris corporis destitutus? Meo quidem iudicio rectiùs tibi mortem optaris, quàm tot affectus iniurijs vitam producere velis*; vir sanctus dictū istud ægrè ferens, abscissâ licet linguâ, vt vt potuit, eo correpto pœnam quoque addidit imprecabundus, vt quoties potum ori suo applicaret, toties mentis inops fieret; sic tamen vt nemini noceret, & omnibus inobedientiæ suæ & inhumanitatis exemplum daret. Vt autem dixit, ita factum est. Nam quodcumque potionis genus percepisset, mox destitutus mente, à spiritu immundo rapiebatur. Pluribus hæc perscripsit in eiusdem Emmerāmi vita Cyrinus Ratisponensis Episcopus, & ex eo Suriùs tomo 5. ad 22. Septembris.

AD CAPVT XVIII.

TRia potissimùm in hoc capite proferuntur: S. Abercij labor extrema in ætate infatigabilis: scribendi & posteris opitulandi cura: & eius postremum, ad sitim restinguendam, aquæ de terra diuinitus erumpentis miraculum.

CVM AVTEM SENSISSET POPVLVS EVM ADESSE &c.] Populi Hierapolitani gaudium in reditu Antistitis sui declarant ipsa Acta his verbis: Τὸ γοῦν πλῆθος αἰσθόμενοι τῆς τοῦ ἀνδρὸς παρουσίας, συνέρρεον πανδημεὶ, γλιχόμενοι ὄψιν τε γλυκεῖαν ἰδεῖν, καὶ φωνῆς ἀκοῦσαι τῆς ποθουμένης. &c. *Percepto viri aduentu, confluxit omnis populus suauem eius faciem videre, & amabilem audire vocem gestiens.* &c. Ita ferè solet fieri, vt clarorum & carorum virorum, post longam peregrinationem & absentiam, ad suos reditus mirè exhilaret popularium animos, ac tum præsertim, cùm & rem benè gesserint, & populi commodis in commune prospexerint. Quod vtrumque à S. Abercio, Episcopo suo egregiè præstitum certi detulerant nuntij.

b *HINC DOCENDI, ET CONCIONANDI MVNVS* &c.] Testantur eadem Acta virum sanctum, post tot in longis ac diuturnis peregrinationibus exantlatos A labores, post tantam è rebus præclarè gestis acquisitam nominis gloriam, licet ætate iam aggrauante, ad solita redijsse officij sui exercitia, nihilque de susceptis antea laboribus remisisse. Ὁ μὲν οὖν ἀσμένως αὐτοὺς εὐλογήσας καὶ ἀσπασάμενος περιῄει καὶ αὖθις τὴν πόλιν διδάσκων τε τὸν λόγον τῆς ἀληθείας σὺν παρρησίᾳ, καὶ τοὺς προσιόντας διὰ τοῦ θείου βαπτίσματος τελειῶν. &c. *Ipse igitur cùm hilariter suam ipsis benedictionem, salutémque* B *impertijsset, circumibat rursus & ipsam ciuitatem, doctrinam veritatis cum libertate condocens, & diuini lauacri gratiâ ad se accedentes initians.* &c. Ita olim & primitus non per alios, sed per semet ipsi sacrum regenerationis lauacrum administrabant Episcopi, vt manifestè patet tum è doctrinâ S. Dionysij Areopagitæ, discipuli S. Paulli, tum ex ipsis SS. Episcoporum vitis atque scriptis. Scribit sanè de S. Ambrosio, insigni illo C Ecclesiæ Doctore, ipsius comes & discipulus Paullinus Presbyter in eius vita, hæc inter alia: *In rebus etiam diuinis implendis fortissimus: in tantum, vt quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque posteà Episcopi, à tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimiùm pro pauperibus & captiuis.* &c. vt planè idem in eo Spiritus fuerit, & operatus sit, qui in S. Abercio. Hinc autem collige ordinarium illud munus Episcoporum D fuisse, quod nunc ferè in Sacerdotes deriuatum est. Nec tamen incusandi hoc tempore Episcopi, si in orbis Catholici partibus non idem circa baptismum præstent, quod illis primis sęculis. Est enim magna nunc, vt temporum, sic rerum commutatio atque diuersitas. Nam tum ferè maiores natu dumtaxat, & pleno rationis iudicio vtentes eo sacramento initiabantur, & præuia quidem catechesi seu doctrinâ E Christianâ publicè in templis ad ipsos in commune congregatos haberi solitâ; quæ ad Episcopos propriè spectabat: nunc verò sublatâ eiusmodi doctrinâ seu concione catecheseos, cuius infantes minimè capaces sunt, minimè mirum est, si in baptizandis infantibus (nec enim in præsenti maturioris ac florentioris Ecclesiæ statu alij ferè quàm eiusmodi baptizantur) minimè, inquam, mirum est, si sublatâ docendi & con- F cionandi necessitate, ipsa nuda paruulos expiandi ratio, quæ Episcopi occupationem non requirit, ad Sacerdotes translata sit. Nam satis ipsi aliarum habent magis vrgentium occupationum, quibus, seu in Confirmationis inunctione, seu in sacrorum Ordinum collatione, seu in visitandis diœcesibus, & Cleri informandi, aut etiam reformandi cura ac labore, distinentur.

BAPTISMI ADMINISTRATIO CVR OLIM EPISCOPORVM, NVNC SACERDOTVM MVNVS SIT?

c *LIBRVM DISCIPLINÆ PERVTILEM*

LEM CONSCRIPSIT &c.] Hinc & ex epistola ad M. Aurelium Antoninum Imp. data, (quam Guilielmus Sirletus & Cæsar Baronius ambo Cardinales habuerunt, vt ante vitam præposui) liquet S. Abercium fuisse Scriptorem ecclesiasticum, sed, perinde ac multos alios, Eusebio Cæsariensi fuisse ignotum. Fatetur enim idem Eusebius, vt alibi notauimus in priore nostro tomo, plurimos exstitisse Scriptores, quorum libri ad se non peruenerint. De hoc B autem S. Abercij libro, vti & de epistola, nihil habeo in præsenti, quod ijs addam, quæ à me producta sunt capite 21. vitæ suprà.

d *IBI TAM IPSE, QVAM COMITES EIVS, MOLESTA SITI LABORARE* &c.] Magna est sitis, vti & famis, præsertim diuturnæ, molestia & cruciatus. Quem experti quondã Israëlitæ in deserto, murmurarunt

Exodi 17. ver. 3. contra Moysen dicentes: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti?* Et Numerorum 20. ver. 2.

Numer. 20. ver. 2. *Cúmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino! Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos & nostra iumenta moriamur:* Quem expertus & Samson, vir alioqui fortissimus, Iudicum cap. 15.

Iudicum 15. ver. 18. *clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in ma-* D *nu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam: & en siti morior, incidámque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum & vires recepit.* Quem & Betuliæ ciues ab Holoferne obsessi, & aquis suis ab eodem aliorsum diductis, maiorem in modum experti, clamauerunt ad principes vrbis & se-

Iudith. 7. ver. 17. niores: *Contestamur hodie cælum & terram &* E *Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.* Iam autem Dominus noster IESVS Christus etiam hunc sitis cruciatum post alia omnia cruciaměta sentire in Cru-

Ioannis 19. ver. 28. ce voluit, cùm dixit Ioannis 19. ver. 28. *SITIO.* Quem sanè cruciatum reddebat acerbissimum, ex tot acceptis plagis ac vulneri- F bus, omnis propè sanguinis defectio. Siti igitur sua sitim nostram & sanctorum beauit, quos non rarò permisit eius sentire molestias, vt in istis suorum molestijs suam manifestaret gloriam, vti in hoc nostro Abercio, & in non paucis aliorum sanctorum fecit. Vt enim ipsorum sitim sedaret, aut eorum pro quibus orabant, sæpenumero in locis inaquosis prodigiosas erumpere aquas iussit: nunc quidem precibus S. Abercij in monte excelso, aliàs S. Basilissæ, & aliàs S. Benedicti orationibus è petra, aliàs S. Humberti ad restinguendam B. Aldegundis sitim ex arenti & arenoso solo, nonnunquam à martyribus in ipso carcere. Nam S. Euplus martyr sub Diocletiano, *εὐχῇ μόνῃ πηγὴν ὕδατος ἀναδοθῆναι πεποίηκεν ἐν τῇ φυλακῇ, sola precatione fontem aquæ scaturire fecit in custodia*, vt refert Menæum ad diem Augusti vndecimam. Sed & S. Clemẽs Pontifex, B. Petri discipulus longè saluberrimum in hoc genere prodigium fusa prece obtinuit. Nam in solitudine vrbis Chersonæ trans mare Ponticum iussu Traiani exulãs, cùm duo Christianorum millia sanctæ religionis caussa eodem amandata, in eruendis ac secandis marmoribus aquæ penuria laborarent, ipse *facta oratione in vicinum collem ascendit: in cuius iugo vidit Agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatebat, attingen-* C *tem, vbi omnes sitim expleuerunt: eóque miraculo multi infideles ad Christi fidem conuersi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.* Ita ferè in eius Actis, & in officio ecclesi.

e *FLEXISQVE GENIBVS SITI RESTINGVENDÆ AQVAM SVPPLEX DEPOSCIT*] Habuerunt in more viri sancti, cùm res magnas & supra naturæ cursum à Deo postularent, genu vtrumque humi flectere, vt pluribus ad S. Iustini Philosophi & martyris vitam hîc infrà annoto, & multò magis post Dauidem id factitari cœptum legitur, quàm antea. De Moyse autẽ & de Aarone scribitur Numerorum Numerorum 20. ver. 6.
20. eos pro impetranda Israëlitis de siti murmurantibus aqua, corruisse pronos in terram: *Ingressúsque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamauerúntque ad Dominum atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi thesaurum tuum fontem aquæ viuæ* &c. Exaudiuit autem Dominus humilem ac supplicem eorum precationem, & iussit vt Moyses virga petram percuteret, fore enim, vt inde abundanter aqua exiliret, tam hominibus, quàm iumentis. *Cúmque eleuasset Moyses manum percutiens* Ibid. ver. 11.
virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Sed cur bis percussit? Non enim mandauit Dominus, vt bis percuteret. An quia prima percussione nihil effectum est? An potius bis percussit, semel ex parte vna, vt homines biberent, semel ex altera, vt simul potarent & iumenta, statimque abũde esset vniuersis? Si prius, culpanda Moysis & Aaronis incredulitas: si posterius, miranda Dei opt. max. largitas. Priori tamen suffragantur ista verba proximè & continenter subiecta: *Dixitque* Ibid. ver. 12.
Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel,

Israël, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis. Fuisse autem eorum peccatum haud adeo leue, ipsa punitionis declarat seueritas.

Non dissimili miraculo precúmque efficacia claruit B. Theodosius Abbas, qui è petra præcipiti, suo impendente monasterio, baculi percussione aquam elicuit, & quò voluit, deduxit. *Erat autem ea petra* (inquit B. Theodoretus in Philotheo, cap. 10.) *primò sicca, & omni humore vacua. In ea fecit aquæductum, qui à vertice fertur in monasterium, tanquam qui motum aquarum haberet in potestate.* Quomodo autem id fecerit, paullò post subdit his verbis: *Priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas, Deum precatus, & fretus eo*, qui facit voluntatem timentium se, *virgâ, cui innixus erat, petram percussit. Ea verò rupta, aqua instar fluminis scaturijt, & monasterium ingrediens per aquaductum & quantum ad omnem vsum sufficit, abundè suppeditans, in mare propinquum influit.* &c.

Theodoretus in Philotheo cap 10.

Psal. 199.

LOCVS GENVFLEXIONIS &c.] Est in Actis græcis: Καὶ ὁ τόπος ἐξ ἐκείνου ΤΟΠΟΣ ΓΟΝΥΚΛΙΣΙΑΣ τὸ λοιπὸν ἐκλήθη. *Et locus hic* [vbi post genuflexionem aqua erupit] *ex eo tempore vocatus est deinceps LOCVS GENVFLEXIONIS*. Sic igitur in prodigij memoriam, simul & genuflexionis in precationibus commendationem, nomen ei loco ab euentu datum.

Familiare fuit & Hebræis, à rerum euentibus nomina indere. Sic Geneseos cap. 16. fons aquæ in solitudine, ad quem Angelus vidit & allocutus est Agar ancillam Sarai, vocatus est ab ea *PVTEVS VIVENTIS ET VIDENTIS ME.* Sic eiusdem Geneseos 22. ver 14. locus, in quo Abraham immolaturus erat filium suum Isaac, nisi respiciens Dominus obstitisset, appellatus est: *DOMINVS VIDET. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Sic Exodi 17. ver. 7. locus vbi filij Israël de aquæ penuria murmurantes *tentauerunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* vocatus est à Moyse, *TENTATIO.* Sic & Iudicum 15. cùm ad precationem Samsonis siti nimia oppressi, aperuisset Dominus dentem in maxilla asini, & egressæ essent ex eo aquæ, cúmque refocillassent, *appellatum est nomen loci illius, FONS INVOCANTIS DE MAXILLA.*

Genesco 16. ver. 14.

Ibid cap. 22. ver. 14.

Exodi 17. ver. 7.

Iudicum 15. ver. 19.

Sed ad ipsam S. Abercij genuflexionem quod attinet, quam Dominus opportuno & præsentissimo miraculo gratam sibi esse commonstrauit, non abs re, opinor, erit, etiam alterius, quam perinde Deo acceptâ perenne obsignauit miraculum, mentionem facere: nempe eius, qua S. IVSTINA Patauina virgo & martyr, lapidi substrato genuum suorum vestigia impressit, hodiéque Venetijs conspicienda. Nam cùm persequentibus eam militibus, carpento, quo vehebatur, exiluisset, vt se suáque Deo commendaret, atque in ponte, qui silice stratus erat, genua flexisset, *in signum obauditæ precis* (verba sunt Iacobi Cauacij in eius vita) *saxum genibus cessit, idémque vestigia genuum adhuc retinens Venetijs in templo ipsius Virginis asseruatur multa fidelium pietate.* Vide dictum Cauacium lib. 1. historiarum cœnobij D. IVSTINÆ Patauinæ. Eius dies natalis adscriptus est martyrologio Romano, ad Nonas Octobris.

AD CAPVT XIX.

Repræsentat hoc caput S. Abercij præsensionem vicinæ mortis, ex diuino viso Domini IESV illi apparentis: itémque sepulchri præparationem, eiusque inscriptionem.

ITA NONNVLLIS E SANCTORVM PROCERIBVS &c.] Præcipuis quibusdam Sanctorum suam prænuntiauit mortem vitæ mortisque arbiter Deus. Sic sanctissimæ Virgini Deiparæ sui excessus diem præsignificauit per Angelum Dominus IESVS Christus: vti noster Christophorus de castro, in historia Deiparę, ad caput 20. è pluribus Scriptoribus annotauit. Sic S. Petro Apostolo, teste eius secunda epistola, cap. 1. *Iustum autem arbitror,* inquit, *quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione certus, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster IESVS Christus significauit mihi.* Et S. Paullo item Apostolo, qui in posteriore ad Timotheum epistola, cap. 4. postquam eum sui officij paternè admonuit, ita subdit: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Et S. Cornelio centurioni, ei qui à S. Petro edoctus & aquis salutaribus ablutus & expiatus fuit. Nam paullò ante obitus sui tempus vocem è cęlo audiuit euocantem ac dicentem: *Corneli, veni ad me. Ecce enim tibi parata est corona iustitia.* Vide Acta vitæ eius, ad diem 13. Septembris.

2. Petri 1. ver 13.

2 ad Timo. cap. 4. ver. 6.

Actor. 10.

Nec magnus Antonius expers eius gratiæ fuit. Cum enim centenario maior eos, qui in exteriori monte habitabant, monachos inuiseret, ac diuinitus accepisset (magno teste Anastasio in eius vita) pauxillum sibi restare ante emigrationem temporis, ita fratribus de suo excessu locutus est: *Iam vltimùm vos fratres inuiso, & mirer si rursus in hac vita vos contemplaturus sim: quandoquidem resolu-*

S. Athanasius in vita S. Antonij græca.

resolutionis meæ tempus iam aduenit. Quinque A *enim fere annos supra centum vitæ meæ addidi.* &c. Ac paullo post inde digressus atque ad solitum reuersus habitaculum *vocatis ad se duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, qui que et iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat: iam cupio videre cælestia: sed vos, ò viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem* B *repente perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, & quasi cœpta voluntatis fortitudo succrescat.* Sic ille.

Euagrius Presbyt. vitæ Antonij, interpres S. Athanasij.

S. Gallo Aruernensi Episcopo mors octo antè annis prænunciata est: VValfrido autẽ Episcopo, teste Beda, annis quatuor.

Greg. Turon. l. 4. hist. c. 5. Bed. l. 5. hist. c. 20.

In Sanctum verò Dunstanum, Cantuariensem olim Archiepiscopum, quanta in hoc genere Dei opt. max. benignitas fuit? Nam ipso Ascensionis Domini ad cælum C die anniuersario, cùm expleto noctis officio solus in æde Saluatoris Cantuariæ, ad contemplandum tam lætæ solemnitatis mysterium, restitisset; ecce ad eum innumera multitudo tanquam virorum coronas aureas in capite gestantium, ac fulgore incomparabili micantium propius accedere, & peramica voce consalutare: *Salue Dunstane noster, salue. Mandat tibi, quem piè desideras, FILIVS DEI, vt, si quidem paratus* D *sis, venias, & diem hanc, ad cuius gaudium vnica dilectione suspiras, nobis associatus, in sua curia gratiosius & hilaris celebres.* Ille autẽ cognitis beatis Spiritibus, de tãto honore gratias ipsis agens, quamuis suæ illius beatitudinis, ad quam inuitabatur, admodum amans, tamen caritatis in fratres, & officij sui, ac honoris diuini amantior, respondit sui esse Pontificij muneris, plebem tali in solemnitate non deserere, sed eam cùm sua E præsentia exhilarare, tum etiam verbo pascere, & cælesti pane reficere. Placuit supernis mentibus studium caritatis, & rem in sabbatum proximum, ipso hilariter admittente, distulerunt. Quare peractis interim & impletis omnibus officij sui partibus, & collecta bonorum operum egregia messe, ac sepulcro sibi præparari iusso, dicta sabbati die ad cælum triumphaturus ascendit.

S. DVNSTANVS INVITATVR AD CÆLVM.

Hæc pluribus est persecutus Osbertus, F Cantuariensis monachus, in eius vitâ: ego autem summatim rem attigi.

OSBERTVS MONACHVS SCRIPTOR VITÆ S. DVNSTANI.

Ex his porrò exemplis clarè intelligitur, quantum sit fidelibus Dei seruis beneficium de instanti mortis suæ tempore tempestiuè præmoneri. Nam & ipsis multum prodest ad augmenta meritorum, & alijs ad incitamenta virtutum. Quippe & illi, quantillum sibi supersit ad negotiandum, & lucrandum, aut etiam ad debita soluenda temporis facti certiores, toti in eo sunt, vt quàm fructuosissime illud impendant: & hi, qui illis omni diligentia ad excessum è vita hac se parantibus, ac breui morituris adsunt, ipsorum monita & hortamenta vltima, tanquam diuina quædam oracula, maximi faciunt, iisque aut ad vitæ emendationem, aut ad virtutis cursum magis, magisque incitandum inflammantur. Hanc proinde mortis prænotionem S. Franciscus Xauerius Indorum ac Iaponum Apostolus, viro erga se benefico, tanquam insignem dignæ remunerationis vicem, repromisit. Cùm enim vir sanctus, & viscera indutus misericordiæ, Machaum, celebre Sinarum emporium, attigisset, atque inibi puellam propter penuriam castimonia periclitantem reperisset; adiecto ad eam adiuuandam animo, Petrum Vellium veterem suum familiarem, hominem pecuniosum adijt, stipis alicuius pro illa misella impetrandę caussâ. Is tum domi alienæ ludebat latrunculis. Interpellauit tamen illum ardens FRANCISCI XAVERII caritas, & mutuum ab eo aurum petijt, in cælo, cum fœnore centupli, redhibendum: opponebat ille, non hoc dandi tempus esse, cùm abesset domo, vbi repositæ essent pecuniæ: sed Francisco comiter reponenti, nunquam non esse tempus benefaciendi, *Ecce igitur,* inquit ille, *clauis arcæ meæ nummariæ, i domum, licet; & aufer, quantum voles.* Inerant autem nummorum aureorum triginta millia, & cogitabat ratum se habiturum, si vel dimidiam partem Xauerius abstulisset: cùm autem relata claui intellexit trecẽtos duntaxat aureos nummos abstulisse, *Tua,* infit, *verecundia mihi iniuriam fecit. Nam multo minus sumpsisti, quam volebam. Dimidium enim totius summæ tibi dabam, dum clauem darem: at quantilla est ea particula, quam sumpsisti?* Franciscus igitur hominis sinceritatem in tanta liberalitate pernoscens, *Bonum,* inquit, *factum, mi Velli, accepta est Deo hæc tua liberalitas: ac proinde eius tibi verbis polliceor, ipsum tibi nunquam defuturum: quin & hoc insuper additurum, vt extremum vitæ tuæ diem illo indicante prænoscas.* Quibus verbis plenam fidem adhibuit Vellius, & ex eo totus alius fuit, pietate, benignitate, ceteris virtutibus. Ita post aliquot annos, accepto diuinitus mortis ac diei vltimæ nuntio, cuncta ad eam diem præparauit, & illa iam præsente celebrari suas exequias semet adstãte illarum sacrificio iussit, (adeo certus erat ea die & nõ alia emori) quo peracto valeque amicis dicto, domum repetijt, subitaque extinctus morte

S. FRANCISCI XAVERII MIRA CARITAS.

MVTVI PETITIO REDDENDI IN CÆLO.

PETRVS VELLIVS EXEQVIIS INTERFVIT VIVVS.

morte ab amicis eâdem ipsâ die elatus est. Fusiùs memorat hâc historiam noster Horatius Tursellinus lib.5.vitę S.Francisci Xauerij,cap.3.

Beatos proinde,ac térque quatérque beatos esse illos iudico,quibus sua dies extrema, Deo præsignificante, innotescit: nec possum,quin illa regij Prophetæ verba (licet aliorsum fortasse ab eo directa,in hunc sensum traham, ac votis conceptis dicam:

Psal.38. ver.5.

NOTVM FAC MIHI DOMINE FINEM MEVM: ET NVMERVM DIERVM MEORVM QVIS EST, VT SCIAM QVID DESIT MIHI. Nec vereor sanè aut curo, si quis curiositatem aut temeritatē vocet,quādo ipse mihi conscius sum bono me animo & Christi IESV amāti petere;vt ne frustra in ijs, quæ imperfecta māsura sunt & peritura,allaborē: sed ijs me dedam,quæ primò ad honorem Dei mei, deinde ad salutem animæ meæ spectare C didicero. Ita sit illi,qui semper est, & nunquam non fuit,& semper erit, omnis & ab omnibus & semper honor & gloria, in sæcula sæculorum,& vltra.

b *ACCIDIT HAVD MVLTO POST, VT DOMINVS IESVS IN SOMNIS EI APPARERET* &c.] Apparuisse Dominum S. Abercio,& præsignificasse vicinum tempus mortis, ipsa indicant eius Acta,in quibus sic græcè de illo legitur: Ὁρᾷ πάλιν ὄναρ D αὐτῷ τὸν Κύριον ἐπιστάντα, καὶ, Ἀβέρκιε, λέγοντα, ἤγγικεν ἤδη ὁ καιρὸς, ὥστε ἀναπαύεσθαί σε τῶν πόνων σου τῶν μακρῶν. *Conspicit rursus in somnis Dominum sibi adstantem & dicentem: Aberci, iam tempus appropinquauit, quò à longis tuis laboribus requiescas*. id est,quo è vita hac laboriosa emigres,& dulces diuturnorum laborum tuorum fructus, in quiete summa,percipias.

ÆTAS NVLLA VACARE DEBET LABORIBVS.

c *NEC ENIM ALIVM HABERE SE E VELLE AVT POSSE LABORVM SVORVM TERMINVM, QVAM VITÆ* &c.] Ita res habet. Nolunt generosi sanctorum animi,& munita Deo pectora alium agnoscere suorum laborum finem, quàm vitæ. Nam si oportet (vt quidam dixit profanorum Ir[illegible]atorum) Imperatorem stantem mori,qu[illegible]o magis Episcopum, Abbatem, Religiosum, adeóque omnem egregium militem Christianum gentem sanctam,re- F gale sacerdotium, homines in conspectu Dei & Regis sui pro tuendo ipsius honore, ac cælesti regno acquirendo(quod vnicum plus omnibus regnis est,& æternùm perdurat) gloriosissima in arena decertantes. Si quis enim,quamlibet senex ac decrepitus, quasi aliquo ætatis suæ priuilegio sibi quiescendum,& hactenus partis in otio deinceps perfruendum existimet; næ is tanto indignus regno est, ac velut ante mortem A mortuus. Et sanè qui hic quietem quasi factorum mercedem recepit, quid alibi habere speret, quod iam habuit? Laboriosam enim iuuentutem otiosa ac deliciosa senectus compensauit. Lignum proinde exsuccum & aridum ad quid valet, nisi vt comburatur? Quare cùm magnus ille Rex,& sapientissimus Propheta Dauid hæc perspicaci prouideret oculo, atque admodum reformidaret, clamabat sollicitus ad Dominum, ac dicebat: *Ne proyicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. minimè scilicet ignorans quàm plurimos ab incepto vitæ cursu, post multas superioris ætatis palmas, tandem in fine ac proximè ab ipsa meta turpiter ac propudiosè deficere. Quocirca ego quidem ita me sentio in pręsenti animatum, vt si quis mihi post aliquammultos annos iam seniori suggestum venerit: *Senex es,& viribus debilis; non est is tibi, qui olim fuit,vigor: quiescendum deinceps est, & cessandum à laboribus, vti & ætas deuexa te admonet*; ego ipsi responsurus videar, aut certè debeam: *Quid? Ego si in stadio currerem, & aliquò vsque haud infeliciter antehac cucurrissem, an me oporteret vicinum iam metæ, & propinquum victoriæ, cursum remittere, an è contrario magis intendere? Atqui si omnes, qui Christiano censemur nomine, in Christi stadio (vti liquidum est) ad propositum nobis brauium decurrimus, vt comprehendamus, quidni ego tamdiu curram, donec comprehendam?* Ita enim & Abercius ille noster cucurrit: ita & ante illum Apostoli, ita & quicumque eos secuti nunquam retro respexerunt, sed ad anteriora semper contendentes,iuerunt de virtute in virtutem, & semel conceptum animo calorem nunquam siuerunt deferuescere. Tales in eremo ad extremam vsque senectutem se præstiterunt illi principes ascetæ, Paullus, Antonius, Hilarion, ambo Macarij, & alij haud numero pauci, quos liber SS. Patrum, & liber vitæ continet. Talis inter cœnobitas Bonosus S. Seuerini Noricorum Apostoli discipulus, de quo in magistri vita scribitur: *Quadraginta fere annis in monasterij excubijs perseuerans, eodem quo conuersus est fidei calore transiuit ad Dominum*. Talis & Bernardinus Senensis de quo in eius vita hoc elogium: *Nunquam auertit pedem extra vias rectas, nec à primo tepuit proposito*. Talis & B. Lutgardis inter virgines,de qua cùm eius ęmulæ dicerent? *Sinite eam, dum feruor in motu est: vbi ille tepuerit, non absque rubore redibit ad ea, quæ nunc stulta contemnit*. Atqui ad ea nunquam rediuit. Nam nimis formidolosa, ne id accideret, ad beatissimam confugit Deiparam, tantúmque à se malum

Psalmo70. ver.9.

SENES IN DEI SERVITIO INDEFESSI.

FERVOR VIRTVTIS AD FINEM CONTINVATVS.

lum feruidè constantérque deprecata est: A vnde multa inter alia solatia, etiam illud accepit multò optatissimum: *Non minuetur in te gratia & virtus, sed cumulabitur.* O si mihi, & omnibus, qui Deum amant, id eueniat! liceátque nobis de statu virtutis, animique robore, iisdem vti verbis, quibus ille quondam terræ promissionis explorator Caleb, de valetudine, fortitudinéque corporis, ad ducem Iosue vsus esse legitur: *Hodie octoginta quinque annorum sum,* B *sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* O si talis, inquam, in nobis esset, ac perseueraret animi fortitudo, tam ad bellandum contra communes salutis nostræ hostes, quàm ad gradiendum ad excelsa virtutum cacumina, quale illi corporis robur aduersus populos sibi resistentes fuit, aut qualis nobis C ipsis in primo Religionis, velut terræ promissionis, ingressu, feruor ad cursum ac profectum in virtute exstitit!

Iosue 14. ver. 11.

d *CVI ET EPIGRAMMA INSCVLPSIT* &c.] Acta græca totius sepulchri ac monumenti structuram sic describunt:

SEPVLCHRORVM EPIGRAMMATA, SEV INSCRIPTIONES.

Καὶ λίθον τινὰ τετράγωνον, μήκός τε καὶ πλάτος ἴσον, τάφον ἑαυτῷ κατασκευάζει· καὶ τὸν βωμὸν, ὅς ἐκείνου προστάξαντος ἀπὸ Ῥώμης ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἐκεῖ μετηνέχθη, τῷ λίθῳ ἐφίστησι, τοιόνδε τι αὐτῷ ἐπίγραμμα ἐγχαράξας. &c. D *Et lapidem quendam quadratum longitudine ac latitudine æqualem, sibi tumulum facit; & aram quæ ipso iubente, Roma à Dæmone illuc translata erat, lapidi imponit, tale illi epigramma inscribens.* aræ scilicet, non autem subiecto lapidi. Quamuis & ara illa nihil aliud, quàm prægrandis lapis fuit, nec aræ nunc vicem retinens, tametsi antiquo nomine hîc appelletur. Quàm grandis autem E fuerit, è longitudine insculpti epigrammatis intelligi potest: quod minimùm viginti tribus longis versibus constabat: vt mox videbitur. Fieri tamen potest, vt idem lapis vtrimque fuerit inscriptus. Nam inter monumenta Christianorum, apud Gruterum, inuenies, paginâ CIↃ. LVI. numero. 1. vnum eiusmodi lapidem, vtrimque inscriptum. Deinde pag. M. C. XXIII. vnam monumenti inscriptionem habet multò F quàm hæc sit Abercij longiorem, quippe constantê distichis viginti tribus. Quæ porrò tumulis, aut supra tumulos inscribebatur, vulgò appellabantur epigrammata, epitaphia, tituli, elogia seu prosa cuderentur, seu versu. Nam, vt alterutro, vsus obtinuit. Erant quidem illa antiquitus breuia, vt duorum fere aut quatuor summùm carminum, post autem ad plura, vt cuique voluntas fuit, apud Latinos præsertim, excreuerunt.

Nam Plato cauerat, ne lapis sepulchro impositus maior esset, quàm qui quatuor versus heroicos caperet, vt de illo auctor est Tullius libro 2. De legibus extremo, *Extruit autem vetat sepulchrum, inquit, altius, quàm quod quinque homines quinque diebus absoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam quatuor heroicis versibus, quos longos appellat Ennius.*

LEX ANTIQVA DE SEPVLCHRIS.

Quod autem ad nostrum hoc S. Abercij spectat epigramma, non pigebit geminum laborem hic suscipere: vnum, referendi fideliter codicum græcorum manu scriptorum formam & verba: alterum redigendi illa in seriem carminum. Nam idem epigramma heroïcis exaratum versibus fuisse, partim integra, partim dimidiata carmina declarant: quamuis & descriptores græci, & latini interpretes, in formam solutæ orationis, ad nos transmiserint. Ita enim priores.

Ἐκλεκτῆς πόλεως πολίτης τόδ' ἐποίησα ζῶν· ἵν' ἔχω καιρῷ σώματος ἐνθάδε θέσιν, τοὔνομα Ἀβέρκιος, ὁ ὢν μαθητὴς ποιμένος ἁγίου, ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας ὄρεσι, πεδίοις τε· ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους πάντα καθορῶντας. Οὗτος γάρ με ἐδίδαξε γράμματα πιστά· εἰς Ῥώμην ὃς ἔπεμψεν ἐμὲ βασιλείαν ἀθρῆσαι, καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον. Λαὸν δὲ εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα· καὶ Συρίης πέδον χώρας εἶδον καὶ ἄστεα πάντα, Νίσιβιν, Εὐφράτην διαβάς· πάντας δ' ἔσχον συνομηγύρους, Παῦλον ἔποθεν· Πίστις δὲ πάντη προῆγε, καὶ παρέθηκε τροφὴν ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς παμμεγέθη, καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνὴ, καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἐσθίειν διὰ παντὸς, οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.

Ταῦτα παρεστὼς εἶπον Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι, ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἄγων ἀληθῶς· ταῦθ' ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ Ἀβερκίου πᾶς ὁ συνῳδός. Οὐ μέντοι τύμβον ἕτερον ἐπ' ἐμοῦ ἐπάνω θήσει· εἰ δ' οὖν Ῥωμαίων ταμείῳ θήσει δισχίλια χρυσᾶ, καὶ χρηστῇ πατρίδι Ἱεραπόλει χίλια χρυσᾶ.

Hactenus epigramma græci codicis M. S. Cuius interpretatio apud Aloysium Lipomanum, Veronensem Episcopum, tomo sexto Vitarum, Romanæ editionis, ad XXII. Octobris sic habet.

EPITAPHIVM S. ABERCII, VT EXSTAT APVD LIPOMANVM.

Electæ vrbis ciuis hoc viuens feci, vt hic tempore habeam posituram corporis, nomine Abercius. Qui sum discipulus pastoris casti, pascentis ouium greges in montibus & agris, ac magnos habentis oculos omnia intuentes. Is enim me docuit litteras fideles, Romam qui me misit ad videndum imperium, & Imperatricem aureis vestibus & calceis: Illic autem vidi populum præclarum, insignes annulos in manibus gestantem. Et Syriæ regionis campum vidi,

vidi, & omnia oppida, Nisibin, & Mesopotamia transmisso Euphrate. Habui autem omnes ad eandem venientes concionem, & Paullum intrinsecus. Fides autem omnino produxit, & apposuit nutrimentum, piscem ex fonte ingentem, quem purum apprehendit virgo casta, & eum perpetuo edendum tradidit amicis, vinum habens bonum, quod dat cum pane temperatum. Hæc adstans Abercius iussi, vt scriberentur, septuagesimum secundum annum verè agens. Hæc cogitans orauerit pro Abercio, quicumque nobiscum sentit. Non tamen alterum tumulum mihi, neque hoc in superiori loco imponet aliquis. Quod si fecerit, Romano ærario soluet bis mille aureos, & bonæ patriæ Hierapoli mille aureos. Ita ibi.

Haud porrò dubium, quin cuncta græ-

A cè modò allata, & fuerint, & sint (si paullulum in ordinem redigãtur) carmina: tametsi manca quædam, hiulca alia, nonnulla confusa, & conturbata, pauca verò prorsus integra, & numeris omnibus absoluta: non quidem ex conditoris vitio, vt opinor, sed ex iniuria temporis, lapides & marmora exedentis; aut etiam (quod non rarò accidit) ex librariorum vel ignorantia, vel oscitantia. Conabor autem ea nonnihil ad nu-

B meros suos reducere saltem ex parte. Nam alius postmodum exorietur, qui meliorum ope codicum, quod defuerit, absoluat. Ego Parisiensi visus sum, quem mihi noster Iacobus Sirmondus ἄντος φίλων *flos amicorum* inibi commodauit. Ita igitur scribenda mihi videntur & ordinanda:

1. Ἐκλεκτῆς πόλεως τόδε ζῶν ποίησα πολίτης.
2. Ὡς ἂν ἔχω καιρῷ τοῦ σώματος ἐνθάδε θήκην,
3. Τοὔνομ᾽ Ἀβέρκιος, ὢν ὁ μαθητὴς ποιμένος ἁγνοῦ,
4. Ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας, ὄρεσίν τε, πέδοις τε.
5. Ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους πάντ᾽ εἰσορόωντας.
6. Οὗτος γάρ μ᾽ ἐδίδαξε -- -- -- γράμματα πιστά,
7. Εἰς Ῥώμην ὃς ἔπεμψεν ἐμὲ, βασίλειον ἀθρῆσαι,
8. Καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον.
9. Λαὸν δ᾽ εἶδον ἐκεῖ, λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα.
10. Καὶ Συρίης χώρας εἶδον, καὶ ἄστεα πάντα,
11. Νίσιβιν, Εὐφράτην διαβάς -- -- -- -- --
12. Πάντας δ᾽ ἔχον ὁμηγερέας, καὶ Παῦλον ἔσωθεν
13. -- -- -- -- -- -- -- -- πίστις δὲ προῆγε
14. Πάντῃ, καὶ παρέθηκε τροφὴν, ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς
15. Παμμεγέθη, καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνὴ,
16. Καὶ τοῦτον παρέδωκε φίλοις ἔσθειν διὰ παντὸς,
17. Οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ᾽ ἄρτου.
18. Ταῦτα παρεστὼς εἶπον Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι,
19. Ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἦγον ἀληθῶς.
20. Ταῦθ᾽ ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ μου πᾶς ὁ συνῳδός.
21. Οὐ μέν τις τύμβον ἕτερον ἐπ᾽ ἐμοῦ ἐπιθήσει.
22. Εἰ δ᾽ οὖν, Ῥωμαίων ταμείῳ δισχίλια θήσει,
23. Καὶ χρηστῇ πατρίδ᾽ Ἱεραπόλει χίλια χρυσᾶ.

Hanc græci epigrammatis restitutionem si admittat æquus lector, hanc latinam totidem versibus interpretationem vt ne reiiciat, pro pari beneuolentia postulo,

EPITAPHIVM S. ABERCII AB IPSOMET COMPOSITVM.

1. *Vrbis ego electæ ciuis tumulum huncce peregi*
2. *Viuus; in hoc olim iaceant vt membra silentis,*
3. *Nomine Abercius, innocui pastoris amicus*
4. *Sectator, pascentis oues in montibus, atque*
5. *In campis: magno qui lumine cuncta tuetur.*
6. *Is me doctrina docuit sacra verba fidelis:*
7. *Is Romam misit: vidi hîc palatia regni,*
8. *Augustámque stolis, soleísque micantibus auro*
9. *Ornatam: & populum, digitos cui fulgidus ambit*
10. *Annulus: & Syriæ terras, atque oppida vidi;*
11. *Nisibin, Euphratem transgressus -- -- -- --*
12. *Collectósque habui cunctos, intus quoque Paullum.*
13. *-- -- -- - Fides mihi vbique præiuit,*
14. *Apposuítque cibum, piscem de fonte perenni*
15. *Prægrandem, purum, quem virgo pudica prehendit,*
16. *Proposuítque suis vescendum semper amicis:*
17. *Et quod habet vinum eximium, cum pane propinat.*

18. *Inscribi hæc tumulo volui ipse ego Abercius adstans,*
19. *Qui decies septem, atque duos vixi insuper annos.*
20. *Hæc noscens prece me adiutet, quisquis pia mecum*
21. *Sentit; neu mi aliquis tumulum tumulo superaddat.*
22. *Aut det Romuleis auri duo millia gazis:*
23. *Hierapolique, bonæ patriæ, insuper altera mille.*

Hæc igitur est nostra græcorum versuum A interpretatio, secuta quidem sensum, non verba. Ac ne quis putet solo arbitratu meo lacunas, vbi non essent, fodisse; sciat non solùm ex connexionis ipsorum versuum necessitate, sed etiam ex ipsis Actis, manifestò prodi, aliquid ad integritatem & sinceritatem deficere. Nam eidem epigrammati proximè subditur: Τὰ μὲν δὴ τοῦ ἐπιγράμματος ὧδέ πως ἐπὶ λέξεως εἶχεν· ὅτι μὴ ὁ χρόνος ὑφεῖλε κατ᾽ ὀλίγον τῆς ἀκριβείας, καὶ ἡμαρτημένως ἔχειν τὴν γραφὴν παρεσκεύασεν. *Inscriptio quidem sic se habebat ad verbum; sed tempus ex ea aliquid detraxit, & effecit, vt nonnihil postea desideraretur.* Ita versio Lipomani. Sed melius sic reddideris: *nisi quod tempus pauxillum integritati detraxit, & scriptum vitiosum reddidit.*

ALOYSII LIPOMANI VERSIO CORRECTA.

Iam vt emendationis reddamus rationem, coniecturámque nostram, dum melior proferatur, nonnihil stabiliamus: in primo quidem versu exigua (vt conferenti patet) mutatio facta est; atque in secundo item nonnulla, ac præsertim, quòd θήκην *thecam, loculum, conditorium* loco θέσιν *positionem seu positvram* reposuerim. Nam & vox θήκη theca magis congruit, magisque vsitata est, pro *sepulchro*. Qua & Plato ipse vsus est, libro 12. De *legibus*, post medium; vbi vetat sepulchra & monumenta fieri in locis arabilibus, aut fertilibus; sed in ijs tan- D tùm, quæ ad nihil aliud valeant. Verba eius sunt: Θήκας δ᾽ εἶναι τῶν χωρίων, ὁπόσα μὲν ἐργάσιμα, μηδαμοῦ, μήτε τι μέγα, μήτε τι σμικρὸν μνῆμα· ἃ δ᾽ ἡ χώρα πρὸς τοῦτ᾽ αὐτὸ μόνον φύσιν ἔχει. *Sepulchra autem esse in ijs locis, quæ arabilia sint, nequaquam permittendum; neque item monumentum vllum, seu magnum, seu paruum: sed in ijs tantùm, vbi locus ad hoc ipsum duntaxat naturam habet.* Hunc Platonis locum, eiusque interpretationem magis diffundit E M. Tullius libro 2. *De legibus* extremo, vbi sic scribit; *Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulchris autem dicit hæc: Vetat ex agro culto, eóue qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro: sed quæ natura agri tantummodò efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit, eam F nequis nobis minuat, neue viuus, neue mortuus.* Ita Cicero: qui Platoni vocem θήκας interpretatus est *sepulchra*. Eandem vocem recenset Iulius Pollux lib. 3. onomastici, cap. 19. inter eas, quæ ad rem sepulchralem pertinent. Et quia in hisce nostris Sanctorum vitis sæpe facienda erit sepulchrorum atque exequiarum mentio; bonum factum iudico, totum istud caput, quod de illis est & solis (presertim quòd breue & clarum sit) hic apponere. Sic igitur habet: Ἐρεῖς δ᾽ ἂν τάφος, μνῆμα, μνημεῖον, μνημόσυνον, ἠρίον, θῆκαι, σοροί, πύελοι, λῆνοί, χῶμα. χῶσαι, χῶμα ἐγεῖραι, χῶμα περιβαλέσθαι, στήλην ἀναστῆσαι, ἐπίγραμ- B μα ἐπιγράψαι, χοὰς χέασθαι, ἐναγίσαι. ἐναγίσματα, κτερίσματα, προθέσεις, ἐκφοραί, ἔννατα, τριακοντάδες, γενέσια, νεκύσια. Ταῦτα γὰρ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ἀπηλλαγμένων ἐνενόμιστο. *Dices igitur, sepulchrum, monumentum, memoriale, mnemosynon, tumulus, conditoria, loculi, vrnæ, labella, gleba: tumulare, tumulum erigere, glebam inijcere, columnam statuere, epigramma inscribere, libamina infundere, iusta persoluere: iusta, exequiæ, inferiæ, propositiones, elationes, nouendia-* C *lia, tricenaria, natalitia, funeralia. Hæc enim circa defunctorum curam legitima sunt.*

VOCES AD EXEQVIAS, ET AD SEPVLCHRA PERTINENTES.

Ita Pollux: qui sanè non pauca eiusdem generis, tametsi vsu tritissima, prætermisit. Qualia sunt: τύμβος, ἠρίον, τράπεζα, ἐπιτάφιον, κενοτάφιον. &c. *Bustum, tumulus, mensa, epitaphium, cenotaphium.* &c. Item θάπτειν, κηδεῦσαι, κηδεύεσθαι, χοὰς ἐπιφέρειν, *sepelire, condere, tumulare, terram inijcere,* & alia complura. Sed nec illi, nec mihi studium fuit cuncta colligere. Videndus tamen est Tullius lib. 2. De legibus, sub finem, vbi multa pulchra de funeribus, exequijs, sepulchris, & hæc inter alia: *De sepulchris autem,* inquit, *nihil est apud Solonem amplius, quam nequis ea deleat, neue alienum inferat: pœnaque est, siquis bustum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum,* inquit, *aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.*

LEGES DE SEPVLCHRIS.

Itaque Cicero τύμβον *bustum* interpretatur, & στήλην *columnam*: sicut & libro 5. Tusculanarum quæstionum, *columellam*: vbi agens de Archimedis sepulchro à se perquisito, & reperto vnà cum epigrammate nonnihil exeso, sicut de illo Abercij dicebamus, ita infit: *Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Acraganas magna frequentia sepulchrorum) animaduerti columellam non multùm è dumis eminentem: in qua inerat sphæræ figura & cylindri: atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum; quò cùm patefactus esset aditus, ad aduersam basim accessimus: apparebat*

parebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Græcia ciuitas, quondam verò etiam doctissima, sui ciuis vnius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Ita ille.

Mensæ autem, & labella, quæ itidem ad sepulturam pertinent, ita meminit extremo libro secudo De legibus, agens de Demetrij circa sumptus funerum constitutione, *Iste igitur*, inquit, *sumtus minuit, non solùm pœna, sed etiam tempore. Ante lucē enim iussit efferri. Sepulchris autem nouis finiuit modum. Nam super terræ tumulum noluit quicquam statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum & huic procurationi certum magistratum præfecerat*. Sic ibi.

Mensa, de qua hoc loco, lapis erat in mēsæ formam quadratus, sepulchro imponi aptus. Qualis fuit illa S. Abercij ara Hierapolim ab vrbe Roma dæmonis ministerio translata, & illius sepulchro imposita.

Labellum autem & labrum, lapis concauus ad labri formam sepulchris apponi olim solitus.

Redeo ad versus, & eorum vnâ operâ explicationem.

In 3. versu, leui mutatione, quod prosa credebatur, factum est carmen, nempe pro ὁ ὢν, restituto ὢν ὁ. & pro ἁγίῳ, *sancti* reposito ἁγνοῦ *casti*, quo etiam modo videtur habuisse codex Lipomani, quandoquidem verterit *casti*. Eodem autem redit sensus.

Vocat se porrò Abercius discipulum pastoris casti, id est, Christi boni pastoris, non quasi eius auditor fuerit, aut è 72. discipulis vnus, qui primo vixerunt sæculo, sed quia disciplinę eius per Apostolos & viros Apostolicos acceptæ sectator.

In 4. versu, duarum vocum perparua emendatio numerum reddidit aliàs deprauatum: similiter & in quinto.

Versus 6. deficiente in medio vna atque altera voce mancus restitit, nec propius fidei quicquam existimo, quàm has duas voces λόγους, *artes* &, exesas vetustate intercidisse, & versum primitus ita scriptum fuisse:

Αὐτὸς γάρ μ' ἐδίδαξε λόγους καὶ γράμματα πιστά.

Hic me artes docuit, docuitque fidelia scripta .i. docuit me eloquentiā & sacras litteras, quæ sunt verissime scripta fidelia, cùm exhibeant fidei Christianæ documenta multò certissima.

In octauo versu vltima dictio χρυσοπέδιλον vitiat quantitatem, fortè in alterius vicem supposita est, quę inchoabatur à vocali, qualis ἰσοπέδιλον *similem calceis*, vt dicatur Augusta habuisse stolam auream & similes calceos. Nam ἀργυρόπεζαν *argenteos pedes habentem*, Homeri epitheton de Thetide, minùs placet, tum quia longiùs abest à corruptæ vocis similitudine, tum quia ad nudos pedes respicit, epitaphium autem ad ornatos. In decimo vox πεδίον superfluit, & sine illa constat carmen & sensus.

Vndecimus & decimus tertius mutili sunt, vnus extrema parte, alter prima: nec facilè emendabiles.

Reliqui versus (excepto 19. vbi in voce ἑβδομηκοστὸν neglecta est quantitas) haud magno labore emendati sunt.

Verùm enimuerò, inquiet aliquis, ecqui possit istud epigramma tam vanum ac tumidum, adeòque meram terram redolens, viro tam sancto, tā modesto, tam ab humo & cunctis rebus terrenis eleuato cōuenire? Difficile enim erit viris sapientibus, tantæ inter hunc & illud discordiæ assensum præbere. Age igitur, exigit res ipsa, vti apparet, quæstionem. Hæc tractetur, & argumenta proferat, quibus epigramma istud labefactetur, si minus solidum; & firmamēta subministret, quibus magis fulciatur, si solidū.

QVÆSTIO.

An epitaphium seu epigramma inscriptum tumulo S. Abercij eiusmodi sit, vt eius grauitatem ac sanctimoniam dedeceat?

SVnt, quibus dedecere videri possit, ex sequentibus argumentis:

Primò, quia in carmine sexto & tribus sequentibus, de suo Romam itinere nihil aliud dicit, quàm se ibi vidisse palatium, & Imperatricem superbè vestitam, & populum fulgidos annulos gestantem: quæ leuitatem ac vanitatem sonant hominis curiosi magis, quàm viri sancti.

Secundò, in proximis versibus, vbi se adiisse Syriā, & transgressum esse Euphratem, & populos congregasse, & intus Paulum habuisse memorat, quid ex eo nisi arrogantia & iactantia colligi potest? Nam & de populorum ad conciones suas concursu gloriatur, & de se velut altero Paullo prædicandi Verbi feruorem extollit. Quod ab aliorum sanctorum modestia longè recedit.

Tertiò, quæ de pisce, virgine, vino, pane afferuntur, mera sunt ænigmata; aut si ad litteram accipiantur, pura deliria.

Quartò & postremò, vt alia omittantur, quid hoc ad virum Christianum & sanctū attinet, vetare ne suo tumulo alius superimponatur, & contrà facienti multam imponere Romano ærario inferendam? Et vnde eius imponendæ multæ auctoritas? Aut quæ eius gratia? Quanto enim melius in pauperes Christianos, quàm in Dominos infideles ea pecunia insumeretur?

Hæc

Hæc à parte epitaphium impugnante opponuntur, sed pro altera illud propugnante ista statuitur conclusio.

CONCLVSIO.

Tantum abest, vt epitaphium illud, seu epigramma propositum, viri dedeceat grauitatem ac sanctimoniam, vt potius maxime eam commendet, atque insignem eius sapientiam planissime commonstret.

HVius veritas conclusionis facilè ab eo concipietur, qui altam Abercij mentem, & ipsi propositum excitandæ pietatis scopum attētiùs considerauerit. Nam cùm magna per illum Deus fecisset, quorum non esset æquum omnem excidere memoriam, ita ipse (permouente intus Dei Spiritu) incidi in petram, rerum à se gestarum mentionem voluit, vt illa & Gentiles lateret, ne cauillarentur; & Christianis pateret, vt imitarentur. Sub allegoria igitur & mysterijs fideli populo satis familiaribus, sed tamen à communi sensu & gentilitio captu alienis, quid fuisset ipse, quam religionē secutus esset, quas peregrinationes obiisset, quæ sacramenta administrasset, quos cœtus habuisset, quàm breuissimè ad posterorum memoriam indicauit.

Cùm igitur se vocauit *vrbis electæ ciuem*, Christianos ad cęlestem illam Hierusalem, verè electam & dilectam respicere admonuit, & illud Paulli ad Ephesios cap. 2. ver. 19. in memoriam quodammodo reuocauit: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamētum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo IESV.* & illud Ioannis, Apocalypseos 21. ver. 2. *Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Nam & Menæum in elogio tertio post acrostichidem id videtur indicare, dum illum ciuitati comparat supra montem positæ, & addit eundem fecisse vrbem suam, heredem supernæ ciuitatis. Verum tamen est, quòd etiam ipsa Hierapolis, terrena eius ciuitas, per electam vrbem intelligi possit, quippe iam ad fidem ab eo adducta, & tota fere Christiana.

Ad Ephesios cap. 2. ver. 19.

Apocal. 21. ver. 2.

Cùm autem vocauit se discipulum pastoris casti, pascentis oues in campis & mōtibus, & magnos habentis oculos cūcta intuentes, satis intellexerunt de illo agi, qui dixit: *Ego sum pastor bonus.* &c. ac se admoneri, vbicumque sint, se esse in præsentia Dei, qui omnia videat, ac penetret etiam intima cordium: cùm interea Gentiles de tali aliquo pastore, (qualis Argus ab ipsis fingitur) toto oculeo, fortè cogitarent.

Per *litteras fideles* porrò, aut *scripta fidelia*, indubiè Scripturam sacram ijdem fideles intellexerunt, cuius intelligentia fuerit illi tradita diuinitus: Gentiles autem ad artes liberales respexerunt.

Quod verò dicit se missum Romam ad vidēdum imperium, aut imperij palatium, & Imperatricem aureis vestibus & calceamentis pretiosam &c. hoc agit, vt & Gentiles caussa lateat profectionis, & Christiani recordentur eum ad liberandam à dæmonio filiam Imperatoris M. Aurelij Antonini, Lucillam nomine, L. Vero Imp. desponsam missum fuisse, quod ignorare Gētiles volebat, ne id Imperatrici vitio aut ignominiæ verteretur. Nam Christiani ex eo, quòd diceret se à Deo missum Romam, satis videbant quo modo esset accipiendum id quod addebat: *ad videndum palatium Imperij, aut Imperatricem*, nempe (vt terminis Philosophorum ac Theologorum loquar) non caussaliter, sed consecutiuè, hoc est; cùm caussa fuerit, curatio filiæ Imperatricis, inde consecutum est, vt & illam videret, & matrem eius Faustinam Imperatricem, & alia quæ ibi memorat. Ita quondam Samuel propheta, cùm à Domino missus esset in Beth-lehem ciuitatem ad vngendum Dauid in Regem, iussus est dicere: *Ad immolandum Domino veni*, tametsi non ad hoc potissimùm venerat, sed ad vngendum, vt dixi, Dauidem: cui tamen vnctioni, quò res ea tegeretur, prætexta est & connexa immolatio. Quare senioribus ciuitatis eius aduentum admirantibus, & in occursu sciscitantibus: *Pacificusne est ingressus tuus?* respondit: *Pacificus: ad immolandum Domino veni.* Sic & locus ille Matthæi, cap. 5. ver. 1. intelligendus ēst, vbi dicitur: *Tunc IESVS ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

1. Regum, cap. 16. ver. 2.

Ibid. ver. 4.

Matthæi 5. ver. 1.

Non enim propterea directè & caussaliter, vt sic loquar, ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo, sed vt oraret Patrem, & 40. dies ieiunaret: quo ex ieiunio consecutura erat tentationis occasio in satana; in Christo autem, victoriæ. Hinc Marcus cap. 1. & Lucas 4. non dicunt, vt tentaretur à Diabolo: sed Marcus quidem: *Et tentabatur à satana*, Lucas autem, *Et tentabatur à diabolo.*

Marci cap. 1. ver. 13. Lucæ 4. ver. 2.

Iam autem indicatio peregrinationis in Syriam, & trans Euphratem, aliaque eiusmodi, salutarem eius fidei zelum Christianis detegunt, posteris ad imitationem propositum, Gētilibus autem incognitum, vtpote quibus nihil aliud de illis veniat in mentem cogitare, quàm simile quippiam Vlyssis aut Æneæ erroribus, aut saltem multarum terrarum (quod magni apud homines

homines vulgò æstimatur) peragrationem.

Denique reliqua omnia eiusdem epitaphij ita dicta sunt, vt nulla esse possit, aut debeat, nec Christianorum, (quorum sit omnia in optimam partem trahere) nec Gentilium, (qui nihil a suis institutis dissonum deprehendant) merita offensio. Quod ex oppositorum argumentorum repulsione, & versuum expositione clariùs ac certiùs intelligetur.

I. ARGVMENTI REFVTATIO.

Ad primum ergo quod attinet, respondeo commendationem illius Romani itineris non habere apud Christianos, (quibus caussa profectionis ex ijs S. viri sancti Actis nota sit) quicquam leuitatis aut vanitatis; sed potiùs multum prudentiæ ac sapientiæ, tam in tegendo Lucillæ mox Imperatricis opprobrio, quàm in sua patrati miraculi virtute dissimulanda: apud Gentiles autem, illa eorum, quæ Romæ viderat, declaratio, & magnificentiæ Romanæ in vestibus, in annulis expositio non potest non grata esse atque accepta: siquidem & ipsi in suis historijs eam non prætereunt. Magna porrò fuit Romanis, & maior ferè quàm vlli nationi circa annulos ambitio. Vnde signanter hac ætate, hoc est, secundo Christi sæculo eam noster denotauit Abercius: quemadmodum paullò antè & eodem propè æuo ipse fecerat Plinius. Nam libro 33. naturalis historiæ, cap. 1. sic eandem ambitionem & vanitatem sugillauit: *Pessimum*, inquit, *vitæ scelus fecit, qui anulum primus induit digitis: nec hoc quis fecerit, traditur. Nã de Prometheo omnia fabulosa arbitror; quãquam illi quoque ferreum anulum dederit antiquitas, vinculumque id, non gestamen intelligi voluerit. Midæ quidem anulum, quo circumacto habentem nemo cerneret, quis non etiam fabulosiorem fateatur?* Et infra: *Quanquam & de nomine ipso ambigi video. Græci à digitis appellauere: apud nos prisci vngulum vocabant: postea & Græci & nostri, symbolum.*

Plinius l. 33. hist. cap. 1.

MIDÆ ANVLVS HABENTEM REDDENS INASPECTABILEM.

Innuit scilicet hic Plinius à Græcis vocatum δακτύλιον, *dactylium* (Nam δάκτυλος illis est digitus) sed pòst à signando vocatum esse signum, seu sigillum, quod græcè σφραγὶς dicitur: qua voce hic vsus est Abercius. Duplex enim fuit anulorum vsus, alter ad obsignationem, alter ad ornatum. Quæsitus est autem posteris temporibus magis ornatus & opinio dignitatis, quàm necessitatis aut vtilitatis ratio. Idem & ibidem Plinius, *Longo certè tempore*, inquit, *ne senatum quidem Romanum habuisse aureos manifestum est. Siquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publicè dabantur: credo, quoniam ita exteris honoratissimi intelligebantur: neque alijs, vt mos fuit, quam qui ex ea caussa publicè accepissent, vulgóque sic triũphabant. Et cum corona ex auro Hetrusco sustineretur à tergo, anulus tamen in digito ferreus erat, æquè fortunæ triumphantis & serui coronam sustinentis.*

TRIVMPHANTIS HABITVS.

Et paullo pòst, de primo institutore, & gestandi modo sic ait: *Et quisquis primus instituit, cunctanter id fecit, læuisque manibus ac latentibus induit, cùm si honos securus fuisset, dextrâ fuerit ostentandus. Quod si impedimentum potuit in eo aliquod intelligi, etiam consertoris vsu argumentum est, maius in læua fuisse, qua scutum capitur.* Rursum inferiùs indicat eam consuetudinem ferendi anulos in digitis, ferè populi Romani propriam fuisse, quandoquidem, vt ait, *nullos omnino anulos maior pars gentium, hominumque, etiam qui sub imperio nostro degunt, hodiéque habeat. Non signat Oriens aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta solis.* &c. Vnde haud mirum, si in Phrygia anulos non viderit Abercius, Romæ autem eius copiam stupuerit; cùm essent qui tres anulos vni minimo digito cõgererent, vt idem ibi testatur Plinius.

Quare per λαμπρὰν σφραγῖδα *clarum signum* seu *anulum* intelligit Abercius anulos aureos in Senatorum & Equitum Romanorum, (qui maximo numero erant) digitis splendentes. Voce σφραγὶς, pro *anulo* vsus est etiam auctor vitæ græcæ manuscriptæ S. Polycarpi, vt in Notationibus ad eãdem vitam cõsignaui. Vide ibi ad cap. VII.

II. ARGVMENTI REFVTATIO.

Ad 2. argumentum, in quo peregrinationes & concursus ad suas conciones, & Paulli in se feruorem euulgasse, illi vitio vertitur, quasi arrogantiam & iactantiam ea sonent, respondeo non omnem sui laudem esse, aut vocari debere arrogantiam aut iactantiam; sed tunc tantùm, quãdo aut personæ deest auctoritas, aut dicto nulla inest vtilitas: alioquin vbi illa adsint, sapientiæ potius & caritatis mereri nomen, aut iustæ libertatis. Quoties enim & quantas laudes suas beatus Paullus, & quàm pleno ore profudit? Nam in posteriore quidem ad Corinthios epistola, duo eius capita, vndecimum & duodecimum suis refersit laudibus, & in illo quidem priore ex duobus, versu 5. *Existimo enim*, inquit, *nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.* id est, quàm magni Apostoli. Et versu 23. dicit etiam plus se esse aut fecisse, quàm illos, nedum tantũdem, nedum minus. *Ministri Christi sunt*, inquit, *(vt minus sapiens dico) plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* &c. In cap. autem duodecimo, visiones suas & raptus, quorũ alioqui nullus erat conscius, confidenter euulgat. Alibi item multus est in suis laudibus, sed tamen veris, sed vtilibus, sed necessarijs: nec pauci itidem aliorum sanctorum, qui passim & in sacris litteris, & extra illas occurrunt, Quorum exemplo quidni & Aber-

2 ad Cor. cap. 11. vers. 5.

Ibid. vers. 23.

& Abercio licuerit sancto & seni, pro iure suo, ad posterorum vtilitatem, de suis laudibus aliquid dicere? Dabant enim ætas, dignitas, sanctitas auctoritatem. Quin & posterioribus sæculis abbas Sisois, qui post magnum Antonium floruit, vicinus morti post alias Sanctorum visiones à se declaratas, dixit adstantibus; *Videte. ecce Dominus venit dicens: Afferte mihi vas electionis eremi.* Ita declarabat diuinum de se testimonium. Vide lib. 6. De verbis Seniorum, libello 3. num. 6.

III. ARGVMENTI REFVTATIO.

Ad tertium, in quo quædam ænigmaticè dicta reprehenduntur, nempe ista:

---- *FIDES mihi vbique præiuit,*
Apposuitque cibum, piscem de fonte perenni
Prægrandem, purum, quem virgo pudica prehendit,
Proposuitque suis vescendum semper amicis:
Et quod habet vinum eximium cum pane propinat.

Respondeo illa salubri consilio ænigmaticè & obscurè dicta, vt & Gentiles laterēt, & nostrorum gnaris mysteriorum vnicè prodessent: quippe his sub allegoria ænigmatica satis intelligentibus, sibi sanctissimæ incarnationis mysterium, & Venerabilis Eucharistiæ sacramentum, quæ FIDES seu sancta mater ECCLESIA proponit, commendari. Dicit enim vir sanctus, sibi FIDEM vbique præiuisse, & apposuisse cibum, piscem prægrandem, hoc est, se FIDEI luce illustratum agnouisse Christum, quem *virgo casta*, id est, Ecclesia, seu eius principale mēbrum Virgo MARIA è fonte diuinitatis, siue è paterno sinu, partim precibus, partim humilitate & castimonia, vitæque puritate elicuit: (quo designatur incarnationis mysterium) ac deinde in cruce passum, velut piscem, amoris igni assum, proposuisse cunctis fidelibus & Dei amicis, sub specie panis & vini, vescendum: quo Eucharistiæ seu sacramenti sacramentorum, communis inter sanctos & fideles vsus indicatur.

PISCIS ALLEGORICE CHRISTVS.

Dico igitur per piscem prægrandem, IESVM Christum significari, quo nihil nec in cælo maius, nec in terra præstantius: quippe Deum Dei filium, eiusdē cum Patre, vt naturæ, sic & magnitudinis atque potestatis. Nec id leuiter & absque auctoritate dico ac prædico; cùm id ab antiquissimis Patribus ita intellectum ac posteris traditum inueniā. Nam Tertullianus Scriptorum ecclesiæ latinorum primus, libro De baptismo aduersus Quintillam, cap. 1. egregiè & Christum piscem, & Christianos vocat pisciculos (quia scilicet in salutaribus baptismi aquis natos) & Quintillam mulierem hæreticam, baptismi sacramentum negantem, pisciculorum interfectricem. Ecce eius verba: *Atque adeo nuper con-*

CHRISTIANI VOCANTVR PISCICVLI.

A *uersata istic quadam de Caiana hæresi, vipera venenatissima* [Quintilla] *doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens, planè secundùm naturam. Nam feræ, viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur. Sed nos disciPuli secundùm ἰχθὺν nostrum IESVM Christū, in aqua nascimur, nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi ius erat, optimè nôrat pis-* B *ciculos necare, de aqua auferens.* En & alterum Africæ lumen Optatus Mileuitanus, libro 3. aduersus Parmenianum, initio, vbi excusat quę contra schismaticos per vim facta sunt: *Et tamen horum omnium*, inquit, *nihil actum est cum voto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere: sed gesta sunt omnia in dolore Dei amarè plorantis, & in vltionem aquæ, quam contra interdictum iterum mouistis, traducentes ad vos aquam an-* C *tiquæ piscinæ; sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intelligitur.* Et paullò pòst: *Hic est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocaretur. Cuius piscis nomen secundùm appellationem græcam, in vno nomine per singulas litteras, turbam sanctorum nominum continet, ἰχθὺς,* quod est latinè, *IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS, SALVATOR.* Sic ibi, vt nunc quidem legitur: mihi D verò videtur primitus sic scriptum: *Cuius piscis nomen secundùm appellationem græcam ἰχθὺς, in vno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, *quod est latine, Iesus Christus Dei Filius Saluator,* En & tertius Afer, S. Augustinus, libro 18. De ciuitate Dei, cap. 23. qui paullò effert explicatiùs, eorúmque originem ad Sibyllam Erythræam, aut Cumanam refert, quæ pluribus ante Christum E sęculis floruerunt. Ita ergo habet: *Hæc sanè Erythræa Sibylla quadam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in Latina lingua, versibus male Latinis & non stantibus legimus, per nescio cuius interpretis imperitiam sicut pòst cognouimus. Nam vir clarissimus FLACCIANVS, qui etiam Proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, cùm de Christo colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ: vbi osten-* F *dit quodam loco in capitibus versuum, ordinem litterarum ita se habentem, vt hæc in eo verba legerentur?* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, *quod est latinè, IESVS Christus Dei filius Saluator. Hi autem versus, quorum primæ litteræ istum sensum, quem diximus, reddunt (sicut quidam latinis extantibus versibus est interpretatus) hæc continent. &c.*

Tertull. libro. De baptismo, c. 1.

Optatus Mileuitanus lib. 3. aduersus Parmenianum initio.

Augustinus lib. 18 De ciuitate Dei, cap. 23.

ACROSTICHIDES VERSVS EXSTANTES.

Nota hic vocari ab Augustino *exstantes versus*, quos Græci ἀκροστιχίδας, *acrostichidas* appellant, hoc est, vbi capitales seu primæ cuiusque

cuiuſque verſus litteræ ſimul ordine ſuo A collectæ vocem aliquam aut ſenſum nouũ ab ipſis verſibus diſtinctum conficiunt. Sicut ſi iſtorum quinque græcorum verborum ſuprà poſitorum ſolas primas litteras accipias, & inter ſe iungas, exſurget nomen ἰχθῦς, id eſt, piſcis. *In quo nomine*, inquit idẽ Auguſtinus, *myſticè intelligitur Chriſtus: eo quod in huius mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate viuus ſine peccato eſſe potuerit.*

Iam ſi quis ipſos Sibyllæ Erythrææ verſus græcos videre optet, eos reperiet apud Euſebium in Conſtantini oratione ad ſanctorum cœtum, cap. 18. vbi non tantùm illæ quinque voces græcæ ſuprà poſitæ, ſed & ſexta reperitur, nempe Σταυρὸς *Crux.* Ibidem & verſus latinos in acroſtichidem efformatos inueniet ex verſione Ioannis Chriſtophorſoni, & apud Onuphrium in libro De Sibyllis, vtrobique meliùs latinè, C quàm apud S. Auguſtinum. Non enim ipſe Auguſtinus, ſed alius apud illum eos latinè reddidit. Pulchrè etiam S. Paullinus Auguſtini æqualis Chriſtum appellat, *piſcem aquæ viuæ*, in epiſt. 33. ad Alethium, quem de epulo omnibus vrbis Romæ pauperibus, in S. Petri baſilica, pro defunctæ vxoris ſuæ anima dato commendans, ſic inter alia: *Video congregatos ita diſtinctè per accubitus ordinari, & profluis omnes ſaturari cibis, vt ante* D *oculos euangelicæ benedictionis vbertas, corúmque populorum imago verſetur, quos quinque panibus panis ipſe verus, & aquæ viuæ piſcis Chriſtus expleuit.*

CHRISTVS, PISCIS AQVÆ VIVÆ.

S. Paullinus ep. 33.

Quemadmodum autem S. Abercius Chriſtum vocabat *pregrandem piſcem*, ſic diu poſtea beatus Proſper eundem vocauit *magnum piſcem*, nempe in libro, *De promiſſionibus*, parte 2. cap. 39. vbi agens de iecore E piſcis aſſo, quo dæmon fugatus eſt, Tobię cap. 8. dicit illo myſticè Chriſti paſſionem ſignificari, quæ animam à dæmonibus liberet, & à peccatis purget. *Hoc agit*, inquit, *piſcis magnus ex paſsione ſua Chriſtus* [quod ſcilicet Tobias iunior ex iocinore] *purgans Mariam, à qua expulit ſeptem dæmonia, animæ ſic captæ deſperationem tollens, quam ſeptem ſpiritus nequiores dum vexauerint, purgari, ſanarique etiam talem neceſſe eſt per iocinora noſtri piſcis, ſi pœnitens reuerſa intelligat, quia ex illa* F *ſpiritus maligni fugentur, eóſque caueat inimicos.* Et infra: *Qui tributum pro ſe & pro Petro dedit & cæcato lumen reddidit Paulo, ſatiãs ex ſe ipſo diſcipulos, & totiſe offerens mũdo ἰχθὺν piſcem.* Et mox: *Piſcis in ſua paſsione decoctus, cuius ex interioribus remedijs quotidie illuminamur & paſcimur.* Ita verò Chriſtus piſcis eſt, vt & piſcator ſit; ſed multò quidẽ minorum piſcium: quos ipſe ex hoc vitiorum vndoſo mari, ſuæ benignitatis ineſcatos dul-

S. Proſper lib. De promiſsionibus p. 2. cap. 39

cedine, ad aquas viuas deducit in vitam æternam ſalientes. Quod & B. Clemens Alexãdrinus, in illo ſuo planè aureo ac cęleſti hymno, in Chriſti Saluatoris laudem compoſito, ſic inter alia per breuibus verſiculis attigit:

Ἁλιεῦ μερόπων	*Piſcator hominum,*
Τῶν σωζομένων	*Qui ſalui fiunt,*
Πελάγους κακίας.	*Vitiorum in mari.*
Ἰχθῦς ἁγνοὺς	*Piſces caſtos,*
B Κύματος ἐχθροῦ	*Hoſtili ab vnda,*
Γλυκερῇ ζωῇ δελεάζων.	*Dulci vitâ ineſcans.*

Et libro 3. Pædagogi, cap. 10. agens de anulis Chriſtianorum obſignatoriis, ſuadet inter alia, vt piſcis figura in illis inſculpatur, non alia, opinor, de cauſſa, quàm vt memores ſint aquarum baptiſmi, in quibus tãquã piſciculi vitam acceperint, in Chriſto IESV poſt exutum veterem hominem renati. Sic autem ſcribit: Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, &c. *Signacula autem nobis ſint columba aut piſcis.* &c. Et paullò poſt: Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. *Ac ſi quis piſcetur, Apoſtoli meminerit, & puerorum ex aqua extractorum.* hoc eſt, hominum aquis ſalutaribus ab illo expiatorum.

Hæc de ſanctiſſimo ac ſaluberrimo piſce noſtro IESV CHRISTO, iam natante in aquis quæ ſuper cælos ſunt, & nihilominus nutriente eos qui infra cęlos ſunt, licet multò plura dici poſſint; dicta in præſenti ſufficiãt. Hunc porrò piſcem & tam ſalubre alimentum nobis appoſuit, apponitque quotidie virgo caſta, quæ eſt eccleſia mater noſtra, & non alijs quàm amicis ſuis, hoc eſt, fidei & caritatis ſuæ conſortibus, non verò exteris, non Gentibus, non Iudęis, non Hæreticis, non Schiſmaticis, non peccato, mortique obnoxijs. Hoc enim eſt, quod tacitè ſignificatum voluit ſapientiſſimus Abercius, cùm dixit:

Propoſuitque ſuis veſcendum ſemper amicis.

Minimè autem dubium videtur, quin reſpectum habuerit ad illud conuiuium, & illam menſam quam præparauit & appoſuit Sapientia, prouerb. 9. vbi dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Et infrà ver. 5. *Venite, comedite panem meum: & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Cui conſonat, quod dixit: Prouerb. 9. ver 1. Ibid. ver. 5.

Et quod habet vinum eximium, cum pane, propinat.

Et ſanè diuina & ęterna Sapientia ædificauit ſibi domum, hoc eſt, Eccleſiam, in qua omnes Chriſtiani, vt fratres inter ſeſe, ſub vno patrefamilias Chriſto Domino, concordes & vnius moris viuunt: in qua & ſeptem columnas, vt neceſſaria magnę domus

mus fulcimenta, excidit & aptauit, septem scilicet sacramenta, quibus solidè firmitérque stantibus, & ipsa solidè firmitérque cōstat Ecclesia: quibus labefactis aut subuersis tota labefactetur ac subuertatur, necesse est. Ibi & mensa proponitur admodum regia admodum deliciosa, cum pane & vino, sed pane viuo qui de cælo descendit; sed vino animas sanctè inebriante, quod de fontibus fluxit Saluatoris, seu de vite illius qui dicebat: *Ego sum vitis vera*. Nam is qui hic edendus & bibendus proponitur, & frumentum est, & panis; & vitis est, & vinum. *Quid enim bonum eius est* (inquit Zacharias cap. 9. versu vltimo) *& quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* quod aptissimè ad venerabilem accommodatur Eucharistiam, vbi Christus electos suos pascit, & potat; corpore suo pascit, vt frumento; sanguine potat, vt vino: idem scilicet efficiens in anima, quod optimum frumentum & vinum præstantissimum in corpore, quorum illud quidem fortificat cor hominis, hoc autem lætificat. Nam Christus, vita nostra perinde atque illa, & multo magis quàm illa, & animam roborat, & mentem recreat. Et panis item est, ipsomet teste, Ioannis 6. ver. 35. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* Et ver. 51. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis*

Ioannis 15. ver. 1.

Zacharia 9. ver. vltimo.

Ioannis 6. ver 35.

A *manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hæc cum intelligeret Abercius, & commendatum frequentem vsum tanti boni vellet, eius mentionem sub allegoriæ velamento incidi in sepulchro suo iussit.

IV. ARGVMENTI REFVTATIO.

Ad 4. argumentum, de alterius sepulchri vetita superimpositione, & multâ secus facienti additâ, respondeo id videri alienum à sancto viro non debere; sed magis ad eius spectare prouidentiam, quòd sepulchrum suum ac monumentum, vnde aliqua ad posteros emanare vtilitas poterat, abscondi vetuerit. Futurum enim prospiciebat (vti & nunc fieri passim à Christianis videmus) vt alia alijs sepulchra imponerentur, & antiquiorum, (quod minimè tamen decet) memoria deleretur. Leges sanè tam apud Græcos, quam apud Latinos fuerunt, quæ perinde id fieri prohiberent, pœnámque contra venientibus proponerent: vti suprà hoc ipso capite, paullò ante hanc quæstionem de Solone protulimus, & Cicero de Romanis quoque è XII. tabulis in secundo *De legibus* profitetur.

Sed & antiquæ extant inscriptiones idē, licet fugientibus litteris, commonstrantes. Quarum vna sic expressa est in opere Inscriptionum Romanarum, auspicijs Iani Gruteri, Pag DCCLXV. numero 5. vbi notabis primas syllabas aut litteras exesas.

Romæ, è regione Xenodochij S. Spiritus, ad ædes priuatas.

CILIVS. THREPTVS. ET. MANLIA. AGAPE. SE. VIVI
CERVNT. SIBI. ET. CÆCILIÆ. THREPTÆ. FILIÆ ET
ECILIO. MEDAVRO. FILIO. ET. SVIS. LIBERTIS.
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM

OC. MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE. NOSTRO. EXIAT.
VI. EXTERVM. INDVCERE. VOLVERIT. POENÆ.
OMINE. INFERET. ARCÆ. PONTIFICVM. H S. L. M. N.

Vidit Smetius.

Altera sic: Polæ, in horto quodam ad S. Stephanum.

AVIDIA. MAXIMINA.
DOMVM. ÆTERN. V.S.P.
SI.QVIS.ALIVD.CORPVS.
SVPERPOS. DET. FISCO. P.
CCC. M. N.

Est apud eundem Gruterum, Pagina DCCCCIII. num.6.

Vide & aliam Pag. MCIII. num. 6. vbi extrema verba sunt: *In hoc autem monumento quisque exterum corpus inferre voluerit, dabit reipublicæ Ostiensi S-H. L. M. N. IN fron. P.L. In agro. P. LXXIS.*

Notandum porrò inscriptionem S. Abercij non multùm abesse, ab illa secunda hic positâ, quantum ad tria. Primò enim Auidia Maximina monumentum illud, *viuens sibi posuit*, vt denotant tres illæ litteræ V.S.P. quemadmodum & S. Abercius indicat E se adstantem tumulo inscribi iussisse. Secundò vetuit aliud corpus superponi, dicens: *Si quis aliud corpus superposuerit.* Tertiò addidit

addidit pœnam: *Det fisco Polæ trecenta millia nummûm*. Credibile est enim per litteram P. intelligi vrbem, in qua situm fuit & repertũ monumentum: ita vt ipsa multã violati sepulchri cedere vrbi suæ voluerit, si quidem Polensis fuit. Est autem Pola vrbs Istriæ, colonia Romanorum, à Iulio Cæsare, qui eam deduxit, Iulia Pietas appellata, cuius situm scribit Plinius lib. 3. hist. nat. cap. 19 Quòd autem multa ipsa in commodum Romani ærarij, vrbisque Hierapoleos, potiùs quàm in vtilitatem pauperum imposita fuerit, id prudenter quoque ad finem sibi propositum ab eo factum est. Nam vrbium magistratus ferè magis publico student ærario, quàm priuatis pauperum emolumentis: quòd inde Principum venentur gratiam, hinc laborem proprium fugiant, licet vtilem alijs, tamen sibi infructuosum. Neque verò dubium erat, quin Romani magistratus eam multam rigidè essent exacturi, si quis contra tam seuerum mandatum consentiente ciuitate factum venire ausus esset. Totum autem huius facti in Abercio consilium fuit, quòd epitaphium illud, tanquam fidei Christianæ (cuius in eo nonnulla exstabant vestigia) perennare ad posteros monumentum voluerit: quò ipsi cognitâ quondam eius vetustate, in eadem fide stantes confirmarentur, aut si qui deflexissent, reuocarentur. Neque hoc sine diuino factum nutu crediderim, cui amicos suos nimis honoranti placitum fuerit, vt tanti sepulchrum Antistitis minimè occuleretur, sed consequentibus longè temporibus piè sanctéque adiretur, tam vt miraculorum eius salutaris refricaretur memoria, quàm vt infinita supremæ maiestatis (quæ tanta per eum præstitisset) bonitas commendaretur. Ac de illa quæstione hactenus: nunc ad alia.

AD CAPVT. XX.

Describitur in eo capite, S. Abercij ante obitum, laudabilis de successore idoneo prouidentia, cum declaratione imminentis ex hac vita emigrationis: deinde placidissimus & gloriosissimus in suorũ corona excessus, & habiti post excessum honores, & consecuta germanæ sanctitatis ab vtraque ecclesia, tam occidentali, quàm orientali, testimonia. Totum autem caput partim ex ipsius sancti viri Actis, partim è Menæo & Martyrologijs deductum est.

a *ECCE FILIOLI MEI* &c.] Hæc Abercij ad Clerum suum & populi primores allocutio in Actis ipsis est, & insignem eius erga Deum amorem, cum citissimè eius fruendi desiderio pulchrè repræsentat: potissimè in illis verbis: Ἄπειμι πρὸς τὴν ἐπὶ θεὸν ἐκ νέου διαγωγὴν, καὶ πρὸς ὃν μόνον ἐγὼ τὴν ἔφεσιν ἔχω, καὶ οὗ με σφοδρῶς ὁ θεῖος ἐξεκαύσεν ἔρως, ἄπειμι τοῦτον ὀψόμενος. *Abeo ad eam, quàm à puero adamaui vitam; & ad eum quem solum vnicè desidero: & cuius me diuinus amor vehementer exurit, cum conspecturus abeo.*

Vbi NOTA vocem Ἔρως *Amor* in bonam partem accipi. De qua aduersus nonnullos, qui illam in diuinis rebus non admittebant, disputauit olim magnus Dionysius Areopagita, in lib. *De diuinis nominibus*. cap. 4. productis ex ipsa Scriptura sacra testimonijs: inter quæ perperam & inepte intrusam à nescio quo quandam S. Ignatij Theophori sententiam, bonis rationibus conuicimus.

Ἔρως AMOR IN DIVINIS VSVRPATVR.

b *LATINORVM QVIDEM ANTIQVIORA MARTYROLOGIA DE S. ABERCIO NIHIL ATTINGVNT* &c. Ita prorsus est. Nec enim vetus Romanum à nostro Heriberto Rosweido editum, nec item venerabilis Bedæ, nec Adonis, nec Vsuardi, vllam eius mentionem faciunt. Nam quod in martyrologio Vsuardi ad diem vigesimam secundam Octobris reperitur, Italico, quem vocant, charactere conscriptum in hæc verba: *Die vigesima secunda, sancti Abercij Episcopi Hierapolis, qui claruit miraculis tempore Apostolorum*, id, inquam, est additio Ioannis Molani è Græcorum menologio, vti nota G. iisdem præfixa verbis indicat. Sed malè addidit ista verba: *Qui claruit miraculis tempore Apostolorum*. Multis enim annis priùs mortui erant omnes Apostoli, quàm Abercius clarescere miraculis cœperit: quippe qui vix natus fuerit, cùm B. Ioannes euangelista, postremus omnium superstes, vita excessit.

IOANNIS MOLANI ADDITIO AD VSVARDI MARTYROLOGIVM CORRECTA.

Porrò huius occasionem errati videtur ex eo Molanus accepisse, quòd Abercius à Græcis, vt suprà indicatum est, vocatus fuerit ἰσαπόστολος, *æqualis Apostolis*. At verò id intelligendum non est de ætatis aut temporis æqualitate, sed virtutum & prodigiorum, maximéque peregrinationum, quibus certè nihil, vel parum admodum, magnis concessit Apostolis; quemadmodum è capite decimo sexto vitæ suprà tradidimus, & è Menæi sacris tabulis cap. 23. post acrostichidem, elogio 4. addisci potest, quod eum nominat τὸν ἰσοδρομοῦντα τῶν θείων μαθητῶν, *diuinis Discipulis cursu parem.*

c *SED ALTERIVS QVOQVE MEMINIT AD QVINTAM DECEMBRIS*] Verba ipsius Menæi de altero Abercio martyre, ad diem quintam sunt ista:

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος μάρτυς Ἀβέρκιος ξίφει τελειοῦται.

Ἔπαθλον Ἀβερκίῳ τῆς τομῆς μέγα.
Οὐ γὰρ κάτεινες, εὔσχρος δ' τὸ ξίφος.

Quæ ita latinè reddi possunt:

N Eadem

Eadem die [quinta Decembris scilicet] *sanctus martyr Abercius gladio consummatur*. siue, *Deo immolatur & consecratur*.

Tibi sectionis grande Aberci præmium.
Nec enim oleaster est corona, sed polus.

Priorè græcis versibus (vti aduertere lector potuisti) numeris suis non constat: constabit autem, si sic emendes:

Ἐπαθλόν ἐς Ἀβέρκιε τομῆς μέγα.

In altero autem senario vox κότεινος per diphthongũ ει scripta est ab auctore: quòd ita numerus exigeret. Alioquin oleaster non est κότεινος, sed κότινος secunda breui.

S. ABERCII POST MORTEM MIRACULA.

d *PATRARE NON DESTITIT NEC MORTVVS*. Patrata esse à S. Abercio, non tantùm viuo, sed etiam mortuo miracula, testis est Menæum Græcorum in acrostichide suprà, ad litteram Ξ. Ξένος κόσμου &c. *Mundi peregrinus cum esses, ô sanctissime Aberci, noua & horrenda patrasti miracula, tam in corpore circumiens, quam à terrenis digressus*. Quòd autem dicit *noua miracula*, est hoc sanè verissimum. Nam de conseruatis vno eodémque in vasculo diuersis & se contingentibus liquoribus, vino, oleo, & aceto, aut aceti loco, quapiam alia specie, ita vt permanerent inconfusa; atque ad eius nutum singula nominatim euocata emanarent; id ita nouum est, atque insolens, vt nihil à quoquam factum hactenus simile, aut perquirendo legerim, aut conferendo audiuerim. Vnde non immeritò in eadem acrostichide, ad litteram N. vocatur χάρις ὑπερβάλλουσα *gratia supereminens*: non quidem propter rei magnitudinem (cùm suscitare mortuos sit longè maius) sed propter nouitatem.

AD CAPVT XXI. ET XXII.

Agit prius caput de scriptis S. Abercij, quæ, vt reperiantur, maximè exopto, vti & aliquando reperienda esse confido. Ac precor viros doctos & antiquissimorũ amantes Patrum, illósque præsertim, qui aut illustres condunt bibliothecas, aut eas hauriendæ eruditionis caussa adeunt ac perlustrant, aliquid vt dent spatij ad tã sancti & tam docti viri reliquias Scriptorum peruestigandas, atque illas, si quidem inuenerint, bono publico quàm primùm euulgandas. Aliud quod circa hoc caput dicam, cùm satis per se clarum sit, nihil habeo. Circa alterum, quod de zelo bono totum est, nihil itidem habeo aliud, quàm vt idem zelus illis, quorum maximè ob suam cum Deo dignitatis & gratiæ vicinitatem interest, maximè quoque commendatus sit.

AD CAPVT XXIII.

In hoc capite omnia complexus sum, quæcumque in Græcorum Menæo de S. Abercio reperire habui. In his autem nonnulla paullulùm vitiata correxi, quę hic indicabo: quædam paullo obscuriora, nonnihil in præsenti, quo cunctis planiùs innotescant, collustrabo.

S. ABERCIVS QVO MODO DICATVR ÆQVALIS APOSTOLIS.

In primis igitur, quod principiò occurrit ad maximam S. Abercij laudem, & secus à nonnullis capitur quàm debeat, est illud ἰσαπόστολος Ἀβέρκιε, *Abercy æqualis Apostolis*, quod (vt antè strictim indicaui) ita quidam ceperunt, quasi Abercius temporibus Apostolorum miracula patrasset. Verùm non ad tempus & ætatem, sed ad virtutem & facta heroica, maximéque ad peregrinationes longinquas & diuturnas ea vox referenda est: Quo etiam modo identidem ab Homero vsurpatur ἰσόθεος φώς. *vir Deo æqualis*. Iliad. β. & alibi.

MENÆI VERSVS EMENDATI.

Deinde postquam notata est breuiter dies natalis S. Abercij, nempe 22. Octobris, mox subduntur tres versus, quorum duo priores sunt iambici senarij, tertius est heroicus. Sed priorè iambicis vitiosè sic exstabat:

b Δοὺς Ἀβέρκιος χοῦν χοῖ θνητῷ νόμῳ.

Correxi igitur sola loci mutatione in duabus primis vocibus, hoc modo:

Ἀβέρκιος δοὺς χοῦν χοῖ, θνητῷ νόμῳ
Humum Abercius humo, lege mortali, exhibens

Alter autem è iambicis, quem vnico versu reddere non quiui, est:

S. ABERCIVS DEVS ADOPTIONE.

c Θεὸς θεῷ πρόσεισι τῷ φύσει θέσει.
Deus ad Deum migrauit, & propè adstitit,
Sed Deus, adoptione, natura Deo.

Nam vox θέσις hoc loco *adoptionem* significat. Quid enim aliud? Est tamen rara in hoc significatu extra compositionem. Nam in compositione, cum nomine υἱός, *filius*, vsitatissima. Quid enim vsitatius, quàm vox υἱοθεσία, *adoptio*? quæ semper in Paulli epistolis redditur ab interprete duabus vocibus, *adoptio filiorum*. Sic igitur S. Abercius vocatur Deus adoptione, siue filius Dei per adoptionem, iuxta illud Paulli ad Romanos cap. 8. ver. 15. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij; & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur*. Quibus verbis vera, & legitima, & efficax adoptio in filios Dei designatur: ita vt quicumque per gratiam & Spiritũ Dei sumus adoptati in filios, verè

Ad Roman. 8 ver. 15. & alibi.

CHRISTIANORVM A DEO IN FILIOS ADOPTIO QVAM EFFICAX.

verè ſimus filij Dei, & verè Deum appellemus patrem, & huius patris verè ſimus heredes. Ac multo quidem hæc perfectiùs in diuina conſequimur adoptione, quàm homines in humana. Nec enim homines ab hominibus adoptati, quicquam è ſubſtantia aut ſpiritu adoptantis intra ſe recipiũt, quod ipſis det vitam, quod intus corroboret, quod ſapientiam infundat, aut denique quod ſua intima præſentia vllam omnino mutationem inducat, melioréſue reddat. Quæ tamen omnia ac multò etiam plura ille noſter cæleſtis & incomparabilis Pater in nobis mirabili modo efficit. Dat enim nobis Spiritum ſuum & cum illo ac per illum vitam nouam, vitam ſpiritualẽ, in qua nos educat, fouet, auget, confirmat, omni ſapientia & ſcientia erudit, omni virtute atque honeſtate exornat, & donis plurimis (quæ tot ſunt vitæ æternæ & adipiſcendæ patriæ hereditatis pignora) tanquam filios ſuos largiſſimè cumulat. *In hoc cognoſcimus*, (inquit dilectus ille IESV diſcipulus) *quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*. id eſt, Spiritus ſui ſancti dona nobiſcum participauit, per quę nos ſibi quodam modo aſſimilauit. Quod ſi in hominum ſocietate id accideret, vt qui alterum adoptat, de ſuo ſpiritu aut animæ ſuæ virtutibus aliquid in eum transferre poſſet, ac ſibi ſimilem reddere, & quaſi alterum ſe in eo cernere, Deus bone! quot & quantæ audirentur in hominibus adoptiones! Quis enim iſtorum magnatum, diuitiis atque honoribus, & alijs mundi bonis, extra ſolos liberos, abundantium, ad iſtas adoptiones, velut quaſdam ſui ſimilium generationes, non prouolaret? Atqui etiam multò beatiùs in ſpirituali adoptione nobiſcum agitur. Nec enim Deus Pater dum nos adoptat, ſui nobis Spiritus dona & gratias tantùm contribuit, ſed & ipſum ſuum Spiritum nobiſcum ita communicat, vt verè intra nos ſit, & in nobis habitet, & nobiſcum operetur, & vnus cum omnibus nobis, qui adoptionis iſtius honore gloriamur, ſpiritus ſit. Hoc magnus Paullus innuit, dum ad Corinthios ſic inter alia: *Qui autem adhæret Domino, vnus Spiritus eſt*. Denique Deus vocari potuit Abercius eo ſenſu, quo in pſalmis dictum eſt: *Ego dixi: dij eſtis, & filij excelſi omnes*. hoc eſt, propter eximiam dignitatem ſibi à Deo collatam, ſummi ſcilicet ſacerdotis & iudicis: & tanto digniùs quidem, quàm aut veteris teſtamenti Sacerdotes ac Pontifices, aut forenſium cauſſarum arbitri ac iudices, quanto & veritas vmbræ præſtat, & anima corpori, & cælum terræ.

1. Ioannis 4. vers. 13.

1 ad Corinthios 6. vers. 17.

Pſal 81. vers. 6.

Tertius verſus græcus, qui eſt heroicus, carebat articulo ante vocem Ἀβέρκιος Abercius, quem tamen ad exactam numerorum rationem, & carminis quoque ſuauitatem requirebat. Igitur illum præpoſui, & ſic emendaui.

Εἰκάδι δευτερέῃ ὁ Ἀβέρκιος ᾤχετο γαίης.

Vicena geminaque die decedis Aberci.

id eſt, 22. Octobris. Ad illũ enim menſem & diem notatus reperitur ille verſus.

c *IN PHRYGIA SALVTARI EPISCOPVS*] Phrygia Salutaris, (quæ à recentibus Græcis Σαλουταρία *Salutaris*, è latino vocabulo, appellata eſt) diſtinguitur ab ea, quæ *Pacatiana* dicitur. Egi de vtraque ſuprà, ad cap. XVII.

f *QVEM ET SEPVLCHRO SVO, COLVMNÆ VICE, AFFIXIT*] Sepulchris colũnas apponi ſolitas ſuprà indicaui è M. Tullio, & è Iulio Polluce. Lapis ergo ab vrbe Roma Hierapolim baiulante dæmonio tranſlatus, ſiue ara illa lapidea palatij M. Aurelij Antonini fuit ἀντὶ στήλης, *pro columna* ſiue, *vice columnæ*, & in ea ſcriptum fuit epitaphium S. Abercij, quod modò verum ac germanum aſſeruimus.

g *ACROSTICHIS.*] Explicandũ eſt, quid hoc loco ſit acroſtichis. Aliter enim hîc quã paſſim apud Poëtas accipitur. Nam apud illos propriè nihil eſt aliud, quàm ſeries carminũ, è quorum primis literis, vel nomen cuiuſpiam, vel quæuis alia dictio aut ſententia conflatur. Hic autem eſt ſeries elogiorũ ſoluta oratione ſcriptorum, quorum primæ litteræ ſimul collectæ carmen efficiunt. Ex primo genere, (quod eſt vſitatiſſimum) fuerunt acroſtichides Ennij & Sibyllarũ quarundam, teſte Tullio, libro 2. De diuinatione poſt medium, vbi ſic: *Non eſſe autem illud carmen furentis*, inquit, *cùm ipſum poema declarat (eſt enim magis artis & diligentiæ, quàm incitationis & motus) tum verò ea, quæ ἀκροστιχὶς acroſtichis dicitur, cùm deinceps ex primis verſuum litteris aliquid connectitur, vt in quibuſdam Ennianis. QV. ENNIVS FECIT, id certè magis eſt attenti animi, quàm furentis. Atque in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ, primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc Scriptoris eſt adhibentis diligentiam, non furentis, non inſani*. Ita Cicero. Vbi quidem indicat Enniũ breuia quędam poëmata feciſſe verſibus tredecim cõſtãtia, aut certè poëmatibus ſuis ſubdidiſſe: quorum ſi primam cuiuſque litteram per ordinem à primo verſu ad vltimum deſcẽdendo acciperes, ipſorum auctorẽ verſuum inuenires. Quod cùm valde laborioſum ſit, & elegantiæ ac nitori perquàm aduerſum, palam fit, quàm vanæ appetens gloriæ fuerit Ennius, qui maluerit permagno labore duros & malè tornatos excudere verſus, in quibus tamen nomen ſuum ex latere includeret, quàm facili & currente venâ elegan-

Cicero lib. 2. De diuinatione.

ACROSTICHIDES PLAVTI.

elegantes ac nitidos profundere. Plautus quoque pleraque comœdiarum suarum argumenta, in acrostichides nomen cuiusque fabulæ præferentes efformauit.

Quod autem ad nostram acrostichidem S. Abercij encomia producentem attinet, eam sic reddere conatus sum, vt & versum versu, & prosam prosa redderem, sed interpretatione, lucrandi temporis caussa, paullò liberiore. Nec enim verba verbis. Alioqui meliùs dixissem: *Decanto laudes maximas Abercy*. vt græcus exigebat versus: sed littera X. retardasset, quæ Latinis rara est in vocum principijs.

NOTA porrò Græcos, in suis elogiis sub acrostichide contentis, nonnulla interiecisse in laudem beatissimæ Virginis Mariæ pro suo erga eandem Virginem in talibus elogijs more & pietate: vti obseruare est ad litteram P. Ῥεῖθρα καὶ γλῶσσαι &c. & ad litteram Υ. Ὑπάρχων ὁ Θεὸς. &c. & ad litteram I. Ἰάσω &c. ad litteram N. Νόμοι &c. & ad litteram Δ. Διάσῃ παναγία &c. & ad litteram E. Ἐτέχθη &c. Quibus sex elogijs exceptis reliqua omnia in laudem currunt Abercij.

SANCTISSIMÆ TRINITATIS APPELLATIONES.

h *DEITATIS TRISOLARIS PVRO FVLGORE COLLVSTRATVS*] Appellatur sanctissima diuinarum personarum Trinitas à græca ecclesia Τρισήλιος θεότης. *trisolaris Deitas*, idque perappositè. Cùm enim Deus per solem sæpenumero indicetur, & singulæ personæ per singulos itidem soles, hinc meritò ipsa essentia tres complexa personas nomine *Deitatis trisolaris*, aut potiùs (si licet ita loqui) *trisolis* exprimitur.

Ad eum modum S. Ioannes Damascenus eam in Precatione, φῶς τρισήλιον *lumen trisolare* appellauit: & in carmine *De pentecoste*, modò τρισσοφεγγῆ οὐσίαν *trilucem substantiam*, modò φύσιν τρισσοφεγγόφωτον, *naturam tricoruscam*, modò οὐσίαν τρίφεγγον *essentiam trifulgidam*. Quo in carmine est illa insignis Christianorum periphrasis:

Ὅσοι λατρεύεται τρισσοφεγγοῦς οὐσίας.

Quotquot trilucem percolunt substantiam.

Cui senario respondet illud S. Gregorij Nazianzeni pentametrum:

Καὶ μεγάλης μονάδος λάτρεις ἐν τριάδι.

Magnæ cultores Monadis in Triade.

Idem Nazianzenus carmine 51. sanctissimam Trinitatem vocat αἴγλην τρίλαμπα, *splendorem trilucidum*, & 4. arcanorum carminum, τρισσοφαῆ θεότητα, *tricoruscam Deitatem*. Plura collegimus vnà cum suis auctoritatibus, in nostra Anthologia Poëtica græcolatina.

i *IMPERATRICEM A DIABOLICA ET HORRENDA VEXATIONE* &c.] Hæc sunt in acrostichide, elogio 17. vbi caussa peregrinationis eius ab ortu ad occasum, Asiue è Phrygia Romam non affertur alia, quàm liberatio Principis Lucillæ à dæmonio: quàm vocat Imperatricem ob pactas cum L. Vero Imp. nuptias. De eius Imperatricis ad fidem conuersione nihil legitur, immo aliqua eius extant numismata, in quibus contrarium appareat. Et quidem inter aurea Caroli Croyj, Ducis Arschottani, quæ nuper edidit vnà cum suo commentario Ioannes Hemelarius, duo cernuntur eiusdem Augustæ, vbi vna ex parte eius insculpta est effigies cum hac inscriptione, *LVCILLAE AVGVSTAE, ANTONINI AVG. F.* ex altera verò, Pietatis thus adolentis (quod est idololatriæ indicium) cum inscriptione *PIETAS*. Sic enim prisci appellabant suam erga Deos superstitionem. Extant eiusdem aliqua græcis litteris inscripta ΛΟΥΚΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *LVCILLA AVGVSTA*. Vide Hubertum Goltzium in Thesauro rei antiquariæ.

Habuit procul dubio hæc Lucilla præclaram veræ pietatis capessendæ ex triumphato dæmone occasionem, nisi bonum fidei semen, quod S. Abercius per curationis miraculum iecerat, malus dæmon per honores & voluptates præfocasset. Si enim in magnis diuitijs sacrum illud semen difficulter excipitur, & excrescit: quantò difficiliùs in summis honoribus, & maximis voluptatum illecebris?

MIRACVLA QVÆDAM S. ABERCII NON COMPREHENSA IN ACTIS.

k *ET SVRDIS AVDITVM*] Non est cõprehensum in Actis S. Abercij, quòd auditum surdis præbuerit, sed tantùm in Menæo. Vnde colligi potest, non omnia illic perscripta esse facta eius memoranda, sed tantùm, vt ferè fit, præcipua, & ea quidem dumtaxat, quæ viuus fecit. Finiuntur enim Acta illa in eius morte. Quare minimè dubium, quin & alia multa, tam à viuente diuersis in regionibus, quas plurimas peragrauit, & à mortuo ad sacras eius reliquias, extra recensitorum turbam, patrata sint. Dicitur ergo in Menæi sacris libris, & surdis auditum, & leprosis munditiem, & claudis gressum (quæ in Actis desunt) reformasse: quemadmodum habetur in acrostichide littera B. Quin & proximè post eandem acrostichidẽ dicitur signa factitasse, & prodigia innumera. Quę, vt opinor, caussa fuit, quamobrem in eo Menologio, quod subiũctum reperitur græco horologio, in editione Veneta, appelletur θαυματουργὸς, *miraculorum effector*, quod illis tantùm tribui solet, qui eximiè in illis præcelluerunt. Igitur ad vigesimam secundam Octobris sic notatum reperies: Τοῦ ἁγίου ἰσαποστόλου Ἀβερκίου, Ἐπισκόπου Ἱεραπόλεως τοῦ θαυματουργοῦ. *Sancti Abercy æqualis Apostolis, Episcopi Hierapoleos, miraculorum effectoris.* scilicet, solemnitas in ecclesia celebratur. Vbi etiam illud elogium

logium de eodem profertur, quod incipit: Ω ς ἱερέα μέγιστον &c. *Tanquam Sacerdotem maximum* &c. quod supra cap. 23. inter Menæi elogia positum fuit, post acrostichiden.

Hactenus Acta S. Abercij omnia, quantum quidem ingenij facultas tulit, comprobare & confirmare, tam è nostris, quàm ex alienis Scriptoribus, non leuiter & transcursim, sed diligenter & meditatè studuimus. Nam in prima quidem eorum lectione, idem propè mihi, quod doctissimo Baronio accidit, vt nonnulla minùs in iis probarem, atque ad historiam adiecta crederem: verùm vbi me à præcipitando retraxi iudicio, atque ad rem attentiùs & consideratiùs perscrutandam ac perpendendam seriò applicui; longè aliter mihi res apparere, quàm priùs; nihilque videri inesse, quod non partim ex Græcorum Menæo, quod Baronius non habuit, partim ex Menologio, nō illo Sirleti Cardinalis, quod ipse Baronius habuit, & haud ita pridem edidit Ingolstadij Henricus Canisius, sed alio Venetiis pure græcè multò priùs edito, quod non habuit, partim etiam bonis rationibus, valde conforme esse veritati probaretur.

Quæ quidem omnia si nancisci & ponderare eidem Baronio, per vitam & occupationes licuisset; næ lōgè aliter, quàm sensit & scripsit, suspensa æquiùs lance, sensisset ac scripsisset. Nam tomo 2. annalium, ad Christi 163. post nonnulla de S. Abercio allata & probata, sic adiunxit: *At de Abercio fusius agitur in citatis nuper Actis, quæ apud Metaphrasten descripta habentur, nos summa breuitate contracta narrauimus, cùm multa in ea irrepsisse noscantur, quæ haud nobis omnino probentur. Hæc autem, quæ ex ijsdem huc intulimus, quantum licuit, etiam ex Christianæ religionis hostibus, aliquā saltem ex parte probauimus.* Sic ille. Vtinam autem illa ipsa, quæ sibi non omnino probari dixit, indicasset! Nam in ea probanda peculiariter, & toto quod aiunt, pectore incubuissemus. Quanquam aliqua ex illis, quæ minùs probabilia videri possunt, iam ab ipsomet accepta & probata ex parte sint. Inter illa enim poni à viris doctis cognoui profectionem in vrbem Romam, exiguo, vt aiebant, aut nullo fructu: cùm neque ex Actis, neque aliunde ostendi vllus possit. Quibus tamen non assentior, vti nec de largitione frumentaria, quæ peregrinationem illam consecuta est. Nam illa ipsa largitio frumenti in pauperes Hierapolitanos, vt nihil esset aliud, sufficiēs eius suscipiēdi itineris caussa exstitisset. De qua satis dictum suo loco suprà. Sed duo fortasse sunt alia, quæ potissimè nō placuerunt Scriptori doctissimo; nempe illa immanis lapidis à dæmone in Phrygiam trāsportatio, & sepulchri inusitata sanctis viris inscriptio. Nam & illa sunt, quæ primò animum meum non mediocriter perculerunt; præsertim quòd in priori dicatur dæmō lapidem illum asportasse μυρίων ὀφθαλμῶν ὁρώντων *innumeris cernentibus oculis*, vt habetur apud Lipomanum, perinde quasi ad id spectaculum ciuitas concurrisset. Verùm illa græca locutio sępissimè nihil aliud quàm multitudinem magnam significat, sicque hoc loco accipienda est, nempe *plurimis cernentibus*, siue ijs omnibus, aut propè omnibus, qui in palatio erāt, siue in hippodromo palatij. Denique esto: fuerint iniecta illa verba, aut aliquæ circumstantiæ; tamen res ipsa seu baiulatio confirmatur ex Menæo, vt notaui ad caput XV. notationum, vbi etiam ostendi talia in dæmones imperia nō esse in vitis Sanctorum inusitata. Quid autem circa illam lapidis transuectionem intuentes viderint; an ipsum dæmonem in forma humana, aut animantis alterius, an verò solum lapidem moueri & asportari, incertum est: cum potuerit aut vtrumque aut alterutrum duntaxat fieri. Credibile igitur duco visum esse motū lapidis, & auditum diaboli gemitum, non tam grauitatis caussa, quàm suæ humiliationis. De sepulchri porrò constructione & inscriptione respondisse me puto, quantum benignis sufficit arbitris. Si qua supersint alia, quæ quibusdam incredibilia videantur, credo minimè defore, qui ipsis, vbi illa in medio posuerint, satis faciant. Latam enim illis viam pandimus.

Citant historiam seu Acta S. Abercij, è profanis quoque Auctoribus non pauci, intérque alios Isaacus Casaubonus, & Guidus Pancirolus, & Iacobus Gutherius, quorum primus quidem ad Iulium Capitolinum in Marco Aurelio Antonino super illis verbis de Lucio Vero Imp. *In delicijs apud Antiochiam & Daphnem vixit*: vbi testimonium adducens è S. Abercij vita, sic adijcit: *VERUM, dum fuit in Syria, resedisse apud Daphnen testatur & sanctissimi Abercij historia.* Pancirolus autem in Commētario ad Notitiam Imperij Orientalis, cap. CXXV. *Alia mira*, inquir, *de aquis salubribus ope D. Michaelis factis recitat Simeon Metaphrastes, qui precibus D. Abercij aquas etiam in Phrygia minore scaturijsse scribit.*

Male in Panciroli editione Geneuensi anni M. DC. XXIII. editum est *D. Alberti* pro *D. Abercij*. Citatur autem Simeō Metaphrastes, quia is exscripsit & edidit Acta S. Abercij, in quibus continetur illa aquarum ad eius preces scatutientium narratio.

Gutherius verò lib. 2. *De officijs domus Augustæ*

gusta, cap. 20. *Magistrum officiorum*, inquit, *sub imperio M. Antonini fuisse, Acta S. Abercy Episcopi Hierapolitani comprobant*. &c. Vide supra ad caput XIII. Notationum.

Iam quod capite XIII. harum Notationum, dum de Stratidio Corneliano ageremus, polliciti sumus: hic exsoluendum est: nempe ponẽda est hoc loco integra Phrynichi ad Cornelianum, eum cuius S. Abercij Acta meminerunt, epistola; vt non tantùm militiâ, sed etiam doctrinâ clarus, & doctorum virorum amans recognoscatur. Sic igitur habet:

Φρύνιχος Κορνηλιανῷ εὖ πράττειν.

Τὴν τἆλλά σου παιδείαν θαυμάζων, ἣν διαφερόντως ὑπὲρ ἅπαντας, ὅσοις ἐγὼ ἐνέτυχον, πεπαίδευσαι· καὶ δὴ καὶ τοῦτο θαυμάσας ἔχω, τὸ περὶ τὴν τῶν καλῶν καὶ δοκίμων ὀνομάτων κρίσιν. Ταῦτ' ἄρα κελεύσαντός σου τὰς ἀδοκίμους τῶν φωνῶν ἀθροισθῆναι, πάσας μὲν οὐχ οἷός τ' ἐγενόμην τανῦν περιλαβεῖν, τὰς δ' ἐπιπολαζούσας μάλιστα, καὶ τὴν ἀρχαίαν διάλεξιν ταραττούσας, καὶ πολλὴν αἰσχύνην ἐμβαλλούσας. Οὐ λανθάνει δέ σε, ὥσπερ οὐδ' ἄλλό τι τῶν κατὰ παιδείαν, ὥς τινες ἀποπεπτωκότες τῆς ἀρχαίας φωνῆς, καὶ ἐπὶ τὴν ἀμαθίαν καταπεφευγότες, πορίζουσι μαρτυρίας τινὰς τοῦ προειρῆσθαι ὑπὸ τῶν ἀρχαίων τάσδε τὰς φωνάς. Ἡμεῖς δὲ οὐ πρὸς τὰ διημαρτημένα ἀφορῶμεν, ἀλλὰ πρὸς τὰ δοκιμώτατα τῶν ἀρχαίων. Καὶ γὰρ αὐτοῖς εἴ τις αἵρεσιν προθείη, ποτέρως ἂν ἐθέλοιεν διαλέγεσθαι, ἀρχαίως καὶ ἀκριβῶς, ἢ νεοχμῶς καὶ ἀμελῶς, δέξαιντ' ἂν ἀντὶ παντὸς ἡμῖν σύμψηφοι γενόμενοι, τῆς ἀμείνονος γενέσθαι μοίρας. Οὐ γάρ τις οὕτως ἄθλιος, ὡς τὸ αἰσχρὸν τοῦ καλοῦ προτιθέναι. Ἔρρωσο.

Phrynichus Corneliano salutem.

Cùm tuam in aliis rebus doctrinam admirarer, qua egregiè præ omnibus ijs, in quos incidi, eruditus es: tum vel in primis tuum admiratus sum de bonis & probatis verbis iudicium. Hinc cùm voces minùs probatas à me colligi iusseris, non potui nunc omnes complecti, sed tantùm eas quæ maximè peruagantur, & antiquam dictionem turbant, & multũ deformitatis ingerunt. Nec verò te latet, (quemadmodum nec aliud quicquam, quod ad institutionem attineat) nonnullos, cùm ab antiqua dictione deerrarint, etiam ad ineptias quasdam confugere, & testes nõnullos producere, quibus eas voces ab antiquis comprobent prius vsurpatas. Nos verò non ad ea quæ peccata sunt, sed ad ea quæ à veteribus probata, respicimus. Nam & illis si optio deferatur eligendi, vtrum antiquè & exactè loqui velint, an nouè & negligenter, eligent potissimum nobis consentiẽtes, meliorum esse partium. Nemo enim adeo miser est, vt turpe honesto anteponat. Vale.

Hæc directè in eos tendunt, qui eximiæ doctrinæ nomen affectantes, vel noua effingunt vocabula, vel exoletam dictionem aucupantur.

Atque hic finis esto eorum, quæ ad S. Abercij, Hierapolitani Episcopi, & verè Thaumaturgi historiam, eiusque dilucidationem pertinent. Ipse autem eâ, quâ nunc pollet, in diuinæ præsentia maiestatis gratia & auctoritate, ad Dei opt. max. & suam item gloriam, in commune bonum impetret, primò vt epistola illa sua *quæ Apostolicum*, oculato teste Baronio, *redolet spiritum*, in manus aliquando nostras, aut alicuius saltem alterius, qui bono publico eam inuisurus nõ sit, sed in lucem publicam emissurus, deueniat: deinde, vt ij qui eiusdem nunc participes sunt dignitatis, in qua ipse mirum in modum emicuit, ecclesiæ Antistites, eodem quoque efferuescant adiuuandarum animarum studio, & (in quo voto etiam includi velim) maioris acquirendæ perfectionis ardore inflammentur.

AD MAIOREM DEI OPT. MAX.
ET FIDELIS SVI SERVI
ABERCII GLORIAM.

SANCTI

SANCTI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS VITA ET DOCVMENTA.

EIVS IN DIALOGO CVM TRYPHONE IVDÆO

ΓΝΩΜΗ ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΗ.

ΧΡὴ πάντα ἄνθρωπον φιλοσοφεῖν, καὶ τοῦτο μέγιστον καὶ τιμιώτατον ἔργον ἡγεῖσθαι· τὰ δὲ λοιπὰ, δεύτερα καὶ τρίτα.

SENTENTIA COHORTATORIA.

OPortet omnes homines Philosophari: & istud quidem maximum ac præstantissimum opus arbitrati; cetera verò in secundis ac tertijs ducere.

AVCTORES

QVIBVS AD HANC VITAM POTISSIME VSVS SVM

AVXILIARIIS.

SANCTVS Iustinus ipse, ex quo materies plurima.
Tatianus Assyrius eiusdem S. Iustini auditor.
S. Irenæus Lugdunensis Archiepiscopus & Martyr.
Q. Septimius Tertullianus.
S. Methodius Tyri Episcopus & Martyr.
Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus.
S. Epiphanius Constantiæ Cypri Pontifex.
S. Philastrius Ecclesiæ Brixiensis Antistes.
S. Hieronymus Presbyter, Ecclesiæ Doctor.
Paullus Orosius Presbyter.
B. Theodoretus Cyri Episcopus,
Andreas Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus,
Auctor Chronici Alexandrini.
S. Anastasius Sinaita, Antiochenæ Præsul ecclesiæ.
S. Ioannes Damascenus.
Antonius Melissa.
Aponius.
Simeon Metaphrastes.
Photius Patriarcha Constantinopolitanus.
Georgius Cedrenus.
Ioannes Zonaras.
Michaël Glycas.
Martyrologia & Rituales libri Latinorum.
Menæum & Menologia Græcorum.

VETE-

VETERVM DE S. IVSTINO PHILOSOPHO ET MARTYRE TESTIMONIA.

Tatiani Assyrij è libro Contra Gentes:

KΑὶ ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος ὀρθῶς ἐξεφώνησεν ἐοικέναι τοὺς προειρημένους λῃσταῖς.

Ac rectè admirabilissimus Iustinus prædictos [demones] *similes dixit esse latronibus.*

S. Irenæi Lugdunensis Archiepiscopi & Martyris è lib. IV. aduersus hæreses:

KΑλῶς Ἰουστῖνος ἐν τῷ πρὸς Μαρκίωνα συντάγματί φησιν· ὅτι αὐτῷ τῷ κυρίῳ οὐδ' ἂν ἐπείσθην ἄλλον θεὸν καταγγέλλοντι παρὰ τὸν δημιουργόν.

Præclarè Iustinus in libro Contra Marcionem dicit: ne ipsi quidem Domino fidem se habiturum, si alium Deum præter mundi fabricatorem annuntiaret.

Tertulliani è libro Contra Valentinianos, cap. v.

NEc vndique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot iam viri sanctitate & præstantia insignes, nec solùm nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt: vt Iustinus Philosophus & Martyr: vt Miltiades ecclesiarum sophista: vt Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.

S. Methodij Episcopi Tyri & Martyris apud Photium.

IΟὐστῖνος δὲ ὁ Νεαπολίτης, ἀνὴρ οὔτε τῷ χρόνῳ πόρρω ὢν τῶν Ἀποστόλων, οὔτε τῇ ἀρετῇ.

Iustinus autem Neapolitanus, vir ab Apostolis nec tempore nec virtute multum distans.

Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi, è lib. 2. historiæ ecclesi. cap. 12.

ΔΗλοῖ δὲ τοῦτο ὁ μετ' οὐ πολὺ τῶν Ἀποστόλων, ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς διαπρέψας λόγῳ Ἰουστῖνος.

Declarat autem istud, qui non longè post Apostolos in religionis nostræ doctrinâ excelluit, Iustinus.

S. Epiphanij Constantiæ Cypri Episcopi è Panario, hæresi 46.

ΣΥνακμάζει Ἰουστίνῳ τῷ φιλοσόφῳ, ἀνδρὶ ἁγίῳ καὶ φίλῳ θεοῦ, τῷ ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότι.

Floret

Floret [Tatianus] *cum Iuſtino Philoſopho, viro ſancto & amico Dei, qui è Samaritis in Chriſtum credidit.*

S. Hieronymi ex epiſt. 84. ad Magnum, oratorem Romanum:

Iuſtinus & ipſe Philoſophus Antonino Pio & filijs eius, Senatuíque librum contra Gentiles tradidit, defendens ignominiam Crucis, & reſurrectionem Chriſti totâ prædicans libertate.

B. Theodoreti Epiſcopi Cyri è lib. 1. hæreticarum fabularum in Menandro:

Κατὰ τούτων συνέγραψεν Ἰουστῖνος ὁ ἐν φιλοσόφου σχήματι τῆς ἀληθείας γεγενημένος συνήγορος, καὶ τὸν τοῦ μαρτυρίου ἀναδησάμενος στέφανον.

Contra hos ſcripſit Iuſtinus, qui in Philoſophi habitu veritatis patronus exſtitit, & martyrij corona redimitus eſt.

Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi in Apocalypſin cap. XXXIV.

Λέλεκται δὲ τῷ μακαρίῳ Ἰουστίνῳ, τῷ φιλοσόφῳ καὶ μάρτυρι, μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν, καὶ τὴν κατ' αὐτοῦ ἐν γεέννῃ ἀπόφασιν, βλάσφημον μάλιστα γεγονέναι τὸν Διάβολον.

Dixit beatus Iuſtinus, philoſophus & martyr, Diabolum poſt Chriſti aduentum, & ſententiam contra ſe ad gehennam datam, maximè blaſphemum exſtitiſſe.

Georgij Cedreni, è compendio hiſtoriarum, in Hadriano Imp.

Ἐπὶ τούτου Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἠνδρίζετο.

Sub hoc [Hadriano] *Iuſtinus Philoſophus contra omnes hæreſes viriliter depugnabat.*

Ioannis Zonaræ, è tomo 2. Annalium, in M. Aurelio Antonino:

Τούτου κρατοῦντος ὁ μέγας ἐπὶ λόγοις, καὶ μείζων ἐν ὁμολογίᾳ Ἰουστῖνος ἐνήθλησεν· οὗ πολλὰ μέχρι τοῦδε συγγράμματα σώζονται.

Eo imperante [M. Aurelio Antonino] *magnus eloquentia, & confeſſione maior Iuſtinus decertauit: cuius multa etiamnum ſcripta ſeruantur.*

VITA

SANCTI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS.

Sententia eius.

ΤΕΛΟΣ ΤΩι ΦΙΛΟΣΟΦΟΥΝΤΙ, Η ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ ΟΜΟΙΩΣΙΣ ΚΑΤΑ ΤΟ ΔΥΝΑΤΟΝ. Citatur à Melissa l. 2. serm. 43.

FINIS PHILOSOPHANTI EST, DEO, QVOAD EIVS FIERI POTEST, ASSIMILARI.

PRÆFATIO.

SCriptoris Philosophi vitam in præsenti aggredimur; sed eius philosophi, qui propè vniuersas terrenæ sapientium Philosophorum sectas curiosè peruagatus, demum ad veram Christi philosophiam, vti ad tutissimum æternæ veritatis portum, celocem studiorum suorum felicissimè applicuit: sed eius Scriptoris, qui nihil aliud in scribendo, quàm innocentiæ tutelam, quàm Religionis patrocinium, quàm vnius veri Dei cultum honoremque sibi propositum habuit: sed eam denique vitam, quæ in studijs, in moribus, in factis omnibus, singularis diligentiæ, industriæ, pietatis, vnóque verbo, omnis doctrinæ atque virtutis vero & Christiano philosopho dignæ multò sit confertissima. Vnde nihil mihi videor in præsentia, nec optare melius, nec petere à Deo salutarius posse, quã vt quem antiqui Patres certatim collaudantes, alij magnum, alij admirabilem, alij admirabilissimum, alij diuinum appellitarunt, eum cuncti veræ Philosophiæ amatores præcipuè admirentur, ament, colant, æmulentur. Quod profectò ita prorsus facturos confido, si præclarum illud eiusdem Philosophi dictum, (quod non sermone magis, quàm omni tenore vitæ feliciter expressit) toto penitus animo imbiberint: nempe hunc vnum verè philosophantibus propositum esse finem, vt Deo, quoad possint, assimilentur: hoc est, vt ad ipsum omnis sapiẽtiæ fontem, tam integritate doctrinæ, quàm morum sinceritate (quantum quidem homini in terra degenti fas est) quàm proximè studeant accedere. Igitur per ipsa sanctissimi viri diuina merita, & per cælitus infusam magnæ illi animæ supernorum bonorum affluentiam, Deum Opt. Max. vnicè rogo atque obtestor, vti & idoneas ingenio meo vires, & piæ voluntati robur illud addat, quò ipsius vitam, doctrinam, egregia facinora, stilo conciendis ad imitationem animis quàm accommodatissimo scribere valeam: & lectores item meos, ad ea quæ legerint, capienda atque æmulanda idoneos ac faciles, ipse, qui solus potest, efficiat.

VITÆ SANCTI IVSTINI

CAPVT I.

Iustini patria, parentes, natiuitatis tempus, prima studia.

NATVS est Iustinus [a] Neapoli, vrbe Samariæ, quæ [b] Syris primitus Sichem, deinde [c] indigenis Mabartha, postremò Latinis [d] Flauia Cęsarea, deductis illuc à Flauio Domitiano Cæsare colonis, est appellata. Natus est autem patre Prisco Bacchio, homine nobili, sed Gentili, idque [e] sub annum Christi centesimum decimum octauum, regnante Vlpio Traiano. [f] Acris fuit [g] ingenij, memoriæ facilis, boni constantisque iudicij. Proinde scholis traditus primò litteris humanioribus egregiam nauauit operam, quibus & apprimè instructus præ æqualibus fuit. [3] Ab his deinde, etiam tum Gentilis, fideique nostræ ignarus, ad altiora studia incredibili ardore animi, gradum fecit. [h] Iniecerat enim Deus menti ad magna idoneæ immensum quoddam atque insatiabile sui quærendi & cognoscendi desiderium. Quare post veterum Poëtarum lectionem, post oratoriæ facultatis exercitationes, post variarum historiarum disquisitionem atque notitiam, totum se ad Philosophiæ studia transtulit: non quòd disceptationum argutias atque nodos tanti faceret; sed singulariter ac precipuè (vti postea de se ipse testatus est) quò veri Dei cognitionem, quam apud Philosophos, si vsquam alibi, reperiendã esse existimabat, toto animo siticulosus hauriret, Nihil enim iam tum, quàm de Deo audire, loqui, disserere habebat antiquius. [i] Itaque in Philosophi Stoici disciplinam primò se tradidit, apud quem aliquanto tempore versatus, cùm aliis quidem de rebus multa, de Deo autem vix quidquam audiret (nec enim philosophus ille tantæ rei gnarus erat, adeoque nec Philosopho necessariam huiusmodi scientiam dictitabat) ei valedixit: [k] atque ad alium secta Peripateticum, hominem, vt is sibi videbatur, acutum ac subtilem transijt. A quo cùm primis diebus beneuolè admissus exceptusque esset, breui pòst interrogatus est, ecquam ipse Magistro mercedem promitteret? Quippe non arridebat Peripatetico, sui consuetudinem absque pecuniario quæstu commodare. Quod animaduertens Iustinus, eum statim missum fecit: arbitratus scilicet [l] nihil à dignitate

gnitate Philoſophiæ magis alienum, quàm auaritiæ ſordes & vilis lucri cupidinem: ac ne illum quidem prorſus videri, nec eſſe Philophum, qui ſic corradendis pecunijs inhiaret. Animus interim magis ac magis eius, quod Philoſophiæ proprium eſt, ac longè precipuum, id eſt, cognitionis Dei amore in dies exardeſcebat.[m] Conuenit igitur Pythagoreum quendam, magni quidem illum nominis, ſed magni item, ex opinione ſapientiæ, ſupercilij: quicum collocutus ſummoperè affectabat in eius admitti diſciplinam & familiaritatem: ſed ille, *Quid vero?* inquit, *Túne in muſica, in aſtronomia, in geometria verſatus es? An fortè putas abſque his artibus, quæ animum à corporeis rebus abducunt, atque ad ea, quæ mente percipiuntur, præparant, eorum te, quæ ad beatitudinem ſpectant, attingere quicquam poſſe? Toto, heus tu, erras cælo, ſi id arbitrere.* Denique eas diſciplinas cùm impensè multúmque laudaſſet, ac veræ philoſophiæ candidato apprimè neceſſarias docuiſſet, Iuſtinum eas neſcire confeſſum mox dimiſit, mœſtum ſanè illum & valde iniquo animo ferentem, tanta ſpe, quantam de fructu apud eum faciendo conceperat, deturbari. Nam temporis quidem, quod ijs diſciplinis inſumendum erat, longiorem, quàm vt ferre poſſet, moram ſecum expendens, tam diu differri, quod tam auidè quærebat, non tulit. Quare cùm dubius & conſilij inops aliquantiſper fluctuaſſet,[n] tandem cum Platonicis, quorum magnus ea tempeſtate honos & auctoritas erat, congredi ſtatuit, ac ſi quid apud eos de Deo, diuiníſque rebus doceretur, experiri. Quippe videbatur Dominus Deus per omnes Philoſophorum ſectas hunc virum, iam quidem adhuc gentilem, ſed olim fidei myſterijs imbuendum, próque ijs certaturum velle traducere; quò eas poſtmodum probè cognitas perſpectáſque commodiùs ſuo tempore. (vti etiam accidit) fortiúſque refutaret; nihílque in ijs veræ & Chriſtianæ philoſophiæ par aut ſimile contineri, proprijs ipſorum armis euinceret.

AVARITIA INDIGNA PHILOSOPHO.

PYTHAGOREI.

Percommodè autem cecidit, vt eo ferè tempore, Flauiam, ſeu Syriæ Palæſtinæ Neapolim, (cuius ciuem fuiſſe Iuſtinum diximus) vir quidam ſapiens & inter Platonicos facilè princeps adueniret. In huius ergo amicitiam ac familiaritatem cupidè ſe inſinuauit: illi, vt viro bono & docto adheſit, tantúmque in eius ſocietate profecit, vt non paruum in ea Philoſophia nomen acquiſiuerit. Ab ea tamen quemadmodum ad longè nobiliorem ac diuiniorem philoſophiam, quæ in Chriſtiana ſchola edocetur, poſthac tranſierit, (res enim plena eſt admirabilitatis) referre in præſenti aggrediar.

PLATONICI PHILOSOPHORVM OMNIVM CELEBERRIMI.

CAPVT II.

Iuſtini ad Chriſtianam religionem admirabilis conuerſio.

MIrificè Iuſtinum delectabat in ludo illo Platonico incorporearũ naturarũ ſubtilis intelligentia, cui coniuncta[a] idearum excelſa

IDEÆ PLATONICÆ.

contemplatio sic ipsum (quemadmodū de se totidem ferè verbis prędicauit) velut pēnis quibusdam sublimē attollebat, vt breui spatio sibi factus sapiens, & ex stulta persuasione, [b] Deum ilicò perspecturus ([c] is enim est philosophiæ Platonicæ finis) videretur. Cui sic affecto visum est aliquando extra vrbis mœnia solitudinem ac secessum petere, & meditandi gratiâ hominum vias atque congressus declinare.

SOLITVDO APTA MEDITATIONI ET STVDIIS.

Secessit ergo certum in locum haud procul mari: quò cùm appropinquasset, ibique secum ipse futurus esset, [d] ecce vir magno natu, specie veneranda, comitatem quandam cum insigni grauitate prę se ferens, modicóque distans interuallo eum assectari visus: ad quem ipse conuersus, ac represso gradu subsistens, cùm aciem oculorum acriùs intendisset, ille prior compellans. *Cognoscisne me*, ait? *Minimè*, inquit Iustinus. *Ecquid igitur*, subdit ille, *ita me obtueris? Quia miror te hic mecum esse*, respondet Iustinus. *Nec enim expectabam, vt hoc in loco mortalium quemquam inuenirem.* Tum ille: *Familiares quidam mei peregre profecti, quamobrem huc venirem, mihi in caussâ fuêre. Veni enim de ijs, si alicunde fortaßis appareant, exploratum. Sed tu enimuero, quid hic rerum? Hisce*, ait Iustinus, *delector solitarijs inambulationibus. Sic enim mecum absque interpellatione dissero. Nam hæc loca excolendæ rationi sunt accommodatißima.*

CONGRESSVS IVSTINI ETHNICI CVM HOMINE CHRISTIANO.

SOLITARIA LOCA RATIONI EXCOLENDÆ ACCOMMODATISSIMA.

Tum senex, quasi Iustinus dixisset loca illa excolendæ orationi esse accommodatissima (nam vox φιλολογία, qua vsus fuerat Iustinus, vtramque in partem accipi poterat) [e] ludens in verbo, *Tu igitur*, inquit, *tantùm orationis amator es, operis autem & veritatis nequaquam? Neque contendis, vt potiùs actuosus Philosophus, quàm vt Sophista verbosus euadas?* Cui Iustinus, nomine Rationis, Philosophiam intelligens, *Quid enim melius facere quisquam poßit atque præstantius*, inquit, *quàm si Rationem omnium ducem ac moderatricem esse commonstret? quam qui consequatur, & eâ quasi vehiculo vtatur, is demum & aliorum errores ac studia velut è specula poßit despicere, & quàm nihil sanum, nihil Deo gratum efficiant, contemplari? Nam absque philosophia & recto rationis vsu, stare prudentia nullo modo potest. Hinc omnes mortales oportet philosophari, & hoc quidem maximum ac præstantißimum opus arbitrari; cetera verò omnia in secundis ac tertijs numerare: quæ tamen ipsa si à philosophia perficiantur, tum mediocria erunt & amplexu digna: sin eâ deficiantur, vilia & sordida.*

PHILOSOPHIÆ LAVS.

Post quæ intulit senex: *Ergóne philosophia beatitatem adfert?* Cui Iustinus: *Adfert omnino, & quidem sola. Cedo igitur mihi*, ait senex, *nisi forte molestum est, quid sit philosophia, quæue eius beatitas?* Respondit Iustinus: *Philosophia est, eius quod est, scientia, & veri cognitio. Beatitas autem est eiusdem scientiæ & sapientiæ præmium. Iam verò*, inquit, *Deum quid vocas? Id quod eodem modo semper se habet, atque alijs omnibus vt sint, est caussa, id Deum esse aio*, respondit Iustinus.

QVID PHILOSOPHIA.

QVID BEATITAS.

QVID DEVS.

Cuius

Cuius responsis delectatus senex, perstitit interrogando, & quæsiuit: *Scientiæ nomen nunquid rebus diuersis est commune? Nam in omnibus artibus, quamcumque earum quis calleat, sciens eius artis appellatur, siue militaris, siue gubernatoriæ, siue medicæ, similiterq́ in alijs, tam diuinis, quã humanis. An non res ita se habet? Age ergo rursus. Aliquáne est scientia, quæ rerũ simul & diuinarum & humanarum cognitionem gignat? Maximè*, ait Iustinus. *Quid ergo?* vrsit senex. *Perindéne est scire Deũ, atque scire musicã, aut arithmeticam, aut astronomiã, aut quiduis aliud eiusmodi? Minimè gentiũ*, respondit Iustinus. *Haud rectè igitur mihi respondisti*, ait senex. *Siquidem scientiarum nonnullas per disciplinam, quasdam per exercitationem, alias per aspectum ipsum adipiscimur. Quemadmodum si quis tibi diceret in India esse animal quoddam, nulli ceterorum animalium simile, sed tale, aut tale, varium scilicet ac multiforme, credo, non antè cognosceres, quàm illud vidisses: nec sermonem quoque de eo vllum facere posses, nisi ab eo qui vidisset, prius inaudisses. Non profectò*, respondit Iustinus. Cui ille, *Quomodo igitur*, inquit, *de Deo Philosophi rectè sentire, aut quo pacto veri quidquam de illo dicere valeant, cùm eius scientiam habeant nullam? quippe qui illum nec viderint vnquam, nec audierint. Atqui non oculis ipsis, ò pater*, inquit Iustinus, *quemadmodum alia animantia, diuinum numen cerni, sed sola mente concipi potest, vt ait Plato, cui ego fidem habeo. Estne ergo*, subdit senex, *in mente nostra vis quæpiam talis ac tanta, vt per eam celerius, quàm per sensum res aliqua percipi valeat atque cognosci? aut fortè hominis animus Spiritu sancto non instructus Deum vnquam est visurus? Atqui hoc ipsum est*, subiecit Iustinus, *quod Plato vocat oculum mentis, atque ad hoc datum esse docet, vt eo mundo ac perpurgato, ipsum ens conspicere valeat: quod quidem ens, omnium quæ mente percipiuntur, est caussa, non colorem ferens, non figuram, non magnitudinem, non quiduis aliud oculis adspectabile, sed est ens supra omnem essentiam, ineffabile, inexplicabile, solúmque & bonum, & pulchrum, & bene natis animis, propter cognationem & amorem, quo se ab illis videri appetit, primitus insitum.* Hæc & alia multa de Deo, de mundo, de anima cùm vltrò citroque disceptassent (quæ quod è media Platonis philosophia deprompta sint, nec hic referre magis attineat, missa facio) hæc tandem fuit totius collocutionis summa atque finis, vt Iustinum doceret senex, neque in Platonis, neque in Pythagoræ, neque in cuiusuis alterius Philosophi sententia, de Deo præsertim, de anima, déque rebus diuinis, tanquam inuenta veritate, conquiescendum. Quibus auditis actus in stuporem Iustinus, *Ecquo tandem igitur*, inquit, *vtatur quis alio præceptore? aut vnde demum iuuari quis possit, si ne in his quidem veritas inuenitur?* Tum ille ad rem, cuius caussa omnis instituta erat disputatio, confidenter aggressus, [B] *Fuerunt quidam*, inquit, *priscorum æuo, his omnibus, qui Philosophi vocantur, multò antiquiores, viri beati, iusti, Deo cari, qui Spiritu sancto afflati ea fore vaticinati sunt, quæ hodie fiũt;* (*Prophe-*

PATER VOCATVR ÆTATE SENIOR.

OCVLVS MENTIS.

DEI COGNITIO VBI REQVIRENDA.

PROPHETARVM LAVS.

(Prophetas, eos appellant) hi soli & intellexerunt veritatem, & hominibus annuntiârunt. Quâ quidem in re, nec quenquam veriti, nec ab vllo inducti, nec gloria vnquam victi sunt, vt vel minimum fingerent; sed ea sola purè atque sincerè sunt elocuti, quæ Dei spiritu pleni vel viderant, vel audierant. Hinc eorum scripta hodieq; exstant, quæ illis quidē qui legerint, fidemq; adiūxerint, plurimum adferre adiumenti, &, siue de principijs rerū agatur, siue de finibus, siue de alijs, quæ scire intersit Philosophi, magnā suppeditare lucē poßint. Neque verò vllis demonstrationum viribus dicta sua suffulserunt: siquidem erāt ipsimet præ omni demonstratione fidißimi testes veritatis.[h] *Nam & quæ antehac euenerunt, & quæ etiamnum eueniunt, ipsorum nos dictis tanquam oraculis cogunt assentiri.*[i] *Quanquam vel ob sola miracula, quæ patrârunt, omnem sibi fidem mererentur, præsertim cùm & vniuersi conditorem Deum colerent, & filium eius Christum prænuntiarent.*[k] *Quod certè falsi illi prophetæ plano & impuro spiritu pleni neque vnquam fecerunt, neque nunc faciunt: sed tantùm mira quædam opera terrendis hominibus designant, dæmonia interim & spiritus erroris glorificant.* Hæc beatus ille senex cùm dixisset, postremò ita Iustinum commonuit:[l] *Verùm ante omnia,* inquit, *Deum deprecare,*[m] *tibi vt portas lucis aperiat. Neque enim conspici ista, neque intelligi promiscuè ab omnibus possunt, sed ab ijs duntaxat, quibus ea facultas a Deo concessa sit.* Quibus dictis aliisque pluribus, quæ nihil est necesse in præsentia commemorare, & Iustinum ad ea persequenda cohortatus ex oculis abijt, nec vnquam postea illi visus est, nec cognitus. Sed quid illo sene digresso expertus sit, quidúe in se senserit Iustinus, idem ipse, Tryphoni Iudæo, viro nobilissimo, longè pòst in congressione quadam enarrauit:[n] *Confestim,* inquit, *post senis illius verba, ignis quidam succensus est in animo meo, & amor prophetarum, eorúmque virorum, qui Christi sunt amici, me inceßit: cúmque verba eius senis mecum ipse tacitus perwoluerem, hanc ego solam esse tutam atque vtilem philosophiam, quæ mihi ab illo proposita esset, deprehendi. Sic igitur ego & per talia euasi philosophus.* Lectis scilicet Prophetarum & Apostolorū libris, verum se philosophum, hoc est, Christianum esse cœpisse profitetur. Deinde tanquam tali vocationis suæ memoria lætus & incalescens, pium ac feruidum, pro consimili quàm plurimorum ad fidem conuersione, votum Deo facit, cùm subdit: *Quàm vellem porrò,* inquit, *vt omnes similiter atque ego animis affecti, Saluatoris nostri sermonibus perpetuò adhærescerent!*[o] *Timorem enim quendam in se continent salutarem, plurimumq; ad eos, qui à recto itinere deflexerint, in viam reuocandos valent: præterquam, quòd ijs quoque, qui sedulò sermones istos meditati fuerint, animi quietem & tranquillitatem conferant multò suauißimā.* Hæc & alia eiusmodi Iustinus, quibus perceptam ex pio colloquio vtilitatem, & eâdem operâ percipiendas è sacrarum litterarum lectione eximias commoditates, non minùs exemplo quàm verbo expressit.

MIRACVLA COLENTIVM DEVM.

PRECATIONE OBTINENDVM LVMEN INTELLIGENTIÆ.

COLLOCVTIONIS SANCTÆ FRVCTVS.

SCRIPTVRÆ SACRÆ VIS.

CONVERSIONIS S. IVSTINI PRINCIPIVM.

Tale igitur fuit conuersionis Iustini ad veram Christi fidem, post impensam profanis auctoribus atque philosophis multam operam atque industriam, post perquisitam magno labore ac sudore, hic atque illic, & inuentam nullibi veritatem, tale, inquam, fuit ex vnicâ, & ea quidem fortuitâ cum homine sapiente & cordato congressione atque colloquio, conuersionis eius principium. Adeò iuuat in viros probos & eruditos vel casu incidere, atque eorũ sermonibus ac monitis (nec enim absque Dei nutu proferuntur) sedulò aurem animumque commodare. Atque hic sanè Domini Dei, animas agnoscendæ veritatis studiosas suauiter ad se pertrahentis, mirifica bonitas & sapientia mirabiliter elucet. Nam primò quidem per varias diuersorum philosophorum sectas, hominem cælo destinatum siuit euagari, tam vt ne ab ijs postmodò caperetur iam Christianus, quàm vt alios è fallacibus eorum captiunculis scienter explicaret: deinde verò, vbi omnis profanæ eruditionis iam satis gnarum è mundi tenebris educere, atque ad se pellicere constituit, tum illum à turba & strepitu populari, in seiunctum ac tranquillum locum euocauit, vbi solus cum solo ageret, & occultos agnoscendæ veritatis igniculos animo subijceret: postremò denique aliquem, seu hominē, seu angelum, illi misit (nam in conueniendo quidem & disputando hominem; in commonendo autem & valedicendo angelum, quisquis demum fuit, senex ille repræsentauit) qui ore & habitu reuerendo sibi audientiam promeritus, eò tandem perduxit colloquium, vt vnde hauriri liquida veritas posset, indicaret, digitumque, vt aiunt, ad fontem intenderet. Nam Iustinũ partim ad diuinorum librorum lectionem, hoc est, ad aquas salientes in vitam æternam, allegauit: partim ad precandum Deum, ex quo omnis scientia, & sapientia, velut è fonte, dimanat, pro impetrando veræ fidei atque intelligentiæ lumine est cohortatus.

SOLITARIA LOCA DIVINIS ILLVSTRATIONIBVS APTISSIMA.

SCRIPTVRÆ SACRÆ LECTIO.

PRECATIONES AD VERITATIS COGNITIONEM IMPETRANDAM VTILES.

Paruit bene monenti Iustinus, & imperata impigrè fecit: neque hoc tantùm, sed & alijs quoque ad eundem veritatis scopum tendentibus, eadem vt graderentur viâ, bonus auctor atque hortator fuit. Quod si omnes, qui studijs melioribus, seu Philosophicis, seu Theologicis, seu quibuscumque alijs ætatem addixère suam, seriò æmulari in animo defigerent, idque contentè cum Dei auxilio peragerent; næ illis quoque, vt nunc B. Iustino, & aliàs multis Sanctorum (qui priùs in gentilitijs tenebris cæci deerrabant) vsu venit, portæ illæ lucis panderentur, & affulgente de cælo claritate, vis ingenij atque iudicij, ad capessenda fidei virtutumque mysteria & ornamenta, maiorem in modum inclaresceret. Nam quod dixit Dominus, *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*, id in Iustino longè verissimum exstitisse clarissimo experimento deprehensum est. Petijt enim, & accepit: quæsiuit, & inuenit: pulsauit, & lucis ac veritatis portam apertam obtinuit. *Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit;*

Lucæ 11. ver. 9.

Ibidem ver. 10.

inuenit; & pulsanti aperietur; inquit eadem illa æterna Veritas: sed ei præsertim, qui sic petit, & quærit, & pulsat, vt IVSTINVS: qui tanquam illud Sapientis audiuisset, legissétue: *Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ; si quæsieris eam, quasi pecuniam; & sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies;* tanquam illud, inquam, Sapientis, legendo audiēdóue cognôsset, prorsus eam quasi pecuniā, immo longè prę pecunia (quā vt germanus contemnebat philosophus) quæsiuit; & *sicut thesauros,* quin & prę omnibus thesauris *effodit,* inuenit, propriam sibi fecit. Neque hoc tamen absque graui cum aduersarijs, qui sanctum eius propositum oppugnare institerunt, labore atque lucta. Sed quàm insignem, Dei beneficio, aduersus omnia quorumlibet tentamenta victoriam retulerit, iam exponemus.

Prouerb. cap 2. ver. 3.

CAPVT III.

Iustini aduersus obiecta in vitæ mutatione retinacula, industrius labor, & præclara victoria.

POstquam Iustinus è senis illius, velut de cælo missi, consilio atque auctoritate, ad perlegenda sacrarum litterarum volumina, magno animi impetu atque ardore totum se applicuisset, simúlque prisca Sibyllarum vaticinia cum oraculis Prophetarum attentè commisisset, animaduerso amborum inter sese pulcherrimo consensu, cœpit paullatim, docente intus ac permouente spiritu, ad perfectiorem Dei & Christi cognitionem cōnitendo assurgere. Hinc & Christiana religio magis ac magis in dies ei arridere, atque à gentilismo & alijs sectis ad se pertrahere: sed erant tamen nonnulla, quę inclinantem ad illam animum non mediocriter deterrerent: nimirum crebræ in Christianos & infamiâ plenæ, liberéque volitantes calumniæ, quæ à vulgo pro certis habitæ hoc saltem efficiebant, vt se hominibus tam sinistrè audientibus fratrem aut consodalem adiungere vereretur, nempe quos passim infandis flagitijs contaminatos, non communis tantùm, sed & constans rumor spargebat: quos suis in conuentibus promiscuâ solitos inquinari voluptate, & vnà cum exstinctis luminibus castitatis splendorem exstinguere, ac peccatorum fœditatem simul & pudorem quasi tenebris obtegere: adeóque, luporum instar, vorare homines, & fraternis vesci carnibus palàm criminabantur? Nam his ac talibus rumusculis exosos reddere cunctis gentibus Christianos, tam Græci, quàm Iudæi in more tum habebant. Nempe vt homines illorum ignari antè eos odisse inciperent, quam nôsse. Verùm cautè ac prudenter hîc agere Iustinus, nec sinere se à turba ritu plebeio abripi, nec arreptis è triuio conuitijs temere credere; sed pedetentim & more philosophico incedere, scrutari, explorare,

SIBYLLARVM VATICINIA IVVANT AD FIDEI AGNITIONEM.

CALVMNIÆ IN CHRISTIANOS.

PHILOSOPHI EST NON TEMERE CREDERE CALVMNIIS, SED EXAMINARE.

plorare, discutere sedulò & attentè omnia, & num ita in re esset, atque in sermone ferebatur, diligenter examinare. Siquidem non ignorabat eà ætate & grauitate philosophus, sæpenumero in popularibus ac turbidis hominum iudicijs ac voluntatibus euenire, vt ij essent innocentissimi, qui accusarentur, vt nocentes; & castissimi, qui infamarentur, vt incesti; & pientissimi denique ac religiosissimi, qui vt impij atque irreligiosi condemnarentur. Non cadere autem in Christianos tam turpes calumnias, cùm ex alijs argumentis, tum ex eorum admirabili, in morte pro Christo obeunda, fortitudine colligebat. Quod quidem ipse iam Christianus, in sua posteriore apologia, contestari non prætermisit. *Etenim ego ipse*, inquit, *qui Platonis institutis delectabar,*[d] *cùm Christianos calumnijs lacessitos, neque mortem expauescere, neque eorum, quæ horrenda multis videntur, quidquam reformidare animaduerterem, mecum ratiocinabar fieri haud posse; vt eiusmodi homines, aut vitijs essent obnoxij, aut voluptatum cupiditatibus irretiti. Quis enim, vel assecla voluptatis, vel gulæ mancipium, vel carnium humanarum helluo, mortem eam libenter oppetat, qua suis se exspoliandum bonis sciat? ac non potius & vitam prorogare fruendis voluptatibus, & latere ac fallere Principes elaboret, nedum ad cædem atque mortem indicium sui faciat?* Et infrà ibidem. *Vtinam verò aliquis modò existeret, qui sublimi è suggestu, voce tragicâ exclamaret! Pudeat, pudeat vos ea, quæ ipsi palàm admittitis, ad insontes transferre, & quæ vobis Dijsque vestris conueniunt, ea illis obijcere, ad quos ne minima quidem suspicio pertinet. Mutate, mutate mentem, & resipiscite. Nam & ego peruersa eorum figmenta, per malos genios diuinæ Christianorum doctrinæ ad homines ab ea auertendos obiecta cùm didicissem; tam ista fingentes, quàm figmenta ipsa, & receptam à multis opinionem irrisi; atque adeò, vt haberer Christianus, & optasse me, & omni contentione laborasse profiteor.* Ita de se Iustinus.

FORTITVDO CHRISTIANORVM IN MORTE CONTEMNENDA.

CONTEMPTORES MORTIS MINIME SVNT VOLVPTARII.

Diligenti igitur inquisitione vsus deprehendit alia omnia, quàm in vulgus de Christianis homines improbissimi sparserant; tantumq; abesse illos a confictis in se criminibus; vt neque maiorem vsquam, neque illustriorem, quàm in natione Christiana pietatem, caritatem, castimoniam, æquitatem, opum denique ac honorum despicientiam inueniret. Quod ipse postea non semel, sed sæpius, in scriptis suis est professus. Quare in eorum se numerum aggregare desiderans, omnibus Academicis, Stoicis, Peripateticis, Pythagoreis, & cuiuscumque sectæ philosophis, vt vna se Christi schola tiro nouus includeret, res suas habere iussit. Denique vt totam conuersionem breuiter complectar: Iustinus Philosophus ex Sibyllarum & sanctorum Prophetarum lectione, ad vnius veri Dei & Christi Saluatoris agnitionem prouectus, ex bono Christianorum odore & exemplis virtutum, ad fidei amorem pellectus, & postremò ab æterno Patre ad filium Christum, inspirata fide pertractus, bonæ eius militiæ nomen dedit, seque salutaribus

VIRTVTES CHRISTIANORVM EXCELLENTES.

CONVERSIONIS S. IVSTINI AD FIDEM SVMMA.

TEMPVS CONVERSIONIS S. IVSTINI.

taribus aquis abluendum, & initiandum ecclesiæ obtulit.[f] Quod extremis accidisse Hadriani Imp. temporibus, aut certè primis Antonini Pij eius successoris, sub annum scilicet Domini centesimum quadragesimum, qui vtriusque iunxit imperium, quàm probabilissima est sententia. Tam pulchræ porrò conuersionis principio atque fundamento quid nouus Christi Philosophus superstruxerit (non enim, opinor, *ligna, fœnum, stipulam*, sed *argentum* potius *aurum, lapides preciosos*, per quæ diuinus Paullus varia egregiarum virtutum ornamenta intellexit) nobis deinceps considerandum est.

1. ad Cor. 3. ver. 10.

CAPVT IV.

Iustini, à sua ad Christi fidem conuersione, insignes in virtute & studio sacrarum litterarum, progressus.

IActo igitur super firmam petram (qui Christus est) bono spiritualis ædificij fundamento, mox superædificare Iustinus, quę Deo placita, & à Paullo fideli eius seruo commendata nôrat, incepit, *iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem*, ac reliquum denique Christianarum virtutum, vsque ad ipsum culmen, perillustrem chorum. Atque vt ad labores Dei caussa subeundos, & ad suscipienda cum aduersarijs certamina magis idoneum se præstaret, longè iam ardentiori quàm antehac studio & sacras litteras perscrutari, & earum doctores ac magistros, Apostolorum scilicet discipulos & successores, assectari, audire, consulere cœpit. Sed precibus tamen potissimè, ad perfectiorem earum intelligentiam cælitus obtinendam, eò vsque institit, donec lucis portas, iuxta senis verbum, latè apertas habuit.[b] Nam donum intelligentiæ Scripturarum sibi diuinitus collatum compluries in dialogo cum Tryphone indicauit. Siquidem illa etiam ætate, non istud modò, sed alia quoque sancti Spiritus dona prolixè ac liberaliter in Christianos effundebantur: prout quisque scilicet à suscepto vndæ salutaris baptismate (ita scripsit ipsemet Iustinus) sese ijs dignum donis exhibebat. Nam de suo ipsius viuentis æuo loquens,[c] *Ideo*, inquit, *differtur à Deo iudicium, quòd nonnulli quotidie derelictâ erroris viâ, ad Christi fidem conuertantur, qui per eiusdem Christi nomen illuminati, dona quisque accipiunt, prout digni sunt, alius fortitudinis, alius sanationis, alius præscientiæ, alius doctrinæ, alius timoris Domini.* Quorum sanè donorum haud mediocrem portionem ipsummet suscepisse, illa quæ exstant eius scripta, & emicantes in ijs Spiritus gratiæ satis manifestant.[d] Nam certè admodùm sollicitus fuit, ne tanta Dei beneficia infructuosa, & quasi thesaurum absconditum retineret. Sciebat enim, & probabat illud ab Ecclesiastico sapienter dictum: *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtrisque? Melior est homo, qui abscondit stultitiam*

1. ad Tim. 6. ver. 11.

DONVM INTELLIGENTIÆ IN S. IVSTINO.

IVDICIVM DEI CVR DIFFERATVR.

Ecclesiastici 41. ver. 17.

tiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam. Quare confestim id sibi negotij suscepit, vt perceptam sacræ fidei doctrinam, & effusas in se Spiritus sancti dotes, cum alijs quàm posset plurimis, absque vlla laborum & sudorum parsimonia communicaret. Neque enim ingratus esse de Dei donis voluit, vt illa amitteret; sed multò gratissimus, vt augeret. Primò igitur ad Gentilium conuersionem studia & cogitationes suas applicuit, eósque non priuatis modò colloquijs aut publicis disputationibus, sed etiam editis in lucem libris, ad suæ salutis curam lacessiuit. Quibus in libris, partim cur ab illis & à falsorum Deorum cultu desciuisset, illorum propalatâ vanitate palàm fecit: partim viam, quæ ad inueniendam veritatem ipsis tenenda esset, aperuit.[e] Nempe ante omnia, Sibyllarum libros, velut necessarias ad oracula prophetarum præexercitationes, commendauit: deinde prophetas ipsos, & alia deinceps sacra volumina peruoluenda atque meditanda edocuit.[f] Quam in rem libros tres elaborauit: vnum quidem, nomine *Elenchi* seu *Redargutionis, ad Gentiles*: alterum nomine *Parænefeos* siue *Cohortationis* ad eosdem: tertium, *De Dei monarchiâ*, inscriptum: atque in primo quidem rationem adfert, cur à gentilismo seu Deorum cultu, ad Christianam religionem desciuerit: in secundo autem contendit, non esse in fidei negotio, nec Poëtarum, nec Philosophorum auctoritati innitendum, sed Prophetarum potiùs standum iudicio, qui istis longè antiquiores fuerint, & ex quibus isti, si quid fortè boni habuerunt, decerpserint. In tertio denique, vnicum esse Deum & monarcham, ex ipsis Gentiliũ libris eruit.

AD GENTILIVM CONVERSIONEM QVÆNAM IVVENT?

LIBRI EAM IN REM CONSCRIPTI.

PROPHETARVM LIBRI COMMENDANTVR GENTILIBVS.

Post hæc erudiendis firmandisque in fide Catholicis gnauiter operam impendit. Quâ etiam de caussâ, varias orbis partes more Apostolico peragrauit,[g] ac Romam quidem profectus,[h] in colle Viminali, apud Thermas Timothinas, domicilium siue potiùs hospitium habuit, ibidémque cunctis ad se doctrinæ caussa ventitantibus sui copiam fecit: &[i] Marcioni hæresiarchæ tum adhuc in vrbe superstiti, & cuncta, lupi instar, vastanti fortiter restitit, atque insignia in eum volumina conscripsit: cùm iam antea & volumen aliud, *Contra omnes hæreses* emisisset. Neque destitit quacumque occasione, tam illas quàm illarum auctores in apertum protrahere, persequi, impugnare.[m] Nonnulla enim à quibusdam hæreticis eáque horrenda facinora patrabantur; quæ, quòd se etiam ipsi Christianos vocitarent, in verè & piè Christianos redundabant, totámque nostræ fidei rationem, tam Iudæis quàm Gentilibus mirè exosam reddebant. Quare hic noster Philosophus, homo, siquis alius, sollers & acutus, nihil melius, nihilque magis necessarium illo rerum statu iudicauit,[n] quàm vt Christiani nomen explicaret, distingueret, quibus iure conueniret, à quibus iniuriâ vsurparetur, ostenderet: denique efficeret, vt nemo propter hoc nomen, sed propter scelera, quæ quisque commisisset, plecteretur.

ROMÆ DOCET S. IVSTINVS.

MARCION HÆRESIARCHA.

HÆRETICORVM PVDENDA FACINORA.

retur. Quemadmodum enim nemo philoſophus, quamuis malus, propter nudum philoſophi nomen pœnâ afficitur, ita neque Chriſtianum, propter ſolam Christiani appellationem, vllo multandum eſſe ſupplicio contendebat. atque vt multos eſt reperire, qui philoſophi nomen, quod ſolis verè philoſophis quadrat, ſibi perperam arrogent; ſic, inquiebat, & Chriſtiani. Denique hoc inter alia, declaratis hæreſiarcharum nominibus atque erroribus, eſt boni aſſecutus, vt & ij qui ad religionem Chriſtianam erant propenſi, cautè attenderent, in quorum ſe magiſtrorum diſciplinam traderent; & qui noſtræ fidei ſacramentis initiati iam erant, iſtorum ſe figmentis circumueniri nequaquam ſinerent. Cùm autem tranquilla re Chriſtiana fuerit eius labor admodum vtilis; tum verò eâ varijs infeſtationibus agitatâ, quemadmodum iam dicetur, perquam neceſſarius.

CHRISTIANORVM NOMEN CVR GENTIBVS EXOSVM.

CAPVT V.

Iuſtini pro Chriſtianis, in tempore ipſis aduerſo, apud Imperatores apologia & victoria.

POſt nauatam in conuertendis Iudæis ac Gentilibus, & in hæreticis itidem confutandis inſignem operam, tertium ſibi laborem, & verè Regis opus, contra iniquos ac truculentos in Chriſti gregem magiſtratus, generosè aſſumpſit.[a] Tametſi enim Hadrianus Imperator, partim [b] ſanctiſſimorum virorum Quadrati & Ariſtidis pro fide noſtra defenſionibus, partim Serenij Graniani litteris permotus, incitatam in Chriſtianos perſecutionem repreſſiſſet, nec in eos Antoninus Pius Hadriani ſucceſſor quidquam impiè crudeliterue hactenus ſtatuiſſet; non deerant tamen, qui dæmone inſtigante, tam turpes illis ſæpenumero calumnias inurerent, vt totum Chriſtianum genus, grauiſſimorum ſcelerum infamiâ, quamuis immeritò, laboraret. His accedebat ipſorum magiſtratuum, impietate & auaritiâ, velut duabus furijs ardentibus, inflammata ſæuitia. In ius ergo atque ad cruenta tribunalia, optimi quique Catholicorum, immanibus confictis criminibus, raptabantur: à quibus ſi nihil aliud quàm pura veritas extorqueri poſſet; tum [c] ipſorum ſerui, pueri, mulierculæ in quæſtionem & tormenta pertrahebantur: quò ſcilicet infirmiora membra, vi horrendorum cruciatuum, ad obiectorum ipſis flagitiorum confeſſionem nec confeſſionem adigerentur. Quare cùm hæc inualeſceret immanitas, multique varijs in locis Preſectorum ac Præſidum malitia, cauſſis nec auditis, nec examinatis, neci traderentur; Iuſtinus tantam rei indignitatem non ferens, eam Antonino Pio Imperatori, eiúſque filijs Cæſaribus ab ſe exponendam, & ſuſcipiendum palàm ac manifeſtè totius Chriſtianæ religionis patrocinium duxit. [d] Qua de cauſſa nobilem illam apologiam [e] ſub annum Domini centeſimum

CALVMNIÆ IN CHRISTIANOS.

SERVI, PVERI, MVLIERCVLÆ CHRISTIANORVM IN QVÆSTIONEM TRACTI.

tesimum quadragesimum secundum exarauit, quam ipsis, & vniuerso senatui, cum hac memorabili inscriptione, dedicauit.

[f] *Imperatori Tito Aelio Hadriano, Antonino Pio, Augusto Cæsari, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Philosopho Lucij quidem Cæsaris natiuo, Pij autem adoptiuo Filio, eruditionis amatori; sacroq; senatui & populo Romano vniuerso; pro ijs, quos omne hominum genus odio & calumnijs iniuste prosequitur, Iustinus Prisci Bacchij filius, Flauiæ Neapoleos Syriæ Palæstinæ ciuis, vnus ex ijs, hanc orationem, & libellum composui.*

IVSTINI FORTITVDO ET LIBERTAS IN CONFESSIONE FIDEI.

Quá fidei professione atque contestatione coram Gentilibus Imperatoribus, & Senatu, populóque Rom. factà, nescio an fortius quicquam reperiri possit atque animosius. *Pro ijs*, inquit, *quos omne hominum genus odio atque calumnijs iniustè prosequitur*, hoc est, pro Christianis, *Iustinus prisci Bacchij filius, Flauiæ Neapoleos Syriæ Palæstinæ ciuis, vnus ex ijs*: scilicet, Christianis. Quibus in verbis manifestè profectò ostendit, neque latere se velle, vt timidum; neque odia & calumnias reformidare, vt pusillanimem: sed vereri potius; ne, quis ipse sit, non agnoscatur, nisi addat: *Prisci Bacchij filius*, vel cuias sit, nesciatur, nisi adijciat: *Flauiæ Neapoleos Syriæ Palæstinæ ciuis*, vel denique ne ignoretur esse Christianus, nisi superaddat, *vnus ex ijs*, id est, etiam ipse Christianus. Quæ sanè verba omnia, non ardentem modò constantémque fidem; sed Christianam quoque modestiam & egregiam animi submissionem spirant. Siquidem non dixit: *Iustinus Philosophus*, aut *Orator*, aut *dux & defensor patronúsq; Christianorum*, quæ dicere omnia absque mendacio aut inani gloria potuisset, sed dixit: *Vnus ex ijs*: quasi diceret, vnus aliquis de illorum numero gregarius, quos totus mundus odit & calumniatur, & eiusdem cum ipsis odij atque calumniæ, lubens volens, Christi caussà socius & particeps. Vt autem apologiæ inscriptio, sic tota apologia fortitudinis atque constantiæ plena fuit. In qua primò docuit Christianos, nec ob nomen, nec ob mores, nec ob doctrinam supplicio vllo esse dignos, idq; cùm alijs rationibus, tum productis Christi ipsius documentis planum fecit: quæ documenta cum Gentilium collata institutis, nihil habere, nec à pietate, nec à recta ratione alienum, euidenter ostendit. Deinde acriter refutatis Deorum fabulis atque spurcitijs, Domini IESV vitam multis retro sæculis per Prophetarum oracula prænuntiatam, laudatis eorundem testimonijs, manifestissimè commonstrauit. [g] Simonem verò Magum hæresiarcham, qui magicis illusionibus adeo Romam ipsam dementauerat, vt Deus erectà statua & inscriptà: *Simoni Deo sancto*, passim haberetur; & cum illo vnà [h] Menandrum nouæ satorem superstitionis meritò infamauit, istiúsque euertēdam statuam, vtpote hominis plani ac deceptoris nefarium monumentum censuit, palámque postulauit. [i] Denique ipsa initiationis & sanctificationis

APOLOGIÆ IVST. NI PRO CHRISTIANIS SERIES.

SIMONIS MAGI HÆRESIARCHÆ ET MENANDRI SVCCESSORIS HÆRESES DENOTATÆ.

nis nostræ abdita mysteria, hoc est, Baptismi & Eucharistiæ, corúmque ritus, (ne forte celando haud fideliter agere videretur) ijsdem scriptis suis propalare non dubitauit: Ad extremum verò omnem apologiam ita conclusit; vt diceret se posse quidem ex litteris Hadriani Imp. eorum parentis efflagitare, vt nihil aduersus Christianos, nisi ex caussa scelerum, acerbiùs statueretur; verùm non tam propter illius præiudicium & auctoritatem, quam propter postulationis suæ æquitatem, id se efflagitare. [k] Tum ipsius epistolæ Hadriani exemplum subiunxit; quò etiam in hoc eius fides veritásque cõstaret. Huius porrò apologiæ fructus fuit, Antonini Pij Imp. erga Christianos homines, [l] teste Paullo Orosio, clementia atque benignitas. Dedit enim idem Antoninus Pius ad Præfectos, ac Præsides prouinciarum [m] litteras pro Christianis, epistolæ patris sui Hadriani conformes, & rescriptum item ad Asianos, quod hodiéque extat, & est eiusmodi:

APOLOGIÆ IVSTINI FRVCTVS.

Imperator Cæsar, Titus Ælius Hadrianus Antoninus Augustus, Pius, Pontifex Maximus, Tribunitiæ potestatis xv. Cons. iv. Pater Patriæ, populis Asiæ, Salutem.

ANTONINI PII IMP. PRO CHRISTIANIS EDICTVM.

Equidem existimârim Dijs quoque ipsis curæ esse, ne huiusmodi homines lateant. Multo enim magis Dij, si quidem possint, vindicauerint in eos, qui adorare ipsos nolunt. Contra quos tumultum ipsi concitatis, & sententiam eorum tanquam impiorum sugillatis, & alia quædam obycitis, quæ probare non potestis. Atque ipsis quidem vtile fuerit, propter ea de quibus accusantur, mortem oppetere. Dum enim animas suas proijciunt, magis de vobis triumphant, quàm si obsequentes postulata vestra peragerent. Ad terræmotus autem tam præteritos quàm præsentes quod attinet, non alienum videtur commemorare, quomodo, dum eueniunt, animos despondeatis, & quæ vobis sunt propria, in eos transferatis. Nam ipsi quidem Deo magis quàm vos confidunt, Quippe qui per eiusmodi tempus, & ignorare Deos videmini, & res sacras negligitis. Nam religionem erga Deum non intelligitis: vnde & eam obseruantes inuidia persequimini, & ad mortem vsque infestatis. Super huiuscemodi iam & alij quidam prouinciarum Rectores diuinissimo patri meo scripserunt: quibus ille rescripsit, nihil molestiæ facessendum esse talibus viris, nisi si aduersus Romanum imperium moliti esse quippiam deprehendantur. Quin & multi ad me de ijsdem litteras dederunt, quibus ego conformiter patris mei sententiæ respondi: nimirum, si quis cum Christiano homine habens negotium, tanquam Christianum eum deferat, is quidem qui delatus fuerit, crimine absoluatur, tametsi reipsa sit Christianus: qui verò detulerit, pœnæ sit obnoxius. Hactenus edictum. Quo si maleuolorum in Christianos audacia atque temeritas repressa est, & populo Dei quies aliqua & tranquillitas per orbem conciliata, haud sanè dubium esse potest, quin tanti beneficij summa Iustino patrocinatori accepta referenda sit. Quorsum autem

HADRIANI IMP. RESCRIPTVM PRO CHRISTIANIS.

tem ſedatâ perſecutionis tempeſtate homo indefeſſus curſum conuerterit, quoſnam & qua de cauſſa adierit, quæ negotia ſtudiáue tractauerit, iuuat per impreſſa eius veſtigia indagare.

CAPVT VI.

Iuſtini in Aſiam profectio: & eiuſdem cum Tryphone Iudæo, in vrbe Epheſo, congreſſus.

[a] POſt oblatam in vrbe Roma Imperatoribus Apologiam, & impetratum pro Chriſtianis ſuperius edictum, [b] profectus eſt Iuſtinus in Aſiam, ſecúmque vnà, vt vero eſt ſimillimum, edicti exemplum detulit, atque vt Epheſi in communi Aſiæ promulgaretur, ex Cæſareæ auctoritatis indulgentia obtinuit. Nam [c] & propoſitum ibi edictum idonei Auctores diſertè teſtantur; & ſub idem ipſum tempus fuiſſe Epheſi Iuſtinum certò conſtat. Illic enim cùm hac tempeſtate moram ageret, & [d] ſub pallio philoſophico, ([e] quod nunquam dimiſit) animas venaretur, commodùm accidit, vt Tryphon homo nobiliſſimus, & vnus è ducibus Iudæorum in eo bello, quod à Barchocheba aduerſus Hadrianum Imp. geſtũ eſt, iſque ſacrarum litterarum, pro more gentis, & ratione conditionis, admodum gnarus, in eum fortè [f] in xyſto deambulantem incideret, eiúſque tanquam philoſophi (neſciebat enim eſſe Chriſtianum) appeteret congreſſum, & ex congreſſu, ei Dialogo, qui à Iuſtino ſcriptus iam exſtat, occaſionem miniſtraret. Quidquid enim inter ipſos tum intercellit colloquij & diſputationis, quæ biduum ipſum tenuit, hoc poſtmodùm in lucem Iuſtinus edidit, & [g] Marco Pompeio dedicauit. Ratus ergo Tryphon è Iuſtini habitu, vnum aliquem ſe offendiſſe ex Academiæ Philoſophis, adit cominus, & vnà cum comitibus ſuis illum aggrediens, *Salue*, inquit, *Philoſophe*, Ad quem conuerſus Iuſtinus, *Ecquidnam*, ait, *potiſſimùm rei?* Cui ille, *Edoctus ſum*, inquit, *Argis a Corinto Socratico, haud contemnendos eſſe, qui iſtoc vtantur habitu: ſed eorum conſuetudinem ac familiaritatem prorſus ambiendam: quandoquidem ſpes ſemper affulgeat alicuius in alterutram partem vtilitatis emerſura: quod autem alterutri profuerit, ambos iuuerit. Hinc ego cùm in eiuſmodi habitu quempiam conſpexero, perlubenter adire atque affari ſoleo, quemadmodum & te nunc lubenter ſum affatus. Hi autem comites mei & aſſeclæ cupidi itidem ſunt aliquid, quod ex vſu ſit, abs te audiendi.* Ad quem Iuſtinus, deflexo nonnihil in rem præſentem [h] Homeri verſiculo, blandè iocabundus, ita viciſſim ſciſcitatur:

EDICTVM ANTONINI PII IMP. PRO CHRISTIANIS EPHESI PROMVLGATVM.

TRYPHONIS IVDÆI CVM IVSTINO CONGRESSVS DE PHILOSOPHIA ET RELIGIONE.

Sed tu quiſnam hominum, dic præſtantiſsime nobis? Homerus Iliad. lib. 6.

Cui ille & nomen & genus ingenuè exponens, *Mihi nomen eſt Tryphon*, inquit: *ſum autem Hebræus ex circumciſione:* [i] *& è bello nunc geſto profugus,*

profugus, atque in Græcia & Corinthi præcipuè degere solitus. Tum Iustinus, arreptâ hinc occasione sermonis ad res salutares deriuandi, atque à Iudaicis ad Christianos ritus pedetentim deducendi, *An tu verò* inquit, *tantum è Philosophia capere potes emolumenti, quantum è legislatore tuo & prophetis? Quidni?* respondit ille. *An non Philosophi totos de Deo sermones contexunt? An aliud eorum quæstiones, quam de monarchia, de prouidentia disputant? Aut fortè non est philosophiæ partiũ, de diuinis perscrutari? Est omnino,* subiecit Iustinus: *nostra quoque hæc est sententia. Verum plurimi ne hoc quidem curant, vnúsne, an plures sint Dij? & eorúmne prouidentia ad vnumquemque nostrûm se extendat, an secus? Quasi nimirum eiusmodi cognitio nihil ad beatitudinem momenti admodum importet.*

DEVS SINGVLORVM HOMINVM CVRAM GERIT.

Quin etiam persuadere nobis contẽdunt, totius quidem vniuersi, & generum ac specierũ curam Deum administrare, sed mei, & tui, & cuiusque nostrûm singillatim, haudquaquam. Nam si aliter esset, inquiũt, nihil caussæ haberemus, quamobrem eum precibus dies noctésque fatigaremus. Hæc autem quò tendant, haud difficile est animaduertere. Siquidem illis cordi est libertas, & licentia quiduis dicendi, & sectandi eos, qui docẽt licere omnia ex arbitrio & dicere & facere, nihil à Deo mali formidantes, nihil sperãtes boni. Quomodo enim aliter sentiant, qui omnia semper eodem statu futura iactitant? ita scilicet vixisse homines hactenus, ita victuros in posterum, nihilo peiores, nihilo meliores. Quidam verò statuentes animam immortalem & incorpoream, si quid improbè patrauerint, se nullam luituros pœnam arbitrantur (nam quod incorporeum, idem, aiunt, est impatibile) neque proinde, cùm sit immortalis, Deo indigere autumant. Quibus dictis vrbanè subridens Tryphon, *Tu autem,* inquit, *de his quid sentias, quámue opinionem de Deo teneas, nobis edissere: Exponam ergo,* ait Iustinus,

PHILOSOPHIÆ LAVS.

quod mihi videtur. Est sanè philosophia bonum maximum & Deo gratissimum: quippe quæ sola nos ad eum adducat, eiq́; commendet. Atque ij demum verè iusti & sancti sunt, qui philosophiæ animum addicunt. Quid autem sit philosophia, & quam ob caussam ad mortales demissa, permultos latet.

VNDE PHILOSOPHORVM DIVERSÆ SECTÆ NATÆ SINT.

Nam si nôssent, sanè cum vna eademq́; sit scientia, nec Platonici essent, nec Stoici, nec Peripatetici, nec Theoretici, nec Pythagorei. Vnde autem multiceps facta sit, dicam. Qui philosophiam primi attigère, magno in honore & gloria apud homines fuerunt. Hinc eorũ sectatores, nihil de veritate perquirentes, sed eorum duntaxat fortitudinem, continentiam, doctrinæ nouitatẽ admirantes, vera esse quæ à Magistro suo quisque didicisset, existimarunt. Qui deinde ipsi hæc & alia his similia ad posteros transmittentes, eo cœperunt nomine appellari, quo fuerat ipsius disciplinæ parens appellatus. Denique Iustinus, his quasi gradibus in materiam de Deo, quatenus quidem à philosophis ea tractatur, ingressus, sensim ad conuersionis suæ narrationem, indéque ad disputationem de vera fide; ac demum ad ea, quæ Christianos inter & Iudæos versantur in controuersia, sermonem vniuersum trãstulit. In cuius quidem decursu,

ſu,ſimili propè zelo aduerſus Tryphonem & eius comites Iudęos,ſiue cohortando,ſiue increpando,efferbuiſſe animaduertitur, quo olim (hoc eſt centum viginti circiter antè annis) aduerſus eorum patres ac maiores, vſus fuerat Hieroſolymis ſanctus Stephanus. Quod cùm ex alijs pluribus locis;tum ex ea huius dialogi parte, vbi eorũ ingratum, impium,immitémque animum redarguit,licet intelligi. Sic enim dixit: *Quemadmodum & vos,*inquit,*ſemper feciſtis, qui interdum quidem vitulum conflâſtis,ſemper autem ingrati & iuſtorum interemptores, & faſtu inflati propter genus veſtrum exſtitiſtis.* Et rurſus: *Hæc cùm ſæpe audiatis,*inquit,*tamen non erubeſcitis;neque interminante Deo perhorreſcitis,ſed populus ſtultus & vecors eſtis. Ideo ecce ego addam, vt trãsferam populum hunc,dicit Dominus,& transferam eos, & perdam ſapientiam ſapientum,& prudentiam prudentum abſcondam. Et ſanè meritò. Nec enim ſapientes eſtis, neque prudentes,ſed acres atque verſuti:ſapientes tantùm ad malè faciendum,ad cognoſcendum autem conſilium Dei abſconditum,& teſtamentũ Domini fidele,& ad inueniendas ſemitas ſempiternas nulli.* Ita ille. His conſimilia ſępè & aliàs,ex oblata Scripturarum occaſione,tanquam iuſta in eos ira ſtimulante,congeſſit,Quæ tamen illi, admiratione potiùs zeli,quàm hominis odio perculſi, tacitè,patiénterque audierunt. Poſtremò tam multa de vetere inſtrumento,& tam clara pro Chriſto teſtimonia protulit; & ita cum nouo conſonare teſtamento euidenter oſtendit;vt eius diſſertatione capti, [k] altero quoque die eum audire depopoſcerint,ſecúmque vnà complures ad audiẽdum adduxerint. Qua etiam ſecundæ diei finita diſputatione,cùm de abſceſſu ſuo indicâſſet, [l] permagnum illi præ ſe ferre eius retinendi deſiderium,ſimúlque declarare victam eius ſapientia expectationem ſuam;ac futurum fuiſſe, ſi inceptâ vti conſuetudine diutius licuiſſet; vt plus quoque ad ipſos vtilitatis emanaret;verùm ſe rogare,quandoquidem in procinctu eſſet,ſaltem vt abſens tanquam amicorum meminiſſet. Quibus Iuſtinus, *Vel meâ,* inquit,*ipſius cauſsâ,ſi hic morari cõtingeret,tales quotidie congreſſiones appeterem,ſed cum ſoluendi tempus in horas opperiar,vos auctore & adiutore Deo exhortor, vt in hoc maximum de ſalute veſtra certamen ſeriò incumbentes, Chriſtum Dei omnipotentis longè doctoribus veſtris anteferre ſtudeatis.* Poſt quę verba, illis ſecundam ei nauigationem apprecatis,& iam abeuntibus poſtremùm vale dicens: *Nihil vobis,*inquit,*à Deo maius optare poſſum, quàm vt agnoſcentes hac via,hominum mentes illuſtrari, idem quod nos agatis, & hunc noſtrum eſſe Chriſtum Dei,vobis perſuaſum habeatis.*

Ita biduano colloquio finis eſt impoſitus. In fructúmne autẽ exierit Iuſtini ſemen, & an Chriſti fidem Tryphon & comites eius poſtea cõplexi ſint,tametſi haud prorſus liquet; tamen in ſpem bonã venire ex declarato affectu licet. Certè ſuus,quidquid demũ circa illos acciderit,Iuſtino labor nõ perijt:ſed propenſæ voluntatis ac impẽſę caritatis

IVSTINI ADVERSVS IVDAEOS ZELVS.

Exodi 32. ver. 8.

Iſaiæ 29. ver. 13.

IVSTINI CVM TRYPHONE DIALOGI SEV DISPVTATIONIS FRVCTVS.

operæ precium cælo stetit. Ad hoc igitur beati viri exemplum nobis animus conformandus est: vt si quando in aliquorum à fide nostra & religione alienorum collocutionem, congressúmue inciderimus; ab illis non prius abscedamus, quàm super veræ fidei negotio & æternæ salutis cura nonnullos in eorum animis salubres aculeos defixerimus, qui vel illos ad veritatem inquirendam stimulent, vel aliquod saltem nobis operæ precium pio functis officio concilient. Sed digressi Epheso Iustini alia itinera & peregrinationes, qua quidem possumus, iam prosequamur.

CAPVT VII.

Iustini in Italiam reditus, & cum Crescente Cynico inimicitia.

QVónam relictà Epheso iter Iustinus rectà intenderit, & confestímne in Italiam, an priùs aliò, quò scilicet rei Christianæ necessitas, aliáue vtilitas inuitaret, sese contulerit, nulla equidem obseruare quiui vestigia. Proprium enim fuit magnorum, & illius pręcipuè ętatis, virorum, nulli adstrictos regioni, de loco in locum, vbi prædæ spiritualis spes aliqua affulgeret, promptissimè, aquilarum instar, aduolare. Vnde ipsius Iustini comes & sectator Tatianus, in oratione sua contra Græcos, post multorum admirabilium enarrationem, ita de se suísque itineribus: *Hæc quidem*, inquit, *non aliunde audita narraui, qui magnam terræ partem peragraui, & tum vestra studia professus sum, tum varias artes & inuentiones assecutus, tandemq́; Romæ versatus, varias eò delatas à vobis statuas condidici: ne quis forte me putet, quod plerique solent, alienis opinionibus niti; sed omnia illa, quorum ipsemet oculatus testis sum, conscribere instituo.*

TATIANVS IVSTINI DISCIPVLVS ET COMES.

Quæ verba non magis discipulo Tatiano, quàm Iustino Magistro posse congruere, ipsa eius scripta plenissimè persuadent: quippe in quibus subinde, quamuis aliud agens, postquam nōnulla retulit memorabilia, siue de Septuaginta Interpretibus in Ægypto, siue de Sibyllà Cumanâ in regione Campanię; tum se illorum quidem spectatū iuisse cellulas, cùm Alexandrię ageret; huius verò ingētem basilicam ex vno fabrefactam saxo, in vrbe Cumis, vbi Sibylla sua edere oracula solita erat, præsentem conspexisse; immo & æreum loculum, in quo seruari eius reliquię ferebantur, sibi ostensum ab eiusmodi rerum indicibus protestatur. Quanquā ergo ignotæ sint alię eius peregrinationes, tamen [a] Romam tandem alterà & postremà vice, velut postliminiò, siue adhuc Antonino Pio imperante, siue eius liberis M. Aurelio Antonino & Lucio Vero iam regnantibus, est reuersus, & eodē quo prius loco, id est, apud Thermas Timothinas, in Marci domi hospitatus, cōsuetis dicendi, disserendi, scribendi exercitijs se reddidit. Ibi Catholicis & contra hęreticos, & contra vanos ac futiles philosophos, & cōtra iniustos ac crudeles magistratus, omni ope subuenire laborauit.

SEPTVAGINTA INTERPRETVM CELLVLÆ.

THERMÆ TIMOTHINÆ.

Et

Et quia paupertatis, sobrietatis, castimoniæ cultor præcipuus semper fuerat, nuncque præsertim à suscepta Christi doctrina erat; hinc eos maximè philosophos auersabatur & exagitabat, qui in vitia his virtutibus contraria turpiter proiecti, Christianos impudentibus calumnijs lacessebant. Inter quos ea tempestate, [c] Crescens quidam, sectâ Cynicus, facilè palmam obtinebat, homo, si quis alius, sordidæ auaritiæ deditus, & turpiori quoque libidine inquinatus. Cum hoc igitur præcipuo religionis nostræ aduersario Romæ degenti, siue, vt Tatianus loquitur, *in magnâ vrbe nidulato*, voluntarias Christi caussa inimicitias suscepit: eumque, partim mores philosopho indignos exprobrando, partim acutis interrogationibus hominis inscitiam intolerabili cõiunctam arrogantiâ propalando, grauiter vulnerauit. Nam iactabat iste Crescens, impios prorsus ac sine Deo esse Christianos, simúlque popularibus, atque ad gratiam & voluptatem compositis sermonibus, homines à fide Christi absterrere, atque etiam, si posset, reuocare, omnem in modum conabatur. Quod non ferens Iustinus, iusti zeli arma induit, atque [d] in disputationis duello hominem aggressus, multis audientibus atque spectantibus, eò tandem varijs questiunculis Cynicum redegit; vt palàm omnibus fieret, nihil eum de fidei rebus atque mysterijs, quæ tam audacter ac proteruè calumniaretur, certò nôsse; sed cæcum, quod aiunt, de coloribus iudicare. Quin & puncta disputationis illius vnà cum suis interrogationibus, & absurdis Cynici hominis responsionibus in lucem emitit. Quæ etiam in altera apologia se duobus Impp. si quidem ipsi vellent, aut si antehac non vidissent, paratum dixit ostendere. Hinc ille pudoris atque ignominiæ, quam & tunc in magna mortalium corona, & pòst disperso in vulgus libello passus fuerat, impatiens ac sui impotens omnem pro hac vindicanda ignominia mouere lapidem; nihílque, quo eius auctorem Iustinum, & Iustini sectatorem Tatianum in mortem præcipitaret, intentatum relinquere. Ac de Iustino quidem, vti in tempore explicabitur, negotium peregit; [e] non autem, quemadmodum optabat, de Tatiano. Hic enim euasit, & magistri sui Iustini cum eodem Crescente inimicitias egregiè persecutus fuit. Nam & ipsum in præclara illa contra Gentiles oratione, (quam ad Magistri sui æmulationem composuit) miris quidem, sed veris, vt communem vtriusque hostem, coloribus deformauit. *Vidi quendam sæpenumero*, inquit, *& cùm vidissem, sum admiratus, & cùm admiratus essem, postea contempsi (nempe qui alius esset intrinsecus, quàm extrinsecus mentiretur) hominem scilicet perquam deliciosum, & prorsus fractum voluptatibus, & partim oculis micantem, partim manibus gesticulantem, & vultu luteo insanientem, & iam Veneri, iam Apollini assimilatum, vnum Deorum omnium accusatorem, superstitionis compendium, actionum heroicarum calumniatorem, cædium repræsentatorem, adulterij promotorem, insanæ auaritiæ magistrum,*

CRESCENTIS CYNICI CVM IVSTINO INIMICITIÆ.

TATIANVS IN ORAT. CONTRA GRÆCOS.

IVSTINI CVM CRESCENTE DISPVTATIO.

TATIANVS MAGISTRI SVI IVSTINI VINDEX.

CRESCENTIS CYNICI HYPOTYPOSIS.

gistrum, fœdißimæ libidinis doctorem, & omnium denique condemnationum auctorem, & instigatorem: & talis quidem cum esset, vidi ab omnibus prædicari. Ego vero illum cuncta mentientem, & eius simul impietatem ac studia abominatus sum. In alio autem eiusdem orationis loco, partim tacito, partim expresso nomine, vtrasque illius, tam auaritiæ, quàm impuritatis sordes sic exprobrat: *At qui tantum*, inquit,

PHILOSOPHORVM BARBATENVS, SVGILLATIO.

ab hoc mortis contemptu & tranquillitate animi se suisq; rebus contenti, ac nihil fluxum ambientis, vestri absunt philosophi; vt sint, qui sexcentos quotannis aureos nummos ab Imperatore Rom. accipiant, nullam ad vtilitatem aliam, nisi vt ne promissam barbam gratis alant. Itaque Crescens ille in magna vrbe nidulatus [Romam sic vocat] *incesto impuroq; amore cunctos anteibat: pecuniæ autem studio longè omnium erat addictißimus. Qui cum mortem contemnendam prædicaret, adeò tamen eam exhorrescebat, vt ei tanquam grandi malo Iustinum obijcere satageret: quòd is nimirum veritatem dilaudans, in voluptarios atque deceptores philosophos inueheretur.* Hactenus contra Crescentem pro Iustino Martyre Tatianus. Qui, licet ijsdem ferè vestigijs, quibus Iustinus, ad fidem peruenerit, licet eodem marte & ijsdem armis eam defenderit, licet religionis hostes acriter solidéque impugnarit; tamen, ò Dei stupenda iudicia! post magistri mortem à rectâ fidei regulâ excidit: non ita quidem, vt ad gentilitias rediret fabulas, aut in Iudaicas inclinaret cærimonias, aut Christi legem sciens volens prorsus respueret; sed ita tamen, vt dũ inimicos eius legis nimio insectatur odio, declinátque in contrarium, ab vno extremo in alterum, medio amisso, deflecteret. Ab impuris libidinibus summopere abhorrebat: Veneris mancipia, cane peiùs & angue, vt dicitur, oderat; in eos omni loco & occasione inuehebatur: è contrario, in laudandâ & suadendâ & exaggerandâ castimoniâ plurimus ac penè totus erat: cuius quoque flagranti amore ab incestis gentilium sacris, ad castæ fidei amplexus se transijsse, scriptis suis prodidit: Sic enim dixit:

CASTITATIS LAVS.

Quare ab ijs, quæ magno apud vos in honore sunt, deficere malui. Nos enim castam & frugi vitam degimus: at mores vestri luxu ac mollitie diffluunt; & qui inter mulieres & adolescentes & virgines & senes nugari nos dicitis, & quia vobiscum non sumus, conuitiamini; nugis ipsi interim intenditis græcanicis. Nam cùm vestra circa Deos studia mera sint deliria: tum vero circa mulieres indecorè vos geritis. Nam Lysippus Praxillam nihil suis carminibus vtile prolocutam sculpsit; Learchidem Menestratus, Sapphum amicam Silanion; Erinnan Lesbiam Naucydes. Deinde pluribus, quas prætereo, numeratis. *Has*, inquit, *omnes recensere volui, vt nihil noui apud nos fieri existimetis; & vestrarum, quas habetis in oculis, studia cum nostris componentes, eas quæ nobiscum philosophantur, non cauillemini. Nam Sappho quidem, muliercula meretricia, amoris œstro percita, suam ipsa lasciuiam decantat: at nostræ omnes pudicæ & intentæ lanificio*

VIRGINVM CHRISTIANARVM EXERCITIA.

ficio virgines diuina tractant eloquia; & quidē maiori, quàm puella veſtra, ſtudio. Sic Tatianus: qui pro Chriſtiana caſtitate cōtra amores gentilitios pugnās, dum in eos æquo longiùs, æſtu tam ſpecioſæ virtutis prouehitur, ac ſimul etiam ſibi ipſe, ô factum malè! plùs nimio fidens extollitur; tandem ſcientia, vt fit, in ſuperbiam deerrante, in eam opinionem incidit, obſtinauitque, vt & nuptias diceret execrabiles, & ſolam ferè continentiam cælo conſecraret. A qua quidem continentia, ' qui eum ſectati ſunt hæretici ἐγκρατῖται, *Encratitæ* græcis, *Continentes* latinis ſunt appellati. Ita quidem Iuſtino martyrij laurea; Tatiano autem, heu dolor! aliud nihil niſi vanæ famæ aura, & ea fumo leuior, collecta eſt. Qui ſi cùm magiſtro ſuo athletâ in certamen ſeſe animoſiùs immerſiſſet, neque in alia tempora, quoquo fine fecerit, reſeruaſſet; næ meliùs ſibi, meliùs eccleſiæ conſuluiſſet: quando nunc, niſi fortè ad extremum reſipuit, (cuius tamen reſipiſcentiæ nulla vſquam reperio veſtigia) è tot ſuſceptis laboribus, & è tot libris ab ſe ſcriptis (reliquit enim B. Hieronymo teſte plurimos) nihil niſi dolores meſſuerit. Sed ad Iuſtinum redeamus, hoc interim boni è Tatiano adepti; quòd didicerimus, non ſemper, vt vitæ initia, ſic & fines eſſe; multíſque prorogationem vitæ, cùm honeſtè licuiſſet mori, ad fœdam mortem, viam feciſſe. Quin & illud quoque hinc addiſcamus, quantacumque aliquis valeat ſcientia, quantacumque auctoritate polleat, quantacumque gratia emineat; non eſſe tamen illi ſua ſic innitendum virtute atque prudentia, idque in rebus fidei potiſſimùm, vt ſe plus alijs ſapere omnibus credat; nec eò tumoris arrogantiæue progrediendum, vt neceſſe non putet, alios inferioris notæ atque eruditionis conſulere. Quippe cùm multò aliter in hac diuina ſcientia, quàm in humanis artibus res habeat: accidátque ſæpenumero, vt quiſpiam & eloquentia, & philoſophia, & ceteris ſcientijs longè impar, tamen ob ſuæ fidei firmitatem ac ſinceritatem, & ob candorem eximiæ pietatis, longè profundiùs in res diuinas, & in abdita ſacrarum ſcripturarum myſteria penetret; quàm is qui gratiâ & amicitiâ Dei minor, ceteris autem omnibus, vel à natura datis, vel ſudore acquiſitis, multò maior ſit atque præſtantior. Felicem porrò, & ter ac ſæpius felicem Iuſtinum! cui maxima in ſcientia non minor Dei metus, animíque ſubmiſſio (*vti commodiùs pòſt explicabitur*) obtigerit. Sic enim ſecurus inter ſentes & ſalebras ambulauit. Ac reliquis quidē Antonini Pij annis, quibus indulta pax aliquem religionis progreſſui locum dedit, omnes induſtriæ ſuæ neruos ad eam amplificandam intendit, nec vllis laboribus, dum ſpes ſalutis cuiuſpiam allluceret, ſeu in dicendo, ſeu in ſcribendo vnquam pepercit. Sed cùm duo Auguſti fratres Antonino Pio Imp. ſucceſſiſſent, ac nonnulli nomine & barba tenus philoſophi, ſacram religionis noſtræ philoſophiam & dictis & factis improbè ac calumnioſè deprimendo,

etiam

etiam opprimere conarentur: atque alij insuper non pauci in vita voluptaria, perinde ac sues in cœno, volutabundi, Christianam odissent ac persequerentur castimoniam; ipse tanquam si vnus in omnibus peteretur, grauiter animo exulcerari, & omnium caussam sibi facere propriã. Quippe locum in eo habebat illud Paulli: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Tantæ enim erat ex amore fidei, in cunctos fratres caritatis; vt si quem dolere angíue cerneret; doleret ipse pariter, paritérque angeretur: si quẽ allici, trahíue in peccatum animaduerteret, ipse quasi hoc ipsum sibi fieret, intus vreretur, totúsque excandesceret. Huius autem testandę virtutis multa se obtulit, imperantibus M. Aurelio Antonino & Lucio Vero, præsertim à Cynicis Philosophis, & hominibus Epicureis, occasio. Nam illi tandem eò vsque proruperunt furoris atque vesanię, vt iustis aduersus probitatem atque innocentiam deficientibus caussis, ad suffodiendos Veritati cuniculos, & effundendum quoquo modo sanguinem innoxium sese conuerterint. Inde & illustria Ecclesiæ martyria obuenerunt (quæ nunc palàm dabimus) & Iustino animus ad alteram pro Christianis defensionem, (quæ suo item loco memorabitur) est inflammatus.

2. ad Corinthios 11. ver. 29.

CAPVT VIII.

Quædam illustria Christianorum, ex occasione defensæ castitatis, martyria.

IVstinus igitur, homo in fide acer, & pugnax, suà differendi acrimonia cùm Epicureos omnes & Cynicos, tum Crescentem præcipuè, (vti supra indicatum est) aduersus se, & aduersus Christianos omnes Romæ tum degentes inflammauit. Quocirca [a] M. Aurelio Antonino Philosopho, & Lucio Vero regnantibus, insidiæ Christianis in vrbe Roma, confictis per homines improbos ac sceleratos grauibus calumnijs, maiorem in modum tendi cœptæ. Et facile fuit, vt calumniæ apud ambos Impp. locum obtinerent: apud M. Antoninum quidem, [b] quòd in Deos religiosissimus esset ac videri vellet: [c] apud Lucium autem, quòd moribus esset à virtute Christiana multò alienissimis: quippe profusus in delicias, proiectus in libidines, in omni denique turpium voluptatum genere profligatus ac perditus. Suggestum est ergo illis, Christianos Deorũ esse contemptores, & horum [d] aliquos specie philosophiæ turbare remp. alios prætextu castitatis discindere familias: denique multa & horrenda omnes patrare facinora. Et quidem ad castitatem quod attinet, negari sanè non potest, quin multorum hac tempestate martyriorum permagna fuerit occasio; idque Iustino & Tatiano potissimùm auctoribus; quorum illę quidem eius virtutis studiosus admodum excultor fuit, & laudator:

CALVMNIÆ IN CHRISTIANOS.

CASTIMONIÆ PRÆCIPVI LAVDATORES.

tor:hic verò etiam extra modum. Itaque, dum inter alias virtutes in immensum extollitur apud Christianos & fidei tirones castimonia; [f]accidit Romæ, vt mulier quædam Ethnica, in cœno libidinis vnà cum marito turpiter hactenus volutata, diuini horrore iudicij, & eorum, quæ fides promittit, bonorum expectatione, simul voluptatibus, simul idolis nuntium remitteret. Doctrinam ergo Christianam, vnáque continentem vitam amplexa, institit apud maritum; vt idem secum vitæ genus, doctrinæque capesseret. Cui rei impetrandæ, tam ignem illum æternum impuris & impudicis præparatum, quàm incomparabilia, & infinita præmia pijs & castis destinata (quemadmodum in Christi schola didicerat) proposuit. Verùm, vt hominem vidit in sua obscœnitate obstinatiùs persistentem, nec à fœdis factis vllo pacto auelli posse; impium esse rata diutius retinere cum eo contubernium, qui præter naturæ legem, & præter fas omne, varijs è libidinibus fructum illicitæ voluptatis perquireret; discessionem ab eo tentauit: fecissétque tum haud dubiè, nisi propinquorum auctoritas id dissuadentium, & spem futuræ mutationis ingerentium retardasset. Sustinuit proinde aliquantisper licet inuita; vtpote quę mariti mores meliùs, quàm propinqui omnes, vna pernosceret. [g] Interea profectus est ille Alexandriam: sed mutauit locum, non ingenium. Quare cùm & ibi deteriora illum, quàm antehac designare facinora, vxor hoc vno calamitosa resciisset; verita, ne si toro & mensâ cum illo deinceps communicaret, eius particeps impietatis ac nequitiæ fieret, [h] dato ei libello repudij se disiunxit. Ille autem, quem gestire lætitia oportuisset, quòd coniunx sua (quæ famulis & mercenarijs ad ebrietatem, & ad lasciuiam, & ad omne flagitium hactenus abusa fuerat) nunc tot ablegatis sceleribus, sese ad frugem recepisset, eodémque ipsum inuitaret; contrà tantum abfuit, vt de tam bona mutatione & inuitatione gauisus sit; vt eam potiùs, quòd Christiana esset, accusarit. Illa verò, (quod magnæ prudentiæ fuit) libellum supplicem Imperatori obtulit, postulauitque, sibi vt liceret primùm rei suæ familiari consulere; tum se criminationi haud grauatè responsuram. Cui annuente Imp. cùm iste, quid in eam ageret, in pręsenti non haberet; intermissa accusatione, in Ptolemæum, huius mulieris in fidei ac pietatis tirocinio instructorem, hoc modo se conuertit: Centurioni amico suo, qui Ptolemæum in vincula coniecerat, persuasit, [i]vti eundem Ptolemæum conueniret; hocque ex illo vnum quæreret, an esset Christianus? Conuenit, quæsiuit, cúmque tanquam amicum veritatis, neque fallendi, neque mentiendi gnarum, ingenuè confitentem habuit: mox ergo eum in vincula redigi, longóque interuallo hominem innoxium detineri ac torqueri iubet. Ad extremum denique ducitur ad Vrbicium Ptolemæus, & hoc vnum similiter interrogatur, an sit Christianus? Qui rectè factorum conscientia fretus,

DIVORTII MVLIERIS CHRISTIANÆ CAVSSA, VIRI IMPVRITAS.

LIBELLVS REPVDII.

PTOLEMÆVS FIDEI MAGISTER FIT MARTYR.

fretus, rursum diuinæ virtutis disciplinam intrepidè confitetur. *Qui enim negat se esse, quod profitetur,* inquit Iustinus, *aut certè negat, quia professionem ipsam improbet; aut eam confiteri refugit, quia sibi conscius sit, vitam se illa professione indignam, atque ab eius institutis alienam traducere. Quorum neutrum in verum Christianum cadit.* Iussit ergo Vrbicius eum duci. Aderat tum fortè Lucius quidam, & ipse Christianus, qui tanta iniquitate iudicij animaduersa, Vrbicium adortus, *Quid est,* inquit, *caussa, Vrbici, quamobrem virum, qui neque adulter sit, neque stuprator, neque homicida, neque fur, neque raptor, neque vllius demum sceleris conuictus, sed Christianum duntaxat nomen confessus, duci iubeas? Tu non iudicas, Vrbici, neque Pio Imperatore, neque Philosopho Cæsaris filio, neque sacrosancto senatu condigna.* Cui ille, absque alio responso, *Et tu,* inquit, *vt mihi videris, ex eorum es numero*: & respondente Lucio: *Sum equidem,* ipsum quoque abripi iussit. Lucius autem, [k] *Gratias tibi,* inquit, *ingentes habeo, bone vir. Nec enim solum ab iniquis improbisq; dominis liberabor, sed etiam ad bonum patrem & Regem Deum proficiscar.* Accessit deinde & tertius, qui pari vtens dicendi libertate, pari quoque est morte multatus. Ita scilicet fraternus in illis amor, ita generosa pro Christi fide libertas, ita pro adipiscendâ martyrij coronâ feruens æmulatio mentes occupabat: vt se non quæri, non vocari, non expectari sinerēt, sed morti & tormentis voluntarij occurrerent. [l] *Ne verò quispiam dicat,* inquit idem Iustinus: *omnes vos igitur, vobis mortem consciscentes nunc ad Deum ite, neque nobis negotium facessite: caussam, cur hoc non faciamus, & quamobrem, cùm inquirimur, intrepidè confiteamur, exponam. Cùm ergo mundum non frustra, sed humani generis caussâ Deus condiderit, idemq; & proborum virtutibus delectetur, & improborùm malitiâ offendatur; certè si cuncti nos ipsos occiderimus, tum & ne aliqui procreentur, ac diuinâ disciplinâ imbuantur, adeoq; ne ipsum genus humanum constet, quantum in nobis situm sit, auctores fuerimus. At verò interrogati propterea minimè infitiamur, quòd nullius nobis conscij, impium arbitremur non fateri in omnibus veritatem: cùm & hoc Deo gratum esse cognoscamus.* Ita ipse Iustinus. Porrò istorum martyrum nomina, in veteribus martyrologijs, ad diem Octobris vndeuicesimam, æternæ beatæque memoriæ exstant consecrata. Iam quid Iustinus ijsdem auditis martyrijs fecerit, breuiter persequendum.

S. LVCII GENEROSVM MARTYRIVM.

ALTERIVS INCOGNITI MARTYRIVM.

IVSTINI AD GENTILES VOLVNTARIAM CHRISTIANIS SVADENTES MORTEM RESPONSIO.

DIES NATALIS MARTYRVM PTOLEMÆI, LVCII, ET SOCII ANONYMI EST OCTOBRIS VNDEVIGESIMA.

CAPVT IX.

Iustini pro Christianis labores extremi, & mortis præsagitio.

QVæ [a] circa B. Ptolemæum & socios martyres facta erant, cùm intellexisset Iustinus, rei indignitate grauiter commotus, eam sibi euulgandam re adhuc recenti, & tam iniqui iudicij auctores palàm prodendos existimauit. Itaque [b] ad alteram pro Christianis apologiam

IVSTINI APOLOGIA II. QVANAM OCCASIONE SCRIPTA SIT.

apologiam confestim se accinxit: in qua primò rem omnem, vti gesta erat, in cunctorum oculis exposuit: deinde malorum omnium, quæ probi ab improbis paterentur, caussam atque originem in malos dæmones & nequam spiritus, qui dominium in homines vindicauerint, referendam edocuit; qui tamen dæmones, non, sicut Ethnicis & à Deo alienis dominantur; sic etiam Christianos & Deo coniunctos, seruitutis iugo premant: cùm è contrario, hi potiùs in illos imperium ac potestatem obtineant. Quod ipsimet Ethnici, crebris ipso suo æuo experimentis & exemplis, scire optimè poterant: siquidem Iustinus de hac dæmonum per Christum euersione agens, *Hoc*, inquit, *ipsum, ex ijs, quæ nunc coram oculis vestris fiunt, cognoscere potestis.*

DÆMONES E CORPORIBVS A CHRISTIANIS EXACTI.

Nam complures per vniuersum orbem, atque in hac vrbe vestra, à dæmonibus correptos, quos alij adiuratores, & incantatores, & venefici vestri curare non quiuerant, multi è nostris hominibus, hoc est, Christianis, per nomen IESV Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurantes curàrunt, atque etiamnum curant, exarmantes atque expellentes ea, quibus homines obsidentur, dæmonia. Deinde ostenso eos, qui ex ratione & virtute vitam degere studuissent, semper odijs maleuolorum appetitos, necíque datos, ita de se, quasi mortem præsagiens, adiecit:

IVSTINI DE SVA MORTE PRÆSAGIVM.

Et[c] *ego quoque, exspecto, vt ab aliquo clarorum virorum insidijs appetar, ac ligno suffigar; & fortassis à Crescente plausus popularis & iactantiæ studioso. Nec enim sapientiæ studiosum appellare æquum est eum, qui de ijs, quæ ignorat, publicè testetur, & de Christianis tanquam impijs & Deo carentibus disputet: quod ipse ad multorum, qui in errorem delapsi sunt, gratiam ac voluptatem facit. Nam si doctrinæ Christianæ ignarus in nos incurrit, planè improbus est, & idiotis multò deterior: qui sæpenumero, ne de ijs, quæ ignorant, disceptent, néue falsum testentur, cauent: sin eiusdem gnarus, & mysteriorum nostrorum sciens, id propterea facit, ne pro tali habeatur; tum etiam multò vilior atque omnino perditus sit, necesse est; nimirum imperitæ atque à ratione alienæ opinioni cedens, ac timori succumbens. Et quidem scire vos velim, me illi huius generis quæstiones quasdam proposuisse, cognouisséque, atque adeo argumentis euicisse, nihil eum verè certóq; scire.*

DISPVTATIONIS IVSTINI CVM CRESCENTE PVNCTA IN LVCEM EXIERVNT.

Atque vt intelligatis me vera proloqui, paratus sum (si fortè ad vos disputationis nostræ puncta non peruenerint) rursus coram vobis instaurare cum illo certamen. Regis enim opus hoc fuerit. Sin vobis notæ sunt, & responsiones eius, & interrogationes meæ; iam profectò exploratum vobis est, aut nihil eum scire: aut si quid scit, & propter audientes eloqui non audet; sanè quidem, vt antè dixi, non sapientiæ amator, sed gloriæ potiùs esse studiosus conuincitur:

SOCRATIS DICTVM.

quippe qui Socrateum illud omni approbatione dignissimum, quo dixit, hominem Veritati præferendum esse neminem, parui pendat. Verùm non potest homo Cynicus, qui finem in rebus infimis ac promiscuis ponat, bonum aliud quàm infimum ac promiscuum nosse. Hactenus Iustini verba: quæ procul dubio multos Romæ philosophos,

losophos, præsertim Cynicos & Epicureos (de quorum grege, si non sectâ, at certè vitâ, ipse Lucius Verus Imp. erat) atque in his, omnium maximè, istum Crescentem Cynicum nominatim infamatum, grauiter exulcerarunt: vti & illud, quod in eadem apologia, velut vnguem, quod aiunt, in vlcere addidit, cùm ita dixit: *Et [a] sanè Xenophōteum quoque illud ad Crescentem, & ad eos qui perinde atque ipse, insaniunt, rectè atque opportunè prolaturus mihi videor. Scribit enim Xenophon Herculi aliquando ad biuium hærenti, & qua ingrederetur, ambigenti, occurrisse muliebri formâ, hinc Virtutem, inde Voluptatem: & hanc quidem veste molli atque illecebrosâ, facieque ex ambitioso ornatu floridiuâ, & ad primum sui conspectum, demulcere quemuis idoneâ, ita Herculem esse affatam: Si me, ô Hercules, sequare; faxo, vti semper lætus ac delicijs circumfluens, & splendidissimo, qualem hunc meum vides, habitu ornatus mecum ætatem omnem exigas: tum deinde alteram austeriore vultu, & amictu obsoletiore, sic vicissim elocutam: At verò, si mihi obsequare, ô Hercules, non istoc quidem ornatu, neque fluxa & euanescenti pulchritudine, sed honestis & perpetuò duraturis te ipse ornamentis indues. Cui enim cumque persuasero, ea quæ pulchra forinsecus apparent, fugere: quæ verò dura atque aspernabilia videntur, prosequi; næ is beatitudinem certissimò consequetur. Nam voluptas quidem rebus suis prauis ea quæ Virtutis sunt, & verè pulchra sunt, æternorum simulatione obtendens, (æternum enim alioqui nihil habet, nec habere potest) & contrà, quæ sibi mala insunt, Virtuti circumijciens, in seruitutem humi repentes homines redigit. At qui vera Virtutis bona intelligunt ac sequuntur, hi eius beneficio sunt æterni. Idem porrò de Christianis, & de omnibus, qui ad virtutis præmia per labores, & certamina contendunt: & è contrario, de ijs qui fœda admittunt flagitia (cuiusmodi de Dijs suis Poëtæ prædicarunt) existimare nos oportet. Atque ista quidem expetendarum aut fugiendarum rerum consideratio facilè nos ad contemnendam mortem inducit* [b]. Ita ferè Iustinus. Cui, quemadmodum ipse prædixerat, insidiæ à Crescente Cynico, veritatis impatiente, & dolis omnibus armato structæ sunt. Illo enim auctore, procuratore, sollicitatore, comprehensus Iustinus, atque in carcerem coniectus, demum [c] post varia tormenta, securi percussus (vt pòst fusiùs dicetur) interijt. Cuius, quò esset illustrius certamen, néue solus & incomitatus in nobile illud stadium, & è stadio ad immortalem coronam gloriosâ morte transiret; prouidit illi supremus agonothetes, Dominus IESVS, egregios ex vtroque sexu ([d] nam & mulier vna viri fortitudinem hic præstitit) tam comites pugnæ, quàm consortes victoriæ: quorum hæc sunt beata & in cælo scripta nomina: *Chariton, Charitina, Euelpistus, Hierax, Peon, Vallerianus*, qui simul cum Iustino è custodia educti, & Vrbis præfecto oblati, fortiter ac generosè ad omnia interrogata responderunt, ac se esse Christianos intrepidè confessi sunt.

Quorum

BIVIVM HERCVLIS E XENOPHONTE.

VOLVPTATIS ILLECEBRÆ.

VIRTVTIS HABITVS ET ORATIO.

SOCIORVM IVSTINI IN MARTYRIO NOMINA.

Quorum felicis martyrij omnem ordinem ac seriem, ex Actis publicis certissimâ fide conscriptis, hinc referre aggrediar.

CAPVT X.

S. Iustini et Sociorum, pro tribunali, & in morte, fortitudo atque constãtia.

AD vrbis Romæ Præfectum, Rusticum nomine, pro tribunali stantem adducti sunt Iustinus, & sex illi sub eodem Christi vexillo commilitones, *Chariton*, *Charitina*, *Euelpistus*, *Hierax*, *Peon*, *Vallerianus*, omnes ad bonam pugnam animati. Præfectus Iustinum, tanquam turbæ ducem & antesignanum, primum aggreditur; &, *Age tu*, inquit, *Dijs nostris atque Imperatorum edictis obtempera*. Cui Iustinus, *Nemo reprehendi vnquam, condemnariue poterit, qui Saluatoris nostri* IESV *Christi præceptis obtemperauerit*. Tum Rusticus Præfectus, *In cuius*, inquit, *eruditionis ac disciplinarum genere versatus es?* Et Iustinus: *Omnium disciplinarum genus addiscere sum conatus, omnémque sciétiam expertus, tandem veræ Christianorum disciplinæ adhæsi: tametsi ea minus fortaßis illis arrideat, qui falsæ opinionis errore detinentur. Itáne verò?* inquit ille, *Tu istâ, ô mortalium infortunatißime, doctrinâ delectaris? Maximè verò*, ait Iustinus: *siquidem cum rectâ doctrinâ Christianos ipsos sequor.* At Præfectus, *Ecqua porrò est hæc doctrina?* Cui Iustinus, *Recta doctrina, qua nos Christiani cum pietate imbuimur, hæc est: vt vnum Deum credamus, omnium, quæ videntur, & quæ non videntur, creatorem ac molitorem; & Dominum* IESVM *Christum Dei filium, à Prophetis primitus prænuntiatum, & olim generis humani Iudicem aduenturum confiteamur; eundémque esse ijs, qui se in eius disciplinam tradiderint, saluatorem & præconem & magistrum. Nam ego quidem imbecillis sum, ac longè impar (vtpote homo) quàm vt de eius infinita diuinitate magnum quippiam effari poßim: Prophetarum hoc esse munus fateor. Illi enim huius ipsius, quem Dei filium esse dixi, in orbem terrarum aduentum, multis antè sæculis diuinitus prædixerunt.* Quæsiuit posthæc Præfectus, quem in locum soliti essent Christiani conuenire: cui respondit Iustinus, eò conuenire vnumquemque, quò vellet, & quò posset. *An enim nos existimas*, ait, *vnum eundémque in locum cunctos conuenire solitos? Minimè gentium. Christianorum enim Deus loco nullo circumscribitur: sed cum sit inaspectabilis, cælum & terram implet, & vbique à fidelibus adoratur, & eius gloria celebratur.* Tum Præfectus, *Cedo*, inquit, *quis sit cœtuum vestrorum locus; & vbi tu tuos congreges discipulos, actutum expedi. Ego*, respondit martyr, *propè à domo Marci, ad balneum cognomento Timothinũ diuersatus sum: veni autem Romam secundò, neque alium locum, nisi quem dixi, vllum cognosco. Quod si quis ad me venire voluit, cum eo veritatis doctrinam communicaui. Túne ergo Christianus?* ait ille. *Sum sanè*, respondit Iustinus, *sum Christianus*. Deinde

PRÆFECTI INTERROGATIONES.

IVSTINI VARIA ET MVLTIPLEX ERVDITIO.

FIDEI PROFESSIO.

COETVS CHRISTIANORVM.

Q

inde idem Præfectus ad Charitonem conuersus, *An & tu fortè es Christianus?* Cui Chariton: *Et ego*, inquit, *Deo adiuuante, sum Christianus.* Quæsiuit postmodùm & à Charitina muliere, num & ipsa esset Christiana? Quæ respondit: *Ego quoque Dei beneficio sum Christiana.* Pòst conuersus ad Euelpistum, *Tu autem quidnam?* ait. *Seruus quidem Cæsaris*, inquit, *sed tamen Christianus, & ab ipso Christo, per eius gratiam, in libertatem assertus, adeóque eiusdem cum istis, quos vides, spei atque fiduciæ particeps factus.* Dehinc & ab Hierace sciscitatus est, num esset ipse etiam Christianus? *Certè*, inquit, *& ego Christianus sum. Nam eundem, quem illi, Deum colo & veneror. Ecquis verò*, subiecit ille, *vos effecit Christianos? An iste Iustinus? Ego fui*, respondit Hierax, *& ero Christianus.* Tum Peon, *Sum & ego*, inquit, *Christianus.* Et ille: *Quis fecit? quis docuit? A parentibus*, ait Peon, *hanc bonam confeßionem accepi.* Post quem & Euelpistus, *Ego Iustini quidem sermones*, inquit, *magna cum voluptate hausi, sed tamen & à parentibus esse Christianus didici.* Ad quem Præfectus: *Et vbi gentium sunt parentes tui? In Cappadocia*, inquit Euelpistus. Tum interrogauit & Hieracem, *Et tui vbinam?* Cui Hierax, *Verus*, inquit, *pater noster, Christus est; mater verò fides, qua in ipsum credimus. Nam terreni parentes mei mortui sunt. Ceterum ego ab Iconio Phrygiæ abstractus huc veni.* Petijt denique Præfectus à Valleriano, ecquid ipse diceret, num etiam Christianus atque in Deos impius foret? Ad quem ille, *Et ego Christianus sum. Solum enim verum Deum colo & adoro.* Tum Præfectus in Iustinum conuersus, *Audi tu*, ait, *qui facundus prædicaris, & qui vera te instructum disciplina arbitraris. Si ego te à capite ad plantas pedum, per omne corpus, plagis concidero, etiámne tum fore speras, vt in cælum conscendas?* Cui martyr, *Spero*, inquit, *si illa, quæ dicis, perpessus fuero, ea me adepturum, quæ Christiani diuinorum obseruantes mandatorum solent. Scio enim omnibus, qui ita vixerint, diuinam gratiam, quoad totus mundus consummetur, conseruari.* Ad ea Rusticus, *Futurum ergo putas, vt in cælum, mercedem aliquã recepturus, conscendas? Non equidem puto*, ait Iustinus, *sed scio, & tam certò scio, vt nihil addubitem. Verũenimuerò*, excepit ille, *ad hoc quod nobis propositũ est, quódque vrget, veniamus. Conuenite, inquam, simul, & omnes Dijs nostris, vno eodémque animo sacrificate.* Sed cõtrà Iustinus, *Nemo*, ait, *qui rectè de Deo sentiat, à pietate desciuerit, vt in errorem & impietatẽ præceps eat. Atqui nisi iußis nostris morem gesseritis*, inquit ille, *cruciatus sine miseratione perpetiemini. Nempe hoc est*, subdidit Iustinus, *quod in votis habemus, nimirum propter Dominum nostrum* IESVM *Christum dura perpeti, atque saluari. Nam hoc nobis salutem atque fiduciam coram illo terribili eiusdem Domini ac Saluatoris nostri tribunali conciliabit; coram quo totus mundus diuino citatus imperio quondam assistet.* Idem cùm ceteri omnes martyres dixissent, adiecisséntque, *Fac ocyus, quod lubet; Christiani enim sumus, nec idolis tuis sacrificamus*, tum Præfectus conspectâ eorum firmitate

SPES CERTA GLORIÆ IN MARTYRIO.

Territamenta.

IVDICII EXTREMI PROFESSIO.

mitate animi, hanc in eos pronuntiauit mortis sententiam: *Quia Dijs sacrificare, & edicto Imperatoris parere noluerunt, virgis primum cædantor: deinde, vt leges præscribunt, capitali pœna plectuntor.* Læti ergo & Deum collaudantes ad supplicij locum martyres deducuntur, flagris cæduntur, securi feriuntur, corona martyrij potiuntur. Quorũ corpora ceteri fideliũ minimè abiecta inhumatáque reliquerunt; sed clandestinè sublata, loco idoneo, vt ipsis erat in more, condiderunt. Hæc breuiter, vt solent, Acta publica.

SENTENTIA IN MARTYRES.

MARTYRII TEMPVS.

Annus [b] autem, quo ista contigêre, fuit Domini 168. M. Aurelij & L. Veri Impp. 6, Olympiadis CCXXXV[a]. 2[a]. Indictione III. quemadmodum in Chronico Alexandrino (nec enim vsquam alibi certus annus reperitur) exactissimè est consignatum, Horum porrò omnium martyrum felix sanctáque memoria, in Græcorum tam Menæo, quàm Menologio, ipsis Kalendis Iunij adscripta est: quo die & Rutheni felicem S. Iustini memoriam celebrant. In latinorum autem martyrologijs ad decimam tertiam Aprilis, solius S. Iustini reperitur mentio: sociorum autem (quod permirum est) nusquam. Et Iustini quidem his verbis, dum de persecutione M. Aurelij Antonini & Lucij Veri Commodi agitur: *In qua etiam persecutione, Romæ passus est vir mirabilis, Iustinus philosophus, qui cùm secundum librum pro religionis nostræ defensione præfatis Imperatoribus porrexisset, eámque ibidem disputando strenuè propugnasset, Crescentis Cynici, cuius vitam & mores nefarios redarguerat, insidijs accusatus, quòd Christianus esset, remunerationem linguæ fidelis, martyrij munus accepit.* Ita ibi. Quod autem in vetere Romano martyrologio, nec tenuis quidem compareat tanti Patris, ac tam illustris martyris memoria; hinc Græcos apparet, vt in scriptis eius conseruandis, sic in Actis perquirendis, multò quàm Latinos, fuisse diligentiores. Nam absque illis fortè prorsus ignotum hodie esset S. Iustini martyrium: quod cur Latini à calendis Iunij ad idus Aprilis transtulerint, (nisi si fortè alijs vitæ excessus, alijs translatio corporis, aliáue similis ratio, varij cultus caussam dederit) habere compertum non potui. Sed de gloriosi excessus die quidquid demum sit, hoc saltem ad tanti viri gloriam abundè sufficit: quòd omnis ecclesia sanctorum, ad piè celebrandam eius memoriam, vnanimi consensu, votóque conspiret. Eam autem mihi optimè celebrare is videtur, qui totum eius vitæ cursum cum animo suo diligenter expendens, ea quę digna & facilia sunt imitatu, sedulò ac seriò diuinâ adspirante gratia contendit imitari. Et sunt ea sanè non pauca; sed hęc potissima.

MARTYROLOGII ROMANI ORDINARII VERBA.

GRÆCI IN PERQVIRENDIS MARTYRVM ACTIS DILIGENTIORES QVAM LATINI.

MARTYRVM VERVS CVLTOR EST, QVI IMITATVR.

IMITATIONIS PVNCTA.

1. Primò quidem, quemadmodum ille, adiecto semel ad veram philosophiam animo, non segniter ac remissè, sed studiosè ac constãter, spretis etiam calcatísque voluptatibus, in eam incubuit: ac tum beatum se ac fortunatũ reputauit, cùm in spatijs philosophicis, de Deo diuinísque rebus disceptantes audiret: ita stadium aliquod, seu virtu-

tis,seu eruditionis ingressos,non leui,quod aiunt,manu, nec velut desultoriâ operâ,id quod agitur,agere conuenit;sed gnauiter, firmiter,perseueranter.In quo,si Dei verba subinde insonuerint;tum arrigendæ aures,tum excitanda,& pascenda,& oblectanda mens. Vera enim mentis esca,verus pastus,veræ deliciæ;Dei verbum,& sermocinationes sanctæ.

SOLITVDINIS COMMODA.

2. Iam verò,quòd in secessu à turba,& in loco solitario,prima illi ad veritatem & Dei cognitionem lux affulsit;quódque eidem altè ac seriò meditanti,per hominem vnum velut de cælo lapsum, recta ad salutem via diuinitus monstrata est; nihil profectò id clamat aliud; quàm extra popularem strepitum & vulgi oculos secedendum illi esse,qui de melioris vitæ statu ineundo deliberat. Tametsi enim per omnia Dei magnitudo dispersa sit;tamen vbi cum famulis sermo illi serendus est,secretum amat.Ita Moysen in alta montis subduxit:ita multos alios seorsum priùs seuocauit,deinde & sermone & luce dignatus est. Vnde iam vsitatum magnis viris, tam pro animi quiete capessendâ,quàm pro diuinis rebus degustandis, ac præsertim cùm res aliqua maioris momenti sollicitat; vt ad certum temporis spatiū, (quod terrenis vacuum occupationibus volunt) in abditiora quædā loca,procul à grege familiarium sese recipiant:vbi remotis omnibus obstaculis,aliquid puræ lucis ac sereni cæli, liberiùs simul & liberaliùs hauriant.Et sanè hausêre, hauriúntque multi; sed longè plures, cùm Deus pluribus immiserit experiri.

EXERCITIORVM SPIRITVALIVM COMMENDATIO.

PRECATIONVM NECESSITAS.

3. Tertiò autem, vti præter laborem industriamque humanam, ad ea obtinenda quæ sperabat & cælitus expectabat dona, multiplicandas sibi ad Deum precationes, è sui consilio monitoris existimauit,sicque fecit & obtinuit: ita ad spem magnæ cuiuslibet rei perfruendam,si quis pro sua virili & neruos in opus, & vota in Deum sollicitè intenderit,haud sanè est cur de fini consequendo addubitet, certissimè consequetur.

4. Postremò,(nec enim plura hic persequar,tametsi possem) quemadmodum ille congestis in Christianos atrocibus calumnijs,nec temerè,nec facilè fidem attribuit;sed exquisiuit,sed examinauit,ac demum exploratâ & deprehensâ veritate magis illos adamauit, & cupidiùs sectatus est:ita qui probos ac fideles sibi imitandos delegerint, valde sibi cauendū intelligant,ne sparsis vulgò contra eos rumusculis ita aures suas accommodent;vt se sinant à suscepto æmulandęque eorum virtutis proposito,sine exacta rei discussione,dimoueri.

Hæc igitur & alia huiusmodi poterit per sese diligens lector,vel in hacce magni Philosophi vitâ,vel in relictis ab eo scriptorū monumētis imitanda perquirere,& perquisita imitari:ego hic dumtaxat,vt aliquâ saltem tenus viam præmonstrem, aliquot rursum eius virtutum exemplis,non meâ tamen,sed ipsiusmet loquentis face,prælucebo.

CAPVT

CAPVT XI.

Virtutes quædam S. Iustini è scriptis eius depromptæ.

BEati Iustini vitam Dei beneficio hactenus expleui: nunc eiusdem eximias aliquot virtutes, & præcipua documenta strictim delibabo: quæ pulchri boníque studiosis haud ingrata fore existimo.

Modestia, animique submissio.

ET prima quidem è choro virtutum, maximeque in viris doctis, vt ne in suarum sublimitate cogitationum euanescant, necessaria, hîc comparebit vera animi submissio atque modestia: quæ si alibi vspiam, certè in fidei rebus & scriptis diuinis potissimè, quemadmodum in B. Iustino, sic in omnibus Christianis Doctoribus, elucere debet. Hanc præstitit Iustinus inter disputandum in vrbe Epheso; cùm ita collocutorem suum Tryphonem, nescio quid ex Isaia opponentem, vicissim excepit: *Si hæc verba, ô Tryphon, tacitis ijs, quæ præcedebant, nec coniunctis, quæ sequebantur, simpliciter & absque malitia protulisti; veniâ quidem sanè dignus es: sin sperasti adeò perplexam hanc disputationē efficere, vt scripta diuina inter se contraria esse dicerem; vehementer aberrasti. Neque enim ego hoc vnquam audebo, vel cogitare, vel dicere: sed si quæ scripturæ inter se diuersæ, & quandam repugnandi speciem præ se gerere videantur; ego cum mihi planè persuaserim, scripturam scripturæ nullam esse contrariam; potius non intelligere me, quæ proposita fuerint, confitebor; dabóque operam, vt eos, qui scripta illa discrepare inter se existimauerint, eò adducam, mecum vt idem sapiant.* Ita ille. SACRÆ SCRIPTVRÆ VERBA QVANTI ÆSTIMANDA SINT.

O si esset hodie, atque olim semper fuisset omnium Doctorum pectoribus hæc altè impressa sententia! nę vel paucas hæreses, vel potius nullas, nec olim habuissemus, neque nūc haberemus. Verùm callida dæmonum natio, quibus vnumquodque genus laqueis irretiendum sit, iam prælongâ tenens experientiâ, nihil habet antiquius, quàm vt ab illa demissione magna seducat ingenia. Quod ipsum noster Iustinus, in sua ad Antoninum Pium apologiâ, Marcionis Pontici exemplo studuit comprobare. De cuius postquam egit erroribus, ita subiecit. *Nihil enim contendunt aliud*, inquit, *ij qui dæmones vocātur, quàm vt homines à Deo conditore suo, & primogenito eius Christo abducant. & eos quidem, qui se humo tollere nequeunt, terrenis & manu factis affixerunt, affigúntque: eos verò, qui ad rerum diuinarum contemplationem sese erigunt (nisi si modestè sentiant, & puram liberámque à perturbationibus vitam degant) elidentes, in impietatem præcipitant.* Ita sapienter Iustinus: qui alta quadam mente prouidit, quo astu homines rudes & idiotas, qua item fraude doctos & rerum peritos solitus sit dæmon impugnare; illos scilicet, velut ignobilis plebeique ingenij, terrenis quisquilijs agglutinando, opibus, delicijs, honoribus, simulacris: hos autem, tanquam sublimioribus intentos, & cælesti- DÆMONVM ASTVTIA IN SERENDIS ERRORIBVS.

 bus

bus auidè inhiantes, in ſuperbiam & arrogantiam euehendo; ac demum, vbi excelſiora ſuo faſtigio audere, & proprio inhęrere atque obſtinare iudicio perſuaſerit; in impietatem, hoc eſt, in errorem & hæreſim, immaniter proturbando.

Eiuſdem modeſtiæ S. Iuſtini, nonnulla quoque in proximo capite, ſi attenderis, ſcintilla emicabit. Sed priuſquam ad illud veniam, volo huic S. Iuſtini modeſtiæ, aliam ſimilem B. Auguſtini adiungere. *Frater enim, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma*: ſic & vnius ſancti viri ſenſus, qui alterius itidem ſancti corroboratur conſenſu, inſigne eſt munimentum.

Prou. 18 ver. 19.

Ita igitur Auguſtinus ſcribit Hieronymo: *Ego enim fateor caritati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre; vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid errasse firmiſſimè credam. At ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrináque præpolleant; non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Sic Auguſtinus. Ad Iuſtinum nunc reuertor, atque amabili eius modeſtiæ, timorem Domini ſalutarem adiungo.

S. August. epist. 19.

CAPVT XII.

Timor Domini.

ERat in B. Iuſtino, vnà cum hac animi ſubmiſſione, ſpiritus *timoris Domini* ſingularis; qui pungebat illum identidem ac cōmonebat; vt ne acceptis à Deo ingenij, doctrinæúe donis, ſeu tacendo, ſeu ſpargendæ veritati negligentiùs inſiſtendo, abuteretur. Prodidit inſitum hunc animo timorem, in ſcriptis ſuis aliquoties. Nam in ſuo cum Iudæis colloquio, *Scripturas*, inquit, *vobis relaturus ſum, non artificioſum verborum apparatum oſtentaturus. Nec enim in me talis vlla vis aut facultas ineſt; ſed ſola mihi à Deo gratia ad intelligendas ſcripturas collata eſt, cuius quidem gratiæ vt omnes fiant participes, citra precium atque inuidiam, exhortor: ne, ſi fortè, non fecero, eius mihi in iſto iudicio, quod per Dominum meum* IESVM *Chriſtum, conditor vniuerſorum Deus facturus eſt, reddenda ſit ratio.* Cui Tryphon: *Dignum id quidem tua pietate*, inquit, *facis: ſed tamen quòd artificioſa orationis facultatem à te amoliris, hoc, vt mihi videtur, diſſimulationis eſt.* Cui cum maiore rurſus modeſtia Iuſtinus, *Quando*, inquit, *ita ſe habere tibi videtur, ſit ſanè, vt vis: ego verò ita eſſe, vt dico, mihi perſuaſum habeo.* Sic ibi.

DONVM INTELLIGENTIÆ SCRIPTVRARVM IN IVSTINO.

Alio item loco eiuſdem dialogi, cùm idem Tryphon, ea, quæ Iuſtinus ſuper admirabilibus Chriſti myſterijs attulerat, non modò vt incre-

incredibilia demiraretur, ſed etiam auerſaretur vt impia; *Scio*, inquit Iuſtinus, *quemadmodum dixit Dei Verbum, abſconditam vobis eſſe Dei omnipotentis, & cunctorum creatoris ſapientiam. Quare vicem veſtram condolens laboro atque contendo, vt hæc noſtra admirabilia intelligatis, ſin minus; vt inſons ſaltem ipſe ſim in die iudicij. Nam alia his admirabiliora etiam audietis.* Et paullò inferiùs, tametſi verbis eiuſdem Tryphonis admodum laceſſitus, tamen diuini metu iudicij ab eo iudicando aut deſpiciendo ſe cohibet, *Sed in præſentia*, inquit, *cùm Dei iudicium reformidem, nihil de quoquam generis veſtri pronuntiare anticipabo, niſi fortè, ſi quis ex ijs ſit, qui per gratiam à Domino exercituum ſaluari poſſit. Vnde quantumuis malignè agatis, pergam tamen ad id quodcumque proferetis atque opponetis, reſpondere: quemadmodum erga omnes omnino, ex quouis hominum genere, qui de his inquirere & percontari voluerint, facere ſoleo.* Luca 10. ver. 21.

Eodem & illa pertinent, quæ ſecundo congreſſus die (nam biduum durauit is dialogus) Tryphoni & ſocijs dixit. *Ego*, inquit, *quod ſcio, dicam. Nec enim, ſi quis ſciat, æquum eſſe arbitror tacere; nec, ſi quis ſuſpicetur vos ſcire, & propter inuidiam aut dicendi imperitiam, dicere nolle; id ego curare ſcio ſcilicet; verùm ſimpliciter omnia & abſque dolo malo proferre noui. Quemadmodum Dominus meus dixit:* Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen; & aliud cecidit ſecus viam, & aliud inter ſpinas, & aliud ſuper petroſa, & aliud in terram bonam. *Itaque ſpe fretus eſſe alicubi terram bonam, dicere debeo: quandoquidem meus ille Dominus fortis & potens, ſua ab omnibus repetet, cùm venerit.* Luca 8. ver. 5.

Sic & omnibus euangelij præconibus dicendum eſſet, ac ſentiendum. Immo, ſi quando etiam accidat, vt nulla ſit terra bona, quod eſt perrarum; tamen non etiam labor, qui impenditur, non eſt bonus; neque item fructus, quamuis conuertantur pauci, exiguus. Quod ipſe quoque Iuſtinus alibi hiſce vſus verbis innuit: *Tametſi paucis fortè perſuadeamus*, inquit, *maxima nihilominus emolumenta referemus: ſiquidem, vt boni agricolæ, mercedem à Domino reportabimus.* Ac rurſus in alia eiuſdem dialogi parte, hæreticorum inducta mentione, *Multi*, inquit, *impia & cõtumelioſa, & iniuſta, & quæcumque impurus Diaboli ſpiritus inſeuerit, ſub Chriſti nomine (quamuis eius adulterantes doctrinam) docuerunt, & nunc docent: quos monere atque hortari, perinde ac vos ipſos, vt ne errent, contendimus. Quippe qui ſciamus eos, qui veritatem annuntiare potuerint, nec annuntiauerint, à Deo Opt. Max. condemnandos: cùm id ipſe per Ezechielem conteſtatus ſit:* Speculatorem poſui te domui Iudæ. Si peccauerit peccator, nec ei annuntiaueris, ipſe quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem verò eius à te requiram: ſin ei annuntiaueris, innocens eris. *Nos itaque tali metu perculſi, ſermones inſtituere, & miſcere colloquia, ſecundùm ſcripturas ſatagimus, idque non pecunia, non gloriæ, non voluptatis, ſed communis dumtaxat*

CONCIONATORVM LABOR, SI NON ALIIS, TAMEN IPSIS SEMPER EST FRVCTVOSVS.

Ezechielis 3. ver. 17.

IVSTINI IN DICENDO INTEGRITAS.

taxat

taxat vtilitatis studio. Siquidem nemo nos alicuius istorum vitiorum arguere poterit.

Ita beatus martyr: qui ex Dei, quo agebatur, spiritu nefas esse duxit, eruditionis suæ talenta, aut vanis rebus deterere, aut in otij atque inertiæ fundo turpiter defodere. Neque tamen Episcopus erat Iustinus, neque Sacerdos, neque Diaconus; quamuis horum omnium salutaria munia, quantum Philosopho quidem Christiano licuit, vitæ integritate atque innocentia, & docendi indefesso studio ac labore, præ multis illo ordine & loco illustribus, qui nunc meritò silentur, cumulatè impleuerit.

Lubet nunc mihi quærere, quid excusationis, supremo iudici, ad horrendum tribunal allaturi sint ij Episcopi, & Sacerdotes, & Canonici, & Christiani Philosophi ac Theologi, quibus subinde pluris est domi ignauum atque imbeile otium, quam foris & sub pellibus fructuosa & suo statui conueniens occupatio: & quibus magis cordi insidet accumulandarum cura diuitiarum, quam instruendarum sollicitudo ecclesiarum. Duo sanè verba illis formidanda sunt, quæ audire horrendum est, ac satius fuerit eos concepto S. Iustini spiritu ab illa formidine tutos esse, & acceptis à Deo talentis ad lucrum vti, quàm vel præ ignauia non vtendo, vel ex malitia abutendo, audire, *Nescio vos*. Si enim *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*, vt proclamat Sapiens; quanto magis qui verbum occultat Veritatis? Frumento enim corpora, veritate pascuntur animæ. Neque vt frumentum, ita veritas priuati alicuius est, sed communis omnium. Quod S. Augustinus, eodem planè, quo martyr noster, spiritu instinctus eximiè intellexit, cùm ita scripsit: *Veritas tua, Domine, nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrûm, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ab eâ. Nam quisquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi proprie vindicat, & suum vult esse, quod omnium est; a communi propellitur ad sua, hoc est, a veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur.*

Matth. 25. ver. 12.
Prouerb. 11. ver. 16.
August. l. 12. Confess. cap. 25.
INTER NOVOS A SIRMONDO EDITOS.

Et sermone 15. inter nouos nuperrimè à Iacobo Sirmondo è tenebris in lucem erutos, *Illud moneo*, inquit, *illud dico, Fratres, & ego fraternè moneo. Deus iubet. Et ego commoneo, quia commoneor. Ille terret me, qui tacere non sinit. De me exigit, quod dedit. Dedit enim erogandum, non seruandum. Si autem seruauero & abscondero, dicet mihi: Serue nequam & piger, quare non dedisti pecuniam nummularijs, & ego veniens cum vsuris eam exigerem?* Sic Augustinus.

Idem ser. 15.

Hanc verò prædicandæ veritatis necessitatem pulchro egregiæ fortitudinis exemplo asseruit inter Persas beatus Beniamin Diaconus. Nam cum Baranes Rex Persarum, (qui odio FIDEI tenebat eum in vinculis) rogatu Legati Romanorum absoluturus illum esset, si tantùm

S. BENIAMINI DIACONI ZELVS FIDEI.

tantùm hoc promitteret, se nulli Magorum deinceps FIDEM persuasurum; maluit ipse quamuis atrocia tormenta, mortémque vnà in illis subire, quàm tam pudendo silentio mercari libertatem. Igitur occubuit, & gloriosa morte emit immortalitatem.

Sed Iustinum nostrum reuisamus, & ab eius sancto Dei timore, ad eminentem ipsius caritatem ascendamus.

CAPVT XIII.

Caritas S. Iustini & Christianorum, spe æternæ salutis innixa.

BEati Iustini caritas, ignis & flamma erat, amicósque iuxtà & inimicos grato sancti amoris æstu corripiebat simul & confouebat. Hoc enim profectò medullitus inardescebat, cùm ita Iudæos in dialogo cum Tryphone affaretur.

IVDÆORVM IN CHRISTIANOS ODIVM.

Nam & vos, in synagogis & conuentibus vestris, omnes qui à Christo Christiani appellati sunt, execramini; neque vos tantùm, sed & aliæ quoque nationes, quæ nouum etiam execrationi suæ facinus adijciunt, cùm illos vel eo solùm nomine, quòd se fateantur esse Christianos, interimunt: quibus nos omnibus dicimus: Vos fratres nostri estis: Dei veritatem potiùs agnoscite: *cúmque nobis, nec illi, nec vos auscultatis; sed ad Christi nomen abnegandum adigitis, nos mori prælegimus, & morimur, certi nimirum ijs nos bonis potituros, quæ per Christum suum nobis Deus compromisit. Neque hoc tantummodò agimus, sed illum quoque deprecamur, vt à Christo misericordiam consequamini.*

His conformia sunt & illa ad eosdem:

Quæcumque patimur, dum à domesticis nostris è medio tollimur, ea nobis esse euentura Christus ipse prædixit: satis vt appareat, nihil nec in dictis eius esse, nec in factis, quod meritò queat reprehendi. Quapropter & pro vobis & pro alijs omnibus nobis hostiliter aduersantibus preces ad Deum spargimus, quò per resipiscentiam nobis coniuncti, à iaciendis in Christum IESVM *maledictis (qui & ab operibus & à doctrina & à miraculis ex eius nomine patratis, & à vaticinijs de eo nuncupatis, omnis omnino culpa & reprehensionis expers ostenditur) deinceps abstineatis: sed fidem potiùs ei adiungatis, vt in glorioso eius aduentu salutem adipiscamini, neu flammis ab eo adiudicemini.* Et infrà:

Ne quæso, inquit, *ô fratres, ne quid mali in Christum crucifixum proferatis, néue vibices eius quibus sanari omnes possunt, sicut & nos sanati sumus, subsannetis. Nam apud vos rectè erit; si oratione nostra inducti, cordis vestri duritiem circumcidatis: quam circumcisionem necdum, propter insitam vobis opinionem, obtinetis: siquidem vestra illa circumcisio non ad iustificationem, sed in signum dumtaxat data est. Isto enim sensu vt accipiatur, verba ipsa cogunt. In vestris igitur colloquijs parcite in filium Dei conuicia spargere, neu Pharisæis doctoribus morem gerentes, vnquam commit-*

committatis, vt regem Iſraëlis cauillemini: id quod veſtræ ſynagogæ principes poſt precationem vos edocent. Nam ſi is, qui eorum quempiam, qui Deo placent, attigerit, Dei pupillam tangit; quanto ille magis, qui dilectum eius contigerit?

Zacharias. ver. 8.

Liceret ex iiſdem beati viri ſcriptis plura his conſimilia in medio ponere: ſed tria inſtar omnium. Nam trahit ad ſe fortitudo.

CAPVT XIV.

Iuſtini fortitudo animi atque conſtantia.

HÆc ſe multis in locis atque occaſionibus viſendam in Iuſtino exhibuit. Ac primò quidem, in diſputatione cum Iudæis, & eorum duce Tryphone, non ſemel, ſed ſæpius. Quid enim aliud iſta verba volunt, quæ Tryphoni fidem eius arguenti, cum iuſto ſtomacho reddidit? *Ignoſcatur tibi, ô bone vir, & venia dictis detur. Neſcis enim quid dicas: ſed magiſtris obſequens ignaris Scripturarum, & quaſi vaticinans, quidquid tibi in mentem venit, deblateras. Sed ſi auſcultare rationi volueris, planum tibi fiet, neque erraſſe nos, neque Chriſtum confiteri deſituros, licet probra homines ingerant, licet tormenta tyrannus importuniſſimus denuntiet.*

Quid item iſta?

Hoc eſt, inquit, *perſpicuum, hominem qui nos toto iam orbe in* IESVM *credentes terrere, aut in ſeruitutem redigere poſſit, eſſe neminem. Nam ſeu capite plectimur, ſeu cruci ſuffigimur, ſeu beſtiis obiicimur, ſeu vinculis, flammis, tormentiſue quibuſlibet aliis tradimur; nunquam tamen à fidei confeſſione deſciſcimus: immo quanto hæc vehementiùs in nos ingruunt, tanto plures alij, per* IESV *nomen fideles & Dei cultores exiſtunt. Quemadmodum enim in vite vſu venit, vt ſi quis eius palmites, qui fructum iam procrearunt, reſecet; hoc ipſo ad alios ramos bene virentes ac fructiferos emittendos eam præparat; ita & in nobis prorſus accidit. Vitis enim à Deo & Saluatore Chriſto plantata, populus eius eſt.*

ECCLESIA VITI SIMILIS.

Et iſta ibidem: *Atque hæc dixi*, inquit, (nonnulla ſcilicet dixerat, quæ Iudæos acriùs morſicarent: vt quòd Iſaiam prophetam ſerra lignea ſecuiſſent, quòd ſcripturas ſacras infideliter tractaſſent, aliáque eiuſcemodi auditu illis peracerba) *quod nihil æquè mihi curæ ſit, quam vt veritatem eloquar, quódque nullius omnino reſpectu abſterrendus ſim, licet etiam à vobis membratim è veſtigio diſcerpendus forem. Nam neque generis mei, Samaritanorum dico, rationem vllam habui, cùm ſcripto Cæſarem compellans, errare eos dixi, quòd Simoni Mago, populari ſuo crederent, quem ipſi etiam Deum omni principatu, & poteſtate, & virtute maiorem eſſe dicerent.*

SIMON MAGVS ROMÆ PRO DEO QVONDAM HABITVS.

Iam illa coram Antonino Pio Imp. confeſſio, quàm fortis, quàm animoſa! Cùm enim librorum [a] Hyſtaſpis, & Sibyllæ, & Propheta-

rum lectio pœnâ capitis interdicta esset, tamen non modò eos legere, sed eorum quoque auctoritates ipsi offerre Imperatori non dubitauit. Sic enim in sua ad illum apologia professus est: *Instinctu*, inquit, *& operâ malorum dæmonum est factum, vt Hystaspis, & Sibyllæ, & Prophetarum libros legentibus, capitale fuerit constitutum supplicium: nempe quò homines ab ijs legendis, vnde rerum bonarum haurire notitiam possent, metu deterrerent, sibique mancipatos retinerent. Quod tamen obtinere necdum potuerunt. Quippe qui codices istos non intrepidè solum perlegimus, sed vobis etiam, vt videtis, inspectandos offerimus: nempe non ignari, quin omnibus grati acceptique futuri sint.*

HYSTASPIS LIBRI OLIM PROHIBITI. ITEM SIBYLLARVM ET PROPHETARVM.

Et ibidem de suo & commilitonum Christianorum forti ac sincero animo: *Proinde*, inquit, *qui olim mutuis inter nos grassabamur cædibus, non modò cum hostibus iam non pugnamus, verùm etiam & ne mentiamur, néue ipsos ad necem inquisitores decipiamus, perlibenter Christum confitentes morimur.* [b] *Poterat enim dictum illud à nobis vsurpari:*

Iuraui linguâ: mentem iniuratam gero.

Verùm hoc esset sanè ridiculum, conscriptos à vobis milites, illud quod dixerint sacramentum, suæ ipsorum vitæ & parentibus & patriæ & propinquis omnibus anteferre, tametsi vos ipsis nihil incorruptum præbere possitis: nos autem immortalitatis amatores non omnia perpeti, vt æternis bonis, ab eo qui dare potest, condonemur. Ita ibi Iustinus.

Euripides in Hippolyto. ex interpretatione Ciceronis lib. 3. De officijs.

Atque hæc de eius fortitudine animi atque constantia in præsenti sufficiant: ad spiritus libertatem, velut fidam eius contubernalem, nunc conuertamur.

CAPVT XV.

Libertas spiritus.

HVic, quam modò in medium produximus, virtuti & constantiæ intrepidi animi, cognata, & penè dicam, germana soror est dicendi confidentia: quam Valerius Maximus *Libertatem vehementis spiritus* appellat, & mediam inter virtutem & vitium statuit: sed certè in Iustino Philosopho, Imperatorem ipsum ex motu pietatis, in caussa optima, liberè & confidenter compellante & arguente, non virtus modò, sed clara quoque & rara virtus est.

Quum igitur Iustinus, Christiani nominis, (quo ferè nihil mundo erat odiosius) patrocinium suscepisset, essétque coram Imperatoribus Gentilibus, & nostræ religioni mirè infensis caussa peroranda; nihil tamen mollis illius & blandi ad aures demulcendas eloquij, velut delinientis olei adhibuit: sed pede prorsus philosophico ingressus, eos docuit nullius rei tantam, (præsertim Imperatoribus pijs & philosophis, quales ipsi vulgò haberi volebant) quantam pietatis ducendam esse rationem: iustitiæ porrò & pietatis Imperatorum magna

gna cùm vbique terrarum esset fama & existimatio, nunc venisse tempus, quo appareret, verône, an falsò. Sic enim exorsus est:

APOLOGIÆ S. IVSTINI AD IMPERATORE: EXORDIVM.

Illis, qui vere pij sunt & philosophi, præscribit ipsa ratio, solam vt veritatem, veterum sententijs (si quidem malæ fuerint) repudiatis, colant atque obseruent. Neque enim hoc tantum vetat, vt ne eos sequaris, qui iniustè quippiam agant aut doceant; sed etiam, vt quisquis amicus extiterit veritatis, hic iusta loquendi & agendi studium, (tametsi mors impendeat) vel animæ suæ anteponat. Ac vos quidem & pij & philosophi & iustitiæ custodes, & eruditionis amatores vbique auditis, an verò etiam sitis, iam ostendetur. Neque enim ad vos per scripta nostra, velut assentaturi, aut verbis gratiam aucupaturi accessimus; sed postulaturi, vt accuratè atque exactè iudicium exerceatis: néue ex opinione, quæ animos vestros occupauerit, neu ex cupidine hominibus complacendi, (quod superstitiosorum est proprium) neu denique ex amenti mentis impetu, falsóue ac iam inueterato rumusculo, aduersum nos sententiam proferatis. Nam nos quidem nihil à quoquam pati debere existimamus, nisi si aut maleficij cuiuspiam arguamur, aut improbi iudicemur. Ceterum necare nos potestis, sed nocere non potestis. Ac ne quis stultam fortè hanc vocem & præaudax dictũ putet: a vobis postulamus, vt ea, quibus nos isti criminantur, examinetis: & si vera esse comprobētur, puniatis atque coërceatis: sin est nihil, cuius nos conuincere quisquam possit, minimè profectò rationi est consentaneum, propter falsos vulgi rumores atque conuicia, homines innocentes, immò vos ipsos, dum non iudicio, sed perturbatione res geri sinitis, afficere iniuria.

IVDICIORVM ÆQVA ET IVSTA RATIO.

Verum eam demum præclaram & solam in iure dicendo iustam esse rationem quilibet prudens iudicauerit, quâ & ij qui parent, institutum vitæ suæ atque doctrinæ culpâ vacare ostendant: & qui præsunt, non violentia, neque tyrannide, sed religione & sapientia ducti, sententiam ferant.

IVDICIA INIQVA.

Et infrà: *Non legitimo,* inquit, *examine iudicia exercetis: sed bruto quodam affectu, & malorũ dæmonum œstro perciti, nõ examinata caussa, (dicetur enim veritas) & nihil pensi habentes æquitatē, in nos animaduertitis.*

Denique eodem passu tota progreditur oratio. Nam alibi Deos ipsos, vt artificum manu fabrefactos ac dolatos, & artificum quidē nõnunquam omni vita contaminatissimorum, apertè irridet: alibi ipsorum Imperatorum ac Magistratuum acerbas in Christianos quæstiones, tam liberè & indissimulatè insectatur, vt dicere ausit:

PVNIENDORVM HOMINVM AVIDITAS.

Sed vereri videmini, ne omnes rectè viuant, & quos deinceps puniatis, non suppetant: quod carnificum est, non bonorum Principum. Verum à prauis dæmonibus, qui hostias & cultus, & ea quæ antè diximus, à sceleratis hominibus exigunt, hæc effici ac procurari nobis persuademus; non autem à vobis, quos pietatis & philosophiæ amor tenet, quidquam quod sit præter rationem, fieri credimus. Quòd si tamen & vos quoque, imperitorum more, veritati consuetudines anteponitis, facite quod potestis. Tantum enim

SENTENTIA IVSTINI EGREGIA.

possunt, qui opinionem veritati anteponunt Principes, quantum latrones

trones in solitudine. *Sanè quidem hac agentes minimè vos feliciter litaturos ratio ipsa demonstrat. Nos verò Regem maximum atque iustissimum, præter parentem Deum, neminem nouimus*. Et aliquanto item inferiùs: *Ac tametsi aduersus eos, qui docent, aut omnino Christi nomen confitentur, pœna capitis decreta sit, nos tamen vbique & amplectimur, & docemus. Quòd si vos etiam in hacce nostra scripta hostili animo incideritis; nihil amplius, vt antè diximus, potestis, quàm vitam eripere. Quod nobis quidem nihil nocumenti adferet: vobis autem, & quotquot iniustè nos oderint, nec resipuerint, æternos per ignem cruciatus importabit.*

Extremâ porrò eâdem apologiâ, postquam Christianorum viuendi rationem exposuit, ita subijcit:

POENARVM ÆTERNARVM INTERMINATIO.

Et hac quidem, si cum ratione & veritate coniuncta videantur, approbate: sin nugæ appareant, vt nugas contemnite: neu quasi hostibus, mortem ijs, qui nihil iniustè admiserint, decernite. Vobis enim prænuntiamus, nisi ab iniustitia destiteritis, vos futurum Dei iudicium nequaquam euasuros: nos autem clamabimus: Quod placitum Deo fuerit, hoc fiat.

Alia similis libertatis exempla, cum Tryphone Iudæorum Duce Ephesi disputans, complura edidit. Ea, vt monet breuitas, prætereo. Satis enim sunt, quæ hic posita sunt.

Hactenus igitur de ijs S. Iustini virtutibus, quæ in eius scriptis præclariùs emicuerunt, à nobis dictum sit: iam ad Documenta ex eiusdem libris desumpta, quæ toti ecclesiæ communiter prosint, traducimus stilum.

CAPVT XVI.

Documenta, siue, selecta quædam è S. Iustini scriptis, ad Ecclesiæ mores ritúsque stabiliendos, firmamenta.

P*Ost B. Iustini virtutes, velut solida sanæ doctrinæ fundamenta, consequitur, vt ex eiusdem scriptis ea seligamus, quæ fidei nostræ, & receptis in Ecclesia consuetudinibus atque institutis, vice propugnaculi esse possunt. Qualia sunt*, baptismi & admissionis in ecclesiam ritus: Diei dominicæ obseruatio, & mysterij Eucharistiæ, siue sacrificij, aliorúmque pietatis exercitiorum vsus. *Quæ ad maiorem fidem, ipsissimet græcis Iustini verbis, adiectâ è vicino interpretatione, duxi apponenda.*

§. I.

De Baptismo & admissionis in Ecclesiam ritu.

Verba S. Iustini, ex Apologia ad Antoninum Pium Imp. & filios Augustos, sub finem.

Qvonam modo nos ipsos Deo consecrauerimus; renouati per Christum, exequemur: ne fortè, hoc prætermisso, videamur aliquid in hac narratione perperam facere.

ANTE BAPTISMVM DEBENT INITIANDI AD OBTINENDAM PECCATORVM REMISSIONEM PRECIBVS ET IEIVNIIS VACARE.

Qui ergo sibi persuaserint & crediderint vera esse, quæ à nobis docentur & dicuntur: ac se posse ita viuere promiserint: hi instruũtur admissorum hactenus peccatorum remissionem precationibus & ieiunijs à Deo efflagitare, nobis etiam vnà & precantibus & ieiunantibus: deinde à nobis ad locum, vbi est aqua, deducuntur; & eo regenerationis ritu, quo & nos ipsi regenerati sumus, regenerantur: Nam in nomine Patris vniuersorum ac Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesv Christi, & Spiritus S. in aqua tum lauantur.

Ioannis 3. ver. 3. & 5.

Dixit enim Christus: *Nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum cælorum.*

Quod autem fieri non possit, vt semel nati in vteros matrum redeant, omnibus est manifestum.

Dictum est autem per Esaiam Prophetam, vti suprà scripsimus, quemadmodum ij, qui peccarunt & resipiscunt, peccata effugituri sint. Dictum est autem sic:

Esaiæ 1. ver. 16.

Lauamini: mũdi estote: auferte prauitates ab animabus vestris: discite

ὌΝ τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα· ὅπως μὴ, τοῦτο παραλιπόντες, δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει.

Ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀναγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται.

Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς εἶπεν· ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τεκουσῶν τοὺς ἅπαξ γεννωμένους ἐμβῆναι, φανερὸν πᾶσίν ἐστι.

Καὶ διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, ὡς προεγράψαμεν, εἴρηται, τίνα τρόπον φεύξονται τὰς ἁμαρτίας οἱ ἁμαρτήσαντες καὶ μετανοοῦντες. ἐλέχθη δὲ οὕτως.

Λούσασθε, καθαροὶ γένεσθε· ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν

ὑμῶν· μάθετε καλὸν ποιεῖν· κρίνατε ὀρφανῷ, καὶ διαλεχθῶμεν, λέγει κύριος. καὶ ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡσεὶ ἔριον λευκανῶ· καὶ ἐὰν ὦσιν ὡς κόκκινον, ὡς χιόνα λευκανῶ. ἐὰν δὲ μὴ εἰσακούσητέ μου, μάχαιρα ὑμᾶς κατέδεται. Τὸ γὰρ στόμα κυρίου ἐλάλησε ταῦτα.

bene facere: iudicate pupillo, & iustificate viduam: & venite, & disceptemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra vt vermiculus; sicut lanam dealbabo: & si fuerint vt coccinum, tanquam niuem dealbabo. Quòd si me non audientis, gladius deuorabit vos. Os enim Domini locutum est ista.

Καὶ λόγον δὲ εἰς τοῦτο παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐμάθομεν τοῦτον. ἐπειδὰν τὴν πρώτην γένεσιν ἡμῶν ἀγνοοῦντες καὶ ἀνάγκην γεγεννήμεθα ἐξ ὑγρᾶς σπορᾶς, κατὰ μίξιν τὴν τῶν γονέων πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἐν ἔθεσι φαύλοις καὶ πονηραῖς ἀνατροφαῖς γεγόναμεν, ὅπως μὴ ἀνάγκης τέκνα, μηδὲ ἀγνοίας μένωμεν, ἀλλὰ προαιρέσεως καὶ ἐπιστήμης, ἀφέσεώς τε ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ὧν προημάρτομεν, τύχωμεν ἐν τῷ ὕδατι, ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι, καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις, τὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ ὄνομα· αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες, τὸν λουσόμενον ἄγοντες ἐπὶ τὸ λουτρόν. ὄνομα γὰρ τῷ ἀρρήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν· εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν.

Huius autem rationem ab Apostolis istam accepimus. Quandoquidem primam natiuitatem nostrã ignorantes, secundum necessitatem ex humido semine per parentum inter se commistionem progenerati sumus, atque in malis moribus & praua educatione innutriti: vt ne filij necessitatis & ignorantię permaneamus, sed electionis atque scientiæ, & peccatorum antè admissorum remissionem in aqua cõsequamur; propterea super eum, qui regenerari elegerit, & peccatorum pœnitentiam egerit; nomen patris vniuersorum, ac Domini Dei nominatur: quod ipsum solum pronuntiantes, eum qui baptizandus est, ad lauacrum deducimus. Nomen enim ineffabili Deo nemo potest dicere. Nam si quis illi nomen esse dicere audeat, vesana insanit insaniâ.

PRIMA NOSTRA GENERATIO EST NECESSITATIS ET IGNORANTIÆ.

SECVNDA, LIBERTATIS ET COGNITIONIS.

DEI NOMEN INEFFABILE.

Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων.

Vocatur porrò hoc lauacrum, *illuminatio*: quòd eorum, qui hæc addiscunt, mentes illuminentur.

BAPTISMVS VOCATVR ILLVMINATIO.

Καὶ ἐπ᾽ ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ᾽ ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται.

Etiam in nomine Iesv Christi crucifixi sub Pontio Pilato, & in nomine Spiritus sancti, qui omnia ad Iesvm spectantia per Prophetas prænuntiauit, abluitur is, qui illuminatur.

Καὶ τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ

Hoc lauacrũ cùm audissent dę-

Ezechiel. cap. 36. ver. 25.

mones à Propheta prædicatum, effecerunt, vt qui in sua delubra introibant, atque ad se libationes ac nidores facturi accedebant, ipsi se quoque aspergerent.

δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελοῦντας.

Quin etiam, vt prodeuntes se lauarent, antequam ad templa, vbi ipsi statuti erant, ingrederentur, procurarunt.

Τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας, πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἔνθα ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι.

Nam quòd exuere calceos, dum fana intrant, & cultum exhibent, à suis sacerdotibus iubentur; hoc ex ijs, quę Moysi Prophetæ iam laudato cōtigerunt, cùm didicissēt dæmones; imitati sunt. Quo enim tempore Moyses iussus est descendere in Ægyptum, atque inde populum Israëliticum educere, cùm pasceret in terra Arabia oues auunculi sui, Christus noster cū eo in specie ignis è rubo locutus est, & dixit: *Solue calceamenta tua, & accedens audi.* atque ille calceis depositis accessit, & audijt se debere in Ægyptum descendere, & educere Israëlitarum, qui ibi erat, populum; & forti virtute à Christo, qui cum eo in specie ignis locutus fuerat, accepta, descendit, eduxitque populum faciens magna & mirabilia. Quæ si cognoscere volueritis, ex eius libris exactè cognoscetis. Hæc Iustinus.

Exodi 3. ver. 5.

Καὶ γὰρ τὸ ὑπολύεσθαι ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ἀπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ εἰρημένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ δαίμονες ἐμιμήσαντο. κατ᾽ ἐκεῖνο γὰρ τοῦ καιροῦ, ὅτε Μωσῆς ἐκελεύσθη κατελθὼν εἰς Αἴγυπτον, ἐξαγαγεῖν τὸν ἐκεῖ λαὸν τῶν Ἰσραηλιτῶν, ποιμαίνοντος αὐτοῦ ἐν τῇ Ἀρραβικῇ γῇ πρόβατα τοῦ πρὸς μητρὸς θείου, ἐν ἰδέᾳ πυρὸς προσωμίλησεν αὐτῷ ὁ ἡμέτερος Χριστὸς, καὶ εἶπεν· ὑπόλυσαι τὰ ὑποδήματά σου, καὶ προσελθὼν ἄκουσον. ὁ δὲ ὑπολυσάμενος καὶ προσελθὼν, ἀκήκοε κατελθεῖν εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐξαγαγεῖν τὸν ἐκεῖ λαὸν τῶν Ἰσραηλιτῶν, καὶ δύναμιν ἰσχυρὰν ἔλαβε παρὰ τοῦ λαλήσαντος αὐτῷ, ἐν ἰδέᾳ πυρὸς, Χριστοῦ· καὶ κατελθὼν ἐξήγαγε τὸν λαὸν, ποιήσας μεγάλα καὶ θαυμάσια, ἃ εἰ βούλεσθε μαθεῖν, ἐκ τῶν συγγραμμάτων ἐκείνου ἀκριβῶς μαθήσεσθε.

Notandum autem loca Scripturæ sacræ interdum verbo dumtaxat ab eo indicata, nonnunquam contractiùs & sensu tantùm, non verbo tenus allata esse: quòd non maiori opus esse cura iudicaret, dum agitur cum infidelibus, vt fit in hac apologia.

Quòd igitur dicit lauacrum baptismi à propheta prædicatum, intellige de propheta Ezechiele, cap. 36. versu 25. vbi sic in persona Domini: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* id est, Baptismi sacramento, quod olim in ecclesia per IESVM Christum instituam, omnia peccata vestra, quæcumque demum illa fuerint,

Ezechiel. 36. ver. 25.

fuerint, prorſus diluam. Dæmones porrò hãc ſcientes prophetiam, induxerunt etiã ipſi (vti ait Iuſtinus) vt Ethnici ante ingreſſum templi, & ante ſacrificia certis ablutionibus vterentur. Quod & Tertullianus in libro De pręſcriptionibus, cap. 40. attingit, vbi de diabolo hęreſum auctore atque interprete ſic ſcribit: *Qui ipſas quoque res ſacramentorũ diuinorum, in idolorum myſterijs æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lauacro repromittit.*

Et de lotione ante ſacrificia & libamina ſic perſuaſum habuere Gentiles, vt nefas ducerent illotis ad ea manibus accedere, nec preces ſuas exauditum iri crederent, ſi hunc lauandi ritum neglexiſſent. Quocirca Hector apud Homerum Iliados Ξ. ſic ad matrem:

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον *Homerus Iliados.*
Ἅζομαι. —
Haud equidem ipſe Ioui vinum libare meracum
Illotis auſim manibus. —

Et Heſiodus libro 2. operum & dierum extremo ita præcipit: *Heſiod. lib. 2. operum.*

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.
Illotis manibus vinum libare meracum
Mane Ioui aut vllis ne tu immortalibus auſis.
Namque audire negant: Deſputant talia vota.

Quod ſi ita ſit, ipſi viderint; ſed ſi ita ſit, aut etiamſi non ſit, quomodo eorum vota Chriſtianorum, qui illotis non quidem manibus, ſed animabus in templa irrumpunt, ad ſacra accedunt, deſputabuntur! Nolim certè cum illis eundem funem trahere.

Iam de more Gentilium, in exuendis ante ingreſſum fani calceamentis, paria Iuſtino ſcribit Tertullianus, tam in Apologetico, quàm Aduerſus Pſychicos, vbi ſcribit Gentiles in naturæ aduerſis ſolitos indicere nudipedalia. In poſteriore horum, cap. 16. ſic ſcribit: *Sed & omnem ταπεινοφροσύνην Ethnici agnoſcunt. Cum ſtupet cælum, & aret annus nudipedalia denuntiantur: magiſtratus purpuras ponunt: faſces retro auertunt, precem indigitant: hoſtiam inſtaurant.* *Tertull. in Apol. c. 40. Aduerſus Pſychicos, cap. 16.*

Neque verò ijs tantùm, quibus denũtiabãtur, temporibus valebant nudipedalia, ſed quibuſdam ſacris nunquam licebat aliter quàm nudis pedibus operari. Cuius rei teſtimonia in profanis Auctoribus paſſim occurrunt. Defluxiſſe autem hunc morem à Iudæis ad Gentiles, & à cultu veri Dei ad idolorum impietatem, rectè hic oſtendit Iuſtinus, & locum Scripturæ depromit. Sed nunc à Baptiſmo ad Euchariſtiam, vt olim moris, tranſeamus.

§. II.

De Corporis & Sanguinis IESV *Christi, in venerabili Eucharistia, veritate.*

Verba S. Iustini, in eadem Apologia ad Antoninum Pium extremâ.

NOs verò, posteaquam eum qui credidit atque assensum præbuit, sic baptizauimus; ad fratres quos appellamus, illum deducimus, qui inibi congregati sunt, communes ad Deum preces, tam pro se ipsis, quàm pro illuminato, & alijs vbique gentium omnibus obnixè fusuri, vt digni reddamur, qui cognitâ veritate, per opera ipsa, boni rerum administratores & mandatorum custodes existamus, ad æternam salutem adipiscendam.

Ἡμεῖς δὲ, μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον, καὶ συγκατατεθειμένον, ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν, ἔνθα συνηγμένοι εἰσὶ, κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος, καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων εὐτόνως, ὅπως καταξιωθῶμεν τὰ ἀληθῆ μαθόντες, καὶ δι' ἔργων ἀγαθοὶ πολιτευταὶ, καὶ φύλακες τῶν ἐντεταλμένων εὑρεθῆναι, ὅπως τὴν αἰώνιον σωτηρίαν σωθῶμεν.

Absolutis precibus, mutuo inter nos osculo salutamus.

Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν.

Dehinc adfertur ei, qui fratribus præest, panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam patri vniuersorum, per nomen IESV, & Spiritus sancti exhibet, gratiásque prolixè agit, quòd istis ab eo dignatus sit. Qui vbi preces & Eucharistiam perfecit, omnis qui adest populus acclamat dicens: *Amen*. Significat autem *Amen* voce Hebraicâ, *Fiat*.

Ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει· καὶ εὐχαριστίαν, ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ, ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων ἀμήν. Τὸ δὲ ἀμὴν, τῇ Ἑβραΐδι φωνῇ, τὸ γένοιτο, σημαίνει.

Postquam ergo qui præest, eucharistiam perfecit, & omnis populus acclamauit, tum qui à nobis dicuntur Diaconi, cunctos presentes, consecratorum per gratiarum actionem panis & vini & aquæ participes faciunt, atque etiam ad absentes deferunt.

Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.

Καὶ

Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ περὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν, καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν.

Et hoc alimentum vocatur apud nos Eucharistia: quam participare alij fas est nulli, quàm & crededti vera esse quæ à nobis docta sunt, & abluto per lauacrum ad remissionem peccatorum & regenerationem; atque ita viuēti, quemadmodū Christus instituit.

Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ ὡς κοινὸν πόμα, ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

Neque enim vt communem panem, neque vt communem potum hæc accipimus: sed quomodo per verbum Dei IESVS Christus Saluator noster incarnatus carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic & alimentum hoc, ex quo sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, prece Verbi ab ipso profecti consecratum, ipsius incarnati IESV carnem & sanguinem esse edocti sumus.

Οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς ἀνάμνησίν μου· τουτέστι τὸ σῶμά μου· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα, καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου· καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι.

Apostoli enim in commentarijs suis, quæ euangelia appellantur, sic ipsis imperasse Christum tradiderunt: eum scilicet accepto pane gratias egisse, ac dixisse: Hoc facite in meam commemorationem. *Hoc est corpus meum.* Et poculo similiter accepto & gratijs actis dixisse. *Hic est sanguis meus.* Et solis illis tradidisse.

Hactenus pura puta Iustini verba. Quibus quid potest, ad confirmandam de veritate sanctissimi Sacramenti doctrinam, aut aptius dici, aut apertius? Sunt tamen, qui nodum in scirpo quærant, & multis relictis quæ luce plena sunt, ad obscura & tenebrosa loca se conferant; vt è tenebris scilicet contra lucem dimicent. Talis fuit Petrus pseudomartyr hæreticus, & hodie Abrahamus Scultetus: quibus ego quidem, si caussam, quamobrem tali eos loco habeam, requisiuerint; eam dabo, quam Tryphoni & socijs Iustinus noster, & totidem quot ille verbis: *Nam muscarum instar* [inquiebat ille, & nunc ego] *ad vlcera procurritis & prouolatis: ac licet decem millia verba præclarè quis dixerit, vnum autem vel paruulum vobis ingratum, aut non intellectum, aut minus exactè perceptum protulerit; multa illa præclarè dicta non curatis: exiguum autem verbulum arripitis, & illud tanquam impietatem & in-*

& iniustitiam adstruere nitimini: vt vos proinde iudicio persimili à Deo iudicati, multò magis de ingentibus ausis, siue prauarum actionum, siue malarum interpretationum, quas adulteratis, rationem redditis. Quo enim iudicio iudicatis, eodem & vos aquum est iudicari.

Ista Iustinus in dialogo cum Tryphone: quæ non in Iudæos magis, quàm in huius æui hæreticos aptissimè conuenire, posset è plurimis eorum dictis atque scriptis luculenter ostendi: verum, vt rectè B. Irenæus, *non totum mare epotandum est, vt sciatur aqua eius esse salsa.* Quare nonnulla tantùm, quæ ad verba S. Patris superiùs posita pertinent, sanis quidem palatis offeremus breui disputatione degustãda.

DISPVTATIO.

De V. Eucharistia aduersus Scultetum, è doctrina S. Iustini.

DE hoc venerabili Sacramento, & Christi in eo præsentia, partim ad alia Iustini loca obiter & breuiter ab eo posita, nec à se intellecta, Scultetus & alij hæretici, quasi muscæ (vt iam dictum est) ad vlcera conuolant: partim in hoc ipso, vbi id ex professo agitur, verbulum aliquod obscurum aut dubium, quasi rimam quà euadant, aut aliquo saltem modo se tueantur, neu penitùs mutiant, perquirunt. Nam cùm doceat Iustinus nos Eucharistiam sumere, non vt communem panem, neque vt communem potum; sed nos edoctos esse alimentum hoc, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, (id est panem & vinum, ad vitandam enim ταυτολογίαν tautologiam periphrasi vtitur) esse ipsius incarnati IESV Christi carnem & sanguinem: & cùm id probet, tam è doctrina Apostolorum, quàm ex ipsius Christi verbis, qui dixit: Hoc EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS. Immo & modum explicet, quo admirabilis illa conuersio & fieri possit, & fiat: quia scilicet, quemadmodum IESVS Christus fuit incarnatus per Verbum Dei; sic per verba Christi, panis & vinum fiant caro & sanguis Christi: tamen isti, relicto sensu claro & facili, nescio quas tenebras persequuntur, & ex sua verborum Iustini noua atque insolenti constructione & interpretatione, conantur probare hominibus ratione vtentibus, meridie non lucere.

Tautologia est eiusdem sermonis repetitio.

Matthæi 26. ver. 20. & 27.

Scultetus in Synthesi doctrinæ Iustini Martyris.

I. EIVS ARGVM.

Capiunt nimirum ista verba, è Iustini priùs adductà similitudine: *Οὕτως καὶ τὸν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.*

VERBORVM S. IVSTINI ADVLTERINA INTERPRETATIO.

Quæ sic explicant, quasi Iustinus dicat pane Eucharistiæ ali corpora nostra: ac proinde in illà, etiam post consecrationem, nihil esse nisi panem: cùm tamen id minimè dicat; sed hoc tantùm: panem & vinum, quo aluntur seu ali solent corpora nostra; post consecrationem, siue factà Eucharistià, esse IESV incarnati carnem & sanguinem.

Non enim, vt isti malè imaginantur, sed sic verba Iustini græca construenda sunt: Οὕτως καὶ τὴν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες ἡμῶν κατὰ μεταβολὴν τρέφονται, εὐχαριστηθεῖσαν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ, ἐδιδάχθημεν εἶναι καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ. *Ita & alimentum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, postquam per precem verbi ab ipso profecti est consecratum, edocti sumus esse illius incarnati* IESV *carnem & sanguinem.*

EORVNDEM VERA CONSTRVCTIO ET INTERPRETATIO.

Et hæc est clarissima atque facillima verborum Iustini constructio: cui velle repugnare, est velle ab omnibus Grammaticis vapulare. Nam vox τροφὴν *alimentum* licet in orationis contextu postponatur voci εὐχαριστηθεῖσαν, tamen in ordine & sensu grammatico necessariò anteponenda est, cùm nulla sit vox alia, quæ anteponi possit. Nec est, opinor, quisquam, nisi præposteri admodum ac præfracti iudicij, qui aliter sensurus sit.

Nota autem, ne quis fortè in verbulo cauilletur, vocem εὐχαριστεῖν varias admittere interpretationes in hac materia. Nam alij *consecrare*, alij *Eucharistiam facere*, alij *gratias agere* interpretantur: sed re omnes consentiunt. Consecrare enim hostias, est Eucharistiam facere, quod quia cum gratiarum actione fit, vocatur etiam, gratias agere: & quia cum benedictione, appellatur etiam benedicere: vt Paulo 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Denique vertat quis verbum istud, quocumque volet modo, nunquam sensum ita euertet, vt non dicatur corpus & sanguis Christi in Eucharistia remanere: quandoquidem dicat Iustinus: *alimentum illud* (siue *consecratum* interpretère, siue *Eucharistiam factum*, siue, *super quo gratiæ actæ sunt*) *edocti sumus esse incarnati* IESV *carnem & sanguinem.*

VOCIS εὐχαριστεῖν VARIÆ SIGNIFICATIONES.

1. ad Cor. 10. ver. 16.

Sed hoc iam euicto, isti velut naufragi verbulum aliud, quasi tabulam, arripiunt: nempe vocem εὐχῆς, quæ precem significat: quia nimirum Iustinus dicit Eucharistiam fieri per precem. Atqui formulæ illæ, inquiunt: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: non sunt preces. Miserum effugium, & fragilis tabula. An non omnes sacramentorum formæ, licet precationis formam non præferant, tamen mysticæ preces à sanctis Patribus appellantur? quòd videlicet, vt rectè noster annotauit Bellarminus, *quocumque modo pronuntientur, contineant inuocationem Dei, cuius virtute sacramenta & eorum effectus producuntur.*

II. SCVLTETI ARGVM.

Matthæi 26. cap. ver. 26. & 27.

Pergit verò Scultetus alias rimas quærere. Nam Iustini similitudinem ab Incarnationis mysterio, ad explicationem modi, quo Christus in Eucharistia præsens statuitur, deductam; quòd scilicet vtraque fiat per Dei verbum (nihil enim aliud S. Patris verba nec sonant, nec intendunt) more suo aliorsum deflectit, atque in lacunas suas deriuat; dum sic scribit:

III. EIVSDEM ARG.

Panis

gna cùm vbique terrarum esset fama & existimatio, nunc venisse tempus, quo appareret, veróne, an falsò. Sic enim exorsus est:

APOLOGIÆ S. IVSTINI AD IMPERATORE. EXORDIVM.

Illis, qui verè pij sunt & philosophi, præscribit ipsa ratio, solam vt veritatem, veterum sententijs (si quidem malæ fuerint) repudiatis, colant atque obseruent. Neque enim hoc tantum vetat, vt ne eos sequaris, qui iniustè quippiam agant aut doceant; sed etiam, vt quisquis amicus extiterit veritatis, hic iusta loquendi & agendi studium, (tametsi mors impendeat) vel animæ suæ anteponat. Ac vos quidem & pij & philosophi & iustitiæ custodes, & eruditionis amatores vbique auditis, an verò etiam sitis, iam ostendetur. Neque enim ad vos per scripta nostra, velut assentaturi, aut verbis gratiam aucupaturi accessimus; sed postulaturi, vt accuratè atque exactè iudicium exerceatis: néue ex opinione, quæ animos vestros occupauerit, neu ex cupidine hominibus complacendi, (quod superstitiosorum est proprium) neu denique ex amenti mentis impetu, falsóue ac iam inueterato rumusculo, aduersum nos sententiam proferatis. Nam nos quidem nihil à quoquam pati debere existimamus, nisi si aut maleficij cuiuspiam arguamur, aut improbi iudicemur. Ceterum necare nos potestis, sed nocere non potestis. Ac ne quis stultam fortè hanc vocem & præaudax dictū putet: a vobis postulamus, vt ea, quibus nos isti criminantur, examinetis: & si vera esse comprobētur, puniatis atque coërceatis: sin est nihil, cuius nos conuincere quisquam possit, minimè profectò rationi est consentaneum, propter falsos vulgi rumores atque conuicia, homines innocentes, immò vos ipsos, dum non iudicio, sed perturbatione res geri sinitis, afficere iniuria.

IVDICIORVM ÆQVA ET IVSTA RATIO.

Verum eam demum præclaram & solam in iure dicendo iustam esse rationem quilibet prudens iudicauerit, quâ & ij qui parent, institutum vitæ suæ atque doctrinæ culpâ vacare ostendant: & qui præsunt, non violentia, neque tyrannide, sed religione & sapientia ducti, sententiam ferant.

IVDICIA INIQVA.

Et infrà: *Non legitimo,* inquit, *examine iudicia exercetis: sed bruto quodam affectu, & malorū dæmonum œstro perciti, nō examinata caussa, (dicetur enim veritas) & nihil pensi habentes æquitatē, in nos animaduertitis.*

Denique eodem passu tota progreditur oratio. Nam alibi Deos ipsos, vt artificum manu fabrefactos ac dolatos, & artificum quidē nōnunquam omni vita contaminatissimorum, apertè irridet: alibi ipsorum Imperatorum ac Magistratuum acerbas in Christianos quæstiones, tam liberè & indissimulatè insectatur, vt dicere ausit:

PVNIENDORVM HOMINVM AVIDITAS.

Sed vereri videmini, ne omnes rectè viuant, & quos deinceps puniatis, non suppetant: quod carnificum est, non bonorum Principum. Verum à prauis dæmonibus, qui hostias & cultus, & ea quæ antè diximus, à sceleratis hominibus exigunt, hæc effici ac procurari nobis persuademus; non autem à vobis, quos pietatis & philosophiæ amor tenet, quidquam quod sit præter rationem, fieri credimus. Quòd si tamen & vos quoque, imperitorum more, veritati consuetudines anteponitis, facite quod potestis. Tantum enim

SENTENTIA IVSTINI EGREGIA.

possunt, qui opinionem veritati anteponunt Principes, quantum la-

trones

trones in solitudine. *Sanè quidem hæc agentes minimè vos feliciter litaturos ratio ipsa demonstrat. Nos verò Regem maximum atque iustissimum, præter parentem Deum, neminem nouimus*. Et aliquanto item inferiùs: *Ac tametsi aduersus eos, qui docent, aut omnino Christi nomen confitentur, pœna capitis decreta sit, nos tamen vbique & amplectimur, & docemus. Quòd si vos etiam in hacce nostra scripta hostili animo incideritis; nihil amplius, vt antè diximus, potestis, quàm vitam eripere. Quod nobis quidem nihil nocumenti afferet: vobis autem, & quotquot iniustè nos oderint, nec resipuerint, æternos per ignem cruciatus importabit.*

Extremâ porrò eâdem apologiâ, postquam Christianorum viuendi rationem exposuit, ita subijcit:

POENARVM ÆTERNARVM INTERMINATIO.

Et hæc quidem, si cum ratione & veritate coniuncta videantur, approbate: sin nugæ appareant, vt nugas contemnite: neu quasi hostibus, mortem ijs, qui nihil iniustè admiserint, decernite. Vobis enim prænuntiamus, nisi ab iniustitia destiteritis, vos futurum Dei iudicium nequaquam euasuros: nos autem clamabimus: Quod placitum Deo fuerit, hoc fiat.

Alia similis libertatis exempla, cum Tryphone Iudæorum Duce Ephesi disputans, complura edidit. Ea, vt monet breuitas, prætereo. Satis enim sunt, quæ hic posita sunt.

Hactenus igitur de ijs S. Iustini virtutibus, quæ in eius scriptis præclariùs emicuerunt, à nobis dictum sit: iam ad Documenta ex eiusdem libris desumpta, quæ toti ecclesiæ communiter prosint, traducimus stilum.

CAPVT XVI.

Documenta, siue, selecta quædam è S. Iustini scriptis, ad Ecclesiæ mores ritúsque stabiliendos, firmamenta.

P*Ost B. Iustini virtutes, velut solida sanæ doctrinæ fundamenta, consequitur, vt ex eiusdem scriptis ea seligamus, quæ fidei nostræ, & receptis in Ecclesia consuetudinibus atque institutis, vice propugnaculi esse possunt. Qualia sunt*, baptismi & admissionis in ecclesiam ritus: Diei dominicæ obseruatio, & mysterij Eucharistiæ, siue sacrificij, aliorúmque pietatis exercitiorum vsus. *Quæ ad maiorem fidem, ipsismet græcis Iustini verbis, adiectâ è vicino interpretatione, duxi apponenda.*

§. I.

De Baptiſmo & admiſſionis in Eccleſiam ritu.

Verba S. Iuſtini, ex Apologia ad Antoninum Pium Imp. & filios Auguſtos, ſub finem:

QVonam modo nos ipſos Deo conſecrauerimus; renouati per Chriſtum, exequemur: ne fortè, hoc prætermiſſo, videamur aliquid in hac narratione perperam facere.

ANTE BAPTISMVM DEBENT INITIANDI AD OBTINENDAM PECCATORVM REMISSIONEM PRECIBVS ET IEIVNIIS VACARE.

Qui ergo ſibi perſuaſerint & crediderint vera eſſe, quæ à nobis docentur & dicuntur: ac ſe poſſe ita viuere promiſerint: hi inſtruũtur admiſſorum hactenus peccatorum remiſſionem precationibus & ieiunijs à Deo efflagitare, nobis etiam vnà & precantibus & ieiunantibus: deinde à nobis ad locum, vbi eſt aqua, deducuntur, & eo regenerationis ritu, quo & nos ipſi regenerati ſumus, regenerantur: Nam in nomine Patris vniuerſorum ac Domini Dei, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, & Spiritus S. in aqua tum lauantur.

Ioannis 3. ver. 3. & 5.

Dixit enim Chriſtus: *Niſi renati fueritis, non intrabitis in regnum cælorum.*

Quod autem fieri non poſſit, vt ſemel nati in vteros matrum redeant, omnibus eſt manifeſtum.

Dictum eſt autem per Eſaiam Prophetam, vti ſuprà ſcripſimus, quemadmodum ij, qui peccarunt & reſipiſcunt, peccata effugituri ſint. Dictum eſt autem ſic:

Eſaiæ 1. ver. 16.

Lauamini: mũdi eſtote: auferte prauitates ab animabus veſtris: diſcite

ΟΝ τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα· ὅπως μὴ, τοῦτο παραλιπόντες, δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει.

Ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ᾽ ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ᾽ ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀναγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. ἐπ᾽ ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται.

Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς εἶπεν· ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τεκουσῶν τοὺς ἅπαξ γεννωμένους ἐμβῆναι, φανερὸν πᾶσίν ἐστι.

Καὶ διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, ὡς προεγράψαμεν, εἴρηται, τίνα τρόπον φεύξονται τὰς ἁμαρτίας οἱ ἁμαρτήσαντες καὶ μετανοοῦντες. ἐλέχθη δὲ οὕτως.

Λούσασθε, καθαροὶ γένεσθε· ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν

ὑμῶν· μάθετε καλὸν ποιεῖν· κρίνατε ὀρφανῷ, καὶ διαλεχθῶμεν, λέγει κύριος. καὶ ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡσεὶ ἔριον λευκανῶ· καὶ ἐὰν ὦσιν ὡς κόκκινον, ὡς χιόνα λευκανῶ. ἐὰν δὲ μὴ εἰσακούσητέ μου, μάχαιρα ὑμᾶς κατέδεται. Τὸ γὰρ στόμα κυρίου ἐλάλησε ταῦτα.

bene facere: iudicate pupillo, & iustificate viduam: & venite, & disceptemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra vt vermiculus; sicut lanam dealbabo: & si fuerint vt coccinum, tanquam niuem dealbabo. Quòd si me non audientis, gladius deuorabit vos. Os enim Domini locutum est ista.

Καὶ λόγον δὲ εἰς τοῦτο παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐμάθομεν τοῦτον. ἐπειδὰν τὴν πρώτην γένεσιν ἡμῶν ἀγνοοῦντες κατ' ἀνάγκην γεγεννήμεθα ἐξ ὑγρᾶς σπορᾶς, κατὰ μίξιν τὴν τῶν γονέων πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἐν ἔθεσι φαύλοις καὶ πονηραῖς ἀνατροφαῖς γεγόναμεν, ὅπως μὴ ἀνάγκης τέκνα, μηδὲ ἀγνοίας μένωμεν, ἀλλὰ προαιρέσεως καὶ ἐπιστήμης, ἀφέσεώς τε ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ὧν προημάρτομεν, τύχωμεν ἐν τῷ ὕδατι, ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι, καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις, τὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ ὄνομα· αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες, τοῦτον λουσόμενον ἄγοντες ἐπὶ τὸ λουτρόν. ὄνομα γὰρ τῷ ἀρρήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν· εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν.

Huius autem rationem ab Apostolis istam accepimus. Quandoquidem primam natiuitatem nostrā ignorantes, secundùm necessitatem ex humido semine per parentum inter se commistionem progenerati sumus, atque in malis moribus & praua educatione innutriti: vt ne filij necessitatis & ignorantię permaneamus, sed electionis atque scientiæ, & peccatorum antè admissorum remissionem in aqua cōsequamur; propterea super eum, qui regenerari elegerit, & peccatorum pœnitentiam egerit; nomen patris vniuersorum, ac Domini Dei nominatur: quod ipsum solum pronuntiantes, eum qui baptizandus est, ad lauacrum deducimus. Nomen enim ineffabili Deo nemo potest dicere. Nam si quis illi nomen esse dicere audeat, vesana insanit insaniâ.

PRIMA NOSTRA GENERATIO EST NECESSITATIS ET IGNORANTIÆ.

SECVNDA, LIBERTATIS ET COGNITIONIS.

DEI NOMEN INEFFABILE.

Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων.

Vocatur porrò hoc lauacrum, *illuminatio*: quòd eorum, qui hæc addiscunt, mentes illuminentur.

BAPTISMVS VOCATVR ILLVMINATIO.

Καὶ ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται.

Etiam in nomine IESV Christi crucifixi sub Pontio Pilato, & in nomine Spiritus sancti, qui omnia ad IESVM spectantia per Prophetas prænuntiauit, abluitur is, qui illuminatur.

Καὶ τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ

Hoc lauacrū cùm audissent dę-

Ezechiel.cap.36. ver.25. mones à Propheta prædicatum; effecerunt, vt qui in sua delubra introibant, atque ad se libationes ac nidores facturi accedebant, ipsi se quoque aspergerent.

δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελοῦντας.

Quin etiam, vt prodeuntes se lauarent, antequam ad templa, vbi ipsi statuti erant, ingrederentur, procurarunt.

Τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας, πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερά, ἔνθα ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι.

Nam quòd exuere calceos, dum fana intrant, & cultum exhibent, à suis sacerdotibus iubentur; hoc ex ijs, quę Moysi Prophetæ iam laudato cõtigerunt, cùm didicissēt dæmones; imitati sunt. Quo enim tempore Moyses iussus est descendere in Ægyptum, atque inde populum Israëliticum educere, cùm pasceret in terra Arabia oues auunculi sui, Christus noster cũ eo in specie ignis è rubo locutus est, & dixit: *Solue calceamenta tua, & accedens audi.* atque illc calceis depositis accessit, & audijt se debere in Ægyptum descendere, & educere Israëlitarum, qui ibi erat, populum; & forti virtute à Christo, qui cum eo in specie ignis locutus fuerat, accepta, descendit, eduxitque populum faciens magna & mirabilia. Quæ si cognoscere volueritis, ex eius libris exactè cognoscetis. Hæc Iustinus.

Exodi 3.ver.5.

Καὶ γὰρ τὸ ὑπολύεσθαι ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ἀπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ εἰρημένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ δαίμονες ἐμιμήσαντο. καὶ ἐκεῖνο γὰρ τοῦ καιροῦ, ὅτε Μωσῆς ἐκελεύσθη κατελθὼν εἰς Αἴγυπτον, ἐξαγαγεῖν τὸν ἐκεῖ λαὸν τῶν Ἰσραηλιτῶν, ποιμαίνοντος αὐτοῦ ἐν τῇ Ἀρραβικῇ γῇ πρόβατα τοῦ πρὸς μητρὸς θείου, ἐν ἰδέᾳ πυρὸς προσωμίλησεν αὐτῷ ὁ ἡμέτερος Χριστὸς, καὶ εἶπεν· ὑπόλυσαι τὰ ὑποδήματά σου, καὶ προσελθὼν ἄκουσον. ὁ δὲ ὑπολυσάμενος καὶ προσελθὼν, ἀκήκοε κατελθεῖν εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐξαγαγεῖν τὸν ἐκεῖ λαὸν τῶν Ἰσραηλιτῶν, καὶ δύναμιν ἰσχυρὰν ἔλαβε παρὰ τοῦ λαλήσαντος αὐτῷ, ἐν ἰδέᾳ πυρὸς, Χριστοῦ· καὶ κατελθὼν ἐξήγαγε τὸν λαὸν, ποιήσας μεγάλα καὶ θαυμάσια, ἃ εἰ βούλεσθε μαθεῖν, ἐκ τῶν συγγραμμάτων ἐκείνου ἀκριβῶς μαθήσεσθε.

Notandum autem loca Scripturæ sacræ interdum verbo dumtaxat ab eo indicata, nonnunquam contractiùs & sensu tantùm, non verbo tenus allata esse: quòd non maiori opus esse cura iudicaret, dum agitur cum infidelibus, vt fit in hac apologia.

Quòd igitur dicit lauacrum baptismi à propheta prædicatum, intellige de propheta Ezechiele, cap. 36. versu 25. vbi sic in persona Domini: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* id est, Baptismi sacramento, quod olim in ecclesia per IESVM Christum instituam, omnia peccata vestra, quæcumque demum illa fuerint,

Ezechiel.36. ver.25.

fuerint,prorſus diluam.Dæmones porrò hāc ſcientes prophetiam,induxerunt etiā ipſi (vti ait Iuſtinus) vt Ethnici ante ingreſſum templi,& ante ſacrificia certis ablutionibus vterentur.Quod & Tertullianus in libro De pręſcriptionibus,cap.40.attingit,vbi de diabolo hęreſum auctore atque interprete ſic ſcribit: *Qui ipſas quoque res ſacramentorū diuinorum,in idolorum myſterijs æmulatur.Tinguit & ipſe quoſdam,vtique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lauacro repromittit.*

Et de lotione ante ſacrificia & libamina ſic perſuaſum habuere Gentiles,vt nefas ducerent illotis ad ea manibus accedere, nec preces ſuas exauditum iri crederent,ſi hunc lauandi ritum neglexiſſent. Quocirca Hector apud Homerum Iliados Ξ.ſic ad matrem:

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον *Homerus Iliados.*
Ἅζομαι. —
Haud equidem ipſe Ioui vinum libare meracum
Illotis auſim manibus. —

Et Heſiodus libro 2.operum & dierum extremo ita præcipit: *Heſiod.lib.2. operum.*

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.
Illotis manibus vinum libare meracum
Mane Ioui aut vllis ne tu immortalibus auſis.
Namque audire negant: Deſputant talia vota.

Quod ſi ita ſit, ipſi viderint;ſed ſi ita ſit,aut etiamſi non ſit,quomodo eorum vota Chriſtianorum,qui illotis non quidem manibus,ſed animabus in templa irrumpunt,ad ſacra accedunt , deſputabuntur! Nolim certè cum illis eundem funem trahere.

Iam de more Gentilium,in exuendis ante ingreſſum fani calceamentis,paria Iuſtino ſcribit Tertullianus,tam in Apologetico,quàm Aduerſus Pſychicos,vbi ſcribit Gentiles in naturæ aduerſis ſolitos indicere nudipedalia.In poſteriore horum, cap.16.ſic ſcribit: *Sed & omnem ταπεινοφροσύνην Ethnici agnoſcunt. Cum ſtupet cælum,& aret annus nudipedalia denuntiantur : magiſtratus purpuras ponunt: faſces retro auertunt,precem indigitant:hoſtiam inſtaurant.* *Tertull.in Apol.c.40. Aduerſus Pſychicos,cap.16.*

Neque verò ijs tantùm,quibus denūtiabātur, temporibus valebant nudipedalia, ſed quibuſdam ſacris nunquam licebat aliter quàm nudis pedibus operari.Cuius rei teſtimonia in profanis Auctoribus paſſim occurrunt. Defluxiſſe autem hunc morem à Iudæis ad Gentiles, & à cultu veri Dei ad idolorum impietatem,rectè hic oſtendit Iuſtinus,& locum Scripturæ depromit. Sed nunc à Baptiſmo ad Euchariſtiam,vt olim moris,tranſeamus.

§. II.

De Corporis & Sanguinis IESV *Christi, in venerabili Eucharistia, veritate.*

Verba S. Iustini, in eadem Apologia ad Antoninum Pium extremâ.

NOs verò, posteaquam eum qui credidit atque assensum præbuit, sic baptizauimus; ad fratres quos appellamus, illum deducimus, qui inibi congregati sunt, communes ad Deum preces, tam pro se ipsis, quàm pro illuminato, & alijs vbique gentium omnibus obnixè fusuri, vt digni reddamur, qui cognitâ veritate, per opera ipsa, boni rerum administratores & mandatorum custodes existamus, ad æternam salutem adipiscendam.

Ἡμεῖς δὲ, μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον, καὶ συγκατατεθειμένον, ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν, ἔνθα συνηγμένοι εἰσὶ, κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος, καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων εὐτόνως, ὅπως καταξιωθῶμεν τὰ ἀληθῆ μαθόντες, καὶ δι' ἔργων ἀγαθοὶ πολιτευταὶ, καὶ φύλακες τῶν ἐντεταλμένων εὑρεθῆναι, ὅπως τὴν αἰώνιον σωτηρίαν σωθῶμεν.

Absolutis precibus, mutuo inter nos osculo salutamus.

Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν.

Dehinc adfertur ei, qui fratribus præest, panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam patri vniuersorum, per nomen IESV, & Spiritus sancti exhibet, gratiásque prolixè agit, quòd istis ab eo dignatus sit. Qui vbi preces & Eucharistiam perfecit, omnis qui adest populus acclamat dicens: *Amen*. Significat autem *Amen* voce Hebraicâ, *Fiat*.

Ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει· καὶ εὐχαριστίαν, ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ, ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων ἀμήν. Τὸ δὲ ἀμὴν, τῇ Ἑβραΐδι φωνῇ, τὸ γένοιτο, σημαίνει.

Postquam ergo qui præest, eucharistiam perfecit, & omnis populus acclamauit, tum qui à nobis dicuntur Diaconi, cunctos presentes, consecratorum per gratiarum actionem panis & vini & aquæ participes faciunt, atque etiam ad absentes deferunt.

Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.

Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ περὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν.

Et hoc alimentum vocatur apud nos Eucharistia: quam participare alij fas est nulli, quàm & credēti vera esse quæ à nobis docta sunt, & abluto per lauacrum ad remissionem peccatorum & regenerationem; atque ita viuēti, quemadmodū Christus instituit.

Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ ὡς κοινὸν πόμα, ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

Neque enim vt communem panem, neque vt communem potum hæc accipimus: sed quomodo per verbum Dei IESVS Christus Saluator noster incarnatus carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic & alimentum hoc, ex quo sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, prece Verbi ab ipso profecti consecratum, ipsius incarnati IESV carnem & sanguinem esse edocti sumus.

Οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς ἀνάμνησίν μου· τουτέστι τὸ σῶμά μου· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα, καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν. τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου· καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι.

Apostoli enim in commentarijs suis, quæ euangelia appellantur, sic ipsis imperasse Christum tradiderunt: eum scilicet accepto pane gratias egisse, ac dixisse: Hoc facite in meam commemorationem. *Hoc est corpus meum.* Et poculo similiter accepto & gratijs actis dixisse. *Hic est sanguis meus.* Et solis illis tradidisse.

Hactenus pura puta Iustini verba. Quibus quid potest, ad confirmandam de veritate sanctissimi Sacramenti doctrinam, aut aptius dici, aut apertius? Sunt tamen, qui nodum in scirpo quærant, & multis relictis quæ luce plena sunt, ad obscura & tenebrosa loca se conferant; vt è tenebris scilicet contra lucem dimicent. Talis fuit Petrus pseudomartyr hæreticus, & hodie Abrahamus Scultetus: quibus ego quidem, si caussam, quamobrem tali eos loco habeam, requisiuerint; eam dabo, quam Tryphoni & socijs Iustinus noster, & totidem quot ille verbis: *Nam muscarum instar* [inquiebat ille, & nunc ego] *ad vlcera procurritis & prouolatis: ac licet decem millia verba præclarè quis dixerit, vnum autem vel paruulum vobis ingratum, aut non intellectum, aut minus exactè perceptum protulerit; multa illa præclarè dicta non curatis: exiguum autem verbulum arripitis, & illud tanquam impietatem & in-*

Non enim, vt isti malè imaginantur, sed sic verba Iustini græca construenda sunt: Οὕτως καὶ τὴν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες ἡμῶν κατὰ μεταβολὴν τρέφονται, εὐχαριστηθεῖσαν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ, ἐδιδάχθημεν εἶναι καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ. *Ita & alimentum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, postquam per precem verbi ab ipso profecti est consecratum, edocti sumus esse illius incarnati* IESV *carnem & sanguinem.* EORVNDEM VERA CONSTRVCTIO ET INTERPRETATIO.

Et hæc est clarissima atque facillima verborum Iustini constructio: cui velle repugnare, est velle ab omnibus Grammaticis vapulare. Nam vox τροφὴν *alimentum* licet in orationis contextu postponatur voci εὐχαριστηθεῖσαν, tamen in ordine & sensu grammatico necessariò anteponenda est, cùm nulla sit vox alia, quæ anteponi possit. Nec est, opinor, quisquam, nisi præposteri admodum ac præfracti iudicij, qui aliter sensurus sit.

Nota autem, ne quis fortè in verbulo cauilletur, vocem εὐχαριστεῖν varias admittere interpretationes in hac materia. Nam alij *consecrare*, alij *Eucharistiam facere*, alij *gratias agere* interpretantur: sed re omnes consentiunt. Consecrare enim hostias, est Eucharistiam facere, quod quia cum gratiarum actione fit, vocatur etiam, gratias agere: & quia cum benedictione, appellatur etiam benedicere: vt Paulo 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Denique vertat quis verbum istud, quocumque volet modo, nunquam sensum ita euertet, vt non dicatur corpus & sanguis Christi in Eucharistia remanere: quandoquidem dicat Iustinus: *alimentum illud* (siue *consecratum* interpretère, siue *Eucharistiam factum*, siue, *super quo gratiæ actæ sunt*) *edocti sumus esse incarnati* IESV *carnem & sanguinem.* VOCIS εὐχαριστεῖν VARIÆ SIGNIFICATIONES. 1. ad Cor. 10. ver. 16.

Sed hoc iam euicto, isti velut naufragi verbulum aliud, quasi tabulam, arripiunt: nempe vocem εὐχῆς, quæ precem significat: quia nimirum Iustinus dicit Eucharistiam fieri per precem. Atqui formulæ illæ, inquiunt: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: non sunt preces. Miserum effugium, & fragilis tabula. An non omnes sacramentorum formæ, licet precationis formam non præferant, tamen mysticæ preces à sanctis Patribus appellantur? quòd videlicet, vt rectè noster annotauit Bellarminus, *quocumque modo pronuntientur, contineant inuocationem Dei, cuius virtute sacramenta & eorum effectus producuntur.* II. SCVLTETI ARGVM. Matthæi 26. cap. ver. 26. & 27.

Pergit verò Scultetus alias rimas quærere. Nam Iustini similitudinem ab Incarnationis mysterio, ad explicationem modi, quo Christus in Eucharistia præsens statuitur, deductam; quòd scilicet vtraque fiat per Dei verbum (nihil enim aliud S. Patris verba nec sonant, nec intendunt) more suo aliorsum deflectit, atque in lacunas suas deriuat; dum sic scribit: III. EIVSDEM ARG.

Panis

Panis est corpus Christi, quale per incarnationem est assumptum, *inquit Iustinus*. Immo verò, non hoc inquit Iustinus, sed planè aliud, nempe quod iam iam attigi. Nec longè abeundum est, vt reuisantur verba Iustini paullò superius in grçcolatinâ serie posita: Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, &c. *Quem enim, vt communem panem*, &c.

Postquam tamen illam suam & absurdam & adulterinam propositionem, quasi germanam Iustini, supposuit, *Hinc infero*, inquit. *Corpus igitur hic non insensibiliter omni destitutum proprietate, vel in pane existit, vel panis accidentibus inclusum est* [Lutheranos enim impugnat peræquè & Catholicos] *quia filius Dei sensibilem & perfectam carnē ac sanguinē, nostrâ pro salute assumpsit. Talis itaque in Eucharistia veritas carnis credenda est, qualis per incarnationem Verbi, in omnibus vera carnis proprietatibus assumpta, & in mortem pro nobis est tradita.* Ita ille. Quasi dicat: *E verbis Iustini, si ita acciperentur, vt Bellarminus & Iesuitæ volunt, sequeretur Christum ibi esse patibilem, & cum ea magnitudine & protensione corporis externa, in qua erat, dum in terris viueret: quod admitti non potest.* Sic ille contra nos.

REFVTATIO TERTII ARGVMENTI. Sed nimirum ex vno absurdo multa sequi absurda, nihil mirum: at hoc valde mirum: quòd cùm ipse Scultetus illud primum absurdum, vitiato Iustini sensu, à se posuerit: tamen alia, quæ ex eo sequuntur absurda, non sibi, sed Catholicis & Lutheranis adscripserit. Non enim dixit Iustinus in sacramento esse tale corpus, quale in incarnatione, nimirum mortale, patibile, &c. sed tantummodò, ita Christi carnem & sanguinem poni in Eucharistia per verbum Christi: sicut per verbum Dei facta est incarnatio. Hinc potest colligi, quâ fide in SS. Patribus iste homo versatus sit, & quantum veneni in Medullam suam (ita enim opus suum appellat) infuderit.

SCVLTETI CONTRA IESVITAS NOVA MACHINA. Ecce verò & aliud eiusdem fidei, seu perfidiæ potiùs, argumentum. Contra nos enim, & contra Bellarminum nominatim, (quem subsannare instituit) talibus vtitur verbis: *Iustinus panem eucharisticum dicit non esse vulgarem panem. Ergo (colligit ab vna parte Iesuita) panis in corpus Christi transmutatus est. Ergo (ratiocinatur ab altera parte Vbiquitarius) in pane est corpus Christi. Ridiculam verò Logicam: negato adiunctorum vno, subiectum vel totum tollere; vel adscito alio, eóque diuersi generis conduplicare. Bellarminus non est vulgaris Iesuita: igitur non est Iesuita. Panis prece sanctificatus non est communis panis: igitur non est panis amplius. Vel: panis igitur localiter sibi inclusum habet Christi corpus.* Ita ille,

MACHINÆ IN EIVS CAPVT DETVRBATIO. Quibus in verbis attendite, amabo, amici lectores, hominis dolosi perfidiam. Fingit enim doctissimum Bellarminum ita esse argumentatum: *Iustinus panem eucharisticum dicit non esse vulgarem panem: ergo panis in corpus Christi transmutatus est.* Deinde exclamat: *Ridiculam Logicam.* Ego verò non habeo hîc exclamare: *Ridiculam Logicam;*

cam; sed *Sculteti effrontem impudentiam*! aut, si malit, *impudentem nequitiam*! Minimè enim sic argumentatus est Bellarminus, minimè gentium; sed sic eum quidem esse argumentatum mentitus est Scultetus. Nam Bellarmini argumentum fuit tale: *Iustinus simpliciter asserit panem Eucharistiæ nō esse communem panem, sed carnem Christi: ergo vera Christi caro propriè in Eucharistia continetur*: ex mente scilicet Iustini. Iste autem mendacij filius omisit illam posteriorem partem: *sed carnem Christi*, in qua scilicet præcipua argumenti vis erat, quæ illum & socios confoderet: & priorem tatum sumpsit, ex qua solà cùm argumentum conflasset sanè ridiculum; illud, (qua est intolerabili impudentia) non dubitauit viro doctissimo atque sanctissimo affingere: in quo quidem, dum risum de alio quærit, ipsemet (quod præ cimmeria mentis cæcitate non prȩuidit) sese non dicam irridendum, sed tanquam effrontem plagiarium viris omnibus cordatis exsibilandum atque explodendum præbuit.

Verba ipsa Bellarmini, quæ detruncauit ac detorsit, sunt hæc libro 2. De sacramento Eucharistiæ, cap. 4. *Ex hoc igitur loco* [Iustini scilicet suprà à me posito] *duobus modis colligitur sensisse Iustinum, veram Christi carnem propriè in Eucharistia contineri.* BELLARMINI LOCVS LIB. II. DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ CAP. IV.

Primò, ex eo, quòd simpliciter asserit panem Eucharistiæ non esse communem panem, sed carnem Christi: neque vllam mentionem facit tropi aut figuræ alicuius. Nam si Eucharistia esset significatiuè caro Christi, & non realiter, id Iustinus omnino dicere debuisset. Scribebat enim apologiam pro Christianis, quibus, præter alia crimina, obyciebatur manducatio carnium humanarum in sacris, vt patet ex Tertulliano in Apologetico, cap. 7. & ex Minutio Felice, in Octauio, &c. Certè enim ad hoc abolendum crimen, omnino dicendum fuit, Christi carnem à Christianis non comedi, nisi significatiuè. vide ibi plura. Tertull. in Apologetico cap. 7.

Secundò id colligimus ex comparatione Eucharistiæ, quam facit Iustinus cum mysterio Incarnationis. Vt enim doceret non temerè Christianos credere panem fieri carnem; adducit in medium aliud mysterium æquè difficile. Qua enim potentia fieri potuit, vt Deus incarnaretur, eâdem fieri potuisse dicit, vt panis fieret caro. Vbi, nisi re ipsa velit affirmare panem fieri carnem, sed solum significatiuè; frustra adducit exemplum Incarnationis. Nullum enim est miraculum, facere vt panis significet corpus Christi.

Hæc Bellarminus: quæ longè diuersa sunt ab ijs, quæ illi auctor mendaciorum affinxit: & quibus (si habuisset, quod responderet) tenebras offundere tanto cum sui honoris ac famæ dispendio non tam temerè attentasset. Solida enim sanè & iudicij plena est tota illa Bellarmini argumentatio: cui compositæ Sculteti nugæ, (vt contraria iuxta se posita magis elucescunt) duplæ apparent.

Quid autem super Iustino nostro præterea adfert, aut comminiscitur? nempe illum alijs in locis pro se facere, & ter quidem in vno

Tryphone

ALIA SCVLTETI MOLIMINA.

Tryphone dicere, [ſic loquitur Sculretus] *alimentum panis & vini deſtinatum à Chriſto εἰς ἀνάμνησιν incarnationis, paßionis, ſanguinis à Chriſto pro noſtra ſalute profuſi.* Ex quo relinquit intelligi, nihil in Euchariſtia eſſe, niſi panem & vinum, non autem Chriſtum.

EORVM DEMOLITIO.

Nos verò S. Iuſtini verba vltrò ac libenter ſuſcipimus; at quod ex illis intelligi & colligi vult Scultetus, minimè recipimus. Admittimus enim quæ ſanctus Pater dicit, ſiue de pane & vino nondum conſecratis agat, ſiue de conſecratis. Scimus enim illa, etiam ante cõſecrationem (quandoquidẽ materia ſint huius ſacramenti) in paſſionis Domini commemorationem eſſe deſtinata, quamuis intermediâ conſecratione. Nam & ipſa precationis forma, quam in oblatione ante conſecrationem præuiâ vſurpamus, eam commemorationem nominatim continet. Quare Scultetus noſtrorum rituum rudis ea dici à Iuſtino profitetur, quæ nos hodie facimus: atque ita eiuſdem Iuſtini doctrinam belliſſimè cum noſtra concordare imprudens manifeſtat. Deinde Iuſtinus in illis locis, quæ in Tryphone obiter attingit, interdum panis nomine, ſine vllo addito, vtitur; interdum alimoniam aridam & humidam appellat; ſed ſæpius panem Euchariſtiæ, poculum Euchariſtiæ, euchariſtiam panis & calicis vſurpat: vt proinde dici poſſit illa ex his explicanda eſſe, ac per panem Euchariſtiæ, intelligi eum, qui eſt panis viuus: cùm præſertim & SS. Patres, & Paullus, & ipſe IESVS Chriſtus ſic interdum panem accipiant. Sic

Ioan.6.ver.52. Ioannis vi. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Sic ad

1.ad Cor.11. ver.27. Corinthios, in priore epiſt. cap. xi. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quaſi dicat, idem eſſe, manducare panem, & bibere calicem Domini indignè, atque manducare indignè corpus ſeu carnem Domini, & bibere indignè eius ſanguinem. Et vide, quomodo ipſe Dominus in vno eódemque capite, Ioannis vi. pro eodem accipiat pa-

Ioan.6.ver.52. nem & carnem. Cùm enim verſu 52. dixiſſet: *Si quis manducauerit ex*

Ibidem ver.55. *hoc pane, viuet in æternum.* ſubiecit verſu 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eũ in nouiſsimo die.* Et ne quis vltrà de iſto cibo dubitaret, addidit pro-

Ibid.ver.26. ximè: *Caro enim mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus.* Non ergo ſignificatiuè tantùm, vt vult Scultetus, & ceteri de Caluino.

VLTIMVM SCVLTETI TORMENTVM.

Vltimum Sculteti eſt: Chriſtianos in tali manducatione futuros verè anthropophagos: nec Gentilium calumnijs de eſu humanarum carnium, ſi verè Chriſtus in ſacramento præſens ſit, ſatisfactum iri, nec potuiſſe Iuſtinum ſimpliciter id negare.

** Humanarum carnium eſum.*

Ita enim ſcribit: *Reſpondens etiam Gentilium, Chriſtianis* * ἀνθρωποφαγίαν *obijcientium, calumnijs,* λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν, καὶ τὰς ἀναιδεῖς μίξεις, καὶ ἀνθρωπίνων σαρκῶν βορὰς οὐ γινώσκομεν. inquit, id eſt: *Lucernæ reſtinctionem, impudicóſque congreſſus, & humanarum carnium eſum non agnoſci-*

agnoſcimus. Atqui non potuiſſet hoc crimen inficiari ſimpliciter, ſi realem corporis Chriſti eſum ſtatuiſſet. Tam verè enim ἀνθρωποφάγος is eſt, qui hominem integrum, viuum, inſenſibili modo, re verâ comedit: quàm qui in membra conciſum, & vel aſſum, vel elixum ſenſibiliter manducat. Hactenus Sultetus.

Mirum autem, hominem iſtum non poſſe locum aliquem citare, quin immutet, aut corrumpat. Quis non diceret lectis eius verbis, Iuſtinum ſimpliciter crimina illa obiecta inficiatum? quandoquidem citet illum ſic dicentem: *Lucernæ reſtinctionem, impudicóſque congreſſus, & humanarum carnium eſum non agnoſcimus.* EIVS IN PARTES DISSOLVTIO.

Atqui hoc non dicit Iuſtinus, ſed loquens de hæreſiarchis & hæreticis, qui ſe etiam Chriſtianos vocabant, ſubdit de iiſdem: Εἰ δὲ καὶ τὰ δύσφημα ἐκεῖνα μυθολογούμενα ἔργα πράττουσι, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν, καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, οὐ γινώσκομεν. *An verò iſti* [Marcionitæ & alij hæretici] *infamia illa, & fabulis celebrata facinora admittant, lucernæ reſtinctionem, & impudicos congreſſus, & humanarum carnium vorationes, nos neſcimus.* Malè legitur in editione Pariſienſi græcolatina *viſcerationes.*

Aliud porrò eſt ſimpliciter inficiari, ſe aliquid facere, aliud dicere: ſi iſti hæretici non faciant, nos neſcimus.

Sed faciamus tamen, quamuis ita non ſit, inficiatum eſſe ſimpliciter Iuſtinum, Chriſtianos eſſe voratores hominum, an non meritò id tum ei licuit, quod iam nobis licet? Quum enim verba mentis ſint notæ; ſic capienda ſunt, vt hominum mentibus reſpondent. Quę autem mens erat iſtorum Gentilium, niſi Chriſtianos inſtar verorum anthropophagorum homines in fruſta diſcerpere ac deuorare? Nam quòd Chriſtum iam beatum, iam immortalem, iam impatibilem, ſub ſpecie panis externâ ederemus, id curæ illis erat ſcilicet. Quod proinde nec veritus eſt fateri, aut ſaltem inſinuare beatus Iuſtinus, cùm de hoc ſacramento loquens dixit: nos panem & vinum Euchariſtiæ, non vt communem panem, nec vt commune vinum ſumere; ſed vt IESV Chriſti carnem & ſanguinem. Scultetus autem, dum cæleſti illo pane veſcentes, & IESVM in cordis ſui præcordia aſſumentes, dicit eſſe verè ἀνθρωποφάγους, nec vt homo loquitur, nec vt Chriſtianus ſapit. Certè Artemiſia Cariæ Regina, quæ mariti ſui Mauſoli vnicè & præ oculis dilecti oſſa & cineres ex amore abſorbuit, nunquam laudata litteris fuiſſet & Græcis & Latinis, ſi verè ἀνθρωποφάγος aut dicta fuiſſet, aut habita. Atqui hoc ipſa faciebat, vt quaſi in viſceribus ſuis maritum præ impotenti affectu reconderet ac tumularet. Nomen autem ipſum anthropophagi, vt ex hominum vſu, verborum moderatore accipitur, nomen eſt immanis ſæuitiæ atque feritatis: Euchariſtia noſtra, tota eſt gratiæ atque caritatis. Inuitat enim nos ipſe fons atque auctor omnis gratiæ, vt ipſum ſumamus,

AN CHRISTIANI SINT VOCANDI ANTHROPOPHAGI.

ARTEMISIÆ REGINÆ FACTVM.

EVCHARISTIÆ VIS.

mamus, vt ipſum geramus in intimis animæ penetralibus ac medullis, & per ipſum fiamus Dij, qui pro nobis factus eſt homo. Nec anthropophagia vocanda eſt hæc noſtri cum Deo coniunctio & ſpiritualis manducatio, ſed deificatio. Faceſſat itaque Sculterus cum inepta ſua collectione, (non enim ratiocinatione) & videat quantum illud Bellarmini dilemma ſuper eodem negotio, nugis ſuis præſtet, & an facilè poſſit ipſe diluere: *Aut poterat Iuſtinus verè dicere, carnem Chriſti à Chriſtianis ſolùm in ſigno manducari, aut non poterat: ſi poterat, prauaricator fuit cauſſæ Chriſtianæ: (nam odioſiſſimam reddidit fidem, & auxit criminum ſuſpicionem, cum poſſet vno verbo & fidem probabilem facere, & crimen diluere) ſi non poterat, certè ideo non poterat; quia verè, & non in ſigno tantum, datur nobis comedenda Chriſti caro.*

BELLARMINI DILEMMA INVICTVM.

Hæc partim ad propugnandam, de tanto myſterio, Eccleſiæ doctrinam, partim ad viri de rep. Chriſtiana meritiſſimi honorem tuendum, partim ad hominis doloſi atque effrontis fallaciam atque impudentiam iuſta defenſione retundendam, dicta ſunto.

Nunc ad Iuſtini noſtri documenta reuertamur.

Poſt illa, quæ ſuperius de diuiniſſimo ſacramento, ex Apologia ad Antoninum Pium Imp. allata ſunt, ſubdit ibidem Iuſtinus hæc continenter.

MITHRÆ MYSTERIA RITVVM SACRORVM ÆMVLA.

QVod praui dæmones imitati, etiam in Mithræ myſterijs fieri docuerunt. Scitis enim, aut ſcire certè poteſtis, in eius qui initiatur ſacris, panem & aquæ poculum, cum certis quibuſdam verbis proponi.

Ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες. ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται τῶν τοῦ μυουμένου τελεταῖς, μετ᾽ ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε.

AGAPE CHRISTIANORVM.

Nos verò poſt hęc ſemper deinceps iſta inter nos recolimus: & qui habemus, cunctis qui non habent, opitulamur, & aſſiduè vnà ſumus.

Ἡμεῖς δὲ μετὰ ταῦτα λοιπὸν ἀεὶ τούτων ἀλλήλοις ἀναμιμνήσκομεν, καὶ οἱ ἔχοντες, τοῖς λειπομένοις ἐπικουροῦμεν, καὶ σύνεσμεν ἀλλήλοις ἀεί.

Atque in omnibus quæ offerimus, omnium factorem, per filiũ eius IESVM Chriſtum, & per Spiritum ſanctum benedicimus.

Ἐπὶ πᾶσί τε οἷς προσφερόμεθα, εὐλογοῦμεν τὸν ποιητὴν τῶν πάντων διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ διὰ πνεύματος τοῦ ἁγίου.

Docet igitur B. Iuſtinus prauos dæmones, non ſolùm Baptiſmi ritus, ſed etiam ſacræ Euchariſtiæ cærimonias eſſe in Mithrę myſterijs imitatos. Erant autem Mithræ myſteria nihil aliud, quàm ſuperſtitio quædam in honorem Solis, qui Mithras à Perſis appellatur, inſtituta. Colũt enim Perſæ Solẽ pro Deo. Qua in ſuperſtitione ſimillima fieri Chriſtianæ religioni docuerunt ipſi dæmones: nempe in abluẽdo,

do, confirmando, ſacrificium offerendo, imaginem quandam reſurrectionis repræſentando. Quæ Tertullianus in libro de preſcriptionibus, cap. 40. etiam ſuo vſurpata tempore annotat his verbis, de diabolo talium auctore myſteriorum loquens: *Et ſic adhuc initiat Mithræ*, inquit, *ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit: & ſub gladio redimit coronam.* id eſt, Et ad eum modum etiam hodie diabolus ſuos initiat Mithræ, per tinctionem ſcilicet, ſeu baptiſmum, vti paullò antè dixerat: *Tingit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos: expunctionem delictorum de lauacro repromittit.* Sic igitur per baptiſmum ſuos initiat Mithræ, ſiue Soli: ſicut Sacerdos noſter ſuos initiat Chriſto: & ſic initiati vocantur milites Mithræ, ſicut bonam apud nos militantes militiam vocantur milites Chriſti.

Quo modo B. Paullus 2. ad Timotheum 2. ver. 3. illum admonens dicit: *Labora, ſicut bonus miles Chriſti IESV*. Et poſt baptiſmum ſtatim eodem in loco ſignat in frontibus milites ſuos, ad imitationem Confirmationis noſtræ, quæ primitus ſtatim à baptiſmo conferebatur. Deinde celebrat panis oblationem, in locum ſcilicet Euchariſtæ noſtræ. S. Iuſtinus ſuprà non tantùm panis, ſed & aquæ meminit, quæ offerri dicit cum certis quibuſdam verbis. *Et imaginem reſurrectionis inducit*, oſtentato ſcilicet gladio & corona, quaſi per martyrium & multorum malorum patientiam, ad alteram vitam & ad coronam reſurrecturi ſint.

2. ad Cor. 2. vri. 1.

Quæ quidem ex alio eiuſdem Tertulliani loco, in libro De corona militis, planè extremo confirmantur. Poſtquam enim conatus eſt probare militibus Chriſtianis nunquam eſſe admittendam in capite coronam, ne in ipſis quidem Imperatorum triumphis, vti vnus (quem laudat ipſe) admittere noluerat, ita librum concludens ſubdit: *Erubeſcite Romani commilitones eius, non iam ab ipſo iudicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite. Qui cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrij, dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum, ſi fortè, transferre, dicens Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde nunquam coronatur. Id quod in ſignum habet ad probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento: ſtatímque creditur Mithræ miles, ſi deiecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. Agnoſcamus ingenia diaboli, idcirco quadam de diuinis affectantis, vt nos de ſuorum fide confundat & iudicet.* I. Erubeſcite Chriſtiani in capite coronam floream ferentes, quos non ſolùm ille commilito veſter eam aſpernatus iudicabit, ſed etiam miles Mithræ, qui & dum initiatur, coronam reijcit, & ex quo initiatus Deo ſuo fuerit, atque eum coronæ loco habuerit, nunquam deinceps, quamuis gladius immi-

Tertull lib. De corona militis, cap. vltimo.

immineat, coronam admittit, sed profitetur Deum suum esse coronam suam. Quare diabolus Christianos milites, de suorum fide militum confundet & iudicabit, hoc est, fideliores sibi milites suos ostendet, quàm Christo Christianos: quippe qui post datam illi fidem, & post abrenuntiationem diabolo & pompis eius (quod in baptismi nostri cærimonijs continetur) factam, tamen mala sua vita & deprauatis moribus ad ea redeunt, quibus antè abrenuntiauerant.

S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone. pag. 296.

Plura de ijsdem Mithræ mysterijs attingit S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone sub medium: vt quòd Mithram natum ferant è petra: quòd initiationes fiant in spelunca; quòd hæc & alia è sacris deriuata & corrupta sint litteris. Sic enim ibi scribit: Ὅταν δὲ οἱ τὰ τοῦ Μίθρου μυστήρια παραδιδόντες λέγωσιν ἐκ πέτρας γεγενῆσθαι αὐτὸν, καὶ σπήλαιον καλῶσι τὸν τόπον, ἔνθα μυεῖν τοὺς πειθομένους αὐτῷ παραδιδοῦσιν, ἐνταῦθα οὐχὶ τὸ εἰρημένον ὑπὸ Δανιὴλ, ὅτι λίθος ἄνευ χειρῶν ἐτμήθη ἐξ ὄρους μεγάλου, μεμιμῆσθαι αὐτοὺς, καὶ ταῦτα ποιῆσαι ὁμοίως, οὐ καὶ τοὺς λόγους πάντας μιμήσασθαι ἐπεχείρησαν; *Cum autem*, inquit, *ij qui tradunt Mithra mysteria, dicant eum è petra natum esse, & speleum appellent locum illum, vbi dicunt eum initiare sibi credentes, an ego hîc illud, quod à Daniele dictum est, ABSCISSVM ESSE LAPIDEM MAGNVM DE MONTE SINE MANIBVS, eos imitatos esse non cognoscam, eáque itidem fecisse, cuius & verba omnia imitari attentarunt?* Intelligit autem Iustinus verba Isaiæ prophetæ, cap. 24. ver. 16. quæ & mox producit: inter quę maximè huc faciunt ista: Οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ σπηλαίῳ πέτρας ἰσχυρᾶς. Ἄρτος δοθήσεται αὐτῷ, καὶ τὸ ὕδωρ αὐτοῦ πιστόν. Βασιλέα μετὰ δόξης ὄψεσθε, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ὑμῶν ὄψονται πόρρωθεν· ἡ ψυχὴ ὑμῶν μελετήσει φόβον Κυρίου. *Hic habitabit in excelso specu petra fortis. Panis dabitur ei, & aqua eius fidelis. Regem cum gloria videbitis, & oculi vestri longè prospicient. Anima vestra meditabitur timorem Domini.* Atque hic est directus sensus verborum, Septuaginta Interpretum, quos citauit S. Iustinus. Sed Hieronymus, ex Hebræo textu, paullò aliter reddidit, nempe sic: *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum, sublimitas eius. Panis ei datus est: aqua eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius: cernent terram de longè. Cor tuum meditabitur timorem.*

Daniel 2. ver. 34. & 45.

Isaia 33. ver. 16.

Dicit igitur S. Iustinus mysteriorum Mithræ doctores, cùm dixerunt Mithram è lapide ortum esse, respectum habuisse ad locum Danielis, vbi Christus vocatur *lapis abscissus de monte sine manibus*, id est, de beatissima virgine, monte virtutum & gratiarum fecundissimo, sine virili opera, sed solius Spiritus sancti efficaciâ. In eo autem, quòd docuerunt *oblationem panis & aquæ*, attendisse ad locum Isaiæ, vbi dicit: *Panis dabitur ei, & aqua eius fidelis.* Iam in ostensione

gladij

gladij & coronæ videri respexisse ad illa: *Regem cum gloria videbitis.* Isaiæ 33. vers. 17. & 11.
&: *Anima vestra meditabitur timorem Domini.* Quæ omnes prophetiæ in Christianos verè ac propriè quadrant, non in Mithræ milites.

Sed illud de ijsdem Mithræ militibus obseruandum est, quod rubori non paucis Christianis, leuia nostræ religionis onera horrentibus & calumniantibus, esse possit: nempe illos, antequam suæ isti adscriberentur militię, plurimis grauium cruciatuum experimentis, suę virtutis ac constantiæ specimen præbere debuisse. Quorum cruciatuum strictim & generatim tantùm meminit S. Gregorius Nazianzenus in priore aduersus Iulianum Apostatam Imp. inuectiua, dicens eum relictis & contemptis sanctorum martyrum actis, miratum esse deorum fabulosa facinora, & sacra execranda, ac inter alia, *in Mithræ sacris*, inquit, *adhibitos cruciatus, iustásque aut etiam mysticas vstiones.* Vbi iustas vocat, quòd falsis se Dijs deuouentes, digni talibus essent cruciatibus: mysticas autem, tanquam æternorum ignium, qui postea in inferno subeundi essent, indices ac præuias.

Sed eiusdem S. Gregorij interpretes Nonnus & Elias Cretensis paullò expressiùs de ijsdem experimentis agunt: ille quidem his verbis: *Nullus porrò ipsius* [Mithræ] *sacris initiari potest, nisi prius per quosdam suppliciorum gradus transierit. Sunt autem tormentorur gradus LXXX. partim remissiores, partim intensiores. Primùm enim leuioribus supplicijs, deinde acrioribus afficiuntur: atque ita, post decursa omnia tormenta, ipsius sacris imbuuntur. Igni quippe & aqua atque huiusmodi suppliciorum generibus excruciantur.* Elias autem Cretensis duodecim dumtaxat cruciatus nominat, sed credendus est grauiores tantùm indicare voluisse, eósque postremos. Nam à leuioribus, vt proximè dictum est, incipiebatur. Sic ergo ait: *Et quidem ij, qui ipsius sacris initiandi erant, per duodecim cruciatus ducebantur, nimirum per ignem, per frigus, per famem, per sitim, per flagra, per itineris molestiam, aliáque id genus.*

Alius rursum Nazianzeni interpres Nicetas nonnullos ex ijs cruciatibus memorat expressiùs hoc modo: *Per quinquaginta totos dies eos fame cruciant, deinde duos dies flagris cædunt, tum in niuem viginti* Nicetas Nazianzeni interpres.
dies immittunt. Hæc postrema, quæ sunt è Niceta, citat inter alia, Iulius Cæsar Bulengerus, lib. 1. *De licita & vetita Magia*, cap. 4. extremo. Nicetam enim nancisci non potui. Sed ex his, quæ hactenus allata sunt, colligi potest, in nullo Ordine Religiosorum tam grauia proponi experimenta, quàm in istis Mithræ mysterijs. Ita plus sæpe malo dæmoni, quàm Deo opt. max. (heu pudor!) tribui à cultoribus suis cernimus. Verùm ad ea, quæ sunt S. Iustini, redeamus.

§. III.

Diei dominicæ cultus atque obseruatio.

His, quæ de Venerabili Eucharistia è S. Iustino produximus, proximè subiungitur de cultu diei Dominicæ, his verbis:

DIe qui dicitur solis, omnium, qui in vrbibus aut in agris degunt, in vnum fit conuentus: & commentarij Apostolorum vel scripta Prophetarum, quoad fert tempus, leguntur.

LECTIO SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Cessante deinde Lectore, is qui præsidet, verba facit, atque ad istorum pulchrorum; quæ lecta sunt, imitationē cohortatur: post quæ omnes communiter consurgimus & precationes spargimus. Absolutis porrò, vt antè diximus, precibus, adfertur panis & vinum & aqua: tum Præsidens precationes similiter & gratiarum actiones pro virili sua sursum mittit: & populus acclamat dicens: Amen.

EXHORTATIO EPISCOPI AD FIDELES.

PRECES COMMVNES.

MISSÆ SACRIFICIVM.

AMEN, POPVLI VOX.

His succedit eorum, quæ consecrata sunt, in vnumquemque distributio & sumptio: absentibus per Diaconos mittitur.

COMMVNIO SACRA.

Qui locupletes sunt, & dare volunt, pro suo quisque arbitrio, quod volunt, donāt: & quod colligitur, apud Præsidentem reponitur: hic autem opitulatur pupillis & viduis, & ijs qui ob morbum, aut aliam ob caussam in egestate sunt: item ijs qui sunt in vinculis, & aduenis hospitibus, & omnibus denique, qui quauis inopia laborant, prospicit.

STIPIS PRO PAVPERIBVS COLLECTIO.

Ipsa vero Solis die simul omnes communiter conuentum facimus: quia est prima dies, in qua

DOMINICA CVR COETIBVS HABENDIS CONSECRATA.

Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται· καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ.

Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται· ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καὶ, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει· καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν.

Καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται· καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται.

Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι· καὶ τὸ συλλεγόμενον, παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται· καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι, κηδεμὼν γίνεται.

Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν, κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. ἐπειδὰν πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκό-

τος

τος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε· καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.

Τῇ γὰρ πρὸ τῆς Κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν Κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν.

Καὶ εἰ μὲν δοκεῖ ὑμῖν λόγου καὶ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά. εἰ δὲ λῆρος ὑμῖν δοκεῖ, ὡς ληρωδῶν πραγμάτων καταφρονήσατε.

Deus tenebras & materiam immutans, mundum condidit: & quia IESVS Christus Saluator noster illa eadem die à mortuis resurrexit.

Nam pridie Saturni eum crucifixerunt; postridie autem Saturni, quæ est dies Solis, apparens Apostolis suis & Discipulis, ea docuit, quæ vobis consideranda tradidimus.

Crucifixio Dominica feria 6.

RESVRRECTIO SOLIS IVSTITIÆ IN DIE SOLIS, QVÆ IAM DOMINICA APPELLATVR.

Quæ quidem, si vobis rationi & veritati videntur consentanea, in precio habetote: sin vobis videntur nugæ, vt nugas contemnite.

Ista Iustinus breuiter atque concisè, & quantum coram Ethnicis Impp. fuit necessarium, ne quid tacuisse de nostra religione subdolè videretur: non nescius alioqui tanta mysteria haud facilè profanis auribus euulganda.

Ex his porrò agnosci potest, quid ex illo tempore in Ecclesia obseruatum, quid posterioribus sæculis, aliud exigente rerum statu, variatum.

EADEM NVNC FIERI QVÆ IN ECCLESIÆ PRIMORDIIS.

Primò quidem, diebus dominicis conuentus fiebant Christianorum in ædem sacram: fiunt & nunc, ac pręterea diebus festis Sanctorum. Augeri enim bonum est pietatem.

I. CONVENTVS AD ÆDEM SACRAM DOMINICIS.

Secundò, fidelibus in vnum congregatis aliquid è sacris litteris legebatur, ac potissimùm è scriptis Apostolorum aut Prophetarum: hoc etiamnum obseruatur, sed ferè admisto cantu. Nam in matutinis precibus, & psalmi canuntur, & lectiones diuinarum scripturarum recitantur.

II. SCRIPTVRÆ SACRÆ LECTIO.

Tertiò, Episcopus, aut eius loco Presbyter alius qui præsidebat, aliquem locum è Scriptura iam recitata deligebat, super quo exhortationem ad populum habebat. Ita & hodie vel Episcopus, vel loci Pastor siue Curio, aut eorum loco alius, concionem super euangelio aut epistola eo die lecta habet: quod nunc ferè fit inchoato solemni sacro post euangelium. Adaucta enim in immensum populi Christiani multitudine, & templa & sacra multiplicanda & distinguenda fuerunt, mutatis quoque ac variatis rerum sacrarum temporibus.

III. EXHORTATIO SVPER SCRIPTVRÆ VERBIS.

Quartò, Post concionem consurgebatur, & precationes communiter ad Deum spargebantur. Etiam modò peracta concione omnes dant se in genua, simul comprecantes, & ad cultum sacrosancti sacrificij se comparantes.

IV. PRECATIONES COMMVNES.

Quintò

§. III.

Diei dominicæ cultus atque obseruatio.

His, quæ de Venerabili Eucharistia è S. Iustino produximus, proximè subiungitur de cultu diei Dominicæ, his verbis:

DIe qui dicitur solis, omnium, qui in vrbibus aut in agris degunt, in vnum fit conuentus: & commentarij Apostolorum vel scripta Prophetarum, quoad fert tempus, leguntur.

LECTIO SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται· καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ.

EXHORTATIO EPISCOPI AD FIDELES.

Cessante deinde Lectore, is qui præsidet, verba facit, atque ad istorum pulchrorum; quæ lecta sunt, imitationē cohortatur: post quæ omnes communiter consurgimus & precationes spargimus. Absolutis porrò, vt antè diximus, precibus, adfertur panis & vinum & aqua: tum Præsidens precationes similiter & gratiarum actiones pro virili sua sursum mittit: & populus acclamat dicens: Amen.

PRECES COMMVNES.

MISSÆ SACRIFICIVM.

AMEN, POPVLI VOX.

Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται· ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καί, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει· καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν.

His succedit eorum, quæ consecrata sunt, in vnumquemque distributio & sumptio: absentibus per Diaconos mittitur.

COMMVNIO SACRA.

Καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται· καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται.

Qui locupletes sunt, & dare volunt, pro suo quisque arbitrio, quod volunt, donāt: & quod colligitur, apud Præsidentem reponitur: hic autem opitulatur pupillis & viduis, & ijs qui ob morbum, aut aliam ob caussam in egestate sunt: item ijs qui sunt in vinculis, & aduenis hospitibus, & omnibus denique, qui quauis inopia laborant, prospicit.

STIPIS PRO PAVPERIBVS COLLECTIO.

Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι· καὶ τὸ συλλεγόμενον, παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται· καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι, κηδεμὼν γίνεται.

Ipsa vero Solis die simul omnes communiter conuentum facimus: quia est prima dies, in qua

DOMINICA CVR COETIBVS HABENDIS CONSECRATA.

Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν, κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. ἐπειδὰν πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος

τος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε· καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.

Τῇ γὰρ πρὸ τῆς Κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν Κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν.

Καὶ εἰ μὲν δοκεῖ ὑμῖν λόγου, καὶ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά. εἰ δὲ λῆρος ὑμῖν δοκεῖ, ὡς ληρωδῶν πραγμάτων καταφρονήσατε.

Deus tenebras & materiam immutans, mundum condidit: & quia IESVS Christus Saluator noster illa eadem die à mortuis resurrexit.

Nam pridie Saturni eum crucifixerunt; postridie autem Saturni, quæ est dies Solis, apparens Apostolis suis & Discipulis, ea docuit, quæ vobis consideranda tradidimus.

Crucifixio Dominica feria 6.

RESVRRECTIO SOLIS IVSTITIÆ IN DIE SOLIS, QVÆ IAM DOMINICA APPELLATVR.

Quæ quidem, si vobis rationi & veritati videntur consentanea, in precio habetote: sin vobis videntur nugæ, vt nugas contemnite.

Ista Iustinus breuiter atque concisè, & quantum coram Ethnicis Impp. fuit necessarium, ne quid tacuisse de nostra religione subdolè videretur: non nescius alioqui tanta mysteria haud facilè profanis auribus euulganda.

Ex his porrò agnosci potest, quid ex illo tempore in Ecclesia obseruatum, quid posterioribus sæculis, aliud exigente rerum statu, variatum.

EADEM NVNC FIERI QVÆ IN ECCLESIÆ PRIMORDIIS.

Primò quidem, diebus dominicis conuentus fiebant Christianorum in ædem sacram: fiunt & nunc, ac prӕterea diebus festis Sanctorum. Augeri enim bonum est pietatem.

I. CONVENTVS AD ÆDEM SACRAM DOMINICIS.

Secundò, fidelibus in vnum congregatis aliquid è sacris litteris legebatur, ac potissimùm è scriptis Apostolorum aut Prophetarum: hoc etiamnum obseruatur, sed ferè admisto cantu. Nam in matutinis precibus, & psalmi canuntur, & lectiones diuinarum scripturarum recitantur.

II. SCRIPTVRÆ SACRÆ LECTIO.

Tertiò, Episcopus, aut eius loco Presbyter alius qui præsidebat, aliquem locum è Scriptura iam recitata deligebat, super quo exhortationem ad populum habebat. Ita & hodie vel Episcopus, vel loci Pastor siue Curio, aut eorum loco alius, concionem super euangelio aut epistola eo die lecta habet: quod nunc ferè fit inchoato solemni sacro post euangelium. Adaucta enim in immensum populi Christiani multitudine, & templa & sacra multiplicanda & distinguenda fuerunt, mutatis quoque ac variatis rerum sacrarum temporibus.

III. EXHORTATIO SVPER SCRIPTVRÆ VERBIS.

Quartò, Post concionem consurgebatur, & precationes communiter ad Deum spargebantur. Etiam modò peracta concione omnes dant se in genua, simul comprecantes, & ad cultum sacrosancti sacrificij se comparantes.

IV. PRECATIONES COMMVNES.

Quintò

V. MISSÆ SACRIFICIVM.

Quintò, Adferebatur panis, vinum, & aqua, & celebrabatur diuinum illud Eucharistiæ mysterium. Fit hoc quoque hac tempestate, sed facta consecratione, populi loco (quia templa nunc vastiora, & densior multitudo) aliquot duntaxat è Ministris seu Diaconis, ad finem precationum acclamant: Amen.

VI. VENERABILIS EVCHARISTIÆ COMMVNIO.

Sextò, sequebatur ipsius Venerabilis Eucharistiæ sumptio ac distributio, & per Diaconos ad absentes deportatio. Id iam ex parte seruatur, ex parte omittitur. Nam à sacrificante quidem sumitur; sed non, vt olim, omnibus præsentibus distribuitur, neque absentibus mittitur: sed solis illis, qui sese ad eam præparati obtulerint; nec in manus, vt quondam, aut in mundum linteum, sed in os ipsum maiori cum reuerentia & dantis & recipientis immittitur.

VII. STIPIS AD SVBLEVANDOS PAVPERES ET MISEROS COLLECTIO.

Septimò, Fiebat à diuitibus, & ijs qui dare volebant, voluntariæ stipis ad egenorum subsidia collectio, atque apud Præsidentem (hoc est Episcopum, aut Presbyterum) depositio. Sunt & nunc destinati, qui ædem sacram circumeant, & à voluntarijs colligant: quod autem collectum fuerit, aut penes Curionem (nisi aliud certis in locis ex consuetudine inualuerit) aut vbi is designauerit, in pauperum vsus, aut instaurandæ, ornandęúe ædis sacræ reseruatur.

OFFICIO DIVINO DOMINICÆ NONNVLLA POSTERIORIBVS SÆCVLIS ADDITA.

Hactenus, & nihil his amplius, super dominicæ diei obseruatione attigit Iustinus. Itaque vesperæ, quæ vocantur, & horis pomeridianis celebrantur, & alia item quæcumque, præter superiùs posita, ex vsu & consuetudine pietatis obseruantur; hæc à sanctissimis Pontificibus ad diuini cultus incrementum, ex religiosa voluntate sic adiecta sunt, vt ad maius meritum cunctos excitent, ad peccatum adstringant neminem.

Cornelius Cornelij sacrarum litterarum professor.

His è Iustino decerptis, alia è S. Paullo & Tertulliano addidit vir doctissimus Cornelius Cornelij à lapide, meus olim in sacris litteris Præceptor, quæ tanquam sacrum aliquod caput (vt de Magistro suo Hierotheo magnus Dionysius loquitur) hic iuuat apponere.

PIETATIS SACRA IN CONVENTIBVS EXERCITIA.

Sunt autem hęc: *Quidam psalmos & hymnos in laudem Dei varijs linguis, quasi afflati spiritu dictabant & canebant: alij prophetabant: alij more Iudæorum sacras scripturas interpretabantur, vel exhortabantur, iique duo vel tres, præsertim prophetæ aut viri spirituales: alij audiebant, & subinde interrogabant, etiam fœminæ (sed per abusum, quem Paullus corrigit) aliquid circa id quod dicebatur: cúmque aliquid boni & pij pulchrè dicebatur, simul inclamabant: Amen, Amen. Claudebat omnia Agape, siue conuiuium omnibus commune, in symbolum caritatis: post quod rursum succedebant hymni & orationes.*

Hæc ille in suo commentario ad caput XIV. epistolæ prioris ad Corinthios: & illa quidem præclarè in primis adhuc calentis Ecclesiæ initijs exercebantur: postea verò intepescente sensim ac dilabente primi spiritus feruore, vt idem indicat, desierunt.

Iam,

Iam, vt ad Iustinum redeamus, quid est, quòd in dierum recensione abstinuit nominibus Veneris, Sabbati, Dominicæ, tam nunc inter Christianos vsitatis?

Quia scilicet, quandoquidem agebat cum Ethnicis, postulabat ratio & claritas, vt Ethnicorum vteretur nominibus. Propterea diem dominicam vocauit diem Solis, seu diem quæ est postridie Saturni, hoc est, postridie sabbati.

Nam Romani totam septimanam nominibus septem planetarum discernebant, & appellabant hoc modo: Dies Solis, dies Lunæ, dies Martis, dies Mercurij, dies Iouis, dies Veneris, dies Saturni.

DIERVM HEBDOMADIS NOMINA GENTILITIA.

Sed enim cur diem Veneris, inquies, non vsurpauit, verùm vsus circumlocutione appellauit *diem quæ est pridie Saturni*, cùm vnum sit æquè Gentile nomen, quàm alterum?

Respondeo S. Iustinum, vt Christianæ castimoniæ eximium amatorem ac propugnatorem, adeo abhorruisse à Venere, vt ne ipsum quidem nomen (nisi si necessariò in falsorum Deorum refutatione vsurpandum foret) in os admitteret: in aures etiam difficillimè. Hinc pro *Die Veneris*, dixit *pridie Saturni*. Adde hoc primis Patribus & Christianis obseruatum, vt in dierum designatione isto vocabulo abstinerent.

CASTIMONIÆ STVDIO ET HORRORE VITII CONTRARII, ABSTINVERVNT PRIMI CHRISTIANI APPELLATIONE DIEI VENERIS.

Abstinuit B. Ignatius martyr in suis epistolis: pro quo elegit vti vocabulo parasceues, vt liquet ex epistola eius ad Trallianos.

S. IGNATIVS MARTYR.

Abstinuit & S. Irenæus, qui circumlocutione vti malens, pro eodem infausti nominis die, *pridie ante sabbatum* vsurpauit. Nam libro v. aduersus hæreses, cap. XXIII. *Dominus*, inquit, *venit ad passionem pridie ante sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est.*

S. IRENÆVS EPISCOPVS LVGDVNENSIS.

Eadem in his vocibus religione vsi sunt ceteri Patres, qui profanis abstinentes nominibus; dies hebdomadæ vocarunt primam, secũdam, tertiam, quartam, quintam, sextã sabbati, aut parasceuen, sabbatum, dominicam. Sic B. Clemens Alexandrinus libro VII. Stromatum, agens de vero gnostico, id est, de homine probo & sapiente, *Nouit is quoque*, inquit, *ænigmata ieiunij horum dierum, quarti scilicet, & parasceues (sic enim fausti ominis gratiâ dies Mercurij & Veneris appellantur) dum in omni vita ieiunat ab auaritia & libidine.* Sic & S. Hieronymus, eum qui vulgo dies Martis dicitur, tertiam sabbati appellauit. Nam in vita S. Paullæ viduæ, ita de eius obitu: *Dormiuit sancta & beata Paulla septimo Kal. Februarij, tertiâ sabbati, post solis occubitum.*

DIERVM HEBDOMADIS NOMINA APVD CHRISTIANOS.

Clemens Alexandrinus l. 7. Stromatum.

Hieronymus in vita S. Paullæ viduæ.

Iam verò S. Siluester, retentis sabbati & dominicæ nominibus, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine (vt iam antè in ecclesia vocari cœperant) appellari præcepit: quo nimirum significaretur, Clericos quotidie, abiecta ceterarum rerum cura, vni Deo prorsus vacare debere.

DIES HEBDOMADIS NOMINIBVS FERIARVM APPELLATI.

Hactenus

Hactenus de dierum nominibus, & de pia Christianorum in ijs religione. Sed hoc mihi pro corollario videtur adijciendum: Veneris appellationem non modò in dierum recensione, sed alijs quoque in rebus pudori ac religioni castis animis fuisse. Vnde multis verbis, tametsi minus proprijs, denotare eius vocis significatum malebant, quam vno illo, licet proprio, breuius & expressius.

VENERIS APPELLATIO QVONDAM ABOMINABILIS.

Et in his quidem, quam amandus est de virgineo suo pudore Theodulus adolescens, S. Nili filius! qui narraturus parenti, quemadmodum manus barbarorum (à quibus ad necem & ad sacrificium stellæ Veneri destinatus fuerat) diuina ope euasisset, nunquam illius stellę proprium nomen vsurpare ausus est, sed ad circumlocutionem semper confugit. Referens enim precationis suę verba, quibus illo in discrimine Dei opem implorauerat, hęc ponit inter alia: *Statuerunt me astro sacrificare matutino, quod cognomen accepit ex vitio libidinis: sed ne permittas Domine, vt corpus meum, quod in hodiernum vsque diem castum est conseruatum, sit hostia dæmonis, qui cognomen accepit ab intemperantia.* Ita ille.

THEODVLVS S. NILI FILIVS EXEMPLVM CASTIMONIÆ.

EIVSDEM VERBA.

Poterat breuiter dicere: *Statuerunt me immolare Veneri, stellæ matutinæ.* Et rursus: *Ne corpus meum, hactenus castum, sit hostia Veneris.* Verùm erubuit adolescens castissimus vel ore tenus illud nomen attingere. Vtinam autem hęc in cunctis adolescentibus regnet verecundia, neque vnquam nomen illud, nec ore, nec aure, nisi si quando necessarium omnino fuerit, attingant! Atque hęc mihi in gratiam iuuentutis, per diuerticulum quidem, sed, vt opinor, non ingratum, neque incommodum, dicta sunto.

Nota porrò, quę hic adducta sunt de baptismi & Eucharistię ritu; conformia esse ijs, quę scribuntur à S. Dionysio Areopagita, qui quòd ex professo ea tractet, fusius aliquanto, vti & decebat, est persecutus. Vide illum cap. 2. & 3. De Ecclesiastica Hierarchia.

S. Iustinus & Dionysius Areopagita in ritibus Baptismi & Eucharistiæ concordant.

Nota item illa, quę docet Iustinus de baptizandis, (nempe instrui illos, peccatorum ante commissorum remissionem precationibus & ieiunijs à Deo efflagitare) confirmari per ea, quę scribit Tertullianus libro De baptismo, cap. vltimo, his verbis:

Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus & peruigilijs vacare oportet, & cum confeßione omnium retro delictorum. Ita ille.

Tertullianus l. De Baptismo, cap. vltimo.

Quæ verba non sunt hic intelligenda de confessione sacramentali coram Sacerdote, sed coram Deo, Dauidis scilicet exemplo, dicendo: *Peccaui, & malum coram te feci*, aut alia huiusmodi. Nam confessio sacramentalis non habet locum ante baptismum, cùm baptismus sit ianua sacramentorum. Tertullianus autem agit hîc de ea confessione, quæ pręparat ad baptismum.

Psal. 50. vers. 6.

Vnde non rectè Pamelius ad illum Tertulliani locũ, adiecit istam nota-

notatiunculam: *Si vllus locus faciat pro confessione peccatorum speciali & secreta, certè iste in primis.* Nihil enim, vt ostensum est, prorsus facit. Nec desunt ista tractantibus, meliora & solidiora argumenta, quàm hoc adductum à Pamelio. Vide illa apud Bellarminum, De Sacramentis, & apud alios Controuersiarum Scriptores.

De confessione autem peccatorum, quæ fit ante baptismum, adiri potest D. Thomas, 3. p. q. LXVIII. vbi totus articulus sextus super hac difficultate voluitur. Sic autem (vt nodus breuiter soluatur) habet inter alia: *Duplex est peccatorum confessio: Vna quidem interior, quæ fit Deo: & talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum: vt scilicet homo sua peccata recogitans, de ijs doleat. Non enim potest inchoare nouam vitam, nisi eum veteris vitæ pœniteat, vt Augustinus docet in libro, De pœnitentia.*

S. Thomas 3. p. q. 68. art. 6.

CONFESSIO PECCATORUM DUPLEX.

Alia verò est confessio peccatorum exterior, quæ fit Sacerdoti: & talis confessio non requiritur ante baptismum.

Quod postquam tribus rationibus comprobauit, ita subdit:

Si qui tamen baptizandi ex deuotione sua confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non vt eis satisfactio imponeretur; sed vt contra peccata consueta, eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

Hæc D. Thomas: quę similiter non de sacramentali, sed de libera atque ex studio humilitatis, aut consilij gratià, vltro susceptà confessione, intelligenda sunt.

Nunc verò, vt ad documenta pristina redeamus, quandoquidem cœtus Christianorum dominica die fieri soliti ratio & disciplina è B. Iustino producta est: commodissimum mihi atque opportunissimum videtur, (nec enim talis aliàs occasio occurret) vt similis è Tertulliano locus ducatur in medium: quò priorum sæculorum vnà in re conformitas & velut gemina pietas exhibeatur, tam Græcorum, quàm Latinorum.

Sic ergo habet in Apologetico aduersus Gentes, cap. 39.

Tertullianus in Apologetico cap. 39.

Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem: si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu, summúmque futuri iudicij præiudicium est; si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem istum non precio, sed testimonio adepti. Neque enim precio vlla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est,

EXCOMMUNICATIONIS ECCLESIASTICÆ TERROR.

STIPIS IN ECCLESIA CONFERENDÆ RATIO.

est, non de ordinaria summa quasi redemptæ religionis congregatur. modicã vnusquisque stipem menstruâ die, vel cùm velit; & si modò velit, & si modò possit, apponit. Nam nemo compellitur: sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur; sed egenis alendis humandísque; & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis: etiámque domesticis senibus, item naufragis; & si qui in metallis; & si qui in insulis, vel in custodijs, duntaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt. Sed eiusmodi vel maximæ dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, vt inuicem se diligant! Ipsi enim inuicem oderunt: & vt pro alterutro mori sint parati! ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs, opinor, infamant; quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturæ, matris vnius: & si vos parum homines, quia mali fratres. At quantò dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt: qui vnum spiritum biberunt sanctitatis: qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis? Sed eò fortasse minùs legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat: vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque quia animo, animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus.

Religionem Christianam vocat Dei sectam.

FRATRUM APPELLATIO INTER CHRISTIANOS.

Et paullò pòst subdit de sobrietate Christianorum, siue de cena, quam Agapen vocant, his verbis:

AGAPE CHRISTIANORUM.

Cena nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim Ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus; non quà penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, sed auctoramẽto ventris inter contumelias saginandi, sed quà penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta caussa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de caussa æstimate, quid sit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit: inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cenam cenauerint, quàm disciplinam. Hactenus è Tertulliano, quæ ad cœtus & mores Christianorum pertinent, valde ijs consentanea, quæ de ijsdem tradidit Iustinus.

ORATIO ANTE CIBUM.

SOBRIETAS.

ORATIO POST CIBUM.

Exstat & alius perinsignis Iustini locus in epistola ad Diognetum,

vitæ

vitæ Christianorum conditionem & commendationem egregiè exprimens, qui proinde ad virtutum, quæ inibi prædicantur, exsuscitandam æmulationem meritò hìc debeat repræsentari. Est autem talis:

§. IV.

Vita Christianorum ratio & commendatio.

Πατρίδας οἰκοῦσιν ἰδίας, ἀλλ᾽ ὡς πάροικοι.

Μετέχουσι πάντων, ὡς πολῖται· καὶ πάνθ᾽ ὑπομένουσιν, ὡς ξένοι.

Πᾶσα ξένη πατρίς ἐστιν αὐτῶν, καὶ πᾶσα πατρὶς, ξένη.

Γαμοῦσιν, ὡς πάντες, καὶ τεκνογονοῦσιν. ἀλλ᾽ οὐ ῥίπτουσι τὰ γεννώμενα.

Τράπεζαν κοινὴν παρατίθενται· ἀλλ᾽ οὐκ ἀκαθάρτοις κοινήν.

Ἐν σαρκὶ τυγχάνουσιν· ἀλλ᾽ οὐ κατὰ σάρκα ζῶσιν.

Ἐπὶ γῆς διατρίβουσιν· ἀλλ᾽ ἐν οὐρανῷ πολιτεύονται.

Πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις· καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους.

Ἀγαπῶσι πάντας· καὶ ὑπὸ πάντων διώκονται.

Ἀγνοοῦνται· καὶ κατακρίνονται.

Θανατοῦνται· καὶ ζωοποιοῦνται.

Πτωχεύουσι· καὶ πλουτίζουσι πολλούς.

Πάντων ὑστεροῦνται· καὶ ἐν πᾶσι περισσεύουσιν.

Ἀτιμοῦνται· καὶ ἐν ταῖς ἀτιμίαις δοξάζονται.

Βλασφημοῦνται· καὶ δικαιοῦνται.

Λοιδοροῦνται· καὶ εὐλογοῦσιν.

Ὑβρίζονται· καὶ τιμῶσιν.

Ἀγαθοποιοῦντες, ὡς κακοὶ κολάζονται.

Κολαζόμενοι χαίρουσιν, ὡς ζωοποιούμενοι.

Ὑπὸ Ἰουδαίων ὡς ἀλλόφυλοι πολεμοῦνται, καὶ ὑπὸ Ἑλλήνων διώκον-

Patrias habitant proprias, sed tanquam inquilini. EPISTOLÆ IVSTINI AD DIOGNETVM LOCVS.

Omniu participes sunt, vt ciues: & omnia patiuntur, vt peregrini.

Omnis peregrina regio, patria eorum est: & omnis patria est illis peregrina. PATRIA CHRISTIANORVM.

Vxores ducunt, vt alij omnes, & liberos procreant: sed non abijciunt fetus.

Mensam cõmunem apponunt: sed non impuris communem.

In carne sunt: sed non secundùm carnem viuunt.

In terra degunt: sed in cælo conuersantur.

Sancitis obsequuntur legibus; & suo vitæ genere leges superant.

Amant omnes: & ab omnibus infestantur.

Ignorantur: & condemnantur.

Morte afficiũtur: & viuificãtur.

Pauperes sunt: & multos ditant. PAVPERTAS CHRISTIANORVM.

Omnibus indigent: & omnibus abundant.

Ignominia afficiuntur: & in ignominijs celebrantur.

Blasphemantur: & iustificantur.

Maledicuntur: & benedicunt. PATIENTIA EORVNDEM.

Contumelijs lacessuntur: & honorant.

Bene faciunt: & tanquam improbi puniuntur,

Puniti gaudent: tanquam qui viuificantur.

A Iudæis tanquam alienigenæ oppugnantur, & ab infidelibus perse-

perſecutionem patiũtur: nec poſſunt tamen, qui eos oderunt, vllam odij cauſſam adferre.

ται· καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἔχθρας εἰπεῖν οἱ μισοῦντες οὐκ ἔχουσιν.

CHRISTIANORVM SVMMA LAVS.

Atque vt ſummatim dicam, quod eſt in corpore anima; hoc ſunt in mundo Chriſtiani.

Ἁπλῶς δ' εἰπεῖν, ὅπερ ἐστὶν ἐν σώματι ψυχή, τοῦτ' ἐν κόσμῳ Χριστιανοί.

Sparſa eſt anima per omnia corporis membra: & Chriſtiani per omnes mundi vrbes.

Ἔσπαρται κατὰ πάντων τῶν τοῦ σώματος μελῶν ἡ ψυχή· καὶ Χριστιανοὶ κατὰ τὰς τοῦ κόσμου πόλεις.

Habitat quidem in corpore anima; non eſt tamen de corpore: & Chriſtiani in mundo habitant, non ſunt tamen de mundo.

Οἰκεῖ μὲν ἐν τῷ σώματι ψυχή, οὐκ ἔστι δὲ ἐκ τοῦ σώματος· καὶ Χριστιανοὶ ἐν κόσμῳ οἰκοῦσιν, οὐκ εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ κόσμου.

Inaſpectabilis anima in corpore aſpectabili, tanquam in præſidio collocata eſt: & Chriſtiani in mũdo manere cognoſcuntur: ſed eorum pietas manet inaſpectabilis.

Ἀόρατος ἡ ψυχὴ ἐν ὁρατῷ φρουρεῖται τῷ σώματι· καὶ Χριστιανοὶ γινώσκονται μένοντες ἐν τῷ κόσμῳ· ἀόρατος δὲ αὐτῶν ἡ θεοσέβεια μένει.

Odit, oppugnatq; animã caro nihil lęſa, propterea quòd frui voluptatibus prohibetur: odit & Chriſtianos mundus nulla in re violatus, quia voluptatibus reſiſtunt.

Μισεῖ τὴν ψυχὴν ἡ σάρξ, καὶ πολεμεῖ μηδὲν ἀδικουμένη, διότι ταῖς ἡδοναῖς κωλύεται χρῆσθαι· μισεῖ καὶ Χριστιανοὺς ὁ κόσμος μηδὲν ἀδικούμενος, ὅτι ταῖς ἡδοναῖς ἀντιτάσσονται.

Infenſam ſibi carnem & membra amat anima: & Chriſtiani odio ipſos proſequentes amant.

Ἡ ψυχὴ τὴν μισοῦσαν ἀγαπᾷ σάρκα, καὶ τὰ μέλη· καὶ Χριστιανοὶ τοὺς μισοῦντας ἀγαπῶσιν.

CHRISTIANI MARTYRIIS MVLTIPLICANTVR.

Anima corpore incluſa eſt, & ipſa corpus conſeruat: & Chriſtiani continentur in mundo, tanquã in cuſtodia, & ipſi conſeruãt mũdũ.

Ἐγκέκλεισται μὲν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι, συνέχει δὲ αὐτὴ τὸ σῶμα· καὶ Χριστιανοὶ κατέχονται μὲν ὡς ἐν φρουρᾷ ἐν τῷ κόσμῳ, αὐτοὶ δὲ συνέχουσι τὸν κόσμον.

Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat: & Chriſtiani caduca, vt inquilini, incolũt, immortalitatẽ in cælis pręſtolantes.

Ἀθάνατος ἡ ψυχὴ ἐν θνητῷ σκηνώματι κατοικεῖ· καὶ Χριστιανοὶ παροικοῦσιν ἐν φθαρτοῖς, τὴν ἐν οὐρανοῖς ἀφθαρσίαν προσδεχόμενοι.

Anima, dum cibis & potionibus malè tractatur, fit melior: & Chriſtiani, dũ quotidie ſupplicijs multantur, magis multiplicantur.

Κακουργουμένη σιτίοις καὶ ποτοῖς ἡ ψυχή, βελτιοῦται· καὶ Χριστιανοὶ κολαζόμενοι καθ' ἡμέραν, πλεονάζουσι μᾶλλον.

Iſta Iuſtinus: ad cuius poſtremam illam ſimilitudinem, de multiplicatione Chriſtianorum per ſupplicia, ſiue martyria, aut per alias res aduerſas, referri poteſt & illa ſimilitudo de reciſione vitis, quam annotaui ſuprà, capite XIV. Quam ſimilitudinem & B. Nilus egregiè adumbrauit, Homilia 2. De Chriſti aſcenſione, his verbis:

B. NI-

B. NILI VERBA:

Ὦ βασιλέων πάντων βασιλικωτέρας θρησκείας. Ἃ γὰρ ὅπλοις βασιλεῖς συνεκρότουν, αὐτὴ χωρὶς ὅπλων ἐδείκνυτο καταλύουσα·

O Religionem omnibus Regibus potentiorem, magísque regiam! Quæ enim Reges armis excitabant, hæc absque armis dissoluebat. RELIGIONIS CHRISTIANÆ LAVS.

Ἃ σφάττοντες διεκώλυον, αὐτὴ σφαττομένη διεκρότει, καὶ ταῖς σφαγαῖς κατὰ τῶν σφαττόντων ἀνίστη τὰ τρόπαια.

Quæ isti mactando prohibebant: hæc, dum mactaretur, excitabat, & suorum cędibus trophæa contra mactantes erigebat.

Τὰ τῆς ἐκκλησίας κατεκόπτετο· καὶ ὁ τῆς πίστεως μᾶλλον ἐπεδίδου καρπὸς, καὶ τὸ ἄνθος ἀμάραντον ἔφερε.

Succidebātur ecclesię palmites: & fidei fructus augescebat, & florē non marcescentem proferebat.

Ῥίζης γὰρ ἐξεπεφύκει τὰ κλήματα τῆς ἀψευδῶς εἰπούσης· Ἐγὼ τὸν κόσμον νενίκηκα· ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος· ὑμεῖς τὰ κλήματα.

E radice enim illa hi palmites nati sunt, quæ verissimè dixit: *Ego vici mundum. Ego sum vitis: vos palmites.* Ioan. 16. ver. 33. Eiusdem 15. ver. 5.

Στέφανος ἐκλαδεύετο, καὶ ἄλλο κλῆμα μαρτύρων ἐβλάστανεν.

Stephanus tanquam ramus excidebatur; & alius martyrum palmes pullulabat. STEPHANI MORS, PAVLLI LVCRIFACTIO.

Ἰάκωβος ἀπετέμνετο. καὶ Πέτρος ἄλλος πάλιν μάρτυς ἀνεφύετο· οὗτος ἐξεκόπτετο, καὶ πάλιν ἄλλο κλῆμα πολύκαρπον ἡ ῥίζα προὔβαλλε.

Iacobus obtruncabatur: & Petrus, alius rursum martyr exoriebatur: & hoc reciso, alius rursum multifer palmes è radice hac emittebatur.

Ἐτρυγᾶτο Παῦλος, καὶ βότρυς ἄλλος μαρτυρίου περκάζων ὁ Τιμόθεος ἀνεφαίνετο. καὶ πανταχόθεν ἡ ῥίζα τρυγωμένη τῶν τρυγώντων ἔφερε τὴν φορὰν ἀπληστοτέραν, καὶ μονιμωτέραν τὴν βλάστησιν.

Vindemiabatur Paullus: & alius martyrij racemus maturescēs Timotheus apparebat: & vndique radix vindemiata copiam vberiorē, præ eo, quod isti vindemiarant, ac germen durabilius efferebat.

Καὶ οἱ μὲν κόπτοντες κατὰ μικρὸν ἠφανίσθησαν μαραινόμενοι· ἡ δὲ τῷ καρπῷ διὰ παντὸς βρίθουσα, τὰ πέρατα τῆς γῆς περιέλαβε τοῖς βλαστήμασιν.

Et quidem isti excisores breui marcescentes exterminati sunt: hæc verò semper grauata fructibus, terræ fines suis germinibus complexa est.

Hactenus è B. Nilo. Cui iuuat & Tertulliani succulentam breuitatem, & Leonis dulcisonam grauitatem subiungere.

Ille in Apologetico, cap. 27. *Et illos dæmones*, inquit, *nunquam magis detriumphamus, quàm cum pro fidei obstinatione damnamur.* Tertull. in Apologetico c. 27.

Et capite vltimo ibidem: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.*

Hic autem sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Paulli, ita dicit:

S. Leo ser. 1. in Natali Apost. Petri & Paulli.

Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Et semper dominicus ager segete ditiori vestitur; dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.

Exodi 1. ver. 11. & 12.

Sic olim filij Israël, quo magis in Ægypto premebantur, hoc magis augebantur. De quibus Exodi 1. scribitur: *Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Ramesses: quantóque opprimebant eos, tāto magis multiplicabantur, & crescebant.* Quod & de Christianis eleganter Chrysostomus. Καθάπερ γὰρ τὰ φυτὰ ἀρδευόμενα αὔξεσθαι πέφυκεν· οὕτω καὶ ἡ πίστις ἡ ἡμετέρα πολεμουμένη μᾶλλον ἀνθεῖ, καὶ ἐνοχλουμένη πλεονάζει· καὶ οὐχ οὕτω τοὺς κήπους εὐθαλεῖς ἡ τῶν ὑδάτων ἀρδεία ποιεῖν εἴωθεν, ὡς τὰς ἐκκλησίας τῶν μαρτύρων τὸ αἷμα ποτίζειν πέφυκε. *Sicut plantæ irrigatæ magis crescunt: ita & fides nostra oppugnata magis floret: & vexata plus exuberat: neque ita hortos aquarum irrigatio reddere fecundos solet: vt martyrum sanguis irrigare natus est ecclesias.* Ita Chrysost. Homilia XL. in Iuuentinum & Maximinum martyres.

S. Chrysostomus hom. 40.

Addam hic pro corollario, Francisci Bencij perelegans, & non vno loco visendum carmen, cuius argumentum est,

FIDES PERSECVTIONE CRESCIT.

Emblema autem perquam illi conueniens:

SILEX FERRO PERCVSSA.

Cui subiecti sunt hi impares versus:

Franciscus Bencius l. 4. Carminum.

Icta silex differt scintillas, & iacit ignem:
Si non icta foret, frigida & atra foret.
Dia FIDES vexata odijs, iactata periclis,
Quæ latuere pio pectore, prodit opes.

Sed de persecutione Ecclesiæ, & de FIDEI inter vexationes incremento hactenus satis: nunc alium de honesta Christianorum vita, & laudabilibus eorum studijs, ex eodem S. Iustini penu depromamus.

Alius S. Iustini locus, de vitâ Christianorum, in Apologia ad Antoninum Pium.

PRædicimus enim cauendum vobis esse, ne præaccusati à nobis dæmones vos seducāt: neu à perlegendis & percipiendis, quę dicuntur, auertant.

DÆMONVM ILLVSIONES.

Contendunt enim summopere vos sibi seruos atque administros habere: & interdum quidem per

ΠΡολέγομεν γὰρ ὑμῖν φυλάξασθαι, μὴ προδιαβεβλημένοι ὑφ' ἡμῶν δαίμονες ἐξαπατήσωσιν ὑμᾶς, καὶ ἀποτρέψωσι τοῦ ὅλως ἐντυχεῖν, καὶ συνεῖναι τὰ λεγόμενα.

Ἀγωνίζονται γὰρ ἔχειν ὑμᾶς δούλους καὶ ὑπηρέτας, καὶ ποτὲ μὲν δι' ὀνείρων ἐπιφανείας, ποτὲ δ' αὖ διὰ μαγικῶν

στροφῶν

στρεφῶν χειροῦνται πάντας τοὺς οὐκ ἔσθ' ὅπως ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας ἀγωνιζομένους.

Ὃν τρόπον καὶ ἡμεῖς μετὰ τὸ τῷ λόγῳ πεισθῆναι, ἐκείνων μὲν ἀπέστημεν, Θεῷ δὲ μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ διὰ τοῦ υἱοῦ ἑπόμεθα. οἱ πάλαι μὲν πορνείαις χαίροντες, νῦν δὲ σωφροσύνην μόνην ἀσπαζόμενοι· οἱ δὲ καὶ μαγικαῖς τέχναις χρώμενοι, ἀγαθῷ καὶ ἀγεννήτῳ Θεῷ ἑαυτοὺς ἀνατεθεικότες· χρημάτων δὲ καὶ κτημάτων οἱ πόρους παντὸς μᾶλλον στέργοντες, νῦν καὶ ἃ ἔχομεν εἰς κοινὸν φέροντες, καὶ παντὶ δεομένῳ κοινωνοῦντες· οἱ μισάλληλοι δὲ καὶ ἀλληλοφόνοι, καὶ πρὸς τοὺς οὐχ ὁμοφύλους, διὰ τὰ ἔθη, ἑστίας κοινὰς μὴ ποιούμενοι, νῦν μετὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Χριστοῦ, ὁμοδίαιτοι γινόμενοι, καὶ ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν εὐχόμενοι, καὶ τοὺς ἀδίκως μισοῦντας πείθειν πειρώμενοι, ὅπως οἱ κατὰ τὰς τοῦ Χριστοῦ καλὰς ὑποθημοσύνας βιώσαντες, εὐέλπιδες ὦσι σὺν ἡμῖν τῶν αὐτῶν παρὰ τοῦ πάντων δεσπόζοντος Θεοῦ τυχεῖν.

insomniorum visa, interdum verò per magicas præstigias sibi eos omnes mancipant, qui de salute sua nihil sunt solliciti.

Quemadmodum & nos, posteaquam persuasi à Verbo sumus, ab illis quidem defecimus; Deo autem soli ingenito per filium adhæremus: & qui stupris olim gaudebamus, nunc solam amplectimur castitatem: & qui magicis artibus vtebamur, bono & ingenito Deo nos consecrauimus: & qui pecuniarum atque possessionum prouentus pręcunctis rebus adamabamus: nunc & ea quæ habemus, in commune conferimus, & cum egeno quolibet communicamus: & qui mutuis odijs ac cædibus inter nos grassabamur: & qui cum nullis, nisi cum contribulibus nostris communem focum, propter mores, habebamus: nunc post Christi apparitionem conuictores sumus, & pro inimicis oramus, & eos, qui nos iniustè oderunt, inducere conamur, vt ex honestis Christi præceptis viuentes, in bona spe sint eorundem bonorum nobiscum à Deo omnium dominatore consequendorum. *Gentilium per Christi fidem mirabilis mutatio.*

Et paullò inferius:

Οὐδὲ μιμητὰς εἶναι τῶν φαύλων βεβούληται ἡμᾶς· ἀλλὰ διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ πρᾳότητος, ἐξ αἰσχύνης καὶ ἐπιθυμίας τῶν κακῶν ἄγειν πάντας προετρέψατο. Τὸ γὰρ καὶ ἐπὶ πολλῶν τῶν παρ' ἡμῖν γεγενημένων ἀποδεῖξαι ἔχομεν, οἱ ἐκ βιαίων καὶ τυράννων μετέβαλον ἡττηθέντες, ἢ γειτόνων καρτερίαν βίου παρακολουθήσαντες, ἢ συνοδοιπόρων πλεονεκτουμένων ὑπομονὴν ξένην καταγοήσαντες, ἢ συμπραγματευομένοις πειραθέντες.

Neque nos imitatores malorum esse voluit, [Christus scilicet] sed vt omnes à probro & malorum cupidine per patientiam & mansuetudinem abduceremus, commonuit. Nam & plerosque ex ijs, qui apud nos fuerunt, possem ostendere, qui de violentis & tyrannis, virtute nostrorum victi, in melius mutati sunt: nempe aut vicinorum vitæ constantiam consectati; aut comitum itineris, EXEMPLORVM VIS AD VIRTVTEM.

dum suo defraudarentur, miram patientiam conspicati, aut secum negotiantium fidem experti. Ita Iustinus.

Adeo proborum exempla, vel in alieno solo fructificant: & placidi Christianorum mores in Gentilium quamuis incultorum atque agrestium animos, bono virtutum odore viam sibi faciunt.

2.Cor 2 ver 14. Nempe isti, de quibus hic loquitur Iustinus, poterant illud beati Paulli meritò dicere: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo* IESV, *& odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.*

Atque hinc etiam patet, quanta bonorum exemplorum sit vis ad aliorum conuersionem: & quàm meritò principes Apostolorum ad bonam & honestam conuersationem Christianos identidem sint cohortati:

1.Petri 2. ver.12. Petrus quidem, cùm dixit: *Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis,*

1.Cor.10.ver. 32. Coloss.4.ver.5. Philippen. 2. ver.15. Paullus autem, cùm scripsit Corinthijs: *Sine offensione estote Iudæis & Gentibus & ecclesiæ Dei.* Et Colossensibus: *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* Et Philippensibus: *Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

Clem. Alex. l. 2. Strom. Et quantum præ verbis facta valeant, è dicto Zenonis Stoicę philosophiæ principis deduxit B. Clemens Alexandrinus, lib. 2. Stromatum fere extremo, cùm ita scripsit: *Præclarè de Indis dixit Zeno, malle se intueri vnum Indum torreri, quàm omnes de doloris tolerantia addiscere demonstrationes. Nobis autem,* inquit, *quotidie vberes Martyrum fontes nostris cernuntur oculis, qui torrentur, qui torquentur, qui obtruncãtur. Quos omnes legis metus ad Christum deductos, ad pietatem vel sanguine suo demonstrandam exercuit.* Ita Clemens. Sed pergamus in Iustino.

Idem Iustinus de falsis Christianis & eo nomine indignis, in eadem apologia quædam persequitur: tum de tributis, quæ fideles pendunt Imperatoribus, nonnulla subiungit.

Verba Iustini:

CHRISTIANI SOLO NOMINE, PVNIENDI.

Qui verò comperti fuerint non ita viuere, sicut docuit, certum id documentum est, non esse Christianos; tametsi doctrinam Christi linguâ profiteantur. Nõ enim profitentes tantùm, sed operibus professionem confirmantes sal-	Οἱ δ᾽ ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες, ὡς ἐδίδαξε, γνωριζέσθωσαν μὴ ὄντες χριστιανοὶ, κἂν λέγωσιν διὰ γλώττης τὰ τοῦ χριστοῦ διδάγματα· οὐ γὰρ τοὺς μόνον λέγοντας. ἀλλὰ τοὺς καὶ τὰ ἔργα πράττοντας, σωθήσεσθαι ἔφη· εἶπε γὰρ οὕτως. οὐχὶ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε,

κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Κολάζεσθαι δὲ τοὺς οὐκ ἀκολούθως τοῖς διδάγμασιν αὐτοῦ βιοῦντας, λεγομένους δὲ μόνον Χριστιανούς, καὶ ὑφ' ὑμῶν ἀξιοῦμεν.

Φόρους δὲ καὶ εἰσφορὰς τοῖς ὑφ' ὑμῶν τεταγμένοις πανταχοῦ πρὸ πάντων πειρώμεθα φέρειν, ὡς ἐδιδάχθημεν παρ' αὐτοῦ. κατ' ἐκεῖνο γὰρ τοῦ καιροῦ προσελθόντες τινὲς, ἠρώτων αὐτὸν, εἰ δεῖ Καίσαρι φόρους τελεῖν· καὶ ἀπεκρίνατο. εἴπατέ μοι, τίνος εἰκόνα τὸ νόμισμα ἔχει; οἱ δὲ ἔφασαν, Καίσαρος· καὶ πάλιν ἀνταπεκρίνατο αὐτοῖς, ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ· ὅθεν θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν· ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες, καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως, καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας ὑμᾶς εὑρεθῆναι.

uatum iri dixit. Sic enim ait: *Non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est. &c.* Matthæi 7. ver. 21.

Ceterùm eos, qui minùs consentaneam eius præceptis vitam agunt, & Christiani solùm appellatur, puniri à vobis postulamus.

TRIBVTA ET VECTIGALIA SOLVVNT CHRISTIANI.

Tributa sanè & vectigalia vbique præ omnibus, quemadmodum instituti ab eo sumus, vestris exactoribus pensitare contendimus. Nam illo olim tempore, cùm quidam ad eum accessissent, sciscitatíque essent, oporteretne tributum dare Cæsari? & ille respondisset: Dicite mihi, cuius imaginem habet numisma? & hi dixissent, Cæsaris; rursus eis respondit: *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* Matthæi 22. ver. 21. Ac proinde Deum quidem solum adoramus: sed in alijs læti vobis inseruimus: Imperatores & Principes hominum vos esse profitentes, ac simul precantes, vt cum imperiali potestate sanam quoque mentem gerere comperiamini.

His similia in Tertulliani Apologetico multa sunt. Adeo illi placuit Iustini nostri passim inire vestigia.

Nos enim, inquit, *pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter ceteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium: sciunt quà homines, quis & animam: sentiunt eum Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt: à quo sunt secundi: post quem primi, ante omnes & super omnes Deos.* Tertull. in Apologetico cap. 30.

Et infrà de fidelitate in pendendis vectigalibus.

FIDELITAS CHRISTIANORVM IN VECTIGALIBVS.

Sed cetera, inquit, *vectigalia gratias Christianis agunt ex fide dependentibus debitum, quà alieno fraudando abstinemus: vt si ineatur ratio, quantum vectigalibus pereat fraude & mendacio vestrarum professionum, facilè haberi poßit vnius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum.*

Et inferiùs ita de Christianorum, qui verè Christiani sunt, pietate & innocentia:

Quan-

Tertull. in Apologetico cap. 31.

Quantos habetis, non dico iam, qui de vobis dæmonia excutiant; non dico iam, qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant, quia fortè non creditis, sed à quibus nihil timere poßitis. At enim illud detrimentum reip. tam grande quàm verum nemo circumspicit: illam iniuriam ciuitatis nullus expendit; cùm tot iusti impendimur; cùm tot innocentes erogamur. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodijs præsidetis: qui sententijs elogia dispungitis: tot à vobis nocentes varijs criminum elogijs recensentur: quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? de vestris semper æstuat carcer: de vestris semper metalla suspirant: de vestris semper bestiæ saginantur: de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt: nemo illic Christianus, nisi planè tantùm Christianus, aut si & aliud, iam non Christianus.

Minucius Felix in Octauio.

Ista Tertullianus. Quem secutus & imitatus in Octauio suo Minucius Felix, sic inter alia: *Vos scelera admissa punitis: apud nos & cogitare, peccare est: vos conscios timetis; nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exæstuat. Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus.* Sic ibi.

Nunc ad alia martyris nostri documenta recurramus.

CAPVT XVII.

Castitas & cælibatus Christianorum.

AD Christianæ religionis decus atque splendorem pertinere castimoniam atque cælibatum, multis in locis B. Iustinus professus est: notabo breuiter vnum atque alterum.

In apologia ad Imperatores sic inter alia:

CÆLIBATVS CHRISTIANORVM.

Multi vtriusque sexus, annos nati sexaginta & septuaginta, qui à pueritia Christi disciplinam combiberunt, cælibes permanēt: & glorior in quouis hominum genere tales posse demonstrare.

Πολλοί τινες καὶ πολλαὶ ἑξηκοντοῦται καὶ ἑβδημοκοντοῦται, οἳ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἄφθοροι διαμένουσι· καὶ εὔχομαι κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων τοιούτους δεῖξαι.

Quid enim innumerabilem eorum dicam multitudinem, qui ab intemperantia ad frugē transierunt, & hæc didicerunt?

Τί γὰρ καὶ λέγομεν τὸ ἀναρίθμητον πλῆθος τῶν ἐξ ἀκολασίας μεταβαλόντων, καὶ ταῦτα μαθόντων.

Neque enim iustos, neque castos ad pœnitētiam vocauit Christus; sed impios & incontinentes & iniustos. Nam ita dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Quippe mauult Pa-

Οὐ γὰρ τοὺς δικαίους, οὐδὲ τοὺς σώφρονας εἰς μετάνοιαν ἐκάλεσεν ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀκολάστους, καὶ ἀδίκους. Εἶπε δὲ οὕτως· οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Θέλει γὰρ ὁ πατὴρ ὁ οὐρα-

οὐρανίου τὴν μετάνοιαν τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ἢ τὴν κόλασιν αὐτοῦ.

ter cæleſtis peccatoris pœnitentiam, quàm pœnam.

Et infrà in eadem Apologia.

Ἀλλ' ἢ τὴν ἀρχὴν οὐκ ἐγαμοῦμεν, εἰ μὴ ἐπὶ παίδων ἀνατροφῇ, ἢ παραιτούμενοι τὸ γήμασθαι, τέλεον ἐνεγκρατευόμεθα.

Qvin omnino aut matrimonium non contrahimus, niſi liberorum educandorum cauſſa: aut coniugium detrectantes, nos perpetuò continemus.

MATRIMONIVM CHRISTIANORVM.

Καὶ ἤδη τὶς τῶν ἡμετέρων, ὑπὲρ τοῦ πεῖσαι ὑμᾶς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν μυστήριον ἡ ἀνέδην μίξις, βιβλίδιον ἀνέδωκεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Φήλικι ἡγεμονεύοντι, ἀξιῶν ἐπιτρέψαι ἰατρῷ τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν.

Atque adeò noſtrorum quidam, vt vobis perſuaderet propudioſam commiſtionem non eſſe apud nos myſterium, Felici Præſidi libellum Alexandriæ obtulit: quo petebat, medico permitti, vt eum exſecaret.

Ἄνευ γὰρ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον, καὶ μηδόλως βουληθέντος Φήλικος ὑπογράψαι, ἐφ' ἑαυτοῦ μείνας ὁ νεανίσκος, ἠρκέσθη τῇ ἑαυτοῦ καὶ τῶν ὁμογνωμόνων συνειδήσει.

Nec enim abſque permiſſu Præſidis id ſibi licere medici eius loci afferebant. Felice igitur nequaquam volente ſubſcribere, in ſuo perſeuerans propoſito adoleſcẽs, ſuâ ipſius & ſecum vnà idem ſentientiũ conſcientia cõtentus fuit.

EVNVCHVM FIERI ROMANIS LEGIBVS PROHIBITVM.

Hæc de illo adoleſcente Iuſtinus, nec verbo ampliùs. Vnde non aliud videtur colligendum, quàm iſtum adoleſcentem tuendæ Chriſtianorum caſtimoniæ gratiâ (quos Ethnici promiſcuæ libidinis criminabantur) non verò, *quò careret omni carnis irrationali motu*, (quod tamen ſenſit Baronius, tom. 2. Annal. anno 230.) eiuſmodi poſtulaſſe exſectionem.

Nihil enim aliud intendebat iſte adoleſcens, quàm impudentis calumniæ refutationem. Quaſi diceret: *Tam longè abſunt noſtra myſteria ab iſta libidine, quam vos illi arbitramini intimam, vt me etiam exſecari libenter paſſurus ſim, quò videatis noſtra myſteria non ſuper tam infami ſcelere fundari atque inſtitui*. Non fuit tamen exſectus: propterea quòd leges Imperatoriæ vetuiſſent. Meminit Euſebius in Canone chronico, ad annum Domitiani 2^m. legis ab eodem Domitiano latæ, his verbis: Δομετιανὸς εὐνουχίζειν ἄνδρας ἐκώλυσεν. *Domitianus eunuchos fieri prohibuit.*

Exſtat de hac lege ab eo lata epigramma Martialis, lib. VI.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ:
Luſus & emeritos exſecuiſſe mares.
Vtraque tu prohibes, Cæſar, populiſque futuris
Succurris; naſci quos ſine fraude iubes.

Memi-

Meminerunt eiusdem legis complures antiqui Scriptores, Suetonius in Domitiano, Philostratus in Apollonio, Statius in Siluis, & alij.

His autem, quæ suprà è Iustino in commendationem castitatis produximus, quàm similia sunt, in eodem auc, ista diserti Athenagoræ in Apologia pro Christianis verba?

CÆLIBATVS CHRISTIANORVM.

INuenias autem multos è nostris, tam viros quàm feminas, qui in cælibatu consenescant, spe maioris cum Deo coniunctionis. Quòd si perseuerantia in virginitate & in cælibatu, magis Deo conciliat: progressio autem vsque ad cogitationem & concupiscentiam, abducit; certè quorum cogitationes subterfugimus, horum opera multò magis auersamur: Neque enim in meditatione sermonum, sed in demonstratione & doctrina operum, res nostræ sitæ sunt.

Εὕρεις δ' ἂν πολλοὺς τῶν παρ' ἡμῖν, καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας, καταγηράσκοντας ἀγάμους, ἐλπίδι τοῦ μᾶλλον συνέσεσθαι τῷ θεῷ. Εἰ δὲ τὸ ἐν παρθενίᾳ καὶ ἐν εὐνουχίᾳ μεῖναι, μᾶλλον παρίστησι τῷ θεῷ· τὸ δὲ μέχρις ἐννοίας καὶ ἐπιθυμίας ἐλθεῖν, ἀπάγει· ὧν τὰς ἐννοίας φεύγομεν, πολὺ πρότερον τὰ ἔργα παραιτούμεθα. Οὐ γὰρ ἐν μελέτῃ λόγων, ἀλλ' ἐπιδείξει καὶ διδασκαλίᾳ ἔργων, τὰ ἡμέτερα.

Hæc & alia multa pro castitatis commendatione in sua pro Christianis apologia Athenagoras. Qui, (vt nonnulli veterum Patrum) dum nimis à vitio abhorret contrario, propensius aliquanto in partem alteram inclinauit. Nam in tantum eam virtutem extulit, vt modum quoque in nonnullis excessisse visus sit.

De ijsdem castimoniæ & cælibatus inter Christianos virtutibus, eadem Iustino & Athenagoræ sensit, & scripsit Tertullianus.

Sic enim in Apologetico, cap. 9. vbi Ethnicorum incestos mores, & exinde peruersissimam liberos exponendi consuetudinem acriter castigat: à quibus longissimè abesse Christianos asseuerat.

Tertull. in Apologetico, cap. 9.

N*Os ab isto euentu,* inquit, *diligentissima & fidelissima castitas sepsit: quantúmque à stupris, & ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multò securiores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt, senes, pueri. Hæc in vobis esse si consideraretis, proinde in Christianis non esse perspiceretis. Iidem oculi renuntiassent vtrumque. Sed cæcitatis duæ species facilè concurrunt: vt, qui non vident, quæ sunt; videre videantur, quæ non sunt.*

Ibidem, capite vltimo.

Ibidem cap. vltimo.

Nam & proximè, inquit, *ad leonem damnando Christianam potius quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ, & omni morte reputari.*

Et libro 1. aduersus Marcionem, cap. XIX. dum malam eius institutionem

tutionem circa baptiſmum redarguit, hæc inter alia:

Sine dubio ex damnatione coniugij, institutio iſta conſtabit: videamus, an iuſtà? non quaſi deſtructuri felicitatem ſanctitatis, (vt aliqui Nicolaitæ aſſertores libidinis atque luxuriæ) ſed qui ſanctitatem, ſine nuptiarum damnatione, nouerimus, & ſectemur, & præferamus: non vt malo bonum, ſed vt bono melius. Non enim proijcimus, ſed deponimus nuptias: nec præſcribimus, ſed ſuademus, ſanctitatem ſeruantes, & bonum, & melius, pro viribus cuiuſque ſectando. Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcionem, cap. 19.

Et libro I. *Ad vxorem*, cap. VI.

Quot enim ſunt, qui ſtatim a Lauacro [.I. baptiſmo] *carnem ſuam obſignant? Quot item, qui conſenſu pari inter ſe matrimonij debitum tollunt? Voluntarijs ſpadonibus pro cupiditate cæleſti, ſaluo matrimonio, abſtinentia toleratur; quanto magis adempto? Credo enim difficilius ſaluum derelinqui, quàm amiſſum non deſiderari.* Hæc Tertullianus. Lib. I. Ad vxorem, cap. 6.

Eàdem in materià, pari & ſpiritu & ornatu contra Ethnicos ſe immittit Minucius Felix, inſignis Romæ cauſidicus, & eodem, quo Tertullianus, ſæculo florens. Is in eo libro, quem inſcripſit *Octauium*, poſt regeſtas in ipſos auctores impudentiſſimas non vſitatæ impudicitiæ calumnias, ita de noſtris:

At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus: vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut vnam ſcimus, aut nullam: conuiuia non tantùm pudica colimus, ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. Plerique inuiolati corporis virginitate perpetua fruuntur potiùs, quàm gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit etiam pudica coniunctio. Minucius Felix in Octauio.

Hæc ille de caſtimonia & virginitate: quibus cohærenter de alijs Chriſtianorum moribus, ac præſertim de modeſtia & caritate mutua, (iuuat enim laudem laudi coniungere) ita ſubdit:

Nec de vltima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus: nec faſtidioſi ſumus, ſi omnes vnum bonum ſapimus, eàdem congregati quiete, quà ſinguli: nec in angulis garruli, ſi audire nos publicè aut erubeſcitis, aut timetis. Et quòd in dies noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. Nam in pulchro genere viuendi & perſtat ac perſeuerat ſuus, & accreſcit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, vt putatis; ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus: quoniam odiſſe non nouimus. Sic nos, quod inuidetis, fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt cõſortes fidei, vt ſpei coheredes. Vos enim nec inuicem agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis: nec fratres vos, niſi ſanè ad parricidium, recognoſcitis. Ita ille. FRATRVM APPELLATIO INTER CHRISTIANOS.

His duobus æuo ſuppar, ſed ſanctitatis & martyrij laureâ ſuperior Cyprianus, iam magis ac magis eflorescentem in Eccleſiæ prato virginitatis ſpeciem ita deprædicat:

Flos

Cyprianus lib. De disciplina & habitu virginum.

Flos est ille ecclesiastici germinis: decus atque ornamentum gratiæ spiritalis: læta indoles laudis & honoris: opus integrum atque incorruptum: Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini: illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantóque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ita Cyprianus lib. De disciplina & habitu Virginum.

Quis iam adeo vecors atque effrons reperiri potest, qui virginitatem ac cælibatum tantis laudatum Patribus, (& his antiquiores possem adiungere Ignatium & Polycarpum, nisi ad eorum vitas id obseruassem) tantis sublatum honoribus, suo deprimere priuato iudicio ac dehonestare audeat? Vnus hoc ipso sęculo inuentus est Abrahamus Scultetus, qui perlectis licet Patribus, & expensis S. Iustini verbis, tamen (quod monstri est simile) non erubuit inter næuos Iustini enumerare, quòd cælibatum commendauerit.

Sculteti Caluinistæ impudentia.

Nam parte 1. suæ Medullæ, lib. 1. cap. 17. vbi de næuis Iustini, vt quidem ipse vocat, agit, *Notandum præterea,* inquit, *cælibatum iam magni fieri cœpisse, cum glorietur Iustinus de Christianis isto nomine, & adolescentem Christianum scribat castrationem petijsse. In Eucharistiam etiam irrepsisse* κρᾶμα *pro vino. Quæ corruptelarum subsecutarum quædam quasi præludia fuerunt.* Ita ille.

Ponit itaque inter sancti martyris næuos ista duo: 1^m^. magni factum esse cælibatum: 2^m^. in sancto sacrificio; aquam vino mistam adhiberi solitam. Quæ duo, dicit fuisse corruptelarum subsecutarum quædam quasi præludia. Quæ dum lego, venit in mentem illius exclamationis Tullianæ: *O hominem nequam. Quid enim aliud dicam? magis propriè nihil possum dicere.*

Tullius Philippica 2.

Quamuis dum hominis illius conditionem attendo atque sectam, mirari aliquantum desino, quòd & nuptias cælibatui præferat, & vinum purum putum malit, quàm aquâ dilutum.

Verumenimuerò de Christi actionibus & ecclesiæ institutis, magis pium ac sobrium est, filios patribus, & minores maioribus credere, quàm suo nimium iudicio, præceptæque opinioni confidere.

Addam porrò, (si fortè Sculteto magis ad palatum, quod quidem optandum esset, hæc futura sint, certè ad gustum Catholicorum erũt) nouas beatissimi Athanasij acclamationes, è libro De virginitate extremo, vbi sic:

Athanasius lib. De Virginitate.

VIRGINITATIS LAVDES.

Ὦ παρθενία, πλοῦτος ἀκατάληκτος· ὦ παρθενία, στέφανος ἀμαράντινος· ὦ παρθενία, ναὸς θεοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος οἰκητήριον· ὦ παρθενία, μαργαρίτα τίμιε, παρὰ πολλοῖς ἀφανὴς, ὀλίγοις δὲ μόνοις εὑρισκόμενος. *O virginitas, opulentia indeficiens! ô virginitas, corona non marcescens! ô virginitas, templum Dei, & Spiritus sancti domicilium! O virginitas, margarita preciosa, multis occulta, paucis tantùm inuenta!*

Plurimas

Plurimas quoque virginitatis laudes persecutus est S. Gregorius Nazianzenus: sed versibus, quorum elegantiam peræquè & sensum labor sit latinis repræsentare. Sed Ambrosius in eodem campo meram spirat ambrosiam, præsertim vbi virgines tali aspergit dulcedine.

Neque dubitauerim vobis patere altaria, quarum mentes fidenter altaria Dei dixerim: in quibus quotidie, pro redemptione corporis, Christus immolatur. Nam si corpus virginis, Dei templum est; animus quid est, qui tanquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu, vaporem diuini ignis exhalat? Beatæ virgines, quæ tam immortali spiratis gratiâ, vt horti floribus, vt templa religione, vt altaria sacerdotio. — *S. Ambrosius serm. 1. De Virginibus.*

Ista ibi Ambrosius, & idem alibi atque alibi tam pulchra, quàm multa: itidémque & alij SS. Patres. Nec mirum. *Quasi enim quidam adeps & medulla ecclesiæ sunt Virgines Christi*, inquit mellifluus ille Bernardus, *& quadam singulari excellentia aliorum florum, sponsi amplexibus familiarius inhærentes.* — *S. Bernardus in tractatu. De passione Domini, cap. 18.*

Et Bernardi æqualis Hildebertus Turonensis Episcopus quàm hoc præcellenter? *Virginitas, curarum est silentium, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus.* Et infrà: *Huius laus & exultatio virtutis, canticum est, quod ignorant viduæ, quod nesciunt coniugatæ.* Sic ille. — *Hildebertus Turonensis Episcopus, epist. 36.*

Sed à Iustino iam discendum est, quo nobis ritu precandum sit.

CAPVT XVIII.

Precandi modus & ritus optimus.

QVæ sint optimæ atque efficacissimæ communium precationũ cærimoniæ, docet Iustinus, in Dialogo cũ Tryphone, his verbis:

ORATIONIS OPTIMÆ CONDITIONES.

Τίς γὰρ οὐκ ἐπίσταται ὑμῶν, ὅτι μάλιστα μὲν ἡ μετ' οἴκτου καὶ δακρύων ἐυχὴ μειλίσσεται τὸν θεὸν, καὶ ἡ ἐν πρηνεῖ κατακλίσει, καὶ ἐν γόνασιν ὀκλάσαντός τινος;

QVis enim vestrûm ignorat, quin eæ precationes, quæ cũ dolore & lachrymis coniunctæ sunt, queúe submisso in terrã vultu, & flexis humi genibus fundũtur, Deum maximè demulceant?

Ita breuiter sapientissimus ille iuxtà & pientissimus Philosophus. Cui profectò minimè placuisset ille nonnullorum precandi modus, qualis est videlicet leuis alicuius adolescentuli, vel indecorè stantis, vel molliter sedentis, vel in alterum cubitum inclinantis, vel vno pede subnitentis, vel horsum, aut istorsum temere intuentis, vel qualibet denique occasione ab alto manus, ab imo oculos, ab humo genua, quodque est pessimum, à Deo mentem atque attentionem ad alia omnia prauè atque indignè deflectentis. — ORATIONIS HABITVS INDECORVS.

Attingit & Tertullianus Iustini in multis imitator, tam superiùs allatas, quàm nonnullas quoque alias, itidem laudabiles precandi cerimonias,

monias. In libro igitur, De Oratione, cap. 12. & deinceps, ita scribit:

Tertull. in libro De oratione, cap. 12.

Irreuerens est, inquit, *aßidere sub conspectu, contráque conspectum eius, quem cùm maximè reuerearis ac venereris: quanto magis sub conspectu Dei viui, Angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosißimum est? Nisi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit. Atqui cum modestia & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras: ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè ac probè elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atque deiectus orabat, iustificatior Pharisæo procacißimo discessit.* Ita ibi Tertull.

Et in Apologetico aduersus Gentes, capite xxx.

Idem in Apologetico, cap. 30.

Illuc suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus: precantes sumus semper pro omnibus Impp. vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt. Ita ille,

Vnde autem accepit Iustinus ambo flectenda genua? Nempe à sapientissimo Salomone, de quo scribitur libro 3. Regum, cap. 8. *Factū est autem, cùm complêsset Salomon, orans Dominum, omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.*

Lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 54.

Et à Daniele, de quo scribitur in eius Prophetia, cap. vi.

Danielis 6. vers. 10.

Ingressus est domum suam: & fenestris apertis, in cenaculo suo, contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo.

Et ab ipso Christo Domino: de quo, Lucæ 22. versu 41.

Lucæ 22. vers. 41.

Et positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me.

Et à S. Stephano protomartyre, Actorum vii. versu vltimo.

Act. 7. vers. vlt.

Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.

Et à Petro Apostolorum principe, qui flexis genibus orans Tabitham à morte suscitauit, Actorum ix. versu 40.

Actor. 9. vers. 40.

Eiectis autem omnibus foras Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.

Qui Petrus & Simonem Magum in cælos volantem, flexis precans genibus præcipitauit. De quo pereleganter S. Maximus Taurinensis, homilia v. In natali beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum.

S. Maximus Taurin. hom. 5 in Natali Apostolorum Petri & Pauli.

Quum Simon Magus, inquit, *se Christum diceret, & tanquam filium ad patrem assereret, volando se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset: tūc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicā leuitatem. Prior enim ascendit ad Dominū oratio, quàm volatus: & antè peruenit iusta petitio, quàm iniqua præsumptio.*

ſumptio. Antè Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret in cæleſtibus, quò tendebat. Ita S. Maximus.

Et à S. Paullo, Actorum 20. verſu 36. *Actor. 20. ver. 36.*

Et cùm hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis.

Ac rurſus ad Epheſios 3. verſu 14. *Epheſ. 3. ver. 14.*

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri IESV *Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem. &c.*

Genuflexionem in precationibus etiam SS. Patres Græci & Latini poſt S. Iuſtinum paſſim commendarũt. In ijs autem, qui eam plurimùm frequentaſſe referuntur, ſunt in primis duo Apoſtoli, S. Iacobus frater Domini cognominatus, & Hieroſolymorum Epiſcopus, & S. Bartholomæus: quorum ille ex frequenti & diuturna geniculatione callum genibus obduxit: hic autem centies per diem, & centies per noctem genua Domino inflexit. Deinde ex alijs ſanctis memorantur in hoc genere pietatis, S. Vinualocus Abbas, centies interdiu, & centies noctu, pulchra S. Apoſtoli imitatione, flectere ſolitus: S. Aibertus monachus, qui centies per diem (vt habet eius vita) flectebat genua: & quinquagies quidem proſtrato corpore, ſed articulis & digitis ſubleuato, ad vnamquamque genuum curuationem dicebat ſalutationem Angelicam: S. Guduualus, qui in recitandis horis canonicis genua flectebat ad ſingulos verſus, & quicum Angeli nonnunquam recitarunt. *In eius vita. Tomo 1 Surij. Ibid.*

Iam S. Heduuigi duciſſæ Poloniæ in genibus, quæ nuda flectebat in terra, excreuerunt calli magnitudine duorum ouorum, vel, vt alij dicunt, duorum pugnorum.

Quid? quod *B. Maria Oegniacenſis per diem & noctem millies & centies flectens genua ſalutabat beatam Virginem: atque admirandum hoc & inauditum ſalutandi genus & officium ad quadraginta dies continuabat. Primò autem in ſpiritu vehementi ſine intermiſſione ſexcenties flectebat genua: deinde integrum pſalterium ſtans legebat, ad ſingulos pſalmos beatiſſimæ Virgini flexis genibus Angelicam ſalutationem offerens.* &c. Vide plura apud Iacobum de Vitriaco Cardinalem, in eius vita, lib. 1. cap. 9. *Surij tom. 3. Eiuſdem tom. 5. Iacobus de Vitriaco in eius vita lib. 1. cap. 9.*

Hunc porrò de genibus precandi habitum ipſe Dominus miraculis comprobauit: cùm & aliquos in eo ſitu ad cælum euocauit, & corpora in eodem habitu, quaſi ſpirantia, aliquamdiu conſeruauit. Nam ſatis conſtat Anachoretam quendam in monte Amano flexis genibus, extenſiſque ad cælum manibus repertum eſſe, qui annis iam quindecim in eo habitu exſpirarat. Vide Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali, cap. 89.

Quando autem incepi hunc religioſæ pietatis locum adorna-

re, siue potiùs S. Iustini perutilem doctrinam vberiùs confirmare; pergam è doctissimo Ruperto egregium de hac genuum flexione philosophicum promere corollarium.

Cantico Canticorum cap. 6. ver. 6.

Is igitur libro VI. in Canticum Canticorum, ad illud. *Sicut cortex mali punici, sic gena tua absque occultis tuis*, ita scribit:

Rupertus l. 6. in Canticum.

In vtero, inquit, *nos ita natura formauit; vt genua genis opposita sint. Vnde & à genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, & cognata sunt oculis lachrymarum indicibus & misericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni, formarique hominem, ita vt genua sursum sint, quibus oculi formantur, vt caui fiant ac reconditi. Inde est, quòd homines dum se ad genua prosternunt, statim lachrymantur. Voluit enim naturam nos maternum rememorare vterum, vbi considebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profectò qui caussam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat & approbat, sanctis & eruditis cogitationibus familiare esse, genua frequentiùs excelso Deo curuare, & genas lachrymosas genibus curuis applicare; vt respiciat ac recogitet creator habitans in excelsis, qualiter nos in vtero formauerit. Vnde & illud S. Iob commonefacit his verbis:* Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?

Iob 10. ver. 9.

Et paullò inferiùs ibidem:

Rupertus lib. 6. in Cantic.

Nec verò soli Deo, sed & hominibus, dulcis visu & amabilis est huiusmodi compositio: tantòque magis quis reuerendus existit, quanto frequentiùs atque affectuosiùs genua curuans, genas suas vel oculos vel totum caput demiserit.

Ita B. Rupertus Tuitiensis Abbas. Qui ad situm quidem hominis in vtero quod spectat, consentientem habet illum doctissimum Varronem; de quo sic A. Gellius libro 16. noctium Atticarum, cap. 16. *Esse autem pueros in vtero Varro dicit capite in imo nixos, sursum pedibus elatis: non vt hominis natura est, sed vt arboris. Nam pedes, cruráque arboris appellat ramos; caput, stirpem atque caudicem.*

A. Gellius lib. 16. Noct. Atticar. cap. 16.

CAPVT XIX.

Sacrarum litterarum & versionis Septuaginta Interpretum fides atque auctoritas.

PEregregium illud, atque in paucis admirandum, de *Septuaginta* sacræ Scripturæ *Interpretibus* miraculum, clarè admodum & succinctè producit Iustinus noster, in suâ ad Gentes cohortatoriâ, his verbis:

Verba S. Iustini:

SI quis dicat Moysis & aliorum Prophetarū libros Gręcis litte-

Εἰ δέ τις φάσκοι καὶ τὴν Μωυσέως καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν, τοῖς τῶν Ἑλλήνων

Ἑλλήνων γεγράφθαι, γνώτω ταῖς ἔξωθεν ἐντυχὼν ἱστορίαις, ὅτι Πτολεμαῖος ὁ τῆς Αἰγύπτου βασιλεύς, βιβλιοθήκην ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ κατασκευάσας, καὶ πανταχόθεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ πληρώσας αὐτὴν, ἔπειτα μαθὼν, ὅτι ἀρχαίας ἱστορίας τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασι γεγραμμένας σώζεσθαι ἀκριβῶς συμβαίνει, γνῶναι τὰ γεγραμμένα βουλόμενος, σοφοὺς ἄνδρας ἑβδομήκοντα, τοὺς καὶ τὴν Ἑλλήνων καὶ Ἑβραίων διάλεκτον εἰδότας, ἑρμηνεῦσαι αὐτοῖς τὰς βίβλους προσέταξεν ἀπὸ τῆς Ἱερουσαλὴμ μεταστειλάμενος, καὶ ἵνα πάσης ὀχλήσεως ἐκτὸς ὄντες θᾶττον ἑρμηνεύσωσι, προσέταξεν αὐτοῖς μὴ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, ἀλλὰ ἀπὸ ἑπτὰ σαδίων, ἔνθα τὴν Φάρον ᾠκοδομῆσθαι συμβαίνει, ἰσαρίθμους τῶν ἑρμηνευόντων οἰκίσκους γενέσθαι μικροὺς, ἐπὶ τῷ ἕκαστον ἰδίᾳ καθ᾽ ἑαυτὸν τὴν ἑρμηνείαν πληρῶσαι· προστάξας τοῖς ἐφεστῶσιν ὑπηρέταις, πάσης μὲν αὐτοὺς θεραπείας τυγχάνειν, εἴργεσθαι δὲ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας, ἵνα τὸ τῆς ἑρμηνείας ἀκριβὲς, καὶ διὰ τῆς τούτων συμφωνίας γνωσθῆναι δυνηθῇ.

Ἐπεὶ δὲ ἔγνω τοὺς ἑβδομήκοντα ἄνδρας μὴ μόνον τῇ αὐτῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ καὶ ταῖς αὐταῖς λέξεσι χρησαμένους, καὶ μηδὲ ἄχρι μιᾶς λέξεως τῆς πρὸς ἀλλήλους συμφωνίας διημαρτηκότας, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν γεγραφότας, ἐκπλαγεὶς, καὶ θείᾳ δυνάμει τὴν ἑρμηνείαν γεγράφθαι πιστεύσας, πάσης μὲν τιμῆς ἀξίους αὐτοὺς, ὡς θεοφιλεῖς ἄνδρας διέγνω· μετὰ πολλῶν δὲ δώρων αὐτοὺς εἰς τὴν ἑαυτῶν πατρίδα ἐπανελθεῖν προσέταξε· τὰς δὲ βίβλους θαυμάσας, ὡς εἰκὸς, καὶ

ris conſcriptos eſſe: is perlectis extraneis hiſtorijs ſciat Ptolemæum Ægypti Regem, cùm Alexandriæ inſtruxiſſet bibliothecam, & collectis vndiquaque libris eam impleſſet, didiciſſe demum priſcas hiſtorias hebræâ linguâ exaratas ſtudioſiſſimè aſſeruari, cupidúmque ea ſcripta cognoſcendi, ſeptuaginta viris ſapientibus, quos Hieroſolymis græcè hebraïcéque doctos accerſiuerat, imperaſſe; vti eos libros ſibi interpretarentur: & quò citiùs ab omni turba ſemoti id perficerent; mandaſſe, ne in vrbe ipſa, ſed ſeptem inde ſtadijs diſſiti in loco, vbi pharus ædificata eſt, tot haberent cellulas, quot ipſi numero eſſent: nempe vt ſeorſum vnuſquiſque per ſeſe interpretationem abſolueret: miniſtris quoque, qui præſto illis aderant, dediſſe in mandatis; viderent, vti omnia, quæ ad eorum vſum cultúmque pertinerent, ipſis ſuppeditarent, ipſos verò à mutua collocutione arcerent: quò interpretationis certitudo ex eorum conſenſione cognoſci poſſet.

PTOLEMÆI REGIS BIBLIOTHECA ALEXANDRINA.

SEPTVAGINTA SACRORVM LIBRORVM INTERPRETES.

PHARVS ÆGYPTIACA.

Poſtquam autem illos Septuaginta viros non tantùm eodem ſenſu, ſed ijſdem quoque dictionibus vſos eſſe, immo nec verbulo vno à mutuo inter ſeſe conſenſu aberraſſe, ſed eadem & de ijſdē ſcripſiſſe animaduertit; tum ſtupore perculſus, atque interpretationem vi diuinâ expreſſam eſſe perſuaſus, illos omni honore dignos, tanquam homines Deo caros, iudicauit; multiſque donatos muneribus in patriam ſuam remigra-

SEPTVAGINTA INTERPRETVM ADMIRABILIS IN SACRORVM LIBRORVM INTERPRETATIONE CONSENSVS.

migrare iuſſit. Libros verò, vt par erat, admiratus, & pro diuinis habens, ibi repoſuit.

ἐκθειάσας, ἐκεῖσε ἀνέθηκε.

S. IVSTINVS INVISIT IN ÆGYPTO CASVS, SIVE CELLVLAS SEPTVAGINTA INTERPRETVM.

Hæc vobis non fabuloſa, ô viri Græci, neque confictas hiſtorias annuntiamus; ſed ipſi, qui Alexandriæ fuimus, & caſarum veſtigia in Pharo adhuc conſeruata vidimus, atque ab incolis, vt qui res patrias à maioribus acceperant, audiuimus, ea vobis referimus, quæ & ab alijs, & ab ijs maximè, qui de his ſcripſerunt, ſapientibus & ſpectatis viris, Philone & Ioſepho, alijſque compluribus licet cognoſcere.

Ταῦτα οὐ μῦθον ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ πεπλασμένας ἱστορίας ἀπαγγέλλομεν· ἀλλ' αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ γενόμενοι, καὶ τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων ἐν τῇ Φάρῳ ἑωρακότες ἔτι σωζόμενα, καὶ παρὰ τῶν ἐκεῖ, ὡς τὰ πάτρια παρειληφότων, ἀκηκοότες, ταῦτα ἀπαγγέλλομεν, ἃ καὶ παρ' ἑτέρων ἔξεστιν ὑμῖν μανθάνειν, καὶ μάλιστα παρ' αὐτῶν τῶν περὶ τούτων ἱστορησάντων σοφῶν καὶ δοκίμων ἀνδρῶν, Φίλωνός τε καὶ Ἰωσήπου, καὶ ἑτέρων πλειόνων.

S. IVSTINI LOCVS CIRCA HISTORIAM CORRECTVS.

Hæc Iuſtinus. Qui & in Apologia ad Antoninum Pium, tam eorundem librorum, quàm ipſorum interpretum breuem complexus eſt memoriam. Quo tamen in loco corrigendum videtur, quod dicitur Ptolemæus miſiſſe *ad Herodem Iudæorum Regem*: cùm miſerit *ad Eleazatum Iudæorum Pontificem*: vt patet ex ijs ipſis, quos laudat Iuſtinus, è Philone ſcilicet, & Ioſepho; adeoque ex Ariſteâ ipſo ambobus antiquiore, & ipſis Interpretibus æquali. Nec enim fuit illo ſæculo Herodes vllus, rex Iudæorum.

S. Iren. l. 3. aduerſus hæreſes cap. 25.

De ijſdem Septuaginta Interpretibus, & diſtinctis eorum cellulis eadem ſentit & ſcribit S. Irenæus, Lugdunenſis Archiepiſcopus & martyr, lib. 3. aduerſus hæreſes, cap. xxv.

Itaque hos duos antiquiſſimos & eiuſdem æui (hoc eſt ſecundi à Chriſto ſęculi) ſanctiſſimos Patres, reliqua turba ſequitur, vno duntaxat excepto Hieronymo, quantum ad cellulas quidem attinet, cui tam multis Patribus ſe opponenti, fortiter contradixit Auguſtinus. Nã & Clemens Alexãdrinus, vir, ipſius Hieronymi iudicio, omnium eruditiſſimus, & S. Cyrillus Hieroſolymitanus, & S. Epiphanius, & quicumque ex antiquis eorundem *Septuaginta Interpretum* fecere mentionem, omnes aut apertè à SS. Iuſtino & Irenæo ſteterunt, aut eorum ſententię ita fauerunt, vt iam deberet aliter ſentientibus rubor ſuffundi. Verba Clementis Alexandrini ſignificantis illos 70. Interpretes dono prophetię imbutos eſſe, & eius rei congruentiſſimam afferentis rationem ſunt hęc: Ἑκάστου γὰρ ἐν μέρει κατ' ἰδίαν ἑκάστην ἑρμηνεύσαντος προφητείαν, συνέπνευσαν αἱ πᾶσαι ἑρμηνεῖαι συναντιβληθεῖσαι καὶ τὰς διανοίας καὶ τὰς λέξεις. Θεοῦ γὰρ ἦν βούλημα μεμελετημένον εἰς Ἑλληνικὰς ἀκοάς. Οὐ δὴ ξένον ἐπιπνοίᾳ θεοῦ, τοῦ τὴν προφητείαν δεδωκότος, καὶ τὴν ἑρμηνείαν, οἱονεὶ Ἑλληνικὴν προφητείαν, ἐνεργεῖσθαι. *Cùm autem vnuſ-*

Clem. Alexand. l. 1 Stromatum poſt medium.

vnusquisque singillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirarunt omnes simul collata interpretationes & sententijs & verbis. Ita enim Dei voluntas ad Græcorum aures consultò comparauerat. Nec sanè à Dei inspiratione, qui prophetiam dederat, alienum fuit, ipsam quoque interpretationem, velut græcam quandam prophetiam, efficere. Ita Clemens, apud quem plura videri possunt.

Docet idem Iustinus, cùm ad doctrinæ cuiuspiam confirmationem, sacris litteris nihil sit efficacius; eadem ex illis sæpius replicare testimonia, cùm res ita exegerit, minimè pudendum esse. Nam eò spectat hæc eius inductio similium, in Tryphone:

ARGVMENTO E SCRIPTVRA SACRA NIHIL EFFICACIVS.

Atque si nunc quoque apud vos hoc dicam, inquit [hoc ipsum scilicet pridie eàdem aut simillimâ in re dixerat] *tametsi idem sæpius repetam, non absurdè tamen me facturum puto. Ridiculum enim sanè negotium istud fuerit, cùm videas solem & lunam & astra semper eandem inire viam, easdémque perpetuò efficere conuersiones: itémque rationum supputatorem, si interrogetur bis duo quot sint, non desinere dicere quatuor, quamuis sæpe antè dixerit: itémque in alijs rebus, quæ in confesso sunt, similiter: eum verò, qui è Scripturis Prophetarum sermones cum alijs misceat, illas omittere, nec easdem semper Scripturas allegare, sed opinari se aliquid Scriptura melius afferre posse.*

Eorundem repetitio testimoniorum non reprehendenda.

Hæc ille. Quæ & concionatoribus, contra homines eorum sermonum, in quibus eadem vitia ijsdem Scripturæ telis impetuntur, fastidiosos vsui esse possunt.

Iam verò quantum sit flagitium Scripturas sacras vitiare, declarat idem Iustinus, in Dialogo cum Tryphone, vbi cùm illas à Iudæorum doctoribus, non paucis in locis corruptas docuisset, Tryphon autem ita interlocutus fuisset:

SCRIPTVRAM SACRAM CORRVMPERE QVANTVM SCELVS.

Si quidem, vt dixisti, vitium Scripturis attulerint principes populi, Deus scire potest, verùm id incredibili simile est: sic contrà excepit: *Certè incredibili est simile. Horribilius enim est, quàm vituli conflatio, quem manna satiati, in terra fecerunt; & quàm liberorum dæmonijs immolatio; aut quàm ipsorum etiam Prophetarum interfectio.*

Contra eosdem Scripturæ sacræ vitiatores, egregius est locus S. Ignatij Martyris, in epistola ad Ephesios:

Nolite errare, inquit, *fratres mei. Qui domos corrumpunt, regnum Dei non possidebunt. Si autem qui hominum domos corrumpunt, morte condemnantur: quanto magis qui Christi doctrinam adulterate moliuntur, æternas pœnas luent? Pro quâ doctrinâ crucem & mortem sustinuit Dominus* IESVS, *Dei vnigena filius: cuius doctrinam qui abrogauerit, impinguatus, incrassatus in gehennam ibit.*

1. Cor. 6. ver. 9. & 10.

Ad horum porrò confirmationem, attende diuina præcepta & minas. Deuteronomij 4. versu 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor: nec auferetis ex eo.*

Deuteronomij 4. ver. 2.

Apoca-

Apocal. 22. ver. 18.

Apocalypſeos 22. verſu 18. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

Prouerb. 30. ver. 5.

Prouerbiorum 30. verſu 5. *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniariſque mendax.*

Vopiſcus in vita Taciti Imp.

SCRIPTVRÆ SACRÆ ADVLTERATIO.

Adijciam & ego hîc meum ſymbolum: *Tacitus Imperator* [teſte Vopiſco in eius vita] *cauit, vt ſi quis argento publicè, priuatímque æs miſcuiſſet: ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum; capitale eſſet cum bonorum proſcriptione.* Quantum ergo crimen humana diuinis, & terrena cæleſtibus commiſcere? hoc eſt, in diuinas ſcripturas, humana commenta, velut ſordidum ac vilem pannum in purpuram regiam, immittere.

Iam bonum eſt, vt ad liberum arbitrium tranſeamus, & B. Iuſtini de illo, ac de Dei præſcientia ſententiam, qualis ſit, & quàm ab hæreticis diſcrepet, conſideremus.

CAPVT XX.

Liberum arbitrium & Dei præſcientia.

LIBERI ARBITRII DEFENSIO.

Liberum arbitrium, quod ſubuertere omni impetu moliuntur hæretici, totis viribus defendere conatur Iuſtinus, & tota cum illo SS. Patrum turba: vt vix proinde Magdeburgenſibus Centuriatoribus & Abrahamo Sculteto poſſit eſſe quid impudentius; qui cùm fateantur SS. Patres totos à libero ſtare arbitrio, tamen eos minùs quàm ſe vidiſſe in hac materia (quod quid eſt aliud, quàm cæcis eos cæciores conuitiari?) audacter deblaterant. Medullam Theologiæ Patrum inſcripſit opus quoddam ſuum Scultetus: ſed quod ex illis habuit, medulla eſt; quod de ſuo addidit, venenum eſt. Ecce autem de libero arbitrio, è dialogo cum Tryphone, ad finem, quid ſanctus Martyr ſentiat.

Verba S. Iuſtini.

PRÆCOGNITIO DEI NON EST CAVSSA PECCATI.

Illud quoque in ſuperioribus demonſtraui, Deum non eſſe cauſſam, cur improbi ſint ij, quos præcognouit fore iniuſtos, ſiue Angeli ſint, ſiue homines: ſed eos ſua culpa eſſe tales, qualis vnuſquiſque apparuerit.

Ἀλλὰ καὶ ὅτι οὐκ αἰτία τοῦ θεοῦ, οἱ προγινωσκόμενοι ἄδικοι, εἴτε ἄγγελοι, εἴτε ἄνθρωποι γίνονται φαῦλοι, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν ἕκαστος αἰτίᾳ τοιοῦτοί εἰσιν, ὁποῖος ἕκαστος φανήσεται, ἀπέδειξα καὶ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν.

Ne verò occaſionem habere-

Ἵνα δὲ μὴ πρόφασιν ἔχητε λέγειν, ὅτι

ὅτι ἔδει τὸν Χριστὸν σταυρωθῆναι, ἢ καὶ ἐν τῷ γένει ἡμῶν εἶναι τοὺς παραβαίνοντας, καὶ οὐκ ἂν ἄλλως ἐδύνατο γίνεσθαι, φθάσας διὰ βραχέων εἶπον, ὅτι βουλόμενος τοὺς ἀγγέλους καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἕπεσθαι τῇ βουλῇ αὐτοῦ ὁ θεὸς, ἐβουλήθη ποιῆσαι τούτους αὐτεξουσίους πρὸς δικαιοπραξίαν, μετὰ λόγου τοῦ ἐπίστασθαι αὐτοὺς ὑφ' οὗ γεγόνασι, καὶ δι' ὃν εἰσι πρότερον οὐκ ὄντες, καὶ μετὰ νόμου τοῦ ὑπ' αὐτοῦ κρίνεσθαι, ἐὰν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττωσι.

tis dicendi oportuisse, & Christum crucifigi, & de genere vestro esse transgressores, nec aliter potuisse fieri; propterea præoccupās breuiter dixi, Deum cùm Angelos & homines suo ipsius obsequi consilio voluisset, voluisse quoque ad capessēdam iustitiam, eos sui iuris atque arbitrij facere: dando rationem, quâ intelligerent à quo sint, & per quem sint, cùm priùs non essent: dando legem, quâ ipsi iudicarentur, si præter rectam rationem quidquam facerent.

LIBERVM ARBITRIVM AD CAPESSENDAM IVSTITIAM DATVM EST.

Καὶ δι' ἑαυτῶν ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι, καὶ οἱ ἄγγελοι ἐλεγχθησόμεθα πονηρευσάμενοι, ἐὰν μὴ φθάσαντες μετανοήσωμεν.

Atque adeo per nosmet ipsi tam homines, quàm Angeli, fuisse mali redarguemur, nisi si pœnitentiam anticipauerimus.

Εἰ δὲ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ προμηνύει πάντως τινὰς καὶ ἀγγέλους, καὶ ἀνθρώπους κολασθήσεσθαι μέλλοντας, διότι προεγίνωσκεν αὐτοὺς ἀμεταβλήτους γενησομένους πονηροὺς, προεῖπε ταῦτα, ἀλλ' οὐχ ὅτι αὐτοὺς ὁ θεὸς τοιούτους ἐποίησεν· ὥστε ἐὰν μετανοήσωσι, πάντες βουλόμενοι τυχεῖν τοῦ παρὰ τοῦ θεοῦ ἐλέους, δύνανται· καὶ μακαρίους αὐτοὺς ὁ λόγος προλέγει εἰπών.

Quòd si Dei Verbum nonnullos & Angelos & homines omnino punitum iri prædicit; hoc idcirco facit, quòd ipsos absque pœnitentia improbos fore præuouerit; non autē quòd eos Deus tales effecerit: adeo vt si cunctos, qui misericordiam à Deo consequi volunt, commissorum pœniteat, præstare id possint: quos & ipsum Verbum beatos appellat, dicens:

Μακάριος, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. τοῦτο δέ ἐστιν, ὡς μετανοήσας ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι, τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τοῦ θεοῦ λάβῃ ἄφεσιν· ἀλλ' οὐχ ὡς ὑμεῖς ἀπατᾶτε ἑαυτοὺς, καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο, οἳ λέγουσιν ὅτι, κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, θεὸν δὲ γινώσκωσιν, οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαν.

Beatus, cui non imputauit Dominus peccatum. Hoc verò est, vt quem peccatorum pœnituerit, eorum à Deo remissionem accipiat: non autem, vt vosmet ipsi decipiatis, & alij quidam vobis in hoc similes; qui dicunt, quamuis ipsi peccatores sint, tamen dummodo Deum cognoscant, peccatum sibi à Deo non imputatū iri.

Psal. 31. vers. 2.

DEI COGNITIO NON SVFFICIT AD SALVTEM.

Μαρτύριον δὲ τούτου, τὴν μίαν τοῦ Δαβὶδ διὰ τὴν καύχησιν αὐτοῦ γενομέ-

Huius porrò testimonium habemus, vnam Dauidis prolapsionem,

nem, quæ illi propter gloriationem accidit: cuius tunc demum remiſſionem obtinuit, poſtquam ita fleuit & lamentatus eſt, ſicuti ſcriptum eſt.

νην παράπτωσιν ἔχωμεν, ἥτις τότε ἀφείθη, ὅτε οὕτως ἔκλαυσε, καὶ ἐθρήνησεν, ὡς γέγραπται.

Quòd ſi illi, viro tanto, non antè culpa remiſſa eſt, quàm pœnitentiam ageret: ſed poſtquā tantopere fleuit, & tāta fecit magnus ille Rex, & Chriſtus, & Propheta: ecquam tandem impuri illi & prorſus dementati, (niſi ſi lamentati fuerint, & plāxerint, & pœnitētiam egerint) habere ſpem poſſunt, peccatum ſibi à Domino non imputatum iri?

Εἰ δὲ τῷ τοιούτῳ ἄφεσις, πρὶν μετανοῆσαι, οὐκ ἐδόθη, ἀλλ' ὅτε τοιαῦτα ἔκλαυσε καὶ ἔπραξεν ὁ μέγας οὗτος βασιλεὺς, καὶ Χριστὸς, καὶ προφήτης, πῶς οἱ ἀκάθαρτοι, καὶ πάντα ἀπονενοημένοι, ἐὰν μὴ θρηνήσωσι, καὶ κόψωνται, καὶ μετανοήσωσιν, ἐλπίδα ἔχειν δύνανται, ὅτι οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαν;

POENITENTIA DAVIDIS.

Hactenus ipſa verba Iuſtini. Et bene factum, quòd è Dauide, & non è Platone, exemplum produxerit. Nam clamaturus fuiſſet alioqui Scultetus Platonis ſcholam id olere, non Chriſti diſciplinam. Quemadmodum in ſua *Syntheſi doctrinæ Iuſtini* martyris, hæc aduerſus ſancti illius Patris doctrinam annotauit: *In Platonis ſchola*, inquit, *nata eſt ei magnifica illa, de αὐτεξουσίῳ ſiue libertate voluntatis humanæ, opinio.* Et hanc opinionem inter Iuſtini næuos recenſet: cùm illa ipſa eius recenſio, non leuis quidem, nec mediocris næuus, ſed grandis, & improbus, & impius error ſit. Tam certa enim, & tam recepta eſt omnibus Philoſophis ac Theologis, tam antiquis, quàm nouis, extra ſolos hæreticos, de libero hominis arbitrio doctrina; vt caudex ſit & ſtipes, qui eam non capiat.

Alius Iuſtini locus, iſque clarus & fuſus, pro aſſertione liberi arbitrij exſtat in apologia ad Antoninum Pium. Inde paucula dumtaxat, ſed fortia decerpam.

Verba S. Iuſtini:

NIſi genus humanum libero arbitrio & fugere turpia, & eligere honeſta poſſit, extra cauſſam culpámue eſt omnium, quæ quoquo modo aguntur.

Εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ, καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τῶν ὅπως δήποτε πραττομένων.

Hæc idem Iuſtinus primò multis rationibus, deinde & auctoritate ſacrarum litterarum confirmat: vnde & ipſum Platonem ſuam de libertate arbitrij hauſiſſe ſcientiam ſcribit: quod Scultetus cautè reticuit.

Verba

Verba S. Iustini.

ΚΑὶ Πλάτων εἰπών· αἰτία ἑλομένου, θεὸς δ᾽ ἀναίτιος· παρὰ Μωσέως τοῦ προφήτου λαβὼν εἶπε· Πρεσβύτερος γὰρ Μωσῆς καὶ πάντων τῶν ἐν Ἕλλησι συγγραφέων.

Καὶ πάντα, ὅσα περὶ ἀθανασίας ψυχῆς, ἢ τιμωριῶν τῶν μετὰ θάνατον, ἢ θεωρίας οὐρανίων, ἢ τῶν ὁμοίων δογμάτων, καὶ φιλόσοφοι, καὶ ποιηταὶ ἔφασαν, παρὰ τῶν προφητῶν τὰς ἀφορμὰς λαβόντες, καὶ νοῆσαι δεδύνηνται, καὶ ἐξηγήσαντο.

ET Plato cùm dixit: *Culpa eligẽtis est; Deus autem culpa vacat*, à Mose Propheta id accepit & dixit. Nam antiquior est Moses omnibus Gẽtilium Scriptoribus. Plato libro 10. De republica. MOSES ANTIQVIOR EST OMNIBVS SCRIPTORIBVS GENTILIVM.

Atque omnia quæ de animæ immortalitate, & de pœnis post mortem, aut contemplatione cœlestium, aut similibus doctrinis, & Philosophi, & Poëtæ dixerunt, sumpto è Prophetis argumento, & intelligere potuerunt, & exposuerunt.

Ita Iustinus. Cuius & alia loca exstant in *Tryphone*, & in lib. *De Monarchiâ* extremo.

Eodem Platonis loco (qui sumptus est è lib. 10. De rep.) vtitur & Clemens Alexandrinus, lib. v. Stromatum, sub finem, cùm ita scribit: Τόδε αὐτεξούσιον ὁ Πλάτων ἐνδείκνυται διὰ τῶνδε· Ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον ἕκαστος αὐτῆς μεθέξει· αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος· κακῶν γὰρ ὁ θεὸς οὔποτε αἴτιος. Clemens Alexand. l. 5. Stromatum.

Liberum arbitrium per hæc demonstrat Plato: Virtus non subest alterius dominio: quam vt quisque honorarit aut despexerit, ita plus minúsue eius erit particeps. Culpa eligentis est: Deus culpâ vacat. Nunquam enim Deus malorum caussa est. Ita apud Clementem, qui ibi & alibi pluribus probat arbitrij libertatem.

Haud absimilia Iustino, de arbitrij libertate, & de Dei præscientiâ habet Tertullianus, lib. 2. aduersus Marcionem, vbi inter alia:

C*Eterum*, inquit, *nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem, de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita vt in vtrumque exitum libertas patuerit arbitrij. Igitur si & bonitas, & ratio Dei inuenitur circa libertatem arbitrij concessam homini, non oportet omissa prima definitione bonitatis atque rationis, quæ ante omnem tractatum constituenda est, pòst factis præiudicare, non ita Deum instituere debuisse, quia aliter quàm Deum deceret, euasit: sed dispecto, quia ita debuerit instituere, saluo eo quod dispectum est, cetera explorare.* Ita Tertullianus. Tertull. l. 2. aduersus Marcionem, cap. 6.

Aliorum porrò SS. Patrum sententias nihil opus hîc colligere, ipsimet hæretici collegerunt, sed hoc in puncto eos omnes, (quâ sunt ipsi impudentiâ) errâsse dicunt.

Non

SCVLTETI IN S. IVSTINVM CALVMNIA EXPLOSA.

Non possum tamen præterire, quin Iustinum aduersus eos defendam, & Sculteti Caluinistæ dicentis sanctum illum Patrem sibi non constitisse, inscitiam, aut cæcitatem potiùs admirabilem redarguam. Is ergo in *Synthesi doctrinæ Iustini*, dum eius pro libero arbitrio argumenta nititur refellere, profert vnum locum è Parænesi ad Græcos, quem quasi pro ipso facientem, Iustinus multùm à se mutatus, vt ipse fingit, vsurparit.

Atqui eo in loco Iustinus hoc tantùm agit, vt ostendat sanctorum Prophetarum doctrinam inter se concordantium, & quasi vno ore & lingua idem loquentium, longè præferendam scitis Philosophorum, inter se præcipuis de rebus digladiantium. Adfert autem pro ratione, Prophetas accepisse doctrinam fidei diuinitus, nec potuisse illam humano ingenio acquirere. Hoc autem quid facit contra liberum arbitrium? Nec enim illud tollunt dona diuinitus infusa, sed potiùs perficiunt. Neque Adam, quia cum talibus donis creatus sit multis & magnis, propterea minùs liber fuit, etiam assentientibus hæreticis.

Dabo autem in medium verba Iustini, vt constet eum vbique sibi constare. Sic ergo scribit in Parænesi ad Græcos, haud procul initio:

Verba S. Iustini:

Nec enim naturâ, nec humanâ intelligentiâ res tam magnas & diuinas hominibus assequi possibile est; sed eo, quod tunc cælitus in viros sanctos descendit, dono: quibus nihil opus fuit dicendi arte, nec eloquendi contentione aut ęmulatione: sed tantùm vt se ipsos diuini spiritus efficaciæ puros exhiberent: quò ipsum diuinum plectrum è cælo descendens, tanquam citharę cuiuspiam aut lyræ instrumento, viris iustis vtens, diuinorum nobis ac cælestium cognitionem reuelaret.

PRÆPARATIO AD DONA GRATVITA.

Οὔτε γὰρ φύσει, οὔτε ἀνθρωπίνῃ ἐννοίᾳ οὕτω μεγάλα καὶ θεῖα γινώσκειν ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῇ ἄνωθεν ἐπὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τηνικαῦτα κατελθούσῃ δωρεᾷ, οἷς οὐ λόγων ἐδέησε τέχνης, οὐδὲ τοῦ ἐριστικῶς τι καὶ φιλονείκως εἰπεῖν· ἀλλὰ καθαροὺς ἑαυτοὺς τῇ θείου πνεύματος παρασχεῖν ἐνεργείᾳ· ἵν' αὐτὸ τὸ θεῖον ἐξ οὐρανοῦ καπὸν πλῆκτρον, ὥσπερ ὀργάνῳ κιθάρας τινὸς, ἢ λύρας, τοῖς δικαίοις ἀνδράσι χρώμενον, τὴν τῶν θείων ἡμῖν καὶ οὐρανίων ἀποκαλύψῃ γνῶσιν.

SS. PROPHETARVM CONFORMITAS.

Quare velut ex vno ore & vnâ linguâ, de Deo, & de mundi creatione, & de hominis formatione, & de animæ humanæ immorta-

Διὰ τοῦτο τοίνυν, ὥσπερ ἐξ ἑνὸς στόματος καὶ μιᾶς γλώττης, καὶ περὶ θεοῦ, καὶ περὶ κόσμου κτίσεως, καὶ περὶ πλάσεως ἀνθρώπου, καὶ περὶ ἀνθρωπίνης

θρωπίνης ψυχῆς ἀθανασίας, καὶ τῆς μετὰ τὸν βίον τοῦτον μελλούσης ἔσεσθαι κρίσεως, καὶ περὶ πάντων ὧν ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐστιν εἰδέναι, ἀκολούθως καὶ συμφώνως ἀλλήλοις ἐδίδαξαν ἡμᾶς, καὶ ταῦτα ἐν διαφόροις τόποις τε καὶ χρόνοις τὴν θείαν ἡμῖν διδασκαλίαν παρεσχηκότες.

litate, & de futuro poſt hanc vitã iudicio, & de omnibus, quæ ſcire nobis neceſſe eſt, conſentaneo & concordi inter ſe conſenſu docuerunt; & hæc quidem diuerſis & locis, & temporibus, diuinam nobis doctrinam elargiti.

Hæc ſunt ipſamet Iuſtini verba, & eorum preſſiſſima interpretatio. Nam Scultetus, ſiue à ſe, ſiue ab alio interprete, addidit verbum vnum, quod in Iuſtino non eſt; & quaſi in eo vis permagna eſſet, littera grandiuſcula & diſtincto charactere imprimi voluit.

Sic enim ſcripſit in ſua Bambergenſi editione anni M. DC. XIII. *Neque enim (vt alibi multum ab hoc mutatus Iuſtinus inquit) vel natura, vel ingenio humano res tam ſublimes & diuinas hominibus aſſequi eſt poſſibile: ſed eo quod cælitus in viros ſanctos deſcendit, opus eſt* GRATVITO DONO. Ita ille.

Sculteti additamentum ad verba S. Iuſtini.

Vbi illud GRATVITO, prorſus eſt gratuitum: quandoquidem, vt dixi, & hic videre eſt, in Iuſtino non habeatur.

Deinde cum illo ſuo GRATVITO nihil prorſus contra liberum arbitrium in operando obtinet. Scimus prophetiæ donum eſſe gratuitum, & numerari inter gratias gratis datas, an ideo ſequitur nõ eſſe in homine liberum arbitrium, quia illud donum naturæ viribus aſſequi non poſſit? Impleat aliquem Dominus noſter cæleſtibus donis, non ideo ſanè propter illa minùs liber in actionibus ſuis erit: immo potiùs magis liber, cùm minùs praua conſuetudo degrauabit.

Adde verò ex Iuſtini verbis ſuprà poſitis, dum ex parte recipientium Dei dona, requirit præparationem ac puritatem, (vult enim vt ſe exhibeant idonea Spiritus ſancti inſtrumenta) rectè colligi liberum in ijs eſſe arbitrium. De quo hactenus ſatis: erit de Cruce nunc dicendum, quam cùm hæretici oderint, ament Catholici, ſtabit penes S. martyrem iudicium.

CAPVT XXI.

Crucis defenſio & commendatio.

MVltus in Crucis defenſione & commendatione fuit Iuſtinus, ſiue coram Gentibus, quibus ſtultitia; ſiue coram Iudæis, quibus ſcandalum. Nam coram Auguſtis quidem Antonino Pio & liberis, poſtquam expoſuit pleraque Chriſti myſteria, inſtinctu dæmonum, à Poëtis ad falſos Deos relata; de ſigno Crucis, quod ab ijs intellectum non ſit, & præcipua tamen eius fortitudinis atque imperij nota exiſtat, ita ſcribit:

Verba S. Iustini.

QVod quidem, vti Propheta prædixit, maximum fortitudinis eius atque imperij signum est: vti & ex ijs, quæ sub sensum cadunt, demonstratur.

Ὅπερ, ὡς προεῖπεν ὁ προφήτης, τὸ μέγιστον σύμβολον τῆς ἰσχύος καὶ ἀρχῆς αὐτοῦ ὑπάρχει· ὡς καὶ ἐκ τῶν ὑπ᾽ ὄψιν πιπτόντων δείκνυται.

CRVCIS FIGVRA IN QVAM MVLTIS REBVS ARTIFICIOSIS ET NATVRALIBVS.

Considerate enim omnia quæ mundo sunt, si absque figura hac administrantur, aut communionem inter se habere possunt.

Κατανοήσατε γὰρ πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται.

IN NAVIGIO.

Mare quidem sanè haud scinditur, nisi trophęū hoc, quod velū vocatur, in naue saluum maneat.

Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται, ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον, ὃ καλεῖται ἱστίον, ἐν τῇ νηῒ σῶον μείνῃ.

IN ARATRO.

Terra absque hoc non aratur.

Γῆ δὲ οὐκ ἀροῦται ἄνευ αὐτοῦ.

IN LIGONE.

Fossores opus non faciunt, neque item artifices manuarij, nisi instrumentis figuram hanc gerentibus.

Σκαπανεῖς δὲ τὴν ἐργασίαν οὐ ποιοῦνται, οὐδὲ βαναυσουργοὶ ὁμοίως, εἰ μὴ διὰ τῶν τὸ σχῆμα τοῦτο ἐχόντων ἐργαλείων.

IN CORPORE HVMANO.

Præterea species humana haud alia re magis ab animalibus differt rationis expertibus, quàm quòd recta sit, & manuum extensionem habeat, & in ipso vultu prominentem à fronte nasum ferat, per quem & animanti est respiratio, & aliud nihil quàm Crucis formam demonstrat.

Τὸ δὲ ἀνθρώπειον σχῆμα οὐδενὶ ἄλλῳ τῶν ἀλόγων ζώων διαφέρει, ἢ τὸ ὀρθόν τε εἶναι, καὶ ἔκτασιν χειρῶν ἔχειν, καὶ ἐν τῷ προσώπῳ ἀπὸ τοῦ μετώπου τεταμένον τὸν λεγόμενον μυξωτῆρα φέρειν, δι᾽ οὗ ἥ τε ἀναπνοή ἐστι τῷ ζώῳ, καὶ οὐδὲν ἄλλο δείκνυσιν, ἢ τὸ σχῆμα τοῦ σταυροῦ.

Ieremiæ Threnorum 4. ver. 20.

Et verò per Prophetam ita dictū est: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.*

Καὶ διὰ τοῦ προφήτου δὲ ἐλέχθη οὕτως· πνεῦμα πρὸ προσώπου ἡμῶν, Χριστὸς κύριος.

IN VEXILLIS.

Quin & signa vestra huius figuræ vim præferunt. - - - - - - - - - - - - & trophæorum

IN TROPHÆIS.

per quæ progressus à vobis vbique locorum fiunt: in quibus & imperij & potestatis signa ostenditis, tametsi non intelligentes id facitis.

Καὶ τὰ παρ᾽ ὑμῖν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ - - - - - - - - - καὶ τῶν τροπαίων, δι᾽ ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίνονται, τῆς ἀρχῆς καὶ δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύντες, εἰ καὶ μὴ νοοῦντες τοῦτο πράττετε.

Imperatorum, quoque apud vos morientium imagines in hac eadem formâ consecratis, & Deos per decreta nominatis.

Καὶ τῶν παρ᾽ ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων τὰς εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε, καὶ θεοὺς διὰ γραμμάτων ἐπονομάζετε.

Hacte-

Hactenus verba Iustini: quæ more suo imitatur in Apologetico Tertullianus, cap. XVI. hisce verbis:

Sed & victorias adoratis: cùm in trophæis cruces intestina sint trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus Dijs præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt. Sypara illa vexillorum & cantabrorum, stolæ crucium sunt. Laudo diligentiam: noluistis nudas & incultas cruces consecrare. Sic ibi Tertull. Tertull. in Apologetico, cap. 16.

Sed paullò fusiùs & clariùs, in suo Octauio Minucius.

Nam & signa ipsa, inquit, *& cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud, quàm inaurata cruces sunt & ornatæ? Trophæa vestra victricia non tantùm simplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum sanè crucis naturaliter visimus in naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur: & cùm erigitur iugum, Crucis signum est: & cùm homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo Crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.* Ita ille. Minucius in Octauio.

Hos secutus & imitatus D. Maximus Taurinensis,

Grande, inquit, *Crucis est sacramentum: &, si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur: vt Cruce Domini factâ aquarum fluenta rumpantur: & hoc Dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quædam est, velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in Cruce.* S. Maximus Taurinensis homil. De cruce & sepultura.

Et infrà: *Sed & bonus agricola, cùm parat terræ solum vertere, non nisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subycit, afficit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur. Compactio enim ipsa, similitudo quædam est dominicæ passionis,* Sic ille in homilia, *De Cruce & sepultura.*

Et paullò inferiùs:

Ipsius etiam incessus hominis, cùm manus leuauerit, crucem pingit; atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu, passionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. ORARE ELEVATIS MANIBVS.

Hoc enim exemplo Moyses sanctus, cùm contrà Amalech bellum gereret; non armis, non ferro, sed eleuatis ad Deum manibus eum superauit.

In eadem, quam suprà laudauimus, Apologia, docet etiam Iustinus ipsum Platonem, lecto Mosis libro, vbi de serpente æneo formam Crucis referente agebatur, Virtutem decussatam appellasse, quem nos Filium Dei.

Verba S. Iustini:

Plato in Timæo. ET quod in Timæo apud Platonem naturali coniectura de Filio Dei disseritur, cùm dicit: *Decussauit eum in vniuerso*, à Mose acceptum hoc dixit.

Καὶ τὸ ἐν τῷ, παρὰ Πλάτωνι, Τιμαίῳ φυσιολογούμενον περὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ὅτε λέγει· ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντὶ, παρὰ Μωσέως λαβὼν ὁμοίως εἶπεν.

Numerorum 21. ver. 6. Nam in scripta Mosis relatum est, quo tempore ex Ægypto exierunt Israëlitæ, atque in solitudine fuerũt, occurrisse illis feras venenosas, viperas, & aspides, & omne serpentũ genus, quod populum enecabat: Ibidem ver. 8. ac Mosen per Dei inspirationem atque virtutẽ ære accepto formam Crucis fecisse, eãque ad sanctum tabernaculum statuisse, ac dixisse populo:

Ἐν ταῖς γὰρ Μωσέως γραφαῖς ἀναγέγραπται, ὡς κατ᾽ ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ, ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Αἰγύπτου οἱ Ἰσραηλῖται, καὶ γεγόνασιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἀπήντησαν αὐτοῖς ἰοβόλα θηρία, ἔχιδναί τε, καὶ ἀσπίδες, καὶ ὄφεων πᾶν γένος, ὃ ἐθανάτου τὸν λαόν· καὶ κατ᾽ ἐπίπνοιαν καὶ ἐνέργειαν τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ λεγομένην, λαβεῖν τὸν Μωσέα χαλκὸν, καὶ ποιῆσαι τύπον σταυροῦ, καὶ τοῦτον στῆσαι ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ σκηνῇ, καὶ εἰπεῖν τῷ λαῷ.

Si signum hoc aspexeritis, & credideritis, in eo salui eritis.

Ἐὰν προσβλέπητε τῷ τύπῳ τούτῳ, καὶ πιστεύητε, ἐν αὐτῷ σωθήσεσθε.

Ibidem ver. 9. Et hoc facto interijsse serpentes, & populum mortem euasisse, scriptis prodidit.

Καὶ γενομένου τούτου, τοὺς μὲν ὄφεις ἀποθανεῖν ἀνέγραψε, τὸν δὲ λαὸν ἐκφυγεῖν τὸν θάνατον,

Quæ Plato cùm perlegisset, nec perfectè intellexisset, neque Crucis formam, sed decussationem mente complexus esset; eam, quę secundùm principem Deum est, Virtutem decussatam in vniuerso dixit &c. Tertiam verò Virtutẽ appellans Spiritum, qui dictus est ferri super aquas. Tertia, inquit, circa tertium.

VIRTVS DECVSSATA, CHRISTVS EST.

Geneseos cap 1. ver. 2.

Οὕτως παρέδωκεν ἀναγνοὺς Πλάτων, καὶ μὴ ἀκριβῶς ἐπιστάμενος, μηδὲ νοήσας τύπον εἶναι σταυροῦ, ἀλλὰ Χίασμα νοήσας, τὴν μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν δύναμιν κεχιάσθαι ἐν τῷ παντὶ εἶπε· Τὴν δὲ τρίτην, τῷ λεχθέντι ἐπιφέρεσθαι τῷ ὕδατι πνεύματι, εἰπών· τὰ δὲ τρίτα περὶ τὸν τρίτον.

Ita Iustinus, & de Cruce, & de Platonis super Crucis signo Philosophica intelligentiâ. Quæ vt clariora sint, tres ex mente Iustini summas virtutes posuit Plato, quarum primam appellauit πρῶτον θεὸν, primum Deum, vt hic è Iustino colligitur: secundam verò, Virtutem decussatam: tertiam, Virtutem, quæ fertur circa tertium, hoc est, circa aquam, quod est elementum tertium.

Tres summæ Virtutes apud Platonem in Timæo.

In fide autem; prima Virtus, est Pater: secunda, est Filius in Cruce decussatus: tertia, est Spiritus sanctus; *qui*, Geneseos 1. *ferebatur super aquas*: ita scilicet, vt quam Plato Virtutem, nos personam seu ὑπόστασιν appellemus. Sed tres personæ vnus nobis Deus.

Vt

Vt autem Iustinus Crucis ignominiam non est veritus coram Imperatore defendere: sic nec eius honorem coram Iudæo principe erubuit propugnare. Nam in dialogo cum Tryphone id aliquoties factitauit: semel quidem sic:

Verba S. Iustini:

Καὶ τὸ κελευσθὲν πρόβατον ἐκεῖνο ὀπτὸν ὅλον γίνεσθαι, τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ δι' οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ Χριστὸς, σύμβολον ἦν.

Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ, ὀπτᾶται.

Εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν, μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες προβάτου.

ET agnus ille, de quo præceptum fuit, vt totus assaretur, supplicij Crucis, quod Christus erat subiturus, signum & nota fuit.

AGNVS IN VERV ASSVS CHRISTVS IN CRVCE PASSVS.

Nam agnus dum assatur, in figuram Cruci similem conformatur.

Quippe veru vnum ab imis partibus ad caput vsque transadigitur, & aliud rursus secundum scapulas, ad quod manus agni adaptantur.

Et infra in eodem dialogo, Tryphoni & socijs indignitatem Crucis admodum exaggerantibus, patrocinium eius suscipiēs, alias quoque eiusdem Crucis figuras, multùm ad illius facientes commendationem, è vetere instrumento depromit. Ponam succinctè vtriusque verba, tam Tryphonis, quàm Iustini, (medijs quibusdam non ita necessarijs ob breuitatem incisis) ad id, quod agitur, maximè spectantia.

Verba Tryphonis Iudæi.

Παθεῖν μὲν γὰρ, καὶ ὡς πρόβατον ἀχθήσεσθαι οἴδαμεν· εἰ δὲ καὶ σταυρωθῆναι, καὶ οὕτως αἰσχρῶς καὶ ἀτίμως ἀποθανεῖν διὰ τοῦ κεκατηραμένου ἐν τῷ νόμῳ θανάτου, ἀπόδειξον ἡμῖν· ἡμεῖς γὰρ οὐδ' εἰς ἔννοιαν τούτου ἐλθεῖν δυνάμεθα.

PAssurum quidem illum fuisse, & tanquam ouem ducendum cognouimus: at verò Cruci configendum, & tam fœdè atque ignominiosè mortem in lege detestatam obiturum, id nobis demonstrato. Nos enim ne in cogitationem quidem huius indignitatis venire possumus.

CRVCIFIXIONEM CHRISTI DOMINI NON CAPIVNT IVDÆI.

Verba S. Iustini.

Οἶδα, ἔφην, ὅτι ὅσα εἶπον, καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται· ὡς καὶ ὡμολογήθη ὑμῖν· παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως τὰ πλεῖστα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς

TEnésne, inquam, Prophetas (quod & confessi estis) omnia quæ dixerunt & fecerunt, similitudinibus & figuris obuelasse, (ita vt plurima non facilè à quolibet intelligi possint) abscōdentes

SACRI PROPHETARVM LIBRI OBSCVRI ET DIFFICILES.

dentes in ijs veritatem, vt eam quærentibus laborandum ſit ad inueniendam atque aſſequendã?

ζητοῦντας εὑρεῖν, καὶ μαθεῖν;

Illi autem reſponderunt: Et hoc confeſſi ſumus.

Οἱ δὲ ἔφησαν· καὶ ὡμολογήθη ἡμῖν.

Audi ergo, inquam, quod conſequitur. Nam Moſes eius quam exiſtimatis execrationem, per ea quæ fecit ſigna, primus manifeſtauit.

Ἀκούοις ἂν οὖν, φημι, τὸ μετὰ τοῦτο· Μωσῆς γὰρ πρῶτος ἐξέφανεν αὐτοῦ ταύτην τὴν δοκοῦσαν κατάραν, δι' ὧν ἐποίησε σημείων.

Quænam illa dicis? inquit.

Τίνων τούτων, ἔφη, λέγεις;

IESVS NAVE FILIVS.

ORATIO EXPANSIS MANIBVS,

Cùm populus, inquam, bellaret aduerſus Amalec, & filius Naue, qui IESVS nominatus eſt, inter primos pugnaret, ipſe Moſes Deũ precabatur expãſis vtrimque manibus: eas autem Hur & Aaron tota die ſuſtentabant, ne illo defatigato relaxarentur.

Ὅτε ὁ λαός, φημι, ἐπολέμει τῷ Ἀμαλὴκ, καὶ ὁ τοῦ Ναυῆ υἱὸς ὁ ἐπονομασθεὶς τῷ Ἰησοῦ ὀνόματι τῆς μάχης ἦρχεν, αὐτὸς Μωσῆς ηὔχετο τῷ θεῷ, τὰς χεῖρας ἑκατέρως ἐκπετάσας· Ὢρ δὲ καὶ Ἀαρὼν ὑπεβάσταζον αὐτὰς πανήμαρ, ἵνα μὴ κοπωθέντος αὐτοῦ χαλασθῶσιν.

Exodi 17. ver. 11.

Nam ſi quidquam de hac figurâ Crucem imitante remittebatur, populus, vt in Moſe ſcriptũ eſt, ſuperabatur: ſin ſtatu in illo perſiſtebat, tamdiu Amalec vincebatur: & qui præualebat, per Crucem præualebat.

Εἰ γὰρ ἐνεδεδώκει τι τοῦ σχήματος τούτου τοῦ τὸν σταυρὸν μιμουμένου, ὡς γέγραπται ἐν ταῖς Μωσέως γραφαῖς, ὁ λαὸς ἡττᾶτο. εἰ δὲ ἐν τῇ τάξει ἔμενε ταύτῃ, Ἀμαλὴκ ἐνικᾶτο τοσοῦτον, καὶ ἰσχύων, διὰ τοῦ σταυροῦ ἴσχυεν.

IESV NOMEN.

Nec enim, quia ſic precaretur Moyſes, propterea vincebat populus; ſed quia nomine IESV in prima acie verſante, ipſe Crucis ſignum efformabat.

Οὐ γὰρ ὅτι οὕτως ηὔχετο Μωσῆς, διὰ τοῦτο κρείσσων ὁ λαὸς ἐγίνετο, ἀλλ' ὅτι ἐν ἀρχῇ τῆς μάχης τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ ὄντος, αὐτὸς τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ἐποίει.

Deuteronomij 33. ver. 17.

Alias Crucis figuras ibidem perſequitur Iuſtinus, & præſertim de cornibus rhinocerotis, Deuteronomij XXXIII. vbi inter alias Ioſephi benedictiones, hæc etiam ponitur: *Quaſi primogeniti tauri, pulchritudo eius: cornua rhinocerotis, cornua illius: in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ.* Per cornu igitur rhinocerotis docet ſignificari Crucem, per quam compunctæ Gentes, ab idolis & dæmonijs ad veram religionem conuerſæ ſint. Vide ibi plura & pluribus: vel accipe potiùs à Tertulliano, qui hæc omnia S. Iuſtini non prætermiſit in ius ſuum, iniectâ Romanâ veſte, trahere. Sic igitur habet:

Verba

Verba Tertulliani S. Iustinum transferentis:

N*Am & benedicitur in hac verba Ioseph,* inquit: Tauri, decor eius: cornua vnicornis, cornua eius: in eis nationes ventilabit pariter ad summum vsque terræ. *Non vtique rhinoceros destinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis: sed Christus in illo significabatur, taurus ob vtramque dispositionem, alijs ferus, vt iudex; alijs mansuetus, vt saluator: cuius cornua essent crucis extima. Nam & in antenna nauis, quæ Crucis pars est, hoc extremitates huius cornua vocantur: vnicornis autem, media stipitis palus. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornutus vniuersas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terrâ in cælum; & tunc ventilabit per iudicium, deijciens de cælo in terram.*

Exodi 33. ver. 17.

Tertull. lib. 1. Aduersus Iudæos, cap. 10.

Et infrà:

I*Am verò Moyses, quid vtique tunc tantùm, cùm* IESVS *aduersus Amalec præliabatur, extensis manibus orabat residens? quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus positis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutata, orationem commendare debuisset: nisi quia illic, vbi nomen* IESV *dimicabat, dimicaturi quandoque aduersus diabolum, Crucis habitus quoque erat necessarius, per quam* IESVS *victoriam esset relaturus?*

Orationis habitus.

Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu, in spectaculum Israëli salutare proposuit eo tempore, quo à serpentibus post idololatriam exterminabantur? nisi quòd hic dominicam Crucem intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique ab eiusmodi colubris, id est, angelis eius, à delictorum peccantia ad Christi Crucis sacramenta intento salus efficiebatur? Nam qui in illam tunc respiciebat, à morsu serpentiũ liberabatur.

Ita Tertullianus, qui in toto illo suo libro Aduersus Iudæos, egregiè Iustini dialogum contra Tryphonem decimauit.

Sed illud nouum & eximium, in Crucis honorem & nostri tutelam protulit, in lib. De corona militis. c. 3. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.*

Tertull. lib. De corona militis, cap. 3.

Cui consentiens Hieronymus, ita ad Eustochium virginem, l. 2. ep. 19. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.*

Hieronym. lib. 3. epist 19. Ad Eustochium.

Postquam de Cruce, non modò Iustini, sed aliorum quoque SS. Patrum accepimus sententiam; de Circumcisione, & de Baptismo illam consecuto, eandem requiramus.

CAPVT

CAPVT XXII.

Circumcisio & baptismi successio.

Documenta S. Iustini de Circumcisione.

DE circumcisione, cuius nomen & celebritas in honorem Domini IESV hodie in ecclesia perseuerat, aliquid è beati Iustini penu depromendum est. Sunt autem hæc, quæ de illa docet:

1°. Solis Iudæis datam & imperatam circumcisionem.

2°. In signum datam, quo ab alijs gentibus discernerentur.

3°. Non contulisse gratiam.

4°. Cultro ferreo fieri solitam, & die octauo, tametsi in sabbatum incideret.

5°. A Christo abrogatam, & salutari baptismate commutatam.

Verba S. Iustini.

Circumcisio primùm data Abrahamo.

NAm quæ ex Abrahamo est secundùm carnem circumcisio, in signum data est: vt sitis ab alijs gentibus & à nobis discreti: & vt soli patiamini, quæ nūc meritò patimini: & vt regiones vestræ desertæ sint, & ciuitates igni combustæ, & fruges vestras in conspectu vestro alieni comedant: nec quisquam vestrúm ingrediatur Hierosolymam.

Ἡ γὰρ ἀπὸ Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα περιτομὴ, εἰς σημεῖον ἐδόθη· ἵνα ἦτε ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐθνῶν καὶ ἡμῶν ἀφωρισμένοι· καὶ ἵνα μόνοι πάθητε ἃ νῦν ἐν δίκῃ πάσχετε· καὶ ἵνα γίνωνται αἱ χῶραι ὑμῶν ἔρημοι, καὶ αἱ πόλεις πυρίκαυστοι, καὶ τοὺς καρποὺς ἐνώπιον ὑμῶν κατεσθίωσιν ἀλλότριοι, καὶ μηδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐπιβαίνῃ εἰς τὴν Ἱερουσαλήμ.

SIGNVM EST DISTINCTIONIS IVDÆORVM AB ALIIS GENTIBVS.

Nec est enim signum aliud, quo præ ceteris mortalibus agnoscamini, quàm ista in carne vestrâ circumcisio.

Οὐ γὰρ ἐξ ἄλλου τινὸς γνωρίζεσθε παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ἢ ἀπὸ τῆς ἐν σαρκὶ ὑμῶν περιτομῆς.

Et infrà:

LAuamini igitur, & iam mundi estote, & auferte prauitates ab animis vestris: quemadmodū lauacro hoc lauari vos, & verâ circumcisione circumcidi imperat Deus.

Λούσασθε οὖν, καὶ νῦν καθαροὶ γίνεσθε, καὶ ἀφέλεσθε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν· ὡς ὅτι λούσασθαι ὑμῖν τοῦτο τὸ λουτρὸν κελεύει ὁ Θεὸς, καὶ περιτέμνεσθαι τὴν ἀληθινὴν περιτομήν.

Nam & nos ipsi istam in carne circumcisionem, & sabbata, & omnes omnino dies festos seruaremus, nisi caussam, cur vobis imperata sit, nosceremus: nempe

Ἡμεῖς γὰρ καὶ ταύτην ἂν τὴν περιτομὴν τὴν κατὰ σάρκα, καὶ τὰ σάββατα, καὶ τὰς ἑορτὰς πάσας ἁπλῶς ἐφυλάσσομεν, εἰ μὴ ἔγνωμεν δι' ἣν αἰτίαν καὶ ὑμῖν προσετάγη, τουτέστι, διὰ

τὰς

τὰς ἀνομίας ὑμῶν καὶ τὴν σκληροκαρδίαν.

propter iniquitatem veſtram, & cordis duritiem.

Et inferius.

ΟΥ γὰρ πᾶσιν ἀναγκαία αὕτη ἡ περιτομή, ἀλλ' ὑμῖν μόνοις· ἵνα, ὡς προέφην, ταῦτα πάθητε, ἃ νῦν ἐν δίκῃ πάσχετε.

NEc enim omnibus neceſſaria eſt hæc circumciſio: ſed vobis ſolis: vt, quemadmodum antè dixi, ea patiamini, quæ meritò patimini. QVIBVS NECESSARIA CIRCVMCISIO.

Οὐδὲ γὰρ τὸ βάπτισμα ἐκεῖνο τὸ ἀνωφελὲς τὸ τῶν λάκκων προσλαμβανόμεθα. οὐδὲν γὰρ πρὸς τὸ βάπτισμα τοῦτο τὸ τῆς ζωῆς ἐστί.

Nã non recipimus inutile illud baptiſma ciſternarum. Nihil eſt enim ad hoc lauacrum vitæ.

Διὸ καὶ κέκραγεν ὁ θεός, ὅτι ἐγκατελίπετε αὐτόν, πηγὴν ζῶσαν, καὶ ὠρύξατε ἑαυτοῖς λάκκους συντετριμμένους, οἳ οὐ δυνήσονται συνέχειν ὕδωρ.

Quare & Deus exclamauit, quòd eum dereliqueritis, fontem viuum, & foderitis vobis ciſternas diſſipatas; quæ continere non valent aquas. Ieremiæ cap. 2. ver. 13.

Καὶ ὑμεῖς μὲν οἱ τὴν σάρκα περιτετμημένοι, χρῄζετε τῆς ἡμετέρας περιτομῆς· ἡμεῖς δὲ ταύτην ἔχοντες, οὐδὲν ἐκείνης δεόμεθα.

Ac vos quidem carne circumciſi, noſtra opus habetis circumciſione: nos autem hanc habentes, nihil veſtrâ indigemus.

Εἰ γὰρ ἀναγκαία, ὡς δοκεῖτε, οὐκ ἂν ἀκρόβυστον ὁ θεὸς ἔπλασε τὸν Ἀδάμ· οὐδὲ ἐπέβλεψεν ἐπὶ τοῖς δώροις τοῦ ἐν ἀκροβυστίᾳ σαρκὸς προσενέγκαντος θυσίας Ἄβελ· οὐδ' ἂν εὐηρέστησεν ἐν ἀκροβυστίᾳ Ἐνώχ· καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός.

Si eſſet enim neceſſaria, vt putatis, Deus Adamum non creaſſet præputiatum: neque ad Abelis dona in præputio ſacrificia offerentis reſpexiſſet: neque Enoch incircumciſus ei placuiſſet: qui non inuentus eſt, quia eum Deus tranſtulit. CIRCVMCISIO NON FVIT NECESSARIA AB INITIO ORBIS CONDITI.

Λὼτ ἀπερίτμητος ἐκ Σοδόμων ἐσώθη, αὐτῶν ἐκείνων τῶν ἀγγέλων αὐτὸν καὶ τοῦ κυρίου προπεμψάντων.

Lot incircumciſus è Sodomis ſeruatus eſt, Angelis ipſis & Domino illum deducentibus.

Νῶε ἀρχὴ γένους· ἀλλ' οὖν ἅμα τοῖς τέκνοις ἀπερίτμητος εἰς τὴν κιβωτὸν εἰσῆλθεν.

Noë, generis erat principium: ſed vnà cum liberis abſque circũciſione in arcam ingreſſus eſt.

Ἀπερίτμητος ἦν ὁ ἱερεὺς τοῦ ὑψίστου Μελχισεδέκ, ᾧ καὶ δεκάτας προσφορὰς ἔδωκεν Ἀβραὰμ πρῶτος τὴν κατὰ σάρκα περιτομὴν λαβών, καὶ εὐλόγησεν αὐτόν· οὗ κατὰ τὴν τάξιν τὸν αἰώνιον ἱερέα ὁ Θεὸς καταστήσειν διὰ τοῦ Δαβὶδ μεμήνυκεν.

Nec circumciſus erat altiſſimi ſacerdos Melchiſedech, cui & decimas oblationis nomine detulit Abraham primus in carne circumciſus, & ab eo benedictionem accepit: ſecundùm cuius ordinem Deus æternum ſacerdotem ABRAHAM PRIMVS IN CARNE CIRCVMCISVS.

tem ſe conſtituturum per os Dauidis ſignificauit.

Oſeæ cap. 1. vers. 9.

Vobis ergo ſolis neceſſaria erat illa circumciſio: vt populus fieret non populus, & gens non gens: vti & Oſeas vnus duodecim Prophetarum ait.

Ὑμῖν οὖν μόνοις ἀναγκαία ἦν ἡ περιτομὴ αὕτη· ἵνα ὁ λαὸς οὐ λαὸς ᾖ, καὶ τὸ ἔθνος οὐκ ἔθνος· ὡς καὶ Ὠσηὲ εἷς τῶν δώδεκα προφητῶν φησί.

Et poſt nonnulla ibidem:

E dialogo cum Tryphone.

SABBATI CELEBRATIONIS ORIGO.

SI enim ante Abrahamum vſus circumciſionis non erat; nec ante Moyſen, celebrationis ſabbati, & feſtorum, & oblationum; ne nũc quidem poſt Filium Dei IESVM Chriſtum, ex Dei voluntate abſque peccato, de virgine generis Abrahæ natum, ſimiliter opus eſt.

Εἰ γὰρ πρὸ τοῦ Ἀβραὰμ οὐκ ἦν χρεία περιτομῆς, οὐδὲ πρὸ Μωϋσέως σαββατισμοῦ, καὶ ἑορτῶν, καὶ προσφορῶν· οὐδὲ νῦν μετὰ τὸν κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ, δίχα ἁμαρτίας τῆς ἀπὸ γένους τοῦ Ἀβραὰμ παρθένου γεννηθέντα υἱὸν Θεοῦ Ἰησοῦν Χριστὸν, ὁμοίως ἐστὶ χρεία.

Geneſ. 15 vers. 6. & Rom. 4. vers. 5.

Geneſ. 17. vers. 14.

Nam & ipſe Abraham ante circumciſionem, propter fidem qua Deo credidit, iuſtificatus & benedictus eſt, prout Scriptura indicat: circũciſionem verò in ſignũ, non in iuſtitiam accepit: quemadmodum & Scripturæ & res ipſæ fateri nos cogunt: ita vt iuſtè de populo illo dictum ſit, animam illam è genere ſuo exterminatum iri, quæ circumciſa die octauo non fuerit.

Καὶ γὰρ αὐτὸς Ἀβραὰμ ἐν ἀκροβυστίᾳ ὢν, διὰ τὴν πίστιν ἣν ἐπίστευσε τῷ Θεῷ, ἐδικαιώθη καὶ εὐλογήθη, ὡς ἡ γραφὴ σημαίνει· τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν, ὡς καὶ αἱ γραφαὶ καὶ τὰ πράγματα ἀναγκάζει ἡμᾶς ὁμολογεῖν· ὥστε δικαίως εἴρηται περὶ ἐκείνου τοῦ λαοῦ, ὅτι ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ γένους αὐτῆς, ἣ οὐ περιτμηθήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ.

CIRCVMCISIO DATA IN SIGNVM, NON IN IVSTITIAM.

Et quòd genus muliebre circumciſionis corporalis capax nõ fuerit, ſatis oſtendit eam circumciſionem in ſignum datam eſſe, non autem vt opus iuſtitiæ.

Καὶ τὸ μὴ δύνασθαι δὲ τὸ θῆλυ γένος τὴν σαρκικὴν περιτομὴν λαμβάνειν, δείκνυσιν ὅτι εἰς σημεῖον ἡ περιτομὴ αὕτη δέδοται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔργον δικαιοσύνης.

DATA AD IVSTITIAM ÆQVE AD MVLIERES QVAM AD VIROS SPECTANT.

Omnia enim quæ ad iuſtitiam & virtutem ſpectant, ea ſic Deus ordinauit, vt à feminis peræquè ac viris ſeruari poſſint. Nam quòd corporis aliam & aliam ſpeciem in viro & muliere factam cernimus, ideo propter illam neutrũ eorum eſſe iuſtum aut iniuſtum

Τὰ γὰρ δίκαια καὶ ἐνάρετα ἅπαντα ὁμοίως καὶ τὰς θηλείας δύνασθαι φυλάσσειν ὁ Θεὸς ἐποίησεν· ἀλλὰ σχῆμα μὲν τὸ τῆς σαρκὸς ἕτερον καὶ ἕτερον ὁρῶμεν γεγενημένον ἄρρενος καὶ θηλείας· διὰ δὲ τοῦτο, οὐδὲ δίκαιον, οὐδὲ ἄδικον οὐδέτερον αὐτῶν ἐπιστάμεθα, ἀλλὰ δι' εὐσέβειαν καὶ δικαιο-

καιοσύνην.

Καὶ τοῦτο μὲν οὖν δυνατὸν ἦν ἡμῖν ἐπιδεῖξαι, ὦ ἄνδρες, ἔλεγον, ὅτι ἡ ἡμέρα ἡ ὀγδόη μυστήριόν τι εἶχε κηρυσσόμενον διὰ τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ μᾶλλον τῆς ἑβδόμης· ἀλλ᾽ ἵνα τὰ νῦν μὴ ἐπ᾽ ἄλλους ἐκτρέπεσθαι λόγους δοκῶ, συνετε, βοῶ, ὅτι τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς ἐκείνης κατήργηται, καὶ αἵματι σωτηρίῳ πεπιστεύκαμεν· ἄλλη διαθήκη τὰ νῦν καὶ ἄλλος ἐξῆλθεν ἐκ Σιὼν νόμος. Ἰησοῦς Χριστὸς πάντας τοὺς βουλομένους περιτέμνει, ὥσπερ ἄνωθεν ἐκηρύσσετο, πετρίναις μαχαίραις· ἵνα γένηται ἔθνος δίκαιον, λαὸς φυλάσσων πίστιν, ἀντιλαμβανόμενος ἀληθείας, καὶ φυλάσσων εἰρήνην· δεῦτε σὺν ἐμοὶ πάντες οἱ φοβούμενοι τὸν θεὸν, οἱ θέλοντες τὰ ἀγαθὰ Ἱερουσαλὴμ ἰδεῖν· δεῦτε, πορευθῶμεν τῷ φωτὶ κυρίου. Ἀνῆκε γὰρ τὸν λαὸν αὐτοῦ, τὸν οἶκον Ἰακώβ.

cognoſcimus, ſed propter pietatem atque iuſtitiam.

Atque illud etiam, ô viri, inquiebam, poſſem oſtēdere, diem circumciſionis octauam arcanū quoddam ſacramentum præ ſeptima habuiſſe per hæc à Deo promulgatum: ſed ne videar in præſentia in alios euagari ſermones, intelligite quod clamo: Circumciſionis illius ſanguis antiquatus eſt: & nos ſalutifero ſanguini credidimus: aliud nunc eſt teſtamentum, & alia lex de Sion exijt. IESVS Chriſtus omnes volentes circumcidit, vt priùs annunciatum eſt, cultris lapideis, vt ſit gens iuſta, populus ſeruans fidem, amplectens veritatem, & cuſtodiens pacem. Adeſte vnà mecum omnes, qui timetis Deū: qui videre vultis bona Hieruſalem: adeſte, accedamus ad lumen Domini. Liberauit enim populum ſuum, domum Iacob.

CIRCVMCISIO ABROGATA.

CIRCVMCISIO CHRISTIANORVM SPIRITVALIS FIT CVLTRO LAPIDEO, SEV VERBIS CHRISTI, QVI EST LAPIS ANGVLARIS.

Et aliquantò pòſt:

Ἐπεὶ, εἴπατέ μοι, τοὺς ἀρχιερεῖς ἁμαρτάνειν τοῖς σάββασι προσφέροντας τὰς προσφορὰς ἐβούλετο ὁ θεός; ἢ τοὺς περιτεμνομένους τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ ἐκ παντὸς περιτέμνεσθαι τοὺς γεννηθέντας ὁμοίως, κἂν ᾖ ἡμέρα τῶν σαββάτων; ἢ οὐκ ἠδύνατο πρὸ μιᾶς ἡμέρας, ἢ μετὰ μίαν ἡμέραν τοῦ σαββάτου ἐνεργεῖν τοὺς γεννωμένους, εἰ ἠπίστατο κακὸν εἶναι ἐν τοῖς σάββασιν;

IAm verò, dicite mihi, voluítne Deus Pōtifices oblationes ſuas in ſabbatis offerentes peccare? aut etiam circumciſos & circumcidentes in die ſabbatorum? dum iubet recens genitos in die octauo ſimiliter omnino circumcidi, quamuis fuerit is dies ſabbati? An non poterat vno die priùs, aut vno poſteriùs in pueris natis id efficere, ſi id malum eſſe in ſabbatis cognouiſſet?

CIRCVMCISIO IN DIE OCTAVO A NATIVITATE ETIAMSI ESSET SABBATVM.

Ac rurſus haud paullò inferiùs de vtraque circumciſione, tam ſpirituali, quàm corporali, hæc ſcribit:

Μακάριοι οὖν ἡμεῖς οἱ περιτμηθέντες πετρίναις μαχαίραις

Beatos igitur nos, qui cultris lapideis ſecunda circumciſi

ſumus

CIRCVMCISIO IVDÆORVM FIEBAT CVLTRO FERREO.

ſumus circũciſione. Prima enim illa veſtra [cul]tro & facta eſt, & fit: ſiquidem duri corde permanetis.

At noſtra circumciſio, quæ ſecunda eſt numero, poſt veſtram in medium producta, acutis lapidibus, hoc eſt, verbis Apoſtolorũ lapidis illius ſummangularis & abſque manibus abſciſſi, ab idolorum cultu, & ab omni omnino malitia nos circumcidit: quorum ita ab omni prauitate circumciſa ſunt corda, vt & gaudeamus mortem oppetentes propter nomen pulchræ petræ aquam viuam emittentis in eorum corda, qui per eum diligunt patrem vniuerſorum, & potum præbẽtis volentibus bibere aquam vitæ.

CHRISTVS, PVLCHRA PETRA.

τὴν δευτέραν περιτομήν· ὑμῶν μὲν γὰρ ἡ πρώτη, διὰ σιδήρου γέγονε καὶ γίγνεται· σκληροκάρδιοι γὰρ μένετε.

Ἡ ὑμῶν δὲ ἡ περιτμή, ἥτις δευτέρα ἀριθμῷ, μετὰ τὴν ὑμετέραν φανερωθεῖσα, διὰ λίθων ἀκροτόμων, τουτέστι, διὰ τῶν λόγων τῶν διὰ τῶν Ἀποστόλων τοῦ ἀκρογωνιαίου, καὶ τοῦ ἄνευ χειρῶν τμηθέντος, περιτέμνει ἡμᾶς ἀπό τε εἰδωλολατρείας, καὶ πάσης ἁπλῶς κακίας· ὧν αἱ καρδίαι οὕτως περιτετμημέναι εἰσὶν ἀπὸ τῆς πονηρίας, ὡς καὶ χαίρειν ἀποθνήσκοντας διὰ τὸ ὄνομα τὸ τῆς καλῆς πέτρας, καὶ ζῶν ὕδωρ ταῖς καρδίαις τῶν δι' αὐτοῦ ἀγαπησάντων τὸν πατέρα τῶν ὅλων βρυούσης, καὶ ποτιζούσης τοὺς βουλομένους τὸ τῆς ζωῆς ὕδωρ πιεῖν.

Hactenus è Iuſtino, quæ ad circumciſionem ſpectant, non omnia, ſed præcipua: quæ Tertullianus liberaliter in libro aduerſus Iudæos vindemiauit.

Tertull. lib. aduerſus Iudaos. cap. 2. & 3.

CIRCVMCISIO NON CONFERT GRATIAM.

N*Am ſi circumciſio purgat hominem,* inquit; *Deus Adam incircumciſum cùm faceret, cur eum non circumcidit, vel poſteaquam deliquit, ſi purgat circumciſio? Certè in paradiſo conſtituens eum incircumciſum, colonum paradiſi præfecit. Igitur cùm neque circumciſum, neque ſabbatizantem Deus Adam inſtituerit; conſequenter quoque ſobolem eius Abel offerentem ſibi ſacrificia, incircumciſum, nec ſabbatizantem laudauit, accepto ferens quæ offerebat in ſimplicitate cordis, & reprobans ſacrificium fratris Cain, eius qui quod offerebat, non rectè diuidebat. Noë quoque incircumciſum Deus, ſed & non ſabbatizantem, de diluuio liberauit. Nam & Enoch iuſtiſſimum non circumciſum, ſed & non ſabbatizantem de hoc mundo tranſtulit, qui necdum mortem guſtauit, vt æternitatis candidatus iam nobis oſtenderet nos quoque ſine onere legis Moyſi, Deo poſſe placere. Melchiſedech quoque ſummi Dei ſacerdos, incircumciſus & non ſabbatizans ad ſacerdotium Dei allectus eſt. Et probatus Lot frater Abrahæ, quòd pro meritis iuſtitiæ ſine legis obſeruatione de Sodomitarum incendio ſit liberatus. Sed Abraham, inquit, circumciſus eſt. Sed antè Deo placuit, quàm circumcideretur, nec tamen ſabbatizauit. Acceperat enim circumciſionem; ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogatiuam.*

ENOCH TRANSLATVS EST, ET NECDVM MORTVVS.

Et

Et infrà:

DAri enim habebat circumcisio, sed in signum, vnde Israël in nouissimo tempore dinosci habetet, quando secundum sua merita in sanctam ciuitatem ingredi prohiberetur, secundùm verba Prophetarum dicentium: Terra vestra deserta: ciuitates vestræ igni exustæ: regionem vestram in conspectu vestro alieni comedent: & deserta & subuersa à populis extraneis derelinquetur filia Sion, sicut casa in vinea, & sicut custodiarium in cucumerario, & quasi ciuitas quæ expugnatur.

Isaia cap. 1. vers. 7.

Plura in eius libro, Aduersus Iudæos, videri possunt.

De spirituali autem circumcisione cultro lapideo, ita idem Tertullianus lib. 3. Aduersus Marcionem, cap. 16.

NAm quia IESVS *Christus,* inquit, *secundum populum, quod sumus nos, nati in sæculi desertis, introducturus erat in terram promissionis lacte & melle manantem, id est, vitæ æternæ promissionem, qua nihil dulcius; idque non per Moysen, id est, per legis disciplinam, sed per* IESVM, *id est, per euangelij gratiam prouenire habebat, circumcisis nobis petrinâ acie, id est, Christi præceptis (petra enim Christus) ideo is vir, qui in huius sacramenti imagine parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus est figurâ,* IESVS *cognominatus.*

Tertull. l. 3. aduer. Marcionem, cap. 16.

CVLTER LAPIDEVS, CHRISTI DOCTRINA.

Eadem quæ Iustinus & eodem æuo docuit S. Irenæus Lugdunensis: cuius hæc sunt verba, lib. 4. Aduersus hæreses, cap. xxx.

QVoniam autem & circumcisionem, non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus: Dixit enim, inquit, Deus ad Abraham: Circumcidetur omne masculinum vestrum, & circumcidetis carnem preputij vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos.

S. Irenæus l. 4. aduersus hæreses, cap. 30.

Genesis 17. vers. 10.

Et infrà:

IN signo ergo data sunt hæc [circumcisionis & sabbati obseruatio scilicet] *non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur, sed secundùm carnem circumcisio circumcisionem præfigurabat spiritalem.*

Ad hunc locum Feu-ardentius ex vno verbo *Otiosa* nititur probare circumcisionem fuisse signum efficax gratiæ & operatorium: sed, salua eius pace, non ea vis est eius vocabuli: nec Irenæus, vbi se ipse explicat, alio indiget explicatore: explicat autem se ipse cùm subdit: *sed secundùm carnem circumcisio circumcisionem præfigurabat spiritalem.* Quasi dicat: *non fuit otiosa; quia aliquid præfigurabat: nempe corporalis spiritalem.* Deinde idem Irenæus eodem capite, paullò inferiùs, claris-

FEVARDENTII INTERPRETATIO VERBORVM S. IRENÆI REFELLITVR.

 simè

ſimè ſenſum ſuum exponit iſtis verbis: *Et quia non per hæc iuſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo, oſtendit quòd ipſe Abraham ſine circumciſione, & ſine obſeruatione ſabbatorum credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam; & amicus Dei vocatus eſt. Sed & Lot ſine circumciſione eductus eſt è Sodomis, percipiens ſalutem à Deo.* Ita ille.

Quod ſi non iuſtificatur homo per circumciſionem (vt indicat Irenæus) non eſt igitur circumciſio efficax gratiæ.

Quare hos ſecutus veteres Patres dico veriorem eam eſſe ſententiam, quæ circumciſionem non contuliſſe gratiam *ex opere operato*, vt Theologi loquuntur, aſſerit. Quam & D. Paulli doctrinæ varijs in locis, & ſenſui verborum eius longè conformiorem autumo: neque hoc tantùm, ſed & pro certa teneo.

Ac præter auctoritates & concilia huic fauentia ſententiæ (quæ apud noſtrum Vaſquez & Bellarminum videre licet) rationem S. Iuſtini paullò antè hic poſitam habeo pro optima. Nam Deus ſanè, vt optimus ac iuſtiſſimus pater, (apud quem vti non eſt acceptio perſonarum, ita neque ſexuum) bona omnia ad ſalutem noſtram facientia, feminis peræquè ac viris voluit eſſe communia, voluit eſſe facilia. Hoc & in ſacramentis nouæ legis, & in Chriſtianarum virtutum exercitijs eſt planiſſimum. Quare vt nunc temporis eadem vtrique ſexui ad iuſtificationem via conſtat & ratio; ita fuiſſe & in veteri lege cenſendum eſt: non autem maribus circumciſionem datam, per quam iuſtificarentur: feminis verò, aut nihil, aut ignotum, incertúmue quippiam: ſed vtroſque eadem facilitate, per fidem parentum aut aliorum fidelium ſibi applicatam, gratiæ diuinæ beneficio cælitus eſſe muneratos arbitrandum eſt.

Circumciſio Iudæorum cultro ferreo probatur.

Iam de inſtrumento circumciſionis, mihi ſententia Iuſtini (quòd ſcilicet cultro ferreo fieri ſolita fuerit) vel ex eo videtur certiſſima, quòd in diſputatione cum Tryphone Iudæo, viro doctiſſimo, ita illam fieri aſſeruerit; neque is quicquam, neque item comites eius contradixerint, facturi abſque dubio, ſi aliter in more vel tum vel olim fuiſſet, quàm Iuſtinus aſſerebat. Nam ſi alia quædam eius dicta, quamuis vera, tamen quia ſibi noua & inſolentia videbantur, riſu exceperunt: quanto hoc magis, de quo ipſi certi erant, (niſi ita fuiſſet, vt à Iuſtino dicebatur) riſu & ſibilo excepiſſent?

Præterea, cùm Deus in promulgatione legis de circumciſione, nihil de inſtrumento, quo illa facienda eſſet, ſanxerit; nec lapidei cultri mentionem vllam fecerit; certè liberum reliquit, vt vel ferro, vel lapide, vel alio quolibet apto inſtrumento fieret: iam autem, quòd ei rei aptiſſimum & maximè obuium eſſet ferrum; illo paſſim vſi procul dubio cenſendi ſunt: niſi ſi fortè aliquo in caſu, ſeu Deo imperante, vt Ioſue v. ſeu alio ad manum non ſuppetente, vt

Exodi

Exodi 4. necessitas ipsa ad vtendum lapideo adegerit.

Denique vsus ipse & consuetudo, optima legis interpres, sic factam & fieri solitam circumcisionem, cultro inquam ferreo, non lapideo, conuincit magis, quàm suadet.

Enimuerò penè præterieram de octauo die id adferre, quod Iustinus rectè philosophatus est: nempe illo potissimùm die præceptam esse circumcisionem, ad significandum nos in spirituali circumcisione, ab omni prauitate & errore per Christum liberari, qui die octauo à mortuis resurrexit. CIRCVMCISIONIS IN DIE OCTAVA PRÆCEPTÆ RATIO PROBABILIS.

Verba Iustini in Tryphone:

Ἡ δὲ ἐντολὴ τῆς περιτομῆς, κελεύουσα τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἐκ παντὸς περιτέμνειν τὰ γεννώμενα, τύπος ἦν τῆς ἀληθινῆς περιτομῆς, ἣν περιετμήθημεν ἀπὸ τῆς πλάνης καὶ πονηρίας, διὰ τοῦ ἀπὸ νεκρῶν ἀναστάντος τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων ἡμέρᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν.

Μία γὰρ τῶν σαββάτων πρώτη μένουσα τῶν πασῶν ἡμερῶν, κατὰ τὸν ἀριθμὸν πάλιν τῶν πασῶν ἡμερῶν τῆς κυκλοφορίας, ὀγδόη καλεῖται, καὶ πρώτη οὖσα μένει.

POrrò præceptum circumcisionis iubēs omnino circumcidi infantes octauo die, figura erat veræ circumcisionis, quâ per IESVM Christum Dominum nostrum, qui vna die sabbatorum à mortuis resurrexit, ab errore & prauitate sumus circumcisi.

Vna enim sabbatorum, prima manens dierum omnium, rursus secūdùm numerum circumactis dierum omnium spatijs octaua vocatur, & prima nihilominus manet.

Et paullò pòst, quòd illam veram & spiritualem circumcisionem per baptismum accipiamus, sic persequitur:

Καὶ ἡμεῖς, οἱ διὰ τούτου προσχωρήσαντες τῷ Θεῷ, οὐ ταύτην τὴν κατὰ σάρκα παρελάβομεν περιτομὴν, ἀλλὰ πνευματικὴν, ἣν Ἐνὼχ καὶ οἱ ὅμοιοι ἐφύλαξαν· ἡμεῖς δὲ διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτὴν, ἐπειδὴ ἁμαρτωλοὶ ἐγεγόνειμεν, διὰ τὸ ἔλεος τὸ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐλάβομεν, καὶ πᾶσιν ἐφετὸν ὁμοίως λαυβάνειν.

ET nos, qui per illum [IESVM Christū] accessimus ad Deū, non istam corporalem circumcisionem suscepimus; sed spiritualem, quam Enoch & similes custodiuerunt: nos autem, quandoquidem peccatores fueramus, per baptismum illam à Deo accepimus, estque integrum omnibus illam similiter accipere. SPIRITVALIS CIRCVMCISIO EST BAPTISMVS.

Rationem Iustini mysticam, de die circumcisionis octauo, approbat S, Augustinus lib. 16. De ciuitate Dei, cap. 26. *Quid aliud,* inquit, *circumcisio significat, quàm vetustate exutâ naturam renouatam? & quid aliud octauus circumcisionis dies præsignabat, nisi Christum, qui hebdomadâ completâ resurrexit?* Augustini l. 16. De ciuitate Dei, cap. 26.

CVR CIRCVMCISIO IMPERATA DIE OCTAVA, RATIO PROPRIA ET LITTERALIS.

Eadem ratio probatur & alijs SS. Patribus.

Litteralis autem ratio hæc eſt: quòd nimirum voluerit Deus, vt qui futuri erant è populo ſuo electo, quàm citiſſimè fieri poſſet, ei per circumciſionem velut notam propriam adſcriberentur: cùm autem ante diem octauum natiuitatis, ob vitæ periculum, id fieri non poſſet; ipſum diem octauum, qui primus corroborato iam infante vacare periculo videbatur, illi circumcidendo aſſignauit.

Ariſtoteles ſanè multos infantium ante diem vitæ ſeptimum interire ſcribit, ac propterea impoſitionem nominis in eum diem differri, quaſi tum infantis ſalus magis ſperetur. Verba Ariſtotelis lib. VII. *De hiſtoria animalium* ſunt hæc: Τὰ πλεῖστα βρέφη ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται. *Plurimi infantes intereunt, ante ſeptimam diem: ac propterea tum nomina imponuntur.*

Ariſtoteles lib. 7. De hiſtoria animalium.

Dicet aliquis: Poterat ergo die ſeptimâ fieri circumciſio, quandoquidem ex Ariſtotelis ſententia videatur infans dies periculoſos pertranſiſſe.

Reſpondeo nihil ſequi aliud ex Ariſtotele, quàm infantem die ſeptima dies quidem periculoſiſſimos pertranſiſſe: (hoc enim indicat, quod ait plurimos ante eam diem interire) ſed non periculoſos; cùm ipſe dies ſeptimus multis quoque ſit periculoſus, decidente tũc in pleriſque vmbilico. Quod & Plutarchus in *Quæſtionibus Romanis* teſtatur, quæſt. 102. vbi quærit, cur Romani nomina imponerent, maribus quidem nono die, feminis autem octauo; & inter alia dicit in vtriſque accipi dies poſt ſeptimam, quòd ſeptima recenter natis ſit periculoſa, his verbis: Τῶν δὲ ἡμερῶν τὰς μετὰ τὴν ἑβδόμην λαμβάνουσιν· ἡ γὰρ ἑβδόμη σφαλερὰ τοῖς νεογνοῖς πρός τε τὰ ἄλλα καὶ τὸν ὀμφαλόν· ἑβδομαῖος γὰρ ἀπολύεται τοῖς πλείστοις· ἕως δὲ ἀπολυθῇ, φυτῷ μᾶλλον ἢ ζώῳ προσέοικε τὸ νήπιον. *Dierum*, inquit, *eam accipiunt, quæ eſt poſt ſeptimam. Septima enim periculoſa eſt infantibus, cùm alijs de cauſſis, tum quòd ea die vmbilicus plerı́ſque decidat: donec autem deciderit, plantæ ſimilior eſt infans, quàm animali.* Ita ille.

Plutarchus in Quæſtionibus Rom. q. 102.

Adde verò, quòd tametſi ſeptima dies minùs per ſeſe eſſet periculoſa, quàm præcedentes; cùm ſcilicet nihil extrinſecus accideret mali; tamen cùm ad illam vulnus & dolor è circumciſione accederent, fieret ſanè ea dies haud paullò quàm ſuperiores periculoſior. At dies octaua citra controuerſiam, vt tutior ad vitam, ſic ad plagam ſuſtinendam eſt valentior,

Reſtant modò è S. Iuſtini documentis duo dumtaxat non ſpernendi operæ precij, immo verò ad omnes vitæ actus exactè dirigendos longè maximi: quæ vnico complectar capite.

CA-

CAPVT XXIII.

Attentio præsentiæ Dei, & nouißimorum hominis consideratio.

De his iunctim agit Iustinus in Apologia ad Antoninum Pium, propterea & iunctim hic proponam. Sunt autem ista duo ad vitam cælo dignam apprimè necessaria: vnum, vt à terra & sordibus peccatorum releuemur; alterum, vt de virtute in virtutem eamus, & conuersemur in cælo.

Verba S. Iustini:

Καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες βασιλείαν προσδοκῶντας ἡμᾶς, ἀκρίτως ἀνθρώπινον λέγειν ἡμᾶς ὑπειλήφατε, ἡμῶν τὴν μετὰ θεοῦ λεγόντων· ὡς καὶ ἐκ τοῦ ἀνεταζομένους ὑφ' ὑμῶν ὁμολογεῖν εἶναι Χριστιανοὺς, γινώσκοντες τῷ ὁμολογοῦντι θάνατον τὴν ζημίαν κεῖσθαι, φαίνεται.

Εἰ γὰρ ἀνθρώπινον βασιλείαν προσεδοκῶμεν, κἂν ἠρνούμεθα, ὅπως μὴ ἀναιρώμεθα, καὶ λανθάνειν ἐπειρώμεθα, ὅπως τῶν προσδοκωμένων τύχωμεν· ἀλλ' ἐπεὶ οὐκ εἰς τὸ νῦν τὰς ἐλπίδας ἔχομεν, ἀναιρούντων οὐ πεφροντίκαμεν, τοῦ καὶ πάντως ἀποθάνειν ὀφειλομένου.

Ἀρωγοὶ δ' ὑμῖν καὶ σύμμαχοι πρὸς εἰρήνην ἐσμὲν πάντων μᾶλλον ἀνθρώπων, οἳ ταῦτα δοξάζομεν, ὡς λαθεῖν Θεὸν, κακοεργὸν, ἢ πλεονέκτην, ἢ ἐπίβουλον, ἢ ἐνάρετον, ἀδύνατον εἶναι, καὶ ἕκαστον ἐπ' αἰωνίαν κόλασιν ἢ σωτηρίαν κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων πορεύεσθαι.

Εἰ γὰρ οἱ πάντες ἄνθρωποι ταῦτα ἐγίνωσκον, οὐκ ἄν τις τὴν κακίαν πρὸς ὀλίγον ᾑρεῖτο, γινώσκων πορεύεσθαι ἐπ' αἰωνίαν διὰ πυρὸς καταδίκην, ἀλλ' ἐκ παντὸς τρόπου ἑαυτὸν συνεῖχε, καὶ ἐκόσμει ἀρετῇ· ὅπως τῶν παρὰ τοῦ θεοῦ τύχῃ ἀγαθῶν, καὶ τῶν κολαστηρίων

Et cùm audistis regnum à nobis exspectari, nos de terreno loqui temere estis arbitrati: cùm de regno Dei loquamur: vt ex ijs patet, qui à vobis interrogati Christianos se esse profitentur, cũ id professis propositam esse mortis pœnam cognoscatis. TERRENI TERRENA SAPIVNT.

Nam si humanum aliquod regnum exspectaremus, tum & inficiaremur, ne periremus; & latere studeremus, vt speratis frueremur: nunc autem cùm in rebus præsentibus spem nõ habeamus, percussores nil moramur: siquidem omnino moriendum est. SPES CÆLI CAVSSA FORTITVDINIS ET NEGLECTVS MORTIS.

Pacis verò, præ omnibus mortalibus, vobis adiutores & fautores sumus: quippe qui tenemus nec maleficum, nec auarum, nec insidiatorem, nec virtute præditum latere Deum posse, & vnumquemque pro actionum meritis ad æternam vel pœnam vel salutem emigrare.

Nam si hæc mortales omnes cognoscerent; nemo profectò vnus vel ad breue tempus malitiã eligeret, sciens ad æternam ignis condemnationem se tendere: sed potiùs omni modo se cõtineret, ac virtute ornaret: quò & bona à NOVISSIMORVM COGNITIO EFFICACISSIMA EST A PECCATIS ABSTRACTIO.

Deo consequi, & supplicia quiret amoliri.

ἀπηλλαγμένος εἴη.

Nec enim propter statutas à vobis leges atque pœnas, latere contendunt, qui iniustè agunt: sed quòd homines vos esse, & falli posse sciant, propterea iniustè agunt.

Οὐ γὰρ διὰ τοὺς ὑφ' ὑμῶν κειμένους νόμους καὶ κολάσεις πειρῶνται λανθάνειν ἀδικοῦντες· ἀνθρώπους δ' ὄντας λανθάνειν ὑμᾶς δυνατὸν ἐπιστάμενοι ἀδικοῦσιν.

DEI PRÆSENTIA.

Atqui si nôssent ac persuasum haberent nihil posse Deum latere, non factorum modò, sed ne cogitatorum quidem; sanè vel ob impendentes pœnas omnino in officio essent, vt & ipsi assentiemini.

Εἰ ἔμαθον δὲ καὶ ἐπείσθησαν Θεὸν ἀδύνατον εἶναι λαθεῖν τι, οὐ μόνον πραττόμενον, ἀλλὰ καὶ βουλευόμενον, κἂν διὰ τὰ ἐπικείμενα ἐκ παντὸς τρόπου κόσμιοι ἦσαν, ὡς καὶ ὑμεῖς συμφήσετε.

Ita Iustinus. Adeo nimirum vir ille sanctissimus in perpensa Dei præsentia, & nouissimorum consideratione, plurimum in vtramque partem, siue ad vitium declinandum, siue ad virtutem sectandam, statuebat esse momenti.

Nec aliter de ijsdem aut sensit aut scripsit magnus ille Athenagoras, qui in sua pro Christianis ad Impp. M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum legatione, talibus inter alia verbis vsus est:

Verba Athenagoræ.

Athenagoras in legat. ad Imp.

AN verò, nisi Deum præsidere generi humano arbitraremur, adeo puritati studeremus? Nequit hoc dici.

Ἆρα τοίνυν, εἰ μὴ ἐφεστηκέναι θεὸν τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει ἐνομίζομεν, οὕτως ἂν ἑαυτοὺς ἐξεκαθαίρομεν; οὐκ ἔστιν εἰπεῖν.

Verùm quando id nobis persuasum est, Deo qui & nos & mundum condidit, totius hic actæ vitæ reddendam nobis esse rationem: hinc moderatam & benignam & facilè despicabilem vitam eligimus. rati scilicet nullum nos tantum passuros malum, tametsi vita ipsa eripiatur, quanta sunt illa bona, quę illic à magno Iudicę ob mansuetam & benignã & modestam vitã reportabimus.

SPES BONORVM ÆTERNORVM.

Ἀλλ' ἐπεὶ πεπείσμεθα ὑφέξειν παντὸς τοῦ ἐνταῦθα βίου λόγον τῷ πεποιηκότι καὶ ἡμᾶς καὶ τὸν κόσμον θεῷ, τὸν μέτριον καὶ φιλάνθρωπον καὶ εὐκαταφρόνητον βίον αἱρούμεθα· οὐδὲν τηλικοῦτον πείσεσθαι κακὸν ἐνταῦθα νομίζοντες, κἂν τῆς ψυχῆς ἡμᾶς ἀφαιρῶνταί τινες, ὧν ἐκεῖ κομιούμεθα πρᾴου καὶ φιλανθρώπου καὶ ἐπιεικοῦς βίου παρὰ τοῦ μεγάλου δικαστοῦ.

Plato quidem homines improbos à Minoë & Radamantho iudicatum & condemnatum iri

Πλάτων μὲν οὖν Μίνω καὶ Ῥαδάμανθον δικάσειν καὶ κολάσειν τοὺς πονηροὺς ἔφη· ἡμεῖς δὲ κἂν Μίνως τις, κἂν Ῥαδα-

Ῥαδάμανθος ἦ, κἂν ὁ τούτων πατὴρ, οὐδὲ οὗτόν φαμεν διαφεύξεσθαι τὴν κρίσιν τοῦ θεοῦ.

pronuntiauit: nos verò, neque si Minos aliquis fuerit, aut Radamanthus, aut horum pater, illum effugiturum esse Dei iudicium asserimus.

IVDICIVM DEI INEVITABILE.

Sed ibidem infrà ad eosdem Imp. clarius atque expreßius:

Συνίσει γὰρ πάντας ὑπερφέροντες, οἷς ὁ βίος ὡς πρὸς στάθμην τὸν θεὸν κανονίζεται, ὅπως ἀνυπαίτιος καὶ ἀνεπίληπτος ἑκάστου ἡμῶν ἄνθρωπος αὐτῷ μένοιτο, ἴστε τούτους μηδ᾽ εἰς ἔννοιάν ποτε τοῦ βραχυτάτου ἐλευσομένους ἁμαρτήματος.

Scitis enim vos, qui intelligentia cunctos anteitis, eos, quorum vita ad Deum tanquam ad normam ita dirigitur, vt se quisque inculpatum atque innoxium præstet, ne in breuissimi quidem delicti cogitationem aliquando esse venturos.

Εἰ μὲν γὰρ ἕνα τὸν ἐνταῦθα βίον βιώσεσθαι πεπείσμεθα, κἂν ὑποπτεύειν ἐνῆν δουλεύοντας σαρκὶ καὶ αἵματι, ἢ κέρδους, ἢ ἐπιθυμίας ἐλάττους γενομένους, ἁμαρτεῖν· ἐπεὶ δὲ ἐφεστηκέναι μὲν οἷς ἐννοοῦμεν, οἷς λαλοῦμεν, καὶ νύκτωρ καὶ μεθ᾽ ἡμέραν τὸν θεὸν οἴδαμεν· πάντα δὲ φῶς αὐτὸν ὄντα, καὶ τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν ὁρᾶν πεπείσμεθα· καὶ τοῦ ἐνταῦθα ἀπαλλαγέντες βίου, βίον ἕτερον βιώσεσθαι ἀμείνονα ἢ κατὰ τὸν ἐνθάδε, καὶ ἐπουράνιον, οὐκ ἐπίγειον· ὡς ἂν μετὰ θεοῦ καὶ σὺν θεῷ ἀκλινεῖς καὶ ἀπαθεῖς τὴν ψυχὴν, οὐχ ὡς σάρκες, κἂν ἔχωμεν, ἀλλ᾽ ὡς οὐράνιον πνεῦμα μενοῦμεν· ἢ συγκαταπίπτοντες τοῖς λοιποῖς χείρονα καὶ διὰ πυρός.

Si enim solam hanc vitam nos victuros crederemus: liceret suspicari, nos carni & sanguini seruientes, vel auaritia, vel concupiscentia victos delinquere: iam autem Deum cogitatis nostris atque dictis & noctu & interdiu adesse præsentẽ scimus: eúmque totum esse lucem, & cordis nostri penetralia intueri credimus: sed & vitâ hac defunctos vitam alteram ea meliorem, & cæleste͂, non terrenam esse victuros: (vt cum Deo & per Dei gratiam immutabiles, & secundùm animam impatibiles, nõ vt caro, etsi eam circumferamus, sed vt spiritus cælestis maneamus) aut cum reliquis decidentes, deteriorem & in igni victuros.

SPES ALTERIVS VITÆ.

DEI PRÆSENTIA ET INSPECTIO.

Οὐ γὰρ καὶ ἡμᾶς, ὡς πρόβατα ἢ ὑποζύγια, πάρεργον καὶ ἵνα ἀπολοίμεθα καὶ ἀφανισθείημεν, ἔπλασεν ὁ θεός.

Neque nos enim, vt pecora aut iumenta, obiter, & vt pereamus atque aboleamur, efformauit Deus.

ANIMÆ IMMORTALITAS.

Ἐπὶ τούτοις οὐκ εἰκὸς ἡμᾶς ἐθελοκακεῖν, οὐδ᾽ ἑαυτοὺς τῷ μεγάλῳ παραδιδόναι κολασθησομένους δικαστῇ.

Quare haud est æquum, vt nostrâ sponte mala sectemur, aut nos ipsos magno iudici dedamus puniendos.

Huc

Huc vſque Athenagoras. Alijs porrò pluribus in locis, eorundem extremorum, iudicij ſcilicet, inferni, & æternæ beatitudinis, itemque Dei omnia intuentis mentionem tam hic, quàm Iuſtinus inducit. Quod & alios Chriſtianos vulgò factitaſſe, argumento eſt illa Cæcilij apud Minucium Felicem obiectio:

Minucius Felix in Octauio in perſona Gentilis.

AT etiam Chriſtiani, inquit, *quanam monſtra, qua portenta confingunt? Deum illum ſuum, quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere, diſcurrentem ſcilicet, atque vbique præſentem, moleſtum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curioſum: ſiquidem aſtat factis omnibus locis omnibus intererrat: cùm nec ſingulis inſeruire poßit per vniuerſa diſtractus, nec vniuerſis ſufficere in ſingulis occupatus.*

Cui Octauius partes gerens Chriſtiani, obſeruato rerum obiectarum ordine, ſic reſpondet.

I. OBIECTIO ET RESPONSIO.

PRÆSENTIA DEI.

AT enim, quem colimus Deum, nec oſtendimus, nec videmus. Immo ex hoc Deum credimus, quòd eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus virtutem eius ſemper præſentem aſpicimus; cùm tonat, fulgurat, fulminat, cùm ſerenat. Nec mireris, ſi Deum non vides. Vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur; & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus: ſolem adeo, qui videndi omnibus cauſſa eſt, videre non poſſumus: radijs acies ſubmouetur: obtutus intuentis hebetatur; & ſi diutius inſpicias, omnis viſus extinguitur. Qui ipſum ſolis artificem, ipſum luminis fontem poßis ſuſtinere, cùm te ab eius fulgoribus auertas, à fulminibus abſcondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cùm ipſam animam tuam, qua viuificaris & loqueris, nec aſpicere poßis, nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat, & in cælo conſtitutus non poteſt, aut omnes obire, aut ſingulos nôſſe. Erras, ô homo, & falleris. Vnde enim Deus longè eſt, cùm omnia cæleſtia, terrenáque, & qua extra iſtam orbis prouinciam ſunt, Deo cognita plenè ſint? Vbique non tantùm nobis proximus, ſed infuſus eſt. In ſolem adeo rurſus intende: cælo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt: pariter præſens vbique intereſt, & miſcetur omnibus (nuſquam enim claritudo violatur) quanto magis Deus auctor omnium, ac ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt, intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris? Non tantùm ſub illo agimus; ſed cum illo, vt propè dixerim, viuimus.

II. OBIECTIO ET RESPONSIO.

Ita ille. Eandem à ſole ſimilitudinem vſurpauit B. Clemens Alexandrinus, libro VII. Stromatum, non procul ab initio, his verbis:

Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum.

Ὅνπερ γὰρ τρόπον ὁ ἥλιος οὐ μόνον τὸν οὐρανὸν καὶ τὸν ὅλον κόσμον φωτίζει, γῆν τε καὶ θάλασσαν ἐπιλάμπων· ἀλλὰ καὶ διὰ θυρίδων καὶ μικρᾶς ὀπῆς, πρὸς τοὺς μυχαιτάτους οἴκους ἀποστέλλει τὴν αὐγήν· οὕτως ὁ λόγος πάντη κεχυμένος καὶ τὰ σμικρότατα τῶν τοῦ βίου πράξεων ἐπιβλέπει. *Quemadmodum*

modum ſol non modò cælum & orbem vniuerſum illuminat, terram & mare colluſtrans, ſed per feneſtras quoque & exiguum foramen, in abditiſſimos ædium receſſus ſplendorem emittit: ſic Verbum quoquouerſus diffuſum vel minimas vitæ actiones reſpicit.

Habet idem Clemens & alia in hanc materiam admodum pulchra, quæ commodius ad vitam eius differentur. Verùm D. Leonis magni locum perilluſtrem hic non præteribo. Is ſerm. v. De quadrageſima, de ijs agens, qui rariuſculè ſuam extergunt conſcientiam, *Quos*, inquit, *caritate debitâ commonemus, vt non ideo ſibimet blandiantur, quia nobis conſcientiæ ſingulorum patere non poſſũt: cum oculos Dei ſimul vniuerſa cernentis, non abdita locorum, non parietum ſepta concludãt: nec ſolùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda ſint cognita. Iſta ergo ſcientia ſummi Iudicis, iſte eſt tremendus aſpectus; cui peruium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum: cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur.* Ita ille. *S. Leo Papa ſer. 5. De quadrageſima.*

Vide etiam caput xv. hìc ſuprà, vbi Iuſtinus in Apologia ad Antoninum Imp. & liberos, illis Dei iudicium & extremas pœnas, nì ab infeſtandis deſiſtant Chriſtianis, intrepidè comminatur.

Hactenus præcipua è Iuſtino documenta: quæ ſcilicet ad fidem, pietatémue firmandam, maioris viſa ſunt eſſe momenti: nunc ad ſacras Orientalis Eccleſiæ tabulas, & nonnulla ſanctorum martyrum ſingularia è Græcorum Menæo elogia tranſeamus.

CAPVT XXIV.

Menæi Græcorum, de S. Iuſtino & ſocijs martyribus ſacra tabula.

OPeræ duxi precium poſt vitam & virtutes & documenta S. Iuſtini, ea quæ nobis ad eorundem confirmationem è Menæo ſuppetunt, tam græcè ex editione Veneta, quàm latinè è noſtra interpretatione, quando nullus dum interpres exſtat alius, hoc loco ſubiungere.

Cùm autem ibi contineantur tam martyrij ipſorum compendia, (& primò quidem S. Iuſtini ſingulatim, deinde illius & ſociorum generatim) quàm eorundem varia, iam de illo, iam de omnibus ſacra elogia; ſtatui hunc ordinem ſequi, vt priùs attingam ea, quæ propria S. Iuſtini ſunt, deinde quæ omnibus communia.

Igitur ad Calendas Iunij ſic de illo:

Εἰς τὴν α· μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου.

Ἰουστῖνον κώνειον ἦρεν ἐκ βίου·

CAlendis Iunij, memoria ſancti Martyris Iuſtini Philoſophi.

Cicuta mortem ſæua Iuſtino attulit:

O, qui

O, qui dederunt, ebibissent si priùs!

Ὡς εἴθε πρῶτον αὐτὸ πιεῖν δεδωκότας.

Πρώτῃ Ἰουνίου Ἰουστῖνον ἐλλεβορίζει.

Iustinum Iuni persanauere Calendæ.

ERat hic è Flauia Syriæ, Prisci Bacchij filius. Profectus autē Romam, imperatori Antonino, contra idolorum errorem, & pro fide atque professione Christiana, libellos obtulit: in quibus, perspicuis demonstrationibus hac quidem roborauit, illā verò subuertit. Inuidiā porrò Crescentis Philosophi, multis priùs tormentis obiectus, enecatur. Is vitæ puritate atque innocentiâ ad virtutis fastigium peruenit: adeóque omni sapientiâ plenus, tam diuinâ, quàm humanâ, libros sanè doctissimos atque vtilissimos cūctis fidelibus reliquit. Eximiam enim lecturis cognitionem afferent.

Οὗτος ἦν ἀπὸ Φλαβίας τῆς Συρίας, υἱὸς Πρίσκου τοῦ Βακχίου. Ἐλθὼν δὲ ἐν Ῥώμῃ, Ἀντωνίνῳ τῷ βασιλεῖ, κατὰ τῆς πλάνης τῶν εἰδώλων, καὶ ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως καὶ ὁμολογίας λιβέλλους ἐπιδέδωκε· τὴν μὲν κρατύνων, τὴν δὲ καθαιρῶν, γραφικαῖς ἀποδείξεσι· φθονηθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ φιλοσόφου Κρήσκεντος, ἀναιρεῖται πολλαῖς πρότερον βασάνοις καθομιλήσας· Οὗτος διὰ τὸ καθαρὸν τοῦ βίου, καὶ ἀκατάγνωστον, εἰς ἄκρον ἀρετῆς ἐλάσας, σοφίας τε πάσης ἔμπλεως γεγονὼς, τῆς τε θείας καὶ ἀνθρωπίνης, καταλέλοιπε πᾶσι τοῖς πιστοῖς συντάγματα πάσης σοφίας καὶ ὠφελείας γέμοντα· ὑπερφυῆ γὰρ τὴν γνῶσιν τοῖς ἐντευξομένοις παρέξουσι.

Hæc de S. Iustini martyrio speciatim: post quæ hæc subduntur de illo & socijs generatim ad eandem diem.

EAdem die, Sanctorum Martyrum, Iustini, Charitonis, Charitinæ, Euelpisti, Hieracis, Peonis, & Valleriani.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἰουστίνου, Χαρίτωνος, Χαρίτους, Εὐελπίστου, Ἱέρακος, Πέωνος, καὶ Βαλλεριανοῦ.

Hi sancti Romæ decertarunt sub Rustico Præfecto, & post multa tormenta capitibus truncati sunt. Fertur autem Præfectus ante obtruncationem dixisse Iustino: *Putatísne vos de medio sublatos in cælum conscensuros, & bona quapiam recepturos?* hic verò respondisse: *Nō putamus quidem sanè, sed certò scimus nos confestim bona remuneratione ac beneficentia exceptum iri.* Atque ita capitibus truncati sunt.

Οὗτοι οἱ ἅγιοι ἤθλησαν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Ῥουστικοῦ τοῦ ἐπάρχου, καὶ μετὰ πολλὰς βασάνους τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. Λέγεται δὲ περὶ τῆς ἐκτομῆς εἰπεῖν τῷ ἁγίῳ Ἰουστίνῳ τὸν ἔπαρχον· Εἰ οἴεσθε ἀναιρεθέντες εἰς οὐρανοὺς ἀνελθεῖν ἀγαθά τινα ληψόμενοι; Τὸν δὲ μὴ οἴεσθαι εἰπεῖν, ἀλλὰ πληροφορίαν ἔχειν, ὡς αὐτίκα ἡμᾶς χρησαί τινες ἀντιδόσεις καὶ φιλοφροσύναι ἐκδέξονται. Καὶ οὕτω τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν.

Hæc ibi de martyrijs: nunc ad elogia eodem, quo in martyrijs, seruato ordine.

Elogia

Elogia de S. Iustino, & socijs martyribus.

1. Στερέωμα Χριστὸν ἐν τῇ καρδίᾳ σου περιφέρων, ἀνδρείως ἀντεκατέστης, Ἰουστῖνε, τῷ δικάζοντι ἀνομεῖν παρανόμως σε προστάττοντι.

1. Christum in corde tuo firmamentum gerens, Iustine, Iudici iniqua agere iniquè imperanti viriliter restitisti.

2. Πνεύματος θείου πλησθεὶς, τῆς πονηρίας τὰ δεινὰ πνεύματα, ταῖς ὀχετοῖς, μάρτυς, τῶν αἱμάτων τῶν σῶν, Ἰουστῖνε, ἀπέπνιξας μάκαρ, ἀθλήσας στερρότατα.

2. Diuino repletus Spiritu, ô beate martyr Iustine, immanes spiritus nequitiæ, sanguinis tui riuulis, constantissimè decertans, præfocasti.

3. Σοφίᾳ θεοῦ Ἰουστῖνος ὁ σοφὸς κεκοσμημένος τὴν τῶν ἑλλήνων ἀπεμώρανε φιλοσοφίαν ἐν χάριτι, πείσας προσκυνεῖν τριάδα ὀρθοδόξως κραυγάζοντας· Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

3. Dei sapientiâ exornatus Iustinus ille sapiēs, Gentilium philosophiam gratię subsidio fatuam ostendit, cultúmque Trinitatis persuasit, cùm fide recta clamantibus: Benedictus es Deus Patrū nostrorum.

4. Πέων ὁ γενναῖος ἀθλητὴς, Βαλλεριανὸς, Χαρίτων, καὶ Χαριτὼ σὺν αὐτῷ, θεῖος Ἰουστῖνός τε, καὶ Εὐέλπιστος, καὶ Ἱέραξ ὁ ἔνδοξος, στολὴν ἐξ αἱμάτων, θείαν ἐπιχρώσαντες καὶ στολισάμενοι, ἅμα τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων, ἐν τοῖς οὐρανοῖς μετ' Ἀγγέλων τῷ παμβασιλεῖ Χριστῷ παρίστανται.

4. Peon generosus ille athleta, & Vallerianus, & Chariton, & cū illo vnà Charito [siue Charitina] & diuinus Iustinus, & Euelpistus, & Hierax ille gloriosus, diuinâ stolâ suis imbutâ sanguinibus induti, Domino vniuersorum in cęlo vnà cum Angelis Christo Regi simul assistunt.

5. Ἰουστῖνος, Χαρίτων, Πέων, Εὐέλπιστος, Χαριτὼ, καὶ Ἱέραξ, καὶ ὁ Βαλλεριανὸς, οἱ φαιδροὶ, οἱ αὐγάζοντες τὰ πληρώματα τῆς γῆς, ταῖς φρυκτωρίαις τῶν αὐτῶν ἀγώνων μεγαλοφρόνων, εὐφημείσθωσαν πάντες, Χριστῷ πρεσβεύοντες εἰς τὸ σωθῆναι ἡμᾶς.

5. Iustinus, Chariton, Peō, Euelpistus, Charito, & Hierax, & Vallerianus, illa prælustria luminaria, qui vniuersam terram, magnificis suis certaminibus faces prælucendo, collustrant; laudibus cuncti celebrētur, pro salute nostra Christum deprecantes.

6. Ἰουστίνου, Χαρίτωνος, καὶ Χαριτοῦς, καὶ Πέωνος τοὺς ἄθλους τῶν ἀγγέλων τάγματα κατεπλάγησαν· Εὐελπίστου, Ἱέρακος, καὶ Βαλλεριανοῦ τῶν ἀκλινῶν μαρτύρων τὴν ἀνδρείαν, οἱ τοῦ σκότους ἄρχοντες ἐπτοήθησαν.

6. Iustini, Charitonis, & Charitus, & Peonis certamina, ipsi Angelorum ordines demirati sunt: Euelpisti, Hieracis, & Valleriani constantissimorum Martyrū fortitudinem ipsi principes tenebrarum obstupuerunt.

7. Εὐελπίστου, Ἱέρακος, τῶν ἀκλινῶν

7 Euelpisti, Hieracis, inuictorum

rum martyrum virtute rectores tenebrarum conſternati ſunt.

Simul cum ſapiente Iuſtino concelebrentur Charito, Peon, Chariton, & magnus ille Hierax vnà cum Valleriano, qui certando errorem depreſſerunt, & choris Angelorum adiuncti ſunt.

Vos ad æternam properantes vitam, ô ſapientes martyres, cuncti vnanimi conſenſu ceruices generoſa mẽte, velut oblatæ Deo victimæ, gladio inclinaſtis.

Iuſtini ſapientiam, Charitûs fortitudinem, Charitonit veram fiduciam, Peonis & Hieracis generoſa certamina, & Valleriani ad horrenda ſupplicia ingens robur Angeli admirati ſunt.

μαρτύρων τὴν ἀνδρείαν οἱ τοῦ σκότους ἄρχοντες ἐπτοήθησαν.

Σὺν Ἰουστίνῳ τῷ σοφῷ ἀνυμνείσθω Χαριτὼ, Πέων, Χαρίτων, καὶ Ἱέραξ ὁ μέγας σὺν τῷ Βαλλεριανῷ, ἀθλήσει τὴν πλάνην μειώσαντες, καὶ ταῖς τῶν ἀγγέλων χορείαις συναφθέντες.

Πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν ἐπειγόμενοι σοφοὶ, γενναιοφρόνως τὸν αὐχένα τῷ ξίφει ἐν ὁμονοίᾳ ψυχῆς, οἱ πάντες ἐκλίνατε μάρτυρες, θύματα καθάπερ θεῷ προσαναχθέντες.

Τὴν Ἰουστίνου σοφίαν, Χαριτοῦς ἀνδρείαν, Χαρίτωνος τὴν τόλμαν ἀληθῆ, Πέωνός τε, καὶ Ἱέρακος τοὺς γενναίους ἀγῶνας, καὶ Βαλλεριανοῦ πρὸς τὰ δεινὰ τὴν πολλὴν καρτερίαν οἱ ἄγγελοι ἐθαύμασαν.

Hactenus è Menæo, ad Iuſtini & ſociorum laudem iſta è pluribus ſelecta ſint, & velut corollarium è græcæ pietatis penu deprompta. Quibus quidem cum eà, quam ſcripſi, vità collatis, liquidò, vt opinor, apparet non duos eſſe Iuſtinos, vnum Philoſophum veneno ſublatum; alterum martyrem gladio truncatum; ſed vnum eundémque, in quo & philoſophi ſcientia, & martyris fuerit fortitudo. Nam quod de cicuta, ſeu veneno illi propinato, in ſenarijs illis productum eſt, ad inuidiæ venenum in Creſcente Cynico æſtuantis, atque ad necem Iuſtino adferendam inflammantis, haud dubiè referendum eſt. Quod & ſubiecta ibidem ſoluta oratio clariſſimè exprimit. Neque item Aponij verba, quibus Iuſtinum ab improbis Philoſophis callidè in ſecreto vocatum atque ab ijs interfectum memorat, aliorſum diuertenda ſunt. In ſecreto enim eum adorti ſunt; ſed conſutis argumentorum dolis: in publico autem, animis quidem ſuis, ſed alienis manibus occiderunt.

Et ſanè hoc ipſum eſt, quod præter alios, etiam Photius ſatis apertè innuit; dum à Cynico inſidioſè accuſatum, eas inſidias generosè & conuenienter omni vitæ ſuæ inſtituto pertuliſſe ſcribit. Nam hac, vt idem ait, martyrij anſa vſus, ſplendido ac læto animo mortem pro Chriſto excepit. Et Cod. CCXXXI. agens de Sophronij Patriarchę Hieroſolymitani epiſtolâ ſynodicâ, inter alios, qui duplicem in Chriſto Deo operationem ante illam ſynodum prædicarunt, ita Iuſtinum recenſet, ſiue ſuis, ſiue ipſius Sophronij verbis: Καὶ Ἰουστῖνος ὁ μαρτυρικοῖς

χοῖς αἵμασι βεβαιώσας τὸ φιλόσοφον. Et Iustinus, qui sanguine martyrij philosophiam suam confirmauit.

Denique ex ipso Rustico Præfecto res liquet, sub quo isti martyres cæsi sunt, & sub quo item cæsum Iustinum Philosophum scribit Epiphanius, hæresi 26. his verbis: Οὗτος γὰρ ὁ Ἰουστῖνος Σαμαρείτης ἦν τὸ γένος, εἰς Χριστὸν πεπιστευκὼς, καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς, ἀρετῆς τε βίον ἐνδειξάμενος, τὸ τέλος ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσας, τελείου στεφάνου κατηξίωται, ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥουστικοῦ ἡγεμόνος, καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ. *Hic enim Iustinus Samarites fuit genere* [1. patria] *& Christi fidem amplexus, valdéque in ea exercitatus, post vitam ex virtute præclarè actam, tandem in Romano territorio, morte pro Christo affectus, perfectâ coronâ dignatus est sub Rustico Præfecto, & Hadriano Imp. cùm annorũ esset triginta, in cõstanti ætate.* Ita Epiphanius.

S. Epiphanius hæresi 26.

Vbi notandum irrepsisse errorem, cùm pro M. Aurelio Antonino nominatur Hadrianus, (de quo fusiùs in notationibus ad caput primum vitæ) in quem errorem etiam doctissimus Pamelius, imprudens incidit. Nam in suis annotationibus ad librum Tertulliani, de Præscriptionibus, cap. 52. vbi ista habet Tertullianus: *His hæreticus omnibus accedit Tatianus quidam, alter hæreticus: hic Iustini martyris discipulus fuit: post hunc diuisa sentire cœpit:* Ipse ad eum locum, agens de tempore quo floruit Tatianus, dum vult errorem corrigere Philastrij dicentis eum floruisse *post Decij persecutionem*, incidit in errorem Epiphanij: quippe necdum à quoquam indicatum, nec à se animaduersum. Ita enim scribit: *Vbi cum tempora, quibus vixit, significet, sub Antonino; necesse est mendum esse in Philastrio illud: post Decij persecutionem: pro quo legendum censeo, Hadriani. Nam sub illo passum B. Iustinum martyrem testis est, præter alios, etiam Epiphanius.* Ita Pamelius: qui bene quidem Philastrij erratum animaduertit, sed non Epiphanij. Quòd si alij quoque, vt indicat, sub Hadriano passum esse Iustinum tenuerunt; verisimile est eos quoque auctoritatem Epiphanij secutos, siue potiùs loci apud eum corrupti, in istum errorem prolapsos.

ERROR EPIPHANII.

ERROR PAMELII.

PHILASTRII ERROR DE ÆTATE TATIANI.

Quare & locus Epiphanij corrigendus, vt modò indicauimus; nempe, vt loco illius: *Hadriano Imp.* restituatur: *M. Aurelio Antonino Imp.* & tota correctio Pamelij delenda, vel certè loco *Hadriani* reponendum similiter: *M. Aurelij Antonini.* ne fortè & alij, qui hos legent, nec examinabunt (vt ferè fit à multis) similiter prolabantur.

LOCVS S. EPIPHANII EMENDATVS.

ITEM PAMELII IN TERTVLLIANVM.

Nota etiam obiter, meliùs latinè *Hadrianum* legi quàm *Adrianum*, licet Græci sine adspiratione scribant. Sic enim omnes inscriptiones antiquæ nos docent. Quis autem fuerit Rusticus ille, (de quo hic Menæum, & Acta martyrij) qualisue, & quantæ auctoritatis, habemus è profanis auctoribus satis liquidò cognoscere. Siquidem & Fasti Consulares, & Iulius Capitolinus, & ipse M. Antoninus Philosophus Imp. vt alios taceam, eius, quantum nobis satis est, meminerunt.

RVSTICVS PRÆFECTVS SVB QVO PASSVS S. IVSTINVS, QVIS FVERIT.

nerunt. Vocatus est igitur, Q. Iunius Rusticus, fuitque philosophus Stoicus, & M. Aurelij Antonini Philosophi Imp. magister, ita eidem Imp. carus, vt ab illo Consul iterum designatus, atque etiam Præfectus vrbi constitutus fuerit. Iunium Rusticum vocant omnes: prænomen autem Quinti, ille Fastorum Consularium & omnis antiquitatis curiosissimus indagator Onuphrius Panuinius inuenit & addidit: à quo ad 2. annum imperij M. Aurelij Antonini, & L. Veri Impp. hi recensentur Coss. *Q. Iunius Rusticus.*

ONVPHRIVS PANVINIVS IN FASTIS LAVDATVS.

Vettius Aquilinus.

Eidem anno eosdem assignant Consules alij quoque Chronographi, Cassiodorus, Marianus Scotus, Baronius: sed anno tertio Chronicon Alexandrinum, siue Fasti Siculi, vbi & hoc vitiosum, quòd pro Ῥουστικοῦ legatur Ῥουστικίου. Rusticij. Itaque id deinceps corrigendum.

CHRONICI ALEXANDRINI LOCVS CORRECTVS.

Iam quanti hunc Iunium Rusticum fecerit Imperator, discitur è Iulio Capitolino in vita eiusdem Imp. M. Antonini Philosophi, de quo ita scribit: *Audiuit & Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum, Stoicos. Peripatetica verò studiosus audiuit Claudium Seuerum, & præcipuè Iunium Rusticum: quem & reueritus est, & sectatus: qui domi militiæque pollebat, Stoicæ disciplinæ peritißimus, cum quo omnia communicauit publica priuatáque consilia: cui etiam ante Præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & Consulem iterum designauit: cui post obitum statuas à senatu postulauit.* Ita Capitolinus.

Iulius Capitolinus in vita M. Aurelij Antonini.

Quod autem dicit: *Consulem iterum designauit*, non ita accipiendum est, quasi ipse M. Antoninus philosophus bis eum Consulem designârit: sed quia cùm semel Consul fuisset anno 2. Hadriani Imp. vnà cum ipso Imp. iam illum M. Antoninus designarit Cōsulem iterum, siue Consulem II. ita vt illud *iterum* referatur ad *Consulem*, non autem ad *designaret*. cùm nusquam reperiatur Q. Iunius Rusticus fuisse bis Consul sub M. Antonino Philosopho; sed semel tantùm sub illo, & semel sub Hadriano, ad cuius annum 2. sic in tabulis Onuphrij:

LOCVS CAPITOLINI EXPLICATVS.

Imp. Cæsar Traianus Hadrianus
Augustus III.
Q. Iunius *Rusticus.*

Cum eo concordat Baronius: discordant autem Fasti Siculi anno vno, & errant iterum in *Rusticio.*

Iam autem ipse Imperator, quid ab eodem Rustico didicerit, & quanti eius amicitiam fecerit, libro 1. vitę suæ exponit, his verbis: Παρὰ Ῥουστικοῦ, τὸ λαβεῖν φαντασίαν τοῦ χρήζειν διορθώσεως καὶ θεραπείας τοῦ ἤθους· καὶ τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν, μηδὲ τοῦ συγγράφειν περὶ τῶν θεωρημάτων, ἢ προτρεπτικὰ λογάρια διαλέγεσθαι· καὶ φαντασιοπλήκτως τὸν

RVSTICI DOCVMENTA M. ANTONINO PHILOSOPHO IMP. DATA.

τὸν ἀσκητικὸν, ἢ τὸν εὐεργετικὸν ἄνδρα ἐπιδείκνυσθαι· καὶ τὸ ἀποστῆναι ῥητορικῆς καὶ ποιητικῆς καὶ ἀστρολογίας· καὶ τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, ἢ μὴ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν· καὶ τὸ τὰ ἐπιστόλια ἀφελῶς γράφειν· οἷον τὸ ὑπ' αὐτοῦ τούτου ἀπὸ Σινοέσσης τῇ μητρί μου γραφέν· καὶ τὸ πρὸς τοὺς χαλεπήναντας καὶ πλημμελήσαντας εὐανακλήτως καὶ εὐδιαλλάκτως, ἐπειδὰν τάχιστα αὐτοὶ ἐπανελθεῖν ἐθελήσωσι, διακεῖσθαι· καὶ τὸ ἀκριβῶς ἀναγινώσκειν· καὶ μὴ ἀρκεῖσθαι περινοοῦντα ὁλοσχερῶς· μηδὲ τοῖς περιλαλοῦσι ταχέως συγκατατίθεσθαι; καὶ τὸ ἐντυχεῖν τοῖς Ἐπικτητείοις ὑπομνήμασιν, ὧν οἴκοθεν μετεδέδωκε. *A Rustico* [didici] *concipere animo, egere me directione & cultura morum: item non æmulandos mihi sophistas: non scribendum de speculationibus: non declamandas oratiunculas adhortatorias: non ostentandam speciem viri exercitati & actuosi: à rhetorica, poësi, astrologia absistendum: domi in stola non ambulandum, neu alia eiusmodi facieda: epistolas exarandas simpliciter, vt quæ ab eo ipso Sinuessam ad matrem meam scripta est: erga eos, qui irritarint aut deliquerint, quam primùm ipsi redire ad officium voluerint, placabilem animum atque affabilem exhibendum: item legendum diligenter: nec contentum esse, animo ad extremum peruoluisse: nec loquacibus celeriter assentiendum: præterea legendos Epicteti commentarios, quorum mihi copiam ex ædibus suis fecit.* Loquacibus non facile assentiendum.

Ita ibi. Et paullò inferiùs inter alia, ob quę Superis gratias agit, etiam hoc ponit: Τὸ γνῶναι Ἀπολλώνιον, Ῥουστικὸν, Μάξιμον. *quod nouerim Apollonium, Rusticum, Maximum.*

Intelligit autem Apollonium Chalcidensem, philosophum Stoicum. Fuit enim ijsdem temporibus eiusdem nominis alius, sed Platonicus, de quo Spartianus in Hadriano.

Item: Τὸ χαλεπήναντα πολλάκις Ῥουστικῷ μηδὲν πλέον πρᾶξαι, ἐφ' ᾧ ἂν μετέγνων. *Quòd cùm sæpè Rustico indignatus sim, nihil tamen admiserim, cuius me pœniteret.* Hactenus è Marci Aurelij Imp. libro 1. Vnde satis intelligi datur, quid Iunius Rusticus tanta apud Imperatorē auctoritate, contra Christianos, si voluerit, fecerit. Nec deesse potuerunt homini militari, politico, Stoico, Deorum cultori, contra nouæ religionis inductores, contra multorum Deorum contemptores & impugnatores, irarum & vindicandorum numinum caussæ. Vnde non possum non vehementer probare, quòd Baronius ad Annum Christi 164. persecutionis quintæ initium assignet 2. anno M. Aurelij & L. Veri Impp. eo scilicet anno, quo idem Iunius Rusticus cū Vettio Aquilino inijt consulatum. Ita enim ibi Baronius: *Christi Domini anno centesimo sexagesimo quarto, Iunio Rustico & Vettio Aquilino Coss. grauis in Christianos persecutio est excitata, quæ à Seuero quinta ordine ponitur.* IRÆ MODERATIO. BARONII SENTENTIA DE INITIO PERSECVTIONIS M. AVRELII APPROBATA.

Verba autem Sulpitij Seueri lib. 2. sacræ historiæ sunt hæc: *Post Hadrianum, Antonino Pio imperante pax ecclesijs fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata.* Sulpitij Seueri l. 2. historiæ sacræ.

In hac igitur persecutione martyrium passi sunt, tam illi de quibus Iustinus in Apologia sua ad Senatum, quàm ipsemet Iustinus: sed hic quidem aliquamdiu post illos: siquidem illi occasionem ei prębuerunt scribendæ pro Christianis secundæ apologiæ. Deinde illi sub Vrbicio, Iustinus sub Rustico passus est. Et erat tum Rusticus Præfectus Vrbi, quem Epiphanius ἡγεμόνα, Menæum ἔπαρχον, Dio maximè propriè πολίαρχον appellat. Fueritne talis Vrbicius, haud certò constat, cùm sic à nullo vocatum reperiam. Nam quod in Iustino legitur: *ad Vrbicium Præfectū adductus*, in gręco tātum est: ὅτε ἐπὶ Οὐρβίκιον ἦλθεν· *postquam ad Vrbicium venit*. Et fieri potuit, vt Iudex tantū à Præfecto vrbis datus esset, non verò ipse esset Præfectus. Id enim vsitatum patet ex Vlpiano, ff. Quis & à quo appelletur, l. 1. *Si*, inquit, *Præfectus vrbi iudicem dederit, vel Præfectus prætorio, ipse erit prouocandus, qui eum iudicem dederit*. Verumtamen ex initio apologiæ *Ad Senatum*, existimo posse colligi probabiliter fuisse Prefectum Vrbi, cùm videatur componi cum Præsidibus prouinciarum. At de Iunio Rustico prorsus liquet: quandoquidem ex quodam rescripto ipsorum Imperatorum id constet: cuius hoc citatur membrum, ff. De appellationibus & relationibus, l. 1. *Cùm per errorem factum esse dicas, vt à Iudice, quem ex rescripto nostro ab amplißimis Consulibus acceperas, ad Iunium Rusticum amicum nostrum, Præfectum vrbi prouocares; Coss. amplißimi perinde cognoscant, atque si ad ipsos facta esset prouocatio*. Ita ibi.

IVSTINI INTERPRETATIO CORRECTA.

VLPIANI IVRISCONSVLTI LOCVS.

Denique hunc Q. Iunium Rusticum, Philosophum Stoicum, illius Iunij Rustici itidem Philosophi nepotem aut consanguineū esse suspicor, quem Fl. Domitianus Imp. homo virtutis osor, & sanguinis sitiens, non alia de caussa occidit, quàm quòd aliquorum fortium philosophorum laudes edidisset, & duos nominatim *viros sanctißimos* nominasset: vnde nec eius cæde contentus, eadem occasione Philosophos omnes tota Italia expulit. Quod factum crudele, vti & alia, Suetonius Tranquillus non reticuit, sed præcipuas eius cædes recensens, ita memorauit: *Complures*, inquit, *senatores, in his aliquot consulares, interemit: ex quibus Ciuicam Cerealem in ipso Asiæ proconsulatu: Saluidienum Orfitum, Acilium Glabrionem exilio, quasi molitores nouarum rerum: ceteros leuißima quemque de caussa; Ælium Lamiam ob suspiciosos quidem, verum & veteres & innoxios iocos, &c. Iunium Rusticum; quod Pæti Thraseæ & Heluidij Prisci laudes edidisset, appellassetque eos sanctißimos viros: cuius criminis occasione philosophos omnes vrbe, Italiáque submouit*. Sic ille.

De Iunio Rustico hactenus satis: de Præfecto autem vrbis, eiúsque officio (nam frequens, in vitis Sanctorum, occurrit eius mentio) nonnihil ad clariorem historiarum sacrarum intelligentiam nobis attingendum est.

Ante

PRÆFECTVS VRBIS, QVIS.

Ante Augustum quidem Præfectus vrbis erat magistratus extraordinarius, siue ob absentiam Regum sub initia vrbis conditæ; siue postea, eiectis Regibus, ob absentiam Consulum creatus; vt tantisper, dum illi abessent, vrbis curam administraret: quibus reuersis officio defungeretur. Durauit vsque ad Augustum. Nam is suasu Mæcenatis magistratum ordinarium fecit, Præfectumque vrbi appellauit, qui tam præsentibus Imperatoribus, quàm absentibus, pacem ac tranquillitatem in vrbe Roma, atque extra eam ad certum spatium, ius dicendo procuraret. De hoc scripserunt veterum historicorum duo, Dio Cassius libro LII. & Cornelius Tacitus lib. VI. annalium: & antiquorum Iureconsultorum item duo, Vlpianus & Paullus, qui libros singulares De officio Præfecti Vrbis ediderunt: è quibus nonnulla exstant in Digesto vetere, lib. 1. tit. 12. Verba Dionis sunt hæc, in persona Mæcenatis: Πολίαρχος δὲ δή τις ἐκ τῶν προηκόντων, καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω, οὐχ ἵνα ἀποδημησάντων που τῶν ἱππάρχων ἄρχῃ· ἀλλ' ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, καὶ τὰς δίκας, τάς τε παρὰ πάντων, ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους, καὶ τὰς τοῦ θανάτου, τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ. *Præfectus etiam Vrbi ex primariis viris quidam creandus est, qui omnes magistratus, quos geri ante hunc conuenit, gesserit; non vt per absentiam magistratuum temp. administret; sed vt cùm reliquis in rebus semper vrbi præsit, tùm caussas quoque eas, quibus prouocatio competit, capitalesque etiam omnes, iis exceptis, quas post dicam, in vrbe & extra vrbem vsque ad sexcenta quinquaginta stadia diiudicet.* Ita Dio. Ex quo patet fuisse continuam potestatem, (vti & ex Tacito iam citando) non autem annuam aut determinati temporis. Interpres vocem, *semper*, omiserat, quam suppleui, cùm in græco reperiatur.

DE PRÆFECTO VRBI QVI SCRIPSERINT.

DIONIS CASSII LOCVS.

CORNELII TACITI LOCVS LIB. VI. ANNALIVM.

Taciti verba, vbi L. Pisonem laudat, sunt hęc, inter alia: *Decus triumphale in Thraciâ meruerat: sed præcipua ex eo gloria, quòd Præfectus vrbi recens continuam potestatē, & insolentiâ parendi grauiorem mirè temperauit. Namque antea profectis domo Regibus, ac mox magistratibus, ne vrbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac subitis mederetur: ferúntque ab Romulo Dentrem Romuliū, pòst ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos: dein Consules mandabant: durátque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus vsurpet. Ceterum Augustus bellis ciuilibus Cilnium Mæcenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit: mox rerum potitus, ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, sumpsit è Cōsularibus, qui coërceret seruitia, & quod ciuiu audaciâ turbidum, nisi vim metuat: proximusq; Messala Coruinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi: tū Taurus Statilius, quanquā prouectâ ætate, egregiè tolerauit: dein Piso viginti per annos*

pariter

pariterprobatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus est. Ita ille.

VLPIANI LOCVS DE PRÆFECTO VRBI.

Vlpianus autem suprà laudatus, L. 1. *Omnia*, inquit, *omnino crimina Præfectura vrbis sibi vindicauit, non tantùm ea quæ intra vrbem, verùm ea quoque, quæ extra vrbem, intra Italiam: vt epistolâ diui Seueri ad Fabium Cilonem Præfectum vrbi missâ declaratur*. Et infrà: *Sed & si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad Præfectum vrbi pertinet: sed si vltra ipsum lapidem egressum est, Præfecti vrbi notio non est*. Plura ibi videri possunt.

COETVS CHRISTIANORVM QVA LEGE VETITI.

Ex his patet, quanta fuerit Romæ potestas Præfecto Vrbi; quódque ad eum spectarit de Christianis cognoscere, deque eorum cœtibus, quos maligni legum interpretes sub illiciti collegij nomine cõprehendebant: de quo sic Vlpianus suprà: *Diuus Seuerus rescripsit, eos etiam qui illicitum collegium coisse dicantur, apud Præfectum vrbi accusandos*.

PRÆSIDES PROVINCIARVM AMPLIOREM IN PROVINCIIS POTESTATEM HABEBANT, QVAM PRÆFECTI VRBIS, ROMÆ.

Sed & ante Seuerum Imp. id factitari solitum, patet tam è martyrio nostri Iustini, quàm aliorum, qui coram Præfecto Vrbis caussam dixerunt. Et quidem in Actis martyrij Iustini expresè inquiritur, vbi cœtus suos habere solitus sit. Quam porrò potestatem Romæ habebant Præfecti Vrbis, eandem atque adeo ampliorem habebant Præsides prouinciarum: de quibus exstat in eodem vetere Digesto, titulus XVIII. *De Officio Præsidis*. Cuius Præsidis amplitudo potestatis potest ex lege x. & xi. sufficienter intelligi, cùm lex 10. sic habeat: *De omnibus caussis, de quibus vel Præfectus vrbi, vel Præfectus prætorio, itémque Consules & Prætores, ceteríque Romæ cognoscunt, Correctorum & Præsidum prouinciarum notio est*. Et lex. xi. sic: *Omnia enim prouincialia desideria, quæ Romæ varios Iudices habent, ad officium Præsidum pertinent*. Ita ibi.

Nota vocem *desideria* hìc significare negotia, quibus ipsi desiderant iustitiam fieri.

INTERPRETES S. EPIPHANII ET ACTORVM S. IVSTINI, CORRECTI.

Obseruandum autem in vitis Sanctorum non esse commutanda hæc nomina Præfecti Vrbis, & Præsidis; nec pro eodem vsurpanda: cùm prius tantùm Romæ locum habeat; posterius tantùm extra Romam. Quare cùm de Iustini martyrio agitur, non bene dicitur, siue in Aloysio Lipomano, siue in Epiphanij vetere interprete; *Sub Rustico Præside*, sed *Præfecto*, quandoquidem Romæ passus sit. Vnde rectè S. Ambrosius, de S. Agnete ibidem passa: *Sub Symphronio Præfecto*, inquit, non autem, *Sub Symphronio Præside*. Denique, vt nomen Præsidis & eius latitudo explicetur; Lex 1. titulo *De officio Præsidis*, sic habet: *Nomen Præsidis generale est, eò quòd & Proconsules, & Legati Cæsaris, & omnes prouincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellentur: Proconsulis appellatio specialis est*. Atque hactenus satis, tam de Præfecto vrbi, quàm de Præside: si quis plus velit, indicaui loca: iam ad recensionem librorum S. Iustini accedemus.

PRÆSIDIS NOMEN QVAM LATE PATEAT.

C A-

CAPVT XXV.

Recensio Librorum S. Iustini.

QVi libros omnes S. Iustini, exacto ac rotundo numero recensuerit, nullus dum, quod sciam, fuit; ne ipse quidem omnium in eo genere accuratissimus Eusebius: quippe qui libro 4. historiæ, capite 17. nonnullis, quos videre ei contigerat, enumeratis, plurimos quoque alios à multis fratrum conseruari addidit. Itaque aliquos quidem ipse recensuit: aliquos Photius adiecit atque censuit. Nam in librorum quidem tam veterum quàm recentium censura, siue diligentiam spectes, siue iudicium, parem sibi aut secundum habuit Photius neminem. Quare horum amborum, de Iustini libris (vbi breuem priùs indiculum texuero) verba apponam: & de scriptis, quæ illos latuerunt, nunc autem manifestis indicijs Iustino quàm meritissimò addicuntur, argumenta inducam. Sunt igitur hęc eius scripta, & tali ferè, vt verisimillimum, composita ordine:

Scripta S. Iustini vera & germana:

1. Liber aduersus Gentes, siue Elenchus.
2. Cohortatio ad Gentes, siue Paræneſis.
3. Liber De Dei monarchia.
4. Liber De anima.
5. Liber Psaltes.
6. Liber Contra omnes hæreses.
7. Apologia ad Antoninum Pium Imp.
8. Libri Contra Marcionem.
6. Dialogus cum Tryphone.
10. Epistola ad Diognetum.
11. Tractatus contra primum & secundum librum Physicæ Auscultationis, siue Contra formam, materiam, & priuationem.
12. Tractatus contra quintum corpus, & motum perpetuum. Qui duo tractatus nunc editi sunt sub nomine euersionis dogmatum Aristotelis.
13. Quæstionum contra Religionem summariæ resolutiones.
14. Commentarius in Hexaëmeron siue Opus sex dierum.
15. Puncta disputationis cum Crescente Philosopho Cynico.
16. Liber De resurrectione carnis.
17. Apologia ad Senatum; quam & Impp. M. Antonino Philosopho & L. Vero obtulit.

Hæc sunt scripta, quæ meritò tanquam certa ac minimè dubia capere liceat: nam reliqua, quamuis etiam bona sint, tamen aliqua continent, propter quæ meliùs in classem Dubiorum reijciantur: sunt

sunt & quæ inter Adulterina numerentur. Vtrorumque recensio est talis:

Dubia sunt:

Epistola ad Zenam & Serenum.
Expositio Fidei.
Quæstionum ad orthodoxos resolutio: quarum quæstionum aliquæ Iustini stilum & doctrinam planè redolent: aliæ (nisi malè interpolatæ sunt) citatis Irenæo & Origene, posterius aliquod sęculũ sapiunt.

Adulterina sunt:

Liber Quinque quæstionum ad Græcos: cùm in refutatione responsionis ad 1. quæstionem, plus septies nominentur Manichæi, quorum nulli tum erant, neque etiam nisi vno ferè pòst sæculo exstiterunt.
Appendix ad Græcos.
Quæstiones Græcanicæ ad Christianos, De incorporeo, De Deo, De Resurrectione mortuorum, & Responsiones ad easdem.

Sunt enim hi omnes libri, vt eiusdem stili & ingenij; sic & eiusdem Auctoris. Quare cùm de primo constet, de duobus reliquis vix est, aut ne vix quidem, vlli dubio locus.

Martinus Polonus in Supputationibus chronographicis ad annum primum Antonini Pij, cum existimaret eundem esse Iustinum historicum & Philosophum nostrum, huic attribuit Trogi Pompeij abbreuiationem, sed malè. Vide Ioannem Vasæum in Hispanię chronico ad annum Domini 140. vbi rectè scribit duos fuisse eodem tempore Iustinos, vnum philosophum, vnum historicum, & hunc vno sæculo posteriorem Trogo Pompeio, quem redegit in cõpendium.

Legitimorum librorum diuisio.

§. I.

IAm legitimi in tres classes diuiduntur. Nam quidam ab Eusebio producti sunt: quidam à Photio: nonnulli posteriùs ab alijs additi.

Producti ab Eusebio sunt primi nouem in nostra superiori recensione, itémque vltimus, hoc est, Apologia ad Senatum, quam postremo loco posui, quia vltimo scripta creditur, & paullò ante martyrium.

PHOTII CENSVRA MAGNI ÆSTIMANDA.

Producti à Photio, extra numerum Eusebij, sunt tres, nempe ij quos loco 11. 12. & 13. recensui. De quibus quidem nullum est dubium, quin eos scripserit Iustinus, quos nactus est, & legit Photius (tantum eius iudicio tribuendum est) sed de illo qui inscribitur: *Quæstionum contra Religionem summariæ solutiones*, vtrum nunc exstet, aut incorruptè exstet, hoc tantùm remanet in dubio. Sed de hoc posteriùs.

Producti

Producti ab alijs sunt duo: *Epistola ad Diognetum*; *Commentarius in hexaëmeron*, siue, *In Opus sex dierum*: qui quidem commentarius iam non exstat, sed citatur à S. Anastasio Sinaita, qui vixit ante annos mille. Quibus ego & tertium addidi ex ipso Iustino, in secunda Apologia: nempe *Puncta disputationis cum Crescente Philosopho Cynico habita*, & quartum ex auctoritate S. Ioannis Damasceni eum citantis: nempe Librum *De resurrectione carnis*. Pro his igitur quatuor in Iustini possessione retinendis, in ordine suo dicetur. Iam enim primò de ijs, quos ex Eusebio produximus, verba Eusebij ipsius proferenda sunt: postea & Photij de suis. Verba porro Eusebij sunt in eius historia ecclesiastica lib. 4. cap. 17. Quod caput, quia nihil aliud quàm de his libris continet, totum & totidem verbis, iunctâ interpretatione latinâ, græcè hîc apponam.

Eusebij caput XVII. libri quarti historiæ ecclesiasticæ, de libris S. Iustini.

§. II.

Πλεῖστα δὲ οὗτος καταλέλοιπεν ἡμῖν πεπαιδευμένης διανοίας ὑπομνήματα, πάσης ὠφελείας ἔμπλεα· ἐφ' ἃ τοὺς φιλομαθεῖς ἀναπέμψομεν, τὰ εἰς ἡμετέραν γνῶσιν ἐλθόντα χρησίμως παρασημηνάμενοι.

Ὁ μέν τίς ἐστιν αὐτῷ λόγος πρὸς Ἀντωνῖνον τὸν Εὐσεβῆ προσαγορευθέντα, καὶ τοὺς τούτου παῖδας, τήν τε Ῥωμαίων σύγκλητον, προσφωνητικὸς, ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων. Ὁ δὲ, δευτέραν μὲν περιέχων ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας πίστεως ἀπολογίαν, ἣν πεποίηται πρὸς τὸν τοῦ δηλωθέντος αὐτοκράτορος διάδοχόν τε καὶ ὁμώνυμον Ἀντωνῖνον Οὐῆρον, οὗ τὰ κατὰ τοὺς χρόνους ἐπὶ τοῦ παρόντος διέξιμεν.

Καὶ ἄλλος ὁ πρὸς Ἕλληνας, ἐν ᾧ μακρὸν περὶ πλείστων παρ' ἡμῖν τε καὶ τοῖς Ἑλλήνων φιλοσόφοις ζητουμένων κατατείνας λόγον, περὶ τῆς τῶν δαιμόνων διαλαμβάνει φύσεως, ἃ οὐδὲν ἂν ἐπείγοι τανῦν παρατιθέναι.

Plurima hic Iustinus eruditæ mentis monumenta, omni vtilitate plena nobis reliquit: ad quæ, vbi ea quæ in nostra cognitionem venerunt, pro lectorum commodo designauerimus, discendi studiosos remittemus:

RECENSIO LIBRORVM S. IVSTINI EX EVSEBIO: I. APOLOGIA AD ANTONINVM PIVM.

Est quidem vnus illi liber ad Antoninum cognomēto Pium, & ad eius liberos, & ad Senatum Romanum, pro nostræ fidei doctrina conscriptus.

II. APOLOGIA AD M. AVRELIVM ANTONINVM VERVM.

Alter item, secundam pro fide nostra defensionem complectēs, quem Antonino Vero iam memorati Imperatoris successori & cognomini scripsit, cuius tempora in præsenti persequimur.

III. LIBER AD GENTILES.

Alius quoque *Ad Gentiles*, in quo postquam de plurimis rebus, quæ inter nostros & inter Gentiles Philosophos quæri solent, lōgum produxit sermonē; demum de naturâ Dæmonum nonnulla disputat, quæ nihil attinet modò apponere.

Aliud

IV. ELENCHVS AD GENTILES.

Aliud præterea ad Gentiles ipsius opus ad nos peruenit, quod inscripsit *Elechum*. Ac præter hæc, aliud rursum *De Dei monarchia:* quam non solum è nostris Scripturis, sed etiam è Gentilitijs confirmat.

V. DE MONARCHIA DEI.

Καὶ αὖθις ἕτερον πρὸς ἕλληνας εἰς ἡμᾶς ἐλήλυθεν αὐτοῦ σύγγραμμα, ὃ καὶ ἐπέγραψεν Ἔλεγχον· καὶ παρὰ τούτους, ἄλλο περὶ θεοῦ μοναρχίας, ἣν οὐ μόνον ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν γραφῶν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἑλληνικῶν συνίστησι.

VI. LIBER PSALTES.

Libellus præterea *Psaltes* inscriptus.

Βιβλίον ἐπὶ τούτοις ἐπιγεγραμμένον ψάλτης.

VII. LIBER DE ANIMA.

Et alius, *De anima*, commentarius, in quo diuersis super proposito argumento quæstionibus in medium allatis, Gẽtilium Philosophorum opiniones adducit: quibus & se responsurum pollicetur, & suam ipsius sententiam in altero volumine expositurum.

Καὶ ἄλλο σχολικὸν περὶ ψυχῆς, ἐν ᾧ διαφόρους πεύσεις προτείνας περὶ τοῦ κατὰ τὴν ὑπόθεσιν προβλήματος, τῶν παρ' ἕλλησι φιλοσόφων παρατίθεται τὰς δόξας, αἷς καὶ ἀντιλέξειν ὑπισχνεῖται, τήν τε αὐτὸς αὐτοῦ δόξαν ἐν ἑτέρῳ παραθήσεσθαι συγγράμματι.

VIII. DIALOGVS CVM IVDÆIS.

Composuit & dialogum cum Iudæis, quem in vrbe Epheso, cũ Tryphone Hebræorum ea tempestate celeberrimo habuit; in quo, quemadmodum diuina gratia ad Fidei doctrinam eum impulerit, & quantum studij ad philosophicas disciplinas priùs attulerit, ac denique quomodo ad inquisitionem veritatis maximo accesserit animo, significat.

Καὶ διάλογον δὲ πρὸς Ἰουδαίους συνέταξεν, ὃν ἐπὶ τῆς Ἐφεσίων πόλεως πρὸς Τρύφωνα τῶν τότε Ἑβραίων ἐπισημότατον πεποίηται. ἐν ᾧ τίνα τρόπον ἡ θεία χάρις αὐτὸν ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως παρώρμησε λόγον, δηλοῖ, ὁποίαν τε πρότερον ἐπὶ τὰ φιλόσοφα μαθήματα σπουδὴν εἰσενήνεκται· καὶ ὅσην ἐποιήσατο τῆς ἀληθείας ἐνθυμοτάτην ζήτησιν.

Ibidem porrò de Iudæis narrat, quo pacto aduersus Christi doctrinam insidias compararint: quæ ipsa in Tryphonem ipsum contorquet.

Ἱστορεῖ δ' ἐν ταυτῷ περὶ Ἰουδαίων, ὡς κατὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίας ἐπιβουλὴν συσκευασαμένων, αὐτὰ ταῦτα πρὸς τὸν Τρύφωνα ἀποτεινόμενος.

IVDÆORVM IN CHRISTI RELIGIONE INFAMANDA STVDIVM.

Non solùm verò, inquit, de malefactis vestris pœnitentiam egistis nullam; sed delectos quoque à vobis viros tunc ab Ierusalem in terram omnem ablegâstis, dicentes impiorum Christianorum sectam apparuisse, & ea item recensentes, quæ contra nos, ij qui nos ignorant, cuncti dictitãt: ita vt non vobis modò ipsis auctores

Οὐ μόνον δὲ οὐ μετενοήσατε, ἐφ' οἷς ἐπράξατε κακῶς, ἀλλὰ ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἐκλεξάμενοι, τότε ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες αἵρεσιν ἀθέων Χριστιανῶν πεφάνθαι· καταλέγοντές τε ταῦτα, ἅπερ καθ' ἡμῶν οἱ ἀγνοοῦντες ἡμᾶς ἅπαντες λέγουσιν· ὥς τε οὐ μόνον ἑαυτοῖς ἀδικίας αἴτιοι ὑπάρχετε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν

ἁπλῶς

ἁπλῶς ἀνθρώποις.

iniquitatis exstiteritis, sed & alijs quoque omnibus omnino hominibus.

Γράφει δὲ καὶ ὅτι μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας.

Scribit verò etiam ad sua vsque tempora gratias propheticas in ecclesia claruisse.

Μέμνηται δὲ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως, σαφῶς τοῦ ἀποστόλου εἶναι λέγων.

Meminit & Ioannis Apocalypseos, quam manifestò Apostoli esse ait.

APOCALYPSIS PROBATVR A S. IVSTINO, VT OPVS IOANNIS APOSTOLI.

Καὶ ῥητῶν δέ τινων προφητικῶν μνημονεύει, διελέγχων τὸν Τρύφωνα, ὡς ἂν περικοψάντων αὐτὰ Ἰουδαίων ἀπὸ τῆς γραφῆς.

Quorundam item propheticorum dictorum commeminit, Tryphonem redarguẽs; tanquam Iudæi de Scripturis illa erasissent.

Πλεῖστα δὲ καὶ ἕτερα παρὰ πολλοῖς φέρεται ἀδελφοῖς τῶν αὐτοῦ πόνων.

Plurima quoque alia eius laborum monumenta penes multos fratrum esse dicuntur.

PLVRIMA SVNT ET ALIA SCRIPTA EIVSDEM APVD FRATRES.

Οὕτωσὶ δὲ σπουδῆς εἶναι ἄξιοι καὶ τοῖς παλαιοῖς ἐδόκουν οἱ τἀνδρὸς λόγοι, ὡς τὸν Εἰρηναῖον ἀπομνημονεύειν αὐτοῦ φωνάς· τοτὲ μὲν ἐν τῷ τετάρτῳ πρὸς τὰς αἱρέσεις αὐτὰ δὴ ταῦτα ἐπιλέγοντα. Καὶ καλῶς Ἰουστῖνος ἐν τῷ πρὸς Μαρκίωνα συντάγματί φησιν· ὅτι αὐτῷ τῷ κυρίῳ οὐδ᾽ ἂν ἐπείσθην, ἄλλον θεὸν καταγγέλλοντι παρὰ τὸν δημιουργόν.

Tanti autem etiam veteribus viri huius scripta æstimabantur: vt etiam Irenæus voces eius citauerit. Quippe qui in quarto libro suo *Aduersus hæreses* hæc ipsa inculcet: *Præclarè ait Iustinus in suo Contra Marcionem volumine, ne Domino quidem ipsi se crediturum, si Deum alium, quàm creatorem, annuntiaret.*

IRENÆVS CITAVIT S. IVSTINVM.

I. CITATIO.

Τοῦτο δὲ ἐν τῷ πέμπτῳ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως διὰ τούτων· Καὶ καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη, ὅτι πρὸ μὲν τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας οὐδέποτε ἐτόλμησεν ὁ σατανᾶς βλασφημῆσαι τὸν θεόν, ἅτε μηδέπω εἰδὼς αὐτοῦ τὴν κατάκρισιν.

In quinto autem eiusdem argumenti libro, hoc profert istis verbis testimonium: *Et bene Iustinus dixit, Satanam ante Domini aduentum nunquam ausum esse in Deum iacere contumeliam, tanquam qui condemnationis suæ adhuc esset ignarus.*

II. CITATIO.

Καὶ ταῦτα δὲ ἀναγκαίως εἰρήσθω, εἰς προτροπὴν τοῦ μετὰ σπουδῆς τὸ φιλομαθὲς καὶ τοὺς τούτου περιέπειν λόγους. Καὶ τὰ μὲν κατὰ τόνδε τοιαῦτα ἦν.

Atque hæc necessariò dicta sint, ad studiosos cohortandos; vti huiusce libros quàm studiosè percolant. Et de Iustino quidem ita res habent.

LECTIO LIBRORVM IVSTINI COMMENDATVR.

De iisdem Iustini libris,

Photij recensio & censura.

§. III.

I. APOLOGIA PRO CHRISTIANIS.

LEcta est Iustini Martyris Apologia pro Christianis, cùm aduersus Græcos, tum aduersus Iudæos.

ἈΝεγνώσθη Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος ἀπολογία ὑπὲρ Χριστιανῶν, καὶ κατὰ Ἑλλήνων, καὶ κατὰ Ἰουδαίων.

II. TRACTATVS PHILOSOPHICI.

Et præterea alter eius tractatus contra primum & secundum librum Physicæ auscultationis, siue Contra Materiam, Formam, & Priuationem epicherematicæ & violentę & perutiles rationes: itidémque contra quintum illud corpus, motumque sempiternũ, quem Aristoteles vi ratiocinationum peperit.

Καὶ ἔτι ἑτέρα αὐτοῦ πραγματεία κατὰ τοῦ πρώτου καὶ δευτέρου τῆς Φυσικῆς ἀκροάσεως, ἤτοι κατὰ εἴδους καὶ ὕλης στερήσεως ἐπιχειρηματικοὶ καὶ βίαιοι καὶ χρειώδεις λόγοι· καὶ κατὰ τοῦ πέμπτου σώματος ὁμοίως, καὶ κατὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως, ἣν Ἀριστοτέλης δεινότητι λογισμῶν ἐναπέτεκεν· ἔτι τε ἀποριῶν κατὰ τῆς εὐσεβείας κεφαλαιώδεις ἐπιλύσεις.

III. DVBITATIONVM CONTRA RELIGIONEM SVMMARIÆ SOLVTIONES.

Ad hæc Dubitationum contra religionem summariæ solutiones.

S. IVSTINI LAVDES.

Est autem vir ille ad Philosophiæ tũ nostræ, tum potissimùm profanæ summum prouectus fastigium, multiplicique eruditionis & historiarum copia circumfluens: sed rhetorico artificio natiuam philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio habuit.

Ἔστι δὲ φιλοσοφίας μὲν ὁ ἀνὴρ τῆς τε καθ' ἡμᾶς, καὶ μάλιστά γε τῆς θύραθεν εἰς ἄκρον ἀνηγμένος, πολυμαθείᾳ τε καὶ ἱστοριῶν περιῤῥεόμενος πλούτῳ· ῥητορικαῖς δὲ τέχναις οὐκ ἔσχε σπουδὴν περιχρῶσαι τὸ ἔμφυτον αὐτοῦ τῆς φιλοσοφίας κάλλος.

Quamobrem & oratio eius pollens alioqui ac valida, scientificumque seruans stilum, rhetorica illa condimenta non spirat; nec illecebris ac blandimentis vulgus auditorum attrahit.

Διὸ καὶ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἄλλως ὄντες δυνατοὶ, καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν διασώζοντες, τῶν ἐκεῖθεν οὐκ εἰσὶν ἀποστάζοντες ἡδυσμάτων, οὐδὲ τῷ ἐπαγωγῷ καὶ θελκτηρίῳ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀκροατῶν ἐφελκόμενοι.

IV TRACTATVS QVATVOR CONTRA GENTILES.

Porrò quatuor aduersus Gentes composuit tractatus, quorum primum Antonino cognomine Pio, filiísque ipsius ac Senatui obtulit: Alterum similiter eius successoribus.

Τέσσαρας δὲ πραγματείας κατὰ τῶν ἐθνῶν συνέταξεν· ὧν τὴν μὲν πρώτην Ἀντωνίνῳ, τῷ ἐπίκλην Πίῳ, καὶ τοῖς υἱέσι, τῇ τε συγκλήτῳ ἐπέδωκε· τὴν δὲ δευτέραν ὁμοίως τοῖς ἐκείνου διαδόχοις.

Ἐν

Ἐν δὲ τῇ τρίτῃ περὶ φύσεως δαιμόνων διείλεκται.

In tertio autem de natura Dæmonum disseruit. DE NATVRA DÆMONVM.

Ὁ δὲ τέταρτος αὐτοῦ λόγος, ὁμοίως κατὰ τῶν ἐθνῶν συγκείμενος, Ἔλεγχος ἐπιγραφὴν ἔχει.

Quartus denique similiter contra Gentes conscriptus liber, Elenchus inscriptionem habet. ELENCHVS CONTRA GENTILES.

Ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ ὁ περὶ θεοῦ μοναρχίας· καὶ ὁ ἐπιγραφόμενος Ψάλτης.

Sed & alius est *De Dei monarchia*: & alius *Psaltes* inscriptus. DE MONARCHIA DEI.

Καὶ μὴν καὶ κατὰ Μαρκίωνος, ἀναγκαῖοι λόγοι, καὶ ἡ κατὰ πασῶν αἱρέσεων χρήσιμος πραγματεία.

Item *Contra Marcionem* libri necessarij: & *Contra omnes hæreses* vtile opus. LIBRI CONTRA MARCIONEM. OPVS CONTRA OMNES HÆRESES.

Οὗτος, υἱὸς μὲν ἔφυ Πρίσκου Βακχείου· πατρίδα δὲ εἶχε Νεάπολιν, τὴν ὑπὸ τὴν ἐπαρχίαν τελοῦσαν Παλαιστίνης.

Fuit hic autem Prisci Bacchij filius: patriámque habuit Neapolim, sub Præfectura Palæstinæ accensitam.

Ἐν Ῥώμῃ δὲ τὰς διατριβὰς εἶχε, φιλοσοφῶν καὶ τοῖς λόγοις, καὶ τῷ βίῳ, καὶ τῷ σχήματι· διάπυρος δὲ τῆς εὐσεβείας ὢν ἐραστὴς εἶχε Κρήσκεντα τινὰ τῶν καλουμένων Κυνικῶν, ἀντιπολιτευόμενον αὐτοῦ, καὶ τῷ βίῳ, καὶ τῇ θρησκείᾳ· ὑφ' οὗ καὶ συσκευασθεὶς, ἀξίως τῆς ὅλης τοῦ βίου προαιρέσεως, καὶ τὴν ἐπιβουλὴν διέτλησε..

Romæ porrò cœtus habuit, tam sermonibus, quàm vita & habitu philosophans: vbi cùm præferuidus pietatis amator existeret, Crescentem quendam, vnum ex ijs quos Cynicos appellant, sibi & vitæ suæ & religioni habuit obnitentem: à quo etiam insidiosè accusatus, ita vt toto vitæ instituto dignũ erat, insidias pertulit.

Μαρτυρίου γὰρ ταύτην ὑπόθεσιν ἐνστησάμενος, λαμπρῶς καὶ χαίρων τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον ἀνεδέξατο.

Hac enim sibi constituta martyrij caussa, splendidè atque hilariter mortem pro Christo oppetijt.

Hactenus è Photio: cui si Hieronymum, atque eius Græcum interpretem Sophronium, ipsius Hieronymi æqualem subiunxerimus, satis, opinor, de præcipuis Iustini libris è trium contestatione fecerimus. Hi ergo sic habent:

E catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 23.

Sophronij interpretatio. — *S. Hieronymi verba.*

§. IV.

Ἰουστῖνος φιλόσοφος, καὶ τῷ σχήματι τῶν φιλοσόφων χρώμενος, ἀπὸ τῶν Νεαπολιτῶν ἐπαρχίας Παλαιστίνης, ἐκ πατρὸς Πρίσκου Βακχείου, ὑπὲρ τῆς θρησκείας τῶν Χριστιανῶν πάνυ

IVstinus Philosophus, habitu quoque Philosophorũ incedẽs, de Neapoli vrbe Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi plurimũ laborauit: in tantum,

APOLOGIA AD ANTONINVM PIVM.

APOLOGIA AD M. ANTONINVM ET LVCIVM COMMODVM IMPP.

tum, vt Antonino Pio & filijs eius & Senatui librum contra Gentes scriptum daret, ignominiámque Crucis non erubesceret: & alium librum successoribus eiusdẽ Antonini, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo.

ἐκοπίασεν, ὥστε Ἀντωνίνῳ τῷ ἐπίκλην Πίῳ, καὶ τοῖς τούτου υἱοῦσι, καὶ τῇ συγκλήτῳ, βίβλον κατὰ τῶν ἐθνῶν συνταγεῖσαν ἐπιδοῦναι, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ σταυροῦ μὴ αἰσχυνόμενος· καὶ ἄλλην βίβλον τοῖς τοῦ αὐτοῦ Ἀντωνίνου διαδόχοις, τουτέστι Μάρκῳ Ἀντωνίνῳ Βήρῳ, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ.

VOLVMEN CONTRA GENTES.

Exstat eius & aliud volumen *Contra Gentes*: vbi de Dæmonum quoque natura disputat.

Ἔστι καὶ ἄλλη αὐτοῦ βίβλος, κατὰ τῶν ἐθνῶν, ἐν ᾗ περὶ τῆς φύσεως τῶν δαιμόνων διαλέγεται.

ELENCHVS ADVERSVS GENTES.

Et quartum aduersus Gentes, cui titulum prænotauit ἔλεγχος.

Καὶ τέταρτον λόγον ὁμοίως κατὰ τῶν ἐθνῶν, ὃν ἐπέγραψεν Ἔλεγχος.

DE MONARCHIA DEI.

PSALTES.

LIBER DE ANIMA.

DIALOGVS CONTRA IVDÆOS.

Sed & alium, *De Monarchia Dei*: & alium librum, quem prænotauit *Psalten*: & alium *De anima*: Dialogum contra Iudæos, quem habuit aduersus Tryphonem Principem Iudæorum.

Καὶ ἄλλον περὶ τῆς τοῦ θεοῦ μοναρχίας· καὶ ἄλλον ὠνόμασε Ψάλτην, καὶ ἕτερον περὶ τῆς ψυχῆς· διάλογον κατὰ τῶν Ἰουδαίων, ὃν ἔχει κατὰ Τρύφωνος ἀρχηγοῦ τῶν Ἰουδαίων.

VOLVMINA CONTRA MARCIONEM.

LIBER CONTRA OMNES HÆRESES.

Sed & contra Marcionem insignia volumina: quorũ Irenæus quoque in quinto aduersus hæreses libro meminit: & alium librũ *Contra omnes hæreses*: cuius facit mentionem in Apologetico, quẽ dedit Antonino Pio.

Οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ κατὰ Μαρκίωνος ἐπίσημα τεύχη, ὧν τινων καὶ Εἰρηναῖος ἐν τῷ πέμπτῳ λόγῳ τῷ κατὰ τῶν αἱρετικῶν μέμνηται· καὶ ἄλλη βίβλος κατὰ πασῶν τῶν αἱρέσεων, ἧς μέμνηται ἐν τῷ ἀπολογητικῷ, ὃν ἔδωκεν Ἀντωνίνῳ τῷ Πίῳ.

IVSTINVS ROMÆ COETVS HABVIT.

Hic cùm in vrbe Roma haberet τὰς διατριβὰς, & Crescentem Cynicũ, qui multa aduersum Christianos blasphemabat, redargueret gulosum, & mortis timidum, luxuríæque & libidinum sectatorem, ad extremum studio eius & insidijs accusatus, quòd Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit.

Οὗτος ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔχων τὰς διατριβὰς, εὐθύνων Κρήσκην τὸν Κυνικὸν, τὸν κατὰ τῶν Χριστιανῶν βλασφημοῦντα, καὶ καλῶν αὐτὸν λαίμαργον, καὶ τὸν θάνατον φοβούμενον, ἄσωτόν τε καὶ ἀκόλαστον, τέλος τῇ τούτου ἐνεργείᾳ καὶ ἐπιβουλῇ ὡς Χριστιανὸς ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ ἔπαθεν.

QVI LIBRI S. IVSTINI PERIERINT.

Hactenus de libris primæ & antiquissimæ auctoritatis: è quibus quidem, Liber *De Dei Monarchia* dimidiatus perijt: toti autem interierunt (nisi fortè, quod multò malim, quippe minus malum, in tenebris alicubi delitescant) liber *De anima*, *Psaltes*, *Contra omnes hæreses*, *Contra Marcionem*.

Supersunt hodie & manibus versantur *Elenchus*, *Parænesis*, *De monarchia* liber dimidiatus; Apologiæ duæ, vna *Ad Antoninu Pium*; altera,

altera, *Ad Senatum*; ſed oblata etiam Antonini Pij ſucceſſoribus: *Dialogus cum Tryphone.*

Iam è tribus, quos addidit Photius, exſtant duo priores: de tertio, vt dixi ſuperiùs, res eſt in dubio, an iam exſtet. Nec eſt prorſus improbabile eſſe illum librum, qui in vltima Pariſienſi editione græcolatinà, pagina 391. hanc præfert græcam inſcriptionem.

Τοῦ *αὐτοῦ* Ἰουστίνου *ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους περί τινων ἀναγκαίων ζητημάτων.*

Eiuſdem Iuſtini, ſuper neceſſarijs quibuſdam quæſtionibus, ad orthodoxos reſponſiones.

Ita latinè reddo inſcriptionem græcam. Quæ enim eſt apud Iuſtinum interpretatio, minùs propria eſt, minúſque preſſa, & penè dixerim, minùs vera: cùm ita habeat: *Eiuſdem Iuſtini ad Orthodoxos reſponſionum ad quaſdam Chriſtianas quæſtiones Liber.* Non eſt autem in græca, *Chriſtianas*, ſed *neceſſarias*. Et verò inter illas quæſtiones multæ ſunt, quas non magis Chriſtianas dixeris, quàm prophanas & philoſophicas. Iuſtino enim, vt Philoſopho, non Chriſtianæ modò, ſed alienę quoque proponebantur quęſtiones, quibus ille ſtudio & ſpe maioris boni perhumaniter reſpondebat. Neque ſanè exiſtimandum eſt, ipſum Iuſtinũ quæſtiones illas & mouiſſe ſibi, & reſoluiſſe: verùm quòd Romę *cœtus ac ſermones haberet* (ſic Cicero explicat, quod Gręci dicunt, ἔχειν διατριβάς) eíque cõplures cuiuſcũque modi quæſtiones proponerentur, reſeruatæ cum ipſis quæſtionibus Iuſtini reſponſiones in librum redactæ ſunt: quibus deinde, vt cuique viſum, exſcriptis, (deerat enim ſubſidium typographicum) ad confirmandas Iuſtini reſponſiones addiderunt nonnulli, vt fit, aliorum, quos ſuper eadem re legerant, auctoritates: ac fortaſſe etiam nonnullas eodẽ ſpectantes quęſtiones interpoſuerunt: vnde factum, vt iſta inconſideratorum additamenta non parum Iuſtino detraxerint. Nam ſunt in his quęſtionibus, quas meritò tam ratione argumenti, quàm tenore ſtili, Iuſtino addixeris, & præſertim primæ: ſunt & alię, quas ei nullo modo conuenire quilibet cõſenſerit: in quibus eſt iſta Quæſtio LXXXVI. *Quæ eſt interpretatio vocabulorum iſtorum? Mina, Ephi, Nebel, Gomor, Siclus, &c.* cũ iſtà Reſponſione: *Expoſita eſt ab Origene, viro Hebraicæ linguæ perito, omnium, quæ in ſacris Scripturis ferũtur, Hebraicorum nominum & menſurarum interpretatio. Eam ſi conſulueris, omnium eorum, de quibus quæſiuiſti, inuenies explanationem.* Iſta eſt tota reſponſio; de quâ nullus dubitare poteſt, quin longè poſt Iuſtini tempora, ſimul cum ſua quęſtione conſcripta ſit: quandoquidem longũ ſit inter Iuſtini obitum & Origenis ortum, temporis interuallum. Etiam ſuperiùs in reſpõſione ad queſt. 82. mentio fit Origenis. In quæſtione autem 127. Manichæorũ, qui & Origene poſteriores ſunt. Et in quæſt. 110 de Anachoretis & ſcriptâ de ijs hiſtoriâ agitur. Quare ſi hic liber eſt Iuſtini,

INTERPRES S. IVSTINI CORRECTVS.

certè non totus, nec intaminatus. Ac proinde meritò inter dubios relinquitur, cùm multæ quæstiones non sint eius, & plures tamen illius esse videantur: quippe quæ alijs eius scriptis respondeant, adeóque contra illa motæ censeantur.

Plura in vtramque partem alia succurrunt argumenta, quæ omitto in præsenti, cùm ad rem, quam agimus, modò allata sufficiant.

De libris igitur, quos Eusebius, Hieronymus, Photius, Iustino attribuunt, satis hactenus: nunc ad alios.

De libris S. Iustini Eusebio, Hieronymo, Photio ignotis.

§. V.

PRæter illos à tribus recensitos, numeraui in legitimis, *Commentarium in hexaëmeron*, & *Epistolam ad Diognetum*, & *Puncta disputationis cum Crescente Philosopho Cynico*, & librum *De resurrectione carnis*. quamuis horum apud istos tres Censores nulla mentio. Quippe tum adhuc in latebris erant, postea emerserunt. Nec id nouum, quod alijs accidit pluribus, habendum est.

S. Anastasius Sinaita lib. 6. Anagogic. Contemplationum.

LOCVS S. IVSTINI E COMMENTARIIS IN HEXAEMERON.

Commentarius quidem *In Hexaëmeron*, siue *In opus sex dierum*, iã non exstat: sed scriptum à Iustino testatur, vt suprà innui, S. Anastasius Sinaita: cuius hic duo loca latinè adferam (cùm græci exemplaris mihi non sit copia) quorum alter est in eius libro VI. *Anagogicarum Contemplationum*, sub finem, his verbis: *Vnde etiam diuinus in omnibus Ambrosius, & Iustinus martyr à Deo inspiratus, in suis ad Hexaëmeron commentarijs ea persequentes, quæ dicta sunt de paradiso, postquam dixerunt de sensibilibus arboribus & aquis & fructibus & paradiso è terra genito; in medium dehinc adduxerunt proposita diuini Ezechielis verba de paradiso cælesti, eáque persecuti, magnam & subtilem de ijs examinationem & contemplationẽ subiunxerunt, dicentes quòd sit turpissimum & Deo inuisum, dicere, aut omnino cogitare, beatam & adorandam Dei Verbi diuinitatem cum iusto latrone ingredi in fluxum & materialem paradisum.* Ita ibi.

ALTER LOCVS EIVSDEM ET INDIDEM SVMPTVS.

Alter locus est in libro VII. eiusdem operis, vbi inter alia; *Iustinus Martyr & Philosophus*, inquit, *qui doctissimè scripsit commentarium sextum sextæ diei, dicit sextum numerum esse intelligentem hominis animam, & quinque eius sentientes sensus.*

EPISTOLA AD DIOGNETVM PROBATVR ESSE S. IVSTINI.

Epistola verò *Ad Diognetum*, cuius parentis sit, suis ipsa lineamentis prodit. Nam de Iudæis quidem ea, quæ profert, valde ijs similia sunt, quæ in *Tryphone*. Item de Christianorum per supplicia & mortes multiplicatione, propè gemina vtrobique adducuntur. De dissensione rursus Philosophorum super Dei natura, hic & in *Parænesi* valde conformis expositio, nisi quòd hìc succinctior, quàm ibi, reperitur. De Dijs autem gentium & eorum oblationibus eadem tra-

ctantur

ctantur in *Apologia ad Antoninum Pium*, quæ hic breuiùs, vt in epistola, perstringuntur. Denique & Diognetum illum (quem Iustinus in capite epistolæ κράτιστον, id est, præstantissimum, aut potentissimum, aut etiam optimum appellat) hoc ipso Iustini tempore, apud M. Aurelium Antoninum Imp. qui tũ regnabat, magnâ fuisse in auctoritate, colligimus ex ipsius M. Aurelij vitâ; siue eâ, quam ipsemet scripsit Aurelius, siue eâ quam Iulius Capitolinus. Callebat Diognetus præter alias doctrinas, etiam pingendi artem, quam & ipse Imperator, vt erat πολυμαθέστατος, sub eo magistro non est dedignatus cõdiscere, vt testis est Capitolinus his verbis, sub vitæ initium: *Operam præterea pingendo sub magistro Diogneto dedit.* Quantus autem in alijs quoque rebus fuerit Diognetus, ipsemet Imperator, libro 1. de vitâ sua, in primo initio satis indicauit, vbi exponens quænam, & à quibus didicisset, hæc se dicit à Diogneto didicisse: Παρὰ Διογνήτου τὸ ἀκενόσπουδον, καὶ τὸ ἀπιστητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων, περὶ ἐπῳδῶν καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις· καὶ τὸ μὴ ὀρτυγοτροφεῖν, μηδὲ περὶ τὰ τοιαῦτα ἐπτοῆσθαι, καὶ τὸ ἀνέχεσθαι παρρησίας, καὶ τὸ οἰκειωθῆναι φιλοσοφίᾳ, καὶ τὸ ἀκοῦσαι, πρῶτον μὲν Βακχείου, εἶτα Ταν δάσιδος, καὶ Μαρκιανοῦ· καὶ τὸ γράψαι διαλόγους ἐν παιδί, καὶ τὸ σκίμποδος καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα τῆς ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐχόμενα. *A Diogneto, studium in res inanes non conferre: de incantationibus & dæmonum expulsionibus, alijsq́ue eiusmodi, fidem non habere ijs, quæ portentifici & præstigiatores dicunt: coturnices non alere; neque talia demirari: liberè dicta æquo animo ferre: philosophiæ animum applicare; & audire primò quidem Bacchium, deinde Tandasidem & Marcianum: & in pueritia dialogos scribere: humiles lectos ac pelles, aliáque ad græcam disciplinam pertinentia appetere.* Ita Antoninus Philosophus, Imp. Nec est improbabile istum Bacchium, de quo hic mentio, consanguineum fuisse Prisco Bacchio, patri Iustini. Certè Iustinus & Imperator propemodum ætate pares fuere.

QVIS FVERIT DIOGNETVS.

Hic ergo Diognetus, vtpote grauis ac moderatus, cognoscendę religionis Christianorum, qualis ea esset, quídue spei haberet in mundo & morte contemnendis, cupidus fuit; idque vel verbo præsens, vel scripto absẽs (vt è Iustini exordio fit probabile) edoceri expetijt: quod Iustinus exactè & eleganter in hac ad eum epistola præstitit. Nota verò ad illud, quod paullò superius scripsit Imperator, monitum se à Diogneto *coturnices non alere*, solitos esse nobiles adolescentes & pręsertim regios, coturnices alere, voluptatis scilicet ex earum conflictu capiendæ gratia. Sed cùm eo conflictu caperentur nonnunquam melioris fortunæ, adeóque supremæ dignitatis omina, atque vti inter alites, sic & inter spectatores, studia partium ad victoriam diuersè inclinarent; nonnullæ interdum exoriebantur irarum & dissidiorũ caussæ. Cuius rei euidens exemplum (quod paullò post hæc tempora, Seuero imperante, inter eius Filios Bassianum & Getam accidit)

accidit) refert Herodianus, lib. 3. historiæ. Ecce eius verba, sed latinè tantùm, quò breuiùs, ex Angeli Politiani interpretatione: *Romæ deinde haud paucos moratus annos [Seuerus] ius dicebat frequenter, ciuilibus negotijs & liberis erudiendis intentus. At illi iam tum adolescentes delicijs vicióque vrbano, nimióque spectaculorum, aurigationísque, & saltationis studio bonam indolem corruperant: interque se fratres dissidebant, puerili primùm certamine, edèdis coturnicum pugnis, gallinaceorúmque conflictibus, & puerorum colluctationibus exorta discordiâ. Nam seu quid in scena audirent, siue item spectarent, semper vbique diuersis accedebant, nusquam eisdem studente vtroque; sed quod alteri earum foret, id alteri statim odiosum.* &c.

Prouidè igitur egit Diognetus, qui M. Aurelium à talibus discordiarum ansis, coturnices amouendo, procul habuit. Sed de Diogneto, & de S. Iustini ad eum epistola nunc satis.

Iam autem Puncta disputationis cum Crescente Cynico emissa ab illo in lucem esse, liquet ex eius posteriore apologia tam Senatui, quàm duobus Augustis fratribus oblata: vbi de illo Crescente agens indicat se cum eo disputasse, & disputationem euulgasse: additque, si puncta disputationis ad eos non peruenerint, paratum se rursus disputationem instaurare: sin peruenerint, & cognitæ ipsis sint tam suæ interrogationes, quàm Crescentis responsiones, manifestum esse nihil hunc eorum, de quibus disputauerit, nosse.

Denique S. Iustinum etiam scripsisse librum, *De resurrectione carnis*, testes sunt tam ipsa fragmenta eius libri, quæ etiamnum supersunt, quàm eorum collectores & laudatores, S. Methodius Tyri Episcopus & Martyr, Leontius Byzantinus, & S. Ioannes Damascenus: quorum hic quidem in suis Parallelis aliquot egregia illius libri fragmenta ad posteros transmisit. Hæc ipsa mihi è bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Rupifocaldi submittere amauit noster Iacobus Sirmondus: quæ suo loco infrà inter Reliquias Scriptorum eiusdem S. Iustini, in cap. 27. proferam. Nunc enim de libris dubijs agendum.

De libris S. Iustini dubijs.

§. VI.

INter dubios S. Iustini libros recensui, 1°. *Epistolam ad Zenam & Serenum*, quòd nulla eiusmodi lineamenta vel argumenta in ea repererim, qualia in *epistola ad Diognetum*, vel in alijs indubitatis Iustini libris: siue materiam spectarem, siue stilum.

MONITA SALVTARIA PRO COENOBITIS.

Et quidem isti Zenas & Serenus videntur cœnobitæ fuisse, vt ex multis eius epistolæ locis potest colligi: quibus proinde monita tali vitæ instituto consentanea illius auctor epistolę suggerit: locum scilicet iræ & contentioni non dandum: propter discordiam à commu-

nibus precibus non abſtinendum: primas partes non arrogandas: nec eas arrogantibus inuidendum: neu cum mœrore indignandum: aduerſus clamoſos tenendum ſilentium: prauas ſuſpiciones vitandas: ſi quis præ alijs ametur, abſque æmulatione ferendum: vt quis tibi miniſtret, non affectandum: ſeruandam in ſermone modeſtiam: exiſtimandum res mundi à nobis alienas: non quærendam terrenam amicitiam, nec ea quæ ab inſipientibus magni fiunt: cùm non ſimus ex hoc ſæculo: nihil mundanum in ſermonibus tractandũ: riſu dignos eſſe, qui in abdito capita conferant, qui ſermones ineptos miſceant; aliáque eiuſdem generis permulta profert documenta; perutilia ſanè illa, ſed quæ ab aliquo poſterioris ſæculi ſcripta videantur.

Admittitur tamen hic liber etiam ab hæreticis, tanquam Iuſtini; ſed ob nihil aliud magis ac procliuiùs, vt opinor, quàm ob primam periodum, quæ valde illis ſapit: quamuis, ſi bene expendatur, nihil admodum pro illis faciat: quãdoquidem agat de particulari quorundam vitæ inſtituto, quod ipſi mordicus tanquam à maioribus hereditate acceptum retinebant, licet in aliquibus ipſi Scriptori minùs probatum: & eſt credibile agi de aliquibus inter certos monachos conſuetudinibus, ac vitioſis moribus, qui ſint contrarij ijs, quas profert, virtutibus, vt ſunt quas modò ex parte recenſui. Et hoc ipſum indicat ſub initium epiſtolæ, his verbis: Οὐκ ὤκνησα καὶ ὑμῖν ἐπιστεῖλαι, χάριν τοῦ γινώσκειν ὑμᾶς τὰς παιδαριώδεις τινῶν πολιτείας. Τὸ γὰρ εἰδέναι τῶν μὴ κατὰ λόγον πολιτευομένων τὰς ἀναστροφὰς, σωφρονίζει τοὺς, μὴ ἐμπίπτειν, εἰς τὰ ὅμοια σπουδάζοντας. *Non grauatus ſum & vobis ſcribere, quò cognoſcatis pueriles nonnullorum viuendi rationes. Scire enim eorum, qui præter rationem vitam inſtituerint, ſubuerſiones, ſapientiores reddit eos, qui ad talia contendunt, ne in ea incidant.*

Denique videtur ea epiſtola eſſe alicuius veteris aſcetæ ſeu monachi, cœnobitarum mores atque exercitia experti, qui inſtar alicuius Iſidori Peluſiotæ, Epiſcopos ac Cœnobiarchas commonefaciendi auctoritatem, ex vitæ ſanctimonia acquiſiuerit. Sanè S. Iſidorus Peluſiota & Imperatores, & Epiſcopos, adeóque ipſum Cyrillum Alexandrinum, cuius tamen erat poteſtati ſubditus, ſatis acriter interdum ſuis epiſtolis admonuit: quemadmodum & huius epiſtolę auctor, (quicumque is fuerit) dicit ſe ad Papã ſcripſiſſe, & paullò pòſt, etiam ad ſuos Præſides, cùm dicit, ἐν τῇ γραφείσῃ πρὸς ἄρχοντάς μοι. *in epiſtola quàm ad ſuperiores meos ſcripſi.* Si enim per ἄρχοντας intelligeret Principes, nõ adderet μοι, mihi: ſi intelligeret Imperatores, vocaret, vt alibi, vel αὐτοκράτορας, vel βασιλεῖς, vel ἄρχοντας abſolutè. Verùm οἱ ἄρχοντες vocantur paſſim quilibet Præſides ac Præſules: ſicut οἱ ἀρχόμενοι, quilibet ſubditi. Et nomen Πάπαν ſiue *Papam*, nihil neceſſe eſt pro Pontifice Romano accipi, cùm conſtet pro quolibet Epiſco-

S. ISIDORI PELVSIOTÆ AVCTORITAS.

po

po antiquitus vſurpatum, atque adeo etiam aliquibus nomen proprium fuerit, vt in 2. tomo agens de hac ipſa epiſtola admonuit Baronius, ad annum ſcilicet Chriſti 165.

In vita S. Anaſtaſij Perſæ Martyris, t. 1. Surij, 22. Ianuarij agitur de quodã Iuſtino viro ſancto, qui tempore Heraclij Imp. præerat monaſterio S. Anaſtaſij, quod diſtabat ab vrbe ſancta Hieruſalem ad quartum lapidem. Huius ergo Iuſtini monachi & Abbatis librum illum potiùs eſſe exiſtimauerim, quàm noſtri Philoſophi & Martyris.

Iam & *Expoſitio Fidei*, inter libros dubios, non inter certos Iuſtini reponitur. Sunt enim pro vna parte rationes, pro altera auctoritas. Rationes ducuntur partim è re, partim è ſtilo.

E re quidem; quòd de myſterio SSS. Trinitatis tam expreſsè & diſtinctè loquatur, quàm ſi poſt Concilium Nicenum fuiſſet, immo & poſt Conſtantinopolitanum: & vocabulum, πρόσωπα, quod omnibus Græcis Patribus in Nicenâ Synodo auditu horrendum videbatur, & totam (niſi ſapientiâ ſuâ interueniſſet Athanaſius) diſcindebat Eccleſiam, abſque vlla religione, in hac *Expoſitione Fidei* vſurpetur: proceſſionem verò Spiritus Sancti tam clarè exponat, vt non poſſit clariùs. Ecce aliquot loca in medio, gratia teſtimonij:

Non procul ab initio, ſiue paginâ; 374. editionis græcolatinæ Pariſienſis anni M.DC.XV. ita ſcribit:

Ingenitum & genitum & emanans, non eſſentiam declarant, ſed ſubſiſtentias ſignificant. Satis enim ſunt nobis ad diſcernendas perſonas, & Patris, & Filij, & Spiritus ſancti peculiariter demonſtrandam hypoſtaſin.

Τὸ ἀγέννητον καὶ γεννητὸν καὶ ἐκπορευτὸν οὐκ οὐσίας δηλωτικά, σημαντικὰ δὲ τῶν ὑποστάσεών ἐστιν. ἱκανὰ γὰρ ἡμῖν διακρίνειν τὰ πρόσωπα, καὶ τὴν πατρὸς καὶ ἁγίου πνεύματος ἰδιαζόντως δεικνύειν ὑπόστασιν.

Paginâ verò proximâ probat Filium & Spiritum ſanctum non eſſe creaturas, è Dauide & Paullo, ac deinde ſic concludit:

Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐ συνέζευκται τῇ κτιστῇ φύσει ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα, ἀπὸ τούτων καὶ τῶν τοιούτων ἰστέον. *Sed enim Filium & Spiritum ſanctum non eſſe creatæ naturæ coniunctos, ex his atque huiuſmodi cognoſcere licet.* (ſiue, vt verba ſonant, *non trahere idem iugum cum natura creata*, id eſt, non eſſe è numero rerum creatarum.) Quæ contra Arianos ſunt dicta.

Præterea vocabulo προσώπων vtitur pag. 376. & 377.

Locus autem de diſtinctione proceſſionum, pag. 380. quàm clarus, quàm expreſſus! Sic enim ſcribit·

Sicut Filius ex Patre; ita & Spiritus: excepto quòd in ſubſiſtentiæ modo differentia intercedit. Ille ſiquidem lumen de lumine, per modum generationis eluxit:

Ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα· πλὴν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει. Ὁ μὲν γὰρ φῶς ἐκ φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε· ὁ δὲ φῶς μὲν ἐκ φωτὸς καὶ αὐτό, οὐ μὴν γεννη-

γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς προελήλυθεν.

hic verò lumen quidem de lumine; at non per modum generationis, sed emanationis processit.

Adde quod pagina 382. videatur exponere illud, quod est in symbolo Athanasij: *Nam sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita Deus & homo, vnus est Christus.* Etsi enim nec eadem verba proferat, nec Athanasium citet, tamen ipsam eius comparationem adducit, & quatenus congruat, quatenus claudicet, clarè elucidat.

Stilus etiam abludere à stilo Iustini videtur, & sub finem nimis iuueniliter exultare in istis verbis à grauitate philosophica alienissimis.

Ἴδε πῶς ἀθλήσας τὸν δρόμον ὁ λόγος νικητὴς ἀπεφάνθη· στεφανηφορείτω λοιπὸν, καὶ πομπευέτω, καὶ τοῖς τῆς νίκης στεφάνοις ὡραϊζέσθω, καὶ θριαμβευέτω τῶν ἀντιπάλων τὴν ἧτταν.

Vide, quomodo oratio cursu exantlato victrix exstiterit. Coronetur de cetero, & pompam agat, & victoriæ insignibus decoretur, & de superatis aduersarijs triumphum agat.

IVVENILIS EXVLTATIO ET VITVLATIO.

Hactenus satis, vt *Expositio* illa non censeatur Iustini.

Contra hæc tamen, Leontij Byzantini auctoritas militat. Et mille antè annis vir hic floruit, & verba huius libri citauit, & Iustino adscripsit atque attribuit.

Itaque libro 1. Contra Nestorium & Eutychetem, sic profert Iustini testimonium:

S. Iustini Philosophi & Martyris, ex 3. libro De Trinitate, cap. 3.

Tunc à cælis non discedens ad nos descendit. Non enim fuit descensus corporis, sed diuinæ operationis voluntas, &c. Vide tomo 4. Henrici Canisij, pag. 23.

Eadem reperio in hac fidei Expositione, apud Iustinum, pag. 381. B. his verbis:

Τότε δὴ τῶν οὐρανῶν οὐκ ἀποστὰς, πρὸς ἡμᾶς κατελήλυθεν· οὐ γὰρ ἦν σώματος ἡ κατάβασις, ἀλλὰ θείας ἐνεργείας βούλησις, &c. Ibi plura, & eadem quæ in Leontio.

Ibidem Leontius alium locum, ex eodem lib. Iustini, cap. 17. adducit:

Cùm ergo audieris de Filio Dei, voces contrarias; impertire voces conuenientes naturis, &c.

Habeo apud Iustinum pag. 382. initio, his verbis:

Ὅταν οὖν ἀκούσῃς περὶ τοῦ ἑνὸς υἱοῦ, τὰς ἐναντίας φωνὰς, κατάλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα, &c.

Idem Leontius, ex eodem cap. longum locum citat:

Sicut vnus quidā est homo, habet autem naturas differentes duas, &c.

Est

Est in Iustino totidem verbis, pag. 382. C. ita græcè.

Ὡς γὰρ εἷς μέν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ἔχει δὲ φύσεις ἐν ἑαυτῷ διαφόρους δύο, &c.

Ad has auctoritates dici posset, Leontium existimasse libros istos *De Trinitate* esse Iustini, cùm essent alterius: ac propterea sub nomine illius citasse. Alioqui valde foret admirabile, tam pulchram & accuratam expositionem Fidei, &, quod maximum est, tam claram, potuisse è manibus hominum in tam diuturnas tenebras, trium scilicet sæculorum excidere & delitescere. Nam de operibus Areopagitæ alia est ratio. Erant obscura, & ex composito occultabantur: cùm id Auctor ipse efflagitasset, nec cuperet nisi cum Episcopis communicari.

Tertius liber è dubijs est ille, qui inscribitur: *Quæstionum*, siue *Dubitationum CXLVI. Solutio ad Orthodoxos:* prout nunc quidem exstat. Nam prout Photij tempore exstitit, nullum existimo dubium, quin Iustini fuerit: quandoquidem ea deerant de Origene, de Manichæis, de Anachoretis, quæ nunc illas quæstiones reddunt dubias. Nec enim is erat Photius, quem talia in lectione & censura effugerent.

Sed de his quæstionibus satis multa superiùs, vbi de illis Iustini libris actum est, quos ab Eusebio tacitos protulit Photius.

Nunc aliquid de ordine & inscriptione librorum, qui iã exstant, nobis dicendum est: tum vt suæ illis veræ inscriptiones restituantur; tum vt is, qui nouam horum operum editionem adornare voluerit, aliquâ hinc luce habitâ, meliorem in formam ea quæ iam satis confusa sunt, redigat. Valde enim hodie molestum est, cùm cites priorem Iustini apologiam, nesciri an illam cites, quæ prior à Iustino scripta est, an eam quæ in operibus priorem locum obtinet, quæ multis prior vocatur, cum verè sit posterior. Eadémque est difficultas de *Cohortationibus ad Græcos*, cùm nec veris nominibus suis inscriptæ, nec ordine suo sint editæ. Itaque hoc in præsenti agamus, vt errorem hunc, quoad in nobis situm est, eradamus, & verum, rectúmque singulorum librorum ordinem adstruamus.

CAPVT XXVI.

De Ordine Librorum S. Iustini.

PRIMVS LIBRORVM S. IVSTINI EST ELENCHVS.

PRimò omnium scriptus est *Elenchus ad Græcos*, siue ad Gentiles. Cùm enim ab illis tanquam Deorum & religionis desertor argueretur, *Redargutionem* siue *Elenchum* composuit, eúmque breuem, quo ostenderet (vt fieri etiamnum videmus) non absque caussa se à Gentilibus ad Christianos desciuisse. Itaque illum sic exorditur:

Μὴ

Μὴ ὑπολάβητε ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, ἄλογον ἢ ἀνεπίκριτον εἶναί μου τὸν ἐκ τῶν ὑμετέρων ἐθῶν χωρισμόν· Οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς εὗρον ὅσιον ἢ θεοφιλές.

Ne existimaueritis, ô viri Gentiles, hanc meam à vestris ritibus defectionem aut ratione carere aut iudicio. Nihil enim in illis sanctum, nihil pium reperi. &c. EIVS EXORDIVM.

Deinde pergit exemplorum inductione, ab ipsorum Poëtis, & Historicis desumptorum id planum facere, qui non Heroum modò iniqua & impura facta; sed etiam Deorum, quos illi imitati sunt, mandauêre litteris. Post quæ subiūgit religionis nostræ diuersitatem, quæ non eiusmodi facinoribus, sed pietate ac sanctimonia fundetur.

Hunc porrò librum esse eum, qui ἔλεγχος Elenchus inscriptus est, tum res ipsa & oratio declarat; tum è sufficienti diuisione colligi potest. Nam contra Gentiles, 4. tractatus, teste Photio suprà, composuit; quorum duo sunt Apologiæ duæ, alij duo sunt *Elenchus* & *Paræneſis*: Atqui hęc breuis oratio non est vna ex Apologijs, cùm vtraque inferiùs in eodem opere reperiatur: nec item *Paræneſis*, cùm illa oratio, quæ à nobis secundò loco ponetur, ab ipso Iustino vocetur *Paræneſis*, statim initio, cùm sic exorditur: Ἀρχόμενος τῆς πρὸς ὑμᾶς παραινέσεως, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, *&c.* Itaque relinquitur, vt sit *Elenchus*.

Quod autem priore loco hic scriptus sit, quàm *Paræneſis* siue *Cohortatio*; partim ex rei natura colligitur, partim ex hac ratione: Quia si priùs scripsisset illam *Paræneſim* siue *Cohortationem*, quæ est perfectissima & accuratissima oratio, & in qua fusè continentur, quæ in *Elencho* breuissimè; putidum fuisset *Elenchum* scribere, &, quod dicitur, actum agere. Minimè igitur hoc fecit; sed tantisper, dum illam insignem Cohortationem apparabat, Elenchum illum breuem expediuit, & præmisit, velut antecursorem.

Quare in proxima operum editione, primo loco edendus esset hoc modo: Τοῦ ἁγίου Ἰουστίνου φιλοσόφου καὶ μάρτυρος Ἔλεγχος πρὸς Ἕλληνας. LIBRORVM IMPRIMENDORVM ORDO.

Sancti Iustini Philosophi & Martyris Elenchus ad Græcos. I. LIB. ELENCHVS AD GRÆCOS.

Deinde 2. loco, Cohortatio ad Græcos, his verbis:

Τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου παραίνεσις πρὸς Ἕλληνας.

Eiusdem Iustini Cohortatio ad Græcos. II. COHORTATIO AD GRÆCOS.

De his duobus libris hactenus ordo certus.

Tertio loco quid ponatur, non ita certum. Mihi quidem probatur liber, *De Dei monarchia*, licet imperfectus sit ac mutilus: quòd desint testimonia è nostris Scripturis, quæ tamen in eo libro non defuisse indicauit Eusebius in sua recensione suprà. Nisi fortè Eusebius, quà homo, opinione falsus sit, & breuiter eum obiterque peruolans, lectis in eo Profanorum de Deo vno testimonijs, arbitratus sit etiam è sacris inesse testimonia, & scripserit Iustinum non modò è nostris, III. DE DEI MONARCHIA.

sed

sed etiam è Gentilitijs, Dei monarchiam comprobasse. Certè cùm hic liber in Græcorum emolumentum & conuersionem scriptus sit, (eo enim nihil nostri opus habuerunt, nec Iudæi) non video, quid necesse fuerit contra illos, alia, quàm ipsorum, proferre testimonia.

LIBRI DE MONARCHIA DEI ARGVMENTVM.

Hic itaque loco tertio imprimendus est, cùm & eiusdem sit cum prioribus argumenti, (nempe ad probandum contra Gentiles vnicum esse Deum) & verisimile sit, eodem ferè cum illis tempore conscriptum esse.

Post assertam Dei monarchiam, proximum erat & maximè ex vsu Gentilium, adstruere animæ immortalitatem. Sed quia nec liber *De anima*, nec liber *Psaltes* modò exstant, nihil attinet de eorum ordine locóue disputare: quamuis librum *De anima* tertio scriptum loco autumem. Nam *Psaltes* vbi locandus sit, quis diuinet?

PSALTES QVID CONTINVERIT, IGNOTVM EST.

De libro item *Contra omnes hæreses*, & voluminibus *Contra Marcionem*, cùm iam non exstent, nihil est magnopere opus sollicitũ esse de ordine: priùs tamen *Contra omnes hæreses* scripsisse, quàm *Contra Marcionem*, sunt aliqua vestigia. Nam aduersus Græcorum in Christianos calumnias, (de quibus in vita egi fusius) necessarium fuit ad veros Christianos siue Catholicos, omni istorum flagitiorum, quæ hæretici designabant, suspicione & criminationibus eximendos, quid cuique sectę cõueniret, in quo à singulis earũ Catholicus discreparet, aperire atque distinguere. Nec enim illa præcipua flagitia, quę nostris obijciebãtur, in Marcione aut Marcionitis hęrebãt; sed in Simonianis maximè, & Carpocratianis, & similibus. Itaque priùs contra omnes hęreses, quàm contra vnam singularem; & contra priores & notiores, quàm contra nouissimam & minùs notam (viuebat enim adhuc Marcion) scripsisse Iustinum est probabilius.

Denique librum *Contra omnes hæreses* constat ante priorem Apologiam compositum esse; non item librum, seu libros *Contra Marcionem*: quandoquidem ipse Iustinus in ea apologia (quæ est ad Antoninum Pium Imp.) libri *Contra omnes hæreses* meminerit, non item libri *Contra Marcionem*, quamuis optima tum esset occasio mentionis eius faciendæ, si iam scriptus esset; cùm proximè ante verba de libro *Contra omnes hæreses*, errorem Marcionis memorasset. Verba Iustini paullo ante medium illius Apologiæ sunt hæc: Ἔστι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα κατὰ πασῶν τῶν γεγενημένων αἱρέσεων· ᾧ εἰ βούλεσθε ἐντυχεῖν, δώσομεν. *Est verò & nobis liber Contra omnes, quæ fuerunt, hæreses: quem si legere vultis, dabimus.*

Quin & post exaratam hanc priorem Apologiam, & post Dialogum cum Tryphone, demum ad libros in Marcionem scribendos se contulisse, hinc fit credibile; quòd & hic Dialogus non diu post Apologiam habitus & scriptus videatur, vt in vita indicaui; & in ipsa Apologia, de Marcione loquens, nullius in eum scripti libri memi-

meminerit; cùm id occaſio, vt paullò antè dixi, poſtularet.

Omiſſis porrò iſtis, quæ in præſenti non comparent, voluminibus, Quarto loco, ſiue poſt librum, *De Dei Monarchia*, aptè collocabitur prior Apologia, ea ſcilicet, quæ inſcripta eſt Antonino Pio; quamuis in omnibus, quas hactenus vidi, editionibus, poſterior appelletur, & alteri, quæ verè poſterior eſt, poſtponatur; ſed errore manifeſtiſſimo, quem & duo doctiſſimi Cardinales Baronius & Bellarminus indicarunt; iam autem euidentiſſimè, vt opinor, cōprobabo; & erroris, qui adhuc inualuit, occaſionem ſubuertā. Fecit enim ea occaſio, vt poſthabitâ tantorum virorum auctoritate, etiam poſtrema Pariſienſis editio græcolatina, anni M. DC. XV. inuerſum olim ordinem, tanquam rectum & non inuerſum, retinuerit.

4 liber. APOLOGIA AD ANTONINVM PIVM IMP.

Tota igitur erroris occaſio fuit, partim vnus locus Euſebij vitioſus: partim Chriſtophorſoni verſio locis aliquot minus accurata: partim quorundā opinio ſcriptas à Iuſtino tres Apologias: ita vt ea quam primam ponunt, ſit ad Senatum; reliquæ duæ ad Imperatores, prior quidem ad Antoninum Pium, quæ iam ſuperſit: poſterior ad eius ſucceſſores M. Aurelium & L. Verum, quæ interierit. Sed horum nihil bene dici, parebit breui poſtea. Procedam enim ad partes ſingulas ordine. Locus ergo Euſebij vitioſus eſt is, qui lib. 4. hiſtorię eccleſiaſticæ, cap. 16. ſic habet: Ὁ δ' αὐτὸς ἀνὴρ πρὸ τοῦ κατ' αὐτὸν ἀγῶνος, ἑτέρων πρὸ αὐτοῦ μαρτυρησάντων ἐν τῇ προτέρᾳ μνημονεύει ἀπολογίᾳ, &c. *Hic ipſe vir* [Iuſtinus] *ante ſuum certamen, aliorum, qui ante ipſum paßi ſunt martyrium, mentionem facit in priore apologia, &c.* Inde colligunt eam priorē eſſe apologiā, in qua fiat eorum martyrum mētio, & vbi exemplum illud, quod ibidem ſubdit de muliere, vnde prima martyriorum anſa profluxit, reperitur. Et rectiſſimè quidem ita colligerent, ſi locus Euſebij non eſſet vitioſus, & accipiendus eſſet, prout iacet.

EVSEBII LOCVS EMENDATVS.

Atqui certum eſt loco, ἐν τῇ προτέρᾳ, corrigendum eſſe ἐν τῇ δευτέρᾳ, & legendum ſimiliter in latino, *in ſecunda apologia*: aut, *in poſteriore Apologia*, non autem, *in priore*. Et ipſa Euſebij verba proximè antecedentia ſic legendum eſſe ſatis innuunt, nęmpe iſta: πρὸ τοῦ κατ' αὐτὸν ἀγῶνος, *ante ſuum certamen*, ſiue, *ante ſuum martyrium*, quę idem valent, atque, *paullò ante ſuum martyrium*, mentionem facit aliorum, *qui ante ipſum paßi ſunt*: quod itidem intelligendum, *paullò ante*. Alioqui enim inanis & nihili eſt iſta oratio: *Ante ſuum martyrium mentionem facit*. Quis enim neſcit, quod poſt martyrium ſuum, mentionem non faciat, nec ſcribat is, qui iam eſt mortuus? Quod ſi agat de martyribus paullò ante ipſum paſſis, ergo in poſteriore apologia.

2. probatur è ſequēti cap. Euſebij, vbi contexit indicem librorum Iuſtini, & duas tantū recenſet apologias, vnam ad Antoninum Pium & liberos eius & Senatum: alterā, (quam ſecundam expreſſiſſimè vocat) quę oblata fuerit eius ſucceſſoribus: alterius autem tertiæ apologiæ

nuſquam, nec ipſe, nec S. Hieronymus, nec Photius meminit. Verba Euſebij, vt ne repetenda ſint, ſuperiùs tota poſui, quemadmodum & Hieronymi, & Photij.

Itaque ſi duę tantum ſunt apologiæ, certè illa prior, quæ Antonino Pio oblata eſt: illa poſterior, quæ illo mortuo, oblata eſt ſucceſſoribus, quamuis & ad Senatum ſcripta fuerit. Sic liber *Contra omnes hæreſes*, licet ad alium ſcriptus, tamen offerebatur, (vt antè annotatum eſt) Antonino, ſi is quidem vellet legere.

Quòd autem oblata fuerit tantùm, & non dedicata Imperatoribus, ex eo liquet, quòd nuſquam alloquatur Imperatores, & initio appellet Romanos, dicens: ὦ Ῥωμαῖοι. *ô Romani*. Deinde paullò inferiùs, cùm de muliere Chriſtiana agit, quę libellum obtulit Imperatori, M. Aurelio ſcilicet (nam L. Vero militiam foris adminiſtrante, ſolus Romæ curabat Aurelius) ita ſcribit: Καὶ ἡ μὲν βιβλίδιον τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε. *Et hæc quidem libellum Imperatori obtulit.* Quòd ſi autē hæc apologia fuiſſet Imperatoribus dedicata, ſic procul dubio dixiſſet: *libellum vobis obtulit*. non verò, *libellum Imperatori obtulit*. Quod enim in editione Pariſienſi græcolatina habetur: σοὶ τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε. *tibi Imperatori obtulit*; manifeſtum erratum eſt. Nemo enim ſic loquitur, ſed bene: *tibi ô Imperator obtulit*; & græcè σοὶ ὦ αὐτοκράτορ ἀναδέδωκε. Hinc latina interpretatio emendata tantùm ſic habet: *libellum Imperatori obtulit.* Atque ita prorſus eſſe debet, cùm tota oratio ad Senatum dirigatur.

Denique, ecce tibi locum alium ex eodem Euſebio clariſſimum, in libro 2. hiſtorię, cap. 12. vbi Apologiam ad Antoninum vocat priorem, cùm de Simone Mago agit, & Iuſtini de illo profert teſtimoniū, his verbis: ὃ δὴ ἐν τῇ προτέρᾳ πρὸς Ἀντωνῖνον ὑπὲρ τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς δόγματος ἀπολογίᾳ γράφων, ὧδέ φησι· Καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου εἰς οὐρανὸν, &c. *Qui Iuſtinus in priore ad Antoninum pro dogmate noſtro Apologia ſcribens, ſic ait: Et poſt Domini in cælum aſſumptionem, &c.* Quæ ipſa verba reperiuntur apud Iuſtinum in ea apologia, quam priorem poſuimus, eſtque ad Antoninum Pium. Is enim ſemper intelligitur, cùm abſolute nominatur *Antoninus*. cùm autem additur Philoſophus, tum intelligitur M. Aurelius Antoninus, Antonini Pij ſucceſſor, qui paſſim vocatur Antoninus Philoſophus.

Atque hæc ſatis de vitiato Euſebij loco.

IOANNIS CHRISTOPHORSONI ERROR EMENDATVS.

Chriſtophorſoni quoque inconſiderata interpretatio verborū Euſebij, poteſt aliquam ſubminiſtraſſe aberrandi occaſionē, qui lib. 4. hiſt. cap. 15. ſtatim initio ſic habet: *Temporibus yſdē Iuſtinus, de quo paullo antè mentio facta eſt, vbi ſecundum librum, quem pro religionis noſtræ defenſione edidit, Imperatoribus ſuprà citatis dedicauerat, &c.*

Iſtud verbum, *dedicauerat*, fecit, vt aliqui opinarentur, eam Apologiam eſſe aliam ab ea, quæ inſcripta eſt, *Ad Senatum*, cùm in

ea

ea nullum verbum ad Impp. ſed omnia ad ipſos Romanos, aut ad Senatores dirigantur. Verùm illud, *dedicauerat*, non eſt in græco, ſed, *tradiderat*, ſiue, *cùm tradidiſſet:* hoc enim eſt, ἀναδοὺς. Ecce ipſa Euſebij verba: Κατὰ τούσδε καὶ ὁ μικρῷ πρόσθεν ἡμῖν δηλωθεὶς Ἰουστῖνος, δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, θείῳ καταχοσμεῖται μαρτυρίῳ.

Sub eadem tempora, Iuſtinus quoque nobis paullò antè memoratus, poſtquam ſecundum librum pro noſtra religione dictis Imperatoribus tradidiſſet, diuino adornatur martyrio.

Per Imperatores autem intelligit M. Aurelium Antoninum, & Lucium eius fratrem, de quo locutus fuerat proximo capite. Et quòd per librum illum ſecundum, vt vocat, nihil aliud intelligat, quam illam Apologiam, quę nunc inſcribitur, *Ad Senatum*, inde liquet manifeſtiſſimè, quòd ea quæ ibidem citat Euſebius ex illo libro 2. dato Imperatoribus, ſiue ex Apologia 2. reperiantur in ea quæ ſcripta eſt, *Ad Senatum.* Verba autem ſunt iſta: Κἀγὼ οὖν προσδοκῶ ὑπό τινος τῶν ὠνομασμένων ἐπιβουλευθῆναι, καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι. *&c.* quę ſic vertit Chriſtophorſonus: *Equidem exſpecto, vt vel ab aliquo iſtorum, qui nomine ſolùm philoſophi ſunt, vitæ meæ parentur inſidiæ, & fuſte conquaſſatus obterar.* Quàm multa verba & mala! Ego autem ſic verto: *Et ego igitur exſpecto, vt mihi ab aliquo clarorum virorum ſtruantur inſidiæ, & ligno affigar.* Loquitur enim, vti arbitror, de crucifixione. Crux ſiquidem, & lignum, & arbor appellatur. Viri item clari, græcè οἱ ὠνομασμένοι, appellantur, .i. nominati, celebrati. Exſpectabat autem Iuſtinus, vt ab iſtorum aliquo per inuidiam deferretur, aut etiam, vt poſtea ſubdit, à Creſcente τοῦ φιλοψόφου καὶ φιλοκόμπου· οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον. *&c.* .i. à ſtrepitus popularis & iactantiæ, non autem ſapientiæ, ſtudioſo. Nec enim ſapientiæ ſtudioſus vocari debet, *&c.* Malè autem apud Euſebium in editione græcolatina legitur τοῦ ἀφιλοσόφου καὶ φιλοκόμπου.

Verba igitur illa, quæ producit Euſebius ex 2. apologia, reperiuntur in ea, quæ inſcribitur, *Ad Senatum.* Vnde concluditur vnam & eādem eſſe, quæ dedicata ſit Senatui, & quæ deinde oblata Imperatoribus, poſtquam ſcilicet in Vrbem rediuerunt. (Nam M. Aurelius ſæpe abfuit, Lucius Verus autem, ferè ſemper) non verò eſſe diuerſam, & tertiam quandam, præter duas ad Imperatores.

ALIA CHRISTOPHORSONI INTERPRETATIO CORRECTA.

Malè item Chriſtophorſonus in capite iam dicto vertit illa verba Euſebij: ἐν τῇ δεδηλωμένῃ ἀπολογίᾳ, hoc modo: *in apologia ſua, quā dudum commemorauimus.* Nam iſta, *quam dudum*, ſunt adiectitia & falſa. Non enim in illa apologia, quam dudum, ſed in ea quam proximè memorauit, illa habet Iuſtinus, quæ ibi adferuntur. Illa porro apologia, quam dudum memorauit Euſebius, eſt apologia ad Antoninum Pium, de qua egit cap. x1. quam verò proximè memorauit, eſt illa de qua ipſo cap. 15. ſeu paullò antè locutus eſt, vocans illā 2. librum pro reli-

EIVSDEM CHRISTOPHORSONI FALSA INTERPRETATIO.

religionis nostræ defensione:ex quo sumit ea,quæ adfert de Crescēte.

Tertia erroris occasio de ordine harum Apologiarum erat, quòd aliqui existimarēt Iustinum scripsisse tres apologias,ac proinde cùm *Apologia ad Antoninum* vocaretur prior, illam tantùm respectu ad eam,quæ eius successoribus oblata esset,sic vocari; non autem respectu eius,quæ *Ad Senatum* scripta,quæ absolutè prima esset ex tribus. Sed horū opinio iam refutata, partim ex Eusebio, Hieronymo, Photio,qui duas tantùm agnoscunt apologias;partim ex locis Eusebij appellantis 2am.quam isti vocant tertiam:quæ loca cùm sint citata è 2. apologia,inueniuntur in ea,quæ est *Ad Senatum* : vnde necessariò conficitur,hanc quę est ad Senatum,esse 2.priorem autem eam, quæ est,ad Antoninum Pium:nec vllam esse tertiam. Vnde & illorū quoque ruit coniectura,qui tertiam existimabant illam,quæ Athenagoræ adscribitur,& inscripta est Imperatoribus M.Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo,quasi non esset Athenagorę,sed Iustini:propterea nimirum quòd Hieronymus in recensione librorū S.Iustini,dicat eū dedisse vnum Antonino Pio & filijs eius & Senatui: *& alium libru successoribus eiusdem Antonini, M. Antonino Vero & L. Aurelio Cōmodo.* Ex similitudine ergo inscriptionum eundem credebant auctorē designari,nempe Iustinum:præsertim quòd Athenagoræ nusquam, nec Eusebius,nec Hieronymus,nec Photius,nec Suidas meminissent.

Dico nihilominus eam apologiam,quę sub nomine exstat Athenagoræ,re verâ esse Athenagoræ,non verò Iustini:tam ob suprà allatam rationem de duabus tātum Iustini apologijs: quàm ob ipsius orationis lineamenta atque notas,quæ in hac Athenagorę apologiâ multū à sensu & colore Iustini differūt. Desideratur enim illa acrimonia, & dicendi libertas,& animi fortitudo;quę Iustini sunt propria. Deinde & stilus in Athenagora floridior,& qui maius eloquentiæ quàm philosophiæ studium,(contrà quàm in Iustino) præ se ferat. Adde verò, (quod præcipuū & inuictum quidem mihi videtur argumentum) licet Eusebius,& eum proximè secuti vsque ad ipsum Suidam, Athenagoræ non meminerint, tamen illis omnibus antiquiorem Proclum Philosophum Origeni æqualem,illius meminisse,& verba ex eodem Athenagora citâsse,quæ in hac Athenagoræ apologia repe- riuntur. Exstant Procli verba apud Epiphanium,hæresi 64.relata à S. Methodio Tyri Episcopo & Martyre:& quatenus proposito seruiunt, ita habent: Τί οὖν διάβολος λέξεται; πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην ἔχον, καθάπερ ἐλέχθη τῷ Ἀθηναγόρᾳ, γενόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ. *Quid igitur diabolus dicetur? Spiritus circa materiam se habens, quemadmodum ab Athenagora dictum est, factus à Deo.* Ita enim græcè apud Epiphanium legi græca debent,non verò,vt in corruptis exemplaribus, ὦ Ἀθηναγόρα. Et vetus interpres similiter corrigendus,qui sic verterat: *Ipse igitur diabolus dicetur spiritus circa materiam se habens, velut dictum est, ô Athenagora,*

S. Epiphanij locus correctus.

ITEM VETUS S. EPIPHANII INTERPRES.

gora, factus à Deo. Nec enim ibi Proclus Athenagoram alloquitur, sed ad locum Athenagoræ ex eius apologia respicit, quem & totidem ferè verbis recitat. Locus Athenagoræ in editione Parisiensi græcolatinâ anni 1615. reperietur pag. 27. & apud Epiphanium ex editione græca Basileensi, pagina 235.

Maneat ergo apologiam illam, de quâ nunc est controuersia, non esse Iustini, sed Athenagoræ: vti & vera habet inscriptio, & passim omnes tenent: & præ alijs viri doctissimi Bellarminus & Baronius: ille quidē libro, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, in Athenagora: hic autem tomo 2. Annalium, ad Christi annum 179. quo ipso anno oblatam existimat dictis Imp. M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo. Verùm, vti satis constat de auctore apologiæ, ita non prorsus liquet, neque de tempore quo oblata est, neque de Imperatoribus quibus oblata est. Nam Baronij opinionem, quamuis probabilem, labefactare nonnihil videtur ista Athenagoræ inscriptio, quam ibidem citat:

Impp. M. Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo, Armeniacis, & , quod maximum est, Philosophis.

Longè enim melius ac verius conuenit *Armeniaci* inscriptio duobus fratribus Impp. M. Aurelio, & L. Vero, qui simul & pari iure imperârunt, & de Armenis, Parthis, Medis triumphârunt: quam M. Aurelio & eius filio Commodo. His enim nomen *Germanici* magis congruit, quàm *Armeniaci*: cùm solus L. Verus ad Armeniacum bellum profectus sit, & frater qui Romæ remanserat reip. administrandæ caussa, ægrè nomen illud admiserit, sed eius loco deuictis à se Germanis, nomen *Germanici* assumpserit, vt testatur Iulius Capitolinus in M. Antonino. Qui etiam Capitolinus in Vero Imp. fratre Marci, itâ de eo scribit: *Partúmque est ipsi* [Vero] *nomen* Armenici, Parthici, Medici: *quod etiam Marco Romæ agenti delatum est.* Fuit autem hic L. Verus, etiam Commodus appellatus, teste eodem Capitolino, his verbis in M. Antonino Philosopho: *Post excessū diui Pij à senatu coactus* [Marcus] *regimen publicum capere, fratrem sibi participē in imperio designauit: quem* Lucium Aurelium Verum Commodū *appellauit, Cæsarémque atque Augustum dixit: atque ex eo cœperunt pariter remp. regere.* Atqui hoc ipsum est nomen, quod in Athenagoræ inscriptione notatū est. Itaque his fratribus videtur ea apologia oblata, præsertim cùm antiquæ inscriptiones nunquam Ælio Commodo Marci filio tribuāt nomen *Armeniaci*, immo vix & Marco patri, nisi si quando cum fratre suo Lucio iungatur: tum enim propter Lucium, ambo vocantur *Armeniaci*. Quare Pertinax Imp. sepulcro Ælij Commodi non inscripsit *Armeniaco*, sed *Sarmatico, Germanico, &c.* hoc modo:

IMP. CÆS. DIVI M. ANTONINI, PII, GERMANICI, SARMATICI F. DIVI PII NEPOTI, DIVI HADRIANI PRONEPOTI, DIVI TRAIANI PARTHICI ABNEPOTI, DIVI NERVÆ ADNEPOTI. L. ÆLIO AVRELIO COMMODO, AVG. SARMATICO, GERMANICO, MAXIMO, BRITANNICO, PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VII. PP.

In qua inſcriptione vides, ne quidem M. Aurelio Antonino attribui nomen *Armeniaci*, nedum filio eius Commodo. Quibus *Germanici* proprium fuit. Quod de Commodi peruerſis moribus agens Herodianus ſic innuit:

Τοῦ δὲ μεγίστου ἀγάλματος κολοσσιαίου, ὅπερ σέβουσι Ῥωμαῖοι εἰκόνα φέρον ἡλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν, ἱδρύσατο ἑαυτοῦ, ὑπογράψας τῇ βάσει, οὐχ ἃς εἰώθασι βασιλικὰς καὶ πατρῴους προσηγορίας, ἀντὶ δὲ Γερμανικοῦ, μονομάχους χιλίους νικήσαντος. *Quin ſimulacro illi coloſſeo, quod Romani colunt ſolis effigiem gerens, capite præciſo, ſuum impoſuit, atque in baſi ſubſcripſit, non quos conſueſſent Imperatorios paternóſque titulos, ſed pro* Germanico, *Mille gladiatorum victorem.*

His tamen non obſtantibus, tenebo & muniam hac in re doctiſſimi Baronij ſententiam, non ſolùm ob rationem ab eo allatam, quæ eſt bona, & ex ipſius Athenagoræ verbis deducta, vbi ſic affatur Imperatores: *Denique vniuerſus hic terrarum orbis, veſtra prudentia beneficio, altiſſima pace perfruitur.* quæ dici non potuerunt imperantibus M. Aurelio, & L. Vero fratribus, ob continuata perpetim bella, ſed tantùm poſt L. Veri mortem, Ælio Commodo vnà cum patre ſuo Marco, deuictis Germanis, regnante: quod fuit ſub annum Domini CLXXIX. non ſolùm, inquam, ob rationem à Baronio allatam; ſed præcipuè ac potiſſimè, quòd iſta inſcriptio Athenagoræ, (quæ à Baronio imperfectè citata eſt) ſi tota accipiatur, manifeſtè conuincat ſcriptam & oblatam eius Apologiam M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo eius filio, non autem Lucio Vero eius fratri, qui iam aliquot antè annis vitâ ceſſerat. Sic enim habet apud Athenagoram græca & vera atque perfecta inſcriptio:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΣΙΝ ΜΑΡΚΩι ΑΥΡΗΛΙΩι ΑΝΤΩΝΙΝΩι, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Ἀρμενιακοῖς, Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον, φιλοσόφοις. id eſt.

IMPERATORIBVS MARCO AVRELIO ANTONINO, ET LVCIO AVRELIO COMMODO, ARMENIACIS, SARMATICIS, ET, QVOD MAXIMVM EST, PHILOSOPHIS.

Facit igitur vox illa, SARMATICIS, vt non poſſit ea inſcriptio conuenire L. VERO. Tantùm enim victi ſunt Sarmatæ poſt eius mortem, quod omnes tradunt eius temporis hiſtorici. Et de ijſdem Sarmatis triumphârunt M. Aurelius Antoninus, & L. Ælius Aurelius Commo-

Commodus. Quod de vtroque patet ex inſcriptione ſepulcrali paullò ſuperius poſita, vbi ambo vocantur Sarmatici, Germanici.

Præterea ſi Lucio Vero imperante vnà cum fratre ſuo Marco Aurelio Antonino victi ac triumphati fuiſſent Germani & Sarmatæ, fuiſſet profectò hoc quoque nomen, vti & alia, eius inſcriptum ſepulcro. Atqui ſepultus eſt cum hac tantùm inſcriptione:

IMP. CÆS. L. AVRELIO VERO AVG. ARMENIC. MEDIC. PARTHIC. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. V. COS. III. PP.

Sic inſcriptionem hanc referunt complures: nominatim Ioannes Cuſpinianus in *Vitis Imperatorum*, & Iacobus de Strada Mantuanus, in *Imaginibus Imperatorum*. Si quis recentiores paullò diuerſiùs referant, cauſſa eſt, *tempus edax rerum*, etiam monumētorum, etiam characterum, etiam numerorum. Quo fit, vt ſemeſos, aut exeſos, ſeu characteres, ſeu numeros alij aliter legant, aut conijciant, aut diuinent. Hic quidem, in nominibus ſaltem, ſeu titulis deuictarum gentium, ita cuncti conſentiunt, vt *Germanici* aut *Sarmatici* nomen Lucio Vero attribuat nemo. Ad illud verò, quòd dicebatur *Armeniaci* nomen minùs his conuenire, quàm Lucio Vero, eſt id verum quidem: ſed tamen & his quoque eſt attributum, vt è Capitolino ſuprà indicatum eſt.

Et verò titulum *Armeniaci* rectè ab Athenagora attributum M. Aurelio Antonino, planè conuincunt antiqua numiſmata, quorum multa inuenire eſt, in quibus eidem Imp. nomen *Armeniaci* adſcriptum legitur. Vidi duo eiuſmodi, inter numiſmata Ducis Arſchottani, quæ nunc in lucem edita ſunt: ſed multò plura mihi nuper Tornaci oſtendit Cl. vir, Philippus de Hurges Iureconſultus, quorum duo poſtrema erant cum his inſcriptionibus:

M. AVREL. ANTONINVS AVG. ARM. PARTH. MAX. TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. S. C.

Alterum ſic:

M. ANTONINVS AVG. ARMENIACVS. P. M. TR. P. XXII. IMP. IIII. COS. III. S. C.

Ex quibus inſcriptionibus patet etiam illud, quod aliàs probaui fuſiùs, non ſemper concurrere annos Tribunitiæ Pot. cum annis imperij: quandoquidem hîc videamus annos Trib. Pot. XXI. & XXII. & tamen imperauerit M. Antoninus annos dumtaxat XIX. Immo vidi apud eundem Philippum de Hurges duo eiuſdem Imp. alia numiſmata, in quibus ſunt anni Trib. Pot. XXXI. cum titulis *Germanici* & *Sarmatici*. Nam longè poſteriùs victi ſunt ab eo Germani & Sarmatæ, quàm ab eius fratre ſubacti Armeni.

Vnius

Vnius inſcriptio eſt talis:

M. ANTONINVS AVG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. PAX ÆTERNA AVG. S. C.

Hactenus pro aſſerenda ſuo auctori Apologia Athenagoræ, quam nonnulli perperam Iuſtino adſcribebant, & ſimul pro tuenda eiuſdem Apologiæ legitima inſcriptione.

Vnicus modò reſtat nodus nobis exſoluendus. Nam licet duas dumtaxat ſcripſerit beatus Iuſtinus apologias, tamen è duabus, inquiet aliquis, illa debet eſſe prior, quæ inſcriptionem habet: Πρὸς τὴν Ῥωμαίων σύγκλητον. *Ad ſenatum Romanum.* & incipit: Καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην &c. *Quæ heri & proximis diebus* &c. Ratio eſt, quòd in ea vnus è Martyribus ſic alloquatur Vrbicium iudicem: Οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδί, οὐδὲ ἱερᾷ συγκλήτῳ κρίνεις ὦ Οὔρβικε. *Tu non iudicas, Vrbici, neque Pio Imperatore, neque Philoſopho Cæſaris filio, neque ſacroſancto ſenatu condigna.* E quibus verbis colligitur Pium Imp. fuiſſe adhuc ſuperſtitem, cum illa a martyre dicerentur, & cùm paucis pòſt diebus ſcripta eſt hæc apologia; vti eius indicat initium.

Reſpondeo tamen, propter argumenta priùs allata in alterius confirmationem ſententiæ (quæ inuicta ſunt) colligi id non poſſe: ſed potiùs exiſtimandum mentionem Pij Imp. factam eſſe; quòd is haud ita pridem talia iudicia reprobaſſet, ac pro ſedanda Chriſtianorum perſecutione edictum tuliſſet. Quaſi ſanctus martyr (Lucius is vocabatur) nihil aliud vellet dicere, quàm Vrbicium reuereri debere edictum Antonini Pij Imp. verè pij, nuper defuncti; & ſapientiam filij eius M. Aurelij Antonini, verè philoſophi, iam imperantis; & ipſius æquitatem Senatus, cuius ſit nihil iniquum permittere. Nam alteram apologiam, cuius inſcriptio expreſsè notat eam Antonino Pio dedicatam & oblatam, hoc ipſo priorem eſſe è duabus conſtat euidentiſſimè. Quod & rationes ſuprà inductæ certò confirmant.

Iam autem, (vt ad intermiſſum ordinem reuertamur) in ordine librorum Iuſtini, poſt *Elenchum*, poſt *Paræneſim*, poſt librum *De Dei monarchia*, quarto loco conſtituenda erit *Apologia ad Antoninum Pium*, & vitandi erroris aut confuſionis cauſſa, ſic inſcribenda. Poſt hanc, ſi ordinem ſcriptionis ſequamur, ponendus erit quinto loco *Dialogus cum Tryphone Iudæo*: quandoquidem mitigato per apologiam Antonino Pio, (vt in Notationibus noſtris probabimus) Epheſum profectus, edictum pro Chriſtianis illò detulit: atque ibi cùm eſſet, in Tryphonem incidit, quicum & biduo diſputauit, & eam diſputationem haud multò pòſt litteris commendauit.

Scriptum autem eſſe hunc Dialogum poſt Apologiam ad Antoninum Pium, hinc etiam certum fit atque exploratum, quòd in hoc

dialogo

dialogo ſub extremum, ſiue Pagina 349. editionis græcolatinæ Pariſienſis, mentionem faciat illius Apologiæ in iſtis verbis : Ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν, εἶπον πλανᾶσθαι αὐτοὺς πειθομένους τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι. *Scripto Cæſarem conueniens, errare eos dixi* [Samaritanos] *credentes populari ſuo Simoni Mago, quem Deum ſupra omnem principatum & poteſtatem & Virtutem eſſe dicunt.* Per ſcriptum autem illud, intelligit Apologiam ad Antoninum Pium, in qua ſcripſit propè omnes Samaritanos ab eo ſeductos, his verbis, pagina 69. eiuſdem editionis. Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες προσκυνοῦσι. &c. *Et fere omnes Samaritani, atque ex alijs quoque Gentilibus pauci, eum tãquam primum Deum confitentes adorant.* Vide ibi plura de eius magicis artibus, & Helena illius ſocia & comite. Et rurſus pag. 91. de Simone & Menandro ſic ſcribit: Οἳ καὶ μαγικὰς δυνάμεις ποιήσαντες πολλοὺς ἐξηπάτησαν, καὶ ἔτι ἀπατωμένους ἔχουσι. *Qui patratis virtutibus magicis multos ſeduxerunt, atque etiamnum, qui ab ipſis ſeducantur, habent.*

Ad hæc igitur loca reſpexit Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone: vnde conſequitur Apologiam illam ante Dialogum illum eſſe conſcriptam.

Nota verò è iam dictis, non rectè colligi à Baronio ad annum Chriſti 35. num. 26. Iuſtinum ad compeſcendos Samaritanos implorâſſe auxilium Cæſaris, quod tamen conſtare dicit ex verbis iſtis, ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν. *Scripto Cæſarē conueniens:* cùm illa verba nihil aliud velint (vt ex toto Iuſtini loco in ea apologia patet) quàm non magis perſequendos Chriſtianos, quàm Simonem & Menandrum hæreticos, qui Samaritanos ſeduxerunt : quorum alteri ſtatua quoque in ipſa vrbe Roma erecta ſit.

Item ex iſto ἐγγράφως *ſcripto*, improbari opinionem Perionij, qui exiſtimabat Apologiam ad Antoninum Pium, coram eo pronuntiatam, idque ob vocem προσφώνησιν *allocutionem*, qua initio eiuſdem apologiæ vtitur Iuſtinus. Verùm alibi indicauimus eam vocem, ſicut & latinam *affari*, tam per ſcriptum, quàm per viuam vocem, quempiam affanti conuenire. Immo ipſe M. Tullius agens de libris Officiorum, quos filio dedicauit, & in quibus illum affatur. *Quanquam te Marce fili* &c. voce ipſa græcâ προσφωνῶ *alloquor*, vtitur, dum in epiſtola 11. libri 16. ad Atticum ſic ſcribit: *Non dubito, quin* τὸ καθῆκον *officium ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior, De officijs:* προσφωνῶ *autem Ciceroni filio. Viſum eſt non* ἀνοίκειον. Ita ille .i. dedico Ciceroni filio: quod non eſt viſum inconueniens.

Præterea ordinem librorum à Perionio ſtatutum , quo ponebat Dialogum cum Tryphone primo loco, etiam ante libros ad Gentes ſcriptos, prorſus cum fundamento ſuo collabaſcere . Nam fundamentum

Vnius inſcriptio eſt talis:

M. ANTONINVS AVG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. PAX ÆTERNA AVG. S. C.

Hactenus pro aſſerenda ſuo auctori Apologia Athenagoræ, quam nonnulli perperam Iuſtino adſcribebant, & ſimul pro tuenda eiuſdem Apologiæ legitima inſcriptione.

Vnicus modò reſtat nodus nobis exſoluendus. Nam licet duas dumtaxat ſcripſerit beatus Iuſtinus apologias, tamen è duabus, inquiet aliquis, illa debet eſſe prior, quæ inſcriptionem habet: Πρὸς τὴν Ῥωμαίων σύγκλητον. *Ad ſenatum Romanum.* & incipit: Καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην &c. *Quæ heri & proximis diebus* &c. Ratio eſt, quòd in ea vnus è Martyribus ſic alloquatur Vrbicium iudicem: Οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδὶ, οὐδὲ ἱερᾷ συγκλήτῳ κρίνεις ὦ Οὔρβικε. *Tu non iudicas, Vrbici, neque Pio Imperatore, neque Philoſopho Cæſaris filio, neque ſacroſancto ſenatu condigna.* E quibus verbis colligitur Pium Imp. fuiſſe adhuc ſuperſtitem, cum illa a martyre dicerentur, & cùm paucis pòſt diebus ſcripta eſt hæc apologia; vti eius indicat initium.

Reſpondeo tamen, propter argumenta priùs allata in alterius confirmationem ſententiæ (quæ inuicta ſunt) colligi id non poſſe: ſed potiùs exiſtimandum mentionem Pij Imp. factam eſſe; quòd is haud ita pridem talia judicia reprobaſſet, ac pro ſedanda Chriſtianorum perſecutione edictum tuliſſet. Quaſi ſanctus martyr (Lucius is vocabatur) nihil aliud vellet dicere, quàm Vrbicium reuereri debere edictum Antonini Pij Imp. verè pij, nuper defuncti; & ſapientiam filij eius M. Aurelij Antonini, verè philoſophi, iam imperantis; & ipſius æquitatem Senatus, cuius ſit nihil iniquum permittere. Nam alteram apologiam, cuius inſcriptio expreſsè notat eam Antonino Pio dedicatam & oblatam, hoc ipſo priorem eſſe è duabus conſtat euidentiſſimè. Quod & rationes ſuprà inductæ certò confirmant.

Iam autem, (vt ad intermiſſum ordinem reuertamur) in ordine librorum Iuſtini, poſt *Elenchum*, poſt *Parænesim*, poſt librum *De Dei monarchia*, quarto loco conſtituenda erit *Apologia ad Antoninum Pium*, & vitandi erroris aut confuſionis cauſſa, ſic inſcribenda. Poſt hanc, ſi ordinem ſcriptionis ſequamur, ponendus erit quinto loco *Dialogus cùm Tryphone Iudæo*: quandoquidem mitigato per apologiam Antonino Pio, (vt in Notationibus noſtris probabimus) Epheſum profectus, edictum pro Chriſtianis illò detulit: atque ibi cùm eſſet, in Tryphonem incidit, quicum & biduo diſputauit, & eam diſputationem haud multò pòſt litteris commendauit.

Scriptum autem eſſe hunc Dialogum poſt Apologiam ad Antoninum Pium, hinc etiam certum fit atque exploratum, quòd in hoc

dialogo ſub extremum, ſiue Pagina 349. editionis græcolatinæ Pariſienſis, mentionem faciat illius Apologiæ in iſtis verbis: Ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν, εἶπον πλανᾶσθαι αὐτοὺς πειθομένους τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι. *Scripto Cæſarem conueniens, errare eos dixi* [Samaritanos] *credentes populari ſuo Simoni Mago, quem Deum ſupra omnem principatum & poteſtatem & Virtutem eſſe dicunt.* Per ſcriptum autem illud, intelligit Apologiam ad Antoninum Pium, in qua ſcripſit propè omnes Samaritanos ab eo ſeductos, his verbis, pagina 69. eiuſdem editionis. Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες προσκυνοῦσι. &c. *Et fere omnes Samaritani, atque ex alijs quoque Gentilibus pauci, eum tāquam primum Deum confitentes adorant.* Vide ibi plura de eius magicis artibus, & Helena illius ſocia & comite. Et rurſus pag. 91. de Simone & Menandro ſic ſcribit: Οἳ καὶ μαγικὰς δυνάμεις ποιήσαντες πολλοὺς ἐξηπάτησαν, καὶ ἔτι ἀπατωμένους ἔχουσι. *Qui patratis virtutibus magicis multos ſeduxerunt, atque etiamnum, qui ab ipſis ſeducantur, habent.*

Ad hæc igitur loca reſpexit Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone: vnde conſequitur Apologiam illam ante Dialogum illum eſſe conſcriptam.

Nota verò è iam dictis, non rectè colligi à Baronio ad annum Chriſti 35. num. 26. Iuſtinum ad compeſcendos Samaritanos implorâſſe auxilium Cæſaris, quod tamen conſtare dicit ex verbis iſtis, ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν. *Scripto Cæſarē conueniens:* cùm illa verba nihil aliud velint (vt ex toto Iuſtini loco in ea apologia patet) quàm non magis perſequendos Chriſtianos, quàm Simonem & Menandrum hæreticos, qui Samaritanos ſeduxerunt: quorum alteri ſtatua quoque in ipſa vrbe Roma erecta ſit.

Item ex iſto ἐγγράφως *ſcripto*, improbari opinionem Perionij, qui exiſtimabat Apologiam ad Antoninum Pium, coram eo pronuntiatam, idque ob vocem προσφώνησιν *allocutionem*, qua initio eiuſdem apologiæ vtitur Iuſtinus. Verùm alibi indicauimus eam vocem, ſicut & latinam *affari*, tam per ſcriptum, quàm per viuam vocem, quempiam affanti conuenire. Immo ipſe M. Tullius agens de libris Officiorum, quos filio dedicauit, & in quibus illum affatur. *Quanquam te Marce fili* &c. voce ipſa græcâ προσφωνῶ *alloquor*, vtitur, dum in epiſtola 11. libri 16. ad Atticum ſic ſcribit: *Non dubito, quin* τὸ καθῆκον *officium ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior, De officijs:* προσφωνῶ *autem Ciceroni filio. Viſum eſt non* ἀνοίκειον. Ita ille .i. dedico Ciceroni filio: quod non eſt viſum inconueniens.

Præterea ordinem librorum à Perionio ſtatutum, quo ponebat Dialogum cum Tryphone primo loco, etiam ante libros ad Gentes ſcriptos, prorſus cum fundamento ſuo collabaſcere. Nam fundamentum

PERIONII ORDO LIBRORVM IVSTINI REFVTATVS.

mentum suæ opinionis statuebat initium libri, *De expositione Fidei*, siue, vt ipse vocat, *De Trinitate:* quem librum ostendimus esse in dubijs, adeóque probabiliùs non esse Iustini. Atque, etiamsi esset Iustini, non tamen, quia eius initio sic dicit: *Cùm abundè satis Iudæos & Græcos refutauerimus*, statim sequitur priùs eum scripsisse contra Iudæos, quàm contra Græcos: quando aliunde constet contrarium; & hoc etiam accedat, quòd non ex professo contra Iudæos scripserit, sed tantùm ex occasione fortuiti occursus & disputationis cum Tryphone, vt in Vita & in Notationibus ostenditur.

Sic ergo hæc maneant.

6. loco imprimenda erit EPISTOLA AD DIOGNETVM.

Iam post *Dialogum cum Tryphone*, videtur proximus deberi locus *Epistolæ ad Diognetum*, quam certum est scriptam esse ante posteriorem Apologiam: cùm paullò post illam apologiam, martyrium passus sit, vt suprà indicatum est.

7. loco. APOLOGIA AD SENATVM.

Denique post eam epistolam collocari poterit *Apologia ad Senatum*, & ita prior tomus operum Iustini terminari; vt complectatur omnes Iustini libros, de quibus nullatenus queat à quoquam dubitari, & qui simul spectent ad fidei nostræ confirmationem.

Tomus alter, operum S. Iustini dubiorum.

In alterum verò tomum conijci poterunt, 1°. quidem *Tractatus Philosophici*, deinde *Epistola ad Zenam & Serenum*, tum *Expositio Fidei*, postea *Quæstionum ad Orthodoxos solutiones*. Nam de adulterinis nihil necesse est legitimum statuere ordinem, cùm extra Auctoris nostri sint ditionem. Ponantur, vbi libet.

Atque ista quidem ad B. Iustini honorem, de ordine scriptorum eius, mihi dicta sint: si quis meliorem suggesserit & probauerit ordinem, non modò non accedam eius sententiæ, sed & industriæ gratias agam. Veritas enim & honos Sanctorum, non opinionum obstinatio sectanda est: & ad Dei Opt. Max. gloriam, non ad humanæ laudis auram, quæ dicimus & scribimus, referenda sunt.

CAPVT XXVII.

Reliquiæ scriptorum S. Iustini deperditorum aut reconditorum.

QVàm deploranda est complurium S. Iustini librorum iactura, tam eorum laudanda fuerit diligentia, qui ad lustrandas Pontificales ac Regias aut veterum cœnobiorum, atque illustrium virorum bibliothecas, studio tanti Patris ac Martyris, animum adiecerint. Quòd si etiam noui aliquid ad ea, quæ iam prodierunt opera, suo perquisitum labore, atque inuentũ recognitúmque industria addiderint; næ magnũ sibi decus, magnum Ecclesiæ ornamentũ, quin & Iustino ipsi magnum gloriæ additamentum pepererint. Quo enim plura exstiterint laborum eius monumenta, eo sæpius in memoria, & ore hominum versabitur, eo crebriùs ab Auctoribus, & è pluribus

scriptis

ſcriptis laudabitur,&,quod caput eſt, eo fortiùs eccleſiæ aduerſus hoſtes eius auxiliabitur.

Ac principem quidem locum,in his Scriptorum S.Iuſtini reliquijs, meritò vindicant illa S.Ioannis Damaſceni collectanea,è libro De carnis reſurrectione, nobis è bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis RVPIFOCALDI,vt antè indicaui,ſubmiſſa. Nā & lōgè copioſiora ſunt, quàm vlla alia,quæ nanciſci potuerim, (vt in alijs pòſt ſubijciendis videbitur)& ad fidem vnius è præcipuis noſtræ FIDEI myſterijs confirmandam fructuoſiora.

Sunt autem deſumpta è Parallelis eiuſdem S.Ioannis Damaſceni littera A. titulo 73. Περὶ φοβερᾶς ἀναστάσεως, *De terribili reſurrectione*. Ecce igitur illa cum adiuncta è vicino noſtra interpretatione:

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ τοῦ φιλοσόφου καὶ μάρτυρος, ἐκ τοῦ περὶ ἀναστάσεως.

Ὁ μὲν τῆς ἀληθείας λόγος ἐστὶν ἐλεύθερός τε καὶ αὐτεξούσιος· ὑπὸ μηδεμίαν βάσανον ἐλέγχου θέλων πίπτειν· μηδὲ τὴν παρὰ τοῖς ἀκούουσι δι' ἀποδείξεως ἐξέτασιν ὑπομένειν. Τὸ γὰρ εὐγενὲς αὐτοῦ καὶ πεποιθὸς, αὐτῷ τῷ πέμψαντι, πιστεύεσθαι θέλει· λόγος δὲ ἀληθείας ἀπὸ θεοῦ πέμπεται· Διὸ καὶ τὸ ἐλεύθερον τὸ περὶ αὐτὸν οὐ φορτικόν. Κατ' ἐξουσίαν γὰρ φερόμενος, εἰκότως οὐδὲ τὰς ἀποδείξεις τῶν λεγομένων ἀπαιτεῖσθαι θέλει· ὅτι μηδέ εἰσιν ἄλλαι παρὲξ αὐτῆς τῆς ἀληθείας, ὅπερ ἐστὶν ὁ θεός. Πᾶσα γὰρ ἀπόδειξις ἰσχυροτέρα τε καὶ πιστοτέρα τοῦ ἀποδεικνυμένου τυγχάνει· εἴγε τὸ πρότερον ἀπιστούμενον πρὶν ἢ τὴν ἀπόδειξιν ἐλθεῖν, ταύτης κομισθείσης ἔτυχε πίστεως, καὶ τοιοῦτον ἐφάνη, ὁποῖον ἐλέγετο· τῆς δὲ ἀληθείας ἰσχυρότερον οὐδὲν, οὐδὲ πιστότερον· ὥστε ὁ περὶ ταύτης ἀπόδειξιν αἰτῶν, ὅμοιός ἐστι τῷ τὰ φαινόμενα τοῖς αἰσθήσεσι λόγοις θέλοντι ἀποδείκνυσθαι, διότι φαίνεται.

SANCTI IVSTINI philoſophi & Martyris è libro De reſurrectione.

VEritatis ſermo liber eſt,& ſui iuris : nec ſub vllam cadere vult argumēti probationem, nedum examen per demonſtrationem apud audientes ſuſtinere. Quippe nobilitas eius & confidentia illi ipſi,qui miſit,vult credi. Sermo autem veritatis à Deo mittitur. Quocirca libertas eius minimè arrogans eſt.Quod enim cum poteſtate profertur, meritò demonſtrationes eorum, quæ dicuntur,expoſci non vult: cùm nec aliæ ſint extra ipſam veritatē, quę eſt Deus.Nam omnis demōſtratio fortior eſt, & fide dignior eo,quod demonſtratur;ſiquidem id quod priùs nō credebatur, antequam ſubiret demonſtratio; illà iā productā fidē aſſequitur, & tale paret,quale dicebatur. Atqui veritate nihil fortius, nihil credibilius : adeo vt ſi quis de illa demōſtrationem expoſcat,ei ſimilis ſit, qui ſenſibus apparentia demonſtrari velit,quòd appareant.

Nam

Nam eorum, quæ per sermonem recipiuntur, iudicium penes sensum est: ipsius autem sensus, præter ipsum, non est aliud. Quemadmodū igitur res per sermonem inuestigatas, ad sensū cùm adduxerimus, illo ipso iudicamus, quales sint: & veráne sint quæ dicuntur, an falsa, non vltra diiudicamus, fidem illi habētes: ita humanos ac mūdanos sermones ad Veritatē remittimus, & per illam malíne sint, an nō, discernimus. At verò sermones Veritatis alia re nulla iudicamus; sed ei credimus. Est enim Veritas Deus, pater vniuersorum: qui est mens perfecta: cuius filius genitus, Verbum ad nos descendit carnem gestans, séque ipsum & Patrem ostendens, & dās nobis in seipso resurrectionem ex mortuis, & posthęc vitam æternam. Est autē ipse Iesus Christus, Saluator noster & Dominus: ac proinde idem & sui ipsius & cunctorum fides ac demonstratio. Quocirca qui illum sequuntur, & illum cognouerunt, fidem in eum, tanquam demonstrationem, habētes, in ipso acquiescūt.

Τῶν γὰρ διὰ τοῦ λόγου λαμβανομένων κριτήριόν ἐστιν ἡ αἴσθησις· αὐτῆς δὲ κριτήριον οὐκ ἔστι πλὴν αὐτῆς. Ὥσπερ οὖν τὰ διὰ τοῦ λόγου θηρώμενα ἀπάγοντες ἐπὶ τὴν αἴσθησιν, ταύτῃ κρίνομεν, ὁποῖά ποτε ὄντα τυγχάνει, εἴτε καὶ ἀληθῆ, εἴτε καὶ ψευδῆ τὰ λεγόμενα, οὐκέτι δὲ κρίνομεν, πιστεύοντες αὐτῇ· οὕτω καὶ τοὺς ἀνθρωπίνους καὶ κοσμικοὺς λόγους ἀναπέμπομεν ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν, καὶ ταύτῃ κρίνομεν, εἴτε φαῦλοι, εἴτε καὶ μὴ τυγχάνουσιν ὄντες. Τοὺς δὲ τῆς ἀληθείας οὐδενὶ κρίνομεν ἑτέρῳ, πιστεύοντες αὐτῇ. Ἔστι δὲ ἀλήθεια, ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ τῶν ὅλων· ὅς ἐστι νοῦς τέλειος. οὗ γενόμενος υἱὸς ὁ Λόγος ἦλθεν εἰς ἡμᾶς σάρκα φορέσας· ἑαυτόν τε καὶ τὸν πατέρα μηνύων, διδοὺς ἡμῖν ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ τὴν μετὰ ταῦτα ζωὴν αἰώνιον. Ἔστι δὲ οὗτος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ δεσπότης. οὗτος τοίνυν αὐτός ἐστιν ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν ὅλων πίστις τε, καὶ ἀπόδειξις. Διόπερ οἱ τούτῳ κατακολουθοῦντες, καὶ γνόντες αὐτὸν, τὴν εἰς αὐτόν πίστιν, ὡς ἀπόδειξιν, ἔχοντες ἀναπαύονται ἐν αὐτῷ.

Quia verò aduersarius oppugnare mortales non desinit: sed multis ac densis artibus ad insidias grassatur, contra Fideles quidē, vt eos à fide abducat; contra Infideles autem, vt non credāt; necessarium mihi videtur, vt etiam nos inuictis fidei sermonibus obarmati, infirmiorū caussâ, cōtra ipsos pugnemus. Aiūt ergo, qui deteriora profitentur, nō esse carnis resurrectionē. Impossibile enim esse eam nunc corruptam & mi-

Ἐπειδὴ δὲ πολλοὺς ὁ ἀντικείμενος πολεμῶν οὐ παύεται· πολλαῖς δὲ πυκναῖς τε μεθόδοις πρὸς ἐπιβουλὴν χρῆται· πρὸς μὲν τοὺς πεπιστευκότας, ἵνα τούτους τῆς πίστεως ἀπαγάγῃ, πρὸς δὲ τοὺς ἀπίστους ἔτι, ἵνα μὴ πιστεύσωσιν, ἀναγκαῖον εἶναί μοι δοκεῖ καὶ ἡμᾶς καθωπλισμένους τοῖς τῆς πίστεως λόγοις ἀτρώτοις οὖσιν, ἀντιπολεμεῖν αὐτῷ διὰ τοὺς ἀσθενεῖς. Φασὶν οἱ τὰ χείρονα λέγοντες, μὴ εἶναι τῆς σαρκὸς ἀνάστασιν. ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὴν φθειρομένην, καὶ διὰ λεπτῶν

λυομένην

λυομένην ταύτην συναχθῆναι εἰς τὸ αὐτό. πρὸς γὰρ τὸ ἀδύνατον καὶ ἀσύμφορον φασιν ὑπάρχειν τὴν ταύτης σωτηρίαν. καὶ κακίζουσιν αὐτὴν, τὰ ἐλαττώματα προφέροντες· καὶ αὐτὴν μόνην τῶν ἁμαρτημάτων αἰτίαν ἀποφαίνονται. ὥστε εἰ μέλλει, φασὶ, σὰρξ ἀνίστασθαι, καὶ τὰ ἐλαττώματα συναναστήσεται· καὶ σοφίσματα πλέκουσι τοιαῦτα·

Εἰ ἡ σὰρξ ἀνίσταται· ἤτε ὁλόκληρος ἀναστήσεται, καὶ πάντα τὰ μόρια ἔχουσα, ἢ ἀτελής· ἀλλὰ τὸ μὲν ἐλλειπῆ μέλλειν αὐτὴν ἀνίστασθαι, ἀδυναμίαν ἐμφαίνει τοῦ θεοῦ· εἰ τὰ μὲν ἠδυνήθη σῶσαι, τὰ δὲ οὔ. Εἰ δὲ πάντα τὰ μέρη καὶ τὰ μόρια ἕξει· δηλονότι ταῦτα λέγειν ὑπάρχειν μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ πῶς οὐκ ἄτοπον; τοῦ σωτῆρος εἰρηκότος· οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε γαμίσκονται· ἀλλ᾽ ἔσονται ὡς ἄγγελοι ἐν τῷ οὐρανῷ· οἱ δὲ ἄγγελοί, φασιν, οὔτε σάρκα ἔχουσιν, οὔτε ἐσθίουσιν, οὔτε συνουσιάζονται· ὥστε οὐδὲ σαρκὸς ἀνάστασις γενήσεται. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ τὰ τούτου ὅμοια λέγοντες πειρῶνται διαστρέφειν τινὰς ἀπὸ τῆς πίστεως. Εἰσὶ γάρ τινες οἳ λέγουσι καὶ αὐτὸν τὸν Ἰησοῦν πνευματικὸν μόνον παρεῖναι, μηκέτι ἐν σαρκί· φαντασίαν δὲ σαρκὸς παρέχειν, πειρώμενοι καὶ αὐτοὶ ἀποστερεῖν τῆς ἐπαγγελίας τὴν σάρκα. Πρῶτον μὲν τὰ ὑπ᾽ αὐτῶν δοκοῦντα ἄπορα φαίνεσθαι, λύσομεν. εἶθ᾽ οὕτως ἑξῆς ἐπάξομεν τὸν ἀποδεικνύντα λόγον περὶ τῆς σαρκὸς, ὡς ἔχει σωτηρίαν.

Φασὶ τοίνυν· εἰ ὁλόκληρον ἀναστήσεται τὸ σῶμα, καὶ τὰ μόρια αὐτοῦ πάντα ἕξει. ἀνάγκη δὲ καὶ τὰ ἔργα τῶν

nutim dissolutam in statum pristinum redigi. Sed & impossibilem & inutilem esse addunt eius salutem: accusantque illam, & eius vitia proferunt, & solam ipsam peccatorum esse caussam criminantur: ita vt si caro resurgat, inquiunt, ipsius quoque vitia resurrectura sint: atque etiam talia quædam nectunt sophismata:

Si caro resurget; aut integra & omnibus instructa partibus resurget, aut imperfecta; Atqui debere imperfectam resurgere, arguit Dei impotentiam: si vnas quidem partes seruare potuerit, alias non. Sin omnibus partibus & membris instructa; hæc scilicet post resurrectionem ex mortuis esse dicere, ecquomodo absurdum non est? cùm Saluator dixerit: *Neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli in cælo.* Marci 12. ver. 25. Angeli autem, inquiunt, nec carnem habent, nec comedunt, nec commiscentur: adeo vt nec carnis futura sit resurrectio. Hæc igitur & his similia afferentes conantur nōnullos à fide auertere. Sunt item quidam, qui & ipsum IESVM Christum dicant in spiritu tantùm aduenisse, non item in carne: sed speciem dumtaxat carnis exhibuisse: conātes & ipsi carnē promissione fraudare. Primò igitur ea, quæ ipsis parere videtur inexplicabilia, resoluemus; tū ita deinceps sermonē de carne inducemus, & quonā pacto ea salutē consequatur, demonstrabimus.

Dicunt ergo: Si integrum corpus resurgat, atque omnia sua membra recipiat, necessariò & ipsas mem-

membrorum functiones futuras: vti & vulua concipiat, & viri genitale ſeminet, & alia ſimiliter. Ab hoc proinde vno totus ſermonis pendeat cardo. Nam eius demonſtrata falſitate, omnis eorũ ſermo funditus corruet. Quare membra ijs operari, ad quę apta ſunt, nihil neceſſe eſt. Quod vt planum fiat, ita conſideremus.

Vuluæ munus eſt concipere, & virilis membri, ſeminare: quemadmodum igitur ad hæc præſtanda, talibus operari muneribus conuenit: it[a] illis ab initio hæc efficere nihil neceſſe eſt.

Videmus enim non paucas mulieres, quæ non concipiunt, vtpote ſteriles vteros nactas. Ita non ſtatim neceſſarium eſt, eam cui vulua ſit, etiam concipere. Aliæ autem minimè quidem ſteriles à principio, ſed virginitatẽ colentes, à congreſſu abſtinuerunt: aliquæ verò etiam ab aliquo tempore. Viros item alios quidẽ ab initio, alios autem à certo tẽpore caſtimoniam obſeruantes intuemur: ita vt ab ipſis diſſoluantur initæ per cupidinem exleges nuptiæ. Quin & pecorum quædam inuenimus ſterilia, tametſi vuluas habentia: & muli mares mulum non generant.

Quò fit, vt tam per homines, quã per alias animãtes, mutuę cõſuetudini, etiam ante futurum ſæculum, videamus eſſe derogatum.

Et ſanè Dominus noſter Iesvs Chriſtus non alia de cauſſa è virgine natus eſt, quàm vt iniquę concupiſcentiæ generationem aboleret, ac ſimul demõſtra-

μορίων ὑπάρξαι· μήτραν μὲν κυΐσκειν, σπερματίζειν δὲ μόριον ἀνδρός, καὶ τὰ λοιπὰ δὲ ὁμοίως· ἔσω δὲ ἀφ' ἑνὸς τούτου ὁ λόγος ἱστάμενος. τούτου γὰρ ἀποδεικνυμένου ψευδοῦς οἰχήσεται πᾶς ὁ λόγος αὐτῶν. Τὸ μὲν οὖν τὰ μόρια ἐνεργοῦντα, ταῦτα ἐνεργεῖν οὐκ ἀναγκαῖον. ἵνα δὲ σαφὲς ᾖ τὸ λεγόμενον, οὕτω σκοπήσωμεν.

Μήτρας ἐστὶν ἡ ἐνέργεια τὸ κυΐσκειν· καὶ μορίου ἀνδρὸς τὸ σπερμαίνειν. ὥσπερ δὲ εἰς ταῦτα μέλλει ἐνεργεῖν τοιαύτας ἐνεργείας, οὕτως οὐκ ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐστι, τὸ τὴν ἀρχὴν ἐνεργεῖν.

Ὁρῶμεν γὰρ πολλὰς γυναῖκας μὴ κυϊσκούσας, ὡς τὰς μήτρας ἐχούσας στείρας. οὕτως οὐκ εὐθέως καὶ τὸ μήτραν ἔχειν, καὶ κυΐσκειν ἀναγκάζειν. ἄλλαι καὶ μὴ στεῖραι μὲν ἐξ ἀρχῆς, παρθενεύουσαι δὲ, κατήργησαν τὴν συνουσίαν. ἕτεραι δὲ καὶ ἀπὸ χρόνου. Ἄρρενας μὲν, τοὺς μὲν ἀπ' ἀρχῆς παρθενεύοντας ὁρῶμεν· τοὺς δὲ ἀπὸ χρόνου. ὥστε δι' αὐτῶν καταλύεσθαι τὸν δι' ἐπιθυμίας ἄνομον γάμον. ἀλλὰ μὴν καὶ κτηνῶν τινα εὑρίσκομεν ἄτοκα, καίτοι μήτρας ἔχοντα. ἡμίονον δὲ, καὶ οἱ ἄρρενες οὐ γεννῶσιν ἡμιόνους.

Ὥστε καὶ διὰ ἀνθρώπων, καὶ δι' ἀλόγων καταργουμένην τὴν συνουσίαν, καὶ πρὸ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος ὁρᾶσθαι.

Καὶ ὁ κύριος δὲ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, οὐ δι' ἄλλό τι ἐκ παρθένου ἐτέχθη, ἀλλ' ἵνα καταργήσῃ γέννησιν ἐπιθυμίας ἀνόμου, καὶ δείξῃ ὅτι καὶ δίχα συνουσίας ἀνθρωπίνης δυνατὴν εἶναι

τῷ

τῷ θεῷ τὴν ἀνθρώπου πλάσιν.

ret, etiam sine humana consuetudine possibilem esse Deo hominis formationem.

Καὶ γεννηθεὶς δὲ, καὶ πολιτευσάμενος τὴν λοιπὴν τῆς σαρκὸς πολιτείαν· λέγω δὴ, ἐν τροφαῖς, καὶ πότοις, καὶ ἐνδύμασι· ταύτην δὲ τὴν διὰ συνουσίας μόνον οὐκ εἰργάσατο· ἀλλὰ τὰς τῆς σαρκὸς ἐπιθυμίας, ἃς μὲν ἀναγκαίας ὑπάρχειν, κατεδέξατο, τὰς δὲ μὴ ἀναγκαίας οὐ προσήκατο.

Genitus porrò, & reliquam vitæ corporeæ rationem amplexus, in cibo, inquam, & potione, & indumentis; hanc solā, quæ fit per concubitum, non exercuit: sed alias carnis cupiditates, necessarias quidem suscepit, non necessarias autem non admisit.

Τροφῆς μὲν γὰρ, καὶ πότου, καὶ ἐνδυμάτων ὑστερουμένη σάρξ, καὶ διαφθαρείη ἄν. συνουσίας δὲ ὑστερουμένη ἀνόμου, οὐδὲν ὅτι πάσχει κακόν. Ἅμα δὲ καὶ τὴν μέλλουσαν καταργεῖσθαι διὰ συνουσίας μίξιν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι προεμήνυσεν ὅς φησιν· οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσι, καὶ γαμίσκονται· οἱ δὲ υἱοὶ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε γαμίσκονται, ἀλλ᾽ ἔσονται ὡς ἄγγελοι ἐν τῷ οὐρανῷ.

Nam caro quidem, si cibo & potione & indumentis priuetur, ipsa corrumpetur: sin autem ex lege priuata fuerit consuetudine, nihil prorsus patietur mali. Simul autem desituram esse in futuro sæculo eam, quæ per concubitum fit, commistionem prędixit ille, qui dixit: *Filÿ huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: filÿ autem futuri sæculi, neque nubunt, neque ducunt vxores, sed erunt sicut Angeli in cælo.* Luc. 20. vers. 34.

Μὴ θαυμαζέτωσαν οὖν οἱ τῆς πίστεως ἐκτὸς, εἰ τὴν ἀπὸ τοῦ νῦν καταργουμένην ἐν τοῖς ἔργοις τούτοις σάρκα, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι καταργήσει. Ναὶ, φασίν. Εἰ οὖν ἡ σὰρξ ἀνίσταται, καὶ τοιαύτη ἀνίσταται, οἵα κλιθήσεται· ὥστε εἰ μονόφθαλμος κλιθήσεται, μονόφθαλμος ἀνίσταται· εἰ χωλὸς, χωλός. εἰ ἄλλο τι τοῦ σώματος ὑστεροῖν εἴη, τοῦτο καὶ ἔλαττον ὁ ἄνθρωπος ἀναστήσεται· τετυφλωμένοι ὡς ἀληθῶς τὰ τῆς ἀληθείας ὄμματα.

Ne mirentur proinde Infideles, si carnem etiamnum ab istis operibus cessantem, in futuro sæculo sit ab ijsdem abiuncturus. Sit ita, inquiunt. Itaque si caro resurgit, talis vtique resurget, qualis occubuit: vt si quis monoculus occubuerit, etiam resurget monoculus; si claudus, claudus; itidémque si quid aliud corporis mutilum fuerit; ita quoque homo resurget mutilus. Sic isti verè excęcatos ad veritatem habentes oculos.

Οὐ γὰρ εἶδον ἐπὶ τῆς γῆς τυφλοὺς βλέποντας, χωλοὺς περιπατοῦντας. Τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ ἅπαντα ἐποίησεν ὁ σωτήρ· πρῶτον μὲν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν περὶ αὐτοῦ, ὅτι τυφλοὶ βλέ-

An enim non viderunt in terra hac cęcos vidētes, & claudos ambulantes? Hæc omnia verbo suo fecit Saluator: primò quidē, vt impleretur quod dictū est per Prophetas

Isaie 35. ver. 5. phetas de illo: *Caci vident, surdi audiunt*, & alia huiusmodi: deinde ad fidem faciendam, carnem in resurrectione esse resurrecturam. Si enim in terra carnis infirmitates sanauit, & corpus integrauit; quanto magis in resurrectione id faciet, vt caro integra ac perfecta resurgat?

πτοῦσι, κωφοὶ ἀκούουσι, καὶ τὰ ἄλλα· ἔτι δὲ καὶ εἰς πίστιν τοῦ ὅτι ἐν τῇ ἀναστάσει ἡ σὰρξ ἀναστήσεται. εἰ γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς τὰς ἀσθενείας τῆς σαρκὸς ἰάσατο, καὶ ὁλόκληρον ἐποίησε τὸ σῶμα, πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀναστάσει τοῦτο ποιήσει, ὥστε καὶ ἀκέραιον καὶ ὁλόκληρον ἀναστῆναι τὴν σάρκα.

Quæ igitur insanabilia ipsis videntur, sic sanabuntur. Rursus autem eorum, qui resurrectionē carnis negant, quidam velut impossibilem negant: alij, tanquam Deo eam suscitare non conueniat, vtpote vilem ac despicabilē: nonnulli denique, quòd illi primitus non promissa sit. Equidem operæ precium duco, eos qui impossibilem Deo esse dicūt carnis resuscitationē, primò omniū aggredi. Quippe qui ignorant, se verbo quidem fideles esse profiteri, sed factis demōstrare se infideles, adeóque infidelibus infideliores.

Τὰ μὲν οὖν παρ' αὐτῶν νομιζόμενα ἄπορα, τοῦτον τὸν τρόπον ἰαθήσονται. Ἔτι δὲ καὶ τῶν λεγόντων μὴ ἀνίστασθαι τὴν σάρκα, οἱ μὲν ὡς ἀδύνατον ἀναστῆναι λέγουσιν· οἱ δὲ ὡς μὴ προσήκεν τῷ θεῷ ἀνιστάνειν αὐτὴν, διὰ τὸ εὐτελὲς καὶ εὐκαταφρόνητον αὐτῆς· οἱ δὲ ὅτι τὴν ἀρχὴν οὐδὲ ἐπαγγελίαν ἔχειν. πρῶτον μὲν οὖν μοι δοκεῖ πρὸς τοὺς ἀδύνατον εἶναι λέγοντας τῷ θεῷ τὸ ταύτην ἀναστῆσαι διεξελθεῖν· ὅτι ἀγνοοῦσιν αὐτοὶ τῷ λόγῳ λέγοντες ἑαυτοὺς εἶναι πιστοὺς, καὶ διὰ τῶν ἔργων ἀποδεικνῦντες ἀπίστους ἑαυτοὺς, καὶ τῶν ἀπίστων ἀπιστοτέρους.

Nam Gentes omnes, quæ idolis crediderunt, etiam persuasum habent omnia illis esse possibilia. Quemadmodum & Homerus Homer. Odyss. x. Poëta canit: '*Dij omnia possunt. Et facilè.* Addidit verò vocem ῥεῖα, quod est *facilè*, vt magnitudinem potentiæ Deorum declararet. Quare multò illis infideliores apparent.

Τῶν γὰρ ἐθνῶν ἁπάντων ἐπὶ τὰ εἴδωλα πεπιστευκότων καὶ πεπεισμένων ὅτι πάντα δυνατὰ αὐτοῖς ἐστιν· ὡς καὶ Ὅμηρος ὁ ποιητής φησι· Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. Καὶ ῥεῖα. ἀλλὰ καὶ τὸ ῥεῖα προσέθηκεν, ὅπερ ἐστὶν εὐχερῶς, ἵνα τὴν μεγαλειότητα τῆς τῶν θεῶν δυνάμεως ἐμφανῇ. Πολὺ οὖν τούτων ἀπιστότεροι φαίνονται.

Si enim Gentes idolis, Dijs Psal. 113. ver 6. suis (qui *aures habent, & non audiunt; oculos habent, & non vident*) cuncta eos posse crediderūt, cùm ipsi sint dæmonia, sicut loquitur Psal 95. ver. 5. Scriptura: *Dij Gentium dæmonia;*

Εἰ γὰρ τοῖς εἰδώλοις τὰ ἔθνη τοῖς θεοῖς αὐτῶν, οἳ ὦτα ἔχουσι καὶ οὐκ ἀκούουσιν, ὀφθαλμοὺς ἔχουσι καὶ οὐκ ὁπτονται, τὸ πάντα δύνασθαι πεπιστεύκασι, δαιμονίοις οὖσι, καθὼς ἡ γραφὴ λέγει· ὅτι οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια· πολλῷ

μᾶλλον

μᾶλλον ἡμεῖς ἑαυτὴν ἐξαίρετον καὶ ἀληθῆ πίστιν ἔχοντες ὀφείλομεν τῷ θεῷ ἡμῶν πιστεύειν, ἔχοντες τεκμήρια. καὶ πρῶτον μὲν τὴν τοῦ πρωτοπλάστου γένεσιν· ὅτι ἐκ γῆς ὑπὸ θεοῦ γέγονεν. ἱκανὸν γὰρ τοῦτο δεῖγμα τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως.

multo magis nos ipsam eximiam & veram fidem tenentes Deo nostro credere debemus, cùm & argumenta fide digna habeamus, ac primum quidem, ipsam protoplastæ generationem, qui è terra à Deo factus est. Est enim istud potentiæ Dei clarum documentum.

Ἔπειτα δὲ καὶ τὴν μετὰ ταῦτα ἐξ ἀλλήλων γένεσιν κατανοοῦσιν ἔστιν ἰδεῖν καὶ θαυμάσαι μειζόνως. Ὅτι δὲ ἐλαχίστης ῥανίδος ὑγροῦ τηλικοῦτον πλάσσεται ζῶον. Ἀλλὰ μὴν περὶ τῆς ἀναστάσεως ἡμῖν ἔδειξεν ὁ σωτὴρ ἀποτελέσματα, ἃ μετ' ὀλίγον ἐροῦμεν. νῦν δὲ τὸ δυνατὴν εἶναι τὴν τῆς σαρκὸς ἀνάστασιν ἐπιδεικνύομεν, συγγνώμην αἰτούμενοι παρὰ τῶν τῆς ἀληθείας τέκνων, εἰ καὶ τῶν ἔξωθεν εἶναι δοκούντων καὶ κοσμικῶν λόγων.

Deinde verò qui illam, quæ ex ipsis inter ipsos postmodum facta est, generationem attenderint, id ipsum videbunt ac mirabuntur magis: quo scilicet pacto è minima humoris guttula tantum efformetur animal. Atqui de resurrectione ipsemet nobis Saluator ostendit effecta, quæ paullò pòst exequemur. Nunc autem carnis resurrectionem esse possibilem demonstramus, veniam interim à filijs Veritatis exposcentes, si extraneis ac mundanis sermonibus vtamur.

SIMILIA HABET IDEM IVSTINVS IN APOLOGIA AD ANTONINVM PIVM IMP.

Ἐροῦμεν οὖν πρῶτον, ὅτι οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ θεοῦ. δεύτερον, ὅτι πρὸς ἀπίστους τούτους ποιούμεθα τοὺς λόγους. Εἰ γὰρ πρὸς πιστοὺς, αὔταρκες ἦν εἰπεῖν ὅτι πεπιστεύκαμεν. νυνὶ δὲ διὰ ἀποδείξεων χωρεῖν ἀναγκαῖον. ἱκανὰ μὲν οὖν καὶ τὰ προειρημένα τεκμήρια πρὸς τὸ δυνατὴν εἶναι δεικνύειν τὴν τῆς σαρκὸς ἀνάστασιν. ἀλλ' ἐπεὶ λίαν εἰσὶν ἄπιστοι, καὶ ἀναγκαιότερον ἐπάξομεν τὸν λόγον· οὐκ ἐκ τῆς πίστεως, ὅτι μὴ τυγχάνουσιν ὄντες αὐτῆς. ἀλλ' ἐκ τῆς ἀπιστίας τῆς μητέρος αὐτῶν. λέγω δὴ τῶν κοσμικῶν λόγων. Εἰ γὰρ ἐκ τούτων ἐπιδεικνύομεν αὐτοῖς δυνατὴν εἶναι τὴν τῆς σαρκὸς ἀνάστασιν, πολλῆς δήπουθεν

Dicamus igitur primò, nihil Deo esse extraneum: deinde nos ad infideles hunc afferre sermonem. Nam si ad fideles, satis fuisset dicere nos credidisse: nunc autem per demonstrationes procedere est necessarium. Tametsi igitur antehac producta argumenta satis ad demonstrandum possibilem esse carnis resurrectionem fuerint idonea; tamen ob nimiam quorundam infidelitatem, ratione vtar quæ magis vrgeat, non à fide quidem ducta, à qua illi sunt extranei: sed ab infidelitate ipsorũ matre: à rationibus, inquam, mũdanis. Si enim ex his possibilem esse carnis resurrectionem ipsis demonstramus,

ſtramus, ſanè multo rubore digni ſunt, qui nec mundanas ſequi rationes poſſunt. Aiunt ergo Phyſici huius mundi, quos Sapientes vocãt, hi quidem hoc vniuerſum eſſe materiam & Deum, vt Plato; illi atomos & vacuum, vt Epicurus; alij hęc quatuor, ignem, aquã, aërem, terram, vt Stoici. Sufficit enim opinionum maximè præſtabilium meminiſſe.

Et Plato quidem dicit cuncta ex materia à Deo facta eſſe, & ſecundùm eius prouidentiam: Epicurus autem cum ſuis, ex atomo & vacuo, quâdam fortuitâ ipſorum corpuſculorum per naturalem motum concurſione: Stoici verò è quatuor elementis Deo per ipſa peruadente. Talis igitur cùm ſit inter eos diſcrepantia, quædam tamen communia ſunt omnium ſcita apud ipſos in confeſſo. Vnũ quidem, ipſum quod eſt, neque ex non ente fieri, neque in non ens reſolui ac interire. Et illud: elemẽta eſſe incorrupta, è quibus rei cuiuſque exiſtit generatio.

His ergo apud illos omnes ita ſe habentibus, parebit poſſibilis ipſa carnis regeneratio. Siue enim ſit materia & Deus è Platonis ſẽtentia; ſunt hęc ambo incorrupta: & Deus quidem artificis locum tenet, tanquam fictoris: materia verò locum luti, aut ceræ, aut talis cuiuſpiam. Quod igitur è materia figmentum fictum eſt, ſeu ſtatua, ſeu imago, corruptioni eſt obnoxium: materia verò ipſa, vt lutum aut cera, aut alia quælibet ſpecies materiæ, incorrupta.

Ita fictor è cera aut luto fingit &

αἰσχύνης εἰσὶν ἄξιοι, οἳ μήτε τοῖς τοῦ κόσμου ἀκολουθεῖν δύνανται. Φασὶ τοίνυν οἱ τοῦ κόσμου φυσικοὶ σοφοὶ λεγόμενοι τὸ πᾶν ὑπάρχειν, οἱ μὲν ὕλην καὶ θεὸν, ὡς Πλάτων· οἱ δὲ ἄτομα καὶ κενὸν, ὡς Ἐπίκουρος· οἱ δὲ τὰ τέσσαρα, πῦρ, ὕδωρ, ἀέρα, γῆν, ὥσπερ οἱ Στωικοί. ἀρκεῖ γὰρ ἐπιμνησθῆναι τῶν ἐπικρατουσῶν μάλιστα δοξῶν.

Καὶ ὁ μὲν Πλάτων φησὶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ πάντα ἐκ τῆς ὕλης γεγονέναι, καὶ κατὰ πρόνοιαν αὐτοῦ· ὁ δὲ Ἐπίκουρος, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἐκ τοῦ ἀτόμου, καὶ ἐκ τοῦ κενοῦ κατὰ ταυτόματόν τινα φορὰν τῆς ἐκ τῶν σωμάτων φυσικῆς κινήσεως. οἱ δὲ Στωικοὶ ἐκ τῶν τεσσάρων διήκοντος δι' αὐτῶν τοῦ θεοῦ. Τοιαύτης δὲ διαφωνίας αὐτῶν οὔσης, ἔστι τινὰ παρ' αὐτοῖς ὁμολογούμενα κοινὰ δόγματα πρὸς ἁπάντων· ἓν μὲν, τὸ ὂν μήτε ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μήτε εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλύεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι. Καὶ τὸ, τὰ στοιχεῖα ἄφθαρτα ὑπάρχειν, ἐξ ὧν ἡ ἑκάστου πράγματος γένεσίς ἐστι.

Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων κατὰ πάντας αὐτοὺς, φανήσεται δυνατὴ ἡ τῆς σαρκὸς ὑπάρχειν παλιγγενεσία. Εἴτε γὰρ κατὰ Πλάτωνά ἐστιν ἡ ὕλη, καὶ ὁ θεός· ἀμφότερα ταῦτα ἄφθαρτα· καὶ ὁ μὲν θεὸς ἐπέχει τόπον τεχνίτου, οἷον πλάστου· ἡ δὲ ὕλη ἐπέχει τόπον πηλοῦ, ἢ κηροῦ, ἢ τοιούτου τινός. τὸ μὲν οὖν ἐκ τῆς ὕλης γινόμενον φθαρτὸν πλάσμα, ὁ ἀνδριὰς, ἢ εἰκὼν. ἡ δὲ ὕλη αὐτὴ ἄφθαρτος. οἷον πηλὸς, ἢ κηρὸς, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον εἶδος ὕλης.

Οὕτως ὁ πλάστης ἐκ τοῦ κηροῦ ἢ

πηλοῦ

πηλοῦ πλάσει καὶ ζωοποιεῖ ζώου μορφήν. πάλιν, ἐὰν διαλυθῇ τὸ πλάσμα, οὐκ ἀδύνατον αὐτῷ ἐστι τὴν αὐτὴν ὕλην ἀναφύροντι καὶ καινοποιήσαντι τὸ αὐτὸ πλάσμα ποιῆσαι.

animat formam animalis. Rursus si figmentum dissolutum fuerit, ei impossibile non erit eandem miscēti ac renouanti materiam idem figmentum efficere.

Οὕτως κατὰ Πλάτωνα οὐδὲ τῷ θεῷ ἀφθάρτῳ ὄντι, ἄφθαρτον ἔχοντι τὴν ὕλην, τοῦ ἐξ αὐτοῦ γινομένου πλάσματος διαλυθέντος, ἀδύνατόν ἐστιν ἀνακαινοποιῆσαι πάλιν αὐτὴν, καὶ ποιῆσαι τὸ αὐτό πλάσμα, ὁποῖον ἦν καὶ τὸ πρότερον. Ἀλλὰ μὴν κατὰ τοὺς Στωϊκοὺς ἐκ τῆς τῶν τεσσάρων στοιχείων κράσεως γινομένου τοῦ σώματος καὶ διαλυομένου τούτου εἰς τὰ τέσσαρα, παραμενόντων τούτων ἀφθάρτων, δυνατόν ἐστιν πάλιν τὰ τέσσαρα στοιχεῖα τὴν αὐτὴν μίξιν καὶ κρᾶσιν λαμβάνοντα ἀπὸ τοῦ διήκοντος θεοῦ ποιῆσαι, ὃ πρότερον ἐπεποιήκει σῶμα, ὥσπερ εἴ τις ἐκ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ χαλκοῦ, καὶ κασσιτέρου ποιήσει μίγμα· ἔπειτα θελήσει πάλιν διαλῦσαι, ὥστε κατ' ἰδίαν ἕκαστον εἶναι, καὶ πάλιν μίξας τὰ αὐτὰ, ποιήσῃ ὃ πρότερον πεποίηκεν ἐξ αὐτῶν μίγμα.

Quare secundùm Platonem neque Deo incorrupto materiā habenti itidem incorruptam (postquam figmētum ab eo factū corruptum fuerit) impossibile erit eam renouare, atque idem figmētum, quale priùs erat, reficere. Sed & secundùm Stoicos corpore è quatuor elementorum mistione efformato, & eodem in eadem quatuor resoluto, possibile est, illis remanētibus incorruptis, rursus quatuor elementa eandē cōmistionem ac temperaturam à Deo peruadente suscipientia efficere id, quod priùs fecerat, corpus. Quemadmodum si quis ex auro, & argento, & ære, & stanno mixtum aliquod faciat, deinde velit dissoluere, vt vnūquodque seorsum sit; ac denuo eadem commiscens, idem ex illis mixtum faciat, quod antè fecerat.

Καὶ κατὰ τὸν Ἐπίκουρον δὲ, τῶν ἀτόμων ἀφθάρτων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ παρὰ τὴν ποιὰν τάξιν καὶ θέσιν τῶν ἀτόμων συντεθειμένων γίνεταί τά τε ἄλλα συγκρίματα, καὶ τὸ σῶμα, χρόνῳ μὲν διαλυόμενον, διαλύεται πάλιν εἰς τὰς ἀτόμους, ἐξ ὧν καὶ ἐγένετο. Τούτων μενουσῶν ἀφθάρτων οὐδὲν ἀδύνατόν ἐστι συνελθουσῶν πάλιν, καὶ τὴν αὐτὴν θέσιν καὶ τάξιν λαβουσῶν, ποιῆσαι ὃ πρότερον ἐγεγόνει ἐξ αὐτῶν σῶμα, καὶ ὅμοιον. ὥσπερ εἴ τις ψηφοθέτης ἐκ ψήφων ποιήσει ζώου μορφήν· ἔπειτα τούτων ἀπὸ χρόνου διαλυθέντων, ἢ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ποιήσαντος τὰς

Denique secundùm Epicuri opinionem cùm atomi & vacuum incorrupta sint, fit vt atomis certo ordine & situ compositis, tū aliæ concretiones fiant, tū etiam corpus aliquod; dissolubile quidem illud tempore, sed rursus in atomos ex quibus factum fuerat: his porrò manētibus incorruptis nequaquam impossibile est, coëuntibus rursum, & eūdem situm atque ordinem resumentibus, facere corpus, quod priùs fuerat, & simile. Sicut si tessellarius è tesserulis fingat animalis formam: deinde

inde illis vel à tempore vel ab ipsomet dissolutis, easdem dispersas recolligat, haud illi impossibile fuerit illis collectis ac similiter, vt priùs, dispositis eādem animalis formam repræsentare. Et Deus dissoluta carnis membra atque disiuncta non poterit in idem corpus restituere, quod antè compegerat?

αὐτὰς ἔχων ψήφους ἐσκορπισμένας συναγάγῃ, οὐκ ἀδυνατήσει συλλέξας αὐτὰς καὶ διαθεὶς ὁμοίως ποιῆσαι τὸ αὐτὸ εἶδος τοῦ ζώου· ὁ δὲ θεὸς ἀναλυθέντα τὰ μέλη τῆς σαρκὸς ἀπ᾽ ἀλλήλων οὐ δυνήσεται πάλιν ποιῆσαι τὸ αὐτὸ τῷ πρότερον γεγονότι ὑπ᾽ αὐτοῦ σώματι;

At enim satis idonea ratione mihi demonstratum est, secundū Ethnicos possibilem esse carnis resurrectionem. Si autem secundùm Infideles non inuenitur impossibilis esse carnis resurrectio, quanto minùs secundùm fideles? Deinceps porrò ad eos mihi sermo conuertendus est, qui carnem infamant, indignámque tam resurrectione, quàm cælesti gloria esse dicunt: primò quidem, quòd eius substantia sit terra: deinde quòd omnis peccati plena: adeo vt & animam ad secum peccandum ipsa adigat.

Ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν περὶ τοῦ δυνατὴν εἶναι τὴν τῆς σαρκὸς ἀνάστασιν ἱκανὸν ἀποδέδεικταί μοι λόγος κατὰ τοὺς ἐθνικούς. εἰ δὲ κατὰ τοὺς ἀπίστους οὐχ εὑρίσκεται ἀδύνατος ἡ ἀνάστασις τῆς σαρκός, πόσῳ μᾶλλον κατὰ τοὺς πιστούς; ἑξῆς δὲ λεκτέον πρὸς τοὺς ἀτιμάζοντας τὴν σάρκα, καὶ φάσκοντας μὴ ἄξιον εἶναι τῆς ἀναστάσεως, μηδὲ τῆς ἐπουρανίου βασιλείας, ὅτι πρῶτον αὐτῆς ἐστιν ἡ οὐσία γῆ· μετέπειτα δὲ καὶ μεστὴ γέγονε πάσης ἁμαρτίας· ὥστε καὶ τὴν ψυχὴν ἀναγκάσαι συναμαρτάνειν.

Videntur autem isti ignorare materiam ipsam & primam hominis creationem atque formationem, ipsúmque adeo mūdum, Dei esse opificium. An non enim dicit Scriptura. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Quem? nēpe hominem carneum. Ait enim Scriptura: *Et accepit Deus limum à terra, & formauit hominem.*

Gen.1.ver.26.

Gen.2.ver.7.

Ἐοίκασι δὲ οὗτοι τὴν ὕλην τοῦ θεοῦ πραγματείαν ἀγνοεῖν, καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πλάσιν, καὶ τὰ ἐν κόσμῳ· ἢ γὰρ οὐ φησὶν ὁ λόγος, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ᾽ ὁμοίωσιν; ποῖον; δηλονότι σαρκικὸν λέγει ἄνθρωπον. Φησὶ γὰρ ὁ λόγος· Καὶ ἔλαβεν ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον.

Planum igitur est hominem, qui creatus est ad imaginem Dei, fuisse carneum. Deinde quomodo non est absurdum, dicere carnem, quæ à Deo ad suam imaginem formata est, vilem esse ac ni-

Δῆλον οὖν, ὡς κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ πλασσόμενος ὁ ἄνθρωπος ἦν ὁ σαρκικός· εἶτα πῶς οὐκ ἄτοπον τὴν ἀπὸ θεοῦ σάρκα πλασθεῖσαν κατ᾽ εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ φάσκειν ἄτιμον εἶναι, καὶ οὐδενὸς ἀξίαν. ὅτι δὲ τίμιον κτῆμα ἡ

σὰρξ

σὰρξ παρὰ θεῷ, δῆλον. πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ πρὸς αὐτοῦ πεπλάσθαι· εἴγε καὶ εἰκὼν τῷ πλάστῃ καὶ ζωγράφῳ τιμία γινομένη, καὶ ἐκ τῆς λοιπῆς δὲ κοσμοποιΐας μαθεῖν πάρεστιν.

Οὗ γὰρ ἕνεκεν γέγονε τὰ λοιπά, τοῦτο πάντων τῷ ποιήσαντι τιμιώτερον. Ναί φασιν· ἀλλ' ἁμαρτωλὸς ἡ σάρξ. ὥστε καὶ τὴν ψυχὴν ἀναγκάζει αὐτῇ συναμαρτάνειν· μάτην κατηγοροῦντες αὐτῆς, καὶ τὰ τῶν ἀμφοτέρων ἁμαρτήματα μόνῃ περιτιθέντες.

Πῶς γὰρ καθ' ἑαυτὴν ἡ σὰρξ ἁμαρτῆσαι δυνήσεται; ἐὰν μὴ τὴν ψυχὴν ἔχει προηγουμένην, καὶ προκαλουμένην αὐτήν. ὥσπερ γὰρ ζεῦγος βοῶν λυθέντων ἀπ' ἀλλήλων τοῦ ζυγοῦ, οὐδέτερος αὐτῶν κατ' ἰδίαν ἀροῦν δύναται· οὕτως οὐδὲ ψυχὴ καὶ σῶμα λυθέντα τῆς συζυγίας καθ' ἑαυτὰ ποιῆσαι τι δύνανται. εἰ δὲ καὶ ἡ σὰρξ μόνη ἁμαρτωλὸς, ταύτης ἕνεκεν ἦλθεν ὁ σωτήρ. καθώς φησιν· Οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλούς.

Ἐπειδὴ οὖν τιμία παρὰ θεῷ καὶ ἔνδοξος παρὰ πάντα τὰ ποιήματα δέδεικται ἡ σάρξ, δικαίως ἂν ὑπ' αὐτοῦ σωθήσεται.

Λεκτέον οὖν πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι εἰ καὶ τὰ μάλιστα θεοῦ ποίημα τυγχάνουσα καὶ τιμία αὐτῷ παρὰ πάντα, οὐκ εὐθέως καὶ τὴν ἐπαγγελίαν τῆς ἀναστάσεως ἔχει.

Καίτοι πῶς οὐκ ἄτοπον, τὸ κατὰ τηλικαύτης σπουδῆς γενόμενον, καὶ παρὰ πάντα τὰ λοιπὰ τίμιον περιορᾶν τὸν ποιήσαντα, εἰς τὸ μηκέτι εἶναι; εἶτα ὁ

hili? Atqui carnem apud Deum rem esse preciosam satis liquet. Primò quidem quòd ab ipso formata sit: siue quòd imago fictori & pictori suo sit cara, id quoque è cetero mundi opificio pronum est condiscere.

Nam cuius caussâ reliqua facta sunt, id ei qui fecit omnia, est carissimum. Certè, inquiunt. At caro peccatrix est: adeo vt & animam secum in peccatum trahat. Ita temere illam criminantur, & amborum peccata illi soli affingunt.

Quo enim pacto per seipsam peccabit caro, nisi animam sibi præeuntem habeat ac prouocantem? Vt enim in iugo boum, si alter ab altero seiungatur, neuter ipsorum arare seorsum potest: ita nec anima & corpus soluto coniunctionis vinculo facere singulatim quicquam possunt. Sin sola caro peccatrix est; igitur eius solius caussâ venit Saluator: sicut ait: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matthæi 9. vers. 13

Quare cùm demonstratum sit carnē apud Deum præ omnibus alijs eius operibus preciosam esse ac honorabilem, meritò sanè ab eo saluabitur.

Sed cum illis mihi nunc agendum, qui disputant, etiamsi caro maximè fuerit opus Dei, atque illi præ omnibus preciosa, non tamen ex eo statim effici, quòd resurrectio illi promissa sit.

Verùm quomodo non absurdū est, id quod tanto studio factū sit, & pre ceteris omnibus honoratum, sic ab eo, qui fecit, despici; vt prorsus

prorsus in nihilum redigat? Deinde fictor quidem & pictor imagines à se expressas perēnare volut, vt gloriā ex ijs colligant, ipsásque veterascentes renouant: & Deus scilicet rem suam & opus suum adeo despicabitur, vt perire funditus sinat? Immo an non etiam frustra in opere suo laborasse diceremus? Si enim id de illo cēseri solet, qui domum fabricatus, illā deinde destruit, aut rimas agentem negligit, cùm instaurare possit; nonne & Deum argueremus, quòd frustra laborasset?

At ille æternus non est talis: illa omnium mens non est amens. obmutescant Infideles, si quidem credere hoc non possint. Verumtamen ipsam & ad resurrectionē vocauit, & vitam æternam promittit. Dū enim annuntiat homini eum saluatum iri, tū & carni annuntiat. Quid est enim aliud homo, quàm ex anima & corpore constans animal rationis capax? An igitur anima singillatim est homo? nequaquam; sed est hominis anima. Num ergo corpus homo vocabitur? minimè gentium; sed corpus hominis appellabitur.

Quare si neutrum illorum singillatim est homo, sed quod ex amborum complexu constat, vocatur homo: & si Deus ad vitam & ad resurrectionem hominem vocauit, non partem eius, sed totum, hoc est, animam & corpus; ecquomodo absurdum non est, duobus secundùm idem, & in eodem existentibus, vnum saluare, alterum non?

μὲν πλάστης καὶ ζωγράφος, εἰ τὰς εἰκόνας, ἃς ἂν ποιήσωσι, διαμένειν ἐθέλουσιν, ἵνα δι' αὐτῶν δοξάζωνται, καὶ φθειρομένας αὐτὰς ἀνακαινοποιοῦσιν· ὁ δὲ θεὸς τὸ αὐτοῦ κτῆμα καὶ πλάσμα περιεῖδεν ἄν, εἰς τὸ μὴ ὂν ἀπολλύμενον. μηκέτι δὲ καὶ εἰς τὸ εἶναι ματαιόπονον ἀποκαλοῦμεν; ὥσπερ εἴ τις οἰκίαν οἰκοδομήσας ἔπειτα καταλύει, ἢ καταλυομένην περιορῶν δυνάμενος ἀναστῆσαι. Τὸν δὲ θεὸν οὐκ αἰτιασόμεθα, ὅτι μάτην ποιεῖ;

Ἀλλ' οὐχ ὁ ἄφθαρτος τοιοῦτος· οὐκ ἄφρων ὁ τῶν ὅλων πέφυκε νοῦς. φιμούσθωσαν οἱ ἄπιστοι, εἰ τὸ μὴ πιστεύειν ἔχουσιν αὐτοί. ἀλλὰ μὴν καὶ κέκληκεν αὐτὴν ἐπὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ ἐπαγγέλλεται τὴν αἰωνίαν ζωὴν ἔνθα γὰρ τὸν ἄνθρωπον εὐαγγελίζεται σῶσαι, καὶ τῇ σαρκὶ εὐαγγελίζεται. τί γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἀλλ' ἢ τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστὼς ζῶον λογικόν; μὴ οὖν καθ' ἑαυτὴν ψυχὴ ἄνθρωπος; οὔκ, ἀλλ' ἀνθρώπου ψυχή. μὴ οὖν καλοῖτο σῶμα ἄνθρωπος; οὔκ, ἀλλ' ἀνθρώπου σῶμα καλεῖται.

Εἴπερ οὖν κατ' ἰδίαν μὲν τούτων οὐδέτερον ἄνθρωπός ἐστι· τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀμφοτέρων συμπλοκῆς καλεῖται ἄνθρωπος· κέκληκε δὲ ὁ θεὸς εἰς ζωὴν καὶ ἀνάστασιν τὸν ἄνθρωπον, οὐ τὸ μέρος, ἀλλὰ τὸ ὅλον κέκληκεν· ὅπερ ἐστὶ, τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα; ἐπεὶ πῶς οὐκ ἄτοπον ἀμφοτέρων ὄντων κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ, τὸ μὲν σώζειν, τὸ δὲ μή;

Οὐκ

Οὐκ ὄντος γὰρ ἀδυνάτου, καθάπερ δέδεικται, τὴν σάρκα ἔχειν τὴν παλιγγενεσίαν, τίς ἡ διάκρισις, ὥστε τὴν μὲν ψυχὴν σώζεσθαι, τὴν δὲ σάρκα μή; ἢ φθονερὸν ποιοῦσι τὸν θεόν; ἀλλὰ ἀγαθός ἐστι, καὶ σώζεσθαι πάντας θέλει, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ. οὐχὶ μόνον ἤκουσεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν· καὶ σὺν αὐτῇ ἡ σάρξ· καὶ ἐπίστευσαν ὁμῶς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. Ἀλλ' ἀμφότερα καὶ ἐλούσαντο, καὶ ἀμφότερα τὴν δικαιοσύνην εἰργάσαντο.

Cùm enim impoſſibile non ſit (vti demonſtratum eſt) carnem regigni, quæ hæc eſt diſcriminatio, animam ſaluari, corpus non? An inuidum faciunt Deum? Atqui bonus eſt, & omnes vult ſaluos fieri, & per ſe, & per euangelij præconium. Neque ſolùm anima noſtra illud audiuit, ſed cum illa ſimul & caro: & in Chriſtum Ieſum ſimul crediderunt. Sed & ambæ ablutæ ſunt, & ambæ iuſtitiam operatæ ſunt.

Ἆρα οὖν ἀχάριστον ἢ ἄδικον ἀποφαίνουσι τὸν θεόν; εἰ τῶν ἀμφοτέρων πιστευόντων εἰς αὐτόν, τὴν μὲν σώζειν θέλει, τὴν δὲ οὐ· ναί, φασίν. ἀλλ' ἡ μὲν ψυχή ἐστιν ἄφθαρτος, μέρος οὖσα τοῦ θεοῦ, καὶ ἐμφύσημα, καὶ διὰ τοῦτο τὸ ἴδιον καὶ συγγενὲς ἠθέληκε σῶσαι· ἡ δὲ σὰρξ φθαρτή, καὶ οὐκ ἀπ' αὐτοῦ, καθάπερ ἡ ψυχή.

An igitur ingratum aut iniuſtum faciunt Deum? Siquidem ambabus in ipſum credentibus, vnam ſaluare vult, non item alteram. Certè, inquiunt. Quandoquidem anima eſt incorrupta, vtpote pars Dei, & ſpiraculum eius: ac propterea id, quod proprium ſibi eſt & cognatum, ſaluare voluit: caro autem corruptioni eſt obnoxia, neque ex ipſo eſt, ſicut anima.

. . . .

Εἶτα τίς αὐτοῦ χάρις; καὶ τίς ἐπίδειξις τῆς δυνάμεως καὶ χρηστότητος αὐτοῦ; εἰ τὸ μὲν φύσει σωζόμενον καὶ μέρος ὑπάρχον αὐτοῦ σώζειν ἔμελλεν. αὐτὸ γὰρ ἐξ ἑαυτοῦ εἶχε τὴν σωτηρίαν. ὥστε τὴν μὲν ψυχὴν σώζων, οὐ μέγα ποιεῖ· τὸ γὰρ σώζεσθαι πάρεστιν αὐτῇ, ὅτι ἐστὶν αὐτοῦ μέρος, ἐμφύσημα αὐτοῦ οὖσα. ἀλλ' οὐδὲ χάρις αὐτῷ τὸ ἴδιον σώζοντι· τοῦτο γάρ ἐστιν ἑαυτὸν σώζειν.

Itáne verò? Ecqua igitur ipſi gratia? aut quæ potentiæ & bonitatis eius demonſtratio, ſi quod ſaluari natum eſt, & portio eius eſt, ſaluandum ſit? Nam ipſum ex ſeipſo ſalutem habebat: ita vt qui animam ſaluat, nihil magni faciat: cùm ſaluari penes ipſam ſit, propterea quòd pars eius ſit, eiúſque ſpiraculum. Ei enim, qui ſeruat, quod ſibi proprium, nulla eſt gratia. Hoc enim eſt ſeruare ſeipſum.

Ὁ γὰρ τὸ μέρος αὐτοῦ σώζων, δι' ἑαυτοῦ ἑαυτὸν σώζει· μήποτε ἐκεῖνο τὸ μέρος ἐνδεὲς γένηται. οὐκ ἔστιν ἀγαθοῦ τὸ τοιοῦτον. οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπον ἀγαθόν τις ἐρεῖ, τὸν τοῖς τέκνοις αὐτοῦ

Quandoquidem qui partem ſui ſeruat, ſeipſum per ſeipſum ſeruat: nequãdo pars illa deficiat. Tale autem factum non eſt boni. Virum enim bonũ nemo illum

dicet

dicet, qui filijs ſuis ac nepotibus gratum quippiam fecerit.

Nam hoc & maximè agreſtes feræ faciunt: quæ, etiamſi pro fetibus mori oporteat, vltro ſe morti offerunt. At ſi quis eadem pro ſeruis præſtet, is demum meritò dicatur bonus. Hinc & Saluator nos docuit diligere inimicos: quoniam aliqua nobis inde ſit gratia. In quo nobis oſtendit bonum opus eſſe, non diligere ex ſe genitos tantùm, ſed etiam extraneos. Quæ autem nobis præcepit, multò priùs ipſe præſtitit.

ET POST PAVCA.

Si nullum ad vſum carne indiguit, cur eā ſanauit? Et, quod omnium fortiſſimum eſt, mortuos cur ſuſcitauit? Nonne vt demonſtraret, qualis futura eſſet reſurrectio? Quomodo autem mortuos ſuſcitauit? vtrum animas, an corpora? Sed manifeſtū eſt, quòd vtraque. Nam ſi ſola ſpiritualis fuiſſet reſurrectio, oportuiſſet cū, qui ſuſcitauit, oſtendere ſeorſum corpus iacens, & ſeorſum exiſtentem animam: nunc autem id non fecit; ſed ſuſcitauit corpus, in eo confirmans vitæ promiſſionem. Quâ igitur de cauſſa in carne, quę paſſa erat, reſurrexit? niſi vt carnis reſurrectionem demōſtraret? Nā volens ipſe à diſcipulis ſuis non credentibus probari, an re verâ corpore reſurrexiſſet, ipſis videntibus ac dubitantibus dixit: Nōdū, inquit, creditis? Videte, quia ego ſum. Et ſe palpandum ipſis obtulit, & loca clauorum in manibus ſuis oſtendit.

Lucæ 24. ver. 39.

Ioannis 20. ver. 27.

Cùm ergo vndequaque cogno-

καὶ ἐκγόνοις χαριζόμενόν τι.

Τοῦτο γὰρ καὶ τὰ ἀγριώτατα τῶν θηρίων ποιοῦσι. κἂν ὑπεραποθανεῖν τῶν ἐκγόνων αὐτῶν δέοι, ἑκόντι τοῦτο ὑπομένουσιν. Εἰ δέ τις τὰ αὐτὰ τοῖς δούλοις παράσχοι, δίκαιος ἂν οὗτος λέγοιτο ἀγαθός. διὰ τοῦτο καὶ ὁ σωτὴρ ἐδίδαξεν ἡμᾶς ἀγαπᾶν τοὺς ἐχθρούς. ἐπεί τις ἡμῖν χάρις ἐστίν· ὥστε ἔδειξεν ἡμῖν ἀγαθὸν ἔργον εἶναι, τὸ μὴ τοὺς ἐξ αὐτοῦ γεγονότας μόνον ἀγαπᾶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἔξωθεν. ἃ δὲ ἡμῖν παρήγγειλε, πολὺ πρότερον αὐτὸς ποιεῖ.

ΚΑΙ ΜΕΤ' ΟΛΙΓΑ.

Εἰ εἰς μηδὲν ἔχρηζε τῆς σαρκός, τί καὶ ἐθεράπευσεν αὐτήν; καί, τὸ πάντων ἰσχυρότερον, νεκροὺς ἀναστῆσαι, τίνος ἕνεκεν; οὐχ ἵνα δείξῃ τὴν ἀνάστασιν, οἵα μέλλει γίνεσθαι; πῶς οὖν τοὺς νεκροὺς ἀνέστησε; πότερον τὰς ψυχάς, ἢ τὰ σώματα; ἀλλὰ δῆλον, ὅτι ἀμφότερα. εἰ δὲ ἦν πνευματικὴ μόνη ἡ ἀνάστασις, ἐχρῆν ἀναστάντα αὐτὸν κατ' ἰδίαν μὲν δεῖξαι τὸ σῶμα κείμενον, κατ' ἰδίαν δὲ τὴν ψυχὴν ὑπάρχουσαν. νῦν δὲ τοῦτο μὲν οὐκ ἐποίησεν· ἀνέστησε δὲ τὸ σῶμα, τῆς ζωῆς ἐπαγγελίαν ἐν αὐτῷ πιστούμενος. τίνος οὖν ἕνεκεν ἐν τῇ σαρκὶ τῇ παθούσῃ ἀνέστη, εἰ μὴ ἵνα δείξῃ τὴν σαρκικὴν ἀνάστασιν; Καὶ τοῦτο βουλόμενος πιστῶσαι τῶν μαθητῶν αὐτοῦ μὴ πιστευόντων, εἰ ἀληθῶς σώματι ἀνέστη, βλεπόντων αὐτῶν καὶ δισταζόντων, εἶπεν αὐτοῖς· οὔπω ἔχετε πίστιν, φησίν; ἴδετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. καὶ ψηλαφᾶν αὐτὸν ἐπέτρεπεν αὐτοῖς, καὶ τοὺς τύπους τῶν ἥλων ἐν ταῖς χερσὶν ἐπεδείκνυε.

Καὶ πανταχόθεν αὐτὸν κατανοήσαντες

νοήσαντες, ὅτι αὐτός ἐστι, καὶ ἐν τῷ σώματι, παρεκάλεσαν αὐτὸν φαγεῖν μετ' αὐτῶν· ἵνα καὶ διὰ τούτου βεβαίως μάθωσιν, ὅτι ἀληθῶς σωματικῶς ἀνέστη· καὶ ἔφαγε κηρίον καὶ ἰχθύν.

Καὶ οὕτως ἐπιδείξας αὐτοῖς, ὅτι ἀληθῶς σαρκὸς ἀνάστασίς ἐστι, βουλόμενος ἐπιδεῖξαι καὶ τοῦτο, καθὼς εἴρηκεν, ἐν οὐρανῷ τὴν κατοίκησιν ἡμῶν ὑπάρχειν, ὅτι οὐκ ἀδύνατον καὶ σαρκὶ εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν, ἀνελήφθη βλεπόντων αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, ὡς ἦν ἐν σαρκί. Οὐκοῦν εἴ τις ἀπαιτεῖ μετὰ πάντα τὰ εἰρημένα λόγους ἀποδεικτικοὺς περὶ ἀναστάσεως, οὐδὲν τῶν Σαδδουκαίων διαφέρει· ἐπειδὴ ἡ ἀνάστασις τῆς σαρκὸς δύναμις θεοῦ ἐστι, καὶ ὑπεράνω λόγου παντός· βεβαιουμένη μὲν πίστει, θεωρουμένη δὲ ἔργοις.

ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΒΡΑΧΕΑ.

Ἀνάστασίς ἐστι τοῦ πεπτωκότος σαρκίου. πνεῦμα γὰρ οὐ πίπτει· ψυχὴ ἐν σώματί ἐστιν. οὐ ζῇ δὲ ἄψυχον. σῶμα, ψυχῆς ἀπολειπούσης, οὐκ ἔστιν. Οἶκος γὰρ τὸ σῶμα ψυχῆς· πνεῦμα δὲ ψυχῆς οἶκος. Τὰ τρία ταῦτα, τοῖς ἐλπίδα εἰλικρινῆ καὶ πίστιν ἀδιάκριτον ἐν τῷ θεῷ ἔχουσι, σωθήσεται. Θεωροῦντες οὖν καὶ τοὺς κοσμικοὺς λόγους, καὶ κατ' αὐτοὺς οὐχ εὑρίσκοντες ἀδύνατον ὑπάρχειν τῇ σαρκὶ τὴν παλιγγενεσίαν, καὶ ἐπὶ τούτοις πᾶσι τὸν σωτῆρα διὰ παντὸς τοῦ εὐαγγελίου δεικνῦντα τὴν τῆς σαρκὸς ἡμῶν σωτηρίαν, τί λοιπὸν ἀνεχόμεθα τῶν ἀπίστων καὶ σκανδάλων λόγων; καὶ διαλανθάνομεν ἑαυτοὺς ἐπιστρέφοντες εἰς τοὐπίσω, ὁπόταν ἀκούσωμεν, ὅτι ἡ μὲν ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι,

uiſſent ipſum eſſe, etiã in corpore, hortati ſunt illum ad manducandum ſecum: vt etiam per hoc certò agnoſcerent, ipſum verè corporaliter reſurrexiſſe. Et comedit fauum mellis & piſcem.

Atque cùm ita ipſis oſtendiſſet verè eſſe carnis reſurrectionẽ; volens etiã illud oſtendere (quẽadmodum dixit in cælo noſtram eſſe habitationem) carni impoſſibile non eſſe in cælum aſcendere; videntibus illis aſſumptus eſt in cælum, vti erat, in carne. Si quis proinde poſt hæc omnia, quæ diximus, rationes expoſcat demonſtratiuas, nihil à Sadducæis differet: quoniam carnis reſurrectio, Dei potẽtia eſt, & omni ratione ſuperior, quæ fide quidẽ ſtabilitur, ſed operibus cõſpicitur.

ET PAVLLO POST.

Reſurrectio eſt carnis, quæ cecidit. Spiritus enim cadere nõ poteſt. Anima in corpore eſt: nõ viuit autẽ ſine anima. Corpus, deſerente anima, non exiſtit. Eſt enim corpus domiciliũ animæ: anima autem domicilium ſpiritus. Tria hæc in ijs, qui ſpem ſinceram & ſpem firmam habuerint, ſaluabũtur. Conſiderantes igitur etiam mundanas rationes, ac ſecũdùm illas deprehẽdentes non eſſe impoſſibilẽ carnis regenerationẽ, & prȩter hȩc omnia, Saluatorem per totum euangeliũ, carnis noſtræ ſaluationẽ declarare; quid de cetero, infideles ac pernicioſos ſermones ſuſtinemus, nóſque ipſi imprudentes retrorſum cõuertimus, dum audierimus animã quidem eſſe immortalem, corpus ve-

rò corruptioni obnoxiũ, nec amplius reuicturum?

Illa enim, etiã priusquam cognossemus veritatem, à Pythagora & Platone audiuimus.

Si hæc igitur dixit Saluator, & solius animæ salutem annuntiauit; quid nobis noui aliud attulit, quàm Pythagoras, & Plato, & ipsorum sectatores?

At verò ipse spẽ nouã & admirandã annuntiatũ hominibus venit.

Admirandum autem & nouum fuit, Deũ promittere, non incorruptioni incorruptionem cõseruare, sed corruptioni incorruptionem dare. At vero nequitiæ princeps, cùm aliter corrumpere verbũ fidei non posset, emisit improbos suos emissarios, & pestilẽtis doctrinę inductores, electos ex ijs, qui Saluatorẽ nostrũ crucifixerãt, qui nomẽ quidẽ Saluatoris ferebãt; opera verò eius, qui ipsos miserat, faciebãt: per quos & ipsũ nomen comitata est blasphemia.

Si enim non resurgit caro, quãobrẽ custoditur, ac non potius sinitur suis indulgere desiderijs? & cur medicos nõ imitamur, inquiunt, qui hominẽ nacti desperatæ valetudinis, ei permittũt suis inseruire desiderijs? Sciũt enim moriturum. Quod videlicet faciunt osores carnis, hereditate, quantum in ipsis est, illam expellentes. Idcirco enim & ipsã, quasi cadauer futuram, despiciunt. At medicus noster Christus Deus à desiderijs nostris nos auellens, suam carni nostræ sobriam & continẽtem vitæ rationem pręscribit: manifestum est autem,

τὸ δὲ σῶμα φθαρτὸν, καὶ οὐκέτι δυνάμενον ἀναζῆσαι;

Ταῦτα γὰρ, καὶ πρὸ τοῦ μαθεῖν τὴν ἀλήθειαν, παρὰ Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος ἠκούσαμεν. Εἰ οὖν ταῦτα ἔλεγεν ὁ σωτὴρ, καὶ μόνης τῆς ψυχῆς τὴν σωτηρίαν εὐηγγελίζετο· τί καινὸν ἡμῖν ἔφερε παρὰ Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα, καὶ τὸν τούτων χορόν;

Νῦν δὲ τὴν καινὴν καὶ ξένην εὐαγγελιζόμενος ἦλθεν ἀνθρώποις ἐλπίδα. Ξένον δὲ ἄρα ἦν καὶ καινὸν τὸ τὸν θεὸν ὑπισχνεῖσθαι, μὴ τῇ ἀφθαρσίᾳ τὴν ἀφθαρσίαν τηρεῖν· ἀλλὰ τὴν φθορὰν ἀφθαρσίαν ποιεῖν. Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἄλλως δυνάμενος τὸν λόγον λυμαίνεσθαι ὁ τῆς πονηρίας ἄρχων, ἐξέπεμψε τοὺς ἀποστόλους αὐτοῦ κακοὺς, καὶ λοιμώδεις διδασκαλίας εἰσάγοντας, ἐκλεξάμενος αὐτοὺς ἐκ σταυρωσάντων τὸν σωτῆρα ἡμῶν, οἵτινες τὸ μὲν ὄνομα τοῦ σωτῆρος ἔφερον, τὰ δὲ ἔργα τοῦ πέμψαντος αὐτοὺς ἐποίουν. δι' οὓς καὶ τῷ ὀνόματι ἠκολούθησεν ἡ βλασφημία.

Εἰ δὲ μὴ ἀνίσταται ἡ σὰρξ, διὰ τί καὶ φυλάσσεται; καὶ οὐ μᾶλλον αὐτῇ συγχωροῦμεν χρήσασθαι ταῖς ἐπιθυμίαις; καὶ οὐ μιμούμεθα τοὺς ἰατροὺς, φασὶν, οἵτινες ἐπειδὰν ἀπεγνωσμένον ἔχωσιν ἄνθρωπον σώζεσθαι μὴ δυνάμενον, ἐπιτρέπουσιν αὐτῷ ταῖς ἐπιθυμίαις ὑπηρετεῖν. ἴσασι γὰρ ὅτι ἀπόλλυται. Ὅπερ ἀμέλει ποιοῦσιν οἱ τὴν σάρκα μισοῦντες, ἐκβάλλοντες αὐτὴν τῆς κληρονομίας, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς.

Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ὡς νεκρὰν ἐσομένην ἀτιμάζουσιν αὐτήν. ὁ δὲ ἡμέτερος ἰατρὸς Χριστὸς ὁ θεὸς ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν ἡμῶν ἀποσπάσας διαιτᾶται τῇ καθ' αὐτὸν σώφρονι καὶ ἐγκρατεῖ διαίτῃ τὴν σάρκα ἡμῶν· δῆλον ὡς ἐλπίδα σωτηρίας ἔχουσαν, ἀπὸ τῶν ἁμαρ-

ἁμαρτημάτων αὐτὴν φυλάττει. καθάπερ τοὺς ἐλπίδα σωτηρίας ἔχοντας ἀνθρώπους οἱ ἰατροὶ οὐκ ἐῶσιν ὑπηρετεῖν ταῖς ἡδοναῖς.

ideo facere, vt illam, tanquam spe salutis præditam, à peccatis custodiat: non secus quàm medici eos homines, in quibus spes est valetudinis, seruire voluptatibus non sinunt.

FINIS fragmenti è libro De resurrectione.

Hoc autem fragmentum esse S. Iustini, præter auctoritatẽ B. Ioannis Damasceni illud ipsi attribuentis, & præter quædam loca in hoc & in alijs Iustini libris consimillima, nonnihil etiam confirmant S. Methodius Tyri Episcopus & Martyr, apud Photium in bibliotheca, Cod. CXXXIV. & Leontius in locis communibus, De origine animæ, apud Turrianum lib. V. cap. XX. aduersus Magdeburgenses.

Nonnulla sunt & alia minora fragmenta, & ferè sententiæ tantùm, & dicta breuia à studiosis Auctoribus collecta: quæ hic eo consilio subijciam, vt sint velut notæ quædam, quæ in scriptis nomine carentibus deprehensæ, non alium, quàm S. Iustinum auctorem renuntient. Eiusmodi enim signis sua sunt interdum opera germanis auctoribus restituta.

Egregius in primis est ille S. Iustini locus, contra magicas, siue diabolicas potius, morborum curationes, quem eius auditor & comes Tatianus, in sua ad Gentes nobilissima oratione, sic citauit:

ΟΥ θεραπεύουσι δαίμονες· τέχνῃ δὲ τοὺς ἀνθρώπους αἰχμαλωτεύουσι. Καὶ ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος ὀρθῶς ἐξεφώνησεν ἐοικέναι τοὺς προειρημένους λῃσταῖς.

DÆmones morbis non medentur: sed dolo homines capiunt. Et rectè admirabilissimus Iustinus similes eos esse dixit latronibus.

Ὥσπερ γὰρ ἐκείνοις ἔθος ἐστὶ ζωγρεῖν τινας, εἶτα τοὺς αὐτοὺς μισθοῦ τοῖς οἰκείοις ἀποκαθιστᾶν· οὕτω καὶ οἱ νομιζόμενοι θεοὶ τοῖς τινων ἐπιφοιτῶντες μέλεσιν, ἔπειτα δι' ὀνείρων τὴν εἰς αὐτοὺς πραγματευόμενοι δόξαν, δημοσίᾳ τε τούτους προϊέναι κελεύσαντες πάντων ὁρώντων.

DÆMONES LATRONIBVS SIMILES.

Vt his enim in more est quosdam viuos capere, ac postmodũ capta mercede suis restituere: sic & ij, qui putantur Dij, cùm se quorundam membris insinuauerint, postea per somnia suam in ipsis gloriam procurantes, in publicum eos prodire cunctis spectantibus iubent.

Ἐπειδὰν τῶν ἐγκοσμίων ἀπολαύσωσιν, ἀποπτάμενοι τῶν καμνόντων, ἣν ἐπραγματεύσαντο νόσον περιγράφοντες, τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκαθιστῶσιν.

Ita nimirum postquam mundanis perfuiti fuerint, ab ægrotãtibus auolantes, oblitterato quem creauerant morbo, homines in pristinum statum restituunt.

Nota porrò non similitudinem tantùm, sed & rationem similitudinis

nis

nis esse Iustini. Quid enim alioqui magnum; & qua laude dignũ esset, dixisse Dæmones latronibus esse similes? Lippis & tonsoribus, vt aiunt, hoc notum. Vtrosque enim, tam dæmones, quàm latrones, rapere, nocere, interimere, aliáque eiusmodi plurima designare, cuncti nôrunt. Sed de morborum fallaci curatione, hoc nouum, hoc rectè dictum, hoc superstitiosis Gentilibus ad commonitionem opportunum.

Tertullianus in Apologetico cap. 22.

Quod & imitatus videtur Tertullianus in Apologetico, cap. 22. cùm ita de ijsdem dæmonibus, siue de ijs, qui putãtur Dij, & quidem benefici, prodidit: *Benefici planè, & circa curas valetudinũ. Lædut enim primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nou..., siue contraria: post quæ desinunt lædere, & curâsse creduntur.*

Minucius in Octauio.

Et Minucius Felix, in Octauio, post medium, hisce verbis: *Sic à cælo deorsum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiã corporibus occultè, vt spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, vt ad cultum sui cogant; vt nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati, remissis quæ constrinxerant, curâsse videantur.*

Lactantius libro 2. cap. 15.

Et Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum Institutionum, cap. 15. vbi de Gentilibus isto dæmonum astu illusis, eósque propterea venerantibus ita scribit: *Hos in suis penetralibus consecrant: his quotidie merum profundunt, & scientes dæmonas venerantur, quasi terrestres Deos, & quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt, & irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occultè in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt: vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere. Quarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obscura est. Prodesse enim eos putant, cùm nocere desinunt, qui nihil aliud possunt, quàm nocere.*

S. Iustini sententiæ aliquot apud Antonium Melissam.

E lib. 1. Sermonum.

Sermone XIX.	Λόγῳ ιθ.
De non pœnitentibus.	Περὶ τῶν μὴ μετανοούντων.
SENTENTIA I. Perdifficilè anima ad ea, quibus excidit, bona regreditur: & perægrè è malis, quibus assueuit, egreditur.	Δυσαναβίβαστος ἡ ψυχὴ ἐπὶ ταῦτα ἀφ' ὧν ὤλισθησε καλῶν· δυσεκβίβαστός τε τούτων, ὧν συνειθίσθη κακῶν.
SENTENTIA II. Succumbere & concedere perturbationibus, extrema seruitus:	Τὸ ὑποπεσεῖν καὶ παραχωρῆσαι τοῖς πάθεσιν, ἐσχάτη δουλεία· ὥσπερ τὸ κρατεῖν

κρατεῖν τούτων, ἐλευθερία μόνη.

quemadmodum ijs dominari, ſola libertas.

Μεγίστου ὄντως ἀγαθοῦ, τὸ μὴ ἁμαρτάνειν· δεύτερον ἀγαθόν, τὸ δικαιωθῆναι· ὅστις δὲ πολὺν χρόνον ἀδικῶν ἀκόλαστος μένει, οὗτον δεῖ νομίζειν τὸν ἀτυχέστατον.

SENTENTIA III.

Maximum re verâ bonum eſt, non peccare: ſecundum autem, pœnâ emendari: at qui multo tempore iniquè agens impunitus manet; hunc par eſt reputare infeliciſſimum.

E lib. 2. eiuſdem.

Λόγῳ ϛ.

Τοσοῦτον δύνανται οἱ ἄρχοντες, πρὸ τῆς ἀληθείας δόξαν τιμῶντες, ὅσον καὶ λῃσταὶ ἐν ἐρημίᾳ.

Ἀνάγκη ἀπειρίᾳ καὶ κακίᾳ ἡνιόχου τὰ ὑπεζευγμένα κατὰ κρημνῶν φέρεσθαι, ὥσπερ ἐμπειρίᾳ καὶ ἀρετῇ διασώζεσθαι.

Sermone VI.

TAntũ poſſunt Principes, qui opinionem veritati anteponunt, quantum latrones in ſolitudine.

Neceſſe eſt imperitiâ & malitiâ aurigæ, ſubiugales per præcipitia ferri, quemadmodum peritia & virtute conſeruari.

Λόγῳ μγ.

Τέλος τοῦ φιλοσοφοῦντι ἡ πρὸς θεὸν ὁμοίωσις κατὰ τὸ δυνατόν.

Sermone 43.

FInis philoſophanti eſt, Deo, quoad eius fieri poteſt, aſſimilari.

Prima quidem harum ſententiarum è libro 2. Antonij Meliſſæ ſumptarum reperitur in Apologia ad Antoninum pium, quam & S. Ioannes Damaſcenus citat libro 1. parallelorum c. 98. ſed eam hîc poſui, vt ne vllam, quæ in Meliſſa repeiriretur, omitterem: reliquę autem, vbi ſint, requirendum; ſi fortè cum illis aliquod Iuſtini nouum opus inueniatur.

S. Iuſtini ſententiæ, apud S. Ioannem Damaſcenum in Parallelis.

LIbenter collectas à Damaſceno ſententias, etiam græcè huc attuliſſem, ſi fuiſſet græci exemplaris copia: nunc eo deficiente, tantùm latinè ponam, vt nobis doctiſſimus Billius edidit.

E libro 1. Parallelorum, cap. XIX.

Apud S. Ioan. Damaſc.

N*Ec lux vnquam caligo erit, quamdiu lux fuerit: nec rerum noſtrarum veritas vnquam falſi conuincetur. Veritas enim eſt, qua nihil fortius eſſe poteſt. Quiſquis, cùm veritatem dicere queat, eam ſubticet, à Deo condemnabitur.*

Hæc eſſe Iuſtini perſuadet, præter Damaſcenum, etiam illud: quòd

ſcilicet extrema pars, in eius dialogo cum Tryphone ſub medium inueniatur, his verbis: εἰδότες, ὅτι πᾶς ὁ δυνάμενος λέγειν τὸ ἀληθὲς, καὶ μὴ λέγων, κριθήσεται. *Scientes omnem, qui veritatem dicere potuerit, nec dixerit, condemnatum iri.*

Hinc credibile eſt idem fuſiùs, prout ſuprà citauit Damaſcenus, in alio libro, qui iam perierit, ab eodem Iuſtino prolatum eſſe.

Eodem libro, cap. XXIIII.

Apud eundem Damaſcenum.

Vita à ratione auerſa dux & gubernator, dæmon eſt.

Eodem libro, cap. LXV.

DEI COGNITIO SANITAS ANIMÆ.

Vt corporis bonum eſt ſanitas: ſic animæ bonum eſt Dei cognitio: quæ eſt velut quædã animæ ſanitas, per quam diuina ſimilitudo cõparatur.

E lib. 2. parallelorum, cap. XXVI.

Fieri non poteſt, vt qui res vſque adeo magnas ac diuinas ab ijs, qui eas callent, minimè didicerunt, aut ipſi eas noſcant, aut alijs rectè tradere queant.

Eod. lib. cap. LXXVII.

Qvemadmodum corporibus omnibus à Deo procreatis hoc inſitum eſt, vt vmbram habeant: ſic Deum quoque, qui iuſtitia præditus eſt, tum ijs, qui virtutem ſibi colendam propoſuerint, tum ijs, qui vitium amplexari maluerint, pro cuiuſque merito præmia pœnáſque tribuere conſentaneum eſt.

Eod. lib. cap. LXXXVII.

Animus ad ea bona, quibus excidit, ægrè reuocari poteſt: ac rurſus ab ijs, quibus aſſueuit, malis non facilè extrahi poteſt.

Hæc in Damaſceno ex interpretatione Billij: ſed vltima ſententia etiam ab Antonio Meliſſa collecta eſt, & mihi paullo ſuperiùs græcè & latinè poſita.

Huc etiam ſpectant illa duo fragmenta, quæ ſeruauit & laudauit S. Irenæus: vnum quidem libro 4. aduerſus hæreſes; ſumptum, vt ait, ex opere Iuſtini *Contra Marcionem*, vbi dixit Iuſtinus, *ne Domino quidem ipſi ſe crediturum, ſi Deum alium, quàm creatorem annuntiaret.* Alterum libro V. aduerſus eaſdem hæreſes, vbi refert dictum eſſe à Iuſtino: *Satanam ante Domini aduentum nunquam auſum eſſe in Deum iacere contumeliam, tanquam qui condemnationis ſuæ adhuc eſſet ignarus.* Sed hæc duo fragmenta poſui ſupra capite XXIV. Græcè & Latinè, in Euſebij, de libris Iuſtini, teſtimonio.

Nota porrò Irenæum libro V. *Aduerſus hæreſes*, nullam facere mẽtionem voluminum Iuſtini *Contra Marcionem*, quod tamen dicit Hiero-

Hieronymus suprà, in recensione librorum Iustini. Quare verisimile est, aut eum memoriâ lapsum, aut errâsse librarium, & quintum librum citâsse, pro quarto. Nam in quarto libro, cap. 14. citat Irenæus Iustinum his verbis: *Et bene Iustinus in eo libro, qui est ad Marcionem, ait: Quoniam ipsi quoque Domino non credidissem alterũ Deum annuntianti, præter fabricatorem & factorem & nutritorem nostrum.*

HIERONYMI LAPSVS MEMORIÆ IN RECENSIONE LIBRORVM S. IVSTINI.

Adde Eusebium, vnde sua sumpsit Hieronymus, non in libro v. Irenæi, ponere mentionem voluminis *Contra Marcionem*; sed in quarto, vt suprà videre est. Et sanè, licet Irenæus libro quinto locum vnum citet Iustini, tamen ne verbo quidem meminit voluminum *Contra Marcionem*, sed simpliciter absque vlla cuiusquam libri mentione, sic citat: *Bene Iustinus dixit: quoniam ante Domini aduentum nunquam ausus est satanas blasphemare Deum: quippe nondum sciens suam damnationem.*

Irenæus lib. 5. aduersus hæreses.

Quare apud Hieronymum, *De viris illustribus*, in Iustino, corrigenda erunt illa verba: *quorum Irenæus quoque in quinto aduersus hæreses libro meminit.* & pro *quinto* reponendum erit, *quarto.*

Sed enim, de posteriore illâ Iustini sententiâ, quamuis olim à S. Irenæo laudatâ, quamuis deinde ab antiquis Patribus receptâ, ambigunt tamen iam nonnulli, & magni quidem viri, an rectæ fidei atque rationi sit conformis: quibus vt cum defensione Iustini fiat satis, hæc mihi formabitur & tractabitur

QVÆSTIO.

An dæmones ante Christi aduentum suam ignorauerint damnationem?

SEnsit hoc Iustinus: consensit Irenæus: adstipulati sunt Eusebius Cæsariensis, & Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus.

Verba S. Irenæi pro se & pro S. Iustino hic proximè antè posui.

Eusebij quoque verba ambos illos PP. laudantis, ac studiosos ad operum Iustini lectionem cohortantis, idque statim post approbatam hanc illius, de qua nũc agitur, sententiam, præmisi suprà, cap. 25.

S. Epiphanij verò auctoritatem paullo inferiùs, totidem quot ille verbis græcè producturus sum.

Quia verò hæc sententia planè iam noua & insolens plerisque existimatur, aperienda mihi mens est magnorum illorum virorum, & in quo vsurpârint sensu, explicandum. Ita enim quæ noua & inopinata videtur opinio, admodum conformis esse veritati ostendetur.

Duplex igitur accipi potest dæmonum condemnatio: Vna priuationis æternæ felicitatis, quæ in Dei contemplatione ac fruitione consistit: Altera relegationis in abyssum, siue in imas terræ partes, tanquam in carcerem, vnde exeundi potestas non sit.

DÆMONVM DVPLEX CONDEMNATIO.

Dico igitur SS. illos Patres non de priori condemnatione locu-

tos

tos eſſe (ſiquidem è multis S.Scripturæ locis eam habebant notiſſimam) ſed de poſteriori. Nam dæmones in terris verſari, & odio diuinæ poteſtatis, quæ ipſos præcipitauit, hominibus inſidiari, ſæpius in ſcriptis ſuis ijdem auctores indicarunt: ſed ante Chriſti aduentum neſciſſe eoſdem dæmones, ſe in barathrum inferorum detrudẽdos, è ſacris litteris ſancti illi Patres collegerunt & docuerunt. Neque hęc doctrina, vel à fide, vel à ratione, vllo modo eſt aliena. Vt enim Chriſto Domino, tanquam eorum victori & triumphatori, hæc reſeruabatur condemnatio: ita & huius condemnationis ſcientia, vſque ad illius aduentum, ipſis occultabatur. Nam & alia complura, (de quibus S. Ignatij Epiſcopi Antiocheni & martyris ad Philippenſes epiſtola conſuli poteſt) eos latuerunt. Hanc autem condemnationem nonnulli ex illis Chriſti imperio in abyſſum detruſi tandem experimento proprio didicerunt; & alios, vt idem timerent, exẽplo docuerunt. Nam ex ijs quidam, Lucæ 8. verſu 31. cùm è viri malè obſeſſi corpore eijcerentur, *rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.* Necdum igitur damnati ad abyſſum erant: nec ſciebant quidem, auctoribus tantis Patribus, ſe eſſe damnandos. At poſt Chriſti aduentum, eius cognita & experta poteſtate, & verborum item veracium atque efficacium intellectâ ſententiâ, extremæ illius ſuæ damnationis, atque ad æternum inferorum ignem relegationis ſimul & religationis certiores euaſerunt. Nam vt antehac dominati mundo fuerant, & pro Dijs, illuſo penè toto genere humano, ſeſe venditârãt, (quæ gens enim eorum cultu hactenus vacabat?) ita perpetuum ſibi ſperabant, tam in homines dominatum, quàm in terra & aëre domicilium. Nam infra terram æterno igni ſe alligandos, ne ſuſpicabantur quidem. Ita priſtinus rerum ſucceſſus, & obtenti per cunctas terrarum oras ſummi honores atque cultus, abſente Chriſto, excęcârant. Hinc & Chriſtum ipſum princeps ille mundi, ſeu ſupremus dæmonum, antiqua fretus proſperitate, collato pede, non ſemel, ſed ſępius aggreſſus eſt, ſiue in deſerto eſurientem, ſiue in publico procurantem: ſed victus ſemper abſceſſit; & dum appetijt, quod tenere non poterat; amiſit, quod tenebat. Huc ſpectãt illę Domini voces, Ioannis 12. verſu 31. *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eÿcietur foras.* id eſt, principatu ſuo per me priuabitur, & poteſtas eius accidetur, & (quod intelligi commodè poteſt) ipſe in abyſſo tanquam in carcere religabitur. Et illę, Ioannis 14. verſu 30. quas ad Diſcipulos ſuos inſtante pręcipuo certamine proferebat: *Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Item iſtę ibidem, cap. 16. verſu 11. *Quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* vt nimirum principatu ſuo per mortem meam ſpolietur. Quę quidem omnia primò ac principaliter de ſummo principe dæmonum videntur accipienda:

Lucæ 8. ver. 31.

Ioannis 12. ver. 31.

Ioannis 14. ver. 30.

Eiuſdem 16. ver. 11.

pienda: quamuis & aliorum potestas concomitanter & ex consequenti plurimùm quoque significetur accisa. Sic enim vnius princeps exercitus de aduerso principe loqui solet. Quod potest ex eiusdem B. Ioannis apocalypsi, cap. 20. versu 1. & 2. colligi: *Et vidi*, inquit, *Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille: & misit eum in abyssum: & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solui modico tempore.* id est, Ostendit mihi Deus per visum, quomodo Christus magni consilij Angelus, potestatem habens in locos inferos demergendi quemcumque voluerit, & vinciendi, nunc per mortem suam, principem illum & antiquum primi hominis deceptorem apprehenderit, atque in abyssum præcipitârit, ibique ad Antichristi vsque aduentum alligârit. Tunc enim *soluetur modico tempore*, id est, tribus annis & dimidio: quod est totum sæuientis Antichristi tempus. E SS. Patribus deducta est hæc interpretatio, & probata doctissimis Apocalypseos interpretibus Francisco Riberæ, & Blasio Viegas, in cap. xx. eiusdem libri. Quos est conatus quidem aliquis recentior è socijs refutare, quantum ad principem dæmonum & eius alligationem attinet, sed sanè tota illius, quàm contrà adfert, ratio inutilis apparet. Dicit enim non magni referre, Dæmonum principem apud inferos vinctum detineri, cùm inde per suos plurimùm nocere possit: vtiturque similitudine à ducibus belli deriuata, qui sic absentes pugnare soleant: tum profert ex historijs exempla duo: deinde addit non videri in bona phrasi posse ab Angelo detineri dæmonem alicui loco alligatum, quin ipse etiam Angelus ab eodem loco non recedat; & nimiæ esse simplicitatis, persuadere sibi Angelũ, qui dæmonem alligauit, veluti alligatũ in inferno per annos mille permanere.

Apocal. 20. vers. 1. & 2.

FRANCISCVS RIBERA ET BLASIVS VIEGAS INSIGNES APOCALYPSEOS INTERPRETES.

Verùm hæc tota tela dissolutu est quàm facillima. Dato enim, quòd dęmonum princeps in abysso alligatus, etiam per suos satellites nocere non parum possit; quis tamen non videt, quanto plus ipse per se nociturus sit, si præsens fuerit, si naturam cuiusque è propinquo perspexerit, ac non ex aliorum duntaxat relatu imperfectè cognouerit? Quàm verò longum negotium, ad euenta singula, ad omnes tentationum refutationes, vbi præsertim maxima res agatur, ire, redire, nuntiare, renuntiare? Et productio similitudinis à duce exercitus tota contra suum auctorem est. Quis nescit, quantum valeat, & pro suis confirmandis, & pro aduersarijs infringendis, versutissimi ducis & simul potentissimi (qualis est primus dæmonum) in acie præsentia? Sæpe enim in militia nihil magis parti profuit, quàm Ducem præsto esse, & in conspectu. Vnde Antigonus secundus, (teste Plutarcho in apophthegmatis Regum & Impp.) cum aduersus Pto-

DVCIS PRÆSENTIA IN PRÆLIO PLVRIMVM POTEST.

lemæi

Plutarchus in Apophthegmatis Regum & Imp.

lemæi duces pugnaturus ex classis gubernatore accepisset, multo plures hostium esse naues, quàm ipsius, *me verò ipsum præsentē,* inquit, *quot nauibus opponis*? Et sanè si quis rex esset inter omnes suos milites, & consilio longè prudentissimus, & manu multò fortissimus, & cui id præterea accederet, quòd occidi non posset; profectò is prima semper in acie versaretur, & plurimos manu sua occideret, & maximè suorū animos accēderet: captus verò, & vinctus, & in carcerem compactus, quis non intelligat, quantū suis viriū adempturus esset, quantum animi & spei detracturus? Multa dici possent alia eius generis, quæ viro militari magis sunt cognita, quam illi, qui, si vel vsu, vel auditu, vel lectu saltem, paullò plus militiæ attigisset; talem nunquam similitudinem pro se attulisset, quæ contra se maximè faceret.

Toletus in cap. 8. Lucæ.

Adde dæmones adeo ab abysso illa & carcere abhorrere, vt haud magna illis libido esse possit, ducem captiuum illic inuisendi, aut consulendi. Si enim illis est grauissimum, (vt rectè Toletus ad caput octauum S. Lucæ annotauit) *detineri carceribus inferni, propter loci horrorem ac turpitudinem, & propter priuationem opportunitatis nocendi hominibus*, certè vel illò adire satis horrendum est.

Gregor. magnus Papa lib 3. Dialog. cap. 7.

Ad exempla verò quod attinet, si dęmon (vt refert Gregorius Magnus lib. 3. dial. c. vii.) visus est in Apollinis templo suos instruere satellites, & rationem ab eis exposcere; multò probabilius est illum fuisse principem dæmonum illius prouinciæ, vbi res ea geri videbatur, quàm omnium omnino dæmonum toto orbe sparsorum, qui in vnum illud fanum conuenire coacti sint. Estque idem de illo existimandum, qui Magno Antonio in Ægypto enormi corpore apparuit: nempe ad summum totius Ægypti dæmonibus eum præfuisse.

Deinde, qui dicunt principem cunctorum dæmonum à Christo, per mortem eius, victum esse atque vinctum, non propterea negant illius aut aliorum dæmonum virtutem ac potentiam esse accisam & imminutam; sed hoc dicunt, & illud præterea alterum: nempe non tantùm prostratam Christi morte Dæmonum tyrannidem; sed eorum pręterea ducem ad inferos missum, & ibi religatum. Nam & hoc videtur illa sacri & paschalis hymni pars indicare, quę canit:

Consurgit Christus tumulo:
Victor redit de barathro,
Tyrannum trudens vinculo,
Et paradisum reserans.

DÆMONIS RELEGATIO QVALIS FVERIT, AVT ESSE POSSIT.

Quæ tamen protrusio & religatio non sic intelligenda est, quēadmodum iste imaginatur, & doctis viris adscribit, quasi teneatur adesse Angelus, & religatum custodire; quod meritò ait nimiæ esse simplicitatis ita sibi persuadere; sed maioris profectò hoc fuit in ipsomet simplicitatis, existimare doctissimos patres tam crasso modo eam relegationem intellexisse: quod, vt arbitror, non existimasset, si quem

quem alium ipse modum animo tunc comprehendisset. Non est igitur, non est vnicus vinciendi dæmonem & vinctum detinendi modus, sed multi; & plures adeo, quàm consequi mente possimus.

LIGANDI DÆMONIS MODI VARII.

Primus quidem & maximè naturalis est; cùm Deus aut Angeli Dæmonibus vim aliquam detinentem, & certo loco quasi affigentem imprimunt. Quod enim homines fortiores in imbecilliorum corpora, id præstantiores Angeli in spiritus inferiores possunt.

Secundus, imperio atque auctoritate, siue propria, siue aliunde acceptâ. Deus enim & Christus propria auctoritate: Angeli autem aliena, siue cælitus accepta vtuntur.

Tertius, terrore & minis, seu suo, seu alterius nomine intentatis.

Quartus, Deo concursum motui ipsorum atque fugę subtrahente.

Quintus, graue aliquod & ineluctabile pondus, quasi catenam, circumducendo, eique arctissimæ coniunctionis vinculo connectendo, & eo ferè modo (excepta informatione) quo anima corpori adstringitur, & per illud intra certos angustósque limites interdum coarctatur.

Possunt & alij plures modi à doctioribus excogitari: sed hi nunc satis.

Quare cùm bona pars SS. Patrum, & Scripturæ interpretum, per Angelum, qui satanam apprehendit, & ligauit, & in abyssum misit; intelligat Christum, nullus est è modis iam suprà positis, quo is vti non quiuerit; quo autem vsus sit, non est hominis certa coniectura.

Sicut ergo *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti*, (vt scribitur Tobiæ cap. VIII. versu 3.) ita credibile est satanam, qui Christum adortus est, Matthæi cap. 4. versu 3. & seqq. ab eodem Christo victore in abyssum infernam esse missum, atque inibi colligatum. Confirmatur hæc sententia è vita S. Afræ martyris, apud Suriũ, 4. Augusti, vbi dicitur Princeps dæmonum vocari Satan, & à Christo crucifixo catenis igneis colligatus. Et è vita quoque S. Iulianæ virginis & martyris apud Metaphrasten, & Surium, ad XVI. Februarij, vbi dæmon, qui in Angelum lucis transfiguratus illi apparuerat, ad expromendam adactus veritatem, se ab eo, qui Satan diceretur, missum esse dixit, atque inter dæmones primum locum tenere. Ac de satana, seu principe dæmonum, Apocalypseos locum superiùs adductum esse intelligendum, est sanè quàm probabile: quemadmodum præter alios interpretes, iam nouissimè in lucem editus huiusce Duacensis Academiæ splendor, quà eruditione, quà sanctimonia eximius, piæ memoriæ Guilielmus Estius rectè censuit: cuius verba, pro meo in sanctum virum & mihi probè cognitum affectu, lubenter ac cupidè hic appono. Ad illa igitur Apocalypseos verba, cap. 20. versu 2. *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas*, sic scribit: *Sunt hæc quatuor nomina*, inquit,

Tobiæ 8. vers. 3.

Tom. 4. Surij.

Tomo 1. Surij.

GVILIELMI ESTII EXPLICATIO IN LOCVM

Apocal. 20. vers. 2.

inquit, *principis dæmonum, eique in Scripturis ita propria, vt non temerè vllum eorum reperias attributum alicui inferiorum dæmonum, quos Scriptura passim dæmonia vocat. Unde à consuetudine Scripturæ recedunt, qui omnes dæmones diabolos vocant.* Hæc ille. Quę sanè cum doctrina S. Iustini admodum consentiunt. Nam in Apologia ad Antoninum Pium Imp. paullò ante medium, ita scribit: Παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων ὄφις καλεῖται, καὶ σατανᾶς, καὶ Διάβολος. ὡς καὶ ἐκ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων ἐρευνήσαντες μαθεῖν δύνασθε· ὃν εἰς τὸ πῦρ πεμφθήσεσθαι μετὰ τῆς αὐτοῦ στρατιᾶς, καὶ τῶν ἑπομένων ἀνθρώπων κολασθησομένους τὸν ἀπέραντον αἰῶνα προεμήνυσεν ὁ Χριστός.

Apud nos quidem princeps prauorum dæmonum appellatur serpens, & satanas, & diabolus: quemadmodum è nostris Scripturis cognoscere potestis. Quem vnà cum suo exercitu & sequentibus eum hominibus in ignem missum iri infinito sæculo puniendos Christus præsignificauit.

Denique verba illa Apocalypseos paullò antè producta (ad quæ videtur S. Iustinus respexisse) cùm græcè adiunctos habeant articulos, planè ipsum principem dęmonum, & non alium quempiam, denotare cognoscuntur. Nam ita habent: Καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν, τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι διάβολος, καὶ σατανᾶς· καὶ ἔδησεν αὐτὸν χίλια ἔτη· Καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτόν. Quę S. Prosper Aquitanicus, in *Dimidio temporis*, cap. 4. ita vertit: *Et apprehendit draconem illum magnum, illum serpentem antiquum, qui vocatur diabolus, & satanas, & alligauit eum mille annis, & misit in abyssum, &c.*

S. Prosper in Dimidio temporis cap. 4.

Huius itaque condemnationis, vt suprà exposui, nescius erat satanas ante Christi aduentum, vti & multorum mysteriorum nostræ fidei ad illud tempus ignarus fuit. Atque de hac condemnatione locutum esse S. Iustinum, & alios Patres hac in re eum secutos, colligere licet ex S. Andrea Cæsareæ Cappadocię Episcopo, qui ad eadem S. Ioannis verba modò posita, sic habet: *Exponit hoc loco,* inquit, *diaboli deiectionem, quæ Dominicæ Passionis vi facta est. Per hanc enim alius ipso fortior, nempe Christus, Deus & Dominus noster illum, qui potens alioqui habebatur, ligauit, nósque spolia illius, de manibus eius eripuit, illo ad abyssum condemnato & amandato. Atque hoc ex eo planum fit, quòd dæmones quidã deprecati sunt illum, ne ipsos in abyssum amandaret.* Deinde vnica tantùm interiecta periodo, sic pergit suam è S. Iustino confirmare sententiam: Καὶ ὁ μέγας δὲ Ἰουστῖνος φησιν ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ παρουσίᾳ πρώτως γνῶναι τὸν διάβολον, ὅτι καταδεδίκασται εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ εἰς τὴν τοῦ πυρὸς γέενναν. Δυνατὸν τοίνυν, ὡς οἶμαι, διὰ τῶν προλεχθέντων καὶ τὴν ἐκ τοῦ Χριστοῦ κατὰ τοῦ διαβόλου νοεῖσθαι ἀπόφασιν. *Et verò magnus Iustinus existimat primum in Christi aduentu cognouisse diabolum, se in abyssum, ignisque gehennam condemnatum esse. Per prædicta igitur, Christi contra diabolum sententiam intelligi posse autumo.* Ita S. Andreas Cęsariensis, non modo S. Iustini declarans sententiam, sed & declaratam

Andreas Cæsar. in Apoc. cap. 59.

tam se admittere ac sequi præ se ferens. Et quidem de vera dæmonum quorundam religatione ad flumen Euphratem agit idem S. Andreas, cap. 27. ad illa verba Apocalypseos: *Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* & sic scribit: Ἐγὼ δὲ καὶ τούτους οἶμαι πονηροτάτους εἶναι δαίμονας δεθέντας ἐν τῇ Χριστοῦ παρουσίᾳ. *Ego autem & illos esse existimo pessimos dæmones, qui vincti sunt in Christi aduentu.* Et infra ibidem: Εἰ δὲ τῷ Εὐφράτῃ προσδέδενται, οὐδὲν ξένον. Οἱ μὲν γὰρ εἰς τὴν ἄβυσσον· οἱ δὲ εἰς τοὺς χοίρους· οἱ δὲ εἰς ἑτέρους τόπους μετὰ τὸ προστάσσειν τοῦ Θεοῦ ἄχρι καιροῦ κατεδικάσθησαν μετὰ τὸν παντελῆ αὐτῶν κατ' ἀνθρώπων πόλεμον αἰωνίως κολασθησόμενοι. *Quod si Euphrati alligati sunt, nihil nouum; quandoquidem alij in abyssum, alij in porcos, alij in loca alia, pro Dei arbitrio, ad tempus adiudicati sunt, confecto cum hominibus bello æternum cruciandi.*

Idem cap. 27.

Sed idem, cap. 34. super eadem Apocalypsi, dictum Iustini locum ab Irenæo & alijs citatum, clariùs producit his verbis: Λέλεκται δὲ τῷ μακαρίῳ Ἰουστίνῳ τῷ φιλοσόφῳ καὶ μάρτυρι, μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν καὶ τὴν κατ' αὐτοῦ ἐν γεέννῃ ἀπόφασιν, βλάσφημον μάλιστα γεγονέναι τὸν διάβολον· καίπερ μὴ πρότερον οὕτως ἀναιδῶς τὸν Θεὸν βλασφημήσαντα. Διὸ περὶ αὐτοῦ εὐθυβόλως εἴρηται· ἡ καρδία αὐτοῦ πέπηγεν ὥσπερ λίθος· διὰ τὸ τῆς πονηρίας ἀνένδοτον. id est. *Dictum est à beato Iustino Philosopho & Martyre, diabolum post Christi aduentum, & latam aduersus eum gehennæ sententiam, maximè blasphemum euasisse: cùm antehac non tam impudenter Deum blasphemasset. Quapropter de eo appositè dictum est:* Cor eius induratum est quasi lapis, *propter saxeam in malitia obstinationem.* Hactenus ex Andrea Cæsariensi.

Idem cap. 34. in eandem Apoc.

Admittit & S. Epiphanius B. Iustini sententiam, sed aliquanto etiã longiùs progreditur: Ait enim diabolum vsque ad Christi aduentum sperasse aliquam ab eo misericordiam. Verba eius in hęresi 39. aduersus Sethianos, sunt hęc: Οὐδαμοῦ δὲ πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἐτόλμησεν εἰς τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην φθέγξασθαι βλάσφημόν τινα λόγον, ἢ ἀθέτησιν ἐννοῆσαι· Ἀνέμενε γὰρ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν· ὡς λέγει· Περὶ σοῦ γέγραπται· ὅτι τοῖς Ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε. Ἤκουε γὰρ ἀεὶ τῶν προφητῶν καταγγελλόντων τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν, λύτρωσιν ἐσομένην τῶν ἁμαρτησάντων καὶ διὰ Χριστοῦ μετανοούντων, ἐνόμιζέ τε τεύξασθαί τινος ἐλέους· ὅτε δὲ εἶδεν ὁ τάλας τὸν Χριστὸν μὴ δεξάμενον αὐτοῦ τὴν περὶ σωτηρίας ἐπιστροφὴν, ἀνοίξας τὸ στόμα κατὰ τοῦ ἰδίου δεσπότου, τὴν βλασφημίαν ἐξήμεσε, τοῖς ἀνθρώποις ὑπόνοιαν ἐμβαλὼν, ἀρνεῖσθαι μὲν τὸν ὄντα, τὸν δὲ μὴ ὄντα ζητεῖν. *Neutiquã verò ante Christi aduentum ausus est in Dominũ suũ aliquod contumeliosum verbũ proloqui, aut conitationẽ meditari. Expectabat enim Christi aduentum: quemadmodũ dicit: Angelis suis mandabit de te, & in manibus tollent te. Audiuit enim Prophetas semper annunciãtes Christi præsentiã fore redẽptionẽ eorum qui peccassent, & per Christũ pœnitentiam agerent, existimabatq; aliquid se misericordiæ consecuturũ: at post-*

Epiphanius hæresi. 39.

 quam

quam vidit miser Christum nullam de eius salute curam suscepisse, tum aperto ore contra suum Dominum contumeliam euomuit, opinionem hominibus immittens, vt eum, qui est, negent; et eum, qui nõ est, quærant. Ita Epiphanius. Cuius interpres Cornarius, postremum membrũ sic verterat: *vt negent quidẽ quæ sunt, quæ verò nõ sunt, quærãt.* Quæ versio non tantùm græcis aduersatur, sed & intentioni ac sententiæ Epiphanij; quippe qui Sethianos arguit, quòd relicto Christo, qui verè est Dominus, instigante diabolo quærant Seth, qui non est Dominus.

CORNARII INTERPRETATIO CORRECTA.

Ista porrò Epiphanij sententia, tametsi expressè, quod sciam, adhuc condemnata non sit; tamen teneri hodie nequaquam potest: cùm sit omnium Doctorum communis sensus atque doctrina; genus dæmonum, non modò in Christi aduentu aut morte, extra salutis ac pœnitentiæ viam fuisse, sed iam ab initio, adeóque ante Adami lapsum, extra statum viatorum, & extra omnem gratiæ ac misericordiæ recuperandæ spem excidisse.

Atque hæc de proposita quęstione pro Iustino dicta sint.

FINIS QVÆSTIONIS.

S. IVSTINI COMMENTARIVS IN HEXAEMERON.

Recensui suprà, cap. xxv. inter germana Iustini scripta, *Commentarium in hexaëmeron* siue *in Opus sex dierum*, idque ex auctoritate S. Anastasij Sinaitæ, cuius & loca nonnulla produxi: voluissem & Michaëlis Glycę gręca adiungere, si gręci exemplaris copia adfuisset, quod ab eo quidem sperabam, apud quem illud videram: sed nunc ea spe frustratus, dabo tantùm primi interpretis verba; ex quibus id saltem colligetur, non modò scripsisse Iustinum in Opus sex dierum, sed magnos etiam Patres, eius & verba & sentẽtias imitatos.

Primus locus Glycę, ex 1. parte annalium, cap. 2. vbi disputat, vtra prior fuerit, dies, an nox?

Glycas 1 parte Annalium cap 2.

Quapropter, inquit, *noctem dies præcedit. Nam lux illa hinc inde diffusa colligebatur mandato Dei, qui eam condiderat: collecta verò* (*vt* IVSTINI *philosophi, Christiq́ testis, ac eundem secuti Basilij verbis vtar*) nocti velut aditum quendam patefaciebat. *Quo fit vt spacium vtriusque coniungens Moses, idq́ diem appellans vnum, temporis mensuram quandam instituat, quum ait:* Facto vespere ac mane, dies vnus extitit.

Genes. 1. ver. 5.

Secundus locus ex eadem parte cap. 5. circa illud Genesis 1. versu 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.*

Genes. 1. ver. 9.

Hoc etiam, inquit, *à nobis inquiri preciũ operæ fuerit, vbinam aqua collecta fuerit, vt siccum deinceps cõspiceretur: siquidẽ vniuersa terræ superficies, quemadmodũ sacræ litteræ tradunt, ab aquis occultabatur. De hoc* IVSTINVS *ille philosophus ac testis Christi, magnúsque Basilius dicũt, mandato diuino tũ concauitates quasdam esse factas: cuius rei testes sint insulæ nullis certis*

S. Iustini locus in Genesim.

certis descripta locis, quæ passim reperiuntur. Eæ concauitates intra se demissam aquam receperunt.

Tertius locus ibidem, cap. 6. sic habet:

Ceterùm ante diem quartum, hoc est, priusquàm ipsi siderum disci crearentur (quemadmodum IVSTINVS *ille philosophus & Christi testis ait, consentiente cum hoc, reliquorum Patrum cœtu) lux vniuersa passim per aëra diffusa, nec motu quodam æquabili ferebatur, nec diei metas definiebat; sed quamprimùm collecta fuisset, succedendi sibi potestatem nocti faciebat.*

Hactenus è Glycâ, S. Iustini scriptorum mentio. Et hîc de eiusdem S. Patris libris atque fragmentis, dum alius alia producat, sit finis.

Iam vt eorundem librorum tanti Martyris lectoribus, ne vspiam offendant, prospiciamus: ad quosdam eius næuos (quis enim sine illis?) manifestandos accedimus.

CAPVT XXVIII.

Næuorum quorundam in scriptis S. Iustini obseruatio.

POst omnem beatissimi Martyris vitam, post collectas è scriptis virtutes, post sana fidei, morúmque documenta, post librorum recensionem atque censuram, vnicum mihi, mecúmque itidem nonnullis visum est ante nostras Notationes esse adiungendum; nempe vt lectores insignium eius operum admoneam, pauculas in illis opiniones reperiri, quæ illo quidem æuo satis communes & vsitatæ, aut certè in ea, quæ tum erat, Scriptorum raritate tolerabiles habitæ sunt; pòst autem, Dei ecclesia maiori intelligentiæ luce in multis perfusa, sic exoletæ censentur & antiquatæ; vt teneri, defendiue deinceps non possint.

Primus næuus est: Beatos post resurrectionem mille annis in hac terra cum Christo regnaturos. 1. Næuus S. Iustini.

Hanc opinionem docet & probat in dialogo cum Tryphone, paullò post medium; vbi contra negantes mortuorum resurrectionem ita scribit:

Ἐγὼ δὲ, καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα· καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ, καὶ κοσμηθείσῃ, καὶ πλατυνθείσῃ οἱ προφῆται Ἰεζεκιὴλ, καὶ Ἠσαΐας, καὶ οἱ ἄλλοι ὁμολογοῦσιν, &c.

Ego autem, & si qui mecum recta sint in omnibus sententia Christiani, & carnis resurrectionem futuram nouimus; & mille annos in Ierusalem instauratâ, atque ornata, atque dilatata Ezechiel, & Esaias, & alij confitentur, &c.

 De

De hac opinione, eiúsque sectatoribus viris sanctissimis, & qui differat ab ea quæ fuit Cerinthi hæresiarchæ & Millenariorum, dixisse satis fusè videor in Notationibus ad vitam S. Papiæ Hierapolitani, cap. vltimo. Quare pluribus hic supersedeo.

2. Naeuus.

Secundus naeuus est: Angelos bonos, quibus commissa erat mundanorum gubernatio, potestate sua abusos feminis se commiscuisse, ac dæmones generasse.

Quam opinionem expressit in posteriore Apologia, siue ea, quæ ad Senatum inscripta est: vbi hæc leguntur:

Τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν Ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν. Οἱ δ᾽ Ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τάξιν, τὴν γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν· Οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες καὶ προσέτι λοιπὸν τὸ ἀνθρώπειον γένος ἑαυτοῖς ἐδούλωσαν. &c.

Hominum, & eorum, quæ sub cælo sunt, prouidentiam Angelis, quos illis præfecit, attribuit. Sed Angeli hunc ordinem transgressi mulierum amoribus succubuerunt, & filios procrearunt (hi sunt, qui dæmones appellantur) atque insuper reliquum genus humanum sibi subegerunt. &c.

Et paullò pòst distinguit dæmones tam à malis angelis, quàm ab hominibus, dum dicit:

Ὅθεν καὶ ἐπιμένει ὁ θεὸς τὴν σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι· ἵνα καὶ οἱ φαῦλοι ἄγγελοι, καὶ δαίμονες, καὶ ἄνθρωποι μηκέτι ὦσι, διὰ τὸ σπέρμα τῶν Χριστιανῶν, ὃ γινώσκει ἐν τῇ φύσει ὅτι αἴτιόν ἐστι.

Quocirca Deus confusionem, & totius mundi interitum (per quem mali Angeli, & dæmones, & homines non amplius supersint) fieri nondum permittit, propter semen Christianorum, quod cognoscit in natura caussam esse. &c.

Huius erroris occasio accepta creditur è loco Geneseos malè intellecto, Nam ibi cap. 6. ver. 2. dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, Vbi per *filios Dei* intellexerunt quidam antiqui Patres *Angelos*.

Gen. 6. ver. 2.

De hac quoque secunda opinione antiquata & derelicta tractaui in Notationibus ad vitam S. Papiæ, loco suprà citato. Nam de Angelorum lapsu ad voluptates, tenuit idem S. Papias, quod postea Iustinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, & alij eos secuti. De quibus videri potest primus noster tomus *Illustrium ecclesiæ Orientalis Scriptorum.*

3. Naeuus illi...

Tertius naeuus illi attribuitur: mundum creatum esse ex informi materia.

Docuisse hanc opinionem creditur in Apologia priore, siue Ad

Antoninum Pium Imp. ſub initium. Verba eius, vt nunc quidem exſtant, ſunt hæc:

Καὶ πάντα τὴν ἀρχὴν ἀγαθὸν ὄντα δημιουργῆσαι αὐτὸν ἐξ ἀμόρφου ὕλης δι' ἀνθρώπους δεδιδάγμεθα.

Et bonus cùm ſit, ipſum cuncta ex informi materia propter homines condidiſſe docti ſumus.

Verùm iſta ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *ex informi materia*, minimè crediderim eſſe Iuſtini: tum quòd hoc loco ſint ſuperuacanea: tum quòd alibi refutet eam opinionem, quæ materiam ponit Deo coæternam. Prius patet ex totius loci, vnde illa verba ſumpta ſunt, diligenti conſideratione. Nam in antecedentibus & conſequentibus nihil aliud, quàm conatur oſtendere Deos Gentilium minimè eſſe Deos, miniméque adorandos, vtpote è materia factos, & politos, & quidem ab opificibus non rarò impudicis; atque etiam cuſtodibus, ne rapiantur, indigentes: contrà autem, Deum noſtrum æternum, immortalem, nullius indigum, bonus cùm ſit, omnia ab initio creaſſe hominum cauſſâ: atque vt homines creauit ab initio, cùm non eſſent, ſic illos, ſi rectè vixerint, immortalitate donaturum.

Vult igitur ſanctus noſter philoſophus præ alijs dijs, non dijs, verum Deum à bonitate & potentia extollere: ad quod nihil faceret, immo officeret non parum, dicere omnia ab eo creata è præexiſtente materia informi, quaſi ſcilicet illâ eguiſſet. Poſterius quoque ſatis inde videtur liquere, quòd Ariſtotelem, qui eius erat opinionis, partim perſtringat in Parænetico, partim ſugillet ac refutet in libro, quem contra ipſius primum & ſecundum librum phyſicę auſcultationis compoſuit. Is liber nunc inſcribitur. *Ariſtotelicorum quorundam dogmatum euerſio.* In quo ſub initium clarè profitetur Deum ab initio condidiſſe verbo ſolo, ſeu voluntate, & non ex informi materia, quicquid primitus condidit. Sic enim de illo inter alia: Θεὸν δὲ, ἢ θεοὺς οὔτε πρὸ αὐτοῦ, οὔτε μετ' αὐτὸν ἐσχηκώς. συναΐδιον οὐκ ἔχων, οὔτε ὑποκείμενον, οὔτε ἀντικείμενον· ἄφθαρτον ἔχων τὴν οὐσίαν, καὶ ἀνεμπόδιστον τὴν ἐνέργειαν· δημιουργὸς ὢν τοῦ κόσμου παντὸς, ἀρχὴν ἔχοντος τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ τί εἶναι, καὶ τοῦ πῶς διαμένειν, τὴν ἐκείνου θέλησιν.

Deum autem, aut Deos, nec ante ſe, nec poſt ſe habuit: coæternum quoque, nec ſibi ſubiacens quicquam habuit, neque oppoſitum: habuit autem eſſentiam incorruptam, & efficaciam impedimenti neſciam: quippe totius creator mundi, habentis pro initio ſui eſſe, & ſic eſſe, ac permanere, ipſius voluntatem. Quaſi dicat: totus mundus non aliunde eſt, nec pendet, quàm ex Dei voluntate.

Et paullò pòſt: Καὶ ὥσπερ τὸ γεγωνὸς οὐκ ἂν ἐγένετο μὴ ἐκείνου προστάξαντος, Γενηθήτω· οὕτως οὐδ' ἂν διέμεινε μὴ ἐκείνου θεμένου τὸ πρόσταγμα.

Et ſicut quod conditum eſt, non exſtitiſſet, niſi ille præcepiſſet, FIAT: *ita neque permanſiſſet, niſi idem ipſe præceptum poſuiſſet.* Sic ibi.

Quare ab illo næuo purus ac liber censeri potest.

4. Næuus reiectus.

Næuum alium illi attribuunt quidam: quòd scripserit in Apologia ad Antoninum Pium Imp. dæmones necdum in ignem missos. Verba eius sunt hæc:

Παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων ὄφις καλεῖται, καὶ σατανᾶς, καὶ διάβολος· ὡς καὶ ἐκ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων ἐρευνήσαντες μαθεῖν δύνασθε· ὃν εἰς τὸ πῦρ πεμφθήσεσθαι μετὰ τῆς αὐτοῦ στρατιᾶς καὶ τῶν ἑπομένων ἀνθρώπων κολασθησομένους τὸν ἀπέραντον αἰῶνα προεμήνυσεν ὁ Χριστός. Καὶ γὰρ ἡ ἐπιμονὴ τοῦ μηδέπω τοῦτο πρᾶξαι τὸν θεὸν, διὰ τὸ ἀνθρώπινον γένος γεγένηται. Προγινώσκει γάρ τινας ἐκ τῆς μετανοίας σωθήσεσθαι μέλλοντας, καί τινας μηδέπω ἴσως γεννηθέντας.

Apud nos quidem sanè prauorum dæmonum princeps appellatur serpens, & satanas, & diabolus, quemadmodum è scriptis nostris, si quidem scrutari volueritis, cognoscere potestis: quē Christus præsignificauit se in ignē missurum vnà cum suo exercitu, & hominibus eum sequentibus, in æternum puniendos. Nam quòd Deus id facere nondum voluerit, propter hominum genus id accidit. Prænoscit enim quosdam pœnitentia saluatum iri, etiam ex ijs fortè, qui necdum geniti sunt. Sic ibi.

Quamuis autem Posseuinus noster in suo apparatu sacro, post Iustini librorum recensionem, dicat non videre se, quanam quis ratione eam opinionem tueri possit, ego nihilominus non tantùm hoc posse aliquem, sed etiam me iam fecisse in capite præcedēti, formatâ super hac re & explicatâ quæstione, profiteor. Atque, vt verbo hic nodum resoluam; non agit ibi S. Iustinus de quauis pœna dæmonum ac hominum, sed de illa tantummodo, quam ipsi post generale iudicium subituri sunt; dæmones quidem, reclusi in loco inferorum, & priuati ea libertate vagandi & nocendi, quam nunc habent: homines autem, non in anima tantùm, sed & in corpore perpetuò excruciandi. Si quis aueat plura condiscere, habet quæstionem suprà, cap. XXVII.

5. Næuus admittitur.

Inter næuos item computatur: omnes animas, etiam piorum, etiam post mortem, sub dæmonum cadere potestatem. Quod exemplo Samuelis probat in dialogo cum Tryphone, post medium. En ipsa eius verba:

Καὶ ὅτι μένουσιν αἱ ψυχαὶ ἀπέδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ καὶ τὴν Σαμουὴλ ψυχὴν κληθῆναι ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου, ὡς ἠξίωσεν ὁ Σαούλ. Φαίνεται δὲ καὶ ὅτι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τῶν οὕτως δικαίων καὶ προφητῶν ὑπὸ ἐξουσίαν ἔπιπτον τῶν τοιούτων δυνάμεων, ὁποία δὴ καὶ ἐν τῇ ἐγγαστριμύθῳ ἐκείνῃ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ὁμολογεῖται. &c.

Atque animas manere post mortem superstites vobis demonstraui ex eo, quòd & Samuelis animam ventriloqua Pythonissa, (vti Saul petierat) euocauit. Apparet autem & omnes animas talium iustorum ac prophetarum sub potestatem eiusmodi Virtutum [dæmonum scilicet]

cet] *cadere: quemadmodum & in illa ventriloqua ex rebus ipsis in confesso est.* Vide ibi plura. Ex quibus & hoc colligi videtur: animas ante resurrectionem non recipi in cælum. Nam illæ, quæ in cælum receptæ fuerint, non possunt cadere sub dæmonum potestatem. Recipi autem in cælum animas etiam ante resurrectionem, (quod aliquando dubium, controuersumque fuit) nunc FIDEI punctum est. Quàm multi tamen, & quàm magni viri, tam Græci, quàm Latini, in altera illa B. Iustini olim fuere sententia! Irenæus, Tertullianus, Origenes, S. Victorinus Martyr, S. Hilarius, Prudētius, B. Maximus Taurinensis, & vt alios plures omittam, S. Augustinus multis locis.

6. Nam à proximo tangimus.

Ecce tibi S. Irenæum, lib. v. aduersus hæreses, cap. XXXI. *Cum enim Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, pòst deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est; manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, pòst recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum* Dei. *Nemo enim est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Irenæus lib. 5. cap. 31.

Matthæ. 10. ver 24
Luca 6. ver. 40.

Ecce & Tertullianum, cùm in alijs locis, tum in Apologetico, cap. XLVII. vbi de Poëtis & Philosophis agit similia nostræ religioni docentibus:

Itaque & ridemur, inquit, *Deum prædicantes iudicaturum. Sic enim & Poëtæ & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur. Sic enim Pyriphlegethon apud mortuos amnis est. Et si paradisum nominemus, locum diuinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceriâ quadam igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis segregatum; Elysij campi fidem occupauerunt.* Sic ille. id est, idem de Elysijs campis olim creditum est.

Tertull. in Apologet. c. 47.

Ecce & Origenem, lib. 2. De principijs extremo:

Puto, inquit, *quòd sancti quique discedentes ex hac vita permaneant in loco aliquo sub terra posito, quem paradisum dicit Scriptura diuina.*

Origenes lib. 2. De principijs.

Ecce & S. Victorinum martyrē, Episcopum Pictauiensem in commentario super Apocalypsin, *Animas autem occisorum vidisse sub ara,* inquit, *id est, sub terra.* & mox, quis ille locus sit, explicat: *Remota,* inquit, *à pœnis & ignibus regio, & requies sanctorum: in qua quidem ab impijs videntur & audiuntur iusti, & neque illuc transmeare possunt.*

S. Victorinus in Apocalypsin.

Ecce & S. Hilarium, ad illud psalmi 138. Si descendero in infernum, ades: *Humanæ ista lex necessitatis est,* inquit, *vt consepultis corporibus animæ ad inferos descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.*

S. Hilarius in psal. 138.

Ecce

Prudentius hymno 10. Cathemerinon.

Ecce & Prudentium, hymno X. Καθημερινῶν siue *Quotidianorum.*

Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas;
Quanam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit: vbi est Eleazar,
Quem floribus vndique septum
Diues procul adspicit ardens.

id est, Animæ sanctorum requiescent in sinu Abrahæ, vbi quiescit Lazarus, quem diues Epulo flammis ardens longe prospicit delicijs circumfusum.

Atque vt alios complures omittam (siquidem & Ambrosio, & Hieronymo, & Maximo Taurinensi, eadem opinio quibusdam in locis attribuitur.)

S. August. in enchiridio, cap. 109.

Ecce & S. Augustinum non vno, sed pluribus in locis idem clarè asserentem: sic quidem in Enchiridio cap. CIX. *Tempus autem, quod inter hominis mortem & resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet: sicut vnaquæque digna est, vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne, dum viueret.*

Similia etiam habet lib. 12. De ciuitate Dei, cap. 9. in fine, & alibi.

Ioannes 22. Papa.

Denique, quod non paruum huic opinioni momentum aliquando attulit, est Ioannem XXII. Papam in eadem fuisse opinione. Quod ferè apud omnes seu huius seu contrariæ sententię in confesso est. Nihil tamen definiuisse, prorsus certum & euidens reddit definitio Benedicti XI. successoris eius, qui id expresse testatur, & contrarium ei quod ille aliquando tenuerat, definiuit. Exstat ad verbum illa Benedicti definitio apud Alfonsum de Castro, lib. 3. Aduersus hæreses, in verbo Beatitudo, hæresi sexta.

Benedictus XI. Papa.

Quare cùm plurimi olim Auctores illam priorem sententiam tenuerint innoxiè, & sine vlla nota, cùm illam tenere sine periculo (vtpote needum ab Ecclesia definitam) liceret, non magis ea fraudi esse S. Iustino & Irenæo (quorum vitas scribimus) debet, quàm illis, qui ipsos secuti sunt, tam eximijs Patribus. Quorum quidem nonnullorum aliqua proferuntur loca, ex quibus colligi possit, non idem semper illos super hac re, sed aliàs sic, aliàs aliter sensisse: prout in illis Dei dona eos illuminantis sua ceperunt incrementa.

Quamuis autem illa prior sententia plurimos habuerit Auctores; hęc tamen, quę nunc est de fide, multo etiam plures & olim habuit, & nunc habet. Iam enim communis est omnium Ecclesiæ Catholicę Doctorum sententia piorum animas, vbi satis expurgatę fuerint, in cęlum mox abire, non autem in alia vlla receptacula vsque ad diem supremi iudicij.

Verba

Verba porrò Concilij Florentini generalis ſub Eugenio quarto id definientis ſunt hæc:

Definimus illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutæ corporibus [prout ſuperius dictum eſt] ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum, ſicuti eſt; pro meritorum tamē diuerſitate alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. CONCILII FLORENTINI DEFINITIO.

Hæc in epiſtola decretali Eugenij, anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo nono, pridie Nonas Iulij datâ.

Hanc autem ſententiam ſecundùm Apoſtolos tenuerunt primi omnium & antiquiſſimi Patres Græci, S. Dionyſius Areopagita Paulli diſcipulus, S. Ignatius & Polycarpus Ioannis Euangeliſtę auditores, & alij quàm plurimi.

Verba S. Polycarpi in epiſtola ad Philippenſes, vbi eos ad patientiam S. Ignatij, Zoſimi, Rufi, & ipſorum Apoſtolorum imitādam hortatur, ſunt hæc: Πεπεισμένοι, ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον· ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον. S. Polycarpi verba ad Philippenſes.

Pro certò perſuaſi; quòd hi omnes non in vanum cucurrerunt, ſed in fide & iuſtitia: & quod ad debitum ſibi locum apud Dominum deceſſerunt, cui & compaſſi ſunt.

Aliorum teſtimonia videre licet apud Bellarminum, lib. 1. De Sanctorum beatitudine cap. 4. & 5.

Ita de hoc næuo perquam excuſabili ſatis.

Alia, quæ leuioris ſunt momenti, aut ſanam recipere poſſunt interpretationem, in præſenti prætereo: ſed vnicam hîc ac poſtremam de ſtatu Socratis diſputationem, quòd cum Iuſtinus ad Chriſtum ſpectare, atque etiam ipſum ex parte noſſe dixerit, iuuat expedire. Sit igitur hæc in præſenti (quod pro ſeptimo næuo aliqui computant)

QVÆSTIO:

An Socrates Philoſophus eâ de Deo & Chriſto imbutus fide fuerit, vt eius ſperari ſalus poſſit?

ITa videtur ſenſiſſe Iuſtinus in Apologia ad Antoninum Pium Imp. ſub initium, vbi ſignificat Socratem propterea occiſum, quòd auocare homines vellet à falſorum Deorum cultu. *Poſtquam autem Socrates*, inquit, *vera ratione, & accurata inquiſitione facta*

cta hæc in apertum proferre, & mortales à dæmonibus abducere conatus est, ipsi dæmones per quosdam homines malitia gaudentes effecerunt, vt tanquam atheus & impius occideretur, dicentes eũ noua inferre dæmonia.

Et in eadem Apologia post medium: *Qui cum ratione vixerunt*, inquit, *Christiani sunt, licet habiti sint athei, & sine Deo: quales fuere inter Græcos, Socrates, Heraclitus, & his similes: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misaël, & Elias, & alij complures: quorum facta aut nomina recensere cùm sciamus esse longum, in præsentia supersedemus. Quemadmodum & ij qui ante Christum nati absque ratione, vixerunt, inutiles & inimici Christo fuerunt, vt eorum qui secundùm rationem viuebant, interfectores.*

Et in apologia posteriore, siue in ea quæ est ad Senatum, & quæ oblata est M. Aurelio Antonino, & Lucio Vero, filijs Antonini Pij, scribit *operâ malorum dæmonum fieri, vt homines probi, sicut Socrates,* Iustin. in apologia ad Senatum. *eique similes persecutionem patiantur, atque in vinculis sint: Sardanapalus autem, & Epicurus, ac similes in rerum affluentia & gloria felices esse videantur. Quod cùm Stoici non intellexissent,* inquit, *iuxta fati necessitatem omnia fieri censuerunt.*

Et infrà, loquens de philosophis sapientioribus, & alia, quàm vulgus de dijs soleret, loquentibus, ita de Socrate: *Qui autem inter eos omnium fuit hac in re vehementissimus Socrates, de ijsdem, quibus nos, postulatus est criminibus. Dixerunt enim illum noua introducere dæmonia, & quos ciuitas censeret esse, ipsum non putare Deos.*

Et paullò pòst: *Et Socrati quidem nemo ita credidit, vt persuaderetur pro ista doctrina mori: Christo autem, qui & à Socrate ex parte agnitus est.* &c. *crediderunt non modò Philosophi & Oratores, sed etiam manuarij artifices, & omnino idiotæ, qui & gloriam, & metum, & mortem pro illo contempserunt.* Sic ille.

Ex quibus colligitur Socratem & eam fidem in Christum habuisse, quæ tum fuit necessaria, & pro fide ac veritate persecutionem passum esse, ac mortuum. Hæc enim indicant ipsa verba martyris.

Probatur etiam hæc opinio hisce rationibus:

Primò, quia ad diuinam spectat bonitatem ac prouidentiam, ijs qui ex præscripto rectæ rationis viuant, ac lucem veritatis quærant, ac sequantur, se ipsum manifestare, & gratiâ suâ eò subleuare, quò naturæ viribus aspirare non possint. Atqui Socrates, ita vixit, ita veritatem quæsiuit, ita secutus est, ita defendit; vt Gentilium nemo vnus. Igitur se illi Deus opt. max. per lumen fidei manifestauit.

Secundò, quia satis ex antiquis Scriptoribus constat, eum suo tutelari Angelo in omnibus ita obsecutum, vt eo inuito ac reluctante nihil fecerit.

Tertiò, Nihil plus ad fidem in Gentilibus requiritur, quàm vt vnum Deum esse credant, eúmque piorum & impiorum iustum remunera-

muneratorem. Hoc enim requirit S. Paullus, ad Hebræos XI. versu VI. cum probat Enoch placuisse Deo per fidem, & in quo consistat illa fides ita explicat: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Atqui Socrates illa credidit, & docuit: vti ex eius pro se apologia apud Platonem, & ex alijs non paucis auctoribus licet condiscere. Vnum enim summum Deum esse credidit & coluit, eique obediuit: & ab illo bonis præmia post mortem, malis supplicia reposita esse docuit.

Ad Hebræos 11. vers. 6.

Quartò, Iustitiæ & omnis virtutis per totam vitam tenacissimus fuit: quod sine fide & Dei gratia creditur esse impossibile.

Quintò, Vita eius (vt quidem Marsilius Ficinus perquam diligens illius explanator & testis in Argumento ad Phædonem scribit) *vitæ Christianæ imago quædam, aut saltem vmbra fuit.* Quin & ea virtutis heroicæ facta ante euangelium edidit, quæ nec post euangeliū, & post incurrentia in oculos nostros Christi Domini exempla edimus. Iniurias enim nec vindicauit, nec vindicari voluit, sed vetuit: percussus calce percussorem salutauit: in vna verberatus maxilla alteram obiecit: mortem iniustissimam animo æquissimo tulit: & ante illam quæ suis calumniatoribus obuentura post illam essent, certò prædixit. Puniti sunt enim partim morte, partim exilio: ipse autem ærea imagine in publico posita post mortem honoratus est, & omnium ferè philosophorum linguis dilaudatus.

Marsilius Ficinus ad Phædonem Platonis.

Idem lib. 8. epist.

Postremò, totum eius studium fuit, homines à vitijs & à rebus terrenis auocare, atque ad capessendam virtutem, cunctísque & honoribus, & diuitijs, & delicijs præferendam cohortari. Nam adeo hæc illi doctrina cordi fuit, vt mori potiùs, quàm ab ea tradenda desistere elegerit. Nec abs re erit eius huc inferre verba. Sic igitur de se in apologia profitetur: *Si mihi*, inquit, *dicatis*; Age, ô *Socrates, Anyto non credimus, téque sententijs nostris absoluimus: sed hac tamen conditione, vt nunquam posthac in hac inquisitione, philosophiáque verseris: ac si id facere deprehendare, mortem obeas; si igitur, vt dixi, his conditionibus dimittere me velitis; respondebo vtique vobis: O viri Athenienses, diligo vos equidem atque amo, Deo tamen parere malo, quàm vobis.* Sic ille.

An autem illa verba non his ferè sunt similia, quæ Petrus & Ioannes Actorum 4. Iudæis vetantibus prædicari ab ipsis nomen IESV dixerunt: *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate: Non enim possumus quæ vidimus et audiuimus non loqui.*

Actor. 4. vers. 7.

Ac ne verba illa extrema Socratis plus sonare videantur, quàm in græco sit; ita græcè habentur: πείσομαι ὃ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. *Obediam Deo potius, quàm vobis.* Tum addit: *Et quamdiu spirabo, viresque suppetent, philosophari non desinam, exhortans et docens quemcumque nactus fuero.* &c. Et paullò pòst. *Hoc equidem officium præstabo iuniori*

&

do, illi omnes Christiani sunt & fuerunt, qui nullam de Christo, ne nomine quidem tenus notitiam habentes, implicitam tamen Christi redemptoris fidem, (vt Theologi loquuntur) habuerunt, id est, crediderunt esse vnum verum Deum, eúmque homines modo sibi placito & conuenienti saluaturum. In quo modo continetur generatim saluatio per Christum; quandoquidem ille modus inter mille alios maximè Deo placuerit. Quem si Gentiles illi, qui iuxta rectam rationem viuendi fuerunt studiosissimi, cognouissent; haud dubium est, quin expresse, & distinctè, siue explicitè credidissent. Atque hoc est, quod S. Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, alijque vetusti Patres, atque illi maximè, qui è Gentilibus ad fidem conuersi sunt, dicere voluerunt cùm generali quadam cognitione contenti specialem de Christo fidem visi sunt non requirere. Intellexerunt enim de fide expressa in Christum. Et cùm dixerunt aliquos Gentiles cognouisse Christum ex parte, intellexisse existimandi sunt de cognitione & fide dumtaxat implicita ac generali.

Quam ad Gentilium salutem suffecisse vetus recénsque, & plurimis recepta est sententia. Nam post Hugonem de S. Victore, qui illam valde extulit, & S. Bernardum, qui non minùs laudauit, exceperunt ac vulgarunt. Magister Sentent. in 3. dist. 25. D. Thomas in 2.2. q. 2. art. 7. & illos secuti alij quàm plurimi, tam huius, quàm illius commentatores.

Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. partis 11. c. 6.

S. Bern. epist. 77.

Verba Hugonis lib. 1. De sacramentis parte XI. cap. VI. sunt hæc: *Creuit itaque per tempora fides in omnibus; vt maior esset; sed mutata non est, vt alia esset. Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo salus & redemptio expectabatur: per quem verò, & quomodo eadem salus implenda ac perficienda foret, (exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat) à ceteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona redemptoris mittenda prædicebatur, & ventura expectabatur. Quæ autem persona hæc foret, homo, an Angelus, an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognouerunt, qui per Spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifestè omnibus iam & prædicatur, & creditur, & modus redemptionis, & qualitas personæ redemptoris.* Ita Hugo.

Quare à Gentilibus, qui ante Christum fuerunt, non plus videtur debuisse exigi, quàm ab ijs qui ante legem: ac proinde nec à Socrate. Habuisse autem ipsum eam fidem, quam status naturæ requisiuit, hoc B. Iustinus è vita eius proba, iusta, temperante, & veritatis vsque ad mortem tenace collegit, cui assensi sunt non pauci.

Sed enim contradicunt, & vitia non parua obijciunt, qui altera tenent: nempe turpes amores, Deorum cultus, impia sacrificia: & quod de Angelo tutelari, adduximus, satis irrident. *Egregium, scilicet, tutelarem,*

*tutelarem,*inquiunt,*dæmonium. Sic enim & à Platone,& ab alijs philoſophis,atque adeo ab ipſomet Socrate,appellatur:qui non aliter ferè omnes ſuggeſtorem illum,quam dæmonium vocant. Atqui vel ipſum obſequi dæmonio,nimis malum eſt.*

Sic illi quidem,ſed quædam ex ignorantia non parua, vti ex reſponſionibus agnoſcetur.

Ad 1. igitur de turpibus amoribus quod attinet,fuit hæc primò quorundam Gentilium ex Atheis & Comicis auctoritatem libidini ſuæ quærentium calumnia:deinde nonnullorum Chriſtianorum aliqua ſuſpicio,atque ex ſuſpicione, vt fit, credulitas. Tales enim amores nullus ſuperſtiti obiecit, ne illi quidem qui in iudicium mortis eum vocauerunt:vt patet tum ex ipſiuſmet Socratis Apologia, tum ex alijs tam Platonis, quàm Xenophontis, & aliorum ſub illa tempora philoſophorum ſcriptis.Et credo fabulam ab hominibus rerum ignaris partim è Luciano deſumptam, partim è quodam malè intellecto Iuuenalis verſu,ſatyra 2. vbi Poëta ille hypocritas & virtutum ſimulatores acriter reprehendit,& inter alios ſpeciatim quoſdam ,qui in reprehendendis impudicorum vitijs auctoritatem ſibi arrogarent Socraticam,cùm longiſſimè abeſſent à moribus Socratis, Verba Iuuenalis ſunt.

—— Caſtigas turpia, quum ſis
Inter Socraticos notiſsima foſſa cynædos.

hoc eſt,cùm ſis ipſe turpiſſimus inter eos, qui videri volunt Socratici,& ſunt interim turpiſſimi tamen audes cenſuram turpium tibi arrogare.Nam eodem ſenſu paullò antè idem Poëta dixerat:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet,& glacialem
Oceanum; quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant,& Bacchanalia viuunt.

quæ ſic explicanda ſunt.Tam malè me habet videre homines,qui cũ more bacchantium luxurioſè ac turpiter viuant,tamen præ ſe ferunt Curij Dentati hominis optimi & continentiſſimi grauitatem atque innocentiam, & audent de moribus ſcribere,diſſerere, conqueri,tam malè,inquam,me habet tales videre ſimulatores,vt parum abſit,quin longiſſimè,& vltra remotos Sauromatas & mare glaciale ab eorum aſpectu fugiam.

Ita igitur ei diſplicebant illi , qui turpiſſima cùm patrarent, aut paterentur,audebant tamen alios de minùs turpibus reprehendere.

Quidam porrò verba illa acceperunt,tãquam Socrates ipſe carperetur & non ij,qui tempore Iuuenalis videri volebant Socratici,& moribus maximè diſcrepabant . At verò Socratis continentia è multis apud Platonem dialogis notiſſima eſt, & ex his verbis Xenophontis in libro 4. De factis & dictis Socratis initio: *Etiam ipſius*

sius meminisse absentis, non parum iuuabat eos, qui soliti erant cum illo versari, & eius excipere doctrinam. Nec enim minùs proderat iocans, quàm seriò loquens. Sæpius autem aiebat se quospiam amare, sed manifestum erat, non eos qui formâ corporis præstabant, sed quorum animi ad virtutem apti erant eum amore prosequi.

PHILOSOPHIA QVO SENSV DICATVR MEDITATIO MORTIS.

Deinde nihil Socrati familiarius fuit, quàm docere philosophiam meditationem esse mortis, non eo sanè sensu, quo vulgus ferè capit: quasi dixerit scilicet proprium esse philosophi frequenter cogitare sibi esse è vita hac mortali discedendum, non; sed quòd eius studium præcipuum esse debeat, in auocando animo à corpore, & rebus corporeis, atque terrenis, (quæ mors quædam est) & illum virtutibus acquirendis, & diuinis rebus tractandis applicando. *Tunc enim optimè ratiocinatur animus* (vt idem docet in Phædone) *quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas: sed quàm maximè seipsum in se recipiens deserit corpus, nec quicquam (quoad fieri potest) cum illo communicans, neque attingens, ipsum ens affectat.* Et infrà ibidem: *Atque dum viuimus, ita nos, (vti consentaneum est) ad scientiam proxime accedemus, si quàm minimum cum corpore commercium habuerimus, nec cum illo quicquam communicauerimus, nisi quantum summa coget necessitas.* Et paullò inferiùs: *Nonne hoc mors appellatur, solutio ac separatio animæ à corpore? Prorsus, inquit, Soluere autem ipsam, vt diximus, ij soli & maximè & omni tempore connituntur, qui rectè philosophantur. Atque hæc ipsa meditatio philosophorum est, animam à corpore soluere ac separare.*

Apud Platonem in Phædone.

Quare iuxta Socratis & eius sectatorum sententiam, *philosophia est meditatio mortis.* id est, (vt more religiosorum vsitato loquar) exercitium mortificationis corporearum affectionum. Quod cùm Socrati esset quotidianum, poterat iure dicere: *Quotidie morior.* Et sanè, quantum poterat, corpori detrahebat, & paupertatis, abstinentiæ, aliarúmque eiusmodi virtutum erat amantissimus.

Hunc porrò verborum Socratis sensum haud indiligenter etiam obseruauit B. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, vbi hæc inter alia: *Sacrificium Deo acceptum est, corporis & eius affectionum non pœnitenda separatio. Hic sanè verus est Dei cultus. Et nonne propterea meritò à Socrate philosophia, meditatio mortis appellata est? Qui enim nec visum applicat in cogitando, neque vllum è sensibus alium, sed ipsa pura mente rebus se adijcit, is verum persequitur philosophiam. Quin eò etiam spectabat quinquenne illud Pythagoræ silentium, quod cum suis paciscebatur discipulis: nimirum vt à rebus sensilibus auersi, Deum nuda mente contemplarentur.*

Clemens Alex. lib. 5. Stromatũ.

Denique, vt ex eodem Clemente ostendam ab impuris voluptatibus non abstinuisse modò Socratem, sed etiam alios ab ijsdem absterruisse, ita ille Sanctus Pater, libro Stromatum secundo, fere extremo:

Xenophon lib 1. Memorabilium Socratis sub finem.

Ο῾ γοῦν Σωκράτης φυλάσσεσθαι κελεύει τὰ ἀναπείθοντα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν, καὶ μὴ διψῶντας πίνειν. καὶ τὰ βλέμματα, καὶ τὰ φιλήματα τῶν καλῶν, ὡς χαλεπώτερον σκορπίων καὶ φαλαγγίων ἰὸν ἐνιέναι πεφυκότα.

OSCVLORVM PERNICIES.

Socrates igitur iubet caueri ea, quæ non esurientibus persuadent edere, & non sitientibus, bibere: item aspectus & oscula formosorum, tanquam nata venenum immittere scorpijs & araneis perniciosius.

Ampliorem castimoniæ Socratis defensionem si quis requirat, ecce illi ostendo Dionem Chrysostomum in pluribus orationibus, præsertim 33. & 41. & Maximum Tyrium itidem in pluribus, sed prę cipuè 8. & 9. & Plutarchum in lib. De Genio Socratis.

At enim Tertullianus & Cassianus acriter de infamibus amoribus contra Socratem agunt. Nam ille in Apologetico, cap. 46. philosophos insectans, *Ceterum*, inquit, *si de pudicitia prouocemus, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam.* id est, vna ex caussis, condemnationis fuit corruptio adolescentium. Cassianus autem, collat. 13. cap. sic scribit.

Denique famosissimus ille philosophorum Socrates hoc (vt ipsi concelebrant) de se non erubuit profiteri. Nam cum intuens eum quidam physiognomon dixisset ὄμματα παιδεραστοῦ, id est oculi corruptoris puerorum, & irruentes in eum discipuli eius, vlcisci illatum magistro vellent conuitium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia:

Παύσασθε ἑταῖροι. εἰμὶ γὰρ, ἐπέχω δέ.

Quiescite ô sodales: & enim sum, sed contineo.

Ad Tertulliani auctoritatem respondeo illam partem sententiæ Atticæ, quam dicit se legere in Socratem pronuntiatam, me quoque legere ab omni populo Attico cum maxima accusatorum infamia & condemnatione reuocatam: Nec hoc solùm; sed etiam vt iniustissimè occiso statuam innocenti & bene de rep. merito constitutam. Permirum est autem vel hoc ignorasse Tertullianum; vel si sciuit: hoc saltem non vidisse, nihil obesse debere alicui latam in se sententiam, cui ex odio, & inuidiæ profectæ non modò omnis populus, maledixit; sed etiam viri longè omnium doctissimi ac sapientissimi contradixerunt. Quis enim dabitur vel Platoni vel Xenophonti comparandus? Sed audiatur, quid de Socratis calumniatoribus tandem factum sit. Plutarchus id eloquetur. Is ergo in tractatu De inuidia & odio sic scribit: *Eos, quorum calumnijs Socrates fuit oppressus, vt extremè malos, ita oderunt & auersati sunt ciues; vt neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo vnà lauarent, sed quā illi lauissent, eam vt pollutam iuberent à ministris effundi: donec illi odium istud non ferentes se suspenderunt.*

Ita Plutarchus: cuius verba græca protulissem, nisi breuitatis compendium prætulissem.

Denique

Denique falsus est Tertullianus. & ex illo alij, quod existimauerint crimen illud, quod Socrati ab inimicis de corruptela iuuentutis impactum est, ad amores nefarios spectauisse. Id enim prorsus falsum est: & poterat hoc Tertullianus è Platone & Xenophonte, si legere attentiùs libuisset, addiscere. Nunc igitur, si qui adhuc dubitent, quid sit in accusatione Socratis, iuuentutem corrumpere; discant tam ex ipso Melito accusatore Socratis, quàm ex ipso Socrate. Nam hic in apologia sua sic accusatorem suum affatur. *Apud Platonem in Apologia Socratis.*

Ὅμως δ᾽ οὖν δὴ λέγε ἡμῖν· πῶς με φὴς διαφθείρειν, ὦ Μέλιτε, τοὺς νεωτέρους; ἢ δῆλον, ὅτι κατὰ τὴν γραφὴν ἣν ἐγράψω, θεοὺς διδάσκοντα μὴ νομίζειν, οὓς ἡ πόλις νομίζει· ἕτερα δὲ δαιμόνια καινά; Οὐ ταῦτα λέγεις ὅτι διδάσκων διαφθείρω; Πάνυ μὲν οὖν σφόδρα ταῦτα λέγω.

Verum age, dic nobis: quomodo me dicis, ô Melite, iuuentutem corrumpere? An videlicet (quemadmodum in accusatione scripsisti) quòd doceam non censendos esse Deos, quos ciuitas censet; sed alia noua Dæmonia? An non dicis me hæc docentem, iuuenes corrumpere? Omnino sanè, & vehementer hoc assero. inquit ille.

Ecce igitur ipsummet accusatorem confitentem, quid per corruptionem iuuentutis intelligat. Idem cerni potest tam apud Xenophontem in libris Memorabilium Socratis, quàm apud Aristophanem in Nubibus, & alios.

Nec sanè hoc etiam tempore magis, propriè dici posset quis corrumpere iuuentutem, quàm si de Deo & religione alia doceret, quàm hactenus Ecclesia docuisset. Simile autem quiddam tunc fieri à Socrate persuadebatur Atheniensibus.

Iam ad Cassianum quòd attinet facilis quoque est responsio, cùm nec ipse Socratem commissi facinoris reum agat, sed tantùm, & vt summum, cogitati; & tamen repressi. Vult enim in eo capite nihil aliud, quàm ostendere antiquos illos philosophos non attigisse ad internam & perfectam castimoniam, vti antecedentia ostendunt, & consequentia. Dixerat enim antè: *Philosophos nequaquam credendum est talem animi castitatem, qualis à nobis exigitur, assecutos: quibus iniungitur, vt non solùm fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autem illi quandam μερίδα, id est, abstinentiam carnis: vt tantùm à coitu libidinem coërcerent: hanc autem internam mentis, perfectam ac perpetuam corporis puritatem, non dicam opere assequi, sed nec cogitare potuerunt.* Quæ autem consequuntur simillima sunt iam allatis. *Ephes. 5. ver. 3.*

Deinde nihil est aliud physiognomonis, quàm cuiusque propensiones naturales è corporis apparentibus membris discernere, non autem quæ reapse insint peccata aut vitiosi & culpabiles habitus. Vnde illæ ipsæ propensiones, seu naturæ vitia, quæ physiognomon ille in Socrate notabat, magis ad laudem eius faciebant, quam ad vitupera-

Cicero in lib. De fato.

tuperationem. Non enim naturæ vitijs carere, sed illis superiorem esse, laudabile est. Hinc *Stilponem Megaricum philosophum* (rebus & verbis vtor Tullianis) *acutum sanè hominem & probatum temporibus illis accepimus: hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes; sed potiùs ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit.*

post quæ subdit proximè idem Tullius de illo physiognomone, ad quem respexisse in priùs dictis videtur Cassianus, subdit autem hoc modo: *Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notauit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturásque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit & bardum, quòd iugula concaua non haberet: obstructas eas partes & obturatas esse dicebat. Addidit etiam mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.* Sic ibi.

Ibidem.

ZOPYRVS PHYSIOGNOMON QVID DE SOCRATE.

Nec dissimilia sunt, quæ de ijsdem Socrate & Zopyro memorauit libro 4. Tusculanarum quæstionum prope extremo, his verbis: *Cùm multa in conuentu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur; derisus est à ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate subleuatus est, cùm illa sibi vitia inesse, sed ratione à se deiecta diceret.*

Ex quibus quid aliud quàm laus Socratis vitiosæ naturæ perdomitoris colligi potest? Deiecit enim vitia, non excepit.

Denique vt hostes Socratis in hoc castimoniç puncto non leuiter repellamus, sed fortiter prosternamus, scire debet ita exosum fuisse, Socrati illud, quod ipsi obijciunt, probrum, vt tenere se non quiuerit, quin primos ciuitatis vel cum periculo suo si quid eiusmodi videret patrantes, acriùs commouerit. Nam & Critiam, (qui pòst è triginta tyrannis fuit) idcirco infensum sibi sensit, quòd eius in Enthydemum amores liberiùs reprehendisset. Hanc rem qui volet, plenius ac diffusius descriptam inueniet à Xenophonte lib. 1. Ἀπομνημονευμάτων, Memorabilium, ante medium. Quo etiam in libro, hoc habet de castimonia Socratis illustre testimonium: Αὐτὸς δὲ πρὸς ταῦτα φανερὸς ἦν οὕτω παρεσκευασμένος, ὥστε ῥᾷον ἀπέχεσθαι τῶν καλλίστων καὶ ὡραιοτάτων, ἢ οἱ ἄλλοι τῶν αἰσχίστων καὶ ἀωροτάτων. *Ipse autem circa hæc* [amatoria] *sic comparatus erat; vt faciliùs a pulcherrimis & formosissimis abstineret, quàm alij à turpissimis & deformissimis.*

Xenophon lib. 1. Memorabiliũ.

Sed de hoc puncto satis.

Deos coluit Socrates.

Iam quòd Deorum cultus obijcitur: id tam admitti potest, quàm refelli. Coluit Deos, sed non vt Deum: coluit Deũ, sed non vt Deos. Sic Christiani Sanctos colunt, hoc est, verè Deos ad sensum Scripturæ, sed Deos participatione, non natura iuxta illud: *Ego dixi. Dij estis.* Nouit Socrates vnum summum Deum, quem & in singulari sæpè appel-

appellat: alios autem inferiores eo loco habet, quo nos habemus Angelos aut homines Diuis adſcriptos: nempe naturas inter Deum & homines medias. Minimè autem credidit ſimulacra lignea, aut lapidea, aut ærea, aut aurea, cuiuſue libet alterius materiæ, Deos eſſe, nec ſe ad illa incuruauit: ſed ad cælum reſpexit, vbi cum Deo Diuos vnà vitam agitare ſibi perſuaſit. Hinc etiam ab Ariſtophane in comedia quæ inſcripta eſt Νεφέλαι, *Nubes*, tanquam nubium adorator & inuocator eſt irriſus; quo modo & Iudæi à Iuuenale, qui hæc in illos, ſatyrâ 14.

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem, *Iuuenalis ſatyrâ 14.*
Nil præter nubes, & cæli numen adorant.

Atqui nec Iudæi, nec Socrates, nec modò Chriſtiani ſurſum oculos in precationibus attollentes adorant nubes; ſed eum qui in nubibus, & ſupra nubes, & vbique eſt; ſed tamen ſupra nubes potiſſimè in cælis habitat, iuxta illud nobiliſſimi ac fideliſſimi prophetæ: pſal. CXXII. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Et rurſus: *Qui habitat in cælis, irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.* *Pſal. 122. ver. 1.* *Pſal. 2. ver. 4.*

Atque vt firmentur quæ de Deo & Dijs diuersè ſenſiſſe Socratem diximus, proferam vnius è fideliſſimis eius ſectatoribus, Maximi Tyrij, inquam, verba è ſermone eius 26. de Socratis Genio. Sic igitur habet:

Θεὸς μὲν ὢν αὐτὸς κατὰ χώραν ἱδρυμένος οἰκονομεῖ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τάξιν. Εἰσὶ δὲ αὐτῷ φύσεις ἀθάνατοι, οἱ καλούμενοι ἀθάνατοι δεύτεροι ἐν μεθορείῳ γῆς καὶ οὐρανοῦ τεταγμένοι, θεοῦ μὲν ἀσθενέστεροι, ἀνθρώπου δὲ ἰσχυρότεροι· θεῶν μὲν ὑπηρέται, ἀνθρώπων δὲ ἐπιστάται· θεῶν μὲν πλησιαίτατοι, ἀνθρώπων δὲ ἐπιμελέστατοι.

Deus igitur in ſua manens regione cælum regit, & cæleſtes ordines. Sunt autem illi naturæ quædam immortales, qui ſecundi immortales vocantur, in terra cælique confinio ordinati; Deo quidem potentia inferiores: ſed hominibus potentiores. Deorum quidem miniſtri, ſed hominum præſides: Dijs proximi, ſed hominum curatores diligentiſſimi.

Huc item facit, quod ſermone 27. affert his verbis:

Καὶ τίθεσο θεὸν μὲν κατὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀθάνατον· δαίμονα δὲ κατὰ τὸ ἀθάνατον καὶ ἐμπαθές. ἄνθρωπον δὲ, κατὰ τὸ ἐμπαθὲς καὶ θνητόν· θηρίον δὲ, κατὰ τὸ ἄλογον καὶ αἰσθητικόν· φυτὸν δὲ κατὰ τὸ ἔμψυχον καὶ ἀπαθές.

Ita mihi conſtitue, inquit: *Deum quidem impatibilem eſſe, & immortalem: Dæmonem verò ſeu genium, immortalem, ſed patibilem: hominem deinde patibilem & mortalem: tum beſtiam, irrationalem & ſenſibilem: plantam denique, animatam & impatibilem.*

Ex quibus iuxta Socraticos & Platonicos intelligitur aliud eſſe Deum, aliud Deos, ſeu dæmones, ſeu dæmonia, vt appellant. Plutarchus porrò libro 1. De placitis Philoſophorum exponens, quàm illi variæ ac diuersè inter ſe de Dei natura ſenſerint, ita de Socrate &

Platone

Platone conſentientibus: Σωκράτης καὶ Πλάτων, τὸ ἕν, τὸ μονοφυὲς, καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθόν. *Socrates & Plato dixerunt Deum eſſe, aliquod vnum, vnius natura, & à nullo, & ſingulare, & reapſe bonum.*

Iam autem ſumpto Socratem de vno Deo bene ſenſiſſe, & credidiſſe; dato autem de Dijs ſeu inferioribus naturis à vero aberraſſe, ac proinde aliquem illis exteriorem cultum indebitum tribuiſſe; non magis videtur talis error illi obeſſe debere, quàm ſi quis Chriſtianus vera de Deo credens, in ijs quæ de Angelis, aliiſue cæli incolis aliquid aberraret, plúſque aut minùs, quàm oporteat tribueret. Nam & de Deo ipſo multa licet inculpatè ignorare: & quidam certè, qui corporeum illum imaginabatur eſſe, & credebat, tantæ fuit ſanctitatis, vt prodigia vi diuina patraret, & multis ad vitæ ſanctimoniam præluceret.

Quod igitur Socrates Deos coluerit, verum eſt; ſed non eo cultu, quo ſummum Deum; ſed non cum ea exiſtimatione interiori, quo illud vnicum, & ſupremum, & ſeipſo bonum ens. Coluit enim eo pacto, quo Chriſtiani Angelos aut Sanctos; honoribus ſcilicet & cærimonijs exterioribus penè ijſdem, quo Deum; ſed interioribus animi ſtudijs longè diuerſis. Errauit quidem ille in Dijs, non Chriſtiani in ſanctis, verum eſt, ſed error ille tolerabilis; cùm nec de illis alia credere obligatus fuerit, quàm crediderit.

Et in ipſa propè morte libauit, aut libare voluit Dijs, & Æſculapio ſacrificari gallum (vt eſt in Phædone Platonis extremo) Critoni in mandatis dedit. Hæc enim vox illa vltima fuit: Ὦ Κρίτων τῷ Ἀσκληπίῳ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα· ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσητε. *O Crito, debemus gallum Æſculapio. At reddite, neque negligatis.* Ad hæc videtur Tertullianus reſpexiſſe, cùm ſcripſit in Apologetico, cap. 46. *Socratis vox eſt: ſi dæmonium permittat. Idem & cùm aliquid de veritate ſapiebat Deos negans, Æſculapio tamen gallinaceum proſecari iam in fine iubebat.*

Haud diffiteor hoc difficile haberi argumentum: tamen reſponderi poteſt: nihil aliud voluiſſe iſto dicto Socratem, quàm docere Critonem, iam breui ſe perfectam ſanitatem, tam præſenti ſcilicet morte, & iam hærente, vt ſic dicam, in labijs anima (letale enim venenum à legitima miſſum poteſtate biberat) conſecuturum, & ſimul ſperatam & exſpectatam beatitudinem animæ adepturum. Eius enim immortalitatem haud ſatis idem Crito apprehendebat. Huic & paullò antè cùm petijſſet à Socrate, quonam modo vellet ſepeliri, reſpondit ille; *Vt vobis lubet, ſi tamen me ceperitis, nec ego vos effugero.* quaſi diceret, ſecundùm animam æſtimare me debetis, non ſecundùm corpus. Eſt enim illa melior pars mei; & ibi potius dici debet eſſe Socrates, vbi eius anima erit, quàm vbi corpus. Atqui illa vos effugiet,

Apud Platonem in Phædone extremo.

fugiet, nec capi poterit, ac proinde nec ſepeliri: de corpore autem, quicquid vobis libuerit, facite. Nihil enim mea intereſt. Deinde mox conuerſus idem Socrates ad eos, qui cum Critone aderant, & ſubridens: *O viri,* inquit, *ego Critoni non perſuadeo me eſſe hunc Socratem, qui nunc diſputo, & cuncta, quæ dicuntur, diſpono, ſed opinatur me eſſe illud, quod paullò pòſt videbit, cadauer: atque ita interrogat, quonam modo me ſepelire debeat. Id autem, de quo multum ſermonem feci, (nimirum quando venenum bibero, non vlterius me apud vos futurum, ſed ad beatorum felicitatem profecturum) id, inquam, fruſtra ipſi dixiſſe videor, cùm & vos, & me ipſe conſolarer.* Hæc ibi & plura Socrates, velut certus de animę ſuæ poſt mortem felicitate. Quam & inculcatã eidem Critoni ſymbolicè voluit, cùm dixit deberi Æſculapio gallum, atque omnino reddendum. Tunc enim illi tantùm debebatur, cùm eſſet ſalus conſecuta. Hoc autem de ſe certò credi volebat modò Socrates, nec quicquam aliud. Non fuiſſet autem ſalus cõſecuta, niſi & anima immortalis fuiſſet, & beatitudinis iam particeps. Fauet huic noſtræ ſententiæ & explicationi Ioannes Prerius libro 24. Hieroglyphicorum, vbi de Galli agit ſignificatis, *Quare Socrates moriens,* inquit, *cùm animi ſui diuinitatem maioris mundi diuinitati ſperaret ſe copulaturum, gallum Æſculapio, id eſt, animatum medico iam extra omne morbi diſcrimen poſitus debere ſe dixit. Cùm enim de corpore migrandum intelligeret, conualuiſſe prorſus arbitrabatur. Vt verò interpretantur alij, ea de cauſſa dictum hoc à Socrate, quod letali eo ſumpto pharmaco, ſanitatis beneficium iam ſentiret, cùm exiret à corpore: à quo omnes animi morbi ſcatere, pullulaŕeque ſentiuntur.*

Sic ille. Qui deinde ad refutationem quorundam Latinorum Patrum (hi enim tam ferè aduerſi ſunt Socrati, quàm fauentes Græci, vt mox parebit) hæc ſubdit: *Lactantius Firmianus, Septimius, Florens Apologetico, neque non illi omnes, qui cum Ariſtotele Platonis verba, non ſenſa, cauillis inceſſunt, hoc diſſimulatunt, in quo ſumma ſapientia veritas deliteſcebat.*

Vide etiam Goropium in Hieroglyphicis lib. 6. & Antonini Ricciardi commentaria Symbolica in Æſculapio.

Quod autem verba Socratis nudè ſpectata prorſus aliud ſignificarent & vellent, quàm communis hominum ſenſus & conſuetudo ferat; hoc, inquam, inſtigare lectores debuit, ad reconditiorem aliquem ſenſum (vt in ſacris litteris, & in Ægyptiorum myſterijs ſolet) requirendum.

Quis enim vnquam, niſi vel à periculo mortis liberatus, vel è graui morbo ſanitati corporis reſtitutus, debere ſe gallum Æſculapio ſenſit, aut præ ſe tulit? Atqui horum nihil in Socrate locum habuit. Neque enim à periculo mortis liberatus eſt, neque corporis ſanitati fuit reſtitutus. Quid igitur ſenſit, quid per illa verba Socrates voluit?

Nihil

Nihil sanè aliud, quàm id quod antè dixi, docere Critonem animæ immortalitatem, & suam in iustorum sedes transmigrationem, vbi ab omni morbo & corporis contagio liber foret.

Quòd si opponatur, videri saltem isto facto approbasse cultum Æsculapij, & hunc pro Deo habuisse, responderi potest primò non id visum ijs, qui Socrati de immortalitate disputanti tum aderant: secundò, tametsi daretur cultum Æsculapij approbasse, & illum pro Deo habuisse, hoc est, pro homine propter beneficia curationum & virtutes heroicas in Deos relato (nec enim alia de Æsculapio sensisse existimandus est) tamen cum tali opinione, licet etiam in se falsa, habere de vno summo Deo veram fidem potuisse. Atque, vt in hoc ostendendo modum disputandi Socraticum sequar, via procedam vsitatarum ipsi interrogationum. Cedo igitur. Fásne est Christiano, cuipiam Diuorum, seu Petro, seu Paullo seu alteri cultum aliquem suprema adoratione inferiorem exhibere, quippiam vouere, votum reddere? *Omnino*, inquis, *& fas est, & bonum est.* Qua de caussa, amabo? *Quia sanctè excesserunt, & amici Dei sunt.* Bene habet. De Iudæo autem quid censes? Licuítne illi ante Christi legem honorare Abrahamum, vota ei facere, cultu sacro prosequi? *Minimè dubium est*, ais, *quin licuerit: Eadem enim, quæ in altero, aut propè eadem ratio locum habet.* Rectè dictum. Sed de Gentili homine, qui legem Moysi non nouit, quid arbitraris? Anne licitum itidem illi fuit, si quis celebri vitæ sanctimonia terris excessit, & communi suæ gentis æstimatione inter sanctos est reputatus (qualis ille Iob in terra Austupide, aut Melchisedech in regione Canaan) an licitum inquam, fuit tali cuipiam parem quoque superioribus honorem deferre? *Sic videtur.* & in alijs Gentilium terris, seu Græcia, seu Italia, seu Gallia, seu quacumque alia, si qui perinde sanctis moribus vixisse crediti sint, ac inter diuos habiti, ídque consentientibus populorum vocibus, nunquid eadem circa eorum cultum ac venerationem ratio tenenda est? an verò aliquod discrimen ponendum? *Similium, vt videtur, similis debet esse ratio: siquidem in illis par fides, & cognitio, cultúsque vnius & veri Dei fuerit, quam in superioribus.* Age, faciamus ita existimasse populos, & vnà Socratem, de Æsculapio, nempe illum ob singularem in Deum fidem, & ob eximiam in mundo vitam, & ob insignia in curandis gratuito hominibus benefacta, Diuorũ numero aggregatum esse & multis morbo afflictis, post vota nuncupata, subsidio fuisse, ac sanitatem restituisse; an non potuit Socrates (vt aliud non dicam) saltem absque culpa, & Dei iniuria venerari, & vota illi facere, non vt summo Deo, sed vt amico Dei, & aliquo inferiore cultu post Deum & maiores Cælites afficere? *At enim non talis verè fuit Æsculapius, qualis est à populis existimatus.* Id quidem incertum est: sed esto. At firma fuit ea existimatio, & multis recepta-

rum

rum ſanitatum muneribus confirmata, ac ſi error fuit, tolerabilis fuit. Nam & à nonnullis Chriſtianis (vt in vita eſt S. Martini Turonum Epiſcopi) quidam aliquando magnis honoribus cultus fuit quem poſtea idem B. Martinus cæleſti relatione didicit non modò non eſſe ſanctum, ſed etiam latronem olim fuiſſe, & ob ſuá flagitia morte affectum: cuius proinde altare, & ſub eo ſitum eius ſepulchrũ dimouit. An igitur error ille Chriſtianorum aliquid ipſorum fidei obfuit, aut ſinceræ in Deum caritati nocuit? *Nequaquam*. Ita, ſi Socrati cetera de vno & ſupremo Deo fides conſtet (quod ſuprà probatũ eſt) nihil talis error, ſeu de Æſculapio; ſeu de alijs Diuis (quos omnes Deo inferiores ducebat) officere illi debet. Quo fit, vt argumentũ id, quod principale creditũ eſt, fere pro nihilo ducendum ſit. Nam ſi ex profeſſione vnius veri & ſummi Dei, & ex vita innocenti, & ante Chriſtum Chriſtiana, & ex intrepida prædicatione & propugnatione veritatis vſque ad extremum diem, in quo plenus fidei & ſpei bonæ beatam immortalitatem exſpectantis exſpirauit; ſi ex his, inquam, omnibus, & inſuper ex eo, quòd Angeli ſui tutelaris inſpirationibus ſemper obſecutus ſit, indubia eius fides colligitur: nihil certè poteſt aliquis in minoris momenti rebus error non voluntarius, homini, aliàs integro & incorrupto, fraudi eſſe.

At enim de Angelo tutelari, quod ſumimus tanquam certum, minimè deſunt, inquies, qui aliter ſentiant, nec Angelum fuiſſe, ſed dæmonium aſſeuerent.

Fateor equidem non deeſſe, ac præſertim è Latinis antiquis Patribus, qui videntes multum à Philoſophis religioni Chriſtianæ faceſſi negotium, cuncta illorum dicta in deteriorem interpretati ſunt partem, & de Socratis dæmonio, minimè dubium eſt. Nam cùm luce conſtet clarius Socratem & Platonem & Xenophontem & Plutarchum, & Dionem Chryſoſtomum, & Maximum Tyrium, Apuleium, & omnes denique antiquos Philoſophos, per dæmonium Socratis non intellexiſſe prauum aliquem dæmonem, ſed bonum Angelum ſeu genium bonum, & cùm item ex ijs, quæ illi dæmonio attribuuntur, nihil poſſit à viro prudente colligi, re attentiùs examinata atque perpenſa, quàm fuiſſe Angelum bonum; tamen Tertullianus, & qui eius fuerunt veſtigia propenſiùs conſecuti prauum fuiſſe dæmonem tenent.

Tertulliani verba lib. 1. De anima, cap. 1. ſunt hæc: *Cui enim veritas comperta ſine Deo? cui Deus cognitus ſine Christo? cui Christus exploratus ſine Spiritu ſancto? cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine FIDEI ſacramento? Sanè Socrates facilius diuerſo ſpiritu agebatur. Siquidem aiunt dæmonium illi à puero adhæſiſſe, peſſimum re vera pædagogum: etſi poſt Deos & cum Deis dæmonia deputantur penes Poëtas & Philoſophos.* Fauent huic ſententiæ Cyprianus in libro, De idolorum vanitate; Tertull. libro De anima, cap. 1.

vanitate; Lactantius lib. 2. Diuinarum institutionum, cap. 15. Minutius Felix in Octauio.

Quia tamen aliter S. Iustinus sensit, (vti è locis initio citatis colligi potest) & Athenagoras in Legatione pro Christianis sub finem, & B. Clemens Alexandrinus, qui & Socratici fuerunt, & olim Gentiles; ac propterea gentilitium Socratis ingenium & sensum meliùs, quàm illi alteri, callere potuerunt: ac maximè, quòd ratio regendi ac ducendi Socratem semper in melius, nunquam in peius, videatur omnino conuincere, Angelum bonum fuisse, non malum: conabor pro virili hanc confirmare sententiam.

De S. Iustini auctoritate nihil hìc necesse est quicquam repetere, cùm satis clarum sit, eum non fuisse dicturum de Socrate illa, quæ dixit; si ipsum à malo gubernatum dæmonio existimasset neque item Athenagoras, perinde atque Iustinus, Socratem dixisset eadem de caussa, quà Christianos passum, si à malo gubernatum dæmonio existimasset.

Iam igitur Clementis Alexandrini testimonium de Angelo Socratis habetur libro V. Stromatum plusquam medio, vbi postquam ostendit non prorsus ignotos Platoni Angelos tutelares, ita subdit. Τάχα δ' καὶ τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον ȣ̃τό τι ἠνίσσετο. *Fortasse autem & dæmonium Socrati attributum hoc innuebat*. scilicet attribui singulis hominibus Angelos custodes.

Refert hæc eadem Eusebius Pamphili, libro 13. Præparationis euangelicæ, cap. 13. editionis græcolatinæ, Francisco Vigero interprete. Qui etiam Eusebius, & alijs in locis tam in hoc libro, quàm in alijs eiusdem argumenti, stat passim à Socrate.

Denique pro hac opinione videri potest noster Stephanus Bubalus in opere suo De Angelis. q. 1. art. 1. difficultate 2. §. 3. vbi pro illa laudat Ægidium Romanum in 2. dist. 11. q. 1. art. 2. Thomam ab Argentina, ead. dist. q. 1. art. 3. conclusione 1. Andream Vectorellum, lib. 2. De custodia Angelorum: qui expresse doceant Socratis dæmonium fuisse Angelum bonum & tutelarem: Eugubinum quoque lib. 8. De perenni philosophia, cap. 25. qui eodem propendeat. Sed ratio ipsa quàm maximè videtur idem conuincere. Cùm enim satis constet vnicuique hominum aliquem esse datum ad custodiam bonum Angelum, qui à malo auertat, ducat ad bonum; quis dubitare potest, quin is qui vtrumque Socrati præstitit, fuerit Angelus bonus? Præstitisse autem affirmant ij, qui id optimè ex omnibus cognoscere potuerunt, præcipui scilicet eius discipuli Plato & Xenophon, & ij qui ab his didicerunt. Plato quidem aliquoties inducit Socratem de suo dæmonio loquentem, & quid sit explicantem: vt in Apologia Socratis semel atque iterum. Ibi enim Socrates Melitum accusatorem suum refutans sic inter alia. Ὑμεῖς ἐμοῦ πολλάκις ἀκηκόατε

πολλαχοῦ

πολλαχοῦ λέγοντος, ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται φωνή· ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο. Ἐμοὶ δὲ τοῦτό ἐστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη· ἣ ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε. *Vos sæpe audiuistis me paßim dicentem, diuinũ quiddam atque dæmonium mihi adesse, vocem scilicet. Quod & Melitus insultans in accusatione sua posuit. Sed mihi quidẽ à pueritia vox illa adest; quæ, dum fit, prohibet ne agã, quod acturus eram; prouocat autem nunquã.* Quæ videntur sic intelligenda, vt cùm acturus esset aliquid malum; tunc dæmonium seu Angelus tutelaris prohiberet; nunquam autem incitaret, ad malum scilicet. Aut certè dicẽdum est, ita se ingenio Socratis accommodasse Angelum, vt sineret illũ agere, quamdiu rectã rationem sequeretur (quod semper & in omnibus facere studuit, quemadmodum ipse de se in Critone profitetur) cùm autem tanquam homo per imprudentiam deuiaret, tum sese illi opposuisse, atque ab agendo deterruisse. Quod in extrema eadem Apologia indicat, de eadem voce sic loquens: Ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου, ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν, καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν. &c. *Vox enim illa dæmonij vaticinatrix solita mihi semper antehac frequens adesse, ac in rebus etiam admodum paruis se opponere, si quid non rectè facturus essem.* &c. Ibidem verò proximè vocat eandem vocem τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, *Dei signum*. In Theage autem eadem ferè de illa voce habet ijs, quæ primo loco ex Apologia protuli.

Xenophon item lib. 1. De memoralibus Socratis, initio, & lib. 4. sub finem, indicat dæmonium præsignificasse Socrati ἅ τε δέοι, καὶ ἃ μὴ δέοι ποιεῖν, *quæ oporteret, & quæ non oporteret facere*. Atque hanc eidem Socrati laudem attribuit lib. 1. eorundem Memorabilium, sub initium: Οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς, οὐδὲ ἀνόσιον, οὔτε πράττοντος εἶδεν, οὔτε λέγοντος ἤκουσεν. *Nemo vnquam Socratem impiũ quicquam vel iniustum aut facientem vidit, aut dicentem audiuit.*

Plutarchus quoque (nam ab alijs citandis abstinebo) librum De Genio Socratis per formam Dialogi conscripsit, vbi cùm nescio quis vocem illam Socrati loquentem nihil aliud quàm sternutationem fuisse interpretatus esset; pulchrè alius à grauitate & virtute Socratis id alienum esse ostendit, vocem & genium suum id appellare, quod tenuis esset sternutatio: nec eum fuisse Socratem, qui tam leuis rei momento, vel ad agendum se applicaret, vel ab agendo desisteret. *Nam Socratis*, vt inquiebat, *videntur in omni re incitationes ad agendum fuisse graues ac vehementes, vtpote à recto & solido iudicio profecta. Nam sponte sua totam in paupertate vitam exigere; cùm essent, qui optimâ cum gratiâ & voluptate dare opes cuperent: deinde à philosophando non desistere tot obiectis impedimentis: denique salute ipsi & fuga opera amicorum, commodè parata, nullis precibus flecti, neque morti concedere;*

 sed

sed ad eam obeundam, hilari, constantique fronte pergere, hæc certè non sunt hominis, qui omnibus aut sternutationibus de sua sententia dimoueretur: sed eius, qui à maiore quodam præsidio & principio ad virtutem mouetur. Sic ille. Cui & ego assentior.

Si enim vsquam Dei opt. max. gratia elucet, sanè in primis in paupertate non solùm æquo animo sustinenda, sed etiam opibus, quas habere optimo modo liceat, præferenda; ac simul in laboribus non tantùm nullo commodo, sed etiam cum multorum incommodorum & iniuriarũ exspectatione suscipiendis: denique in morte ignominiosa & iniusta pro defensione veritatis & innocentię suæ fortiter, constantérque, & lubenti animo toleranda.

Quamuis autem multa pro Socrate scripserint Plato & Xenophon; tamen quòd ipsi, vt Gentiles, gentili more scripserint; multò illos imbecilliùs scripsisse existimo, quàm si aliquis Christianus, aut saltem Iudæus (qui mores Socratis & dicta præsens attendisset) ea fideliter cõnscripsisset. Nam isti quidem frequenter Deorum nominibus in plurali vtũtur, cùm admodũ verisimile sit Socratem semper Dei nomẽ in singulari numero vsurpasse: queãdmodum & sępius eum fecisse ex ipsismet constat. Sed quòd tam ipsi, quàm alij Gentiles, tam assueti nominibus Deorum essent, vt nihil ferè frequentius in ore haberent, quàm *Dij sciunt, Dij immortales sciunt*, & alia eiusmodi, nonnunquam vbi Socrates dixit *Deus*, ipsi non *Deus*, sed *Dij* dixerunt. Vnde & ipse M. Tullius lib. 1. Tusculan. quæstionum sub finem, referens verba Socratis, quæ paullo ante mortem vsurpauit, vbi apud Platonem θεὸς, *Deus* in singulari nominatur, ipse latinè reddidit: *Dij immortales*. Nam grecè sic habetur: Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ θεῷ. *Sed enim iam hora est abeundi, mihi quidem vt moriar, vobis autem, vt vitam agatis: vtri porrò nostrùm ad melius eant, omnibus incertum est, nisi Deo*. Cicero autem postremum membrum sic reddidit: *vtrum autem melius, Dij immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem*. Et Aristophanes in Nubibus, Actu 1. scena 4. cùm induxisset Stepsiadem, rusticum senem, è Socrate quærentem:

Ὁ Ζεὺς δ' ἡμῖν, φέρε πρὸς τῆς γῆς, οὑλύμπιος οὐ θεός ἐστιν;

Dic nobis per Terram, Iuppiter Olympius, an non Deus ipse est?

& Socratem ei respondentem:

Ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις. οὐδ' ἐστὶ Ζεύς.

Quis Iuppiter? oh, ne nugeris: non est Iuppiter vllus.

tamen Actu 2. scena 1. velut sui oblitus & decori, inducit eundem Socratem iurantem per Iouem. Nam cùm Stepsiades dixisset:

Ἀτὰρ τί ταῦθ', ἃ πάντες ἴσμεν, μανθάνω;

Quid ista disco, nota quæ sunt omnibus?

respon-

respondentem inducit Socratem:

Οὐδὲν μὰ Δία. Nequaquam per Iouem.

Ita credibile eſt & Platonem in Apologia Socratis, cùm antea ſæpiſſimè eum induxiſſet nomine θεῦ, *Dei* ſingulariter vtentem, in extrema eadem Apologia aberraſſe; cùm Socratem, antequam calicem mortis ſumeret, induxit dicentem, orandum priùs eſſe Deos, vt ſibi beata mors accidat: cùm veriſimillimum ſit, ac propè certum, Socratem in illo articulo precationes ſuas ad vnum & ſingularem Deum, quem colebat, direxiſſe.

Multa poſſunt & alia vtrãque in partem proferri argumenta; ſcio: atque illud itidem ſcio, plurimos hodie eſſe, qui putent vix vllos extra Iudęam ante Chriſtũ ſaluatos, aut nunc quoque extra terras ad fidem conuerſas ſaluari: ſed quid obſtat de Dei bonitate meliora ſentire, & arbitrari non fruſtra Angelos tutelares omni homini, quamuis barbaro, & remoto ab omni cultu fidei datos; ſed illos, alijs deficientibus magiſtris, omnem magiſterij curam ſupplere, inſpirando, incitando, perpellendo ad honeſta: itidémque à contrarijs dehortando, deterrendo, depellendo: ac denique quantulumcumque naturæ lumen altiore FIDEI luce colluſtrando?

Hæc autem omnia non ob aliud dicta ſint, quàm ad oſtendendum S. Iuſtini opinionem de Socrate non prorſus eſſe improbabilem. FINIS huius quæſtionis.

Nunc ad Notationes.

NOTATIONES.

AD VITAM

SANCTI IVSTINI.

AD vsum triplicem hasce notationes exaraui. Primò ad rerum, quæ in vita continentur, confirmationem. Secundò ad difficiliorum locorum pleniorem explanationem. Tertiò ad quorundam de Catholicis mysterijs malè sentientium repreßionem. Vt enim attingi aliqua tenus in vita hæc potuerint; non tamen, vti oportuit commodè, explicari. Erunt igitur triformes hæ notationes: vnam quidem partem, eamque maximam, Historicæ: alteram, vt de Philosopho, Philosophicæ: tertiam denique, asperso quaquauersum pietatis condimento, Theologicæ.

AD PRÆFATIONEM.

FACTVRVM me ex vsu Lectorum arbitror, si in primo limine harum Notationum eos recensuero, qui eiusdem cum nostro S. Iustino nominis compotes, eandem quoque sanctitatis laudem, & martyrij gloriam nacti sunt. Ita enim faciliùs sua cuique illorum tribuentur, & ea, quę solet ex ijsdem nominibus nasci rerum confusio remouebitur. Nam fuerunt haud adeo multis antè annis, qui S. IVSTINI Philosophi corpus penes se esse dicerent: ad quos cùm peruenissem, non illius, sed alterius S. Iustini esse deprehendi. Quippe illi vnicum esse S. Iustinum (cuius & sacras possiderent Reliquias) sibi persuaserant. Igitur suum illis errorem ex ipsorum libris ostendi.

Quare præter nostrum S. Iustinum Philosophum & Martyrem & Scriptorem, sunt & alij eodem nomine cum sanctitatis gloria clari.

S. Antoninus, 1. p historiali tit. 6 capitulo 2, § 4.

Quorum 1. est S. Iustinus B. Petri Apostoli discipulus, qui ab illo Sutrium Hetruriæ vrbem vnà cum S. Romulo ad Christi fidem annuntiandam missus, ibi Gentilem quendam nomine Pergamum, qui nullam post mortem restare vitam cōtestabatur, editis prodigijs conuicit, ac veritati mancipauit. Nam vilem tunicam suam in vestem Aregiam, & baculum suum in splendorem aureum conuertit.

2. est, S. Iustinus martyr SS. Getulij & Symphorosæ itidem martyrum filius, imperante Hadriano. De quibus ita martyrologium Rom. ad XVIII. Iulij: *Tibure, sanctæ Symphorosæ, vxoris S. Getulij martyris, cum septem filijs suis Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacteo, & Eugenio: quorum mater sub Hadriano Principe ob insuperabilem constantiam primo palmis diu cæsa, deinde crinibus suspensa, nouißimè saxo alligata, in flumen præcipitata est: filij autem stipitibus ad trochleas extensi, diuerso mortis exitu martyrium compleuerunt.* Sed quæ illa exitus diuersitas? Nempe CRESCENTI guttur ferro transfixum, IVLIANO pectus, NEMESIO cor, PRIMITIVO vmbilicus, IVSTINO autē omne corpus per nodos seu iuncturas membratim discissum est. Iam STACTEVS multis Clanceis in terram confixus, EVGENIVS verò à pectore deorsum bifariam diffissus mortem oppetiere laureatam.

3. S. Iustinus Presbyter & Martyr, qui S. Laurentij & aliorum martyrum corpora sepeliuit. Hunc alij Decio imperante, alij longè pòst, imperante Claudio palmam martyrij consecutum tradunt. De quo ita martyrologium Rom. ad 17. Septembris: *Romæ, via Tiburtina, natalis S. Iustini Presbyteri*

byteri & Martyris, qui in persecutione Valeria- A *ni & Gallieni, confessionis gloriâ fuit insignis. Hic beati Xysti Pontificis, Laurentij, Hippolyti, aliorúmque plurimorum sanctorum corpora sepeliuit, ac demum sub Claudio martyrium consummauit.*

4. est, S. Iustinus martyr sub Diocletiano, de quo sic martyrologium Rom. *Treuiris SS. martyrum, Maxentij, Constantij, Crescentis, Iustini & sociorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiouaro Præside passi sunt.* B Horũ etiam meminit Sigebertus in Chronico, ad annum Christi Domini 1071.

5. est S. Iustinus martyr, puerulus nouẽnius, sub ijsdem Diocletiano & Rictiouaro capite truncatus. Cuius martyrium exstat fusè apud Venerabilem Bedam tomo 3.

6. est & alius martyr, de quo sic in Rom. martyrologio, ad 1. Augusti. *In territorio Parisiensi S. Iustini martyris.* Sic ferè & Vsuardus eadem die: vbi Molanus addidit C hæc: *cuius corpus requiescit in magna ecclesia beatæ Mariæ Virginis Parisiis.*

7. denique est S. Iustinus Presbyter; de quo ita Gregorius Turonensis in lib. De gloria Confessorum, cap. 49. *Intra terminum autem Bcorretanæ vrbis in vico Sexciacensi sanctus Iustinus Presbyter quiescit. Qui cum multis virtutibus polleat, sæpius ad sepulchrum eius energumeni declamantes mundantur.*

Cùm autem de aliorum quorundam Iu- D stinorum corporibus scire potuerim, & quilibet ex iam allatis aliqua saltem discere possit; vbi sita sint; non potui tamen de illo omnium Iustinorum principe, philosopho nostro ac martyre quicquam rescire, vbi sepulchrum habeat. Quidam mihi dixerãt eius corpus esse Romæ, alij esse Monstrolij, oppido Galliæ in cœnobio S. Saluij: sed neutrobi esse post diligentẽ inquisitionem certò didici. Nam corpus illud S. Iu- E stini quod Romæ ad S. Laurentij extra muros asseruatur, est illius S. Iustini Presbyteri & martyris, qui S. Laurentium sepeliuit, vti ad me Roma perscripsit, qui accuratè inuestigauit, Cornelius Cornelij à lapide. Quod autem Monstrolij habetur, (vt quidem effigies thecæ ex argento affabrè laborato insculpta refert, gestat enim mithram) videtur Episcopus fuisse; officium tamen canonicum, quod de ipso ce- F lebrant, monstrat non esse alium, quàm qui S. Laurentium sepeliuit. Ita neutri totum istius S. Iustini corpus habent, nec Romani, nec Monstrolienses; sed membra tantùm aliqua singuli: & noster sanctus Philosophus adhuc ignotus est.

Quem quidem Philosophum antiqui Patres certatim collaudantes, alij magnum, alij admirabilem, alij admirabilissimum, alij diuinum appellitarunt. Magnum appellarunt S. Andreas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, & Aponius. *Admirabilem* Eusebius Cæsariensis lib. 4. histor. ecclesiasticæ, cap. 27. *Admirabilissimum* Tatianus, Iustini discipulus, in oratione *Contra Gentes. Diuinum* B. Theodoretus, & S. Maximus Martyr. *Virum Sanctum & amicum Dei* S. Epiphanius.

S. Andreæ verba posui capite 27. suprà, ante has Notationes.

Verba Aponij, sub finem libri primi in Canticum Canticorum, super illo versiculo: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me* sunt hæc: *Sicut de magno viro Iustino philosopho historia refert factum, qui ex sua vanissima ad veram philosophiam Christi dum conuertitur, & conuersus pro sancta religione contra Gentiles pugnat, & quosdam filios matris Philosophos redarguit blasphemantes, callidè in secreto vocatus, ab ijs Magistris interfectus est.* Quomodo autem hæc secreta nex intelligenda sit, dictum supra cap. XXIIII.

Eusebij verba: Οὐ μικρῷ πρόσθεν τὰς περὶ τοῦ θαυμασίου Ἰουστίνου παρατεθείμεθα λέξεις, μαθητὴν αὐτὸν ἱστοροῦντες τοῦ μάρτυρος. *Cuius* [Tatiani scilicet] *paullo antè de admirabili Iustino verba apposuimus, scribentes eum Martyris fuisse discipulum.*

Theodoreti lib. 1. hæreticarum fabularum in Tatiano sunt hæc: Τατιανὸς δὲ ὁ Σύρος σοφιστὴς ἐγεγόνει τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὶ τοῦ θεσπεσίου Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος ἐγένετο φοιτητής. *Tatianus autem Syrus, primò quidem Rhetor fuit: postmodum autem & diuini Iustini martyris discipulus.*

Maximi martyris, in Scholijs ad librum Dionysij Areopagitæ de diuinis nominibus, in primo initio, vbi ita de Dionysio & Iustino, sunt hæc: Ἰδοὺ γὰρ Ἀρεοπαγίτην ἐπωνόμασεν ἑαυτὸν, ὡς καὶ ὁ θεῖος Ἰουστῖνος ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας λόγῳ, Ἰουστίνου φιλοσόφου. *Ecce enim Areopagitam se agnominauit, vti & diuinus ille Iustinus in sua ad gentes oratione:* Iustini Philosophi.

Ex his S. Maximi verbis collige librorum vtriusque simplices initio fuisse inscriptiones, ab ipsismet Auctoribus inditas; nempe tales: Διονυσίου Ἀρεοπαγίτου. *Dionysij Areopagitæ*, Ἰουστίνου φιλοσόφου. *Iustini philosophi.* post autem à descriptoribus aut editoribus, addita honoris gratia: Τοῦ ἁγίου *Sancti.* Item: Ἐπισκόπου Ἀθηνῶν. *Episcopi Atheniensis*, καὶ μάρτυρος. *& martyris*, vt in Iustino. Sancti Epiphanij verba posui ante hanc vitam, inter veterum testimonia.

AD CAPVT PRIMVM.

a NATVS EST IVSTINVS NEAPOLI, &c.] Id ipsemet indicat pluribus locis, & in ipsa epigraphe apologiæ suæ ad Anto-

Antoninum Pium, Imp. vbi hæc verba: *Iustinus Prisci Bacchy Filius, Flauia Neapolis, Syriæ Palæstinæ ciuis, vnus ex ÿs, quos omne genus hominum odio prosequitur & calumniatur, hunc libellum scripsi.* Itaque Photius, vt notaui in ipsius vitæ vestibulo, cum vocat Neapolitanum. Ἰουστῖνος δὲ ὁ Νεαπολίτης, &c. *Iustinus verò Neapolitanus*, &c. Plures vrbes varijs in regionibus hoc nomine Neapoleos appellatas, habeo in Notationibus ad vitam S. Ignatij martyris: quippe qui in suo ad martyrium itinere Neapolim Macedoniæ pertransijt. A

b *PRIMITVS SICHEM*] D. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesim, *Sichima*, inquit, *iuxta Græcam & Latinā consuetudinem declinata est: alioquin hebraicè Sichem dicitur*, &c. *Et est nunc*, inquit, *Neapolis vrbs Samaritanorum.* Et in caput 6. Osee Prophetæ, ad illud: *Pergentes de Sichem. Quando*, inquit, *per Sichem, qua hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hierosolymam, &c.* Ista est Sichem, quæ Ioannis c. 4. versu 5. appellatur Sichar, iuxta quā Christus Dominus conuertit mulierem Samaritanam.

c *INDIGENIS MABARTHA*] Iosephus lib v. de bello Iudaico, cap. 4. loquēs de Vespasiano sic scribit: *Ipse autem cum reliquo exercitu in Iamniam redyt: vnde per Samaritidem, ac per Neapolim nunc appellatam, sed ab indigenis Mabartha, secundo Iuny mensis die, in Coream descendit.* Græcè sic in editione Basileensi: Ἰουδαικῆς ἁλώσεως λόγῳ Δ. κεφ. κς. Αὐτὸς δὲ μετὰ τῆς λοιπῆς δυνάμεως ὑπέστρεψεν εἰς Ἀμμαοῦντα. ὅθεν διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην, Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, καταβὰς εἰς Κορέας δευτέρᾳ Δεσίου μηνὸς στρατοπεδεύεται. Ita ibi. Latina proximè antè posui.

Plinius autem lib. 5. naturalis historiæ, cap. 13. in descriptione Syriæ Palæstinæ ita scribit: *Intus autem*, inquit, *Samariæ oppida; Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur: Sebaste; in monte altiore Gamala.* Vbi vides antiquum nomen, *Mabartha*, temporis, vt fit, successu, mutatum in *Mamortha*: nisi fortè in Plinium error irrepserit duarum litterarum.

d *FLAVIA*] Exstat in Thesauro rei antiquariæ, Huberti Goltzij, numisma Domitiani cum hac inscriptione:

ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ.
FLAVIOPOLITARVM SAMARIENSIVM.

Et aliud illustrius apud Iacobum Sirmondum græcam ferens inscriptionem, & nomen vrbis *Flauiæ Neapoleos, Syriæ Palæstinæ* exhibens: quod ab eo acceptum hic repręsento.

B Notandum autem non vnam vrbem nomine FLAVIÆ fuisse, sed plures. Nam & Cæsarea Palęstinę, deductis illuc à FLAVIO VESPASIANO colonis, appellata est prima FLAVIA: vt notat C. Plinius lib. 5. hist. nat. cap. XIII. *Inde Apollonia*, inquit, *Stratonis turris, eadem Cæsarea ab Herode Rege condita, nunc colonia prima FLAVIA à VESPASIANO Imp. deducta.* Altera igitur FLAVIA, quæ & Neapolis dicta, deductis

C itidem eò colonis, est hæc de qua in præsenti agimus, vrbs Samariæ. Inter hos autem colonos fuisse Priscum Bacchium, Iustini patrem, qui & illum ibi genuerit, minimè est à fide alienum. Nam se fuisse Samariensem siue Samaritanum genere, seu patria, ipsemet testatur Iustinus in Tryphone, post medium, vbi sic scribit: Οὐδὲ γὰρ ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ ἐμοῦ· λέγω δὲ τῶν Σαμαρέων· τινὸς φροντίδα ποιούμενος, ἐγγράφως Καίσαρι προσ-

D ομιλῶν εἶπον· πλανᾶσθαι αὐτούς. *Nec meum genus quidquam curans, (dico autem Samariensium) scripto Cæsarem cōueniens, errare eos dixi.*

PATRE PRISCO BACCHIO] Ipsius Iustini, de patre suo Prisco Bacchio, testimonium posui in capitis huius initio. Quem fuisse Ethnicum, siue Gentilem, ipse quoque Gentilis filius arguit; de quo mox dicetur: nobilem porro & clarum fuisse, & quidem Imperatoribus notum, haud malè

E videtur ex ipsa inscriptionis ratione, præter alia signa, posse colligi. Nam alioqui, si è plebe fuisset, aut aliquis è vulgo, quid attinuisset eius nomen, præsertim tam longè distantis, & in re tanta vsurpari?

e *SVB ANNVM CHRISTI CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM*] Hic ipse annus, aut certè aliquis ab hoc non procul (nec enim restrictè illum assero) videtur posse colligi, tum ex tempore conuersionis

F eius ad fidem, quod fuit aut extremis Hadriani Imp. temporibus, aut primis Antonini Pij, in adulta admodum ætate, postquam scilicet non humaniores modò artes, sed cunctas Philosophorum sectas percurrisset atque examinasset, ac iam in Platonica non exiguum nomen obtineret: tum etiam ex rebus ab eo gestis, & peregrinationibus, & fidei magisterijs, & scriptis voluminibus; quæ non minorem quinquaginta annis perfunctum esse martyrio videntur

dentur

dentur persuadere. Nam cùm habeamus A martyrij tempus incidisse in annum M. Aurelij & L. Veri sextum, si inde per annos quinquaginta retrogrediamur in supputatione chronologica; inueniemus annum Christi centesimum decimum octauum, qui concurrit cum anno Traiani decimo nono, Eusebio & Baronio concordibus. Iam autem, vt ampliùs probemus eum annos circiter quinquaginta vixisse, duo Eusebij loca proferemus. Prior erit è lib. 4. B historię, cap. 8. vbi persequens Hadriani Imp. tempora sic scriptit: Κατὰ τοῦτον δὲ καὶ Ἰουστῖνος γνήσιος τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐραστὴς, ἔτι τοῖς παρ' Ἕλλησιν ἀσκούμενος ἐνδιέτριβε λόγοις. *Sub id tempus autem, etiam Iustinus germanus veræ philosophiæ amator, adhuc in Gentilium scientijs se exercens ætatem conterebat.* Quibus verbis indicari videtur, satis matura iam ætate eum fuisse, ac minimum viginti duorum annorum, viuēte adhuc Ha- C driano: quibus si addas alios viginti duos, quibus minimùm imperauit Antoninus Pius, efficientur saltem quadraginta quatuor: & his rursum addendo sex, quos vixit sub Antonini Pij successoribus, reperies rotundo numero quinquaginta. Nam hoc anno sexto Imperatorum M. Aurelij, Antonini, & L. Veri, filiorum & successorum Antonini Pij, obijsse Iustinum disertè notat *Chronicon Alexandrinum*, seu, vt alij vo- D cant, *Fasti Siculi*. Hic autem annus, tam ibidem, quàm apud Eusebium & Baronium, est annus Christi 168. olympiadis autem 236ᵃ. 2ᵃ. vti vtrumque, tam Eusebij, quàm Alexandrinum Chronicon referunt.

Alter Eusebij locus, vnde anni Iustini aliquatenus colligi possunt, est in Chronico eius, ad annum Antonini Pij 4. & Domini 143 vbi sic notat: *Iustinus Philosophus librum pro nostra religione scriptum Antoni-* E *no tradit.* Et græcè in eiusdē Eusebij Chronico canone, sic ad eundem annum Antonini Pij. Δ. Ἰουστῖνος φιλόσοφος ὑπὲρ τοῦ καθ' ἡμᾶς ὀρθοῦ λόγου βίβλον ἀπολογίας Ἀντωνίνῳ ἐπιδέδωκεν. *Iustinus Philosophus pro nostra recta doctrina librum defensionis Antonino tradidit.*

ARNALDI PONTACI VERA LAVS.

Baronius quidem vitioso vsus chronico habet vno anno priùs. Sed Arnaldus Pontacus Vasatensis Episcopus, vir ob laborem Eusebio corrigendo impensum, nunquam F satis laudandus (siquidem, vt eius Chronici editionem vnam inter multas vitiosas proferret emendatissimam, ad hoc opus manuscriptos viginti octo adhibuit, editos item octo, prętar alios varios auctores eiusdem Eusebiani citatores chronici) is, inquam, in notis suis, ad hæc eadem verba, sic habet: *Plures membranæ*, inquit, *hac notant circa annum 4. Antonini, vt Peta. Vi. O. Fux. Pi. Contract. Mar. sed circa annum 3. Fa.*

A *Lo. & impressi.* In quibus indicat plures manuscriptos pro nobis esse, & nominatim Petauinum, Victorinum, Oisellinum, Fuxensem, Pithoeanum, qui sunt ex optimis. Item Contractum, & Marcellinum Comitem, in suis Chronicis: pro alterâ verò parte esse tantùm membranas duas, Fabritianam & Lodonensem, cum impressis. Sed libri impressi omnes ad exemplar editionis Venetæ (quod omnium fuit primum, B anno 1483.) editi sunt, sed tanto auctiores mendis, quàm illud primum exemplar, quanto recentior fuit vnaquæque editio. Accedit, quòd præter alios manuscriptos supra positos, pro nobis quoque faciāt codices, Aquicinctinus, Ortelianus, & Lipsianus, ad quorum normā Aubertus Miræus, vir in hoc genere doctissimus & accuratissimus, suam Eusebiani Chronici editionem adaptauit: qui & hoc loco à nobis est; atque C etiam (quod maximi faciendum) ipsa græca, quæ paullo superiùs annotaui, & adscripta sunt ad Antonini Pij annum quartum.

AVBERTI MIRAEI LAVDATVR.

Iam si Eusebius scribit Iustinum anno 4. Antonini Pij Imp. obtulisse eidem Imp. librū, pro nostræ fidei defensione; sanè opus est, ex eius quidem sententia, Iustinum aliquot ante annis fuisse ad fidem cōuersum, præsertim cùm liber ille plurimarum rerum nostrarum notitiam ac totius scriptu- D ræ accuratam lectionem præ se ferat. Atque ita ad tempus annorum Iustini suprà recensitorum facilis erit accommodatio. Verùm in hoc posteriori loco Eusebij (qui pro ijs saltem valet, quibus cordi est in omnibus eum sequi) non admodum magnam vim pono (cùm apologiam illam ego vnà cum Baronio scriptam esse censeam aliquot annis posteriùs, quàm ibi notetur ab Eusebio) sed in priore loco vis est potissi- E ma. Quandónam autem illa apologia scripta & oblata fuerit, suo loco dicetur.

Sed enim de quinquaginta annis Iustini opponetur Epiphanius, qui Iustino triginta dumtaxat annos tribuit, eúmque in constanti ætate mortuum asserit. Cuius verba hæresi 26. contra Tatianos sunt hæc: Οὗτος γὰρ Ἰουστῖνος, Σαμαρείτης ὢν τὸ γένος, εἰς Χριστὸν πεπιστευκὼς καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς, ἀρετῆς τε βίον ἐνδειξάμενος, τὸ τέλος ὑπὲρ F Χριστοῦ μαρτυρήσας τελείου στεφάνου καταξιοῦται, ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥουστικοῦ ἡγεμόνος, καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ. *Hic enim Iustinus erat genere Samaritanus, qui amplexus Christi fidem, egregiéque in ea exercitatus, cum vita ex virtute transacta præclarum specimen edidisset, tandem pro Christo martyrium passus, Romæ perfectâ coronâ dignatus est, sub Rustico Præfecto & Hadriano Imp. annum agens tricesimum, in constanti ætate.*

Respon-

Respondeo 1. Eusebium in ijs, quæ ad historiã & chronologiam spectant, longè diligétiorem & accuratiorem fuisse, quàm Epiphanium: quod satis omnibus notum, atque ijs præcipuè, qui huius *μνημονικὰ σφάλματα* obseruârunt. Nec mirum. Ille istud agebat: hic aliud. Scopus enim Epiphanij, non tempora, non res gestæ, sed hæreseon demonstratio & refutatio fuerunt: Ille autem totus in historia & chronologia fuit. Hinc & huius error hoc ipso in loco est manifestissimus, vbi dicit Iustinum sub Hadriano Imp. passum esse, cùm

EPIPHANII ERRORES CORRECTI.

extet eius apologia ad Antoninum Pium Imp. Hadriani successorem: & alius item non longè post, hæresi nimirum 28. vbi dicit Encratitas Tatiani sectatores, fuisse temporibus Hadriani, & post Hadrianum. Quomodo enim illi temporibus Hadriani, cùm ipse Tatianus eorum auctor adhuc esset catholicus temporibus Antonini Pij, qui successit Hadriano?

Respondeo 2. illum Epiphanij locum, de tricesimo anno Iustini, nonnullis videri suspectum erroris librarij, ac proinde loco *triginta annorum* restitui oportere *quinquaginta*. Atque hi toti nobiscum sunt.

Verùm quid ad illud, quod subijcit Epiphanius, *in constanti ætate*? nam hoc videtur additum ad explicationem & confirmationem de triginta annis, cùm annus tricesimus ad *constantem ætatem* pertineat. Nam & Hippocrates, & alij medicorum, immo plerique iam omnes, hominis vitam in septem ætates distinguunt, quas annorum

Ætas constans quæ sit.

hebdomadibus definiunt, & *constantem ætatem* vocant, quæ triplex complexa septennium, à 28 anno ad vndequinquagesimum protenditur. Hippocratis verba profert, & probat Philo, ille æui sui sapientissimus, & alter Plato sui sæculi, libro *De mundi opificio*, & sunt hæc:

Ἐν ἀνθρώπου φύσει ἑπτά εἰσιν ὧραι, ἃς ἡλικίας καλέουσι· παιδίον, παῖς, μειράκιον, νεανίσκος, ἀνὴρ, πρεσβύτης, γέρων.

Καὶ παιδίον μέν ἐστιν ἄχρις ἑπτὰ ἐτῶν, ὀδόντων ἐκβολῆς.

Παῖς δ' ἄχρι γονῆς ἐκφύσεως, ἐς τὰ δὶς ἑπτά.

Μειράκιον δ' ἄχρι γενείου λαχνώσεως, ἐς τὰ τρὶς ἑπτά.

Νεανίσκος δ' ἄχρις αὐξήσιος ὅλου τοῦ σώματος, ἐς τὰ τετράκις ἑπτά.

Ἀνὴρ δ' ἄχρις ἑνὸς δέοντος πεντήκοντα, ἐς τὰ ἑπτάκις ἑπτά.

Πρεσβύτης δ' ἄχρι πεντήκοντα ἕξ, ἐς τὰ ἑπτάκις ὀκτώ.

Γέρων δὲ τὸ ἐντεῦθεν.

ÆTATVM HOMINIS DIVISIO.

In hominis natura, septem sunt tempora, quas ætates vocant: Infans, puer, adolescens, iuuenis, vir, senior, senex.

Infans est vsque ad septennium, intra quod A *dentes emittit.*

Puer vsque ad secundum septennium, quo ad genituræ emissionem fit tempestiuus.

Adolescens vsque ad tertium septennium, & barba lanuginem.

Iuuenis vsque ad quartum septennium, & accretionem totius corporis.

Vir vsque ad annum vndequinquagesimum, & septimum septennium.

Senio[illegible]que ad quinquagesimum sextum, B *& octa[illegible]ptennium.*

Senex tot[illegible]quod reliquum est, tempore.

Ex his collige virilem ætatem meritò vocari & esse *constantem*. Quia cùm priores ætates singulis constent septennijs, hæc sola tribus durat septennijs, vnà cum vigore animi, & constantia iudicij. *Constantem ætatem* appellat Cicero lib. de Senectute. *Vt*

CICERONIS LOCVS DE SENECTVTE.

enim infirmitas puerorum est, inquit, *ferocitas* C *iuuenum, grauitas constantis ætatis: sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat.*

Quod ergo ad Epiphanij verba attinet, tametsi meliùs ac veriùs anni triginta cum constanti ætate conueniant: tamen si dixisset: *annum agens quinquagesimum, in constanti ætate*, non vsque adeo aberrâsset oratio; quin esset etiam viris sapientibus tolerabilis, immo & vsitata. Quod enim parum D distat, vt communis sermo est, nihil distare videtur. *Constans* autem *ætas* vsque ad vndequinquagesimum extenditur, à quo quantulum abest, qui dicit, *annum agens quinquagesimum*? præterquam quòd tales numeri perfecti pro vicinis subinde ponantur: vt *septuaginta interpretes*, pro *septuaginta duobus* & similia. Et sanè Galenus lib. VI. *De sanitatis regimine*, scribit ætates stato annorum numero circumscribi non posse, E nisi quadam latitudine: vnde in distinguendis ætatibus vti solet aduerbio, *Fere*, (vt notauit Cælius Rhodiginus) quemadmodum Aristoteles voce *περὶ*, *circiter*. Qui lib. VII. Politicorum, cap. XVI. scribit in hominibus circa quinquagesimum annum ætatis esse *vigorem mentis*, quem τῆς διανοίας ἀκμὴν appellat, & de quo ita subiungit: Αὕτη δ' ἐστὶν ἐν τοῖς πλείστοις, ὥσπερ τῶν ποιητῶν τινές εἰρήκασιν, οἱ μετροῦντες ταῖς ἑβδομάσι F τὴν ἡλικίαν, περὶ τὸν χρόνον τὸν τῶν πεντήκοντα ἐτῶν. *Hic autem vigor mentis existit in plurimis, (vt quidam Poetarum dixerunt, hominum ætatem hebdomadibus dimetientes) circa tempus annorum quinquaginta*. Ita Aristoteles. Eadem porrò est *constans ætas*, & ea in qua viget mens & intelligentia; quod accidit, ex isto Aristotelis testimonio, circa annum quinquagesimum: vt & multi in se, & ego in me, Dei beneficio (cui æterna laus & gloria) expertus sum, & nunc post sexagesimum experior.

Vocat

ÆTAS PERFECTA QVÆ SIT?

Vocat eandem ætatem Macrobius Aurelius *ætatem perfectam*. De qua in suo commentario in *Somnium Scipionis*, cap. VI. ita scribit: *Notandum verò*, inquit, *quod cum numerus septenarius se multiplicat, facit ætatem, quæ propriè perfecta & habetur & dicitur: adeò vt illius ætatis homo* (*vtpote qui iam perfectionem & attigerit, & necdum præterierit*) *& consilio aptus sit, nec ab exercitio virium alienus habeatur*. Ita ille.

Vnde sequitur *constantem & perfectam ætatem* esse in anno vndequinquagesimo: siquidem septenarius in se multiplicatus, id est, septies acceptus, conflat numerum vndequinquaginta. Immoror diutius in his ætatibus, quia earum cognitio valde decet philosophum, quem hic instruimus, & cui velificamur.

Itaque Solon magnus ille Atheniensium legislator, & vnus è septem sapientissimis sapientibus, qui elegiacis versibus ætates pulchrè descripsit & distinxit, hominis mentem atque intelligentiam præcipuè emicare docet in sexto annorum septenario, siue ad annum 42. inde autem crescere vsque ad quinquagesimum; perfici verò à quinquagesimo ad quinquagesimum sextum. Citantur eius versus à duobus viris omnigenâ scientia clarissimis, Philone Iudæo in libro, *De mundi opificio*, & à Clemente Alexandrino, lib. VI. *Stromatum* sub finem. Et quòd apud hũc aliquanto exstent emendatiora, inde assumam. Ita ergo profert:

SOLONIS VERSVS APVD CLEMENT. ALEX.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος, ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν,
Τοὺς δ' ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσει θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτοὺς,
Ἥβης ἐκφαίνει σπέρματα γεινομένης.
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἐπὶ γυίων
Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς τις ἐν ἑβδομάδι μέγ' ἄριστος
Ἰσχὺν, ἥν τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα γάμου μεμνημένον εἶναι,
Καὶ παίδων ζητεῖν εἰσοπίσω γενεήν.
Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρὸς,
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργα μάταια θέλει.
Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ' ἄριστος,
Ὀκτὼ δ' ἀμφοτέρων τέσσαρα καὶ δέκ' ἔτη.
Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μετριώτερα δ' αὐτοῦ,
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν σῶμά τε καὶ δύναμιν.
Τῇ δεκάτῃ, ὅτε δὴ τελέσῃ θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτοὺς,
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Quæ totidem latinis versibus, nec minùs eleganter, reddidit noster Erardus Fullonius. Quos proinde versus, præ illis, quos duo antiquiores Philonis & Clementis interpretes ediderunt, hic proferendos duxi. Sic igitur habent:

A *Vt primùm impubes septem numerabis aristas;*
Vallabunt dentes vndique vocis iter.
Si septem primis successerit hebdomas annis
Altera: propitio numine puber eris.
Tertia transierit; mutabunt ora colorem,
Florebitque tuis primula barba genis.
Annumera Quartam; solido iam corpore firmus,
Virtutis vegeta fortia signa dabis.
Quinta virũ faciẽs thalami meminisse iubebit,
Si curam seræ posteritatis habes.
B *Proxima mentẽ animi firmat, rebúsque getẽdis*
Perficit, & recti non sinit esse rudem.
Septima dum voluitur, & huic vicinior ætas,
Accedat linguæ gratia multa tuæ.
Nona nec omnino fracta est, nec inutilis annis,
Vis tamen haud eadem, consiliumque manet.
Ætatem Decimam si fata prioribus addent;
Tempestiua tuas mors erit ante fores.

Easdem porrò ætates soluta oratione admodum C breuiter ac distinctè extulit ipse Philon in libro iam proximè indicato, his verbis: Δίχα δὲ τῶν εἰρημένων, ἐναργέστατα παρίστησι τὴν τελεσφόρον δύναμιν ἑβδομάδος καὶ αἱ ἐκ βρέφους ἄχρι γήρως ἡλικίαι μετρούμεναι ταύτῃ.

Κατὰ μὲν οὖν τὴν πρώτην ἑπταετίαν ἔκφυσις ὀδόντων ἐστί.

Κατὰ δὲ τὴν δευτέραν καιρὸς τοῦ δύνασθαι προΐεσθαι σπέρμα γόνιμον.

D Τρίτη δὲ, γενείων αὔξησις.

Καὶ τετάρτη πρὸς ἰσχὺν ἐπίδοσις.

Πέμπτη τε αὖ, γάμων ὥρα.

Ἕκτη δὲ συνέσεως ἀκμή.

Τῇ δὲ ἑβδόμῃ βελτίωσις ἀμφοῖν, καὶ συναύξησις νοῦ καὶ λόγου.

Ὀγδόη δὲ ἡ ἐν ἑκατέρᾳ τελείωσις.

Κατὰ δὲ τὴν ἐνάτην ἐπιείκεια καὶ πραότης τῶν παθῶν ἐπὶ πλέον ἡμερωθέντων.

Κατὰ δὲ τὴν δεκάτην, τὸ τοῦ βίου εὐκταῖον E τέλος, ἔτι τῶν ὀργανικῶν μελῶν συνεστηκότων. Φιλεῖ γὰρ τὸ μακρὸν γῆρας ἕκαστον ὑποσκελίζειν καὶ παραιρεῖσθαι.

Præterea, quæ dicta sunt, manifestissimè vim perfectionis designatiuam in septenario repræsentant ætates ipsæ, ab infantia ad senectutem vsque, quæ mensurantur septenario.

Ac primo quidem septennio, enascuntur dentes.

In secundo, tempestiuitas est ad genituram emittendam.

F *In tertio, barbæ accrementum.*

In quarto, roboris accessio.

In quinto, tempus nuptiarum.

In sexto, vigor intelligentiæ.

In septimo, vtriusque augmentum, intelligentiæ & eloquentiæ.

In octauo, vtriusque perfectio.

In nono, æquitas & mansuetudo, affectibus maiori ex parte mansuefactis.

In decimo denique, vitæ exitus optabilis, adhuc integris sensuum instrumentis. Solet enim

alioqui

alioqui senectus longa supplantare vnumquemque & affligere.

Hactenus Philonis verba: ex cuius, & ex Solonis, atque Hippocratis quoque ibidẽ citati sententia liquidum est, in perfecta ætate mortuum esse Iustinum, si anno ætatis quinquagesimo mortuus est. Quod tempus Ægyptijs quoque, humanam vitam anno centesimo circumscribentibus, est *ætas constans*, nempe inter vitæ terminos medium, & quasi solstitium æui nostri.

Sed de his in præsentia satis philosophatum: nunc ad alia.

IVSTINI INGENIVM.

f *ACRIS FVIT INGENII*] Testimonium de ingenio ferũt eius scripta; vbi omnis Historiæ, Philosophiæ, Poëseos antiquitas replicata: vbi Iudæi, Gentiles, Hæretici acutè, acriter, solideque refutati. Ingenium sanè eius æquè & memoriam in sacris literis opportunè afferendis, & in Christi hostes validè intorquendis miratus est Tryphon & socij, vt videre est in dialogo cum illis habito. Denique eius in philosophicis acumen atque iudicium ille testatur tractatus, quem contra primum & secundum librum Physicæ auscultationis conscripsit: siue eius, *Contra Materiam, Formam & Priuationem*, (vt Photij verbis vtar, ἐπιχειρηματικοὶ καὶ βίαιοι καὶ χρειώδεις λόγοι. id est, *epichirematica & violenta & vtiles rationes.*

S. IVSTINVS OLIM GENTILIS.

g *AB HIS DEINDE ETIAM TVM GENTILIS*] Gentilem sectâ fuisse constat ex ipso, multis locis. In cohortatione 2. ad Græcos (id est, Gentiles seu Infideles) statim initio caussam adfert, quamobrem ab ijs desciuerit: Μὴ ὑπολάβητε, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες ἄλογον ἢ ἀνεπίκριτον εἶναί μου τὸν ἐκ τῶν ὑμετέρων ἐθῶν χωρισμόν. *Ne existimetis, ô Græci, me absque ratione & iudicio à vestris ritibus desciuisse.* Et in fine. Ἔλθετε, παιδεύθητε· γένεσθε ὡς ἐγώ· ὅτι κἀγὼ ἤμην ὡς ὑμεῖς. *Venite, erudimini: estote, vt ego, quoniam & ego fui, sicut vos.* Vide & in Tryphone alia argumenta passim, & presertim vbi ipsum Tryphonem & comites Iudæos sic interrogat: Μὴ ἄλλό τι ἐστὶν, ὃ ἐπιμέμφεσθε ἡμᾶς, ἄνδρες φίλοι, ἢ τοῦτο, ὅτι οὐ κατὰ τὸν νόμον βιοῦμεν, οὐδὲ ὁμοίως τοῖς προγόνοις ὑμῶν περιτεμνόμεθα τὴν σάρκα, οὐδὲ ὡς ὑμεῖς σαββατίζομεν. *An est aliud, cuius nos incusetis, ô viri amici, quàm quòd non secundum legem viuamus, neque similiter maioribus vestris carne circumcidamur, neque, vt vos, sabbatum obseruemus?* Deinde refert ipsemet in eodem Tryphone, se ad varios philosophos desiderio Dei cognoscendi contulisse: quod non fecisset, si Iudæus fuisset. iuxta illud: *Notus in Iudæa Deus.* siquidem Iudæi se præ omni gente & secta Deum nosse prædicabant: nec ignorabant profanos philosophos, veri Dei & religionis esse ignaros. Quare si Iudęus fuisset, aut

Psal. 75. ver. 1.

A Samaritanus, Deum meliùs cognouisset, quàm Gentiles philosophi, qui circa Deorum multitudinem deerrabant.

IOSEPHI SCALIGERI ERROR.

Iosephus Scaliger in animaduersionibus ad Eusebij Chronicon reprehendit Epiphanium, quasi dixerit Iustinum fuisse sectâ Samaritanum. *Errat*, inquit, *Epiphanius, qui à Samaritis ad Christianos Iustinum transiisse scribit*: ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι. *A Samaritarum ad Christi fidem transiisse.* Ita ille. Sed eius pace dixerim, non est bona interpretatio verborum Epiphanij, quæ sic fuerunt reddenda; *E Samaritis in Christum credidisse.* Quod ita dictum est, ac si dicerem: *S. Clemens ex Italis in Christum credidit.* Vbi *ex Italis*, nil aliud significat, quàm *ex Italorum gente.* Ita *ex Samaritis*, nihil aliud quàm *ex Samaritarum gente.* Quod ita se accepisse satis innuit ipsemet Epiphanius, cùm mox subiecit. Οὗτος γὰρ ὁ Ἰουστῖνος Σαμαρείτης ὢν τὸ γένος, εἰς Χριστὸν πεπιστευκώς. *Hic enim Iustinus, Samarites genere cùm esset, &c.* Non dixit; *Samarites sectâ*, sed, *Samarites genere*. Idem autem est ἀπὸ Σαμαρειτῶν & ἐκ Σαμαρειτῶν, vt Græcis notum: sed prius est εὐφωνότερον.

h *INIECERAT ENIM DEVS*] Declarat ipsemet Iustinus in Tryphone sub initium, quanta siti arderet Dei cognoscẽdi: cuius etiam caussa se magistrum Stoicum missum fecisse dicit, quòd ab eo nihil de Deo addisceret. Simili ac propè gemino Dei cognoscendi desiderio flagrabat S. Hilarius, ille magnus Pictauorum postea Episcopus, & illustris fidei Christianę contra Arianos confessor: qui Gentilis & veri Dei ignarus cùm esset, eius cognoscendi gratia, Philosophorum peruagatus documenta, & nihil certi de Deo consecutus, tandem in libros sacros Moysis & Prophetarum incidit, &, quod quærebat, inuenit. Hoc enim de se ipsemet testatur & scribit lib. 1. De Trinitate sub initium, his verbis: *Festinabat autem animus*, inquit, *non hæc tantummodò agere, quæ non egisse & criminum esset plenum & dolorum: sed hunc tanti muneris Deum, parẽtémque cognoscere, cui famulans se nobilitãdum existimabat: ad quem omnem spei suæ opinionem referret: in cuius bonitate, inter tantas præsentium negotiorum calamitates, tanquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret. Ad hunc igitur vel intelligendum vel cognoscendum studio flagrantissimo accendebatur. Namque plures eorum, numerosas incertorum Deorum familias introducebant: & virilem ac muliebrem sexum in diuinis naturis agere existimantes, ortus ac successiones ex dijs deorum asserebant. Alij minores ac maiores, & differẽtes pro potestate Deos, prædicabant.* &c. Et infrà: *Hæc igitur, multáque alia eiusmodi cum animo reputans incidi in eos libros, quos a Moyse atque à Prophetis scriptos*

S. HILARII PICTAVORVM EPISCOPI A GENTILISMO AD CHRISTI FIDEM CONVERSIO.

prius esse Hebraeorum religio tradebat: in quibus A
ipso creatore Deo testante de se hæc ita contine-
bantur: EGO SVM, QVI SVM. *Et rursum:* HÆC
Exod. 3. ver. 14. DICES FILIIS ISRAEL: MISIT ME AD VOS IS
QVI EST. *Admiratus sum planè tam absolutam*
de Deo significationem, qua natura diuinæ in-
comprehensibilem cognitionem, aptissimo ad in-
telligentiam humanam sermone loqueretur. Nō
enim aliud proprium magis Deo quàm ESSE
intelligitur. &c. Denique indicat deinceps
se ex illorum librorum & Euāgelij S. Ioan- B
nis, ac noui testamenti lectione ad fidem
Christi pedetentim accessisse.

i *ITAQVE IN PHILOSOPHI STOICI, &c.*] Hæc & sequentia vsque ad 2. caput, ex ipso Iustino in Tryphone desumpta sūt. De hac philosophorum secta & dogmatibus videri possunt è Græcis Diogenes Laërtius l. 7. de vitis philosophorum, Plutarchus de placitis Philosophorum, & alij. E latinis Cicero, tum alibi, tum in orat. pro L. Mu- C
rena, vbi hæc perlegātur: *Fuit quidam summo ingenio vir Zenò, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur. Huius sententiæ sunt & præcepta eiusmodi: sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse, nisi stultum & leuem: viri non esse, neque exorari, neque placari: solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges: nos autem, qui sapientes non sumus, fugi-* D
tiuos, exules, hostes, insanos denique dicunt: omnia peccata esse paria: omne delictum, scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallū gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocauerit: sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam.

STOICI VNDE DICTI. Dicti sunt Stoici à loco, vbi disputabant, qui στοὰ ποικίλη, *porticus varia*, siue elegans appellabatur: cùm antea Zenonij à Zenone E
Citieo, huius sectę primo parente, dicerentur. Sicut Academici dicti ab Academia, de qua mox. Cur autem varia dicta sit illa porticus, indicat Synesius Cyrenes Episcopus, epist. 54. in fine, his verbis: Ἀναστρέφονται δ' ἐν ἡμῖν, ὥσπερ ἐν ἡμιόνοις ἡμίθεοι, διότι τεθέανται τὴν Ἀκαδημίαν τε, καὶ τὸ Λύκειον, καὶ τὴν ἐν ᾗ Ζήνων ἐφιλοσόφει Ποικίλην, νῦν οὐκέτ' οὖσαν ποικίλην· ὁ γὰρ Ἀνθύπατος τὰς σανίδας ὑφείλετο· ἔπειτα ἐκώλυσεν αὐτοὺς ἐπὶ σοφίᾳ μεῖζον F
φρονεῖν. *Versantur inter nos, velut semidei inter mulos, eò quod Academiam viderint, & Lyceum, & variam illam, in qua Zeno philosophabatur, iam non amplius variam: siquidem Proconsul asseres subtraxit: deinde propter sapientiam nimis altè sapere prohibuit.* Ex quibus videtur colligi porticum illam esse appellatam *Variam*, à varietate asserum aut tabularum depictarum, quibus ornata erat.

k *ATQVE AD ALIVM SECTA PERIPATETICVM, &c.*] Peripatetici appellati A
sunt ab ambulatione. Græcè enim περιπατεῖν est ambulare, quòd Aristoteles eorum princeps deambulando philosopharetur. Locus autem siue gymnasium, vbi Athenis deambulabat, Lyceum dicebatur. De Aristotele vide Diogenem Laërtium l. 5. c. 1. & Diuum Augustinum, l. 8. de Ciuit. Dei, cap. 12. Laudatur idem Aristoteles à Cicerone multis locis, sed semper secundùm B
Platonem.

ACADEMICI QVI-NAM OLIM VOCATI. De vtroque autem, tam Lyceo, quàm Academia sic breuiter & dilucidè M. Tullius lib. 1. Academ. quæst. ante medium: *Platonis autem auctoritate, qui varius & multiplex & copiosus fuit, vna & consentiens duobus vocabulis Philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cum Speusippum sororis filium Plato philosophiæ quasi heredem reliquisset: duos autem præstantissi-* C
mos studio atque doctrina Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant QVI IT[A]M PERIPATETICI.
cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis instituto in Academia (quod est alterum gymnasium) cœtus erant & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Ita Cicero. Nec spernendū est, quod de Academiæ situ scribit Hieronymus l. 2. ad- D
uersus Iouinianum: *Sed & ipse Plato*, inquit, *(cùm esset diues, & toros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret) vt posset vacare philosophiæ, elegit Academiam, villam ab vrbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem: vt cura* ACADEMIÆ SITVS INSALVBRIS.
& assiduitate morborum, libidinis impetus frāgerentur; discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent. Ita ille. A deo scilicet ad studia & Philosophiam, corporis tentari morbis satius E
est, quā carnis voluptatibus deliniri. Quod S. BASILII MAGNI LOCVS. ipsum egregiè D. Basilius ante Hieronymum tractauerat. Nam in homilia ad adolescentes: *Quomodo è Gentilium libris proficiant;* dum docet nimiam corporis curam obesse Christianæ philosophiæ, siue virtutum exercitio, *Ac inter cetera*, inquit, *dicti Pythagora meminisse oportet, qui videns quendam exercitationibus ac cibis lautè atque opiparè se curantem ac saginantem, Heus*, inquit, F
miser non desinis continuò duriorem tibi carcerem præparare. Ideo & Platonem dicunt, cognito, quod ex corpore venit, nocumento, Academiam Athenis in loco pestilenti elegisse, vt nimiam corporis prosperitatem, velut vitem palmite luxuriantem, amputaret. Ita Basilius.

l *NIHIL A DIGNITATE PHILOSOPHIÆ MAGIS ALIENVM, QVAM AVARITIÆ SORDES, &c.*] Exosos vulgo tales fuisse Philosophos lucri cupidos notat Lucianus in Nigrino, paullò post medium, his

his verbis: Μάλιστα δὲ ἐμέμφετο τοὺς ἐπὶ μισθῷ φιλοσοφοῦντας, καὶ ἀρετὴν ὤνιον, ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς προτιθέντας. Ἐργαστήρια γοῦν ἐκάλει, καὶ καπηλεῖα, τὰς τούτων διατριβάς. Ἠξίου γὰρ τὸν πλοῦτον καταφρονεῖν διδάξοντα, πρῶτον ἑαυτὸν παρέχειν ὑψηλότερον λημμάτων. *Maximè verò eos sugillabat Philosophos, qui mercede philosophabantur, & virtutem venalem tanquam in foro proponebant. Ipsorum igitur scholas vocabat tabernas & cauponas. Existimabat enim eum, qui docturus esset alios contemnere diuitias, debere primo se ipsum lucris altiorem præstare.*

m *CONVENIT IGITVR PYTHAGOREVM QVEMDAM*] Caput Pythagoreorum fuit Pythagoras, qui in Italia vt plurimùm philosophatus est. Hic induxit μετεμψύχωσιν, id est, animarum è corporibus in corpora trāsmigrationem. Alioqui multa ad vitam moresque conformandos vtilia edidit documenta & symbola, quæ in eius vita apud Diogenem Laërtium videri possunt. Sed illud est singulare, quòd (vt scribit S. Iustinus in Cohortatione ad Græcos sub medium)

PYTHAGORÆ DE DEO TESTIMONIVM

Τὴν μονάδα ἀρχὴν ἁπάντων λέγων, καὶ ταύτην τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων αἰτίαν εἶναι, δι᾽ ἀλληγορίας ἕνα τε καὶ μόνον διδάσκει θεὸν εἶναι. *Dicens vnitatem principium omnium, eandémque bonorum omnium caussam esse, per allegoriam docet vnum & solum esse Deum.* Et paullo pòst clarius eiusdem, de Deo vno, ponit testimonium, citans hæc eius verba: Ὁ μὲν Θεὸς εἷς· αὐτὸς δὲ οὐχ, ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τῆς διακοσμήσιος· ἀλλ᾽ ἐν ἑαυτῷ, ὅλος ἐν ὅλῳ, τῷ κύκλῳ ἐπισκοπῶν πάσας τὰς γενέσιάς ἐστι, κρᾶσις ἐὼν τῶν ὅλων αἰώνων, καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυνάμιων καὶ ἔργων, ἀρχὰ πάντων, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων, κύκλων ἁπάντων κίνασις. *Deus quidem vnus: non ille autem (vt quidam suspicati sunt) extra hunc mundum; sed in seipso, totus in toto, in circuitu inspiciens omnes generationes: seculorum omnium est temperatio, & virtutum suarum atque operum effector, principium omnium, in cælo lumen, & pater omnium, mens & animatio vniuersorum, atque omnium circulorum motio.* Ita ibi.

n *TANDEM CVM PLATONICIS*] Hi à magistro ac principe suo Platone sunt appellati: cùm prius Academici vocati fuissent à loco, vbi Plato cœtus suos habebat, Academia nominato. Quid sit autem Academia, & vbi, & à quo sic dicta, tam exactè quàm breuiter docet Laërtius lib. 3. in *Platone*, de quo sic: Ἐπανελθὼν δὲ εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ. Τὸ δ᾽ ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον, ἀλσῶδες, ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἑκαδήμου. *Reuersus autem Athenas scholam habebat in Academia. Est verò Academia gymnasium suburbanum, nemorosum, ab heroe quodam Hecademo appellatum.* Et mox subdit

HECADEMVS HEROS NOMEN FECIT ACADEMIÆ.

A primitus Hecademiam ab eodem Hecademo nominatam, productis tam Eupolios, quàm Timonis versibus. Timonis de Platone sunt hi:

Τῶν πάντων δ᾽ ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ᾽ ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς, τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ᾽ Ἑκαδήμου
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Πρότερον γὰρ διὰ τοῦ ε Ἑκαδημία ἐκαλεῖτο.

Hos inter dux ille Plato latissimus ibat:
Cuius ab ore melos manabat, quale Hecademi
B *Arbustis lepida modulantur voce cicadæ.*

Prius enim per he Hecademia vocabatur. Ita apud Laërtium.

Eadem de appellationis origine inuenies apud Aristophanis Scholiasten ad Nubes; & apud Suidam in lexico. Vnde Horatij versus, lib. II. ep. II. sic legendus est:

Atque inter siluas Hecademi quærere verum.

HORATII VERSVS EXPLICATVS.

Id est, quærere veritatem inter Academicos, siue Platonicos: non autem scribēdum C *Academi*, cùm nullus ita vocatus sit.

Suidas porrò tria dixit fuisse Athenis gymnasia: Τρία ὑπῆρχε γυμνάσια, Λύκειον, Κυνόσαργες, Ἀκαδημία· ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τοῦ καθιερώσαντος αὐτὴν Ἑκαδήμου. *Tria erant gymnasia, Lyceum, Cynosarges, Academia: quæ sic appellata est ab eo, qui illam consecrauit, Hecademo.* Quid sit autem *Cynosarges*, & vnde ita dictum sit, idem Suidas annotat in illa ipsa voce, docens esse gymnasium, & locum D apud Athenienses, (vbi & templum sit Herculis) & sic appellatum à cane albo (nam κύων ἀργὴς, i. canis albus) quòd scilicet domi suæ sacrificanti Didymo Atheniensi, canis albus raptum sacrificium in eum locum detulerit, qui pòst ab eodem cane vocatus est κυνόσαργες, *Cynosarges*, vbi & Hercules sibi aram erigi iusserit: & quia Hercules nothus habitus sit, propterea in eo gymnasio philosophari eos, qui nec à patre, E nec à matre ciues sint. Verùm sit penes auctorem fides. Vt redeatur ad Academiam, fuisse inibi magnam morum grauitatem ac seueram disciplinam inde satis colligitur, quòd ridere in ea non liceret. Exstat enim de hac re apud Ælianum *De varia historia*, libro 3. caput XXXV. huiusmodi: Λόγος δέ τις διαρρεῖ καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὅς λέγει πρότερον ἐν Ἀκαδημίᾳ μηδὲ γελάσαι ἐξουσίαν εἶναι. ὕβρει γὰρ καὶ ῥᾳθυμίᾳ ἐπειρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φυ- F λαχθῆναι. *Fama quædam & hæc Attica peruagatur, quæ memorat olim in Academia ne ridendi quidem fuisse potestatem. Nā inaccessum eū locū iniuriæ & dissolutioni seruare nitebātur.*

GYMNASIA PHILOSOPHORVM ATHENIS.

ACADEMIÆ PLATONICORVM GRAVITAS.

RISVS IN ACADEMIA NON PERMISSVS.

Huius Academiæ siue Platonicorum dogmata propiùs ad fidē Christianam, quàm vllorum aliorum Philosophorum accessērunt: nempe hæc: *Deum auctorem esse vniuersi & gubernatorem: mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore conditum: animam esse immortalem: bonis proposita post hanc vitam præmia;*

PLATONICORVM DOGMATA CHRISTIANÆ FIDEI CONFORMIA.

nia; malis supplicia, & alia huius generis. Hinc D. August. lib. 8. De Ciuitate Dei, c. 5. *Si ergo Plato*, inquit, *Dei huius imitatorem, cognitorem, amatorem, dixit esse sapientem, cuius participatione sit beatus, quid opus est excutere ceteros, quorum nulli nobis, quàm isti propius accesserunt?* Vide ibi plura, & in capitibus sequentibus. Ipse quoque S. Iustinus in posteriore Apologia sub finem, cùm se à Platonis doctrina ad Christianam transiisse scribit, hæc adiicit: Οὐχ ὅτι ἀλλότρια B ἐστὶ τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐστὶ πάντη ὅμοια. *Non quod Platonis dogmata à Christo aliena sint, sed quòd non sint prorsus similia.*

AD CAPVT II.

Est hoc caput ex ipso Iustino desumptum in *Tryphone*.

a *IDEARVM CONTEMPLATIO*] Quã Plato ideã, Cicero vocat speciem. Nam l. C 1. Academicarũ quæstionum, paullò post medium, agens de Academicis & Peripateticis, *Tertia deinde Philosophiæ pars*, inquit, *quæ erat in ratione & in disserendo, sic tractabatur ab vtrisque: quanquã oriretur à sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus: mentem volebant rerum esse iudicem, solã censebant idoneam, cui crederetur: quia sola cerneret, quod semper esset simplex & vniusmodi, & tale quale esset. Hanc illi ideam appellabant, iã* D *à Platone ita nominatam: nos rectè speciem possumus dicere.* Et paullò inferiùs: *Aristoteles primus species, quas antè dixi, labefactauit, quas mirificè Plato erat amplexatus; vt in his quiddam diuinũ esse diceret.* Ita ille. Iustinus autẽ in Cohortatione ad Græcos, nõ procul ab initio, sic de ideâ Platonis: Τοῦ γὰρ Πλάτωνος τρεῖς ἀρχὰς τοῦ παντὸς εἶναι λέγοντος, θεὸν, καὶ ὕλην, καὶ εἶδος· θεὸν μὲν τὸν πάντων ποιητὴν· ὕλην δὲ τὴν ὑποκειμένην τῇ πρώτῃ τῶν γινομένων γενέσει, καὶ τὴν πρόφασιν αὐτῷ τῆς δημιουργίας παρέχουσαν· εἶδος δὲ τὸ ἑκάστου τῶν γινομένων παράδειγμα. Ἀριστοτέλης τοῦ μὲν εἴδους, ὡς ἀρχῆς, οὐδαμῶς μέμνηται· δύο δὲ ἀρχὰς θεὸν καὶ ὕλην εἶναί φησι. *Nam cùm Plato tria esse dicat vniuersi principia, Deum, materiam, & speciem: Deũ quidem omnium conditorem, materiam autem primæ rerum genitarũ generationi subiacentem, & caussam creationis Deo suppeditantem: speciem autem, singulorum, quæ fiũt,* F *exemplar; Aristoteles quidem speciei, tanquam principij, haudquaquam meminit: sed duo principia Deum & materiam esse dicit.* Ita ibi. Nota verò in his, εἶδος & ἰδέαν, vt in latinis *speciem* & *ideam*, pro eodem sumi. Vnde ibidẽ consequẽter Iustinus. Καὶ αὖθις, τοῦ Πλάτωνος ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἀνωτάτω τοῦ οὐρανοῦ ἀπλανεῖ σφαίρᾳ τόν τε πρῶτον θεὸν, καὶ τὰς ἰδέας εἶναι λέγοντος, Ἀριστοτέλης μετὰ τὸν πρῶτον θεὸν, οὐ τὰς ἰδέας, ἀλλά τινας νοητοὺς θεοὺς εἶναι λέγει. *Et* A *rursus, cùm Plato in prima supremi cæli sphæra inerrabili dicat esse primũ Deum, & ideas; Aristoteles post primum Deum, non ideas, sed aliquos Deos intelligibiles esse dicit.* B. Clemens Alexãdrinus lib. 4. Stromatum, sub finem ita de iisdẽ ideis: Εἰκότως οὖν καὶ Πλάτων τὸν τῶν ἰδεῶν θεωρητικὸν θεὸν ἐν ἀνθρώποις ζήσεσθαί φησι· νοῦς δὲ χώρα ἰδεῶν, νοῦς δὲ ὁ θεός. *Meritò igitur Plato contemplatorem idearum dicit esse Deum inter homines. Mens autem locus est idearum: mens verò, Deus.* Tertullianus item lib. *de anima*, c. 18. *Vult enim Plato*, inquit, *esse quasdam substantias intelligibiles, incorporales, supermundiales, diuinas & æternas, quas appellat ideas, id est, formas exemplares, & caussas naturalium istorum manifestorum & subiacentiũ corporalibus sensibus, & illas quidem esse veritates, hac autem imagines earum.* Ita ibi. Vide Platonem in *Parmenide*, siue Dialogo De *ideis*, & in *Timæo*.

b *DEVM ILLICO PERSPECTVRVS*] Cicero in tali re vsurpat, *Deum penè prehẽdere*. Sic lib. 1. de finibus, in fine, cũ de philosophi agit beatitate. *Idémque*, inquit, *cùm cælum, terras, maria, omniumq; rerum naturam perspexerit, eaq; vnde generata, quò recurrant, quãdo, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternúmque sit, viderit, ipsúmque ea moderantem & regentem penè prehenderit, séséque non vnis circumdatũ mœnibus, popularem alicuius loci: sed ciuem totius mundi, quasi vnius vrbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, Dij immortales! quàm ipse se noscet! (quod Apollo præcepit Pythius) quàm contemnet! quàm despiciet! quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgò dicuntur amplissima!*

NOSCE TE IPSVM.

c *IS ENIM EST PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ FINIS*] Dicit B. Iustinus Philosophiæ Platonicæ finem esse, Deũ con- E templari. Ad hoc enim tendebant omnes Platonici, vt Deũ præcipuè cognoscerent, & cognoscendo fruerentur. Vnde omnibus alijs Philosophis, qui finem alibi ponebant, meritò illos præfert S. Augustinus lib. 8. *De ciuitate Dei*, cap. 8. *Cedant igitur hi omnes*, inquit, *illis Philosophis, qui non dixerunt beatum hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentẽ Deo: non sicut corpore vel seipso animus, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus.* Ita ille. De Platone autem ipso ita Numenius Pythagoricus apud Eusebium lib. 9. de præparatione euangelica, cap. 3. Τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Quid enim est Plato, nisi Moyses atticizans.* i. atticè loquens.

Hinc est, quòd Iustinus de Deo audiendi cupidissimus Platonicis potissimè adhæserit, apud quos videlicet & ferè solos, ea res seriò agebatur. De quibus ita quoque Augustinus eodem lib. cap. 12. *Ideo quippe*, inquit,

IDEÆ PLATONICÆ QVID?

inquit, *hos potissimùm elegi, quoniam de vno Deo, qui fecit cælum & terram, quanto melius senserunt, tanto gloriosiores illustrioresque habentur.*

d *ECCE VIR MAGNO NATV*] Hæc sub initium Dialogi cum Tryphone habētur, vbi sic græcè: Παλαιός τις πρεσβύτης ἰδεῖν οὐκ εὐκαταφρόνητος, πρᾶον καὶ σεμνὸν ἦθος ἐμφαίνων, *&c. Senex quidam grandæuus, aspectu minimè contemnendus, placidos simul & graues præ se ferens mores &c.* Quis autem ille B vir fuerit, vnde venerit, quò iuerit, incertūm. Visus enim est Iustino semel tantùm, idque in isto congressu, nec antea vnquam ampliùs, nec postea: vt dubitari possit, Angelusne fuerit in hominis forma, an homo in officio & munere Angeli: sed totam disputationem attendenti, vero propius videtur, vt aliquis virorum sanctorum tunc viuentium fuerit, qui à Deo ad Iustinum missus fuerit, siue ab Angelo etiam raptus; quò scilicet illum Dei & veritatis cognoscendæ cupidissimum, veram, quâ istò perueniretur, viam edoceret, quo perfunctus munere confestim, vnde venerat, fuerit ab eodem Angelo reportatus.

e *LVDENS IN VERBO*) Nam vox φιλολογία, quâ vsus fuerat Iustinus, tam studiū orationis & eloquentiæ, quàm rationis & Philosophiæ significabat. Senex ergo in priori significatione capiebat, cùm eā Iu- D stinus in posteriore vsurpâsset, nempe pro studio sapientiæ. Verba Iustini erant: Φιλολογίᾳ τι ἀνυτικώτατά ἐστι τὰ τοιάδε χωρία. *Et rationi excolendæ accommodatissima sunt loca talia.* Ad quæ verba ita senex: Φιλολόγος οὖν τις εἶ σὺ; ἔφη, φιλεργὸς δὲ οὐδαμῶς, οὐδὲ φιλαλήθης; *Tu igitur,* inquit, *orationis amator es? operis autem & veritatis nequaquam?* Atque ita consequenter, vt in vitæ contextu.

PHILOSOPHIÆ LAVDES.

f *NAM ABSQVE PHILOSOPHIA, &c.*) E Insignis laus Philosophiæ hîc continetur. Si quis alias quærat, multas passim apud M. Tullium in libris Philosophicis reperiet, & nominatim libro 1. Tusculanarum quæstionum, vbi sic: *Philosophia,* inquit, *omnium mater artium, quid est aliud, nisi, vt Plato ait, donum; vt ego, inuentum Deorum?*

Et 2. Tusculan. initio. *Philosophia medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.* F

Et 5. earundem Tuscul. initio fusiùs. *O vitæ philosophia dux. O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti; tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti: ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos,* A *vt antea magna ex parte; sic nunc penitùs totosque tradimus. Est autem vnus dies benè & ex tuis præceptis actus, toti immortalitati anteponendus.*

Et lib. 1. de legibus, in fine: *Ita fit, vt mater omnium bonarum artium sapientia sit, à cuius amore, Græco verbo, Philosophia nomen inuenit: quâ nihil a Dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. Hæc enim vna nos cùm* B *ceteras res omnes; tum, quod est difficillimum, docuit, vt nosmetipsos nosceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur.* Ita Tullius.

SEIPSVM NOSSE DIFFICILLIMVM EST.

Philo autem libro *de mundi creatione,* sub initium. Οὗ τελειότερον ἀγαθὸν οὐκ ἦλθεν εἰς ἀνθρώπινον βίον. *Quo nullum perfectius bonum in vitam humanam venit.* Et breui postea: Ὅθεν τὸ τῆς φιλοσοφίας ἀνεβλάστησε C γένος, ὑφ' οὗ καί τοι θνητὸς ὢν ἄνθρωπος ἀπαθανατίζεται. *Vnde Philosophiæ genus germinauit, per quod homo, mortalis cùm sit, immortalis redditur.*

Denique B. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatū, ante medium, multis probat Philosophiam ad fidem & Dei cognitionem acquirendā conducere, adeóque sine illa ceteras artes, nō modò inutiles, sed etiā noxias esse. Sic enim scribit: Αἱ δὲ ἄλλαι τέχναι, εἰ μὴ μετὰ φιλοσοφίας γένοιντο, βλαβερώτεραι παντί του εἶεν ἄν. D *Artes igitur, nisi cū Philosophia cōiunctæ fuerint, noxiæ cuilibet fuerint.*

PHILOSOPHIA EST EIVS, QVOD EST, SCIENTIA, &c.] Hæc ita græcè, in *Tryphone* sub initium: Φιλοσοφία μὲν ἐπιστήμη ἐστὶ τοῦ ὄντος, καὶ τοῦ ἀληθοῦς ἐπίγνωσις· εὐδαιμονία δὲ, ταύτης τῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς σοφίας γέρας. *Philosophia est entis scientia, & veri cognitio: felicitas autem est huius scientiæ & sapientiæ præmium.* E

PHILOSOPHIÆ DESCRIPTIONES.

Vide sex definitiones Philosophiæ, in S. Ioannis Damasceni Dialecticâ, cap. 49. vbi prima ponitur, quę hîc à S. Iustino data est. Quin & quarta ex eodem Iustino collecta videri potest, nempe ista. *Philosophia est, Deo, quantum homini possibile est, assimilatio.* Nam Antonius Melissa lib. 2. serm. 43. hanc laudat, vt S. Iustini sententiam: *Finis Philosophanti est, Deo, quoad eius fieri potest, assimilari.* Quam sententiam græcè posui in fronte huius vitæ. Itaque hæc Philosophiæ definitio, siue potiùs descriptio, ex fine Philosophię à Iustino desumpta est.

Aliam definitionem profert B. Clemens Alexandrinus, in *Protreptico,* sub finem his verbis: Φιλοσοφία δὲ, ἥ φασιν οἱ πρεσβύτεροι, πολυχρόνιός ἐστι συμβουλὴ, σοφίας ἀΐδιον μνηστευομένη ἔρωτα. *Philosophia, vt aiunt veteres, est diuturnum consilium, quod æternum*

æternum ſapientiæ amorem ambit. N. diuturnum conſilium.i.longa meditatio. Et aliã lib.1. Pædagogi, cap. 13. Ἀυτὴν φιλοσοφίαν ἐπιτήδευσιν λόγου ὀρθότητος ἀποδιδόασιν. *Ipſam Philoſophiam tradunt eſſe ſtudium rectitudinis rationis.*

DEI DESCRIPTIONES. *ID QVOD EODEM MODO SEMPER SE HABET,&c.*] Deſcriptio eſt naturæ diuinæ, non definitio. Siquidem Deus cauſſam non habet, quã definiri à priori poſſit, vt loquuntur Dialectici; propterea a poſteriori,ſiue ex effectis ſuis & adiunctis deſcribendus eſt; vti hîc fit à Iuſtino. Nam eodem modo ſemper ſe habere eſt Dei proprietas, ſoli ipſi conueniens: cùm cetera omnia ſint mutabilia, Hinc pſalmo 101. de cælis ipſis dicitur. *Et ſicut opertoriũ mutabis eos,& mutabuntur: tu autẽ idẽ ipſe es; & anni tui nõ deficient.* Et Malachiæ 3. *Ego enim Dominus,& non mutor.* Illa autem pars: *Et alijs omnibus,vt ſint,eſt cauſſa*, ex effectis eius deducitur. Græcè ita Iuſtinus in *Tryphone*,ſub initium: Τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως ἀεὶ ἔχον, καὶ τοῦ εἶναι πᾶσι τοῖς ἄλλοις αἴτιον, τοῦτο δή ἐστιν ὁ Θεός. *Quod idem ſemper eſt, & eodem modo ſe habet, atque alijs omnibus cauſſa eſt, vt ſint, iſtud eſt Deus.* Vide alias Dei deſcriptiones apud B. Clementẽ Alexãdrinum, in Protreptico, poſt medium, quas à Platone, Xenophonte, Cleanthe, Pythagora inuentas idẽ auctor recitat. Vide & Lactantium lib. 1. *diuinarum Inſtitut.* ca.6. vbi Mercurij Triſmegiſti hæc de Deo verba: Ὁ δὲ Θεὸς εἷς· ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται· ἐστὶ γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. *Deus autem vnus: Vnus autem nomine non indiget. Eſt enim, qui eſt ſine nomine.*

Pſal. 101. ver. 27.

Malachiæ 3. ver. 6.

Egregius planè locus de Deo exſtat apud Arnobium, lib. 1. contra Gentes, ante medium, his verbis: *Prima*, inquit, *tu cauſſa es, locus rerum ac ſpatium, fundamentum cunctorum quæcũque ſunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumſcriptio qualitatis, expers quantitatis, ſine ſitu, motu,& habitu, de quo nihil dici & exprimi mortaliũ poteſt ſignificatione verborum; qui vt intelligaris, tacendum eſt; atque vt per vmbram te poſſit errãs inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutiendũ. Da veniã rex ſumme tuos perſequentibus famulos,&, quod tuæ benignitatis eſt proprium, fugientibus ignoſce tui nominis & religionis cultũ. Non eſt mirum ſi ignoraris: maioris eſt admirationis, ſi ſciaris.* Ita Arnobius.

Arnobius lib. 1. contra Gentes.

PRECATIO PRO PERSECVTORIBVS.

Præclarè & Tertullianus in *Apologetico aduerſus Gentes*, cap. 17. *Quod colimus nos*, inquit, *Deus vnus eſt: qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, Verbo, quo iuſſit; ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit; de nihilo expreſſit, in ornamentum maieſtatis ſuæ. Vnde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerunt. Inuiſibilis eſt, etſi videatur: incomprehenſibilis, etſi per gratiam repræſentetur: inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur. Adeo verus & tãtus eſt. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt; minus eſt & oculis, quibus occupatur & manibus, quibus contaminatur & ſenſibus, quibus inuenitur. Quod vero immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt hoc quod eſt: Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus obiicit & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Vide ibi plura.

Tertull. in Apolog. c. 17.

SS. PROPHETARVM ANTIQVITAS. g *FVERVNT QVIDAM, PRISCORVM ÆVO*. Sanctos Prophetas fuiſſe omnibus Philoſophis antiquiores probat fusè ipſe S. Iuſtinus, in *Cohortatione ad Græcos*, ante medium, vbi ex ipſis Gentilium hiſtorijs, Polemone ſcilicet, Apione, Ptolemæo, Mendeſio, Hellanico, Philochoro, Caſtore, Thallo, Alexãdro Polyhiſtore, perantiquis ſcriptoribus, & iam ipſa antiquitate deperditis, conuincit Moyſem omnibus Philoſophis externis, Poëtis, Hiſtoricis eſſe antiquiorem, eóſque ab illo mutuatos, ſi qua de Deo, diuiniſque rebus rectè dixerunt.

CASSIANI VETVSTI SCRIPTORIS LIBRI PERIERVNT. Idem de antiquitate pertractauit, in oratione ad Græcos poſt medium, Tatianus Aſſyrius, noſtri Iuſtini diſcipulus, & in hac ſcriptione imitator, vbi ſic eam partẽ exorditur: Νῦν δὲ προσήκειν μοι νομίζω, παραστῆσαι πρεσβυτέραν τὴν ἡμετέραν φιλοσοφίαν τῶν παρ' Ἕλλησιν ἐπιτηδευμάτων. *Nunc conueniens eſſe duco, vt Philoſophiam noſtram Græcorum ſtudijs antiquiorem eſſe oſtendam,&c.*

Idem S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus iſtis æqualis, lib. 3. ad Autolycum, ſub medium: Θέλω δέ σοι καὶ τὰ τῶν χρόνων, Θεοῦ παρέχοντος, νῦν ἀκριβέστερον ἐπιδεῖξαι, ἵνα ἐπιγνῷς, ὅτι οὐ πρόσφατος, οὐδὲ μυθώδης ἐστὶν ὁ καθ' ἡμᾶς λόγος· ἀλλ' ἀρχαιότερος καὶ ἀληθέστερος ἁπάντων ποιητῶν, καὶ συγγραφέων, τῶν ἐπ' ἀδήλῳ συγγραψάντων. *Volo autem tibi,& temporum rationem, donante Domino, exactiùs in præſenti demonſtrare: vt cognoſcas nec recentem, nec fabuloſam eſſe noſtram hiſtoriam, ſed antiquiorem ac veriorem omnibus & Poëtis & Hiſtoricis, qui incerta ſcripſerunt.*

Idem B. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatũ cap. 10. vbi id accuratè à Tatiano factitatũ, itémq; à Caſſiano, lib. 1. enarrationũ, memorat. Sed hi libri Caſſiani, eorúmque memoria (niſi hîc apud Clementem) adeo excidit, vt ne vllũ quidem veſtigium in Euſebio compareat: ac proinde nihil mirũ videri debeat, cùm auctores interdum nõnulli proferuntur, qui ante Euſebium fuerunt,& præteriti ſunt ab Euſebio: quemadmodum & Athenagoras, vir tantus & philoſophia, & eloquentia,& religione præteritus agnoſcitur.

Clementis autem verba sunt hæc: Περὶ τῶν κατὰ Μωϋσέα χρόνων ἤδη λεκτέον· δι' ὧν δειχθήσεται ἀναμφιλέκτως πάσης σοφίας ἀρχαιοτάτη ἡ κατὰ Ἑβραίους φιλοσοφία. εἴρηται μὲν οὖν περὶ τούτων ἀκριβῶς Τατιανῷ, ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας· εἴρηται δὲ καὶ Κασσιανῷ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἐξηγητικῶν· Ἀπαιτεῖ δὲ ὅμως τὸ ὑπόμνημα καὶ ἡμᾶς ἐπιδραμεῖν τὰ κατὰ τὸν τόπον εἰρημένα. *De temporibus Moysis iam dicendum. Quibus ostēdetur, citra controuersiam, quauis sapientia vetustiorē esse Hebræorum philosophiam. Dictum de his quidem accuratè à Tatiano in oratione aduersus Græcos: dictum & à Cassiano, in primo enarrationum: postulat tamen hic commentarius, vt & nos ea percurramus, quæ in loco dicta sunt.* Ita Clemens. Qui deinceps persequitur non Moysis tantùm, sed aliorum item Prophetarū tempora: cum quibus componit Auctores profanos, tam Poëtas, quam Philosophos, & Græciæ sapientes. Estque hic tractatus vtilissimus ad cognoscendum, qui Auctores antiqui fuerint, & quo quisque vixerit tempore.

Idem tractat Tertullianus in *Apologetico*, cap. XIX. *Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. Apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus asserere*, &c.

g *VIRI BEATI, IVSTI, DEO CARI, QVI SPIRITV SANCTO AFFLATI, &c.*] Similia de spiritu Prophetarum, *in Legatione pro Christianis* attigit sæpe laudatus Athenagoras, cùm ita ad Imperatores: Νομίζω καὶ ὑμᾶς, φιλομαθεστάτους καὶ ἐπιστημονεστάτους ὄντας, οὐκ ἀνοήτους γεγονέναι οὔτε τῶν Μωσέως, οὔτε τῶν Ἠσαΐου καὶ Ἱερεμίου, καὶ τῶν λοιπῶν προφητῶν, οἳ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν, κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου πνεύματος, ἃ ἐνηργοῦντο, ἐξεφώνησαν· συγχρησαμένου τοῦ πνεύματος, ὡς εἰ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν, ἐμπνεῦσαι. *Equidem & vos arbitror, vtpote studiosissimos atque doctissimos, neque Moysis, neque Isaiæ, aut Hieremiæ, aliorúmne Prophetarum libros ignorare, qui à sensibus abstracti, diuino eos spiritu commonente, ea quæ cælitus percipiebant, eloquebantur: quum illis Spiritus, velut auletes tibiâ, vteretur.* Imitatus est Tertullianus in *Apologetico*, cap. XVIII. vbi sic de iisdē Prophetis: *Viros enim*, inquit, *iustitia & innocētia, dignos Deum nosse & ostendere, à primordio in sæculum emisit diuino spiritu mundatos, qui prædicarēt Deum vnicum esse, qui vniuersa condiderit, qui hominem de humo struxerit (hic enim est verus Prometheus, qui sæculum certis temporum dispositionibus & exitibus ordinauit) exinde, quæ signa maiestatis suæ iudicantis ediderit per imbres, per ignes, quas demerendo sibi disciplinas determinauerit, quæ ignoratis & desertis, &c.* Et paullò pòst de iisdē: *Quos diximus prædicatores*, inquit, *Prophetæ de officio præfandi vocantur. Voces eorum, itemq́; virtutes, quas ad*

Athenagoræ verba in Legatione pro Christianis.

A *fidem diuinitatis edebant, in thesauris litterarum manent: nec ista nunc latent.* Ita ille.

Etiam Iustino similia de Prophetis habet Lactantius Firmianus, lib. 1. *Diuinarum Institutionum*, cap. 4. *Quippe qui vnius Dei spiritu pleni*, inquit, *quæ futura essent, pari & consona voce prædixerunt.* Et infra: *Atqui impleta esse in plerisque quotidie illorum vaticinia videmus, &c.*

Lactantius lib. 1 Diuinarum Institutionum. cap. 4.

h *NAM ET QVÆ ANTEHAC EVENERVNT, ET QVÆ ETIAMNVM EVENIVNT, &c.*] Eleganter hāc rationem expressit Tertullianus in *Apologetico*, cap. XX. *Quid delinquimus, oro vos*, inquit, *futura quoque credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere*, id est, Veritas præteritorum & veritas præsentium, faciunt, vt credamus Prophetis, etiam de veritate futurorum. Nam ex iis quæ prædixerant, iam aliqua euenerant, iam aliqua eueniebant, alia post euentura erant: ita vt ad hęc vltima credenda, ex duobus prioribus quasi gradibus, nempe ex iis quæ euenerant, & in dies eueniebant, haud difficilis esset ad euntura ascensus.

Tertull. in Apologetico cap. 20.

B C

i *QVANQVAM VEL OB SOLA MIRACVLA*] Nota sunt Moysis coram Pharaone & in exitu Ægypti atque in deserto miracula. De his enim præcipuè hic loqui Iustinus credendus est, cùm præcipue de Moyse meminerit. Vide ea miracula Exodi cap. 7. 8. 9. 10. & 11. Sanctorum autem Heliæ & Helizæi miracula omnia breui carmine complexus est Beatus Gregorius Nazianzenus. Vide eius Iambicum 17. quod sic incipit:

D

Τοσαῦτα θαύμαθ' Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου.
Κόραξι πρῶτον ἐτράφη· καὶ δ' ὕστερον
Ἔθρεψε χήραν πλουσίως Σαραφθίαν
Μικροῖς ἐλαίου, καὶ ἀλεύρου λειψάνοις. &c.

Gregor. Nazianz. in Iambico 17.

E

Hæc mira sanctus Helias quondam edidit:
Primò huncce coruus aluit: ac Saraphthiam
Pòst ipse viduam nutriit perquam ampliter
Olei & farinæ reliquiis paucissimis, &c. Vide ibi reliqua.

k *QVOD CERTE FALSI ILLI PROPHETÆ, &c.*] Quæstio hic examinatu digna suggeritur: *An Pseudoprophetæ possint facere miracula?* Hoc enim videtur innuere hic Iustinus, cùm dicit in *Tryphone* sub initium, audere etiam illos facere miracula ad stuporem hominum, cùm interim malignos spiritus glorificent: veros autem Prophetas simul cum miraculis glorificare Deum patrem vniuersorum, & Christum eius filium annunciare.

DISCRIMEN INTER VEROS PROPHETAS ET FALSOS.

F

Totus S. Iustini locus ita habet: Καί τοί γε καὶ διὰ τὰς δυνάμεις, ἃς ἐπετέλουν, πιστεύεσθαι δίκαιοι ἦσαν. ἐπειδὰν καὶ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων θεὸν καὶ πατέρα ἐδόξαζον, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ Χριστὸν υἱὸν αὐτοῦ κατήγγελλον· ὅπερ οἱ ἀπὸ τοῦ πλάνου καὶ ἀκαθάρτου

ἀκαθάρτου πνεύματος ἐμπεπλησμένοι ψευδο-A προφῆται οὔτε ἐποίησαν, οὔτε ποιοῦσιν· ἀλλὰ δυνάμεις τινὰς ἐνεργεῖν εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνθρώπων τολμῶσι, καὶ τὰ τῆς πλάνης πνεύματα καὶ δαιμόνια δοξολογοῦσιν. *Et hi ſane* [Prophetæ] *propter virtutes, quas faciebant, fide digni erant: ſiquidem & omnium factorem ac parentem glorificabant, & miſſum ab eo Chriſtum eius filium annuntiabant. Quod Pſeudoprophetæ plano & impuro ſpiritu pleni, nec fecerunt, nec faciunt: ſed virtutes quaſdam efficere ad ſtuporem homi-*B *num audent, & ſpiritus erroris ac dæmonia glorificant.* Quibus in verbis notandum, quòd de veris Prophetis dicit δυνάμεις ἐπιτελεῖν, virtutes facere; de falſis autem δυνάμεις ἐνεργεῖν. virtutes efficere. Quæ duo idem ſunt apud SS. Patres. Videtur autem S. Iuſtinus tantùm ponere diſcrimen in eo, quòd hi miracula faciant, vt in ſtuporem homines rapiant; iſti verò non item; ſed vtilitatis, aut honoris Dei gratia. Verùm C malus finis non impedit, quo minùs ſint vera miracula, ſi aliunde nihil deſit. At verò, inquiunt alij, cùm Iuſtinus vtatur antitheſi, & præmiſſo veros Prophetas edere miracula, & glorificare Deum; de falſis ſubiungat: *Quod Pſeudoprophetæ nec fecerunt, nec faciunt:* videtur illud, *quod*, referri ad totum quod præceſſit; nempe, tam ad *edere miracula*, quàm ad *glorificare Deum*, & negare Pſeudoprophetas tam vnum, quàm alte-D rum facere; ſed tantùm δυνάμεις τινὰς ἐνεργεῖν εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνθρώπων, *virtutes quaſdam efficere ad ſtuporem hominum.* Vbi iſtud *quaſdam* & illud *ad ſtuporem hominum* videntur derogare ipſorum miraculis, & innuere, ſpeciem habere quidem miraculorum, non verò eſſe abſolutè miracula: licet S. Iuſtinus eadem voce δυνάμεις *virtutes*, vtatur.

Quare cùm ambiguus ſit Iuſtini locus, E hæc aptè nobis formabitur

QVÆSTIO.

Poſſintne interdum homines improbi, & pſeudoprophetæ, & infideles, & hæretici, vera miracula facere?

DE falſis enim miraculis nullus dubitat: de veris autem eſt non parua in-F ter magnos auctores controuerſia, tam ob dubia quædam ſacræ Scripturæ loca, quàm ob variam Sanctorum Patrũ, & diuinæ legis interpretum auctoritatem; à quibus nonnulla videtur eiuſmodi hominibus miraculorum poteſtas attribui.

MIRACVLORVM POTESTAS DVPLEX

Verùm in illius poteſtatis diſtinctione, vt quidem arbitror, conſiſtit tota, aut ſaltem præcipua quæſtionis huius reſolutio. Nam cùm duplex aſſignari poſſit talium ſignorum poteſtas: vna ordinaria, & quę frequenter in opus exeat, Deo ſcilicet in caris ſibi hominibus benignè liberaliterque operante: altera extraordinaria, & quæ rariſſimè, vixque multis in ſæculis ſemel atque iterum ab alienis vſurpetur, Deo nimirum in certæ ſortis aut ſectæ hominibus parcè ac reſtrictim quodammodo ſe habente: non eſt dubium, quin prior illa poteſtas in ſola vera eccleſia & Catholicis hominibus reperiatur: altera autem, quin ſubinde in iſtis alijs inueniri poſſit, Deo certas ob cauſſas id permittente, nihil obſtat: accedente præſertim hac Dei opt. max. cura ac prouidentia, vt nullum vnquam in falſæ fidei confirmationem patrari ſinat miraculum.

De poteſtate autem extraordinaria, in rebus religioni nihil officientibus, hiſce probari poteſt rationibus:

1. Quia Matthæi 7. id videtur indicari illis verbis: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos.* Matt. 7. ver. 22 & 23.

Vbi nota vocem *Nunquam*, id eſt, ne tum quidem, cùm virtutes in nomine meo faceretis; quia ſcilicet prædíti caritate non eratis, ſine qua Deus neminem nouit, notitiâ ſcilicet amicitiæ ac beneuolentiæ.

Hunc porrò Matthæi locum accipiunt SS. Patres de veris miraculis, itemque alij ſacræ ſcripturæ interpretes. Collegit S. Thomas in *Catenâ aureâ*, SS. Patrum ſuper hac ſententia auctoritates, Chryſoſtomi, Hilarij, Auguſtini, Hieronymi, aliorum: vbi Hieronymus quidem, *Nam & Saul*, inquit, *& Balaam, & Cayphas prophetauerunt; & in Actibus Apoſtolorum, Filij Sceuæ videbantur eijcere dæmonia, & Iudas Apoſtolus cum animo proditoris, multa ſigna inter ceteros Apoſtolos feciſſe narratur.*

IMPROBI ET PECCATORES POSSVNT FACERE VERA MIRACVLA.

2. Probatur ex illo S. Pauli 1. ad Cor. 13. *Et ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* 1 ad Cor 13. ver. 2.

Quo loco vtitur S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. vbi etiam docet à peccatoribus fieri poſſe miracula ad inuocationem alicuius ſancti. Pulchra de miraculis habet D. Aug. in lib. 83. quæſtionum, quæſtione 79. vbi inter alia, ad illud Matt. 24. *Surgẽt enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia; ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* ita ſubdit: *Admonet vtique, vt intelligamus quædam miracula etiam ſceleratos homines facere, qualia ſancti facere non poſſunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum eſſe arbitrandi ſunt.* Et infrà: Matthæi 24. ver. 24.

MIRACVLA PATRANTIVM DIVERSITAS.

Quapropter aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani: magi per priuatos contractus: boni Christiani per publicam iustitiam: mali Christiani per signa publicæ iustitiæ. Nec mirum est, quòd hæc signa valent, cum ab eis adhibentur, quando etiam cùm vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.

3. Quia sicut Dominus potestatem dedit Sacerdotibus, quamuis malis, quamuis hæreticis, si modò antè initiati legitimè sacerdotio fuerint, vt Venerabilem Eucharistiã, quæ miraculum est miraculorum, verè cõficiant; ita si cui potestatem miraculorum stabilem ac permanentem dedisset; posset is non impediente hæresi aut vitæ prauitate, in nomine Christi, aut per alia signa publicæ iustitiæ, vt vocat S. Augustinus, hoc est, per signum sanctæ Crucis, aut sacramenta, aut verba sacra, virtutes patrare, vt conferre sanitatem, *&c.*

E SOLIS MIRACVLIS NON POTEST CERTO COGNOSCI VITÆ ALICVIVS SANCTITAS.

Quare ex solis miraculis qualibet de caussa patratis, non potest certò & indubitatè colligi vera alicuius religio, aut vitæ sanctitas; sed tum demum vera fides moraliter saltem certa est, cùm miraculis salutaribus, & ad Dei gloriam factis, honestas morum coniuncta est. Id quod Iustinus martyr, in loco suprà adducto, veris Prophetis attribuit, cùm dixit eos non tantùm miracula patrasse, sed & Deum glorificasse: quod intelligendum est, non sermone tantùm, sed etiam moribus, quę demum vera est Dei glorificatio.

Huic porrò doctrinæ admodum conformis est illa S. Anastasij Sinaitæ, in libro, qui inscribitur Ὁδηγὸς, *Via dux*, & græcolatinus est à nostro Iacobo Gretsero editus. Ibi enim in responsione ad Quæstionem xx. vbi quærebatur, *quanam virtute fieret, vt qui à vera fide alieni sunt, & improbe viuunt, sæpe prophetent & miracula faciant*, hæc habet inter alia (dabo enim præcipua tantùm, & latinè solummodò breuitatis gratiâ) hæc, inquam, habet, *Signa, & miracula, & futurorum prædictiones sæpe fiunt propter necessitatem aliquam aut dispensationem; sicut in Balaam & Pythonissa.* Et paullò pòst:

Quando ergo videris & per hæreticos & per incredulos diuino aliquo iudicio fieri aliquod signum, ne obstupescas, aut à recta fide dimouearis. Sæpe enim & fides eius, qui accedit, est ea, quæ signum facit, non autem dignitas eius qui fecit. Ioannes certè, qui omnibus inter natos mulierum maior fuit, nullum fecisse signum cernitur: Iudas autem omnino fecit. Nam ipse quoque erat cum alijs, qui missi sunt ad mortuos suscitandos, & leprosos mundandos. Quamobrẽ ne magnum quid existimes, si videris aliquem A *indignum, aut à rectâ fide alienum, signum facere. Nam neque orthodoxi hominis sanctitas ex signis aut prophetijs: sed ex bona puraque vita æstimari debet. Multi enim sæpe non solùm orthodoxi peccatores, sed etiam hæretici & infideles fecerunt miracula, & prophetarunt ex diuina permissione & concessione. Nam in Balaam, Saule, Nabuchodonosor, & in Caipha, Spiritus sancti operationem agnoscimus, propter caussas rationi consentaneas, licet ipsi essent* B *indigni & profani.* Hæc S. Anastasius.

Quamuis autem alijs de caussis improbi & à fide alieni facere possent vera miracula: nunquam tamen vel vnicum ad sui confirmationem erroris, licet id fortè prætendere, & ementiri in ijs, quæ patrarent, miraculis possent.

Sed quęritur hîc à nonnullis, quamobrem si & ab improbis & à fide dilapsis, per occulta Dei iudicia, vsurpari signorum & C prodigiorum potestas aliquando possit, rectè inter notas ecclesiæ numeretur?

MIRACVLORVM PATRATIO QVOMODO DICI POSSIT NOTA VERÆ ECCLESIÆ.

Cui facilis est & expedita responsio. Quia nimirum id non desinit alicuius rei nota esse, quod illi omnibus sæculis & sæpissimè conuenit, quamuis idem semel fortè atque iterum intra plurima sæcula, idque extraordinaria Dei Opt. Max. permissione, possit ab alieno vsurpari. Nam & certis nationibus sua vestimentorum genera, D notæ quædam sunt, quibus ab alijs gentibus distinguantur: & linguarum item certę proprietates, quibus à populis extraneis dignoscantur: quæ sanè quidem veræ notæ & vera signa esse non desinunt, licet interdum vnus & alter alienigenarum, eodem, quo illæ nationes, vel habitu, vel sermone abutatur. Ita ergo & miracula, quæ veram Dei ecclesiam, ab eius infantia per omnes ætates comitata sunt, hodiéque ita comi- E tantur, vt alibi ea videre *coruo sit rarius albo*, non propterea veræ ecclesiæ signa esse desinunt, quòd non repugnet per alienos interdum, si Deus permiserit, ea designari. Neque enim à casibus extraordinarijs & extrema Dei permissione res aliquæ censendæ aut distinguendæ sunt: sed ab eo, quod frequens & vsitatum. Iam autem quod est sæculum, in quo non plures in vera ecclesia prodigiosæ virtutes enumerari F possint, quàm anni aut menses? Abstineo exemplis, ne actum agam. Sunt enim sanè quàm multi, qui hanc per sæcula recensionem ex instituto sunt aggressi.

Adde (quod, vt mihi quidem videtur, rei caput est) ideo vsum miraculorum rectè dici & esse notam ecclesiæ: quòd nusquam alibi ad confirmationem doctrinæ ea patrata sint, nec patrari possint: cùm tamen constet, quotiescumque aut hæresis, aut prauus error, cum fidei veritate in arenam descen-

descenderit, & signorum armis bellatum sit; semper aduersarios è campo inferiores excessisse.

Denique visus est ipse Dominus miracula & prodigia veræ fidei notam statuisse ac designâsse, cùm Apostolos suos ad disseminationem mittens euangelij, ita dixit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eycient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quæ cùm miraculorum vim ac facultatem non obscurè fidelibus attribuât, velim equidem, (& faxit Deus, ita eueniat!) vt à nostra fide & ecclesia alieni, cùm hæc scripturæ verba, tum etiam Apostolorum, eorúmque omnium, qui primi externas barbarásque gentes fidei luce illuminârunt, potestatem miraculorum cum animis suis seriò meditati fuerint: ita inter sese exquirant! Ecquidnam, amabo, dicemus esse caussæ, quamobrem in tanta Doctorum nostrorum & Ministrorum copia, qui se præ antiquis Patribus & sanctis Ecclesiæ Doctoribus clauem scientiæ inuenisse prædicant, nullus dum vnus inuentus sit tanta fide ac vitæ sanctimonia, vt vel ad suam doctrinam confirmandam, vel ad veterem reformandam, in tanto præsertim, quantum ab illis audimus, rerum sacrarum inter Papistas abusu, vel mediocre saltem aliquod miraculum posset designare? quò nimirum & omnis inducta ab illis superstitio deperiret, & noui lux euangelij in tanta cæcutientis mundi caligine splendidiùs emicaret. Quòd si nobis, qui è plebe & vulgo sumus, ea denegatur gratia; qui fit tamen, vt nostris patriarchis, seu Caluino, seu Bezæ, seu nostro etiã Abrahamo Sculteto, non aliqua saltem miraculorum mica, ad efficacem collabascentis veræ fidei restitutionem, concedatur? Eadem enim propè ratio esse debet ecclesiam instaurãtium, quæ illam aut fundantium fuerit, aut confirmantium. Atqui omnes fundatores, siue Apostoli fuerint, siue eorum Discipuli, cùm ad fungendum suę legationis munus mitterentur, instructi miraculis & prodigijs fuerunt. Ac de primo quidem sæculo res est luce clarior, nec audent magistri nostri, propterea quòd è sacra scriptura, & nominatim ex actis Apostolorum, conuincerentur, infitiari. De secundo autem, & tertio, & cõsequentibus sæculis, licet sacræ scripturę nos deficiant, tamen libri sanctissimorum virorum ac fortissimorum martyrum, qui de miraculis suo æuo factis testantur, in promptu sunt. Quibus, si, quia non sunt scripturæ sacrę, non credimus; eâdem viâ, neque Caluino, neque Bezæ, neque Sculteto cur fides nobis attribuenda sit, habebimus. Et hi sanè non possunt non magni facere S. Iustinũ Martyrem, S. Irenęũ item Episcopum & Martyrẽ, & alios eiusmodi ętate & sanctitate illis pares, quorum etiam medullas noster rimatus est Scultetus. Qui si fide digni sunt (nam si non sint, qui erunt? cùm & ecclesiam sanguine suo purpurârint) fateri sanè debebimus non esse contemnenda in ecclesia miracula, quæ & ipsi magni fecerunt, & vigere inter Catholicos sua ætate conscripserunt. Nam Iustinus quidem in apologia *Ad senatum* id planissimè testatus est, cùm dixit:

Complures à dæmonibus correptos, & in orbe toto, & in hac vrbe vestra, quos alij omnes adiuratores, & incantatores & venefici curare nequiuerunt, multi è nostris hominibus Christianis in nomine IESV Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurantes curauerunt, atque etiamnum curant, exarmatis atque exactis, qui homines illos occupabant dæmonibus. Similia, nî fallor, & magnus Irenæus scriptis prodidit. Quibus sanè dubito, an non magis quàm Doctoribus nostris applicare fidem debeã: quippe proximis Apostolorum æuo, & doctissimis simul atque sanctissimis. Vt aqua enim, quo fonti suo & origini est proprior, hoc & purior; sic & Christi doctrina: quippe quæ aquæ viuæ & in vitam æternam salienti à Domino ipso comparetur. Nec est, quòd in canales culpa referatur; quasi illius aquæ puritas illorum fæce inquinata sit. Nam & hoc in nostros Ministros & Superintendentes fortiùs retorqueretur. Nam si Iustinus, si Irenęus, si alij illis pares, quorum in vita nihil obseruatum est, nisi sanctum, nisi pudicum, nisi ex optima Christi disciplina profectum, si illi, inquam, qui & sanguine suo quasi rutilanti vermiculo ecclesiam colorârunt; tamen fæcis aliquid ac limi habuerunt: Deus bone! quam fęculenti canales erunt Doctores nostri, quorum vitam cum sanctis illis comparare, non ego, non alius, non ipsi audeant? Denique cùm antiqui illi Patres admodum casti & spiritales exstiterint, ac tales etiamnũ filios suos habere Catholica ecclesia velit & conetur: certè canales nostri seu ministri nostri (audebo enim, quamuis pudendum sit, dicere) hodie valde sunt carnales: quando & ipse Scultetus laudatam à sanctissimo Iustino cælibatus castimoniam, haud veritus est *corruptela* vocare *præludium*. Quod quid est aliud, quàm carni & sanguini proludere? quàm à virginitate, (ad quam & Paullus & Dominus, velut ad rem perfectam, hortati

Matthæi 15. ver. 16 & seqq.

HÆRETICORVM PROSOPOPOEIA, SVPER MIRACVLIS.

HÆRETICORVM PATRIARCHÆ EXPERTES MIRACVLORVM.

Iustinus in Apologia ad senatum.

HÆRETICI CARNALES.

A B C D E F

tati sunt) inflato classico dehortari? quàm denique ab arcta via ad latam & spatiosam deuocare? A

Hæc igitur & eiusmodi alia, inter nos & se, tam vitæ, quàm doctrinæ discrimina si homines à fide deuij secum sollicitè expenderent, ac se totos ad exquirendam veritatem traducerent; magna haud dubiè in meliorem viam fieret, Deo duce, transmigratio.

Atque, vt ad Iustinum & eius de miraculis opinionem redeam, non me fugit inter eius opera, librum *Quæstionum & responsionum ad orthodoxos*, vnam continere quæstionem inter alias, quę videatur vel pro hæreticorum miraculis aliquid facere, vel certè nostris nonnihil derogare: cùm tamē id minimè (quantum quidem ad veram fidem doctrinámque attinet) faciat. Quod ego in præsenti, post allatam totidem verbis eam quęstionem, conabor ostendere. Est enim, meo quidem iudicio, longè satius, difficultatum nodos tempestiuè, cùm possis, exsoluere: quàm intricatos, tacendo & dissimulando, præterire. B C

Sic igitur habet quæstio in Operibus S. Iustini:

Quæstio v. Ἐρώτησις ε.

HÆRETICORVM MIRACVLA.

SI in ecclesijs hæreticorum virtutes fiunt vt morborū sanationes, impurorum spirituum expulsiones, fructuū terrę prouentus, & olei scaturigines; quomodo necesse non est, illos ex ijs in errore confirmari?

Εἰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις αἱρετικῶν δυνάμεις ἐνεργοῦνται, οἷον νοσημάτων ἰάσεις, καὶ πνευμάτων διωγμοὶ ἀκαθάρτων, καρπῶν γῆς φορά, καὶ ἐλαίου ἀναβλύσεις, πῶς οὐκ ἀνάγκη ἐκ τούτων ἐν τῇ πλάνῃ βεβαιοῦσθαι ἐκείνους; D E

Responsio. Ἀπόκρισις.

QVemadmodū oriri solem super malos & bonos, & pluere super iustos & iniustos, non confirmat malos & iniustos in sua malitia & iniustitia; sed ad iustum præparat supplicium: ita hęreticos in errore non confirmat, quòd inter illos nonnulli virtutes efficiant. Si enim virtutes efficere, demonstratio esset, signumque religionis, mini-

MIRACVLA NON SVNT CERTA SIGNA VERÆ RELIGIONIS.

Ὥσπερ τὸ ἀνατέλλειν τὸν ἥλιον ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχειν ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, οὐκ ἔστι βεβαιωτικὸν πονηρῶν καὶ ἀδίκων ἐν τῇ πονηρίᾳ καὶ ἀδικίᾳ, ἀλλὰ παρασκευαστικὸν εἰς δικαίαν τιμωρίαν· οὕτως οὐκ ἔστι βεβαιωτικὸν τῶν αἱρετικῶν ἐν τῇ πλάνῃ, τὸ ἐνεργεῖν τινὰς ἐν αὐτοῖς δυνάμεις. Εἰ γὰρ ἦν ἀπόδειξις καὶ σημεῖον εὐσεβείας τὸ ἐνεργεῖν δυνάμεις, οὐκ ἂν F

ὁ κύριος ἀδοκίμους τε καὶ ἀναξίους τῆς πρὸς αὐτὸν οἰκειώσεως ἀποφαίνεται τοὺς εἰρηκότας· Κύριε, κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν· λέγων πρὸς αὐτούς· οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς· ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.

mè eos Dominus reprobos, suáque indignos familiaritate ostendisset, qui dixerunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? dicens illis: nunquam noui vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem.*

Ex hac ergo responsione duo ab aduersarijs sumuntur: vnum, admitti in ecclesijs hæreticorum miracula: alterum, miracula non esse demonstrationes, aut signa veræ religionis.

Verùm ex ijs, quæ paullò antè diximus, facilis patet ad vtrumque responsio. Nam, vt demus facta esse interdum priscis illis temporibus, aut fieri posse aliqua ab hæreticis miracula; id sanè ita rarum, ita est extraordinarium, vt non facultas ipsis data in fidei testimonium; sed permissio facta in grauius iudicium, vel ex ipsis Domini verbis è Matthæo iam positis sat intelligatur. His verò sæculis & his hæresibus factum ab hæretico audire miraculum, id quidem sanè vel ab ipsismet pro ingenti ac stupendo duceretur miraculo. At in Catholica ecclesia, & locis plurimis, & annis omnibus, & multa quidem, & magna; publicisque ea litteris & idoneis testibus consignata creberrimè audiuntur.

Ad alterum porrò membrum, quo videtur auctor illius responsionis, ex Domini verbis probare velle, miracula non esse notas veræ religionis, hoc equidem habeo dicere: illum Auctorem, quisquis sit (Iustinum enim haud certò ausim asserere) non negare, miracula esse veræ religionis notas; sed tantùm non esse omnino certas atque indubitatas, si solitariè accipiantur. Propterea enim verbo ἀποδείξεως vtitur, quod demonstrationem significat, & certitudinem importat. Signa item in duplici sunt genere: quædam prorsus certa & euidentia; quædam tantùm probabilia. De prioribus igitur intelligenda sunt respondentis verba, non de posterioribus. Sunt enim miracula, in genere loquendo, signa probabilia veræ religionis, prout in ecclesia ex potestate ordinaria fiunt; non verò vt extra illam, permissione extraordinaria: tunc autem probabilissima, adeóque certissima; cùm ad veræ fidei contestationem, & litis inter partes diremptionem destinantur.

MIRACVLA QVALES SINT NOTÆ RELIGIONIS.

Responderi etiam potest, si quando fortè

tè aliquibus hæreticis potestas fuerit miraculorum, eam non tum illis datam esse, cùm iam essent hæretici; sed cùm adhuc in ecclesia Catholica versarentur; post defectionem verò aliquamdiu fortasse in illis perseuerâsse, seu diuinæ patientiæ & longanimitatis specimen, seu grauioris eorum supplicij, nisi resipiscerent, argumentum. Nam id partim è quæstione centesima, partim ex eius responsione colligitur. Ibi enim quæritur, quamobrem, cùm Deus ab initio gratiam miraculorum orthodoxis ad fidei confirmationem contulerit, non etiam quando ipsi ab ea defecerunt, & hæretici facti sunt; ab ipsis miracula defecerint? Responsio autem innuit Deum non patrâsse miracula per hæreticos, nec per viuos, nec per mortuos. Sic enim habet responsio:

Εἰ μὲν διὰ τῶν αἱρετικῶν ζώντων ἢ ἀποθανόντων, ἡ θεία χάρις ἐνήργει τὰ χαρίσματα, εἶχεν ἂν τὸ γινόμενον, εὔλογον ἀπορίαν· εἰ δὲ οἱ τὰ θεῖα θαύματα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐνεργοῦντες, ἅγιοί εἰσιν Ἀπόστολοι, Προφῆταί τε, καὶ Μάρτυρες, ὧν τοῖς θείοις ἔργοις διαμαρτύρεται τῷ κόσμῳ ὁ Θεὸς ἐκείνων εἶναι τὰς ἐκκλησίας, δι᾽ ὧν θαύματα ἐκτελεῖται, τουτέστι, τῶν ὀρθοδόξων.

Si quidem per hæreticos viuos aut mortuos diuina gratia effecisset miracula; haberet ea res prudentem dubitandi ansam: sin ij, qui in ecclesijs diuina edunt miracula, sunt sancti Apostoli, Prophetæ, & Martyres; horum diuinis operibus testificatur mundo Deus, eorum esse ecclesias, per quos miracula patrantur, hoc est, orthodoxorum.

Quæ responsio ne aduersetur superiori eiusdem Auctoris, sic capienda erit, vt ideo neget per hæreticos, seu viuos, seu mortuos fieri miracula; quia tam rarò, vt suprà dictum est, & tam extraordinariè per illos, & è contrario per Catholicos tam crebrò & ordinariè fiant; vt absolutè dici possint, & hi miracula facere, & illi non facere. Tametsi, vt de antiquis taceatur hæresibus, quis est è Lutheri aut è Caluini scholâ, qui vllum vnquam ab ijs factum esse miraculum, aut ab vno aliquo sectatorum, dicere audeat? Vnde, si illa eadem dici debet ecclesia, in qua idem spiritus & eadem gratiarum dona perseuerant; certè eadem non est Apostolorum & Lutheranorum: eadem non est Apostolorum & Caluinistarum. Ibi enim gratiæ multæ; hîc nullæ: ibi laus & commendatio virginitatis ac cælibatus; hîc contemptus & vituperium. Sed de his hactenus.

Hoc vltimum dumtaxat moneo, quæstiones illas CXLVI. ad orthodoxos, quæ sunt inter opera Iustini, vel eius non esse, prout nunc exstant, vel certè non omnes, vel non incorruptas. De quo pluribus suprà egi, in Recensione librorum. Vide caput XXV.

l *VERVM ANTE OMNIA*, inquit, *DEVM DEPRECARE, &c.*] Benè monuit senex ille, vt ante omnia Iustinus lucem à Deo precationibus efflagitaret. Nisi enim Deus ipse hominis mentem illuminârit, frustra est omnis sermo & doctrina, & adhortatio humana; cùm agnitio veritatis fide nitatur, fides autem sit donum Dei: dona autem non dentur, nisi petentibus: iuxta illud: *Petite & accipietis.* Petere porrò, vt decet, est prece humili, feruida, constanti postulare. Petijt ergo sic Iustinus, & obtinuit. Hinc id addiscendum est, non esse meliorem, nec propiorem viam ad intelligentiæ lumen in rebus difficilibus, vt res sunt fidei & salutis nostræ, impetrandum, quàm bonas preces. Sic multi Sanctorum diuinam lucem impetrârunt, & res alioqui obscurissimas atque abditissimas illustratæ mentis acumine penetrârunt.

FIDES PRECATIONIBVS EXPOSCENDA EST.

Quare vbi infidelium aut hæreticorum salus agetur, monebit is, qui eos ad fidem volet conuertere, vt sedulò ante omnia lumen intelligentiæ frequenti ac submissa precatione à Deo expostulent.

m *TIBI VT PORTAS LVCIS APERIAT*] id est, vt te illuminet. Sic dixit Arnobius, *aperire pietatis ianuas*, id est, docere pietatem. Ita enim lib. 1. aduersus gentes, sub finem: *Ergóne ille religionis & impietatis auctor arguitur, qui veram in orbe religionem induxit? qui hominibus cæcis & re vera in impietate degentibus, pietatis aperuit ianuas? cui se submitterent, indicauit?* Sic ille. Ita dixit & S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, ἀνοῖξαι τῶν νοημάτων θύραν. *aperire intelligentiæ ianuam.* Sic enim scripsit lib. 3. epist. 92. sub initium: Ὡς ἂν οἷός τε ὦ, πειράσομαι λαμπρὰν σοι ἀνοῖξαι τῶν νοημάτων τὴν θύραν. *Quantum potero, conabor claram tibi aperire intelligētiæ ianuam.* Ita & Georgius Pisidas suum de vanitate mundi opusculum incepit:

Arnobius lib. 1. aduersus Gentes.

S. Isidorus Pelusiota. lib. 3 ep. 92.

Ἀνοῖξον ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ τὰς πύλας,
Ὁ τῆς ὄνου πρὶν διανοίξας τὸ στόμα.
Ratiocinandi pande tu nobis fores,
Asinæ profandi qui ora pandisti priùs.

Quomodo autem aperiuntur lucis portæ, nisi claue fidei? Rectè enim Clemens Alexandrinus sub initium admonitionis ad gentes: Λογικαὶ γὰρ αἱ τοῦ λόγου πύλαι, πίστεως ἀνοιγνύμεναι κλειδί. *Rationales enim sunt Rationis portæ, quæ aperiuntur claue fidei.* Et cùm Christus sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem: itemque ostium, iuxta illud Ioan. 11. *Ego sum ostium.* Nihil, nisi fides, hoc ostium aperit, hanc lucem ostendit.

Clemens Alexand. in Protreptico.

n *CONFESTIM, POST SENIS ILLIVS VER-*

Lucæ cap. vltimo, ver. 32.

VERBA, IGNIS QVIDAM, &c.] Nota A hinc è bonis collocutionibus accendi ignem in pectoribus. Nec enim de Christo tantùm loquente dici potest: *Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Lucæ vltimo: sed etiam de fidelibus Christi seruis sermones pietatis ferentibus. Vidi enim, vidi ego non rarò nonnullos talibus concalefactos collocutionibus, ab animi secundùm mensam aut inter deambulationem amica recrea- B tione, sic ad studia sua & musæa quasi a templo & feruidis comprecationibus recedere.

SCRIPTVRÆ SACRÆ LAVS.

o *TIMOREM ENIM QVENDAM IN SE CONTINENT*] Præclara hic sacræ scripturæ & diuinorum verborum laus continetur: quòd scilicet timorem pariant salutarem: quòd ab errore reuocent: quòd ea crebrò meditantibus, quietem afferant multò suauissimam. Verba ipsa Iustini C in *Tryphone* sunt hæc: Βουλοίμην δ' ἄν, καὶ πάντας ἴσον ἐμοὶ θυμὸν ποιησαμένους μὴ ἀφίστασθαι τῶν τοῦ σωτῆρος λόγων. Δέος γάρ τι ἔχουσιν ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἱκανοὶ δυσωπῆσαι τοὺς ἐκτρεπομένους τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ. ἀνάπαυσίς τε ἡδίστη γίνεται τοῖς ἐκμελετῶσιν αὐτούς. *Quàm vellem porrò*, &c. vt habetur in vitæ contextu. Nihil enim hic repetito opus. At verò locum alium eiusdẽ Iustini huic similem, immo haud paullò pulchriorem, nefas fuerit tacitũ omittere, D cùm ad laudem doctrinæ Christianæ & verborum Domini plurimùm faciat. Is est in extremo eius *Elencho*, vbi inter alia de diuino Christi sermone atque doctrina sic exclamat: Ὢ παθῶν δεινῶν φυγαδευτήριον· ὢ πυρὸς ἐμψύχου σβεστικὸν διδασκάλιον, ἥτις οὐ ποιητὰς ποιεῖ, οὐ φιλοσόφους κατασκευάζει, οὐδὲ ῥήτορας δεινούς· ἀλλὰ παιδεύουσα ποιεῖ τοὺς θνητοὺς, ἀθανάτους. τοὺς βροτοὺς, θεούς· ἐκ γῆς δὲ μετάγει εἰς τοὺς E ὑπὲρ ὄλυμπον ὅρους· ἔλθετε, παιδεύθητε· γένεσθε, ὡς ἐγώ· ὅτι κἀγὼ ἤμην, ὡς ὑμεῖς. Ταῦτα με εἷλε, τό τε τῆς παιδείας ἔνθεον, καὶ τὸ τοῦ λόγου δυνατόν· ὅτι καθάπερ ἐπαοιδὸς ἀγαθὸς ἐκ φωλεοῦ ἐξερπύσαι ποιήσας φυγαδεύει δεινὸν ἑρπετόν· οὕτως ὁ λόγος ἐξ αὐτῶν τῶν τῆς ψυχῆς μυχῶν τὰ δεινὰ τῆς αἰσθήσεως ἀπελαύνει πάθη, πρῶτον ἐπιθυμίαν, δι' ἧς πᾶν δεινὸν φύεται, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλος, ἐριθεῖα, θυμοὶ, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. ἐπιθυμίας οὖν ἀπελαθείσης, εὔδιος ἡ F ψυχὴ καὶ γαληνιῶσα γίνεται· ἐπιλυθεῖσα δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον αὐτῆς κακῶν περιρρεόντων ἀπέρχεται πρὸς τὸν ποιήσαντα αὐτήν. Δεῖ γὰρ ἀποκαταστῆναι, ὅθεν ἀπέστη, ὅθεν τις ἐγένετο, ἢ ἔστιν. *O disciplina grauium perturbationum fugatrix. ô ignis animam depascentis exstinctrix! quæ non Poetas efficit, non Philosophos parat, non Oratores disertos adornat: sed instruendo, ex mortalibus immortales, ex hominibus Deos reddit: atque è terra supra olympum euehit. Accedite, erudimini: estote, vt ego: quoniam & ego fui, vt vos. Hæc sunt, quæ me ceperunt, & doctrinæ vis diuina, & sermonis efficacia: siquidem vt bonus incantator iussum è suo latibulo prorepere horrendum serpentem fugat: ita sermo diuinus graues sensuum perturbationes ex intimis animæ recessibus propellit: primò quidem cupiditatem, è qua omne formidabile nascitur, inimicitiæ, æmulationes, cõtentiones, iræ, & his similia. Depulsâ igitur cupiditate, tranquilla ac* B *serena redditur anima: malis vero, quæ eam circumfluunt, exoluta, ad eum qui ipsam condidit, proficiscitur. Illam enim oportet, eò vnde abscessit, vnde exstitit, aut vnde existit, restitui.* Ita ibi Iustinus.

IVSTINVS OLIM FVIT GENTILIS.

Sed locus Lactantij Firmiani Iustinum explicans ac dilatans cur hic prætereatur? Is enim lib. 3. *Diuinarum institut.* cap. XXVI. cælestis doctrinæ & verborum Domini vim atq; efficaciam sic adstruit: *Da mihi* C *virum*, inquit, *qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largietem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces & ignes & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem, iam in veram clementiam furor* D *ille mutabitur.* Hæc & plura ibi Lactantius.

AD CAPVT TERTIVM.

a POSTQVAM IVSTINVS, &c.] Referuntur in hoc capite Gentilium in Christianos calumniæ, & Iustini eas deprehendentis solertia, atque ad amplectendam veram religionem felix impetus. Tota res ex ipsomet Iustino collecta est.

CALVMNIÆ GENTILIVM IN CHRISTIANOS.

E b *QVOS PASSIM INFANDIS FLAGITIIS CONTAMINATOS*] Vitatissimæ istæ fuerunt aduersus Christianos calumniæ: quarum & Iustinus ipse & alij complures meminerunt. Iustinus quidem in *Apologia ad Antoninum Pium Imp.* cùm de Marcionitis agit, & ipsos etiam dicit Christianos appellari, sed vtrum infamia illa & fabulosis sparsa sermonibus facinora admittant, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν, καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, F *lucernæ euersionem, & impudentes congressus, & humanarum carnium vorationes*, ignorare se dicit. Et in Disputatione cùm Tryphone, sub initium, ita illum & socios sciscitatur: Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπιστεύκατε περὶ ἡμῶν, ὅτι δὴ ἐσθίομεν ἀνθρώπους; καὶ μετὰ τὴν εἰλαπίνην ἀποσβεννύντες τοὺς λύχνους ἀθέσμοις μίξεσιν ἐγκυλιόμεθα; *An & vos de nobis credidistis, nos vorare homines, & secundùm epulas exstinctis lucernis nefariè commisceri?*

Meminit

Meminit & Athenagoras in Legatione pro Christianis, sub initium, his verbis: Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. *Tria nobis obyciunt crimina, impietatem, Thyesteas epulas, & Oedipodeas commistiones.*

EARVM REFVTATIO. Et mox subijcit: *Quæ si vera sunt, nulli vel sexui, vel ætati parcite: ad pœnas rapite: cum vxoribus & liberis funditus exstirpate.* Vide ibi plura.

Refutat easdem calumnias Tertullianus, in *Apologetico aduersus Gentes*, cap. 2. *De nobis*, inquit, *nihil tale: cùm æquè extorquere oporteret, quodcumque falso iactatur: quot quisque iam infanticidia degustâsset: quot incesta contenebrâsset: qui coci, qui canes adfuissent. O quanta illius Præsidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset!*

Et cap. VII. ibidem: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo inde, & post conuiuium incesto: quod euersores luminum canes, tenebrarum & libidinum impiarum inuerecundia procurent.*

TERTVLLIANI LOCVS CORRECTVS. Expunxi in hoc Tertulliani loco has duas voces: *lenones scilicet*: quæ ab aliquo post nomen *canes*, velut interpretamentum iniectæ erant: sed malè profectò & inconsideratè. Nec enim vox *canes* hoc loco metaphoricè ponitur, vt lenones significet: sed propriè. Quod patet ex eiusdem Tertulliani capite octauo hîc inferiùs citando. Vnde miror Pamelium, cùm hanc metaphoricam interpretationem viderit & reprobârit, eam è textu (quod alijs in erratis fecit) non erasisse. Quod proinde, vt in nouis deinceps editionibus fiat, admonendum hîc censui.

Nota etiam hîc obiter aliquos legere: *& pabulo crudo.* (carnis scilicet recens occisi infantis) loco illius, *Et pabulo inde*, id est, ex infanticidio. Tametsi autem concinnior sit oratio, quæ legit: *Et pabulo crudo*; tamen longissimè eam reijcit Pamelius in suis ad eum Tertulliani locum annotationibus, tam librorum manu scriptorum, quæ alteram lectionem proferunt, multitudine fretus; quàm quòd adferat nulli antiquorum factam esse mentionem crudæ carnis, dum hæ obijciuntur aut refelluntur calumniæ, immo contrarium potiùs ab illis indicatum per comparationem nostrarum cenarum cum Thyesteis epulis, quæ, vt ille ait, *lautissimè coctæ fuerint.* Verùm, vt alia concedamus Pamelio, certè in hoc fallitur, quòd existimet etiam ad lautitiem respexisse calumnias: non id factum: sed in eo tantum stetit comparatio, quòd Christianos humanis vesci carnibus, perinde ac Thyestem, fabularentur. Deinde quamuis auctores ab

A illo citati non expressè meminerint crudarum carnium, tamen & Tertullianus, & Minucius in locis mox producendis non obscurè indicarunt obiectum esse Christianis, quòd infantem occiderent, & statim sanguinis iurulentiam colligerent.

Alterum Pamelij erratum ibidem est, quòd quater in vna eademque pagina Anaxagoram citet pro Athenagora: cùm nullus Anaxagoras nec pro Christianis, B nec contra Christianos scripserit: & quidem quasi latinè scripsisset Athenagoras, siue, (vt ipse vocat) Anaxagoras, dicit eum vsurpasse nomen *incestum* neutro genere.

Tertullianus igitur eodem cap. 7. refutans obiectam de infanticidio & esu humanarum carnium calumniam, *Quotidie*, inquit, *obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus & congregationibus nostris* C *opprimimur. Quis vnquam taliter vagienti infanti superuenit? quis cruenta, vt inuenerat, Cyclopum & Sirenum ora Iudici reseruauit?* Ita ille. Atqui Cyclopes & Sirenes crudas carnes, non verò lautissimè coctas comedebant.

Idem cap. 8. *Tum ille: Infans tibi necessarius adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat. Item panis, quo sanguinis iurulentiam colligas. Præterea candelabra &* D *lucernæ, & canes aliqui, & offulæ quæ illos ad euersionem luminum extendant.*

Iam apud Minucium Felicem ita Cæcilius Christianæ partis oppugnator, post alias calumnias hanc quoque subijcit:

Iam de initiandis tirunculis, inquit, *fabula tam detestanda, quàm nota est. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuitur: is infans à tirunculo farris superficie quasi ad innoxios ictus prouocato* E *cæcis occultisque vulneribus occiditur: huius (pro nefas!) sitienter sanguinem lambunt: huius certatim membra dispertiunt: hac fœderantur hostia: hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignorantur: hæc sacra sacrilegijs omnibus tetriora.*

Deinde subdit de incestis epulis in hunc modum:

Et de conuiuio, inquit, *notum est: passim omnes loquuntur: id etiam Cirtensis nostri te-* F *statur oratio. Ad epulas solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines & omnis ætatis: illic post multas epulas, vbi conuiuium caluit, & incestæ libidinis ebrietate feruor exarsit; canis qui candelabro nixus est, iactu offulæ vltra spatium lineæ quâ vinctus est, ad impetum & saltum prouocatur: sic euerso & extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis per incertum sortis, etsi non omnes operâ, conscientiâ tamen pariter incesti: quo-*

nıam

niam voto vniuersorum appetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum.

Hæc ibi Cæcilius: e quibus nonnihil clarescunt, quæ apud Tertullianum obscuriùs dicta erant.

Refutat autem illa ibidem Octauius personam sustinens Christiani, & ita persequitur:

CALVMNIARVM IN CHRISTIANOS REFVTATIO.

Quantum autē vitium sit de incognitis & inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus credite. Et nos enim idem fuimus, & eadem vobiscum quondam adhuc cæci & hebetes sentiebamus: quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, conuiuia incesta miscerent: nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, & nunquam vel inuestigari, vel probari: nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet, non tantùm facti veniam, verùm etiam indicij gratiam consecuturum. Et paullò inferius: *Agnoscitisne eadē nos sensisse & egisse, quæ sentitis & geritis? cū, si ratio, non instigatio dæmonis iudicaret, arguendi magis, non vt diffiterentur se Christianos, sed vt de incestis stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim & huiusmodi fabulis ijdem dæmones, ad execrationis horrorem, imperitorum aures aduersus nos referserunt.* Vide ibi plura.

De ijsdem flagitijs atque calumnijs meminit & Saluianus, lib. 4. *De prouidentia*, sub finem, vbi de Christianorum persecutoribus hæc eleganter:

Saluianus, lib. 4 De prouidentia.

Siquidem initia ipsa nostræ religionis, inquit, *non nisi à duobus maximis facinoribus orti arbitrantur: primùm scilicet homicidio; deinde, quod est homicidio grauius, incestu: nec homicidio solùm & incestu; sed (quod sceleratius quiddam est incestu ipso & homicidio) incestu matrum sacrosanctarum, & homicidio innocentium paruulorum, quos non occidi tantum à Christianis; sed, quod magis abominandum est, etiam vorari existimabant: & hæc omnia ad placandum Deum; quasi vllo facinore magis posset offendi: ad purgandum piaculum; quasi vllum aliud maius esset: ad commendandum sacrificium; quasi vllam rem magis Deus posset horrere: ad promerendam vitam æternam; quasi verò, etiāsi posset his rebus accipi, tanti esset ad eam per scelera tam immania perueniri.* Ita Saluianus.

Sed vnde, inquies, hæ fabulæ?

CALVMNIARVM IN CHRISTIANOS ORIGO.

Mihi quidem earum fontes atque origines studiosiùs perquirenti, (nec enim prorsus de nihilo exstiterunt) aliud propius occurrit nihil: quā quòd homines curiosi ac rebus nouis intenti, cùm tenues de nostris sacris ac ritibus inauditiunculas (magnâ enim curâ prophanis occultabantur) obiter percepissēt; eas pro suo quisque ingenio interpretantes, atque in maius, vt fit, extendentes, ea quæ de Christianorum mutuo amore atque concordia ferebantur (vt quòd omnia illis essent communia: quòd cuncti inter sese vel fratres vel sorores appellitarent: quòd ad conuiuia, quæ agapę dicebantur, promiscuè conuenirent) ea, inquam, in peius detorquētes, ad similitudinem incestorum amorum atque epularum transtulerint. Nam id quidem videtur Cæcilius apud Minuciū indicâsse, cùm de Christianis dixit: *Occultis se notis atque insignibus noscunt: & amant mutuò pæne antequam nouerint: passim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miscetur; ac se promiscuè appellant fratres & sorores; vt etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita vana & demēs superstitio sceleribus gloriatur.* Sic ille.

Ita rursus, quòd in nostris sacrificijs Christi carnem, velut innocentis agni, sub exigua panis specie occultatam diuidi, distribui, manducari leuibus rumusculis imperfectè hausissent; hoc ad eam fabellam deriuârunt, quâ infantem farre contectum à nostris mactari, discerpi, vorâri confinxerunt.

Adde quòd curiosiores sacrarum litterarum perscrutatores ex ipsismet euangelijs, vbi de manducatione carnis Domini & potione sanguinis eius agitur, nōnullam potuerint obtrectandæ legis nostræ, & talium concinnandarum fabularum ansam arripere. Nam & Auerroës Philosophus, cùm in diuina scripta oculos & in sacra mysteria mentis aciem, sed absque fidei lumine, tumidiùs quàm timidiùs proiecisset, vel hoc nomine impios Christianos vocitabat: quòd se Deum suum edere dicerent.

AVERROIS PHILOSOPHI CALVMNIA IN CHRISTIANOS.

Denique hæreticorum quidam & nominatim Carpocratiani, adeo addicti turpissimis flagitijs fuerunt, vt talibus figmentis non minimam præbuisse occasionem iudicentur. Nam Clemens quidē Alexādrinus talia eos admisisse probra, qualia Christianis obiectabantur (nam & ipsi se dicebant Christianos) disertè profitetur. Ita enim de illis lib. 3. Stromatum sub initium: Οἱ δὲ ἀπὸ Καρποκράτους καὶ Ἐπιφάνους ἀναγόμενοι κοινὰς τὰς γυναῖκας ἀξιοῦσιν εἶναι· ἐξ ὧν ἡ μεγίστη κατὰ τοῦ ὀνόματος Χριστοῦ ἐρρύη βλασφημία. *Qui autem a Carpocrate & Epiphane descenderunt, uxores censent esse communes: à quibus contra Christi nomen maxima defluxit blasphemia.* Et inferius ita de ijsdē: Τούτους φασὶ καί τινας ἄλλους ζηλωτὰς τῶν ὁμοίων κακῶν εἰς τὰ δεῖπνα ἀθροιζομένους· οὐ γὰρ ἀγάπην εἴποιμ' ἂν ἔγωγε τὴν συνέλευσιν αὐτῶν· ἄνδρας ὁμοῦ καὶ γυναῖκας, μετὰ δὴ τὸ κορεσθῆναι ἐν πλησμονῇ, τὸ καταισχῦνον αὐτῶν τὴν πορνικὴν ταύτην δικαιοσύνην ἐκποδὼν ποιησαμένους φῶς, τῇ τοῦ λύχνου περιτροπῇ, μίγνυσθαι ὅπως

CARPOCRATIANI HÆRETICI NOMEN CHRISTIANVM INFAMARVNT.

ὅπως ἐθέλοιεν, αἷς βούλοιντο. *Hos dicunt, & quosdam alios similium malorum æmulatores, ad cenas conuenientes (nec enim eorum congressionem agapen vocauerim) viros simul & mulieres, postquam ingluuie lasciuiam excitante satiati fuerint, lumine amoto, quod istam eorum fornicatoriam iustitiam pudefaciebat, euersâ lucernâ misceri, vt velint, quibus velint.* Ita B. Clemens.

Eadem de Carpocratianis, & de exortà per eorum mores istarum calumniarum ansâ, perscribit Eusebius lib. 4. hist. eccl. cap. 7. vbi post alia subdit. Ταύτῃ δῆτ' οὖν ἐπὶ πλεῖστον συνέβαινε τὴν περὶ ἡμῶν παρὰ τοῖς τότε ἀπίστοις ὑπόνοιαν δυσσεβῆ καὶ ἀτοπωτάτην διαδίδοσθαι, ὡς δὴ ἀθεμίτοις πρὸς μητέρας καὶ ἀδελφὰς μίξεσιν, ἀνοσίοις τε τροφαῖς χρωμένων. *Inde igitur maximè contigit illam de nobis apud Infideles impiam atque absurdissimam dispergi suspicionem, quasi nefandis ad matres & sorores accessionibus, & impijs alimentis vteremur.* Ita Eusebius. Vide plura de eorundem turpitudine in Epiphanio, hæresi 47.

FORTITVDO GENTILIBVS ADMIRABILIS

c *CVM CHRISTIANOS CALVMNIIS LACESSITOS NEQVE MORTEM EXPAVESCERE, &c.*] Huc intendisse oculos videtur Tertullianus, cùm extremo libro *Ad Scapulam*, de eadem Christianorũ patientia & Gentilium admiratione sic scripsit: *Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in caussa; & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur.* Ita Tertullianus. Et planè ita fecit Iustinus & sensit. Spectata enim Christianorum pro fide tolerantia inquisiuit, inuenit, amplexus est veritatem.

Eodem aduersus Gentes vsus est argumento Arnobius, libro 1. sub finem: *Itáne, inquit, istud non diuinum & sacrum est, aut sine Deo, tantas animorum fieri conuersiones; vt cùm carnifices, vnci, aliíque innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris, veluti quadam dulcedine atque nectare ebrij cuncta contemnant?* Sic ille:

Huc etiam facit locus egregius S. Hieronymi epistola 149. Hedibiæ, quæstione XI. *Triumphus Dei,* inquit, *est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tantâ perseuerantiâ stare martyres, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei disseminatur in Gentes, & subit tacita cogitatio, quòd, nisi verum esset euangelium, nunquam sanguine defenderetur.*

Ita imperante Alexandro Seuero, cũ Amachius Vrbi præfectus sanctos Tiburtiũ & Valerianum diris tormentis ad fidei abnegationem pertrahere conaretur; S. Maximus eiusdem Præfecti à cubiculo etiam

A tum Gentilis, spectata eorum inexpugnabili constantia, non vanam esse fidem, pro qua tantos ferrent cruciatus, existimans, vnà cum multis alijs ex eadem Præfecti domo, non tantùm fidem illam, sed & mortem pro illa cupidè excepit.

Ita regnante Decio S. Respicius martyr, verè ac prosperè iuxta nomen suum respicius, cùm etiam tum Infidelis respexisset S. Tryphonis inuictam pro fidei
B defensione inter grauissima supplicia patientiam, illi se adiunxit, & in pari certamine palmam non imparem acquisiuit.

Nec minori in admiratione eiusdem fortitudinis fuit S. Adrianus, qui in cæca adhuc versans Gentilitate, & primus in Officio apud Maximianum Imp. cùm Christianorum in tormentis constantiam admirabundus respectaret, *Adiuro vos,* in-
C fit, *per Deum vestrum, pro quo hæc patimini, vt ne me celetis veritatem, sed clarè exponatis, ecqua sit hæc remuneratio, & gloria quam pro his cruciatibus expectatis?* Quod cùm ab illis didicisset, credidit, ipsis adhæsit, mortem oppetijt, vitam verè vitam lucrifecit.

Sciscitatus est aliquando & S. Procopius martyr è matre sua B. Theodosia, ecquid eam mouisset, quamobrem à Dijs patrijs *In Actis S. Procopij mart.*
D deficeret: cui illa, *Fili mi,* inquit, *cùm insignem earum tolerantiam aspexissem, quæ sunt æquè ac ego femina, cogitaui hoc aliàs fieri non posse; nisi esset quædam virtus diuina, quæ eas occultè attingens animum adduceret ad patientiam.* Denique illa ipsa cum alijs duodecim nobilibus matronis viam martyrij triuit, & gloriosam in cælum palmam intulit. Earum dies natalis vicesimam nonam Maij nobilitat. B. Siluanum ad S. Bia- *Menæum Græcorum ad x Iulij.*
E noris inuictam in tormentis constantiam, & alios item nõn paucos ad aliorum martyrum præclara certamina, in eandem fidei & mortis, aut vitæ potiùs, sortem ingressos facilè hîc omitto, alibi conspiciendos & venerandos: sed Vari militis in tempore opportuno dictum ciuile ac masculum, immo cæleste potiùs ac diuinum tam dictum quàm factum præterire qui possim? Nam cùm imperante
F Maximino, Ægypti Præses septem viros sanctæ cultores solitudinis inde ad martyrium abduci iussisset, vnúsque in eadem solitudine obijsset, Iudex qui de eius morte nihil dum audiuerat, dum sex alij cremarentur, *Septimus,* inquit, *ex vobis vbi est?* tum noster Varus procurrens extemplo in medium, *Ille quidem iam diu,* inquit, *è vita excessit, me autem suum heredem instituit. Si quid ergo ab illo debebatur, adsum ipse redditurus.* Nec mora: debi-

bitum persoluit, & plenus cæli heres fuit. Huius & aliorum memoria ad 19. Octob. in sacris tabulis notata est. Isti ergo omnes, quos adhuc laudauimus, bono Christianorum odore attracti, & virtutibus Martyrum heroicis incitati, paria illis contemptâ morte aggressi sunt. Adeo generosarum exempla virtutum sua cuiuis tyrannidi spicula excutiunt: & quamlibet acerbam ac indomitam mortem perdomant.

d *VTINAM VERO ALIQVIS MODO EXISTERET! &c.*] Exstat hic locus in *Apologia ad senatum*, sub finem.

Eandem figuram orationis contra eosdem Gentiles vsurpauit libro iam citato Arnobius, in hunc modum:

Arnobius lib. 1. aduersus Gentes.

Atque vtinam daretur in vnius speciem concionis toto orbe contracto, oratione hac vti, & in humani generis audientiâ collocari! Ergóne impiæ religionis sumus apud vos rei? & quòd caput rerum & columen venerabilibus adimus obsequijs (vt conuitio vtamur vestro) infausti & athei nuncupamur? Et quis magis rectiùs horum feret inuidiam nominum, quam qui alium præ hoc Deum aut nouit, aut sciscitatur, aut credit?

Et rursus lib. 6. sub medium sic idem Arnobius:

Idem lib. 6.

Libet in hoc loco, tanquam si omnes adsint terrarum ex orbe nationes, vnam facere concionem, atque in aures hæc omnium communiter audienda depromere: Quidnam est istud, quòd ipsi vos vltro in tam promptis ac perspicuis rebus voluntaria fallitis & circumscribitis cæcitate? Discutite aliquando caliginem, regressique ad lumen mentis intuemini propiùs, & videte istud quod agitur, quale sit: si modò retinetis ius vestrum, atque in finibus his datæ rationis consilijque versamini. Simulacra ista, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra, sunt. &c.

CRATETIS PHILOSOPHI SAPIENS DICTVM

Sic longè antè hos, Plutarcho teste, Crates ille priscus dicebat: ascensurum se libenter fuisse in altissimum vrbis locum, vt vociferaretur: Ὦ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε; οἵ τινες χρημάτων μὲν κτήσεως πέρι πᾶσαν ποιεῖσθε σπουδὴν· τῶν δ' υἱέων, οἷς ταῦτα καταλείψεται, μικρὰ φροντίζετε; *O viri, quid agitis, qui omnem curam atque studium ad opes acquirendas impenditis: liberos autem vestros, quibus ea relinquenda sunt, negligitis?* Ita Crates apud Plutarchum, in libro *De educatione puerorum*.

CONVERSIONIS S. IVSTINI AD FIDEM TEMPVS.

e *QVOD EXTREMIS ACCIDISSE HADRIANI IMP.*] Ex ijs quæ suprà dicta sunt, cap. 1. non potest seriùs fuisse conuersus ad fidem Iustinus, quàm vltimo Hadriani Imp. aut primo vel secũdo Antonini Pij, siue sub annum Domini 140. quo eodem anno (suffragante Baronio) desijt viuere Hadrianus, & regnare incepit Antoninus. Nam Eusebius quidem, dum in Chronico scribit Iustinum 4. anno librum defensionis obtulisse Antonino; necesse est, vt fateatur illum aliquot antè annis fuisse conuersum, ob caussam superiùs allatam. Neque obstat quòd liber illo anno non sit oblatus, quo scripsit Eusebius; vt pòst videbitur: cùm saltem inde habeamus iudicasse Eusebiũ, fieri potuisse per tempus conuersionis Iustini, vt tum offerretur: quamuis tunc, (vt infrà probabitur) non oblatus sit, sed aliquot annis posteriùs.

Ioannes Zonaras tomo 2. Annalium.

Denique Iustini conuersionem incidisse in tempora Hadriani, habet expressissimè Ioannes Zonaras, tomo 2. annalium, vbi de illis agens temporibus, sic scribit: Καὶ Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος, ὃς μετέπειτα καὶ μάρτυς ἐγένετο, τότε πρὸς θεοσέβειαν ἐξ ἑλληνικῶν σπουδασμάτων μετέθετο. *Iustinus quoque Philosophus, qui post etiam martyr fuit, tunc à græcis disciplinis ad Dei cultum transijt.* Georgius verò Cedrenus quàm huic sententiæ fauet? qui illum iam tum contra omnes hæreses se virum præstitisse memorat: Nam ad Ælium Hadrianum ita notat: Ἐπὶ τούτου Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἠνδρίζετο. *Sub hoc Iustinus philosophus contra omnes hæreses viriliter se gerebat.* Quæ tamen verba haud ita capienda sunt, quasi ex illo tempore volumen suum *Contra omnes hæreses* scripserit: (posteriùs enim id accidit, imperante scilicet, vt veri est simillimum, Antonino Pio; cùm priùs aliquot alios libros exarâsset: de quibus vide *Catalogum librorum* eius, cap. XXV suprà, ad vitam) sed quòd priuatis aut etiam publicis disputationibus eas impugnaret ac refelleret. Neque enim videtur imperante adhuc Hadriano tam fuisse, seu in Scripturis sacris versatus, seu in nostris contrariisue dogmatibus exercitatus, vt vel posset opus *Contra omnes hæreses* condere, vel auderet emittere.

Georgius Cedrenus in Compendio historiarum explicatus.

AD CAPVT IV.

a *ADSCRIPTVS ERGO CHRISTIANIS IVSTINVS, &c.*] Et hoc quoque caput è Iustini scriptis emanauit.

INTELLIGENTIA SCRIPTVRARVM IVSTINO COLLATA.

b *NAM DONVM INTELLIGENTIÆ SCRIPTVRARVM SIBI DIVINITVS COLLATVM, &c.*] Indicat sibi collatum hoc donum, in *Tryphone*, post medium, his verbis: Ἐγώ τε αὖ εἶπον· οἴεσθε ἂν ἡμᾶς ποτε, ὦ ἄνδρες, νενοηκέναι δυνηθῆναι ἐν ταῖς γραφαῖς ταῦτα, εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ, ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι. *Et ego rursus dixi: An putatis nos aliquando hæc*

in

in Scripturis intelligere potuisse, nisi eius, qui voluit, arbitratu, gratiam hac intelligendi accepissemus? Item alibi in eodẽ dialogo: Καὶ παρ' ἡμῖν ἐστιν ἰδεῖν καὶ θηλείας καὶ ἄρσενας, χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἔχοντας. *Et apud nos est videre feminas ac viros dona à Spiritu Dei habentes.*

c *IDEO DIFFERTVR A DEO IVDICIVM*] Sic græcè in Tryphone: Οὐδέπω τὴν κρίσιν ἐπήνεγκεν, ἢ ἐπάγει, γινώσκων καθ' ἡμέραν τινὰς μαθητευομένους εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, καὶ ἀπολείποντας τὴν ὁδὸν τῆς πλάνης· οἳ καὶ λαμβάνουσι δόματα ἕκαστος, ὡς ἄξιοί εἰσι, φωτιζόμενοι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ τούτου· ὁ μὲν λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ δὲ βουλῆς, ὁ δὲ ἰσχύος, ὁ δὲ ἰάσεως, ὁ δὲ προγνώσεως, ὁ δὲ διδασκαλίας, ὁ δὲ φόβου Θεοῦ. *Nondum adduxit, neque adducit Dominus iudiciũ, sciens nonnullos quotidie nomen Christi sui edoceri, & erroris viam deserere: qui illuminati per nomẽ Christi huius accipiũt vnusquisque dona, prout digni sunt, hic quidem spiritũ intelligẽtiæ, alius consilij, alius fortitudinis, alius curationis, alius pracognitionis, alius doctrinæ, alius timoris Dei.*

GRATIÆ GRATIS DATÆ.

Nota Iustinũ hic loqui de gratijs, quas vulgò Theologi gratis datas appellant, vt patet ex earum recensione, non autem de gratia gratum faciente, multò minùs de primâ tali gratiâ: ne quis fortè illa verba: *prout digni sunt*, dicat olere Pelagianismũ. Nam agit Iustinus de iam Christianis & primâ gratiâ ornatis, quos dicit varia recipere Spiritus sancti dona, prout digni fuerint, hoc est, prout dignè ad ea recipienda se præparauerint. Quamuis enim & aliter absque præparatione conferri possint; & subinde conferantur, cùm sub meritum non cadant, tamen solet Dominus ea cõferre dignioribus ac meliùs pręparatis, hoc est, sanctioribus. Quam doctrinam egregiè exornat ac stabilit S. Hilarius Pictauorum Episcopus lib. 2. De Trinitate sub finem. *Vtamur ergo*, inquit, *tam liberalibus donis: & vsum maxime necessarij muneris expetamus. Ait enim (vt etiam superiùs ostendimus) Apostolus*: Nos autem non spiritum huius mũdi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.

1. ad Cor. c. 2.

SPIRITVS SANCTI NECESSITAS.

Accipitur ergo ob scientiam. Vt enim natura humani corporis, cessantibus officijs sui caussis, erit otiosa (nam & oculis nisi lumen accedat, nullus ministerij erit vsus; & aures, nisi vox sonusue reddatur, munus suum nõ recognoscent; & nares, nisi odor fragrauerit, in quo officio erunt, nescient: non quod his deficiat natura per caussam, sed vsus habeatur ex caussa) ita & animus humanus, nisi per fidem donum Spiritus hauserit; habebit quidem naturam Deum intelligendi, sed lumen scientiæ non habebit. Munus autem, quod in Christo est, omne omnibus patet vnum: & quod vtique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere: in tantum residet, in quantum quis volet promereri. Hoc vsque in consummationem seculi nobiscum: hoc exspectationis nostræ solatium: hoc in donorum operationibus futuræ spei pignus est: hoc mentium lumen: hic splendor animarum est. Hic ergo Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, & deinceps præceptorum fide atque obseruatione retinendus.

PRÆPARATIO AD EVM RECIPIENDVM.

Hæc magnus ille Ecclesiæ Doctor Hilarius: quæ sanè ad feruentissimum recipiendi Spiritus sancti desiderium, & ad dignam tantæ rei præparationem, petitionem, conseruationem stimulare animos nostros maiorem in modum debeant. Quare Sculteti admonitio dicentis hæc & similia Iustini verba cum grano candidi salis accipienda esse, planè est superuacanea, ne dicam insulsa: cùm satis sua sponte Iustini oratio in sensu sanissimo dilucescat: quemadmodum & ille alter locus ab eodem citatus: *nempe homines, qui dignos se Dei voluntate & consilio, operibus præstiterint, cum eo victuros esse*: nihil ambigui habet: cùm nihil aliud dicat, quàm quod ipse Dominus antè docuit, nimirum eos qui fecerint voluntatem Dei, intraturos in regnum cælorum, iuxta illud Matthæi VII. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Matthæi 7. ver. 21.

Locus porrò Iustini, quem contraxit & constrinxit Sculterus, est in apologia ad Antoninum pium, haud adeo procul initio, vbi docet hominem liberè amplecti, quæ Deo sunt placita; ac sensu, si non verbis, propè illud dicit, quod postmodum Augustinus sermone XV. *De verbis Apostoli*, cap. XI. his verbis: *Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.*

Aug. ser. 15. De verbis Apostoli, cap. 11.

d *NAM CERTE ADMODVM SOLLICITVS FVIT, &c.*] Quàm sollicitus fuerit S. Iustinus, vt acceptum à Deo intelligentiæ Scripturarum talẽtum in animarum lucra insumeret, ex ijs intelligi potest, quæ suprà inter eius virtutes, cap. 12. vitæ annotaui, titulo: *Timor Domini.*

LIBRI SIBYLLARVM VTILES AD PRÆLVDIA FIDEI.

e *NEMPE ANTE OMNIA SIBYLLARVM LIBROS*] S. Iustinus in *Cohortatione ad Græcos*, in fine, disertè docet scripta Sibyllarum, esse quædam velut progymnasmata siue præexercitationes ad lectionem sanctorum Prophetarum. Verba sunt: Ἔσται γὰρ ὑμῖν ἀναγκαῖον προγύμνασμα ἡ τούτων γνῶσις, τῆς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείας. *Erit enim horum vobis cognitio, ad prophetiam sanctorum virorum, necessaria praexercitatio.*

Ijsdem Sibyllarum libris vsi sunt vetustissimi

iustissimi quique Patres, ad euertendos Gentilium errores, S. Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Lactantius.

Quin & B. Paullus Apostolus, Clemente Alexandrino teste, Gentiles hortatus est, vt vel à Sibylla veritatem discerent: cuius Apostoli sic laudat verba, in libro 6. Stromatum, ante medium: *Clem. Alexand. l. 6. Stromatum.* Δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε, καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. *Præter Petri prædicationem declarabit Paullus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite: agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum, & ea quæ sunt futura, significet. Sumite & Hystaspen, & legite, & inuenietis multò clarius & manifestius scriptum esse Dei filium, &c.* Quæ verba, licet in ijs, quæ exstant, B. Paulli epistolis non reperiantur; tamen è concionum eius ad Gentiles fragmentis collecta esse (ab ijs scilicet, quibus interna inspiratione Dominus mandauerit: *Ioan. 6. vers. 12.* *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant*) hoc argumento esse potest, quòd Gentiles eiusmodi armis petendi essent, tum etiam quòd ipse Paullus libenter ijs vsus sit: quemadmodum ex ea concione, quam in Areopago habuit, Act. 17. (quæ itidem in epistolis eius non exstat) est agnoscere. Iustinus quidem noster, loco iam citato, scribit Sibyllarum responsa propè ad doctrinam Prophetarum accedere, atque ex ijs quadam ex parte rectam religionem addisci posse. Verba eius sunt: Ἔστι δὲ ὑμῖν ῥᾳδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους, παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης ἐκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης μανθάνειν ταῦτα, ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας. *Facilè poteritis rectam religionem quadam tenus ab antiqua Sibylla, ex quodam potenti afflatu per vaticinia vos docente, hæc addiscere, quæ ad Prophetarum doctrinam propè videntur accedere.* Deinde adijcit de Sibylla Cumana, eiúsque vaticinandi modo, & carminibus, & reliquijs nonnulla scitu haud indigna, quæ partim ipse viderit, partim à loci incolis audiuerit. *SIBYLLA CVMANA QVÆ FVERIT.* Nempe Sibyllam Cumanam, Babylone oriundam, & Berosi Chaldaicæ scriptoris historiæ filiam fuisse, quæ in oras Campaniæ migrauerit; vbi & responsa reddiderit, in vrbe scilicet Cuma appellata, sexto à Baijs (vbi sunt Thermæ Campaniæ) lapide dissita. *Vidimus verò*, inquit, *cùm in ea vrbe* [Cumanâ scilicet] *essemus, locum quendam, & in eo maximam basilicam ex vno expolitam lapide, rem maximam & omni dignam admiratione: vbi oracula eam edidisse, qui res patrias à maioribus suis quasi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem basilicâ nobis ostenderunt tria conceptacula in eodem excisa lapide, quibus aqua repletis lauisse eam ibi docebant, & stolâ sumptâ in intimam basilicæ ædem in eodem lapide incisam intrare solitam, atque in media æde alto in gradu siue throno considentem sic oracula reddere.* Ita Iustinus. Id porrò Sibyllæ templum Onuphrius Panuinius in libro suo *De Sibyllis*, ad suam vsque ætatem perennâsse scribit, & eadem se ab incolis audiuisse, quæ S. Iustinus mille trecentis antè annis memoriæ prodiderat. *SIBYLLÆ CVMANÆ TEMPLVM.* *Templum hoc*, inquit, *vsque ad nostram ætatem perdurauit. Anno enim salutis M. D. XXXIX. terræ motu ingenti Campaniâ terrâ quassatâ, Puteolis minutissimo puluere, cineréque è mari surgente totum coopertum est, collísque satis editus enatus est, vbi olim celeberrimum Sibyllæ fanum fuerat. Mihi autem Puteolos, Baiásque anno Domini M. D. XLVIII. profecto, accolæ (quos regionis peritos mercede conduxeram) & templi locum, & formam, & ea omnia fuisse narrabant, quæ Iustinus mille trecentis antè annis se vidisse scriptum reliquit, antequam arcanum id, templúmque, ingenti terræ-motus vi, terra obrutum esset.* Ita ille.

Adfert præterea Iustinus loco suprà citato caussam, quamobrem Sibyllarum carmina non semper exactas habuerint pedum mensuras seu numeros: quòd scilicet nō potuerint, quemadmodum Poëtæ solent, versus suos corrigere & expolire: sed mox expleto vaticinij tempore, dictorum memoria euanuerit. *SIBYLLINORVM CARMINVM VITIATIONIS CAVSSA.* Hinc cùm ij, qui ex ore vaticinantium versus excipiebant, & scriptis mandabant, rudes ac imperiti essent, subindéque in accurata numerorum obseruatione deerrarent, & ipsæ item Sibyllæ eorum iam non recordarentur, factum esse, vt versus interdum mutili, interdum vitiosi remanserint.

f *QVAM IN REM LIBROS TRES ELABORAVIT*] De libris Iustini vide eorum catalogum, quem contexui cap. 25.

g *VARIAS ORBIS PARTES MORE APOSTOLICO PERAGRAVIT*] Cùm esset natus in Syria Palęstina, profectus est in Ægyptum, deinde in Italiam, pòst regressus est in Asiam, habuitq; Ephesi cum Tryphone colloquium, rursus in Italiam, vbi & peregrinationis suæ metam decurso Martyrij stadio posuit. *PEREGRINATIONES S. IVSTINI.* Et quidem cùm in Ægypto esset, studiosus fuit viden-

videndi cellulas, in quibus *Septuaginta interpretes* Scripturam sacram ex Hebræo in A Græcum verterant: cùm autem esset in Italia, Cumas profectus, vestigia Sibyllæ Cumanæ, de qua iam dictum, si qua superessent, requisiuit. Hæc enim duo, historia scilicet *Septuaginta interpretum* prorsus miraculosa, & Sibyllæ Cumanæ de Christo vaticinatæ cognitio, haud parum facere ad fidei nostræ confirmationem apud Gentiles Iustino videbantur. Quare in B Paræneſi ad Græcos ante medium, vbi de *Septuaginta interpretibus* enarrauit, tum ita subiecit: *Hæc vobis, ô viri Græci, nō fabulam confictámue historiam referimus, sed qui ipsi Alexandriæ fuimus, & vestigia casarum adhuc in Pharo stantia vidimus, atque ab incolis, qui res patriæ à maioribus acceperant, audiuimus, ea vobis referimus: quæ & ab alijs, & ab ijs maximè, qui de his scripserunt, sapientibus ac spectatis hominibus Philone & Iosepho, aliísque compluribus, licet condiscere.* C

SEPTVAGINTA INTERPRETVM CASÆ.

g *AC ROMAM QVIDEM PROFECTVS, &c.*] Hæc est eius prima profectio. Nam bis Romam profectus est, vt in Actis Martyrij eius ex ipsiusmet confessione relatum est. Vide suprà, caput x. vitæ eius, vbi Præfecto quæstionibus respondet: *Veni autem Romam secundò*. Romę igitur primùm fuit viuente adhuc Antonino Pio Imp. coram quo & Senatu D pro Christianis perorauit, siue librum potiùs obtulit. Nam licet videatur colligi ex illis Eusebij verbis, lib. 4. hist. ecclesiasticę, cap. xi. Ὁ δ᾽ αὐτὸς οὗτος Ἰουστῖνος καὶ πρὸς Ἕλληνας ἱκανώτατα πονήσας, καὶ ἑτέρους λόγους ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας πίστεως ἀπολογίαν ἔχοντας, βασιλεῖ Ἀντωνίνῳ τῷ δὴ ἐπικληθέντι Εὐσεβεῖ, καὶ τῇ Ῥωμαίων συγκλήτῳ βουλῇ προσφωνεῖ. Καὶ γὰρ ἐπὶ τῆς Ῥώμης τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο. *Hic idem Iustinus etiam contra Gentiles* E *accuratissimè scripsit, & alios item sermones fidei nostræ defensionem continentes ad Imp. Antoninum cognomento Pium, & Senatum Rom. habuit. Romæ enim diatribas habebat*; licet, inquam, ex his verbis colligi posse videatur dixisse coram Imperatoribus; tamē cùm Hieronymus in Catalogo scribat Iustinum dedisse Antonino Pio & filijs eius & Senatui scriptum librum contra Gentes, & ipse Iustinus contra Tryphonē F dicat: Ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν, εἶπον πλανᾶσθαι αὐτοὺς πειθομένους τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν Θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι. *Scripto Cæsarem compellans, decipi illos dixi* [Samaritas] *qui populari suo Simoni mago crederent, quem Deum supra omnem principatū & potestatem & virtutem esse dicunt*: cùm hæc, inquam, dicat Iustinus, vero est similius nō habuisse, nec recitasse Iustinum eam orationem, sed scriptam obtulisse. Itaque vox Eusebiana προσφωνεῖ id est, affatur, tā valet in voce scripta, quàm in pronuntiata. Ita Cicero dixit, *libro affari*. Vide eū in *Bruto*, siue *De Claris Oratoribus*, sub initium. Idem libro 15. ad Atticum, epistola 13. agens de libris Officiorum, quos filio suo Ciceroni dedicauit, ipsa voce græca προσφωνεῖν vtitur, dum ita scribit: *Nos hic* φιλοσοφοῦμεν. *Quid enim aliud? &* τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος *magnificè explicamus*, προσφωνοῦμέν*que Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio?* Ita ille. id est, libros de Officijs magnificè explicamus, & filio dedicamus. Romam altera vice venit Iustinus aliquanto ante martyrium, vbi dum suos docet, dum aduersarios refutat, dum vitia corripit, captus ab hostibus & cæsus, lauream sanguinis obtinuit.

THERMÆ TIMOTHINÆ.

h *IN COLLE VIMINALI APVD THERMAS TIMOTHINAS*] Hic habuisse Romæ domicilium suum & nusquā alibi, ipse Iustinus, vt est in actis Martyrij, professus est. Vide caput decimum vitæ ipsius. Dictæ sunt Thermæ Timothinæ à Timotheo Pudentis Senatoris filio, homine Christiano, & Christianorum amantissimo, qui vnà cum fratre suo Nouato (à quo eædem Thermæ sunt etiā Nouati appellatæ) & sororibus suis, S. Praxede & S. Pudentiana, se & sua Christo & Christianorum hospitijs atque obsequijs addixit. Erant hæ Thermæ in colle Viminali, quibus coniuncta erat eorundem domus amplissima, præcipuum ac singulare Christianis, præsertim hospitibus ac peregrinis, perfugium. Ibi conuentus fiebant, ibi docebatur, disputabatur, scribebatur. Nam illic Iustinus Apologias suas scripsit, illic contra Marcionem se exercuit, illic, vt credibile est, magnam librorum suorum partem composuit. Non est porrò dubium, quin collis ille ob Christianorum vndique illuc affluentium turbam, velut ad quoddam fidei asylum, hospitibus fuerit frequentissimus. Ac Iuuenalis quidem Satyrâ tertiâ collem hunc Viminalem & Esquilinum ei vicinum, extraneis hospitibus valde celebrem facit, ita scribens:

Hic altâ Sicyone ast hic Amidone relictâ,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,
Esquilias, dictúmque petunt à vimine collem.

Sensus est: omnis generis & cuiusuis farinæ homines Romam confluūt, & in monte Esquilino & Viminali versantur. Dictus est collis viminalis, quòd ibi viminum silua olim fuerit.

i *ET MARCIONI QVIDEM HÆRESIARCHÆ, &c.*] Marciō ille, Ponticus

genere

MARCIONIS HERESIARCHÆ DOGMATA.

genere fuit, & alium Deum præter vniuerſi conditorem induxit, vt teſtatur ipſe Iuſtinus in Apologia ad Antoninum Piũ, his verbis: Μαρκίωνα δέ τινα ποντικὸν [οἴδαμεν] ὃς καὶ νῦν ἔτι ἐστὶ διδάσκων τοὺς πειθομένους ἄλλον τινὰ νομίζειν μείζονα τοῦ δημιουργοῦ θεόν. *Marcionem vero Ponticum* [nouimus] *qui etiamnum diſcipulos ſuos docet, alium quendã Creatore maiorem Deum opinari, &c.* Et infra: Ἄλλον δέ τινα καταγγέλλει, παρὰ τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων θεὸν, καὶ ὁμοίως ἕτερον υἱὸν, ᾧ πολλοὶ πεισθέντες ὡς μόνῳ τἀληθῆ ἐπισταμένῳ, ἡμῶν καταγελῶσιν, ἀπόδειξιν μηδεμίαν, περὶ ὧν λέγουσιν ἔχοντες, ἀλλ' ἀλόγως, ὡς ὑπὸ λύκου ἄρνες συνηρπασμένοι, βορὰ τῶν ἀθέων δογμάτων καὶ δαιμόνων γίνονται. *Alium vero quempiam, præter omnium conditorem Deum, annuntiat: & alium ſimiliter filium, cui multi credentes, velut ſoli veritatem cognoſcenti, nos derident: tametſi nullam habeant eorum, quæ dicunt, demonſtrationem: ſed abſque ratione, velut agni à lupo rapti, eſca fiunt impiorum dogmatum & dæmonum.*

Quis autẽ fuerit Marciõ, & qua occaſione hæreticus, ita deſcribit Tertullianus li. de præſcriptionibus c. 51. Poſt hunc [Cerdonem] diſcipulus ipſius emerſit Marciõ quidam nomine, Ponticus genere, Epiſcopi filius, propter ſtuprum cuiuſdam virginis ab eccleſiæ communicatione abiectus &c. Marcionis totam hæreſim detegit S. Irenæus lib. I. aduerſus hæreſes, cap. XXIX. Et hæc ibi totius hæreſis ferè ſumma eſt:

Primò docebat Marcion Deum à lege & Prophetis annuntiatum, auctorem eſſe malorum, amatorem bellorum, inconſtãtem, ſibi contrarium: IESVM autem, diſſoluere legem & Prophetas, & omnia Dei omnium conditoris opera.

Secundò, Lucæ euangelium mutilabat, ſublatâ Domini genealogiâ, & iis, in quibus mundi fabricatorem manifeſtè patrem ſuum eſſe confitetur.

Tertiò, particulam tantùm euangelij tradebat ſuis; & ſe Apoſtolis, qui illud cõſcripſerant, veraciorem prædicabat.

Quartò, ſuccidebat in Paulli epiſtolis, tam ea, in quibus Deum vocabat patrem Domini noſtri IESV Chriſti, quàm in quibus, è verbis Propheticis prænuntiabatur aduentus Chriſti.

Quintò, ſolam animam eſſe ſalutis capacem, corpus autem nullo modo, vtpote è terra ſumptum: animæ verò ſalutem eos dumtaxat conſecuturos, qui eius doctrinam didiciſſent.

Sextò, Cainum & ei ſimiles, atque etiam Sodomitas & Ægyptios, & cunctas omnino gentes omni ſcelerum genere contaminatiſſimas, (quia occurriſſent Domino deſcendenti ad inferos) ab eo eductas, atque in cælum aſſumptas: Abelem verò & Enoch & Noë & Abraham cum alijs Patriarchis & Prophetis, & quicumque Deo placuerunt, quia illi non occurriſſent (memores ſcilicet erant, ſe ſemper ab eo tentatos, & tunc etiam ad eos tentandos venire illum ſuſpicabantur) nec eius annuntiationi crediidiſſent, in inferis remanere iuſſos.

Iſta ſunt præcipua inſaniæ Marcionis capita, quæ loco iam citato protulit Irenæus, & libro peculiari refutauit, & ante illum ipſe Iuſtinus, vt mox indicabitur. Refutarunt & alij ſanè quàm multi, atque in his Tertullianus libris quinque, qui etiamnum exſtant. Latè ſparſam fuiſſe hanc hæreſim ſcribit S. Epiphanius hæreſi 42. initio. *Eius*, inquit, *hæreſis hodiéque eſt Romæ, & per Italiam, & Ægyptum, & Palæſtinam, & Arabiam, & Cyprum, & Thebaidẽ: immo & in Perſide, alijſque in regionibus inuenitur. Nam magnopere improbus ille fraude ſua inualuit.* Vide ibidem plura de eius genere, de hæreſeos ipſius cauſſa & occaſione, de erroribus & errorum ſubuerſione. De eadem hæreſi vide etiam B. Theodoretum, lib. I. hæreticarum fabularum, vbi de quodam è Marcionitis hoc ponit exẽplum: Οἶδα δὲ τούτων ἕνα τινὰ πρεσβύτην ἐνενηκοντούτην, ὃς ἕωθεν ἀνιστάμενος τῷ τοῦ πτύσματος περιττώματι τὸ οἰκεῖον ἀπένιπτε πρόσωπον, καὶ τὴν αἰτίαν ἐρωτηθεὶς ἔφησεν, ὡς οὐ βούλεται δεηθῆναι τοῦ δημιουργοῦ, καὶ ὕδωρ ἐκ τῶν ἐκείνου ποιημάτων λαβεῖν· τῶν δὲ παρόντων εἰρηκότων, πῶς οὖν ἐσθίεις, καὶ πίνεις, καὶ περιβάλλῃ, καὶ καθεύδεις, καὶ τὰ νομιζόμενα ἐπιτελεῖς μυστήρια; ὑπολαβὼν, ἐξ ἀνάγκης εἶπε τοῦτο ποιεῖν· διὰ τὸ ἑτέρως μήτε ζῆν δύνασθαι, μήτε τελεῖν τὰ μυστήρια. Καὶ ὡμολόγει ἄκων ὁ μεμηνὼς, μηδὲν ἔχειν τὸν ὑπ' αὐτοῦ καλούμενον ἀγαθὸν, ἀλλὰ πάντων ἀπολαύειν τῶν ἀγαθῶν, ἐκ τῶν τοῦ δημιουργοῦ ποιημάτων. *Noui quendam ex illis ſenem nonagenarium, qui manè ſurgens ſputi ſui excremento faciem ſuam lauabat: & cauſſam rogatus, dicebat; quia nollet habere opus creatore, nec aquam ex illius operibus accipere: dicentibus autem ijs, qui præſentes erant: Ecquomodo igitur comedis, & bibis, & veſtiris, & dormis, & ſancta myſteria peragis? reſpondit ſe ex neceſſitate ea facere, quòd aliter nequiret viuere, nec agere myſteria. Atque ita vel inuitus fatebatur homo inſanus, illum, qui bonus ab ipſo vocabatur, habere nihil, ſed omnibus bonis frui ex operibus Creatoris.* Ita B. Theodoretus.

l *INSIGNIA IN EVM VOLVMINA, &c.*] De his & alijs Iuſtini voluminibus pòſt agetur in indiculo ſcriptorũ eius fuſiùs. Credibile eſt eũ ſępius & dictis & ſcriptis contra Marcionem iuiſſe. S. Hieronymus

mus in Catalogo Scriptorum; *Sed & contra Marcionem*, inquit, *inſignia volumina:* [compoſuit Iuſtinus] *quorum Irenæus quoque in quinto aduerſus hæreſes libro meminit.*

m *NONNVLLA ENIM A QVIBVSDAM HÆRETICIS, &c.*] Hæc indicantur à Iuſtino in apologia ad Antoninum Pium, ſub initium, ab illo loco: Ὃν γὰρ τρόπον παραλαβόντες τινὲς παρὰ τοῦ διδασκάλου Χριστοῦ μὴ ἀρνεῖσθαι. *Quo enim modo nonnulli à Chriſto magiſtro edocti non negare, alios ad conſtantiam cohortantur: ſic malè viuentes quidam occaſionem præbent Chriſtianos omnes proſcindendi, &c.*

n *QVAM VT CHRISTIANI NOMEN EXPLICARET*] Id fecit Iuſtinus in *Apologia ad Antoninum Pium*, vbi pluribus locis oſtendit eſſe nonnullos, qui Chriſtiani nomen ſibi vindicarent, licet eo nomine indigni: haud aliter quàm Philoſophi nomen, multi mali Philoſophi, & qui prę‑ C ter nomen, nihil haberent Philoſophi.

AD CAPVT V.

a TAMETSI ENIM HADRIANVS IMP. &c.] De Hadriani perſecutione, quantum huc ſpectat, dictum in *S. Quadrati* vita in tomo priori conſcripta.

Sed notandum multos etiam ſub pacificis atque in nos beneuolis Imperatoribus paſſos eſſe Martyrium. Quia videlicet Præfecti ac Præſides non tam animos Imperatorum, quàm vulgi motus interdum ſpectabant, & auaritiam ſuam cum gratia populari prę officio & æquitate ponebant.

b *SANCTISSIMORVM VIRORVM QVADRATI & ARISTIDIS*) De his ſcripſit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum eccleſ. Vnde cognoſci poterunt, E quæ huc faciunt: tantùm hic breuiter dicam, Quadratum Apoſtolorum fuiſſe diſcipulum, & Publio Athenarum Epiſcopo martyrij lauream aſſecuto, in eadem ſede ſucceſſorem: qui & Hadriano Imp. librū pro religione noſtra porrexit, eúmque (vt verbis vtar Hieronymi) *valde vtilem, plenúmque rationis & fidei, & Apoſtolica doctrina dignum.*

Ariſtides autem Athenienſis Philoſophus F *eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo & Quadratus, Hadriano Principi dedit, id eſt, Apologeticum pro Chriſtianis, quod vſque hodie perſeuerans, apud Philologos ingenij eius indicium eſt.* Ita Hieronymus in Catalogo.

c *IPSORVM SERVI, PVERI, MVLIERCVLÆ*) Iuſtinus in *Apologia* ad Senatum ſub finem, indicat imbelle hoc A genus per ſycophantiam protractum in quæſtiones, his verbis; Φονεύοντες γὰρ αὐτοί τινας ἐπὶ συκοφαντίᾳ τῇ εἰς ἡμᾶς, καὶ εἰς βασάνους εἵλκυσαν οἰκέτας τῶν ἡμετέρων, ἢ παῖδας, ἢ γύναια, καὶ δι' αἰκισμῶν φοβερῶν ἐξαναγκάζουσι κατειπεῖν ταῦτα τὰ μυθολογούμενα, ἃ αὐτοὶ φανερῶς πράττουσιν. *Ipſi enim aliquos per fictam in nos calumniam occidentes, in tormenta quoque pertraxerunt ſeruos noſtros, aut pueros, aut mulierculas, ac per horrendos cruciatus* B *adigunt ea fabuloſa confiteri, quæ ipſimet maniſeſtò faciunt.*

d *QVA DE CAVSSA NOBILEM ILLAM APOLOGIAM*] Exſtat integra hęc Apologia, eſtq́; omnium ferè, quæ adhuc à quoquam prodierunt, abſolutiſſima, & & martyre digniſſima.

e *SVB ANNVM DOMINI* 142.) Nam Euſebius quidem in Chronico adſcribit 142. Lucius Dexter autem Hieronymo æ‑ C qualis anno 143. Baronius verò 150. Quod ex ipſius Iuſtini ſe dicit colligere apologia, qui ſic habet: Ἵνα δὲ μή τινες ἀλογισταίνοντες εἰς ἀποτροπὴν τῶν δεδιδαγμένων ὑφ' ἡμῶν, εἴπωσι πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα γεγεννῆσθαι τὸν Χριστὸν λέγειν ἡμᾶς ἐπὶ Κυρηνίου, δεδιδαχέναι δὲ, ἅ φαμεν διδάξαι αὐτὸν, ὕστερον χρόνοις ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου. *Vt ne verò aliqui dicant, malè quidem illi ad eorum quæ docuimus euerſionem ratiocinantes, dici à nobis Chriſtum* D *ante centum quinquaginta annos natum eſſe ſub Cyrenio: docuiſſe autem, quæ dicimus eum docuiſſe, poſterioribus temporibus ſub Pontio Pilato, &c.* Ita ibi Iuſtinus.

Quibus in verbis Baronius putat indicari tempus, quo ſcripta eſt hæc apologia, nempe annum Domini 150. (qui eſt Antonini Pij Imp. vndecimus) ſed nihil neceſſe eſt, cùm dicitur aliquid factum, verbi gratia, ante centum quinquaginta E annos, illud factum eſſe reſtrictè anno cēteſimo quinquageſimo, ſed tum quidem aut aliquanto antè aut pòſt: ſiue vno, ſiue pluribus annis priùs, aut etiam poſteriùs. Immo Flauius Lucius Dexter in Chronico refert id factum anno Chriſti 143. Vrbis autem conditæ 894. Cui ego haud grauatè adſtipulor: nam vno tantum anno diſcedit ab Euſebio, qui in Chronico id factum notat anno Domini 142. qui eſt ter‑ F tius Antonini Pij. Quin etiam cùm plura Euſebij manuſcripta exemplaria aſſignēt quarto Antonini, & conſequenter 143. Chriſti; ſicque conueniant Euſebius & Dexter, his prorſus aſſentiendum eſt. Rurſus deinde Baronius perinde quaſi certum aſſumit, Antoninum reſcripſiſſe pro Chriſtianis anno 15. imperij ſui, & nō priùs: quia ſcilicet in edicti inſcriptione reperiatur *Tribunitia poteſtatis* XV. qui anni cōcurrāt cū annis imperij: quod item non eſt extra omne

TRIBUNITIÆ POTESTATIS ANNI NON SEMPER CONCORDANT CVM ANNIS IMPERII.

omne dubium, sed tunc tantùm, quando Tribunitia potestas venit cum imperio, non autem cum illa cuipiam ante imperium collata est, vt nonullis, & ipsimet Antonino Pio accidit. Nam ab Hadriano adhuc superstite tribunitiam potestatem accepit v. calendas Martias, teste Iulio Capitolino, in vita Antonini Pij: imperium autem vi. idus Iulij, Hadriano iam mortuo, hoc est, quinis ferè mensibus posteriùs, Spartiano teste in vita Hadriani: ita vt licet interdum concurrerent anni tribunitiæ pot. & imperij; tamen interdum etiam discreparent. Nam si quid Antoninus Pius faceret expleto vno anno tribunitiæ potestatis, in Martio proximo, verbi gratia, aut in Aprili, aut in Maio, aut in Iunio hoc certè diceretur fieri anno 2. tribunitiæ potestatis; & tamē non 2. imperij, sed primo: cùm non numeretur secundus, primo necdum expleto. Nec enim vt consulatus: sic imperij auspicandi, aut tribunitiæ potestatis ineundæ certus est mensis, sed vt res casúsue tulerit.

Ex quibus patet non necessariò concurrere annos Tribunitiæ potestatis & imperij: atque adeo si Hadrianus post collatam Antonino tribunitiam potestatem aliquot annos superuixisset, tum annis totidem præcessissent tribunitiæ potestatis anni annos imperij: id quod in M. Antonino Philosopho accidit, qui multis annis ante imperium, obtinuit tribunitiam potestatem: quod ex eius vita apud Iulium Capitolinum assequi licet. Immo cùm annos tantùm nouēdecim imperârit, tamē sunt apud Goltzium & Adolphum Occonem complura numismata, in quibus anni Trib. pot. xxxiiii. numerantur.

Ex his, vt opinor, satis liquet non necessario inter Iustini apologiam & Imperatoris rescriptū quatuor annos interfuisse, ac per consequens nec bene infirmari eorum sententiam, qui tenent Imperatorem Apologia Iustini permotum benignius egisse cum Christianis, & edictum illud, de quo suprà, emisisse. Sunt autem qui hoc tenent, & quorum ego accedo sententiæ, nominatim Paullus Orosius, S. Augustini æqualis, qui eiusdem Augustini hortatu suam conscripsit historiam, & Ioannes Zonaras auctor græcus: quorum paullo inferiùs hoc ipso capite, cito loca & verba. A quibus cur discessionem faceret Baronius, nihil prorsus in Iustini verbis reperi, vt iam ostendi. Nam quod adfert, post Iustini apologiam reperiri sub eodem Antonino Pio Sanctorum Martyria, & nominatim Telesphori Pontificis, certè qui rem bene examinauerit, prorsus reperiet contrarium, nempe Telespho-

TELESPHORI PAPÆ MARTYRIVM QVO ANNO ACCIDERIT.

A rum primo Antonini Pij anno, non autem decimo quinto, vt vult Baronius in annalibus, obijsse. Quod non tantùm ex Eusebij chronico, sed etiam ex eius historia, lib. 4. cap. x. probatur: in qua sic scribit, agens de Antonino Pio: Τούτου δὴ ἐν ἔτει πρώτῳ, Τελεσφόρου τὸν βίον ἐνδεκάτῳ τῆς λειτουργίας ἐνιαυτῷ μεταλλάξαντος, Ὑγῖνος τὸν κλῆρον τῆς Ῥωμαίων ἐπισκοπῆς παραλαμβάνει. *In huius autem* [Antonini Pij] *anno* B *primo, cum Telesphorus vndecimo sui ministerij anno vitam commutasset, Hyginus Romanæ Episcopatus sortem suscepit.*

Vbi Nota Eusebij interpretem Christophorsonum perperam vertisse, *vndecimo sui ministerij completo*, cùm verba græca nihil sonent aliud, quàm quod posui in mea versione. Christophorsoni porrò versionem & errorem secutus est Baronius ad annum Christi 154. vbi dicit Eusebium C tribuere Telesphoro annos vndecim exactos. Haud equidem infitior tot exegisse annos Telesphorum, nec hoc in præsenti disputo, sed tantùm id ex verbis Eusebij minime colligi: quandoquidem vera essent Eusebij verba, tametsi Telesphorus decem annos dumtaxat vixisset & menses aliquot: tum enim rectè diceretur anno vndecimo mortuus.

Eodem anno 1. Antonini Pij assignat D Telesphori martyrium S. Methodius, Episcopus & Martyr: cuius verba refert Marianus Scotus ad annum Christi 140. Denique vt alios omittam, ipse Baronius, licet contra nos sit in annalibus, tamen pro nobis totus est in Notationibus ad Martyrologium, vbi & præsentem nodum de martyrijs extra persecutionum tempora soluit liquidissimè. Nam ad diem v. Ianuar. ita scribit: *Hoc loco*, inquit, *forte* E *tasse erit, qui dubitet, quomodo sub Antonino Pio Telesphorus, vel alij passi dicantur, cùm sub eo pacem fuisse in ecclesia testetur Tertullianus in Apologetico, Seuerus lib. 2. Orosius lib. 7. cap. 14. & alij. Constat etiam Antoninum pro Christianis edictum amplissimum proposuisse, vt scribit Eusebius in chronico, & historia lib. 4. cap. 12. quod apud Iustinum Martyrem leges in appendice Apologiæ.* Deinde hoc subijcit responsum: *Respondemus Mar-* F *tyrium Telesphori contigisse ante scriptam à Iustino Apologiam & promulgatum pro Christianis edictum, prout testatur Eusebius lib. 4. cap. 11. & 12. Porrò ex eadem Iustini Apologia satis apparet ante illud tempus, cum idem imperaret Antoninus, non esse temperatum omnino à cæde Christianorum, non quidem Imperatoris mandato, sed ex sententijs Præsidum, & furore Gentilium, conclamantibus illis contra fideles, ad quorum coercendum furorem Iustinus, vt apparet, nobilissimam illam elaborantis*

borauit Apologiam Christiano Philosopho dignam. Hæc verbo tenus ibi Baronius, & rectissimè, licet aliter in annalibus.

Verùm opere in longo fas est obrepere somnum.

f *IMPERATORI TITO ÆLIO.*] Inscriptio græca ab ipso Iustino sic habet: Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ, Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ, ἐραστῇ παιδείας, ἱερᾷ τε Συγκλήτῳ, καὶ δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ἀδίκως μισουμένων καὶ ἐπηρεαζομένων, Ἰουστῖνος Πρίσκου τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαουίας, νέας πόλεως, τῆς Συρίας τῆς Παλαιστίνης, εἷς αὐτῶν, τὴν προσφώνησιν καὶ ἔντευξιν πεποίημαι.

Hactenus inscriptio: quæ latinè hîc non est repetenda, cùm sit in vitæ contextu. Totidem verbis reperitur apud Eusebium lib. 4. hist. eccl. c. XI. nisi quòd pro πεποίημαι *feci*, habeat ποιοῦμαι *facio*, præsens scilicet pro præterito. Sed præferenda est ea, quæ hîc est inscriptio, ex ipsis Iustini operibus desumpta.

Apud Baronium tom. 2. ad annum Christi 150. malè legitur in eadem inscriptione, *Eruditionis amatoribus*. pro *eruditionis amatori*. cùm græcè sit tam apud Eusebium, quàm apud Iustinum ἐραστῇ παιδείας, non ἐρασταῖς. Et præterea Ruffini Presbyteri interpretatio antiquissima habeat, *Amatori sapientiæ*. AMATORI ERVDITIONIS, non AMATORIBVS.

IOANNIS CHRISTOPHORSONI LOCVS EMENDATVS. Hallucinatus est circa eandem inscriptionem Christophorsonus Eusebij interpres, dum illud ἀπὸ Φλαουίας reddidit, *E gente Flauia*, in loco Eusebij iam citato: cùm *Flauia* ibi sit nomen vrbis, ex qua fuit Iustinus, vt notaui ad primum caput. Deinde illa addidit de suo: *supplex obnixis precibus*, quæ nec in græco sunt, nec animo Iustini conueniunt. Iam ista verba: ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ἀδίκως μισουμένων. duplicem admittunt sensum. 1°. illum: *pro ijs qui ex omni genere hominum iniuste odio habentur:* 2° alium: *qui ab omni genere hominum odio habentur.* & hunc posteriorem secutus sum, tanquam proprium Christianis, & dicto Christi conformem, Matthæi 10. & 24. item Marci 13. & Lucæ 21. quibus in omnibus locis dicitur: Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* vt habetur Matthæi decimo, & Marci decimo tertio, & Lucæ vigesimo primo. Aut: Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν διὰ τὸ ὄνομά μου. *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*, vt Matthæi 24. Ad quæ loca omnino respectum habuisse opinor Iustinum. Nec mouere quempiam debet, ibi esse præpositionem

A ἐκ, hic autem ὑπὸ: cùm etiam ἐκ habeat significationem ὑπὸ siue ἀπὸ. Multa notaui exempla huius significati in Antholologia mea græcolatina statim initio. Non improbo tamen priorem sensum à multis receptum, tanquam magis obuium: quãuis fortè non æquè verum, nec tam sacris litteris, præsertim in proposito persecutionis, de qua & hic Iustinus, & in euangelio Christus dictis locis agunt, respondentem.

B Sic in epistola ad Diognetum ante medium dixit idem Iustinus de Christianis: Ἀγαπῶσι πάντας, καὶ ὑπὸ πάντων διώκονται· ἀγνοοῦνται, καὶ κατακρίνονται. *Amant omnes, & ab omnibus infestantur: ignorantur, & condemnantur.*

Voce ἐκ in dicta significatione vtitur etiam Dionysius Areopagita, c. 3. *De ecclesiastica hierarchia.* Πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ, καὶ ἁγιόγραφος δέλτος, ἢ τὴν ἐκ Θεοῦ τῶν ὄντων γεννητὴν ὕπαρξίν τε καὶ διακόσμησιν. *Omnis enim* C *sacrosanctus scripturæ liber, aut conditam à Deo rerum substantiam & ornatum* [complectitur.] Et B. Clemens Alexandrinus, VI. Stromatum paullo ante medium: Ἡ γνῶσις δὲ αὐτὴ ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα κατελήλυθεν. *Cognitio autem ipsa per successiones ab Apostolis sine scripto tradita ad paucos peruenit.* Vbi nota non posse sic explicari: *Ad* D *paucos ex Apostolis.* Nam si de doctrina Christi agatur, non ad paucos Christi Apostolos, sed ad omnes peruenit. Si autem de traditione Apostolorum, ea sine scripto ad paucos peruenit.

g *SIMONEM VERO MAGVM*] De illo ita Iustinus in Apologia ad Antoninũ Pium, antè medium: Μετὰ τὴν ἀνέλευσιν τοῦ Χριστοῦ εἰς οὐρανὸν, προεβάλλοντο οἱ δαίμονες ἀνθρώπους τινὰς λέγοντας ἑαυτοὺς εἶναι Θεούς· E οἳ οὐ μόνον οὐκ ἐδιώχθησαν ὑφ᾽ ὑμῶν, ἀλλὰ καὶ τιμῶν κατηξιώθησαν. Σίμωνα μέν τινα Σαμαρέα, τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης Γίτθων· ὃς ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος, διὰ τῆς τῶν ἐνεργούντων δαιμόνων τέχνης δυνάμεις ποιήσας μαγικὰς, ἐν τῇ πόλει ὑμῶν βασιλίδι Ῥώμῃ Θεὸς ἐνομίσθη, καὶ ἀνδριάντι παρ᾽ ὑμῶν, ὡς Θεὸς, τετίμηται· ὃς ἀνδριὰς ἀνεγήγερται ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ, μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην. ΣΙΜΩΝΙ ΔΕΩΙ F ΣΑΝΚΤΩΙ. *Post Christi in cælum ascensionem Dæmones impulerunt certos homines, qui dicerent se esse Deos: qui non solùm non infestati sunt à vobis, sed etiam honoribus dignati: nempe Simonem quendam Samaritanum è vico Gitton dicto, qui sub Claudio Cæsare, dæmonum in se operantium arte, patratis in vestra regia vrbe Roma virtutibus magicis Deus habitus est, & statuã tanquam Deus à vobis honoratus: quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes erecta est, cum hac Romana inscriptione:* SIMONIS MAGI PRÆSTIGIÆ, ET HONORES.

tione: SIMONI DEO SANCTO. A

Huius statuæ & inscriptionis strictim attigit memoriam Tertullianus in Apologetico, cap. 13. *Simonem Magum*, inquit, *statua & inscriptione Sancti Dei inauguratis.* Vide plura apud Irenæum lib. 1. cap. 20. qui Iustinum legisse & imitatus esse cernitur: vtrumque autem Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Theodoretus, & alij imitati sunt.

DESIDERII HERALDI DE STATVA SIMONIS MAGI OPINIO.

Quos omnes à vero aberrasse S. Iustini errorem sequutos, non dubitarunt asserere, Desiderius Heraldus, & eius secutus vestigia Salmasius, qui tamen ipsi leuiculis ducti coniecturis maximè mihi aberrasse à vero, & temere sanctum virum & insignem philosophum arguisse simul credulitatis, simul imprudentiæ videntur. Aiunt enim S. Iustinum quorundam vocabulorum similitudine deceptum attribuisse Simoni mago, quod erat Semoni C Sango, Deo Fidio olim attributum. Atqui non erat is Iustinus (quemadmodum in omni eius vita ostendi) qui leuis ad credendum, aut temerarius ad objciendum Imperatori ac senatui factum aliquod à maioribus ipsorum esset, de quo minimè ipsi constaret.

Sed videamus, quid Heraldum mouerit, quamobrem & errasse Iustinum, & haud benè à doctissimo Baronio defensum esse scripserit. D

EIVSDEM HERALDI VERBA.

Igitur ad illum Tertulliani locum in Apologetico, cap. 13. *Cùm Simonem magum statua & inscriptione sancti Dei inauguratis.* sic ipse Heraldus annotat: *Hoc idem Iustinus, Irenæus, & eos sequutus Eusebius scriptis suis prodiderunt: Et profectò iam dudum in mentem mihi venerat nominis similitudine simul & obscuritate deceptos eos, qui primi hoc obseruarunt: quum coniecturam meam etiam inscriptionis ipsius testimonio, quam in Æsculapij insula erutam scribit doctiss. Cardinalis Baronius, adstrui deprehendi. Narrat igitur Baronius ab aliquot annis effossum in ea insula lapidem cum hac inscriptione: SEMONI SANGO DEO FIDIO SACRVM &c. atque hinc suspicionem nonnullorum animos inuasisse, nominis similitudine Iustinum in fraudem fuisse impulsum: quam tamen suspicionem conatur ille diluere & confutare; sed argumentis adeo infirmis & * ἀνυδαρεῖς, vt corũ nulla possit haberi ratio.* Hæc ille & plura. Qui vt nimis se ac suam coniecturam amauit; ita eius anticipatam refutationem tam ægrè tulit, vt Baronij argumenta, quibus eam refutauit, infirma & nihili, & quorum nulla possit haberi ratio, vocare ausus sit. Quod an ita se habeat, vt certiùs ac clariùs perspiciatur, hæc nobis formabitur & disputabitur quæstio.

* Nihili.

QVÆSTIO.

An Simoni mago erecta Romæ fuerit statua inscripta: SIMONI DEO SANCTO?

Affirmant S. Iustinus, S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & alij eos sequuti, atque inter hos doctissimus Cardinalis Baronius. Negant Desiderius Heraldus & Claudius Salmasius. Nam alios hodie nõdum vidi, & de istis certus sum. B

Ego quidem, expensis vtriusque partis argumentis, & nouis item rationibus pro saniore parte excogitatis, hanc statuo longè probabiliorem sententiam:

Simoni Mago erecta fuit Romæ statua sic inscripta: SIMONI DEO SANCTO.

Primò probatur auctoritate S. Iustini Philosophi, qui eam vidit, & Claudio imperante illi positam scripsit, & hoc ipsum ipsi Imperatori Antonino Pio, & filijs Cæsaribus, ac senatui Romano, in priore sua Apologia obiecit, atque, vt deijceretur, postulauit. Quod sanè non fecisset, nisi rẽ priùs accuratè examinasset. Quis enim, non dicam philosophus, & tanta, quantâ ille fuit, auctoritate; sed quis homo alicuius mentis & frontis audeat coram Impp. & in ipsa vrbe Roma (vbi res ea fit, & examinari possit) aliquid momenti cuiuspiam proferre tanquam certum, quod minimè exploratum habeat? Atqui S. Iustinus homo antiquitatum perquam studiosus non semel, sed sæpius in eadem apologia de honoribus diuinis Simoni mago habitis, & de erecta ei statua egit. Vnum locum suprà produximus è media ferè apologia, ecce & alterum ferè è postremâ: Καὶ γὰρ παρ' ὑμῖν, ὡς προέφημεν, ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος γενόμενος ὁ Σίμων, καὶ τὴν ἱερὰν σύγκλητον καὶ τὸν δῆμον Ῥωμαίων εἰς τοσοῦτο καταπλήξατο ὡς θεὸς νομισθῆναι, καὶ ἀνδριάντι, ὡς τοὺς ἄλλους παρ' ὑμῖν τιμωμένους θεούς, τιμηθῆναι. Ὅθεν τήν τε ἱερὰν σύγκλητον, καὶ τὸν δῆμον τὸν ὑμέτερον, συνεπιγνώμονας ταύτης ἡμῶν τῆς ἀξιώσεως παραλαβεῖν αἰτοῦμεν· ἵνα εἴ τις εἴη τοῖς ἀπ' ἐκείνου διδάγμασι κατεχόμενος, τ' ἀληθὲς μαθὼν τὴν πλάνην φυγεῖν δυνηθῇ· καὶ τὸν ἀνδριάντα, εἰ βούλεσθε, καθαιρήσατε. *Nam apud vos, prout antè diximus, in imperiali vrbe Roma, sub Claudio Cæsare Simon fuit, & sacrum senatum, populumque Romæo stuporis perduxit, vt Deus haberetur, & statua (sicut alij, quos colitis, Dij) honoraretur. Quocirca sacrum senatum, & populum vestrum rogamus, vt hac nostra postula-*

S. IVSTINI VERBA DE STATVA SIMONIS MAGI.

ta cognoſcant: vt ſiquis illius doctrinâ imbutus ſit, intellecta veritate, errorem effugere valeat: & vos ſtatuam, ſi quidem ita velitis, euertite.

Ex his autem colligi poteſt non leuiter & tranſcurſim vidiſſe Iuſtinum illam ſtatuam, & mox nulla inquiſitione facta credidiſſe Simoni mago erectam, cùm erecta eſſet Semoni Sango Deo Fidio, ſed de illa perquiſiſſe, ac didiciſſe à ſenioribus & doctioribus verè erectam fuiſſe Simoni mago, imperante Claudio, poſtulatu populi, decreto ſenatus. Nam erant Romæ tempore S. Iuſtini, qui id ab auis ſuis didiciſſe poterant; vtpote proximo antè ſæculo factū.

S. IRENÆI VERBA DE EADEM.

Secundò, auctoritate S. Irenæi lib. 1. aduerſus hæreſes, cap. 2. vbi de Simonis magi ſtatua ſic ſcribit: *Quippe cum eſſet ſub Claudio Cæſare: à quo etiam ſtatua honoratus eſſe dicitur propter magiam.* &c. Et infrà de eiuſdem magi ſectatoribus: *Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Iouis; & Helenæ, in figuram Mineruæ: & has adorant.*

Igitur Irenæus omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator, (vti eum Tertullianus appellat) inquirendo & explorando didicit, in quâ figura effingeretur imago Simonis: nempe in figura Iouis. Quare cùm eadem eſſe ſoleat in ſtatuis figura, quæ in imaginibus: potuit S. Iuſtinus ex figura diſcere Simonis ſtatuam, vt Irenæus imaginem. Atque id non debet dici ſumpſiſſe Irenæus à S. Iuſtino, cùm in Iuſtino nihil tale oſtendi poſſit de imagine.

Tertulliani auctoritatem ſuprà datam non repeto: nec Euſebij, quem liquet è Iuſtino & Irenæo ſumpſiſſe, allego (cuius tamen videndę ſi quis ſtudioſus ſit, habet apud eum in cap. 12. libri 2. hiſt. eccl.) neque item Epiphanij eadem de cauſſa: neque Theodoreti, qui lib. 1. hæreticarum fabularum, hoc ſolùm habet noui, quòd ſtatuam fuiſſe dicat æneam. ὡς καὶ στήλῃ τιμηθῆναι χαλκῇ, *vt & columna honoratus ſit ænea.* S. Auguſtinum verò minimè pręteribo, qui in libro de hęreſibus, ad Quoduult Deum, hæreſi prima, expreſsè imaginum ac ſimulacrorum eius meminit, auctoritate publica, illi & ſuæ Mineruę poſitorum, vbi ſic inter alia: *Iouem ſe credi volebat: Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quàm ſibi ſociam ſcelerum fecerat: imaginéſque ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas: quas & Romæ tanquam Deorum ſimulacra auctoritate publica conſtituerat.*

STATVA SIMONIS MAGI ÆNEA.

S. Auguſt. l. De hæreſibus, hær. 1.

Iſti ergo SS. Patres, tam Græci, quàm Latini perſuaſum habuerūt verè ſtatuam Simoni mago ſtatutam fuiſſe: neque vlli venit in mentem dubitare, an non illa Semoni Sango, Deo Fidio potiùs poſita eſ-A ſet, ac per errorem Simoni mago attributa. Et tamen potuerunt illi PP. græci quidem è Dionyſio Halicarnaſſeo, latini autem è Tito Liuio, Propertio, Ouidio, de Semone Sango Fidio aliquam hauſiſſe cognitionem. Sed demus non hauſiſſe, an tamen ab vnanimi & conſentiente tantorum dictorum auctoritate abſque fortibus argumentis recedendum eſt? Nam hac demū noſtra ætate à Deſiderio Heraldo (quantum potui addiſcere) recedi cœptum eſt: quibus argumentis pòſt videbimus. Placet enim prius doctiſſimi Baronij pro ſua & noſtra ſententia rationes pōderare: quas cùm Heraldus vocet infirmas & nihili, ſi ego ipſius longe infirmiores ac minoris valoris oſtendero; non erit opinor, quamobrem tam nihili eius coniectura deinceps ſuſtineri poſſit.

BARONII RATIONES PRO STATVA SIMONIS MAGI EXPENDVNTVR.

Ratio igitur prima Baronij, qua docet C falſum non eſſe Iuſtinum in ſtatua Simonis magi, ducitur ex eiuſdem Iuſtini ſapiētia atque prudentia, & earum rerum, quæ ad Deos pertinent, omnigena ſcientia, quàm eius nobis ſcripta exhibent. Sic enim dixit: *Quonam pacto, quæſo, in his Iuſtinus decipi potuit, qui non tantum Gentilium philoſophiæ, ſed & ipſorum theologia eruditione non leuiter tinctus, vel mediocriter imbutus, ſed egregiè excultus, & apprimè eruditus* D *erat: vt planè declarant eius commentarij non tantum ad Antoninum Pium, & ad Senatum Romanum, ſed ad Gentiles ipſos ſermo exhortatorius ſcriptus?*

Quæ ſanè ratio non tam infirma eſt, quàm facit Heraldus. Valet enim perinde ac ſi diceret: Admodùm peritus fuit Iuſtinus ſcientiæ, quæ de Dijs traditur: facilè igitur diſtinguere potuit inter ſtatuam quę Simoni mago poſita eſt, & eas, quę E Semoni Sango Deo Fidio poſitę olim fuerunt.

Potuiſſe autem diſtinguere probat ex diuerſo ſtatuarum habitu, quòd Simonis magi eſſet in habitu Iouis, Semonis autem Sangi in habitu Herculis.

2. ratio ducitur partim ex philoſophi prudentia, partim ex cognoſcendæ veritatis facilitate. *Sed & quomodo*, inquit, *non ea de Simone mago plùs certo, Romæ diu, mul-* F *túmque verſatus explorata habuit, quæ non in angulo, vel coram eius rei ignaris locutus eſt, ſed ad ipſum Romanum Imp. ac filios Cæſares, necnon Romanum ſenatum conſcripſit?* Quaſi dicat: Valde imprudens ac temerarius fuiſſet Iuſtinus, ſi ea de quibus redargui facillimè potuiſſet, tantis viris tanquam certiſſima obtruſiſſet. Igitur è contrario cùm prudens eſſet ac conſideratus, oportet eum, quæ ipſis dixit, certa habuiſſe & explorata.

3. ratio

3. ratio. Statua Simonis magi posita A fuit auctoritate Imperatoris & Senatus, vt indicant Iustinus & Augustinus suprà. Atqui in illis Semonis Sangi, nec Imperatoris, nec Senatus nomen comparet: sed aut priuatorum quorumpiam, aut minorum officiorum, vt è subiectis patebit inscriptionibus, quas perspicuitatis gratiâ hîc apposui, vt repertæ sunt. Ecce igitur illas è Romanorum inscriptionum corpore, operâ Iani Gruteri, pag. xcvi.

Vna inscriptio est talis:

Romæ apud Fuluium Vrsinum.

SANCTO. SANCO.
SEMONI. DEO. FIDIO
SACRVM. PECVRIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS.

Idem citat in Notis ad Cæsarem.

Secunda est huiusmodi:

Romæ, in insula Tiberina, ad templum Lateranum.

SEMONI
SANCO
DEO. FIDIO
SACRVM
B SEX. POMPEIVS. SP. F
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM. DEDIT.

E Cicsano & Lipsio.

Tertia ibidem sic notatur:

Reate, ante fores summi templi, in capite pilæ marmoreæ, quæ plena est virorum varij habitus choreas ducentium, & ascendere conantium, quidam interim illic muliebri vestitu manu clauam tenet.

SANCO. FIDIO. SEMOPATRI.
DE. DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS. MVMIVS. DONVM
MORIBVS. ANTIQVEIS. PRO. VSVRA. HOC. DARE. SEMPER.
VISVM. ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA. OPE. ROGANS. TE.
COGENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAXSEIS
PERFICIASQ. DECVMAM. VT. FACIAT. VERAE. RATIONIS
PROQVE. HOC. ADQVE. ALIEIS. DONIS, DES. DIGNA. MERENTI

Ex Apiano & Fuluio, schedísque Metelli.

Quarta denique inscriptio sic efformata est:

SANCO. DEO.
PATR. REATIN.
SACRVM.

OB. HNOREM ET
: : : : : : : AVGVS. : :
: : : : : : : : : : : : : : : :
VI. VIRI. AVGVST.
L. BAEBIVS. FELIX.
IVL. HIGIN. SVCCESS.
P. POMPON. MODERAT.
C. PONTIVS. FORTVNAT.
AVL. HERMEROS.
M. ACIL. CALLISTVS.

Altero lat.

DEDIC. KAL.
OCTOB
: : : : : : : : : : : : :
: : : : : : : : : : : : :
COS

C En omnes inscriptiones de Semone Sãco Deo Fidio, quæ hactenus reperiri potuerunt, fideliter expressæ. In quanã igitur harũ, amabo, falli potuit Iustinus, vt crederet eũ Simoni mago, de quo in Actis Apostolorum, positam esse? Nam tres quidem priores manifestè indicant se Deo Fidio consecratas, quem Deum, vt antiquissimũ & in iuramentis frequentissimum, ignorare non potuit Iustinus diuersum esse à Si-D mone mago. In quarta autem inscriptione falli nullo modò potuisse, (quòd nulla ibi nec Simonis, nec Semonis vmbra sit aut vestigium) facilè nobis dabunt aduersarij. Nam fingere eum in alia quapiam hodie ignota falsum esse, est hariolari.

Atque hactenus pro argumentis Baronij à Desiderio Heraldo contemptui & pro nihilo habitis, cùm tamen ex ipsis rei visceribus, hoc est, è persona Iustini, & è E forma, figuráue statuæ sumpta sint: & quibus certè ipsa Heraldi minimè comparanda sint.

Vnum eius argumentum est à similitudine inscriptionum. Atqui, vt oculis patet, maior

maior est dissimilitudo, quàm similitudo. A Si igitur à dissimilitudine infirmum argumentum est, quanto magis à similitudine? Inscriptio, quam vidit S. Iustinus, habebat:

SIMONI DEO SANCTO.

Aliæ autem, quæ positæ sunt Semoni Sanco, nunquam habent *Sanco* post *Deo*, & nomini *DEO* subiungunt FIDIO. Appetebat autem Simon magus & Dei nomen & sancti, velut omnibus præcellens B Dijs, quorum plura sciret memorari prauitatis facta, quàm sanctitatis.

Dicit porrò Heraldus Iustinum deceptum esse in prima inscriptione hîc positâ: de cuius lapide sic scribit: *Cùm igitur offendisset huius lapidem Iustinus, vel quis etiam ante eum alius, existimauit statim non Semoni Sango (cuius diuinitas non erat omnibus nota) dicatam fuisse statuam, sed Simoni Mago.* Quod confirmat ex eo, *quod omnia,* C inquit, *Gentium facta, dicta, scripta ita interpretabantur tunc temporis Christiani, vt ea omnia proposito suo accommodarent, aliquando contra Gentium mentem.* Sic ille.

At vero quàm infirmum sit hoc argumentum, quis non videt? Dato enim aliquos Christianos ita facere solitos; at non omnes, non in omni re, non apud quoslibet: certè quidem non tali scientia & auctoritate vir, qualis fuit Iustinus, id fe- D cerit; non in re tanti momenti, quanta nunc agebatur; non coram Imperatoribus & Senatu, non eo loco & tempore, quo ipsum redargui facillimum esset simul & turpissimum.

Alterum Heraldi argumentum est in illis verbis: *Denique quum de ista re sileant profani omnes Scriptores; non dubito, quin Christiani se ipsos deceperint.*

Vah futile, immo pestilens argumen- E tum. Si enim talis admittatur argumentandi ratio; tota ferè Scriptura sacra, cum omni historia ecclesiastica, fidei iacturam faciat, necesse est. Quàm multa enim sunt, seu hîc, seu illîc, & quidem admirabilissima, de quibus omnes profani Scriptores siluerunt? Nam vel decimam partem colligere si velim; volumina mihi totidem scribenda sint, nec eam tamen totam cōprehenderim. Vnum autem pro cun- F ctis vt tangam exemplum, Piscina illa probatica, Ioannis quinto cap. tam admirabilis, & tam fœta miraculorum, cui vni dicta est Scriptorum profanorum? quandoquidem Iosephus ipse antiquitatum Iudaicarum, præ ceteris omnibus, diligens collector & conscriptor, de illa ne verbum quidem. Et tamen tanti argumentum suum ab auctoritate negata facit Heraldus (quo nihil esse

PISCINA PROBATICA, IOAN. CAP. V. IGNOTA PROFANIS AVCTORIBVS.

infirmius dialecticorum pueri norunt & clamant) vt propter illud non dubitet, quin Christiani se ipsos deceperint. Verùm ipsemet in isto argumentandi genere vehementer se decepit: vti & Claudius Salmasius per ipsissima Heraldi vestigia ingressus in Notis ad Spartianum. Vbi addit se suam sententiam pluribus ad Apologeticum Tertulliani constabiliturum. Quod an fecerit, nescio. Nec enim ille eius liber in hac Academia Duacena adhuc cognitus. Ego pro nostra sententia vnam atque alteram non improbabilem rationem in præsenti proferam.

Primò igitur, cùm satis constet verba S. Iustini de statua Simonis magi, scripta esse in priore Apologia, quæ Antonino Pio oblata est; non autem (vt putauit & scripsit Salmasius) *in secundo pro Christianis apologetico*, nisi si fortè non scriptionis ordinem, sed vitiatæ impressionis sequitur; cùm id, inquam, ex proposito à nobis & probato istorum librorum ordine satis constet; fieri vix potuit, vt S. Iustinus (qui & diu vixit post istam apologiam, & Romæ cœtus habuit) à nullo vel amico admoneretur, vel inimico irrideretur, de tanto videlicet ac tam notabili errore (si quidem error fuisset) quòd Simonem magum accepisset pro Semone Sanco: nec eam rem, de qua dicturus coram Imperatoribus & Senatu fuisset, accuratè examinasset; sed temere arripuisset, atque in scripta sua immisisset. Tanta sanè, in illis præsertim persecutionum temporibus, caritas Christianorum inter sese flagrabat, seu in fraternè admonendo, seu in mutuas inuicem operas conferendo, seu in ecclesiæ honori consulendo, vt facilius creditu sit, à nimis multis eum de tali errore (si fuisset) monitum fuisse, quàm à nullo. Quis porrò de tali errore admonitus non confestim ad emendationem curreret?

Abundè autem habebat temporis B. Iustinus, cùm & post apologiam illam, impetrata sedatione tempestatis, profectus in Asiam fuerit; ibique cum Tryphone disputauerit, & aliquanto itē pòst tempore Romam reuerterit, cœtúsque Christianorum ibi habuerit. Quin etiam, ipsis tacentibus Christianis, infideles ipsi tantum vnius Philosophi errorē, & euictu tam facilem (quippe stante adhuc in vrbe, & in loco, quem nominasset, statua) minimè tacuissent, sed cæcam viri ignorantiam, temeritatémque explosissent. Ac si fortè minùs alij, certè Crescens, ille iuratus hostis ipsius & homicida tan-

tam hallucinationem explosisset,& ipsi insultasset plus satis.

Deinde quòd facile fuerit Simoni mago,& petere & impetrare statuam, partim ipsius superbia diuinos honores affectâtis, partim Claudij Imp. tempora (quibus sicut multis cupido insana statuarũ erat; sic & profusio) effecerunt. Quin & Simoni per id tempus tanta impetrandarum præcipuis sectatoribus suis statuarum confidentia fuit, vt earum spe obiecta ad sui sequelam nonnullos inuitarit. Exstat huius rei mẽtio in epitome rerum à S. Petro gestarum, à Ioachimo Perionio latinè reddita. Cuius epitomes ea minimùm fides esse debet, quæ Scriptorum profanorum; maximè in ijs, quæ de moribus hæreticorum proferuntur.

Fuisse porrò ijsdem Claudij Imp. temporibus omnia Romæ statuarum plena & donariorum, auctor est Dio Cassius, lib. LX. in ipsius Claudij vita sub initium, vti & Baronius annotauit ad annum eiusdem Claudij secundum.

At enim, inquiet aliquis, ille Dionis locus, si bene totus expendatur, magis contra vos facit, quàm pro vobis. Nam illa statuarum sub Claudio exuberans Romæ copia, ante illum, non ab illo fuit: siquidem de illa ipse conquestus est, & se modum isti intemperantiæ adhibiturum præ se tulit. Sic enim de illo sonant Dionis verba: Τά τε ἐπιβοήματα τὰ πολλὰ καὶ ὑπέρογκα ἔπαυσε· Καὶ εἰκόνα μίαν, καὶ ταύτην ἀργυρᾶν, ἀνδριάντας δὲ δύο χαλκοῦ τε καὶ λίθου ψηφισθέντας αὐτῷ κατ' ἀρχὰς ἔλαβε. Μάταια γὰρ πάντα τὰ τοιαῦτα ἀναλώματα εἶναι, καὶ προσέτι πολλὴν μὲν ζημίαν, πολὺν δὲ καὶ ὄχλον τῇ πόλει παρέχειν ἔλεγε. Πάντες μὲν γὰρ οἱ ναοὶ, πάντα δὲ καὶ τὰ ἄλλα ἔργα καὶ ἀνδριάντων καὶ ἀναθημάτων ἐπεπλήρωτο· ὥστε καὶ περὶ ἐκείνων βουλεύσεσθαι ἔφη, ἃ δεῖ πρᾶξαι. *Et acclamationes illas crebras & immodicas inhibuit: & vnicam imaginem, eámque argenteam, & duas statuas ex ære & lapide sibi ab initio decretas admisit: Inutiles enim omnes eiusmodi sumptus, ac præterea multum afferre damni, & magnas turbas ipsi vrbi ciere dicebat. Quippe omnia templa, & alia opera statuis & donarijs plena erãt: ita vt & de illis, quid facto opus esset, se deliberaturum diceret.*

Dio Cassius lib. lx. in Claudio.

Talis igitur animi & propositi cum esset Claudius, quomodo facile fuit Simoni mago obtinere statuam?

Bonus hic nodus è Dione: sed melior etiam è Dione solutio. Nam idem ille, qui ista de Claudio Imp. scripsit; longè alia de vxore eius Messalina quiduis audente, & nominatim circa statuas, perscripsit: nempe illam Mnesteri histrioni, concubino suo, non vnam, sed plures statuas posuisse,

A flagitij scilicet (ad quod induci Mnester ipse, licet histrio, difficillimè potuit) honorificum precium. Cùm igitur Romæ ferè omnia, non ex Imperatoris sententia, sed ex vxoris eius impudicissimæ arbitrio, libertorúmque voluntate gererẽtur; haud difficile fuit Simoni mago eorum gratiam varijs, quibus pollebat, præstigijs, & quibus tales solent homines delectari, ad obtinendam sibi statuam, demereri. Atque
B vt Dionis Cassij verba, quemadmodum antè contra nos, sic & nunc pro nobis afferamus, ea sic habent: Τὴν δὲ δὴ τοῦ Γαΐου μνήμην ἀχθόμενοι τὸ νόμισμα τὸ χαλκοῦν πᾶν, ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐκτετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν· καὶ ἐπράχθη μὲν τοῦτο· οὐ μέν τοι καὶ ἐς βέλτιόν τι ὁ χαλκὸς ἐχώρησεν· ἀλλ' ἀνδριάντας ἀπ' αὐτοῦ ἡ Μεσσαλῖνα τοῦ Μνηστῆρος τοῦ ὀρχηστοῦ ἐποιήσατο. *Caij verò* [Caligulæ Imp.] *memoriam ægrè ferentes, omne*
C *æreum numisma, quod eius insculptam ferret imaginem, conflari iusserunt. Id quidem factum: non tamen in melius quippiam æs conuersum est: sed ex eo Messalina statuas Mnesteris histrionis fecit*: postquam eum scilicet ad illicitam secum copulam, illuso Imperatore marito, propè inuitum pellexisset, vt ibidem à Dione fusiùs enarratur. Hunc Mnesterem vocat Suetonius in Caio Caligula, pantomimum, cùm sic
D de vtroque: *Quorum verò studio teneretur, omnibus ad insaniam fauit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur: si quis saltante eo vel leuiter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat.*

Idem Dio ibidem.

Cuncta verò Messalinæ & libertorum arbitrio geri tum solita, sic testis est idem Suetonius in Claudio: *Sed & hæc*, inquit, *& cetera, totúmque adeo ex parte magna principatum, non tam suo, quàm vxoris, li-*
E *bertorúmque arbitrio administrauit: talis vbique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet.*

Suetonius in Claudio.

Et Dio, vbi suprà: Δουλεύοντα μέν τοι αὐτὸν τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς ἀπελευθέροις ὁρῶντες ἤσχαλλον. *Et cernentes eum vxoris, & libertorum suorum esse mancipium, indignè ferebant.*

Dio in Claudio.

Denique ea, quæ de Simonis magi imaginibus & statuis attulimus, aliquanto
F etiam probabiliora redduntur ex ijs, quæ paullò post hæc tempora Apollonio itidem mago positæ sunt, imaginibus, & statuis, & templis. Nam Aurelianus Imp. cũ multas antehac eius imagines vidisset, eum sibi apparentem ex habitu recognouit. Nam de ipso Tyanam vrbem, (à qua ipse Apollonius est Tyaneus appellatus) oppugnante scribit Flauius Vopiscus, *recipienti se in tentorium Aureliano, ea forma, quâ videtur, subitò adstitisse Apollonium,*

APOLLONIO TYANEO MAGO IMAGINES, STATVÆ TEMPLA ERECTA.

atque

atque hæc latinè,(vt homo Pannonius intelligeret) verba dixisse: Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer age, si vis viuere. Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus & imaginem & statuas & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Ita Vopiscus.

Quemadmodum igitur Apollonius è visis eius imaginibus Aureliano cognitus est: ita & Simonis magi statua è conspectis antea eiusdam imaginibus S. Iustino agnita est.

Ac ne hoc præteream, quod pro suæ partis argumento visus est afferre Heraldus loco antè indicato: nempe statuam Simonis magi conspectam dici à S. Iustino in Tiberi fluuio inter duos pontes, hoc est, in Æsculapij insula, templis ac porticibus iam olim insignita, nihil hoc, inquam, contra nos euincit. Nam licet in eadem insula fuerit vna statua Semoni Sanco Deo Fidio posita, minimè sequitur esse illam, quam vidit S. Iustinus, immo magis contrarium. Nam in illa S. Iustini non erat *Deo Fidio*, ac si fuisset, facilè cognosset non esse Simonis magi, sed antiquissimi & notissimi illius Dij Fidij, à quo tritissimum Romanis iusiurandum illud emanauit: *Mediusfidius*, id est, per Deum Fidium, siue, Ita me Dius Fidius amet, vel adiuuet, hoc est, Hercules, qui à Sabinis *Sangus*, à Romanis modò *Sancus*, modò *Sanctus* vocabatur. Varro lib. 4. De lingua latina innuit ex auctoritate Ælij Galli, Dium Fidium idem esse quod Iouis filiū, siue, Herculē. Sic enim scribit. *Ælius Gallus, DIVS FIDIVS dicebat Diiouis filius, vt Græci Διόσκορον Castorem: & putabant hunc esse Sangum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca.* Apud Pompeium Festum de verborum significatione ita Paullus Diaconus: *Mediusfidius compositum videtur, & significare Iouis filium, id est, Herculem. Nam Græci Δία dicunt, quod nos Iouem, ac fidium pro filio: quòd sæpe antea pro L littera, D vtebantur. Quidam existimant iusiurandum esse per Diui fidem: quidam per diurni temporis, id est, diei fidem. Sic ibi.* Sed prima explicatio est optima.

DIVS FIDIVS QVIS FVERIT.

Dioscorum.

Antiquitas porrò cultus, ac venerationis Dij Fidij inde colligitur; quòd iam olim Tarquinius Superbus, Rex Romanorū illi ędem ædificarit in colle Martio, quam postea Sp. Postumius Cos. dedicauit Nonis Iunij: vt scribit Dionysius Halicarnasseus lib. 9. Antiquitatum Romanarum, sub finem: ita vt non vno loco (quemadmodum rectè indicauit Baronius) Dij Fidij, siue Semonis, siue Sangi, seu Sanci malis, seu Sancti appellare, esset constituta memoria. De quibus nominibus sic Ouidius lib. VI. Fastorum:

Quærebam, Nonas Sanco, Fidióne referrem,
An tibi Semo pater: tunc mihi Sancus ait:
Cuicūque ex illis dederis, mihi munus habebo.
Nomina terna fero: sic voluere Cures.

Ouidius lib. 6 Fastorum.

Quibus versibus indicatur tria eiusdem B Dei fuisse nomina, SANCVS, FIDIVS, SEMO, ac proinde nihil referre, cui Nonę Iunij sacræ dicerentur, SEMONI, an FIDIO, an SANCO, cū vnus idémque sint, cui Cures seu Sabini tria illa dedere nomina, nempe Hercules. Nā & Propertius lib. 4. elegia 10. quæ est de Hercule, eum vocat Sanctum his extremis versibus:

SANCTe pater salue: cui iā fauet aspera Iuno.
Sancte velis libro dexter inesse meo.

Propertius lib. 4. eleg. 10.

C Pompeius Festus in littera P. appellat Sācum. *Propter viam*, inquit, *fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.*

Atque vt huic finem disputationi imponam, hortor lectorem, vt his omnibus, quæ adhuc attuli, perpensis, & composita inscriptione S. Iustini, cum illis quas suprà protulimus secum consideret, an possit videri probabile, tantum & tam antiqui-D tatis studiosum philosophum non internosse statuas & inscriptiones vnius & alterius, Sanci, inquam, & Simonis magi; & tā inconsideratum fuisse, vt res obiter inspectas, nec examinatas, in litteras mitteret, & Imperatori offerret: neque de vitio, (si quod fortè interuenisset) tanto tempore quo superfuit, ab vllo vel Christianorum admoneretur, vel Gentilium reprehenderetur, vel æmulorum irrideretur. De hoc E modò satis: iam intermissa repetamus.

Pergit idem Iustinus: Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν, ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες προσκυνοῦσι· καὶ Ἑλένην τινὰ τὴν συμπερινοστήσασαν αὐτῷ κατ' ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ, πρότερον ἐπὶ τέγους σταθεῖσαν (ἐν Τύρῳ τῆς Φοινίκης) τὴν ὑπ' αὐτοῦ ἔννοιαν πρώτην γενομένην λέγουσι. *Et pæne omnes Samarienses, atque in alijs etiam gentibus pauci, eum tanquam primum Deum profitentes F adorant: & Helenam quandam per id tempus vna cum illo circumeuntem, quæ prius in prostibulo steterat (Tyri Phœnicia) primam ex eo genitam intelligentiam dicunt.*

Hactenus ibi Iustinus de Simone Mago, cuius etiam meminit in *Dialogo cum Tryphone*, vt notaui cap. 13. vitæ.

Tertullianus lib. *De præscriptionibus*, cap. 46. hæresiarcharum recensens ordinē, *Ad eos, inquit, me conuerto, qui ex euangelio hæretici esse voluerunt. Ex quibus est primus omnium*

Tertull. l. De præscriptionibus, cap. 46.

nium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum A *condignam meruit ab Apostolo Petro, iustámque sententiam. Hic ausus est summam se dicere Virtutem, id est, summum Deum; mundum autem ab Angelis suis institutum: à dæmone se oberrante, quæ esset sapientia, descendisse quærendum apud Iudæos: se in phantasmate Dei non passum, sed quasi passum*. Et fusiùs in libro de anima cap. 34. vbi de ista Helenâ conformiter Iustino. *Ad præstigias*, inquit, *virtutis alicuius, Helenē quandam Tyriam de* B *loco libidinis publicæ, eâdem pecuniâ redemit, dignam sibi mercedem pro Spiritu sancto*. Vbi indicat Simonē eadem pecunia redemisse lupam illam, quâ voluerat à S. Petro emere Spiritum sanctum. Agnoscant hîc Simoniaci ducem suum & patronum. Sed hîc de illo satis. Nam omnem eius insaniā in S. Irenæi vita, qui optimè eam detexit & refellit, Deo dante, exponemus.

Idem lib. De anima cap. 34.

h *MENANDRVM NOVÆ SATOREM SVPERSTITIONIS*] C Iustinus post ea, quæ modò attulimus, hæc de Menandro consequenter:

MENANDRI HÆRESIS.

Μένανδρον δέ τινα καὶ αὐτὸν Σαμαρέα τὸν ἀπὸ κώμης Καππαρεταίας γενόμενον μαθητὴν τοῦ Σίμωνος, ἐνεργηθέντα καὶ ὑπὸ τῶν δαιμονίων, καὶ ἐν Ἀντιοχείᾳ γενόμενον, πολλοὺς ἐξαπατῆσαι διὰ μαγικῆς τέχνης οἴδαμεν· ὃς καὶ τοὺς αὐτῷ ἑπομένους, ὡς μηδὲ ἀποθνήσκοιεν, ἔπεισε. Καὶ νῦν εἰσί τινες ἀπ' ἐκείνου τοῦτο ὁμολογοῦντες. *Menan-* D *drum item quendam & ipsum Samaritanum è vico Capparetaiâ, Simonis discipulum, & à dæmonibus ipsum quoque agitatum, Antiochiæ cùm esset, multos per artem magicam seduxisse scimus: qui suis etiam sectatoribus minimè morituros esse persuasit: suntq́ etiamnum quipiam, qui hoc profiteantur*. Ita ibi Iustinus. Quem secuti Irenæus & Tertullianus eundem loco 2. numerant, & eadem de illo referunt: & hic quidem, libro *De ani-* E *ma*, cap. 1. his verbis: *Sed hæretici Magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos nō modo non pertinere, verùm nec peruenire: in hoc scilicet se à supernâ & arcanâ potestate legatum, vt immortales & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induerint*. Vide etiā Irenæum lib. 1. cap. 21. & Theodoretum l. 1. hæret. fabularum, qui vicum, vnde ortus est Menander in Samaria, vocat Χαβραῒ, F Chabrai.

Tertull. l. De anima, cap. 1.

i *DENIQVE IPSA INITIATIONIS, &c.*] Ritus nostros circa baptismum & eucharistiam, in eadem ad Antoninum Piū apologia, ne quid scilicet videretur dolo malo occultare, euulgauit: idque, vt ego quidem opinor, non sine diuino instinctu, contra venturas hæreses: nimirum vt ex tanti Patris testimonio reperirentur prædamnatæ. Eos ritus ex ipsius Iustini verbis, eius vitæ subiunxi. vide cap. XVI.

k *TVM IPSIVS EPISTOLÆ HADRIANI EXEMPLVM SVBIVNXIT, &c.*] Testatur ipsemet Iustinus his verbis ad finem apologiæ: Ὑποτετάχαμεν δὲ καὶ τῆς ἐπιστολῆς Ἀδριανοῦ τὸ ἀντίγραφον, ἵνα καὶ κατὰ τοῦτο ἀληθεύειν ἡμᾶς γνωρίζητε. Καὶ ἔστι τὸ ἀντίγραφον τοῦτο. *Subiunximus autem & epistolæ Hadriani exemplum, vt in hoc quoque nos verum dicere cognoscatis. Et exemplum est hoc*. Ita ille. qui & exemplum illud totum subijcit, quod hîc omitto, cùm illud posuerim in vita S. Quadrati, & extet apud Iustinum.

l *TESTE PAVLLO OROSIO*) Verba Paulli Orosij lib. 7. c. 14. sunt hæc: *Iustinus Philosophus librum pro Christiana religione compositum Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos homines fecit*.

Idem testatur Zonaras tomo 2. annalium in Antonino Pio his verbis: Ὅτε καὶ ὁ φιλόσοφος καὶ μάρτυς ἤκμαζεν Ἰουστῖνος τοῦ ὀρθοῦ λόγου ὑπεραγωνιζόμενος· ὃς καὶ κατὰ Μαρκίωνος ἐξέδωκε σύγγραμμα, καὶ πρὸς τὸν Εὐσεβῆ Ἀντωνῖνον ἀπολογίαν ὑπὲρ Χριστιανῶν συνεγράψατο. ὅθεν ὁ αὐτοκράτωρ οὗτος ὁρμηθεὶς, δόγμα τοῖς κοινοῖς τῆς Ἀσίας ἐπέστειλε μηδένα Χριστιανὸν διὰ τὴν θρησκείαν κολάζεσθαι· ἀλλὰ κἄν τις ὑπό του διὰ ταύτην κατηγορεῖτο, τὸν μὲν κατηγορούμενον ἀπολύεσθαι· τὸν δὲ κατήγορον δίκης ἔνοχον γίνεσθαι. *Quo etiā tēpore Iustinus Philosophus & Martyr veræ doctrinæ propugnator florebat: qui & contra Marcionem librum edidit, & apologiam pro Christianis ad Antoninum Pium conscripsit: qua impulsus hic Imperator decretum ad commune Asiæ misit: Ne vllus Christianus propter religionem puniretur: sed & si quis ab aliquo, hoc nomine accusaretur, reū quidem absoluendum esse, accusatorem verò multandum*. Et videtur idem ex ipso Iustino in Tryphone colligi, cùm ipsum Tryphonem & socios Iudæos corā alloquens sic increpat: Οὐ γὰρ ἐξουσίαν ἔχετε αὐτόχειρες γενέσθαι ἡμῶν, διὰ τοὺς νῦν ἐπικρατοῦντας· ὁσάκις δὲ ἂν ἐδυνήθητε, καὶ τοῦτο ἐπράξατε. *Nec enim per eos, qui nunc regnant, in vestra est potestate, nobis vt manus violentas afferatis: quod quidē, dum licuit facere nō prætermisistis*. Nota: *Per eos qui nūc regnāt*, id est, per Antoninū Piū & filios Cæsares. Quòd autem loquatur de tempore, quod insecutum est apologiam ijsdē Imperatoribus datam, liquet ex eo, quòd Dialogus cum Tryphone habitus sit post eam apologiam: siquidem in isto Dialogo mētionē facit istius Apologiæ: cùm sub eius Dialogi extremū dicit Tryphoni & socijs, se, quæ vera sint, dicturum, licet ab ijs mēbratim discerpendus sit: quemadmodum neque suos populares Samaritanos timuerit, cùm Cæsarem scripto affatus, errare eos dixit, qui Simoni Mago crederet. Intelligit autem per scriptum illud, *apologiā ad*

Ioannes Zonaras tom. 2. Annalium.

ad Antoninum, in qua scripsit; vt superiùs annotaui, omnes pæne Samaritanos à Simone Mago delusos eum adorasse. Vide cap. IIII. suprà.

m LITTERAS PRO CHRISTIANIS] Sæpius rescripsit pro Christianis Antoninus Pius, vt patet ex eius edicto, quod in vitæ contextu latine posui, & hic addam græcè, cum vera eius inscriptione. Nam quæ apud Eusebiũ est, Pio non conuenit, & nonnullos in errorem duxit. Itaque vera inscriptio est illa, quæ apud Iustinum reperitur, éstque huiusmodi: Α᾽ὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Α᾽ίλιος Α᾽δριανὸς Α᾽ντωνῖνος, σεβαστὸς, εὐσεβὴς, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ιε, ὕπατος τὸ δ. πατὴρ πατρίδος τὸ κα. τῷ κοινῷ τῆς Α᾽σίας χαίρειν. Ita inscriptio.

EDICTVM ANTONINI PII IMP. PRO CHRISTIANIS.

Edictum autem siue epistola sic: Ε᾽γὼ ᾤμην, ὅτι καὶ τοὺς Θεοὺς ἐπιμελεῖς ἔσεσθαι μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους· πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκείνους κολάσοιεν, εἴπερ δύναιντο, τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοῖς προσκυνεῖν· οἷς ταραχὴν ὑμεῖς ἐμβάλλετε, καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν, ἥνπερ ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε, καὶ ἕτερά τινα ἐμβάλλετε, ἅ τινα οὐ δυνάμεθα ἀποδεῖξαι· εἴη δ᾽ ἂν ἐκείνοις χρήσιμον, τὸ δοκεῖν ἐπὶ τῷ κατηγορουμένῳ τεθνάναι· καὶ νικῶσιν ὑμᾶς προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράσσειν αὐτούς· περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων καὶ τῶν γινομένων, οὐκ εἰκὸς ὑπομνῆσαι ὑμᾶς ἀθυμοῦντας, ὅταν περ ὦσι, παραβάλλοντας τὰ ὑμέτερα πρὸς τὰ ἐκείνων, ὅτι εὐπαρρησιαστότεροι ὑμῶν γίνονται πρὸς τὸν Θεόν. Καὶ ὑμεῖς μὲν ἀγνοεῖν δοκεῖτε παρ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον τοὺς Θεοὺς, καὶ τῶν ἱερῶν ἀμελεῖτε· θρησκείαν δὲ τὴν περὶ τὸν Θεὸν οὐκ ἐπίστασθε. ὅθεν καὶ τοὺς θρησκεύοντας ἐζηλώκατε, καὶ διώκετε ἕως θανάτου· ὑπὲρ τῶν τοιούτων καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων τῷ θειοτάτῳ μου πατρὶ ἔγραψαν· οἷς καὶ ἀντέγραψε μηδὲν ὀχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντό τι ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν Ρ᾽ωμαίων ἐγχειροῦντες. Καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα τῇ τοῦ πατρός μου κατακολουθῶν γνώμῃ. Ε᾽ι δέ τις ἔχει πρός τινα τῶν τοιούτων πρᾶγμα καταφέρειν ὡς τοιούτου, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, κἂν φαίνηται τοιοῦτος ὤν· ἐκεῖνος δὲ ὁ καταφέρων ἔνοχος ἔσται τῇ δίκῃ. Hactenus edictum. Cui apud Eusebium præfixa erat, vt dixi, falsa inscriptio his verbis:

EVSEBII ERROR CIRCA INSCRIPTIONEM EDICTI ANTONINI PII.

Α᾽υτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Α᾽υρήλιος Α᾽ντωνῖνος, σεβαστὸς, Α᾽ρμένιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς Α᾽σίας χαίρειν. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus, Augustus, Armenius, Pontifex maximus, tribunitiæ potestatis* XV, *Cos.* III. *Communi Asiæ* S. Propter hanc, opinor, vitiosam inscriptionem, dixit Iosephus Scaliger epistolam illi subiectã non

A esse Antonini Pij, sed Marci Aurelij. Nam in suis ad Chronicon Eusebij animaduersionibus, numero MMCLVII. ad illud: *Librum pro nostra religione*, ita de Eusebio: *Sed postquam idem Eusebius apposuit principium apologetici ad Antoninum Pium, mox subycit:* ἐντευχθεὶς δὲ καὶ ὑφ᾽ ἑτέρων ὁ αὐτὸς βασιλεὺς* *(nimirum Antoninus Pius) scripsit*, inquit, *De Christianis, &c. Postea adycit epistolam, quæ non est Antonini Pÿ, sed M. Aurelÿ.*

* Rogatus autem & ab aliys.

B *Quæ est nõ inscitia sed manifesta hallucinatio, Antonino Pio attribuens, quod erat proprium Marci Aurelÿ.* Ita Scaliger.

Putat itaque Eusebium in epistola esse hallucinatũ: ego autem nõ in epistola, sed in sola inscriptione video hallucinatum. Nam epistola prorsus est Antonini Pij, sed inscriptio sola est M. Aurelij. Quare non debuit Scaliger ex sola vitiosa inscriptione, epistolam, quæ verè est Antonini Pij,

IOSEPHI SCALIGERI OPINIO REFVTATA.

C adiudicare M. Aurelio, cuius non est, nec esse potuit. Quod ita probatur.

Primò ex ipso Eusebio lib. 4. hist. cap. 12. vbi expressè dicit edictum illud missum ad eodem Imp. de quo ibi agit, hoc est, ab Antonino Pio. Nam de M. Aurelio tantùm incipit agere duobus pòst capitibus, hoc est, cap. 14. Deinde facilius est & tolerabilius in titulis, in inscriptionibus, in annis, quàm in rebus ipsis totis hallucinari.

D Sic igitur Eusebius in sola inscriptione est hallucinatus: si tamẽ ab eo posita est ea inscriptio, & non ab alio imposita, cùm nullam ipse faciat eius mentionem, & sine illa constet eius contextus historiæ.

Secundò. In operibus Iustini post apologiam Antonino Pio datam, inuenitur hæc epistola eidem attributa, & quidem cum vera inscriptione, quæ nulli quàm Antonino Pio congruat: vnde dubitari non po-

E test, quin eius sit, & non M. Aurelij.

Tertiò. Quod fortissimum mihi videtur argumentum, est, quòd B. Melito insignis eiusdẽ æui scriptor, in sua ad M. Aureliũ Verum Imp. apologia, id expressè testetur his verbis, loquens de Imperatoribus, qui pro Christianis scripserunt: *In quorum numero*, inquit, *est Hadrianus auus tuus, quem cùm aliys multis, tum Fundano Proconsuli, Asiæ Præfecto scripsisse constat: Tuus item pater,*

F *quicum tu quoque omnia administrabas, ad vrbes scripsit, ne quid nouarũ rerũ aduersus nos molirentur, &c. Ibi Tuus item pater*, inquit, nẽpe Antoninus Pius, Hadriani successor. Quis enim possit esse alius? Ipsa B. Melitonis verba græca sic exstant apud Eusebiũ, lib. 4. hist. cccl. c 25. Ε᾽ν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Α᾽δριανὸς πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ δὲ τῷ ἀνθυπάτῳ, ἡγουμένῳ τῆς Α᾽σίας γράφων φαίνεται· ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῷ, ταῖς πόλεσι περὶ τοῦ μη-

 δὲν

διϊνωποιεῖζειν περὶ ἡμῶν ἔγραψεν, *&c.* Itaque in illis verbis dicit, primò Hadrianum Imp. pro nostris scripsisse, tum ad alios, tū ad Proconsulem Asiæ: deinde & filiū eius, siue patrem Veri Imp. Antoninum Pium scilicet, similiter pro nostris scripsisse. An hæc non conformia ijs, quæ in dicta epistola Antonini Pij continentur? Nam dicit se conformiter patris sui, hoc est, Hadriani Imp. sententiæ rescripsisse. Hadrianus autem scripserat Proconsuli Asiæ: & edictum Antonini Pij missum est ad commune Asiæ. Sic enim reddo cum M. Tullio, quod græcè est τῷ κοινῷ Ἀσίας. *Communi Asiæ. Sic enim lib. 1. in Verrem sub mediū: Cui statuæ, inquit, Romæ stant inauratæ a communi Siciliæ, quemadmodum inscriptum videmus, datæ.*

AD CAPVT VI.

TOtum fere hoc caput deductum est è Iustini Dialogo cum Tryphone.

a *POST OBLATAM IN VRBE ROMA*] Ibi oblatam testatur Eusebius lib. 4. hist. cap. 11. Postquam enim dixit Iustinum obtulisse apologiam Antonino Pio & Senatui, ita subijcit: Καὶ γὰρ τῆς Ῥώμης τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο. *Etenim Romæ cœtus habebat.*

b *PROFECTVS EST IVSTINVS IN ASIAM*] Constat enim post apologiam ad Antoninum Pium scriptam, quam ei Romæ obtulit, fuisse Ephesi (quæ vrbs est Asiæ multò nobilissima) ibique colloquiū habuisse cum Tryphone Iudæo: quo in colloquio fecit mentionem illius apologiæ, vt suprà indicaui. Eusebius l. 4. hist. c. 17. Καὶ διάλογον δὲ πρὸς Ἰουδαίους συνέταξεν, ὃν ἐπὶ τῆς Ἐφεσίων πόλεως πρὸς Τρύφωνα τῶν τότε Ἑβραίων ἐπισημότατον πεποίηται. *Et disputationem contra Iudæos composuit, quam in vrbe Epheso cum Tryphone Hebræorum illius temporis nobilissimo habuit.*

c *NAM PROPOSITVM QVIDEM IBI EDICTVM*] Id testatur Eusebius lib. 4. hist. cap. 12. vbi recitato edicto sic subiungit: Προετέθη ἐν Ἐφέσῳ, ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας. *Propositum fuit Ephesi, in communi Asiæ.*

d *SVB PALLIO PHILOSOPHICO, &c.*] Quasi scilicet Philosophi Platonici vtebantur. Nam vt Philosophi ab alijs pallio distinguebantur: sic ipsi inter sese forma pallij, aut alia quapiam notâ. Pallium ergo philosophicum in genere videtur primitus fuisse pallium absque tunica. Nā Dio Chrysostomus orat. 71. περὶ τοῦ σχήματος, siue, *De habitu*, sub initium, loquens de hominibus quoscumque Philosophos agitantibus ita scribit: Ἐπειδὰν δέ τινα ἴδωσιν

A ἀχίτωνα, ἐν ἱματίῳ, κομῶντα τὴν κεφαλὴν καὶ γένεια, οὐχ οἷοί τέ εἰσι πρὸς τούτους τὴν ἡσυχίαν ἄγειν, οὐδὲ σιγῇ παρέρχεσθαι· ἀλλ᾽ ἐφίστανται, καὶ ἐρεθίζουσι, καὶ ἤτοι κατεγέλασαν, ἢ ἐλοιδόρησαν, ἢ ἐνίοτε ἕλκουσιν ἐπιλαβόμενοι, ὅταν τινὰ ὁρῶσι μὴ πάνυ ἐρρωμένον αὐτὸν, μηδὲ ἄλλον μηδένα παρόντα τὸν ἐπιβοηθήσοντα· καὶ ταῦτα εἰδότες, ὅτι τοῖς καλουμένοις φιλοσόφοις ξυνηθής ἐστιν ἡ στολὴ αὕτη, καὶ τρόπον τινὰ ἀποδεδειγμένη. *Postquam vero aliquem viderint* B *absque tunica, in pallio, comam capitis, barbamque nutrientem; non possunt ergà illos quieti esse, neque taciti præterire: sed instant, lacessunt, & aut derident, aut conuitiantur, aut subinde apprehensos trahunt, si quem minùs validum viderint, aut non adesse qui succurrat: atque hæc quidem, tametsi non ignorent eam vestem ijs, qui Philosophi vocantur, consuetam esse, & quodam modo approbatam.*

PHILOSOPHORVM AB IDIOTIS EXAGITATIO.

Deinde paullò pòst de alijs melius mo- C ratis, & cognitos ex habitu philosophos discendi gratiâ adeuntibus ita subijcit: Οὐ μέντοι ἅπαντες ἀπὸ ταύτης τῆς διανοίας προσέρχονται καὶ ἐνοχλοῦσιν. ἀλλ᾽ ἔστι γένος ἀνθρώπων πολυπραγμόνων τοιαύτην πολυπραγμοσύνην καὶ τρόπον τινὰ οὐ πονηρὰν· οἵτινες προσίασιν οὓς ἂν ἡγῶνται φιλοσόφους ἀπὸ τῆς στολῆς, ὡς ἀκουσόμενοί τι παρ᾽ αὐτῶν σοφὸν, καὶ ὧν ἂν παρ᾽ ἑτέρων ἀκούσειαν· πυνθανόμενοι καὶ περὶ Σωκράτους, ὅτι σοφὸς ἦν, καὶ διαλέγοιτο τοῖς προσιοῦσι λόγους φρονίμους. &c. D *Haud tamen omnes hoc animo accedunt & molesti sunt: sed est & genus quoddam hominum curiosorum tali quapiam curiositate, & quodammodo non malum: hi ad eos, quos ex habitu philosophos esse arbitrantur, adeunt, tanquam aliquod ab ijs sapiens dictum, & quod ab alijs non audirent, audituri: quippe cognoscentes de Socrate, quod & sapiens fuerit, & sermones ad se accedentibus prudentes disseruerit.* &c. Sic igitur Try- E phon ad Iustinum adijt, non tanquam ad Christianum, sed tanquam ad Philosophū Platonicum, dicens se didicisse à Corinto Socratico: ὅτι οὐ δεῖ καταφρονεῖν, οὐδὲ ἀμελεῖν τῶν περικειμένων τοῦτο τὸ σχῆμα, *&c. non esse contemnendos, neque negligendos, qui tali habitu amicti sint.* quasi scilicet videbat Iustinum. De pallio exstat Tertulliani liber, cuius extremam sententiam perbellè Iustino nostro accommodaueris, atque di- F xeris: *Gaude pallium & exulta. Melior iam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Hinc constat nonnullos Christianos, qui toga priùs vtebātur, dum essent infideles; post receptam fidem, togâ dimissâ pallio vti cœpisse: quod pallium solis Philosophis & eruditis olim erat proprium. Ibidem Tertullianus: *Grande pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt.* Et infrà: *Omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur.*

SOCRATIS LAVS.

gitur. id est, omnes artes liberales pallio A meo amiciuntur, veste simplici & quadrãgulari. Quum hæc de pallio scripsissem, incidi in Ludouici Cresollij *Theatrum veterum Rhetorum*, volumen doctum sanè & elegans, vbi & caput vnum aduerti, quod totum est de pallio. Illuc studiosos cognoscendæ inter varia Rhetorum ac Philosophorum pallia diuersitatis atque distinctionis, seu in figura, seu in colore, paucis meis nunc contentus ablego. Est caput, B ni fallor, XVI. libri tertij.

e *QVOD NVNQVAM DIMISIT*] Semper retinuisse pallium philosophicũ, siue eum habitum, quo vtebatur, antequam esset Christianus, tam ex modo dictis patet, quàm ex Eusebio & Hieronymo: quorum ille lib. 4. historiæ cap. X. sic indicat: Μάλιστα δὲ ἤκμαζεν ἐν τούτοις Ἰουστῖνος ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον, καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πίστεως ἐναγωνιζόμενος C συγγράμμασιν. *Maxime in ijs temporibus florebat Iustinus, in Philosophi habitu diuinum verbum prædicans, & scriptis pro fide nostra voluminibus decertans.* Hieronymus autem in Catalogo sic: *Iustinus Philosophus, habitu quoque Philosophorum incedens, de Neapoli vrbe Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi plurimum laborauit.* Retinuit & Aristides, vt videre est ex ijs, quę notaui initio capitis præcedentis. D

f *IN XYSTO DEAMBVLANTEM*] Græcè ita initium Dialogi: Περιπατοῦντί μοι ἕωθεν ἐν τοῖς τοῦ ξυστοῦ περιπάτοις. *Ambulanti mihi mane in xysti ambulacris.* Itaque xystus siue xystum vox græca est, sed tamen latini iuris à M. Tullio facta, qui aliquoties vsurpauit. vt lib. 4. *Academic. qq.* sub initium: *Cum igitur pauca in xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus.* Et in *Bruto*, siue, *De claris Oratoribus*, haud procul E à principio: *Nam cum inambularem in xysto, & essem otiosus domi, &c.*

Meminit xysti Iulius Pollux in Onomastico, lib. 9. vbi interpres cap. 5. malè vertit, *Arenam*, cum Tullij exemplo *xystum* retinere debuisset.

Vitruuius l. 5. De architectura cap. 11. Quid sint autem xysti & xysta, describit Vitruuius lib. V. de architectura, cap. XI. vbi sub initium ita scribit: *Constituuntur* F *autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique, qui studijs delectantur, sedentes disputare possint.* Ita ille. Talis ergo erat porticus, in qua cum Tryphone eiusque socijs disputauit Iustinus; vt ipse in eodem Dialogo indicat, cùm de eodem xysto loquens dicit: Ἡμεῖς δὲ, ὡς ἐγενόμεθα ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ, ἔνθα ἑκατέρωθεν λίθινοι εἰσι θῶκοι. *Nos vero vbi eo in loco fuimus, in quo vtrimque saxea sunt sedilia.*

De xysto & exedris, vide plura apud eundem Vitruuium loco iam dicto, & lib. VI. cap. X.

g *MARCO POMPEIO DEDICAVIT*] Colligitur ex fine illius Dialogi, vbi ad eũdem Pompeium sic vertit sermonem: Ταῦτα εἰπὼν, ὦ φίλτατε Μάρκε Πομπήϊε, ἐπαυσάμην. *Hæc cùm dixissem, ô Marce Pompei, conticui.* Quis autem fuerit iste Pompeius, nondum reperi. Crediderit quispiã nobilem aliquem fuisse Romanum è magni Pompeij stirpe, qui Romæ, vbi suas disputationes habebat Iustinus, in eius se familiaritatem, vel philosophiæ, vel fidei studio insinuauerit. verùm tota Pompeij stirps (vt auctor est M. Antoninus Philosophus l. 8. De vita sua) iam defecerat, & eius generis vltimus monumentis inscriptus erat. Aliquot Põpeios agnoscit martyrologium, sed illos alio, quam nunc, tẽpore coronatos. Itaque quisnam is fuerit, certò statui nihil potest. Videri potest esse è progenie illius M. Pompeij, qui fuit filius Theophanis Scriptoris, quẽ Augustus curatorem Asiæ constituit, & qui inter primos Tiberij familiares numerabatur tempore Strabonis, vt idem scribit lib. 13. geographiæ.

h *HOMERI VERSV*] Versus ille exstat Iliados Z. siue lib. 6. in congressu Diomedis & Glauci, vbi Diomedes occurrentem Glaucum sic aggreditur:

Τίς δὲ σύ ἐσσι φέριστε καταθνητῶν ἀνθρώπων;
Sed tu quisnã hominũ? dic vir fortissime nobis.

Quod Iustinus sic deflexit:

Τίς δὲ σύ ἐσσι φέριστε βροτῶν;
Optime quis tu hominum?

i *E BELLO NVNC GESTO*] Intelligit bellum, quod Hadrianus Imp. gessit cum Iudæis, anno imperij sui XVIII. De quo Spartianus in Hadriano: *Mouerunt eâ tempestate & Iudæi bellum: quod vetabantur mutilare genitalia.* Alias caussas vide apud Casaubonum in hunc Spartiani locum. *HADRIANI IMP. BELLVM CVM IVDÆIS, EIVSQVE CAVSSA.*

De hoc bello ita breuiter Paullus Orosius, lib. 7. cap. 13. in Hadriano: *Iudæos sanè perturbatione scelerum suorum exagitatos, & Palæstinam prouinciam quondam suam depopulantes vltimâ cæde perdomuit, vltusque est Christianos, quos illi Chochebâ Duce, quod sibi aduersus Romanos non assentirentur, excruciabant: præcepitque, ne cui Iudæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantùm ciuitate permissa: quam ipse in optimum statum, murorum exstructione reparauit, & Æliam vocari de prænomine suo præcepit.* Huius belli dux & caput fuit Barchochebas, de quo ita Iustinus in apologia ad Antoninũ Pium Hadriani successorem: Καὶ γὰρ ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ, Βαρχωχέβας ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης Χριστια-

νὺς μόνους εἰς τιμωρείας δεινὰς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν Χειςὸν κ, βλασφημοῖεν, ἐκέλδεν ἀπάγεσθαι. *Etenim in bello Iudaico iam nunc gesto, Barchochebas defectionis Iudæorum dux summus, solos Christianos ad grauia supplicia, nisi* IESVM *Christum abnegarent ac blasphemarent, abduci imperabat.*

Ex his colligitur bellum illud gestum tempore S. Iustini, ac consequenter vixisse eum sub Hadriano, & quidem natu iam grandiorem, vt proinde stare non possit eorum sententia, qui è vitiosis S. Epiphanij exemplaribus censuerũt Iustinum anno ætatis suæ tricesimo obijsse: cùm eo tẽpore, quo hunc Dialogum sub Antonino Pio scribebat, minimùm esset triginta annorum, post quod tempus multos annos vixit, & Pij successoribus aliam apologiam obtulit.

Nota circa nomen Barchochebæ, Ducem illum, aliquando Chochebam, aliquando Barchochebam id est, filiũ Chochebæ seu stellæ, appellatum. Eusebius in Chronico ad annum Hadriani 17. Χοχεβᾶς τῆς Ἰουδαίων ἀποςάσεως ἡγούμθυος, Χειςιανοὺς ποικίλως ἐτιμωρήσατο μὴ βουλομθύους κ̓ Ῥωμαίων συμμαχεῖν. *Chochebas defectionis Iudæorum dux Christianos variè excruciauit nolentes contra Romanos auxiliari.*

Chochebam quoque vocat S. Hieronymus in lib. De Scriptoribus, in Agrippa Castore, vbi in nonnullis exemplaribus malè legitur Chochibus. Est autem כככא Chocheba, dictio Syriaca, quam Hebræi efferunt כככ Chochab, & vtrũque nomen significat stellam.

Ad hunc igitur Chochebam, velut ad stellam de cælo missam, concurrerunt Iudæi, eóque duce bellum Romanis intulerunt, quod maximè flagrauit anno imperij Hadriani XVIII. vt Aristo Pellęus refert apud Eusebium, lib. 4. hist. cap. 6. addens ab Hadriano victoria potito interdictum Iudæis ingressu non tantùm Hierosolymę, sed agri quoque circumuicini, ὡς ἂν μηδ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος. *Vt ne ex edito quidem loco auitum solum contemplarentur.* Quę sanè pœna patriæ suæ amantissimis longè fuit acerbissima. Huius interdicti Imperatoris meminit ipse S. Iustinus in apologia ad Antoninum Pium, post medium, dicitque id prædictum per Isaiã cap. 1. *Terra vestra deserta, &c.* & adijcit: ὅτι ἣ φυλάσσεται ὑφ' ὑμῶν, ὅπως μηδεὶς ἐν αὐτῇ γένηται, κ, θάνατος κ̓ τῷ καταλαμβανομθύῳ Ἰουδαίῳ εἰσιόντι ὥρισαι, ἀκριβῶς ἐπίςασθε. *Quòd autem à vobis caueatur, ne quis in eam ingrediatur; & mors in Iudæum, qui ingredi deprehensus fuerit, definita sit, ipsi probè nostis.* Eiusdem interdicti bis meminit in Tryphone. De Barchocheba flammas euo-

Isaia cap. 1. ver. 7.

A mente sic scribit Hieronymus apologiã vltimâ aduersus Ruffinum sub finem: *Atque vt ille Barchochebas auctor seditionis Iudaicæ, stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat; vt flammas euomere putaretur: ita & tu nobis alter Salmoneus omnia, per quæ incedis, illustras, & nos fumosos arguis. &c.* Ibi Marinus Victorius perperam legit *Barthochabas*, dicitque eius historiam esse apud Iosephum, cùm Iosephus ad eius tempora B vitam non protraxerit.

k *ALTERO QVOQVE DIE EVM AVDIRE, &c.*] Conuenisse Tryphonem & comites altero die ad eandem disputationem, secúmque vnà Mnaseam & alios, qui primo die non adfuerant, adduxisse, manifestum fit è medio dialogo, vbi hæc: Καὶ Μνασέας τις ὀνόματι, τῶν συνελθόντων αὐτοῖς τῇ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ εἶπε. *Et quidam eorum, qui secunda die cum ijs conuenerant, nomine* C *Mnaseas, dixit, &c.* Et infra: Καὶ ὥσπερ ἐν θεάτρῳ ἀνέκραγόν τινες τῶν τῇ δευτέρᾳ ἀφιγμένων. *Et quasi in theatro reclamârunt quidam eorum, qui postridie aduenerant.*

l *PERMAGNVM ILLI PRÆ SE FERRE, &c.*] Hęc sunt ex eodem extremo dialogo Iustini desumpta, vbi Tryphon ita loquitur: Ὅτι ἐξαιρέτως ἥσθην τῇ συνουσίᾳ ὁμολογῶ, κ, τούτους ἣ οἶμαι ὁμοίως ἐμοὶ διατεθεῖσθαι· πλέον γὰρ εὕρομθυ, ἢ προσεδοκῶμθυ, κ, D προσδοκηθῆναί ποτε δυνατὸν ἦν, &c. *Me quidem apprimè delectatum hac congressione confiteor, & hos item similiter atque me affectos existimo. Amplius enim inuenimus, quàm expectabamus, immo quàm expectari aliquando poterat.*

AD CAPVT VII.

a ROMAM TANDEM *&c.*] Regressum Romam patet ex Martyrij E certamine illic obito: habuisse ibidem sub illud tempus τὰς διατριβὰς cætus, testis est D. Hieronymus, in Catalogo: *Hic*, inquit, *cùm in vrbe Roma haberet* * τὰς διατριβὰς *& Crescentem Cynicum, qui multa aduersum Christianos blasphemabat, redargueret gulosum & mortis timidum, luxuriæq; & libidinum sectatorem, ad extremum studio eius & insidijs accusatus, quòd Christianus esset, pro* F *Christo sanguinem fudit.*

** Catus.*

b *CRESCENS QVIDAM, &c.*] Fuit hic philosophus Cynicus, turpissimæ libidini, alijsque multis vitijs addictus, de quo multa è Iustino in vita posui. Sed perele ganter eiusdem Cynici nequitiam depingit Tatianus in orat. contra Græcos, sub medium, his verbis: Εἶδόν τινα πολλάκις, κ, ἰδὼν ἐθαύμασα, κ, μετὰ τὸ θαυμάσαι κατεφρόνησα, &c. *Vidi quendam sæpenumero, & cùm vidissem, admiratus sum, & cùm admiratus*

miratus essem, contempsi, &c. vt in vitæ contextu. A

c *IN MAGNA VRBE NIDVLATO, &c.*] Hæc ita Græcè Tatianus in orat. contra Græcos, ante medium: Κελσκης ὢν ὁ ἐννεοτ-τεύσας τῇ μεγάλῃ πόλει, παιδεραςίᾳ μὲν πάντας ὑπερήνεγκεν, φιλαργυρίᾳ δὲ πάνυ προσ-εχὴς ἦν. Vbi per μεγάλην πόλιν, magnam vrbem, intelligit *Romam*, non autem, vt quidam verterunt, *Megalopolin*, vrbē Arcadiæ. Sic Porphyrius lib. 2. Περὶ ἀποχῆς *De* B *abstinentia*: Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν, τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον; *Sed quis ignorat hodiéque in magna vrbe* [Romæ] *festo die Iouis Latialis hominem iugulari?* id est, immolari. Hinc locus apud Eusebium, in orat. De laudibus Constantini, corrigendus, itémque eius interpres Christophorsonus, vbi sic legitur corruptè: Τὸν τοῦ Λαζια-ρίου Διὸς, pro Λατιαρίου. totus alioqui locus C totidem ibi verbis est, quibus apud Porphyrium: tantùm addit Eusebius: Ταῦτα μὲν φιλοσόφων οἱ καὶ δοκιμώτατοι μεμαρτυρή-κασιν οὕτως ἔχειν. Christophorsonus latinè sic: *Quin adhuc etiam Megalopoli, in die festo Iouis Latriarij, hominem interfici nemini obscurum est. Istas res ita se habere Philosophi probatissimi suis testimonijs confirmant.* Quæ corrigenda sunt, vt paullò antè sum interpretatus. Hęc enim accepit Eusebius ver- D bo tenus è Porphyrio Philosopho, vti & posteriore membro orationis indicat.

** Latialis Iouis.*

d *IN DISPVTATIONIS DVELLO*] De hac concertatione scripsit ipsemet Iustinus in apologia posteriore ad Antonini Pij successores, M. Aurelium Antoninum, & L. Verum.

IVSTINVM ET IVSTINI SECTATORES IN MORTEM PRÆCIPITARET] Non tantùm Iustino, sed & Tatiano E Iustini discipulo, aliísque eius sectatoribus structas à Crescente insidias, ex Actis martyrij potest colligi, non autem, (quod fortè quis opinatus fuerit,) è verbis Tatiani in oratione ad Gentes, quæ in nonnullis exemplaribus, etiámque in Parisiensi sic leguntur: Θανάτου δὲ ὁ καταφρονῶν οὕτως αὐτὸν ἐδεδίει τὸν θάνατον, ὡς καὶ Ἰουστῖνον, καθάπερ καὶ ἐμὲ, ὡς κακῷ, τῷ θανάτῳ περιβάλλειν πραγ-ματεύσασθαι, διότι κηρύττων τὴν ἀλήθειαν λέ- F γοντας καὶ ἀπατεῶνας τοὺς φιλοσόφους συνήλεγχεν. *Ille autem egregius mortis contemptor* [Crescens] *sic ipsam timebat mortem, vt Iustinum, sicut & me, morti obycere, quasi malo sategerit, eò quòd ille veritatem prædicans, voluptuosos & deceptores Philosophos coargueret.* Verùm locus iste est corruptus, & ita corrigēdus: Ὡς καὶ Ἰουστῖνον, καθάπερ μεγάλῳ κακῷ, τῷ θανάτῳ περιβάλλειν πραγματεύσασθαι. *Vt & Iustinum, tanquam magno malo, morti obycere sategerit, &c.* Ita vt nihil ibi de se Tatianus. Hęc autem correctio non tantùm è vocibus partim corruptis, partim malè alioqui cohærentibus colligitur; sed etiam ex Eusebio (qui libro 4. historiæ ecclesiasticæ, cap. 5. hunc ipsum locum totidem verbis citat, vt correxi) clarè liquet.

e *NON ITEM DE TATIANO*) Parum abfuit Tatianus, quin etiam esset Martyr. Sed, ô iudicia! persecutionem pro Christo passus superfuit, & à fide aberrauit. De quo ita Hieronymus in Catalogo, cap. XXIX. *Tatianus hæresiarcha, qui primum Oratoriam docens non paruam sibi ex arte rhetoricâ gloriam comparauerat, Iustini martyris sectator fuit: florens in ecclesia, quamdiu ab eius latere non decessit: postea verò inflatus eloquentiæ tumore nouam condidit hæresim, quæ* Ἐγκρατιτῶν *dicitur: quam postea Seuerus auxit: à quo eiusdem partis hæretici Seueriani vsque hodie appellantur. Porrò Tatianus infinita scripsit volumina: è quibus vnus contra Gentes florentissimus exstat liber, qui inter omnia eius opera fertur insignis. Et hic sub Imperatore M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruit.* Ita de illo S. Hieronymus secutus Eusebium.

TATIANI EXIMII SCRIPTORIS LAPSVS IN HÆRESIM.

Encratitarum siue Continentium.

f *QVI EVM SECTATI SVNT HÆRETICI ENCRATITÆ, &c.*] De hac hæresi vide S. Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Epiphanium, Augustinum, Theodoretum, Philastrium, qui tamen Philastrius valde in tēpore hallucinatur, cùm dicit: *Post Decij autem persecutionem fuit Tatianus quidam discipulus S. Iustini Martyris, &c.* Nam lōgè antè Decij persecutionem fuit Tatianus, annis scilicet plùs minùs octoginta. Tot enim annis ante Decium fuerunt M. Aurelius & L. Verus Impp. sub quibus vixit Tatianus. De cuius hæresi ita Irenæus lib. 1. aduersus hęreses, cap. 30. & 31. & apud Eusebium, lib. 4. hist. cap. 27. Ἀπὸ Σατορνίλου καὶ Μαρκίωνος οἱ καλούμενοι ἐγκρατεῖς ἀγαμίαν ἐκήρυξαν, ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἠρέμα κατηγοροῦντες τοῦ ἄρρεν καὶ θῆλυ εἰς γένεσιν ἀνθρώπων πεποιηκότος. Καὶ τῶν λεγομένων παρ' αὐτοῖς ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, ἀχαριστοῦντες τῷ πάντα πεποιηκότι Θεῷ, ἀντιλέγουσί τε τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ. καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη παρ' αὐτοῖς. *A Saturnino & Marcione orti illi, qui Encratitæ nuncupantur, cælibatum prædicārunt, veterem scilicet illam Dei effictionem abrogantes, eumque qui marem & feminam ad hominum procreationem condidit tacitè condemnantes. Abstinentiam quoque ab ijs, quæ apud ipsos animata vocantur, inuexerunt. Qua in re ingrati in eum, qui omnia fecit, animi vitio laborārunt. Quin primi quoque parentis saluti aduersantur: idque recens eorum commentum est.* Sic Irenæus lib.

PHILASTRII HALLVCINATIO DE ÆTATE TATIANI.

ENCRATITARVM SIVE CONTINENTIVM HÆRESIS.

INGRATI IN CREATOREM.

lib. 1. cap. xxx. Deinde proximo capite de A eiusdē hæreseos auctore Tatiano sic persequitur: Τατιανοῦ τινος πρώτως αὐτὴν εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν, ὃς Ἰουστίνου ἀκροατὴς γεγονώς, ἐφ᾽ ὅσον μὲν συνῆν ἐκείνῳ, οὐδὲν ἐξέφηνε τοιοῦτον· μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς ἐκκλησίας, οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθείς, ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν, ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο, αἰῶνάς τινας ἀοράτους ὁμοίως τοῖς ἀπὸ Οὐαλεντίνου μυθολογήσας, γάμον τε φθορὰν καὶ πορνείαν παραπλησίως Μαρκίωνι καὶ Σατορνίλῳ ἀναγορεύσας, τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ᾽ ἑαυτοῦ τὴν B ἀντιλογίαν ποιησάμενος. *Tatianus enim quidam impium hoc dogma primo protulit: qui cùm Iustini auditor exstitisset, quamdiu cum eo versabatur, nihil eiusmodi extulit. Postquā autem ille martyrium obijt, tum demum ipse ab ecclesia discedens, magisterij fastu elatus ac turgidus, tanquam reliquis præstantior, pecu-* C *liarem doctrinæ formam condidit: Nam & inuisibiles quosdam æonas instar Valentini confinxit, & matrimonium labem ac fornicationem esse, perinde ac Marcion & Saturninus, prædicauit: ac præterea saluti Adami ex se repugnauit.* Hactenus Irenæus interprete Iacobo Billio.

SVPERBIA IN HÆRESIM PRÆCEPS.

S. Hieronymus attribuit eidem Tatiano certorum ciborum reprobationem. Sic enim scribit lib. 1. aduersus Iouinianum, initio: *Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptijs detrahimus, nec* D *Tatiani principis Encratitarum errore decepti omnem coitum spurcum putamus: qui non solùm nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creauit ad vtendum, damnat & reprobat.*

Hieronym. l. 1 aduersus Iouinianum.

AD CAPVT VIII.

a MARCO ANTONINO PHILOSOPHO, &c.] Imperantibus M. E Antonino Philosopho & L. Vero fratre, motam in Christianos persecutionem tēpore belli Parthici testatur Paullus Orosius, cap. xv. *In diebus Parthici belli*, inquit, *persecutiones Christianorum, quartâ iam post Neronem vice, in Asia & in Gallia graues præcepto eius exstiterunt.* M. Antonini scilicet.

Meminere item huius persecutionis Eusebius in Chronico, ad annum Christi 169. Sulpitius Seuerus, lib. 2. sacræ historię: F *Sub Aurelio deinde Antonini filio*, inquit, *persecutio quinta agitata.*

b QVOD IN DEOS RELIGIOSISSIMVS ESSET, &c.] Patet ex eius vitâ apud Capitolinum, qui scribit eum octauo ætatis anno inter Sacerdotes Salios ab Hadriano adscriptum, vbi etiam inter alia hæc habet: *Fuit in eo sacerdotio & præsul, & vates, & magister, & multos inaugurauit & exaugurauit, nemine præeūte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* Ita ille. Per *carmina* intellige formulas verborum rituales. Ex his igitur clarum est, valde illum in Deos & eorum sacra iam à puero propensum fuisse, ac proinde in Christianos eorum contemptores iniquiorem.

c APVD LVCIVM AVTEM, QVOD MORIBVS ESSET A VIRTVTE CHRISTIANA ALIENISSIMIS] *Non solum enim licentiâ vitæ liberioris; sed etiam adulterijs & iuuentutis amoribus infamatus est*, vt testis est vitæ scriptor Capitolinus, qui addit vagatum *nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, &c.* Itaque cùm Iustinus in Crescētis Cynici vitia inueheretur, incurrebat eodem impetu in Imperatorem, in quo eadem omnia flagitia, vel plurima saltem stabulabantur.

Iulius Capitolinus in vita Lucij Veri.

d ALIQVOS SPECIE PHILOSOPHIÆ TVRBARE REMP. &c.] Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Fama fuit sanè, quod sub Philosophorum specie quidam remp. vexarent, & priuatos: quod ille purgauit.* Hoc ad Iustinum & Christianos videtur relatum, ob eorum castimoniam & pietatem: quarum virtutum respectu nonnullæ feminę viros repudiarunt, vt exemplū, quod paullò pòst subnectitur, testis est.

e ACCIDIT ROMÆ, VT MVLIER QVÆDAM ETHNICA] Hoc exemplū è Iustini posteriore apologiâ, de græco transtuli.

f IN CHRISTI SCHOLA DIDICERAT] Nam perpetuum fere fuit, tam Apostolis, quàm posteris Doctoribus, ad Gentilium conuersionem, extremi iudicij & æterni ignis inducere formidinem. Ita in Actis Apost. c. 24. versu 25. Felicē Præsidem terruisse S. Paullus scribitur. Sic enim de eo S. Lucas: *Disputante autem illo de iustitia & castitate & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.* Multis locis eandem iudicij & pœnarum memoriam vsurpauit Iustinus.

IVDICII EXTREMI INTERMINATIO.

Act. Apost. c. 24. vers. 25.

g INTEREA PROFECTIS EST ILLE ALEXANDRIAM] Infamis fuit Alexandria deliciarum & voluptatum famâ, quæ & prouerbio locum dedit: *Deliciæ Alexandrinæ.* Qui igitur malus Romæ fuerat apud vxorem & inter conciues, vix aliud ab Alexandria exspectari poterat, quin ibi absentibus ijs, qui eum à turpitudine reuocare aut remorari possent, solutior iret in præceps vitiorum. Meminit deliciarum Alexandrinarū Fabius Quintilianus lib. 1. *Institutionum Oratoriarum*, cap. 3. in illa insigni querela de negligenti paruulorum educatione: *Infantiam*, inquit, *statim delicijs soluimus. Mollis illa educatio,*

DELICIÆ ALEXANDRINÆ.

PRAVÆ PVERORVM EDVCATIONIS REPREHENSIO.

catio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repsit? Nondum prima verba exprimit, & iam coccum intelligit, iam conchylium poscit. Antè palatum eorum, quàm mores instituimus: in lecticis crescunt: si terram attigerint; e manibus vtrimque sustinentium pendent: gaudemus, si quid licentius dixerint: verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu & osculo excipimus. Ita ille.

REPVDII LIBELLVM DARE. h *DATO EI LIBELO REPVDII SE DISIVNXIT*] Ita hæc græcè apud Iustinum: Ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ, καὶ ὁμοδίαιτος, καὶ ὁμόκοιτος γινομένη, τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον δοῦσα ἐχωρίσθη. *Vt ne particeps eius iniquitatum & impietatum fieret in coniugio manens, & mensâ toróque communicans; repudium, quod à vobis dicitur, renuntians, separata est.*

Quod ibi Iustinus habet ῥεπούδιον δοῦσα. *repudium dans*, dicunt veteres latinitatis duces, Plautus & Terentius *renuntiare*, aut *remittere repudium*, quod iam vulgò dare aut mittere libellum repudij dicitur. Plautus in extrema ferè Aulularia:

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

Repudium rebus paratis, atque exornatis nuptijs? Et paullo pòst: *Ea re repudium remisit auunculus caussa mea.*

Terentius in Phorm. act. 4. scen. 3.

— *Illis repudium renuntiet: Hanc ducat.*

— Et ibid. act. v. sc. viii.

Nam non est æquum me propter vos decipi:
Cùm ego vestri honoris caussa repudium alteri
Remiserim, quæ tantumdem dotis dabat.

Nota porrò fuisse mulierem Romanã, quæ viro repudium remittebat, itémque Christianam, & ob mariti adulteros actus. Quod non modò Cæsarum legibus, sed etiam Christi indulgentia licitum erat. Habemus enim vocem Domini id permittentis, Matthæi 5. ver. 31. *Dictum est autem*, inquit, *Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis: Quia omnis; qui dimiserit vxorem suã, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Ita Matthæi 5. Licet ergò tam mulieri, quàm viro, ex culpa fornicationis, tori consortem toro excludere. Apud Iudæos quidem antiquitus solis viris ius erat repudij remittendi, non feminis: quamuis Salome Herodis Ascalonitæ soror id sibi contra leges patrias vsurparit, vt auctor est Iosephus libro xv. Antiquit. Iudaic. cap. xi. ita scribens: Ἐπεὶ συνέβη τὴν Σαλώμην στασιάσαι πρὸς Κοστόβαρον, πέμπει μὲν εὐθὺς αὐτῷ γραμμάτιον ἀπολυομένη τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους· Ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν· γυναικὶ δὲ, οὐδὲ διαχωρισθείσῃ, καθ' αὐτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος. *Postquam contigit Salomen cum Costobaro discordare, statim ei mittit libellum repudij, præter leges Iudaicas: cùm id agere viro apud nos tantùm liceat: feminæ autem, ne disiunctæ quidem, fas sit sua voluntate nubere, nisi viro priùs permittente.* Nũc porrò, apud Christianos quidem, hoc in negotio par omnino ius viris & feminis. *Quidquid viris iubetur*, inquit Hieronymus, *redundat in feminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus. Si quis meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo quæ scortatori impuróque sociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ* IESV *Christi. Aliud Papinianus, aliud Paullus noster præcipit. Apud illos, viris impudicitiæ frena laxantur, & solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet viris: & eadem seruitus pari conditione censetur.* Ita Hieronymus.

Hieronymus epistola 30 in vita Fabiola.

REPVDIORVM ET DIVORTIORVM FORMVLÆ. Formulæ in repudijs & diuortijs olim hæ fuerunt: *Res tuas curato: res tuas tibi habeto; Abeas, valeas, tuas res tibi habeas.* & similes: quæ & à Poëtis non infrequenter in alijs dissidijs, & animorum disiunctionibus vsurpantur.

REPVDIVM CVR SCRIPTO FIERI IVSSVM SIT. Augustinus l. 9. *Contra Faustum*, cap. 26. caussam aperit, quamobrem Dominus nõ verbo, sed scripto fieri voluerit repudium: nempe vt præcipites ad dissidia atque diuortia impetus coniugum, velut iniecto retinaculo retardaret. *Deus*, inquit, *interposuit hanc moram, vt in dissidium animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret: & quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret: præsertim quia Scribæ, quorum erat litteras scribere, quasi viri prudentes, dissidij dissuasores erant.* Ita Augustinus.

i *VTI EVNDEM PTOLEMÆVM CONVENIRET, &c*] Huius Ptolemæi martyrium, vnà cum Lucio, & quodam alio, cuius ignotum nomen, in Romanis martyrologijs vetere & nouo, ad decimam nonam Octobris, itémque in Vsuardo, Adone, & Beda reperitur. In Romano quidem nouo sic: *Romæ natalis SS. Martyrum Ptolemæi & Lucij sub M. Antonino: quorum prior (vt scribit Iustinus martyr) cùm impudicam mulierem ad fidem Christi conuertisset, & castitatem colere docuisset, ab impuro viro apud Præfectum Vrbicium accusatus, multo tempore squallore carceris maceratus est, & ad vltimam, cùm de Christi magisterio publicâ confessione testaretur; iussus est duci ad mortem. Lucius quoque, cum Vrbicij sententiam improbaret, & se Christianum liberè fateretur, similem sententiam excepit. Quibus & alius tertius*

Matthæi 5. ver. 31.

tius adiunctus est, qui etiam eodem supplicio damnatus fuit. Ita Romanum nouum vltimæ editionis: cùm in priori editione malè esset: *Sub Antonino Pio*. Nam hæc acciderunt sub M. Antonino Philosopho, Pij filio, vt ex suprà dictis liquet.

k *GRATIAS TIBI, INQVIT, INGENTES HABEO.*] An non huc respexit Tertullianus, cũ in Apologetico scripsit Christianos acceptis martyrij sentẽtijs gratias agere Præsidibus? De Christiano enim homine ita cap. 1. *Si denotatur*, inquit, *gloriatur; si accusatur, non defendit. Interrogatus, vel vltro confitetur: damnatus gratias agit.* Et cap. 46. his verbis: *Si de æquanimitate congrediar, Lycurgus* ἀποκαρτέρησιν *optauit:* * *quòd leges eius Lacones emendassent. Christianus etiam damnatus gratias agit.* Et cap. vltimo (cuius notabo totum locum, quia pulcher est & lectu dignus) hoc modo: *Multi apud vos*, inquit, *ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, vt Cicero in Tusculanis; vt Seneca in Fortuitis; vt Diogenes, vt Pyrrhon, vt Callinicus. Nec tamen tantos inueniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim contemplatione eius non concutitur ad requirẽdum, quid intus in re sit? Quis non, vbi requisiuit, accedit? vbi accessit, pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat? vt omnem veniam ab eo, compensatione sanguinis sui, expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quòd ibidem sententijs vestris gratias agimus: vt est æmulatio diuinæ rei & humanæ, cùm damnamur à vobis, à Deo absoluimur.* Ita Tertullianus.

* *Mortem voluntariam studiò procurant.*

Nec solùm damnati, sed etiam excruciati & dilaniati gratias agebant. Ita S. Romanum martyrem inter tormenta gratias Præfecto agentem inducit Prudentius hymno Περὶ στεφάνων, *De coronis*, nono:

MARTYRVM IN TORMENTIS MAGNANIMITAS.

Martyr fluentem fatur inter sanguinem:
Grates tibi, ô Præfecte, magnas debeo,
Quòd multa pãdens ora iam Christũ loquar.
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus vnus, impar ad laudes Deo.
Rimas patentes inuenit vox edita,
Multísque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, & profatur vndique
Christi, Patrísque sempiternam gloriam.
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.

Talis quoque animi generosas voces edidit coram Aureliano Imp. S. Mamas. Nam cùm ille vrgeret, vt martyr vel solis labris indicaret se sacrificaturum; respondit ipse, neque labris, neque corde eum, qui solus sibi sit verus Deus & Rex Christus, negaturum. *Quin etiam*, inquit, *magnas tibi habeo gratias, quòd me per hæc tormenta ei, quem desidero, concilies: & opto solùm, ne manus defatigentur tortoribus, quæ iam, vt vides, mihi magna bona procurant; sed robustæ potiùs reddantur & valentes.* Sic ille.

Acta S. Mamantis apud Metaphrasten.

Eiusmodi Christianorum feruor in mortem pro fide currentium fuit in Asia, sub Commodo Imp. huius M. Antonini Philosophi (de quo hic actum sæpius) filio. Rem ita describit Tertullianus in libro Ad Scapulam: *Arrius Antoninus in Asia, cùm persequeretur instanter, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt: cùm ille paucis duci iussis, reliquis ait:* ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. *O miseri, si cupitis perire, præcipitia aut restes habetis.*

Quis fuerit hic Arrius Antoninus subdubitat Baronius ad annum Christi 123. & videtur inclinare in eam sententiam, quæ tenet fuisse illum, qui postea Imperator fuit, & Antoninus Pius est cognominatus. Is enim & Arrius Antoninus vocabatur, & Proconsul in Asia fuit. Verùm, quia is longissimè ab omni crudelitate, & sanguinis profusione abfuit, *& in proconsulatu*, vt auctor est Capitolinus, *se sanctum grauémque præbuit*, totáque vita mitissimus fuit: hinc vero similius videtur, fuisse illum Arrium Antoninum, qui sub Cõmodo Imp. in Asia Proconsul fuit, & postea Cleandri insidijs occisus fuit. De vtroque enim tam Cleandro, quam Antonino sic Lampridius in Commodo: *Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impositus. Nam cùm insidijs illius Arrius Antoninus fictis criminibus in Attali gratiam, quem in Proconsulatu Asiæ damnauerat, esset occisus, nec eam tum inuidiam populo sæuiente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est.* Denique ista verba eiusdem Lampridij de Commodo & Proconsulibus ab eo in prouincias missis, plurimùm nostram adiuuant sententiam: *Misit homines*, inquit, *ad prouincias regendas, vel criminum socios, vel à criminosis commendatos.* Talem igitur fuisse istum Arrium Antoninum, persecutorem Christianorum, à Commodo in prouinciam Asiam missum credibile est, non verò existimandum istam persecutionis acerbitatem, de qua ibi Tertullianus, in hominem mitissimi ingenii (qualis fuit Antoninus Pius) cadere potuisse.

Lampridius in Commodo Imp.

l *NE VERO QVISPIAM DICAT, &c.*] Sunt hæc in *Apologia Iustini ad Senatum*, paullò post ea, quæ de martyribus ab eodem allata sunt. Vide sub initium istius apologiæ: vbi sic græcè: Ὅπως δὲ μή τις εἴπῃ· πάντες οὖν ἑαυτοὺς φονεύσαντες πορεύεσθε ἤδη παρὰ τὸν θεὸν, καὶ ἡμῖν πράγματα μὴ παρέχετε. *&c. Vt autem nemo dicat: omnes igitur vosmet ipsi mortem consciscentes nunc ad Deum ite, neque nobis negotium facessite. &c.*

AD

AD CAPVT IX.

a QVÆ CIRCA B. PTOLEMÆVM, &c.] Materiem huius capitis desumpsi è posteriore Iustini apologia.

b AD ALTERAM PRO CHRISTIANIS APOLOGIAM, &c.] Ea est apologia, quæ sub initium nonnihil est mutila atque interrupta, & quæ malè hactenus in editis B. Iustini operibus prior ponitur & appellatur; cùm tamen diu post alteram scripta sit, nec multò ante mortem Iustini. Nam illa quæ in ijsdem operibus ponitur secunda, cùm oblata sit Antonino Pio; vt prior est, sic deinceps in nouis Iustini impressionibus priore loco ponenda est: quemadmodum fusiùs docui suprà, cap. XXVI. vitæ.

c ET EGO QVOQVE, inquit, EXSPECTO, VT AB ALIQVO CLARORVM VIRORVM, &c.] Habentur hæc in posteriore apologia grecè, his verbis: Κἀγὼ οὖν προσδοκῶ ὑπό τινος τῶν ὀνομασθέντων ἐπιβουλευθῆναι, καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι, ἢ κἂν ὑπὸ Κρήσκεντος, τοῦ φιλοψόφου καὶ φιλοκόμπου· οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον τὸν ἄνδρα, &c. Quæ integrè in vita exposui.

Ex quibus est intueri Iustinum de Martyrio quidem vera opinatum, sed in genere Martyrij falsum esse. Sperabat enim cruci affigi: gladio cæsus est. Sic Deus sæpe sanctis suis nonnulla reuelat, nonnulla abscondit. Sic Paullus Actorum XX. versu 22. *Et nunc*, inquit, *ecce alligatus Spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent.* (*Actor. 20. ver. 22.*)

REGIS ENIM OPVS HOC FVERIT] Græcè apud Iustinum est: Βασιλικὸν δ' ἂν καὶ τοῦτο ἔργον εἴη. quasi dicat: præclarissimum & mihi optatissimum id opus fuerit. Hic loquendi modus frequens fuit, tam latinis, quàm Græcis. Plautus in Pœnulo, Act. 3. scena 3.

Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero.

Id est, præclarissimum opus fecero.

VARRONIS LOCVS EXPLICATVS. Varro lib. 4. de lingua latina sub initium, adferens 4. gradus explicandi verborum origines, ita de quarto: *Quartus*, inquit, *vbi est aditus & initia Regis: quò si non perueniam; scientiam ad opinionem aucupabor: quod etiam nonnunquam in salute nostra facit, dum ægrotamus, medicus*. Itaque illud: *vbi est aditus & initia regis*: id est, vbi rex esse incipiã, siue, vbi præstans ac planè regium opus fecero. Horatius lib. 1. epist. 1.

— at pueri ludentes, Rex eris, aiunt;

A *Si rectè facies —*

Sic alibi dicit: *Regis opus* – id est, præclarissimum opus.

Ad ostendendum autem admodum fuisse familiare illud, βασιλικὸν ἔργον, pro re maximâ & laudatissimâ, valde huc facit locus Senecæ Philosophi, lib. 2. *De ira*, vbi de Voleso Messala, homine crudelissimo, sic scribit: *Volesus nuper sub Diuo Augusto Proconsul Asiæ, cum trecentos vna die securi* B *percussisset: incedens inter cadauera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, græce proclamauit: O rem regiam.* Ita Seneca. Itaque veri est simillimum græca Messalæ verba fuisse: Ὢ ἔργου βασιλικοῦ. Eiusdem ferè modi est illa B. Clementis Alexandrini locutio, lib. 1. Pædagogi, cap. 12. Τοῦτο γὰρ τὸ μέγιστον καὶ βασιλικώτατον ἔργον τοῦ Θεοῦ, σώζειν τὴν ἀνθρωπότητα. *Hoc enim maximum & longè nobilissimum* C *est Dei opus, naturam seruare humanam.* (CRVDELITATIS EXEMPLVM? — CRVDELITATIS [illegible]TIO.)

Ex his colligere potes, vim huius sermonis non esse ab ijs intellectam, qui verterunt Iustini verba in hanc formam: *Neque enim hoc maiestate vestra indignum foret.* vt in Chronico Alexandrino: aut in istam: *Nec infrà maiestatem vestram esset hæc cognitio*; vt apud Gelenium Iustini interpretem: quasi sermo ad Imperatores dirigeretur: quod ne semel quidem fit in tota illa apo- D logia: vt non sine caussa dubitarint aliqui, essetne illa Imperatoribus dedicata & oblata, quandoquidem nullum ibi ad illos verbum: contrà quàm in eâ, quæ Antonino Pio & liberis oblata est, vbi illos sæpe, immo ferè perpetuò affatur. Sed de hoc fusiùs in Catalogo librorum Iustini suprà. (CHRONICI ALEXANDRINI INTERPRETATIO CORRECTA.)

d XENOPHONTEVM QVOQVE ILLVD] Exstat apud Xenophontem libro 2. Ἀπομνημονευμάτων haud procul initio, E vbi tam pulchrè, quàm fusè describitur, quod hîc breuiter ac succinctè S. Iustinus. Eiusdem Herculis in biuio deliberãtis meminit & Tullius libro 1. De officijs, sed strictìm. Cuius hæc sunt verba: *Nam quod Herculem Prodicus dicit (vt est apud Xenophontem) tum quum primum pubesceret (quod tempus à natura ad deligendum, quam quisque viam viuendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem: atque ibi se-* F *dentem, diu secum multùmque dubitasse, quum duas cerneret vias, vnam Voluptatis, alteram Virtutis, vtram ingredi melius esset: hoc Herculi Iouis satu edito potuit fortasse contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia instituta que impellimur.* Ita Cicero (*Memorabilium.* — VIÆ VIVENDI DELIGENDÆ APTISSIMVM TEMPVS ADOLESCENTIA.)

Eandem Herculis deliberationem imitatus est Silius Italicus, libro Punicorum XV. vbi Scipioni de transitu in Hispaniam secũ deliberanti fingit adstitisse hinc Virtutem,

tutem, inde Voluptatem; quarum & habitus & orationes describit. A

Tractat de eodem biuio Lactantius lib. VI. *Diuinarum institutionum*, cap. 3. vbi inter alia, *Omnis ergo hæc de duabus vijs disputatio*, inquit, *ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt enim vitæ humanæ cursum Y litteræ esse similem: quòd vnusquisque hominum, cùm primùm adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, partes vbi se via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac nesciat, in quam* B *se partem potiùs inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc est, si aut philosophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honestæ artis, quo euadat ad bonam frugem (quod fieri sine labore maximo non potest) honestam ac copiosam vitam disputant peracturum. Si verò doctorem frugalitatis non inuenerit, in sinistram viam, quæ virtutis ac melioris speciem mentiatur, incedere; id est, desidiæ, inertiæ, luxuriæ se tradere: quæ suauia* C *quidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti; post autem amissâ omni dignitate ac re familiari, in omnibus miserijs ignominiáque victurum*. Hæc Lactantius. Vide etiam Prudentium in Hamartigenia sub finem.

DE VITÆ STATV DELIBERATIO. Vtinam autem omnis adolescentia maturè ad hanc biuij considerationem animum applicet! neu citiùs in ima se vitiorũ deuolutam videat, quàm deuolui senserit! Nam rectè quidem loco iam laudato monuit Tullius: *in primis constituendum, quos* D *nos, & quales esse velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio*, inquit, *est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, quum est maxima imbecillitas consilij, tunc id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maximè adamauit. Itaque antè implicatur aliquo certo genere cursuq; viuendi, quàm potuit, quod optimum esset, iudicare.* Ita ille. Vide etiam de duabus vijs & totidem ducibus Basilium E magnum, homilia in Psalmum primum.

Cicero l. 1. De offic.

e *POST VARIA TORMENTA*] Huius rei testis est Menæum in Iustini martyrio his verbis: πολλοῖς πρότερον βασάνοις καθομιλήσας, *multis priùs tormentis obiectus*. Vide suprà, cap. XXIV.

f *NAM ET MVLIER VNA, &c.*] Hæc mulier in Menæo appellatur Χαριτώ, (latinè Charitina, aut Charito reddi potest) & inter septem martyres simul victores F tertio loco nominatur. Huius martyrium & laudes partim cap. X. partim cap. XXIV. continẽtur. Aliam eiusdem nominis martyrem sub Hadriano Imp. passam refert Menologium, ad diem quartam Septembris. Est & tertia Charitina, non martyrio solùm, sed & virginitate illustris, cuius vitam scripsit Metaphrastes, & ex illo ediderunt Lipomanus & Surius ad V. Octobris.

AD CAPVT X.

a *AD VRBIS ROMÆ PRÆFECTVM*] Totũ hoc caput de felici agone Iustini & sociorum, ex ipsis Actis Martyrij desumptum est: nisi quòd ad extremum paucula è Menæo & martyrologio de die illis sacro adiũxi. Alioqui priora omnia sunt ipsamet eorum pura acta, absque additione, absque diminutione. Quæ quidem Simeon Metaphrastes verus Sãctorum, * θησαυροφύλαξ maximo ecclesiæ bono, vt alia multa, cõseruauit. Eadem latinè inuenies apud Aloysium Lipomanum, ad diem XII. Iunij, & apud Suriũ, tomo 3. ad eãdem diem. Cui tamen Surio paruula notatiuncula ibidem detrahenda est, in qua Iustinum nostrum in duos diuidit, aut potiùs Acta martyrij eius, quasi à nostro aliena, alteri adiudicat. Quod procul dubio non fecisset, si in Menæi de Iustino nostro monumenta, quæ nunc latinè primùm emitto, incidisset. Nam illic manifestò vnus idémque esse cernitur, & Scriptor ille Philosophus, & hic martyr; vt fusiùs ibi ostendo.

* Thesauri custos.

b *ANNVS AVTEM QVO ISTA CONTIGERE*] Antiquiorum nullus, præter auctorem Chronici Alexandrini, annum, quo hæc martyria acciderunt, annotauit. Quare hunc meritò sequimur, præsertim cùm non modò annum Domini, sed etiam Imperatorum, & Olympiadis, & Indictionis expresserit. Quorũ anni, vt ab illo expressi, ita cõcurrunt tã apud Eusebiũ in Chronico, quàm apud Baronium in annalibus. Idem est enim VI. Impp. M. Aurelij & L. Veri: & 2. olympiadis 236. & Domini 168. Nam Indictiones nec Eusebius, nec Baronius annotârunt. Tantùm in Cõsulibus dissentit Baronius. Nam vbi auctor illius Chronici notat Orphitum & Pudentem Coss. Baronius notat Pudentẽ & Pollionem. Verùm de Consulibus magna est & sæpe inter Chronographos dissensio, & quos ponit Baronius anno Domini 168. assignat Onuphrius, 167. Itaque auctor Chronici Alexandrini, ad illum, quem dixi, annum Domini 168. (siue, vt ille notat, atque in idem recidit, ad annum ab ascensione Domini CXXXV.) ita scribit: Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς Μάρκῳ Αὐρηλίῳ καὶ Ἀντωνίνῳ Βήρῳ τοῖς αὐτοκράτορσι, θείῳ καταχοσμεῖται μετ' οὐ πολὺ στεφάνῳ τοῦ μαρτυρίου, Κρήσκεντος αὐτὸν ὑποβάλλοντος. *Iustinus Philosophus, postquam secundum pro doctrina nostra librum M. Aurelio & Antonino Vero Impp. obtulisset, haud multò pòst diuina Marty-*

MARTYRII S. IVSTINI TEMPVS.

Martyrij corona, delatus à Crescente, exornatur.

Quòd autem Baronius idem Iustini martyrium annotârit anno 3. eorundem Impp. nihil mirum. Cùm enim auctoritate deficeretur, secutus est coniecturã. Quod & facturus fuisset alius, qui in Chronicum istud Alexandrinum non incidisset. Nam ibi quidem martyrij tempus signatè ponitur in anno sexto. Edidit chronicon illud Raderus noster græcolatinum post Baronij mortem, cùm antea ne græcè quidem editum esset integrum. Quare cùm auctorem Baronius non haberet quem sequeretur, neque tamen relinquenda extra Annales suos tam illustria martyria iudicaret; posuit ea, vbi maximè credidit conuenire: nempe sub initia quintæ persecutionis, alibi positurus, si auctorem habuisset.

MICHAELIS GLYCÆ ERROR DE ANNO MARTYRII S. IVSTINI.

Aberrauit etiam in tempore martyrij assignando Michaël Glycas, tertiâ parte Annalium, vbi de Antonino Pio Imp. agens sic scribit: *Post Hadrianum Antoninus, cognomento Pius ob morum benignitatem, annos XXII. imperauit: sub quo Iustinus Philosophus, & Dionysius Corinthi Antistes, vt doctrinæ Christianæ testimonio essent, vitam amiserũt.* Nec enim sub Antonino Pio, (vt antè ostensum est) sed sub M. Aurelio Antonino Philosopho finijt Iustinus: Dionysius autem etiam post Iustinum vitã prorogauit: vt liquet ex litteris, quas idẽ Dionysius ad Soterem Romanum Episcopum misit. Hic autem Soter demum sub M. Antonino Philosopho suscepit Pontificatum, anno eius imperij, vt assignat Eusebius, octauo; aut, vt alij volunt, longè posteriùs, vt nullo modo stare possit, nec de vno, nec de altero, Glycæ sententia.

QVO DIE ET RVTHENI FELICEM S. IVSTINI MEMORIAM CELEBRANT] Etiam Ruthenos celebrare memoriam S. Iustini Kalendis Iunij, patet ex eorum Kalẽdario, quod noster Antonius Posseuinus tomo 2. sui *Apparatus sacri*, ad nomen *Rutheni* inseruit.

AD CAP. XI. XII. XIII. & XIV.

a NOn habent hæc capita *De S. Iustini virtutibus*, vllas difficultates, propter quas in illis sit immorandum. Itaque tria priora, vbi nihil obscurum, intacta transiliam. In capite autem XIV. locus ille, vbi de libris Hystaspis & Sibyllæ agitur, aliquid explicationis indiget. Sunt enim qui Hystaspen illum & eius libros nesciãt: sunt qui & interdictum quidem illorum vsum sciant, sed de auctore interdicti, quis ille fuerit, hæreant. Hæc igitur modo inquirimus. Iustini ergo locus, vt hinc ordiamur, è priore est apologia, (sic voco eam, quæ est ad Antoninum Pium) & ita græcè legitur: Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, θάνατος ὥρισται κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, &c. *Instinctu & opera malorum dæmonum est factum, vt mors decerneretur contra eos, qui libros Hystaspis, & Sibyllæ, & Prophetarum legerent.*

HYSTASPES QVIS FVERIT.

Quis igitur fit ille Hystaspes, seu, vt alij vocant, Hydaspes, nonnulli requirunt. Quibus fiet satis, si proferantur quæ de illo refert Lactantius Firmianus libro VII. Diuinarum institutionum, cap. XV. his verbis: *Hydaspes quoque*, inquit, *qui fuit (Medorum rex antiquissimus, à quo amnis quoque nomen accepit) qui nunc Hydaspes dicitur admirabilis omnium, sub interpretatione vaticinantis pueri, memoriam posteris tradidit sublatum iri ex orbe imperium, nomenque Romanum; multo antè id præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur.*

Ex quibus verbis colligitur fuisse Rex Medorum, & scripsisse vaticinia, siue libros prædictionum. Quibus in prædictionibus nonnulla erant, quæ fidei Catholicæ puncta confirmarent. Vnde & hęc citat idem Lactantius eodem lib. cap. 18. *Hydaspes*, inquit *quem superius nominaui, descripta iniquitate sæculi huius extremi pios ac fideles à nocentibus segregatos ait cum fletu & gemitu extensuros esse ad cælũ manus, & imploraturos fidem Iouis: Iouẽ respecturum ad terrã, & auditurum voces hominũ, atque impios extincturũ. Quæ omnia vera sunt, præter vnum, quod Iouẽ dixit illa facturum, quæ Deus faciet. Sed & illud non sine dæmonum fraude subtractum est; missum iri à Patre tunc Filiũ Dei, qui deletis omnibus malis pios liberet. Quod Hermes tamẽ non dissimulauit.* Ita ibi Lactãtius.

Lactantius lib. 7. diuinarum Instit. cap. 18.

Eundem Hystaspen prædixisse consummationem sęculi per ignem auctor est noster Iustinus in eadem apologia, his verbis: Καὶ Σίβυλλα δὲ, καὶ Ὑστάσπης γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν. *Quin & Sibylla & Hystaspes corruptibilia per ignem consumptum iri dixerunt.*

Quod autem & S. Paullus Gentiles ad lectionem Hystaspis hortatus sit, notaui suprà è Clemente Alexandrino, in Notationibus ad cap. 4. vbi & de Sibyllis.

QVIS LIBRORVM HYSTASPIS ET SIBYLLARVM LECTIONEM VETVERIT.

Iam illud restat quærendũ, quis memoratorũ librorũ lectionẽ pœna capitis vetuerit. Baronius quidem ad annum Christi 143 existimat fuisse Antoninum Pium, *qui quod intelligeret*, inquit, *occasione Sibyllinorum carminum, & aliorum Gentilium vatum ac prophetarum, qui multa de Christo prædixisse visi essent, complures à patria superstitione deficere, & ad religionem Christianam confluere, eiusmodi librorum lectionem penitus vetuit, apposita pœnâ mortis.*

Id tamen minimè videtur probabile, nec A alium ſcio quenquam, qui hoc dicat, nec profanorum Auctorum, nec ſacrorum. Nam Iuſtinus quidem loco illo, quem producit Baronius, & quem ſuprà attulimus, nihil aliud dicit; quàm operâ prauorum dæmonum ſtatutam eſſe mortem ijs, qui libros illos legerent: à quo autem ſtatuta fuerit, ne verbum quidem. Et ſanè, ſi Antoninus Pius eam pœnam ſtatuiſſet; an æquo animo tuliſſet ſibi objici operâ prauorum dæmonum ſe ad hoc inſtiga- B tum fuiſſe? an non eam pœnam inflixiſſet Iuſtino nimis importunè ac temerariè profitenti ſe eos libros legere, qui paullo antè tam ſeuerè vetiti eſſent legi? Deinde iſta Iuſtini profeſſio, & librorum Imperatori, qui eos vetuiſſet, obtruſio, quid aliud fuiſſet, quàm contra ſe & Chriſtianos omnes eiuſdem Imp. irritatio? Nec verò eſt credibile, tam mitem Imp. & tam in Chri- C ſtianos benignum, vt eos edicto publico tutatus ſit, nec de lectione eiuſmodi librorum quidquam in eo exceperit, eoſdem tam atroci pœnâ perſecutum.

Quare vel ad aliquem potiùs perſecutorem eccleſiæ iſta atrocitas referenda eſt (ſi edictum quidem aliquod eiuſmodi fuerit) vel ad Præfectorum ac Præſidum malitiam, ita Auguſti legem de non habendis priuatim Sibyllæ carminibus interpretan- D tium. Sanxiſſe enim Auguſtum talem legem, auctor eſt Tacitus, libro v. annalium; aut (vt libros diſtinguit Lipſius) lib. vi. vbi agens de libro quodam Sibyllę, quem Caninius Gallus Quindecimuir recipi inter ceteros eiuſdem vatis poſtulabat, dicit Imperatorem Tiberium ſuper ea re litteras ſcripſiſſe, in quibus inter alia id ſimul commonefecerit: *quia multa vana ſub nomine celebri vulgabantur, ſanxiſſe Auguſtum, quē* E *intra diem ad Prætorem Vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret.* [carmina Sibyllæ ſcilicet.] Volebat nimirum Auguſtus ea carmina, quæ ſub nomine Sibyllæ circumferrentur, ad Prætorē Vrbanum deferri, ac priùs examinari, eſſéntne re vera Sibyllæ, an verò ſubdititia, ſeu, vt Græci vocāt, ὑποβολιμαῖα: propterea quòd multa vana ſub celebrium Auctorum nominibus, quod hodiéque fit, vulgarentur. F

Denique verba illa Iuſtini: Θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. *Mors decreta eſt contra legentes libros Hyſtaſpis, & Sibyllæ, & Prophetarum:* non aliam vim habent, quàm illa ex eadem apologia, quibus alloquens eundem Antoninum Pium, & filios eius, dicit Chriſti fideles profiteri ſe eſſe Chriſtianos, *licet ſciamus*, inquit, *hoc profiteri mortem eſſe propoſitam.* Vbi ſanè non poteſt intelligi mors propoſita per edictum aliquod Antonini Pij contra Chriſtianos, cum tale extiterit nullum: ſed quòd magiſtratus, hoc eſt, Præfecti vrbis, & Præſides prouinciarū contra Chriſtianos, (quaſi erga Deos eſſent impij, & cœtus haberent ex antiquo vetitos) lege agerent. Sic & illa ibidem capienda ſunt: Καίπερ θανάτου ὁρισθέντος κατὰ τῶν διδασκόντων, ἢ ὅλως ὁμολογούντων τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἡμεῖς πανταχοῦ ἀσπαζόμεθα καὶ διδάσκομεν. *Et conſtitutâ licet morte ijs qui docent, aut etiam qui profitentur nomen Chriſti, nos vbique & amplectimur, & docemus.*

Vbi corrigendus eſt Iuſtini interpres, qui hæc ad ſuperiora retulerat, exiſtimans de Apoſtolis dici, dum ita vertit: *Quod Apoſtoli eius Hieroſolymis profecti vbique locorum prædicārunt: quamuis capite ſancitum eſſet, ne quis doceret, aut ſaltē profiteretur Chriſti nomen, quod vbique nos & amplectimur & promulgamus.* Nam Græca & eorum diſtinctiones manifeſte noſtrum ſenſum aſſerunt: nempe Iuſtinum loqui de Chriſtianis ſui temporis, qui, propoſita licet morte, Chriſti nomen profitebantur. INTERPRES IVSTINI CORRECTVS.

b *POTERAT ENIM DICTVM ILLVD A NOBIS VSVRPARI &c.*] Cuius ſit dictum illud, ſeu verſus ille ſenarius quē citat Iuſtinus, non dicitur. Sed acceptus eſt è medio Euripidis Hippolyto in Iambis, vbi cùm nutrix ita Hippolytum commonuiſſet:

Ὦ τέκνον ὅρκους μηδαμῶς ἀτιμάσῃς.

Iurata, nate, neutiquam contempſeris.

Mox reſpondet altero verſu Hippolytus:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Iurata lingua: animus ſed iniuratus eſt.

ſeu, vt Cicero Officiorum 3. ſub finem, cum ipſum citans Euripidem, vertit:

Iuraui linguâ: mentem iniuratam gero. IVSIVRANDVM MINIME VIOLANDVM.

Quod autem ait Iuſtinus illud dictum vſurpari poſſe à Chriſtianis, non ita accipiendum eſt, quaſi ſentiat licere id Chriſtianis abſque noxa facere; ſed tantùm eſſe in eorum poteſtate, hoc faciendo mortem effugere: at ipſos mori malle, quàm ſic fidem fallere. Quod egregia inibi comparatione à militibus, qui dictum Imperatori ſacramentum, cunctis rebus, adeóque ipſi vitæ præferunt, amplificat. Nec ſanè Iuſtinum fugere poterat illud Chriſti pręceptum, Matthæi x. verſu 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt.* Matthæi 10. ver. 32. Et Lucæ ix. verſu 26. *Nam qui me erubuerit & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & patris, & ſanctorum Angelorum.* Lucæ 9. ver. 26.

In

In quibus ſatis clarè indicatur, haud- A quaquam ſufficere, ſi fides in corde ſeruetur corā Deo, niſi & ore manifeſtetur coram hominibus. *Corde enim creditur ad iuſtitiam* (vt ait Paullus ad Rom. x.) *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Det porrò Deus opt. max. qui pater luminum & eſt & appellatur, Chriſtianis omnibus, vnà cum lumine fidei, tantum roboris atque fortitudinis, vt quàm corde diſpoſiti ſunt ad credendū, tā ore ſemper parati ſint ad confitendū. Quū B enim in huius ſcriptionis metā, mihi vota profundere (quorum ferè ſolorum diues ſum) geſtiat animus; non video, quid præſtabilius ab homine optari, quid maius à Deo conferri poſſit, quàm iſta fidei generoſa & inconcuſſa, ſeu eblandientibus delicijs, ſeu propellētibus tormentis, ad mortem vſque confeſſio. In hac enim humanę perfectionis apex, in hac Chriſtianę felicitatis ſumma conſiſtit: quā qui adepti ſunt, C ter & quater beati; qui nō adepti ſunt, ſed appetierūt, nihilominus beati: ſed ita quidem, ſi pro virili adſpirârint, ſi toto, vt aiūt, corpore conniſi ſint. Quorum ego ſanè alterutrum tā mihi, quàm ijs omnibus, quibus perinde ac mihi optimè cupio, quātis poſſum efficaciſſimis votis apprecor. Ac ſi qui exiſtant, quibus deficiēte martyrij anſa ſtudium ſit alijs in rebus noſtri imitandi martyris; haud eſt difficile, vel quotidianis D in euentibus, ſimilis alicuius palmæ inuenire materiem. Nam ſi tua nihil merentis atque innoxij bona fama atque exiſtimatio dente canino laceretur: ſi res familiaris atque fortunæ omnes per vim aut ſummam iniuriam auferantur: ſi corpus ipſum ab indigniſſimis hominibus plagis fœdiſſimis violetur: túque interea ſine vllâ vlciſcendi libidine æquo perferas animo: tu ex integro ac ſincero corde lubens condones: tu ſolius Dei reſpectu, tāquam alteri facta, penitus obliuiſcaris: næ, tu Iuſtinū ac quemlibet alium martyrem præclarè imitaris: tu egregias, neque vlli impares martyrio, tibi palmas acquiris. Fuerūt enim, fuerūt, qui tametſi ad ſubeūdum martyrium animo prompti eſſent, ad remittendam tamen iniuriam nullo modo induci poſſent: qui proinde hanc mordicus retinendo, palmam è manibus miſeri nec miſerabiles dimiſerunt. Quòd ſi & alia requiris ſanctorum Martyrum imitamenta; tu nequaquam (ſancto quidē Diadocho auctore) ambigito, quin & violentorum morborum atroces inſultus æquanimiter tolerati, & importunarum tentationum vehementes, aſſiduíque impetus fortiter retuſi, pro ſecundo haberi poſſint & debeant martyrio. Quin & magnus ille Chryſoſtomus, cùm B. Theclam virginem & martyrem dilaudaret, minimè dubitauit eius virginitatem μέγα τι πρὸ μαρτυρίου μαρτύριον, *magnum, ante victoriam martyrij, martyrium* appellare. Cuius & hanc ſubiecit optimam rationem: Αἱ γὰρ ἡδοναὶ, δήμιοί τινες τοῦ σώματός εἰσι· μᾶλλον δὲ δημίων δεινότεροι. *Voluptates enim, ſæui ſunt carnifices corporis, immo carnificibus ſæuiores*. Illas igitur voluptates debellemus: iſtos morborum dolores æquo animo ſufferamus: iſta fortunarum damna, iſta honoris detrimenta, iſta in proſperis, iſta in aduerſis teterrimorum hoſtium tentamenta, forti ac virili pectore, propter Chriſtum, eiúſque gloriam toleremus; & palmæ SS. Martyrum (quod nobis Deus opt. max. ſua benignitate indulgeat) nequaquam exſortes erimus.

Ad Rom. 10 ver. 10

FIDEI CONFESSIO.

MARTYRES IMITANDI MVLTIPLEX RATIO.

VIRGINITAS MARTYRIO COMPARATVR.

FINIS.

Ad maiorem Dei opt. max. & S. Iuſtini honorem & gloriam.

SANCTI IRENÆI
EPISCOPI ET MARTYRIS
VITA ET DOCTRINA.

Deducta ex his potiſſimè Auctoribus:

IPſomet beatiſſimo Irenæo, Lugdunenſi Epiſcopo.
Eccleſiæ Lugdunenſis de eodem epiſtolâ.
Q. Septimio Florente Tertulliano, Presbytero.
Euſebio Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo.
S. Epiphanio, Conſtantiæ Cypri Epiſcopo.
S. Baſilio Magno, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo.
S. Cyrillo, Epiſcopo Hieroſolymitano.
S. Hieronymo Presbytero,
Flauio Lucio Dextro.
S. Auguſtino, Hipponenſi Epiſcopo.
B. Theodoreto, Cyri Epiſcopo.
S. Andrea Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo.
S. Anaſtaſio Sinaita.
S. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.
S. Maximo martyre.
S. Ioanne Damaſceno.
Photio Epiſcopo Conſtantinopolitano.
Antonio Meliſſa.
Oecumenio.
Martyrologijs, Romano, Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum.

VETE-

VETERVM
DE SANCTO IRENÆO
TESTIMONIA.

Ecclesiæ Lugdunensis ad Eleutherum Papam.

Χαίρειν ἐν θεῷ σε ἐν πᾶσι εὐχόμεθα καὶ ἀεὶ, πάτερ Ἐλεύθερε. Ταῦτά σοι τὰ γράμματα προετρεψάμεθα τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι· καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ.

Valere te in Deo semper & in omnibus optamus, pater Eleuthere. Has ad te litteras perferre hortati sumus fratrem nostrum & ministery consortem IRENÆVM: quem vti commendatum habeas, vtpote testamenti Christi perquam studiosum, obsecramus.

Tertulliani, in libro aduersus Valentinianos, cap. 5.

NEc vndique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot iam viri sanctitate & præstantia insignes, nec solùm nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt: vt Iustinus Philosophus & Martyr, vt Miltiades ecclesiarum sophista, vt IRENÆVS OMNIVM DOCTRINARVM CVRIOSISSIMVS EXPLORATOR.

Eusebij, lib. IV. historiæ eccl. cap. x.

Ὁ δ' αὐτὸς Εἰρηναῖος τὸν ἄπειρον βυθὸν τῆς Οὐαλεντίνου πολυπλανοῦς ὕλης εὐτονώτατα διαπλώσας, ἑρπετοῦ δίκην φωλεύοντος ἀπόκρυφον οὖσαν αὐτοῦ καὶ λεληθυῖαν ἀπογυμνοῖ τὴν κακίαν.

Idem autem IRENÆVS infinitam illam profunditatem materiæ, quam Valentinus multis erroribus obnoxiam commentus est, validissimè patefaciens, malitiam illius instar serpentis in antro latitantis absconditam & occultam in apertum produxit.

Est interpretatio Ruffini Presbyteri, eodem libro & capite.

S. Epiphanij, aduersus hæreses, lib. I. tom. II. hæresi XXXI.

Καὶ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα ὁ προειρημένος ἀνὴρ πρεσβύτης Εἰρηναῖος, ὁ κατὰ πάντα ἐκ πνεύματος ἁγίου κεκοσμημένος, ὡς γενναῖος ἀθλητὴς ὑπὸ τοῦ Κυρίου προβεβλημένος, καὶ ἐπαλειφθεὶς τοῖς ἐπουρανίοις χαρίσμασι τοῖς κατὰ τὴν ἀληθινὴν πίστιν καὶ γνῶσιν καταπαλαίσας τε καὶ καταγωνισάμενος τὴν πᾶσαν αὐτῶν ληρώδη ὑπόθεσιν, διεξῆλθε κατὰ λόγον τὰ ὑπ' αὐτῶν κενοφωνούμενα.

Hæc atque talia ille antè laudatus senex IRENÆVS, vir omnino Spiritus sancti donis adornatus, (qui tanquam generosus athleta à Domino productus, & cælestibus gratiys veræ fidei & scientiæ inunctus, omnem istorum [Valentinianorum] *nugacem doctrinam oppugnauit ac debellauit) ab ipsis inaniter prolata, verbo tenus est persecutus.*

S. Basilij magni, lib. De Spiritu sancto, cap. XXIX.

Εἰρηναῖος δὲ ἐκεῖνος, ὁ ἐγγὺς τῶν Ἀποστόλων γενόμενος, πῶς ἐμνήσθη τοῦ πνεύματος ἐν τῷ πρὸς τὰς αἱρέσεις λόγῳ, ἀκούσωμεν. &c.

IRENÆVS autem ille, vicinus Apostolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus sancti faciat in libro aduersus hæreses, audiamus. &c.

S. Ephræm

S. Ephræm Syri, lib. De virtute, cap. VIII.

HÆretici ſuum volentes confirmare errorem, è diuinis Scripturis loca atque teſtimonia depromere conantur: ad quos pulchrè & magnificè quidam Sanctorum [IRENÆVS] enuntiauit, dum ſic docens ait: *Cum ſit igitur tale illorum argumentum, quod neque Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, &c.*

Locus ille eſt verbo tenus lib. 1. Irenæi, cap. 1.

S. Cyrilli Hieroſolymitani, catecheſi xvi.

ΟἹ γὰρ περὶ πάντα ἀνοσιώτατοι αἱρετικοὶ, καὶ κατὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὤξυναν γλῶσσαν, καὶ ἐτόλμησαν τὰ ἀθέμιτα· καθὼς Εἰρηναῖος ὁ ἐξηγητὴς ἐν τοῖς προσάγμασι τοῖς πρὸς τὰς αἱρέσεις ἔγραψεν.

Nam impijſsimi omnino hæretici etiam contra Spiritum ſanctum acuerunt linguam, & dicere nefanda auſi ſunt, ſicut IRENÆVS enarrator in ſuis aduerſus hæreſes præceptionibus ſcripſit.

S. Hieronymi, epiſt. xxix. ad Theodoram viduam:

REfert IRÆNEVS, vir Apoſtolicorum temporum, & Papiæ auditoris Euangeliſtæ Ioannis diſcipulus, Epiſcopus eccleſiæ Lugdunenſis, quòd Marcus quidam è Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendens, primùm ad Gallias venerit, & eas terras, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, ſuâ doctrinâ maculauerit. *Et breui pòſt*: Hoc ille ſcripſit ante annos circiter trecentos, & ſcripſit in ijs libris, quos aduerſus omnes hæreſes doctiſſimo & eloquentiſſimo ſermone compoſuit.

S. Auguſtini, lib. I. contra Iulianum Pelagianum, cap. 3.

SEd tu, qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei catholicæ defenſores, tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi euigilas, intuere. &c.

Deinde principem omnium producit S. Irenæum his verbis:

S. Irenæus lib. 4. cap. 5.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus non longè à temporibus Apoſtolorum fuit: iſte ait: *non aliter ſaluari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati, in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad ſe, & viuificauit mortuos.* &c. *Vidéſne antiquum hominem Dei, quid de antiqua ſerpentis plaga ſentiat?*

S. Gregorij Magni, Papæ, lib. 9. Regiſtri, cap. 50. ad Ætherium Viennenſem Epiſcopum.

GEſta vel ſcripta B. IRENÆI iam diu eſt, quòd ſollicitè quæſiuimus: ſed hactenus ex ijs inueniri aliquid non valuit.

B. Theodoreti, dialogo I. *Immutabili* appellato.

ἈΚήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς, τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, &c. καὶ Εἰρηναῖον, ὃς τῆς Πολυκάρπου διδασκαλίας ἀπήλαυσεν, ἐγεγόνει δὲ φωστὴρ Γαλατῶν τῶν Ἑσπερίων. &c.

Audiuiſti omnino de Ignatio illo, qui per magni Petri dexteram Epiſcopatus gratiam ſuſcepit, &c. *Et de IRENÆO, qui doctrina Polycarpi fruitus eſt: fuit autem lumen Gallorum Occidentalium.* &c.

S. Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi, commentario in Apocalypſin, cap. 63. ſerm. 22.

ΚΑθὼς τοῖς μακαρίοις Εἰρηναίῳ, καὶ Ἀντιπάτρῳ, καὶ ἑτέροις ἁγίοις ἔδοξεν.

Sicut beatis Irenæo, & Antipatro, & alijs ſanctis viſum eſt. Citat deinde S. Irenæi verba, vt & alibi ſæpius.

Georgij Syncelli, in Chronico, ad tempora Commodi Imp.

ΕἸρηναῖος ἐπίσκοπος Λουγδούνου, πόλεως Γαλλίας, θείοις λόγοις καὶ πράξεσι διέλαμψε.

IRENÆVS Epiſcopus Lugduni, vrbis Galliæ, diuinis verbis & actibus coruſcabat.

VITA

VITA
SANCTI IRENÆI
EPISCOPI LVGDVNENSIS
ET MARTYRIS.

PRÆFATIO.

INTER prima secundi sæculi lumina beatus IRENÆVS, tanquam fax ardentissima, iure quodam suo attollitur. Ad cuius lucem atque splendorem longè latéque ab ortu ad occasum eximiè promicantem, vtriusque plagæ homines, immo totius vniuersi huius mortales, cum admiratione iuxtà & veneratione suspexerunt. Nec enim ferè quisquam est celebrium sanctitate Scriptorum, qui vel plures, vel præstantiores, quàm vnus hic IRENÆVS, sui suorúmque monumentorum cultores nactus sit, atque laudatores. Quippe quem Græci, Latiníque Patres, primi, medij, postremi, velut pia quadam æmulatione ad cælum tollant: cuius auctoritatem pro suarum confirmatione opinionum certatim ad se rapiant. Libros enim aduersus omnes hæreses, pro tuenda germanæ religionis sinceritate, conscripsit planè diuinitus. Quæ scripta consequentibus sæculis, tum ad recidendas earumdem hæreseon repullulantes fibras, Christi athletis ob inuictam rationum efficaciam admodum profuerunt: tum pijs quibuslibet animis, propter viuidos felicis ingenij & antiquæ virtutis colores plurimum commodarunt. Sed vita ipsa multò sanctissima, eius quamuis eminentibus scriptis tanto est anteferenda, quanto amœnis folijs salutiferi fructus præferendi. Habet autem ea vita perillustres fidei caussa peregrinationes: habet præclaras ecclesiarum inter sese pacificationes: habet admirabiles, & numero quidem propè innumero, martyrum palmas atque adoreas: quarum vt hic acquirendarum dux fuit & antesignanus; ita obito cum suis commilitonibus insigni martyrio, facilè omnium principem reportauit. Quæ vt in promptu certiùs constent, in rem è vestigio ibimus.

CAPVT I.

S. IRENÆI ætas & prima studia.

S. IRENÆI, (vt multorum è priscis illis primæuæ Ecclesiæ heroibus) ignotum est genus, patria incerta. Nisi, quod veri sectantibus similia, honesto loco, & è parentibus Christianis, atque in terra Asia, & [b] Smyrnæ quidem, vrbe litteris & omni amœnitate florentissima ortus esse & educatus meritò videri possit. Nam vnū quidem persuadet liberalis eius & pia à teneris institutio: alterum autem propè euincit ipsius admodum pueri in vrbe Smyrna habitatio. Ad ætatem porrò quod attinet, minimè quidem dubium esse debet, quin [c] vel extremis Traiani Imp. temporibus, vel certè primis Hadriani eius successoris, hoc est, circiter annum Domini centesimum vigesimum in lucem editus sit. Quippe bona SS. Patrum ac veterum Scriptorum pars ipsum haud longè ab æuo Apostolorum abfuisse commemorant: quorum Apostolorum ætas per longam in primis ac beatam S. Ioannis Euangelistæ vitam ad Traianum vsque perducta est. [d] Hunc autem dilectum Domini discipulum vita excessisse secundo eiusdem Traiani Imp. anno plurimi existimant: processisse autem etiam aliquanto longiùs non desunt, qui contendant. Denique illo natus est & floruit tēpore IRENÆVS, quo & primæuus Christianorum feruor in Ecclesia peruigebat, & multi fidelium singularibus diuinæ gratiæ ac Spiritus sancti donis aucti, partim è corporibus malignos inquilinos exigebant, partim longè pòst futura illustrato mentis oculo præuidebant, partim morbos incurabiles, seu fusis ad Deū precibus, seu manibus impositis percurabant: partim iā depositos, iam mortuos ad vitam reuocabant. Quem florentis ecclesię statū ipsemet postea IRENÆVS, etiam se prouecto ætate perdurasse, disertis verbis (quæ hic referre non pigebit) professus est: Sic enim dixit: [e] *Quapropter ij, qui verè Christi sunt discipuli, dum bene de ceteris hominibus mereri student, talia per acceptam ab eo gratiam in ipsius nomine efficiunt, qualia sunt ea dona, quæ ab illo vnusquisque percepit. Hi enim verè solidéque dæmones expellunt; ita vt qui à spiritibus illis nequam expiati fuerint, sæpenumero Christi fidem amplectantur, atque ad ecclesiam aggregentur: illi autem & rerum futurarum prænotione, & visis diuinis, & sermonibus propheticis imbuūtur: isti verò grauibus conflictatos morbis ipsa manuum impositione persanant, ac pristinæ incolumitati restituunt. Quin etiam, vti diximus, & mortui à nostris suscitati sunt, & multis apud nos annis cōmorati. Quid multa? Non est persequi numerum gratiarum, quas Deus ecclesiæ suæ toto orbe dispersæ dispertijt: quibus illa in nomine IESV Christi sub Pontio Pilato crucifixi multa in dies singulos miracula, ad Gentium vtilitatem, sine dolo malo, & absque vllo quæstu perfi-*

NATIVITATIS IRENÆI TEMPVS.

S. IOANNES EVANGEL. QVO ANNO EXCESSERIT.

ECCLESIÆ SECVNDO FLORENTIS SÆCVLO STATVS.

Iren. l. 2. aduersus hæreses, c. 57. Eusebius l. 5. hist. c. 7.

perficit. Quemadmodum enim à Deo gratis accepit, sic & gratis tribuit. Et idem alibi:[f] *Multos*, inquit, *fratrum ipsi in ecclesia audimus, qui & dona prophetiæ habent, & varijs linguis ex Spiritus sancti gratia loquuntur, & occulta hominum ad aliorum vtilitatem palam efferunt, & Dei mysteria euidenter exponunt.*

Iren l. 5. c. 6. Eusebius l. 5. hist. c. 7.

Sed hæc de IRENÆI ætate & florenti illo æuo: nunc de ingenio & litteratura. Fuit in eo indoles facilis ac festiua, ingenium acre & fecundum, memoria felix & exprompta, animus denique multarum & magnarum rerum capax. Quibus egregijs naturę dotibus præ multis æqualium abundans, ad omnes liberales ingenuásque artes ijs mirificè vsus est. Nam, vt alias omittam, certè in eloquentiæ stadio & philosophiæ spatijs ita desudauit, vt paucissimos sibi illa ætate pares habuerit, (si tamen habuerit) superiorem verò certè neminem. Nec est, quamobrem vel de dictis naturæ dotibus, vel de raro in studijs profectu ambigi quicquam possit. Nam vtroque in genere cum longè æqualibus præstitisse, atque in paucis excelluisse; vt nihil foret aliud, sanè id satis supérque editi ab eo fetus, & libri, quasi alteri liberi, valerent ostendere. Vt enim liberorũ color virtutem patris: sic & librorum præstantia, auctoris ingenium prodit. Atque vt ex agrorum cultu ac prouentu, non modò agricolæ sedulitas ac diligentia, sed etiam terræ ipsius bonitas ac fecunditas intelligi potest: ita è doctorum hominum scriptis ac monumentis, non modò studium, & exercitatio, & doctrina; sed ipsæ quoque ingenij vires, & iudicij, aliarúmque facultatum præstabilitas sese cognosci volunt. Ex quo fit, vt quamuis nemo planè, disertéque scripsisset, nec quali ingenio, iudicióue fuerit Irenæus, nec quibus præceptoribus à puero vsus, nec quibus litteris deditus, nec quanta diligentia in ijs versatus, tamen vel ex ijs, quæ edidit, operibus facillimum foret assequi, & raro eum ingenio exstitisse, & præstantes magistros audiuisse, & insignem ad profectum operam attulisse, & in omni liberalium artium genere apprimè versatum esse.

NATVRÆ DOTES.

INGENIA E SCRIPTIS COGNOSCVNTVR.

Nam illum quidem sanè felici claruisse facilique ingenio, eadem, quæ vulgò in alijs, probant,[g] mira scilicet in similibus dissimilibúsque excogitandis solertia; in proferendis, refellẽdísque argumentis subtilitas; in præcipuis rerum momentis diducendis, amplificandísque vbertas & copia. Fuisse porrò & indole mẽtis præclara, cùm eius in colendis magistris studium (de quo infrà latiùs) tum in dictis seniorum perquam cupidè ac reuerenter excipiendis egregia pietas atque modestia, testatum facit. Fuisse denique studio ac labore in omnibus ingenuis artibus indefesso, ipsa eiusdem[h] in peruoluendis Poëtarum, Oratorum, Historicorum, Philosophorum, aliorúmque Auctorum voluminibus (quorum subinde floribus eximiè sua prata venustauit) impensa opera luculenter ostendit: vt non immeritò illum

INGENII FELICIS INDICIA.

tò illum Tertullianus, cùm diligenter eius perlegiſſet, æſtimaſſétque libros, *omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem* appellitarit. Sed de externis atque inferioribus diſciplinis hactenus: ad altiores nunc aſcendamus.

Lib. contra Valentinianos. ca. 5

CAPVT II.

Irenæi in ſacrarum litterarum ſtudio, diligentia, & ſingularis aduerſus Magiſtros ſuos obſeruantia.

[a] PEractis celeriter, & ſecundâ velut nauigatione decurſis artium externarum ſtudijs, confeſtim ad ſaluberrimos ſacræ Theologiæ fontes intendit animum, atque ad optimos diuinarum litterarum magiſtros ac doctores audiendos ſe contulit. E quibus, prȩter alios, duo fuerunt, quà virtute, quà eruditione celeberrimi, [b] S. Polycarpus Smyrnȩ Epiſcopus & martyr, [c] & S. Papias Hierapolitanus Antiſtes, vterque beati Ioannis Euangeliſtȩ diſcipulus. Ab his autem non doctrinam modò & ingenij culturam; verum etiam, ac multò quidem magis, vitȩ ſanctimoniam, & tuendȩ fidei ardorem, vnà cum incenſo hæreticæ prauitatis odio, hauſiſſe medullitus, atque in ſcriptis ſuis expreſſiſſe cognoſcitur. Quo quidem facto, cunctis adoleſcentibus, qui probos atque ſpectatos tam litteris; quàm moribus ſortiti ſunt prȩceptores, idem eſſe faciendum, quadam velut exempli lege prȩſcripſit. Quibus proinde admodum cordi eſſe debet, vt non ſcientiȩ tantùm, quȩ nuda & ſolitaria minimum poteſt; ſed virtutis potiſſimè, quȩ vel ſola plurimùm iuuat, bonam ſementem in animis ſuis ſuſcipiant, foueant, augeant. Nam ſic prorſus fecit Ireneus, qui non auidiùs ad ſermones beatiſſimi Polycarpi, quàm ad mores; nec ad doctrinam attentiùs, quàm ad vitam, ſtudium ſuum applicauit. Quippe qui ſe ita feciſſe, propoſito poſteris imitandi ſui exemplo, iure quodam ſuo gloriatur. In ea enim epiſtola, quam ad Florinum, ſuum quondam ſub magiſtro Polycarpo condiſcipulum, ſed deinde in hȩreſim miſerè prolapſum, refutandi eius gratia conſcripſit, ſuam in Prȩceptorem reuerentiam, & amorem, & admirationem ſic conteſtatur: *Vidi te*, inquit, *Florine, adhuc puer cùm eſſem, in inferiore Aſia apud Polycarpum, cum & in aula Imperatoris ſplendidè lautéque degeres, & Polycarpo te probare quàm ſedulo niteteris. Nam ea quæ tum gerebantur (quemadmodum cognitio quam à teneris combibimus, vnà cum ætate creſcit, & cum anima ipſa coaleſcit) multo firmiùs inhærent memoriæ, quam ea quæ nuper præterierunt. Quin & locus mihi obuerſatur, in quo Polycarpus, tum, cùm diſſereret, ſeſſitabat; & illius eodem aduentus atque introitus, & vitæ ratio, & forma corporis: poſſémque & ſermones ipſos referre, quos ad multitudinem habebat, & quam ipſe cum Ioanne ſibi, & cum alijs, qui Dominum vide-*

S. IRENÆI PRÆCEPTORES.
S. Hieron. epiſt. 29. ad Theodoram.

Euſeb. l. 5. c. 19.

S. IRENÆI IN PRÆCEPTORES OBSERVANTIA.

viderunt, intercessisse necessitudinem atque vsum memorabat: & quo item pacto ea quæ ab illis dicta, & de Domino ipso relata præsens inaudisset, solitus erat enarrare. Quo etiã modo ea, quæ de eiusdem Domini miraculis & doctrina, ab ijs qui verbum vitæ oculis suis vidissent, accepisset, omnia Scripturis esse conformia idem confirmaret, mihi posse videor recensere. Hæc enim ego, (quæ diuina fuit erga me miseratio) sanè quàm diligenter tum auscultabam, non chartæ quidem illa inscribẽs, sed cordi meo imprimens, quæ & nunc per Dei gratiam semper ingenuè ruminor, mentéque recogito.

OBSERVANTIA IN PRÆCEPTORES.

Ita Irenæus, magistri sui cultor atque obseruator reuerentissimus; cuius respectu quid magis optandum, quàm vt hoc possit ab ingenua iuuentute impetrari, tantum vt virum sibi persuadeant (est enim perquam gloriosum) imitari? siue in Præceptoribus suis (præsertim cùm de diuinis rebus sermo habetur) studiosè, attentéque audiendis, atque eorum etiam hortatibus altè in animum demittendis; siue in ijs, quæ multorum seruire vtilitati possunt, mente identidem & cogitatione reuoluendis? Nam hoc ipsum fecisse, idem vir sanctus, Dei gratiam ac miserationem appellauit: quam proinde nefas sit à bona indole, vel ingrato animo contemni, vel iniquo repudiari.

Hoc autem ipsum persalubre documentum videtur ipse Irenæus ab altero magistrorum suorum, S. Papiâ scilicet, auditore B. Ioannis Apostoli, percepisse. Nam erat is Papias, si quis alius, tam eorum quæ ab Apostolis, Dominiúe discipulis dicerentur, excipiendorum auidus; quàm eorundem deinde memoria retinendorum, (vti in eius vita perscripsi) studiosus. Tales etiam fuisse olim accepimus illos magni Paulli sectatores atque discipulos, Dionysium Areopagitam & Timotheum, qui non illius modò Apostoli, sed etiam S. Hierothei dicta tanti fecere, vt hic quidem ipsius sacros hymnos memoriæ commendarit; alter autem etiam scriptorum monumentis nonnulla eius documenta consignarit. Sic igitur Irenæus maiores suos imitatus, [e] sui illius senioris (cuius frequenter in libris suis commeminit, quicumque demum is fuerit, nec enim certò cognosci potest) sic alij hos secuti, magistrorum suorum dicta secundo sermone commemorabant, & quò ad plures emanarent, subinde etiam in codices referebant.

S. PAPIÆ LAVS.

Tomo 1. illustrium ecclesiæ Orientalis Scriptorum.

Iren. l. 4. c. 50. & aiibi.

Tales igitur magistros Irenæus audiuit: à talibus viris Apostolicis & Apostolorum discipulis, [f] ipse item vir Apostolicus (qua laude non semel, sed sæpius, à sanctissimis viris afficitur) doctrinam suam simul & sanctimoniam hausit, penitúsque imbibit. Horum proinde exemplo, maximéque S. Polycarpi, (qui totas noctes in sacrarum meditatione litterarum non rarò consumebat) totum se diuinorum librorum lectioni addixit: sic autem, vt non solùm intelligere conaretur, quæ legeret, sed multò etiam magis, vt ex intellectis

Theodoret. l. 1. hæret. fab. in Menandro, & in Carpocrate.

SCRIPTVRÆ SACRÆ VT VACANDVM SIT.

vitæ fructum percipere laboraret. Sciebat enim in omni sermone, qui à Deo profluxisset, spiritum & vitam esse: sed à modestis duntaxat & puris corde, & animo simplicibus reperiri. Ac proinde ad sacras illas paginas & diuina eloquia sic accedebat; vt clara, intellectúue facilia simpliciter caperet, memoriæque traderet; obscura autem & perplexa, mente identidem peruolueret, si fortè multo meditandi vsu ad reconditi eorum sensus medullam perueniret; sin minùs, vel assequi deuotis precationibus studebat, vel Polycarpum, aliósue in vera Dei ecclesia constitutos magistros ac doctores consulebat; multóque illis malebat, quàm proprio iudicio, vtpote cæco vt plurimùm ductori, credere atque obsequi. Nec verò se adduci vnquam sinebat, vt in scriptis sacris, seu noui, seu veteris testamenti, aliqua inter se pugnantia, aut veritati minùs consentanea admitteret, memor illius à Sapiente perquàm sapienter dicti: *Iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauum quid, neque peruersum: recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam.*

Prouerb. 8. ver. 8.

Quam quidem scientiam si non inueniret, dabat ipse, & dandam itidem ab alijs docebat, gloriam Deo, nempe tam in sui submissione, cogitantis se hominem esse; & parui præ cælestibus spiritibus, ac multò maximè Deo, ingenij; quàm in ipsius Dei & sermonum eius (qui omnem non humanam modò, sed angelicam quoque intelligentiam infinito superarent interuallo) exaltatione. Ita nostro sciendi studio moderandum esse admonebat, ac multa Deo relinquenda, *non solum in hoc sæculo*, inquiebat, *sed & in futuro: vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo.* Tali ergo submissione atque modestia cùm se docilem vir Dei preberet, mirum quantam sacrarum litterarum cognitionem acquisiuerit; mirum quàm in docendo, scribendo, disputando eam in promptu habuerit; sed quas inde consequentibus temporibus de Fidei inimicis palmas tali fretus armatura reportarit, nihil mirum. At de his pòst videbitur: nunc quemadmodum à S. Polycarpo, eius præclaræ indolis, atque insignis in virtute atque doctrina profectus non ignaro, ad sacros prouectus sit ordines, atque ad longinquæ Domini vineæ culturam missus, in præsenti nobis est attendendum.

Vide Iren. lib. 2. cap. 43. & seqq.

CAPVT III.

Irenæi ad sacros Ordines prouectio, atque ex Asia in Galliam missio.

CVm Irenæus suæ iuuentutis florem longè aliter quàm plerique vulgò solent) optimis in studijs hactenus collocasset, ac Deo opt. max. ipsius sanctis conatibus adspirante, eos fecisset, cùm in sacris litteris, tum in Christianis virtutibus progressus, quos

quos & ipsius præcellens ingenium, & inusitatus discendi ardor sperari iusserant, haud latere Polycarpũ potuit, quantos olim hæc tenella planta laboranti & sua ope indigenti Ecclesiæ paritura fructus esset, si idoneo cõsita loco, & bene irrigata, studiosè excoleretur. Hoc igitur ipse sibi negotij sumpsit, in hoc incubuit, vt in ecclesia sua, tanquã in horto aquis cælestibus irriguo eã plantaret, irrigaret, omni cura foueret, atque erigeret. Nã inter sacros ministros, toto gaudente & applaudente ipsorum cœtu, eum adlegit, & Diaconi officio fungi iussit. Quo in officio tanquam vir nouus, & è communi fidelis populi statu in altiorem euectus locum, ac proinde ad multo maiorem vitæ perfectionem euocatus, sedulò nunc, si vnquam, in sui vigilare custodiam cœpit, & perinde quasi nullum hactenus in ecclesia Dei operæ precium fecisset, ita totis viribus allaborare, tam vt nihil suo indignum gradu admitteret, quàm vt omnes probi Diaconi, & qualem Paullus postulabat, partes expleret. Ad pudicitiam ergo, (quam magnus ille Gentium doctor primo loco commendauit) quod attinet; sicut eam à puero adamarat, ac velut sponsam sibi assumpserat; ita ex hoc tempore magis magísque eam amplecti, atque in perpetuum fidam retinere sociam ac contubernalem studuit. Dulcem enim ac minimè amaram eius conuersationem sentiebat. Quin & illam sibi semper fidissimam, seu studia tractare vellet, seu in pietatis ac officij sui muneribus occupari mallet, sibi, inquam, semper fidissimam atque expeditissimam adiutricem experiebatur. Cùm autem ipsos hæreticos, atque alios nostræ fidei atque virginis ecclesię hostes, totos in spurcitia & impuritate volutari cerneret, hoc ipsum illi ad strictiores veræ ac germanæ castimoniæ amplexus calcar erat. Verissimum enim est, atque ita esse intelligebat, eos qui tam dissimiles sint in fide, non minùs in moribus haberi dispares: & qui à Deo vero, fabricatis sibi nouis Dijs, impiè discedant; à commendatis quoque ab illo virtutibus ad exosa ipsi vitia discedere. Eius porrò pudicitiam hæ comites indiuiduæ associabant, in sermone sinceritas, in victu sobrietas, in re familiari paupertas, sed ea paruo contenta, miniméque cupida, nedum alieni appetens, aut turpis lucri auida, denique in imbutà mysterio fidei conscientià, singularis puritas. Hæ enim sunt virtutes, quas & Paullus in Diaconis requisiuit, cùm dixit: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium Fidei in conscientia pura:* & quas Polycarpus in Irenæo inuenit, siue cùm ad sacrum illud munus eum adlegit, siue cùm illo fungentem munere, atque in omnibus se integrum atque immaculatum præstantem considerauit, ac dicere ei proposuit, *Amice, ascende superius*, atque in Sacerdotum numerum cooptare. Nam & illum, (postquam in suo ministerio aliquamdiu versatus, idoneum suæ virtutis specimen edidisset) dignitate sacerdotij

IRENÆVS FIT A S. POLYCARPO DIACONVS.

CASTIMONIÆ LAVS.

1 ad Timotheum 3. ver 8.

Lucæ 14. ver. 10.

IRENÆVS FIT SACERDOS.

cohonestauit. Quo quidem in facto difficile dictu est, vter duorum fuerit felicior: Polycarpúsne, cui diuinitus datum sit, ei manus imponere, atque Presbyterum consecrare eũ, qui futurus aliquando esset non tantum principale Galliarum lumen, sed etiam totius (vt omine faustissimo nomen eius præferebat) pacificator Ecclesiæ: an Irenæus ipse, qui hoc à Deo acceperit inuidendi multis beneficij, quòd illius consecraretur manu, qui non solùm discipulus fuisset Apostolorum; sed etiam conscriptà Christi nomine epistolà, diuino ore laudatus, atque omnibus Asiæ Angelis FIDEI virtute prælatus. Quòd si vlla in Irenæum cadere potuisset ambitio (virum alioqui ex ingenito pudore atque modestia ab omni ambitione alienissimum) haud sanè aliã futuram fuisse crediderim, quàm vt si sacrandus esset Presbyter, non alterius, quàm S. Polycarpi Præceptoris sui atque Antistitis manu sacraretur. Atque ita factum esse, ac propè pari amborum tam consecrantis, quàm consecrati gaudio atque exultatione, (cùm & vetera quædam idipsum præferant monumenta) pro certo, miniméque dubio tenendum est.

S. POLYCARPVS DIVINO ORE LAVDATVS.

Sed Irenæum tamen cum animo suo reputantem, quantum noui oneris cum isthoc honore sibi aduenisset, non sinebat cura eius bene gerendi, & imbecillitatis humerorum suorum metus, plenum animo gaudium capere: sed semper sollicitum tenebat, ne tanto impar oneri succumberet. Verùm diuina illi gratia, (quæ nunquam non adest sese inuocantibus) adeo vbertim cum fide & sine hæsitatione postulanti adfuit, vt non modò munus illud suum exactè & magna cunctorum approbatione exequeretur, sed etiam vt maiore dignus prouincia, nõ dubio ipsius S. Polycarpi iudicio, censeretur. Præter enim, quòd moribus esset admodum modestus & grauis, quòd accessu facilis, quòd sermone suauis, quòd consilio prudens & consideratus, accedebat etiam ardens amplificandæ religionis studium, & diuini honoris aduersus Fidei hostes, Iudæos, Gentiles, Hæreticos protegendi cura, æstúsque incredibilis. Hinc & nefarijs illorum conatibus vbique occurrebat, & præsentes dictis, absentes scriptis vel lacessitus retundebat; vel vltro, sola impulsus Dei gloria, lacessebat. Contra Gentiles quidem eo sacerdotij sui tempore, quo in Asia S. Polycarpo adhærebat, librum conscripsit, primum, vt opinor, ingenij sui fetum: quo demonstrata idolorum, & totius ipsorum superstitionis vanitate, à multis falsis Dijs ad vnum verum Deum eos deuocaret.

IRENÆI MORES ET FIDEI ZELVS.

Irenæi liber Contra Gentiles quando scriptus?

Ita enim ferè antiquissimi sanctorum Patrũ, stili sui primitias aduersus Gentes experti sunt. Cùm autem hisceipsis temporibus, nimirum Antonini Pij Imp. & S. Aniceti Pontificis, Valẽtiniana hæresis inualesceret, nec in Asiam modò, sed & in Galliã penetrasset, procliue creditu est S. Pothinum Lugdunensem Episcopũ, graui æuo fatiscentem

IRENÆI IN GALLIAM MITTENDI OCCASIO.

ac

ac iam laboribus & vigilijs contra grassantes lupos imparem, à beatissimo Polycarpo submitti sibi auxilia, missis ad eum litteris, postulasse: hunc autem acceptis pridem eruditionis ac sanctimoniæ Irenæi certis experimentis, illum ex omnibus ad eiusmodi prouinciam perquàm aptum atque idoneum iudicasse, ac nisi ipse quidem resisteret, eò destinasse. Postquam igitur idem Polycarpus rem hanc seriò, & ardentibus precibus (quemadmodum in huiusmodi negotijs facere solitus erat) Deo commendasset, non dubius de Domini voluntate Irenæū ad se accersit, senis Pothini desiderium exponit, ditionis illius necessitatem indicat ac deplorat, operariorum paucitatem, & hæreticorum proteruos insultus describit: denique sciscitatur, quid animi habeat ad medelam periclitantibus ecclesię membris afferendam? num abire in Galliã, ac fratribus suis opitulari paratus sit? & se quidẽ auctore, dignam Christiano Presbytero suscipere peregrinationem, aut sacram potiùs contra Christi perduelles expeditionem, non reformidet? magnis laboribus maiora in cælo reposita præmia: & præsentibus periculis pręsentiora esse Dei auxilia: se quidem precibus suis, quibus ferè solis nunc valeret, subsidio non defuturum: sed in bona spe esse optimi atque prosperrimi, diuina succurrente gratia, successus. Ad quæ blandissima ac verè aurea optimi senis verba sic ferè Irenæus: Nihil sibi hactenus fuisse antiquius, quàm vt ipsi, quem parentis loco semper habuisset & haberet, morem in omnibus gereret: nunc eam rem venisse, in qua motus animi sui secum quodammodo pugnantis dissimulare non possit: non posse quidem se aliter facere, quin ad omnia, quæcumque ipse mandauerit, pro virili exsequenda promptus sit: sed vnum sibi dumtaxat ex insito erga ipsum patrem ac magistrum pietatis affectu nonnihil mentem commouere: quòd ab illo scilicet nunc discedendum sit, qui tam longæua ætate sit, & à quo semel digressus, nunquam in hac vita sperare regressum, mutuúmue aspectum ac colloquium debeat. De cetero, quandoquidem ipsi tanquam Episcopo & Dei legatione fungenti, adeóque voluntatem eius, cui obsequi necesse sit, non ignoranti, ita bonum esse & ex vsu ecclesiæ videatur; paratissimum se ad omnem eius nutum fore: nec vllam se interpositurum moram, quin statim, seu in Galliam, seu quocumque aliò mittere placuerit, volenti lubentíque animo proficiscatur. Quo responso mirificè recreatus vir Dei, & promptam parendi voluntatem amplexus, de itineris comitibus agere cœpit, de quibus cùm inter ipsos conuenisset, atque opportunum ad profectionem tempus iam adesset, singulos amplexatus, & vale cum vltimis mandatis dato bene precatus, in viam pacis ac prosperitatis, bono comitante Angelo, abire iussit. Hi autem relicto non sine multis lachrymis patre suo & educatore Polycarpo, & cœtu Christianorum pijs votis ac precibus ipsorum iter prosequente, tanquam vltimùm

EIVSDEM PROMPTVS AD PEREGRINATIONEM EVANGELICAM ANIMVS.

& non aliàs visuri, viæ se commiserunt. Quo autem successu, & quanto reip. Christianæ bono deinceps persequemur.

CAPVT IV.

S. Irenæi in Gallias appulsio, & primi in ea labores.

IRenæus igitur tanto itinere, terrâ, maríque, solius diuinæ gloriæ caussâ, suscepto, cælestem in se, suósque gratiam non obscurè expertus, tandem vnà cum socijs suis [a] Massiliam, Galliæ Narbonensis vrbem maritimam, feliciter appulit. Neque diu hìc moratus, (tametsi Christianorum, qui inibi degebant, caritas longiorem moram posceret atque vrgeret) ad præscriptam sibi prouinciam totus anhelauit: Exiguo tamen illo, quo ibi detentus est, spatio temporis, non exiguam, neque mediocrem vel attulit ipse fratribus Massiliensibus, vel ab illis accepit voluptatem. Quippe gaudebat ipse de primis illius ecclesiæ auctoribus ac promotoribus intelligere, [b] quas de B. Lazaro bis viuo, bis mortuo, & Dei gratiâ suo quondam Episcopo, memorias haberent; quæ rerum eius sacra cimelia, quæ egregiè dicta, facta, in commune constituta, vel scripto, vel progenitorum traditione accepissent. [c] Quid item de sancta Magdalena, illa felici peccatrice, & Christi Domini, præ omnibus, quæ ante aut post illam fuerunt, principali amatrice, vbi illa degisset, quæ loca vestigijs suis aut lachrymis beasset: quibus ad pœnitẽtiam & ad salutem dux fuisset: quæ ipsius denique & Marthæ sororis, illius fortunatissimæ Saluatoris hospitę ac ministræ, ex quo terram Massiliam attigissent, vita & conuersatio vel cum Angelis, vel cum hominibus exstitisset. Ipsi verò Massilienses plurima de beatissimo sene Polycarpo, déque visis ab illo Apostolis, ac præsertim de magistro eius, dilecto illo IESV discipulo perquirere, ac toti ab ore narrantis Irenæi, de vno, quæ vidisset; de altero, quæ audiuisset, firmissiméque retinuisset, toti pendere, nec ipsius vnquam posse, nec diurnis, nec nocturnis narrationibus satiari. Nam Polycarpi quidem etiam tum superstitis, sed admodùm senis, atque ab ipsa iuuentute multorum patratione prodigiorum celeberrimi vitam omnem exactè callebat: quam & postea ab eiusdem beati viri excessu, vni è discipulis suis, qui eam scripto tradiderit, enarrasse fertur. Denique cùm dies pauculos, tam corporis à longa nauigatione reficiendi, quàm mutuorum inter se animorum necessarijs ac salutaribus colloquijs recreandorum gratiâ Massiliæ restitisset, inde cunctis fausta apprecantibus itineri se reddidit, [d] atque ad vrbem Lugdunum, qua potuit celeritate, contendit. Quò cùm peruenisset, quanta ibi à beato Pothino caritate susceptus sit, qua læti animi significatione complexus (quippe vir tantus

MASSILIÆ QVÆ VISV DIGNA!

IRENÆVS LVGDVNVM INGREDITVR.

tantus, & à tanto, atque à tam longinqua regione propter participandos ecclesiæ labores missus) quis dicat? Nam si erat omnium Christianorum, etiam illo æuo, quasi cor vnum & anima vna; & si se Christiani, [e] etiam ipsorum Gentilium, fideíque hostium confessione, *amarent mutuò, penè antequam nossent*, seque promiscuè fratres ac sorores appellitarent: vt quod est alijs vna domus, hoc illis esset totus mundus; si tanta, inquam, esset omnium inter se Christianorum caritas ac beneuolentia; quanto amore, & gaudio, & plausu, cùm à Pothino sene, tum à cunctis fratribus, (quorum gratia ipse ex Asia in Galliam Celticam venerat) susceptum esse Irenæum hospitem, credendum est? Ac si magna virtutis eius atque eruditionis, è beati Polycarpi commendatione fuit exspectatio; certè illi, quantacumque ea fuerit, non modò abundè respondit, sed etiam admirabili vitæ suæ ratione eam longè superauit. Nam quanti illum breui postea, eius perfusi odore sanctimoniæ, ac humanissimis moribus degustatis æstimarint, tam illius in episcopum vnanimis electio, quàm ipsæ totius Ecclesię Lugdunensis ad summum Pontificem litteræ (de quibus infrà sermo erit) locuples exhibuere testimonium. Nulla enim inuidia externorum tunc erat, cùm nullus haberetur, nisi fide & religione, extraneus: sed quí plus virtute & eruditione polleret, hunc vellent & honore alijs & dignitate præpollere, siue alienigena is foret, siue popularis. Nam & in vrbe illa orbis dominâ, non soli ciues, aut populares, aut finitimi; [f] sed etiam longinqui ac peregrini, Syri, Asiani, Afri, Galli, Germani, Hispani, Angli (& qui non?) supremum olim Ecclesiæ dominatum præcipua cum laude, & cum inclito fidei suæ ac virtutis, (morte pro Christo obita) testimonio tenuerunt. Igitur Irenæus, mox vt pedem Lugduni posuit, statim vt popularis, vt ciuis, vt frater habitus est, quin & breui, vt pater. Ita quàm primùm, ex diuini fecunditate amoris in se exæstuantis, ad parturiendam ac progignendam in Christo nouam progeniem sese applicuit. Neque hoc absque magnis, in terra aliena & ignotæ lingue, susceptis laboribus. Quorum summatim describendorum hic opportunus est locus. [g] Primus igitur illi in terram Galliam ingresso labor, maximéque necessarius is fuit, quem ipse in addiscenda eius gentis lingua impendit. Adeo enim omnibus ad salutem quarumcumque gentium incumbentibus necessaria est ea cognitio, vt hac potissimè de caussâ æterna illa prouidentia mittendis ad FIDEI, nouæque legis annuntiationem in omnes terras Apostolis, donum illud linguarum cælitus demiserit. Nec sanè quicquam olim fuit, aut etiamnùm est aliud, quod plerosque à longinquis & barbaris nationibus adeundis, & fide in illis propaganda magis retardet, aut absterreat; quàm addiscendi sermonis ignoti difficultas, atque molestia.

Minutius Felix in Octauo.

CHRISTIANI AB INVIDIA IN EXTRANEOS OLIM REMOTISSIMI.

IRENÆVS IN LINGVA GALLICA ADDISCENDA LABORAT.

Quam

Quam tamen ipsam, (quātacumque est, & quàm imbecillibus animis formidanda) generosæ mentes adeo non exhorrent; vt in grandiori quoque ætate, (cui solet id studium esse laboriosius) per istas omnes spinas ad eandem dilatandi euangelij prouinciam vltro adspirent, suæque immemores imbecillitatis, (tantum amor valet!) auium pennatarum more conuolent. Satis magno natu erat Irenęus; (quippe iam sacerdos) cùm ex Asia in Galliam venit: &, quod maius est, iam multarum præditus cognitione artium ac scientiarum, adeóque libris ad ecclesiæ defensionem necessarijs conscribendis intentus, cùm in Celticâ sermoni gentis vernaculo sibi ignoto insudaret. Illud enim excellens opus, & SS. Patribus toties decantatum, aduersus hæreses, eo tempore exarabat, [b] quod ab eo græcè olim editum, nunc latinè tantùm (si tamen latinè ac non barbarè) retinemus. Perdiu est enim, cùm eius græcum exemplar, seu maleuolentia hominum, seu non curantiâ potiùs interijt: quod autem nunc doctorum teritur manibus, in latini sermonis speciem, quamuis rudi impolitóque stilo, incertum à quo, translatum est. Impensi porrò à se temporis & laboris, in noui populi lingua condiscenda, ipsemet beatus Irenæus, quasi aliud agens, obiter commeminit. Nam in pręfatione sua librorum aduersus [c] hęreses, infacundum atque incomptum dicendi genus excusans, amicum, cui opus hoc mittebat, sic affatur: *Neque vero facies*, inquit, *vt à nobis, qui inter Gallos degimus, atque in barbara lingua vt plurimùm operam ponimus, verborum requiras artificium, quod non didicimus; nec scriptoris vim ac facultatem, quam non exercuimus; nec dictionis colorem ac suadelam, quam ignoramus. Sed hoc ages scilicet, vt quæ à nobis simpliciter, & verè, & vulgariter, animo tamen beneuolo, ad te scripta sunt, ea tu quoque amanter ac beneuolè suscipias, atque etiam, (siquidem ad hoc magis es idoneus) velut accepta à nobis semina & initia apud te amplificabis, atque in mentis tuæ latifundio, quæ à nobis breuiter dicta sunt, vberiùs efferes: & minus neruosè exposita, fortiter apud tuos disceptabis.* Hęc ipse Irenęus, non sine illustri suę submissionis, germanęque modestię scintillâ, quam amica & perbenigna alterius commendatio haud parum amplificat.

LIBROS ADVERSVS HÆRESES COMPOSVIT GRÆCE.

IRENÆI MODESTIA ANIMIQVE SVBMISSIO.

Secundæ autem occupationes, (quibus ob vacationem muneris euangelici, & linguæ ignorationem, plus licuit indulgere temporis) fuerunt errorum, partim inueteratorum, partim subnascentium tam studiosę peruestigationes, quàm sedulæ, diligentésque redargutiones. Militari enim prudentia, in suscepto cum Gentilibus & hæreticis certamine ac fidei digladiatione, sibi vtendum ratus, summa cura eorum munitiones explorauit, consilia expiscatus est, arma examinauit, vires expendit, ac sedens denique cum animo suo perpendit, *si posset cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad*

EIVSDEM IN DETEGENDIS HÆRESIBVS PRVDENTIA AC SOLERTIA.

Luc. 14. vers. 31.

ad se. Hæc enim illa est, quam illi Tertullianus (vt suprà dictum est) attribuit, curiosissima exploratio. Postquam igitur in castris hostium, innumeram quidem, sed inconditam & malè armatam multitudinem vidit (imbellia enim sunt Gentilium tela & sine ictu) in nostris verò exiguam quidem, sed bene ordinatam aciem, & firmo atque indissolubili amoris ac concordię vinculo compactam & colligatam, nec minùs ad omne ducum suorum imperium promptam ac facilem: (*Nam arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*) *consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei* [qualis pręcipuè Valentinianorum] *& in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; confisus in Domino, *cui non est difficile saluare, vel in multis, vel in paucis*, adortus Gentiles, facto in eorum deos, deásque ingenti impetu, læsa Venere, illusa Cerere, rapta Proserpina, fusis fugatísque, (orta scilicet inter eos seditione) dijs deabúsque ceteris, insignem victoriam reportauit.[k] Librum enim aduersus Gentes, vt suprà indicaui, (quod & alij Scriptores nostri antè & postea necessariò factitarunt) ad exstirpandam vanę superstitionis radicem conscripsit: quo in libro istas futilium deorum plusquam aniles fabulas, & somniosa figmenta solidè refutauit. Vt enim prius est opiniones falsas ex animis euellere, quàm veras inserere: ita priùs ad coarguenda, tam Gentilium, quàm Hæreticorum mendacia, stilum exacuit: tum demum ad demonstrandam fidei veritatem animum exercuit. Nec verò è solis aduersariorum scriptis eorum notitiam percepit, sed cum ipsius etiam Valentini, cuius tum nefanda hæresis caput attollebat, discipulis & assectatoribus nonnunquam velitatus, certum totius illius hæreseos accepit experimentum. Cuius ita sollicitè fraudes euulgauit, vt ignarorum pericula suum esse discrimen reputaret. Hoc enim timore confixus ita ad amicum est præfatus:[l] *Quocirca, ne culpâ nostrâ nonnulli, tanquam oues à lupis abripiantur, quos ouium pellibus tectos ignorarint, (cuiusmodi cauedos præcepit Dominus) qui eadem quidem loquuntur, sed alia sentiunt; necessarium existimaui, ô dilecte mi, quandoquidem in Valentini discipulorum, (vt se quidem ipsi appellant) commentarios inciderim, & cum aliquibus etiam ex eorum numero congressus fuerim; portentosa illa, profundaque detegere mysteria, quæ non omnes capiunt; quia cerebrum non omnes exspuerunt: vt & tu illa cognoscens, ijs qui tecum sunt, patefacias, moneásque, vt ab illa dementiæ ac blasphemiæ in Christum voragine sibi caueant. Itaque eorum, qui erroris hodie magistri sunt, (Ptolemæi scilicet, eiúsque sectatorum, qui è schola Valentini effloruerunt) sententiam breuiter accuratéque exponam, eiúsque subuertendæ ansam pro ingenij nostri mediocritate suppeditabo: ea quæ ab illis dicuntur, tametsi scribendo inassuetus, & orationis artificio inexercitatus, perabsurda esse, veritatique minimè consen-*

2. Cor 10. vers. 4. & 5.

1. Reg 14. versu 6.

IRENÆVS CVM VALENTINIANIS CONGRESSVS EST.

In præfat. libri 1 aduersus hæreses. Et apud Epiphanium hæresi 31. num. 9.

consentanea commonstrans. Nam caritas me hortatur, tibi, tuísque vt ea declarem dogmata, quæ adhucquidem occultata, modò autem per Dei gratiam in lucem producta sunt. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur.

Matt. 10 vv. 26.

Ita Irenæus: qui sua quidem vigilantia eorum tacitè castigat episcoporum somnolentiam, qui faciunt nimium dormitando, vt & bonus Christi ager malis oppleatur atque operiatur zizanijs, & sacra Ecclesiæ ouilia, incursantium fiant luporum consueta pabula. Qui si aliorum ruinam reputarent præcipitationem suam (redundat enim procul dubio in pastorem, quicquid in grege deperit) fortè bono suo intenderent, qui non intendunt alieno. Vigilauit sanè Irenęus, gregem suum circumijt, vestigia secutus est insidiantium, odoratus & scrutatus est sagaciter, & adinuenit primus latibula, ferámque eduxit, tela subministrauit, denique effecit, vt impetitus vndique cũ suis catulis Valentinus tandem totus conciderit: nec iam ferè eius hęreseos, nisi in libris, vlla reperiatur memoria. Nempe sic in hæresibus agendum, sic excubandum est: sic nascentibus obuiandum, sic crescentibus ingruendum erroribus. Verùm quo in his ardore, quáue prudentia & vigilantia Irenæus versatus sit, expressiùs pòst dicetur. Nam exorta in hisce temporibus contra ecclesiam Gallicanam sæua tempestas illis præuertenda est.

CAPVT V.

Ecclesiæ Gallicanæ Irenæi temporibus grauis infestatio, & illustrissima Christianorum Lugdunensium martyria.

INterea[a] dum Irenæus ignotæ linguæ nauat operam; dum aduersus hæreses proludit; dum subinde cum hostibus velitatur; [b] ecce decennalis persecutio in ecclesiam ingruit, & à septimo anno M. Aurelij Antonini & L. Veri Impp. vsque ad decimum septimũ eiusdem Aurelij passim grassari persistit: ita tamen vt primis, extremísque annis maiorem in modum sæuierit, medijs nonnihil remiserit. Atque hæc, vt opinor, caussa est, quamobrem hanc persecutionem aliqui adscribant septimo dictorum Impp. anno, alij decimoseptimo: quia scilicet illis potissimùm annis fuerit ardentissima; lenior autem & tepidior medio tempore. Ac si vspiam quidem illa tempestas fœda & atrox fuit; tum in Asia potissimè atque in Gallia insignes immanitatis suæ notas reliquit. Testes enim vtrobique turbas martyrum habemus innumeras. De Asianis porrò cùm in Polycarpo, & alibi dictum sit; de Gallicanis est hic dicendi locus.

Eusib. in Chronico, & in hist. l.5.c.1.

Vt autem intelligatur, quanta earum rerum, quas iam enarrare aggrediar, & quàm explorata fides sit; cùm è scriptis ipsorum martyrum;

rum & confessorum, qui totius illius temporis calamitatem partim oculis suis spectarunt, partim corporibus obiectis exceperunt, ea deducatur narratio; tanta profectò eius fides censenda est, quanta certior humanitus haberi nulla potest. Et quòd narrationem ipsam, duarum totius Galliæ principum ecclesiarum nomine conscriptam, Lugdunensis, inquam, & Viennensis, in promptu habeam; & illam quidem ad fratres, qui in Asia & Phrygia simillimis conflictabantur malis, planè diuino spiritu exaratam; non faciam sanè, vt martyrum verba alijs commutem; sed quantùm potero, græca de verbo referam stilo quidem meo, sed sensu ne tenuiter quidem variato. Est enim in his vita & spiritus, quem qui gustabunt, adhuc sitient. Inscriptio epistolæ narrationi præpositæ sic habet:

Serui Iesu Christi, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolunt, ijs qui in Asia & Phrygia eandem nobiscum redemptionis fidem & spem habent, fratribus, pax, & gratia, & gloria, à Deo patre, & Christo Iesu Domino nostro.

Apud Eusebium lib. 5. hist. c. 1.

Hæc inscriptio: ipsius autem epistolæ pars prior desideratur: sic verò incipit narratio:

LVGDVNENSIS ECCLESIÆ NARRATIO DE MARTYRIBVS SVIS.

Vexationis in hac plaga magnitudinem, & effusarum in sanctos à Gentilibus irarum grauitatem, & quæcumque beati martyres perpeßi sunt mala, nec ego exactè aßequi dicendo, nec cõplecti scribendo quispiam potest. In eos enim totis viribus incubuit inimicus: nempe ex hoc iã tempore, sui cum omni licentia futuri aduentus edens proœmium: ac suos quidem impietati consuefaciens, & contra Dei seruos praexercens, omnia persuasit: ita vt non modò ædium, & balnearum, & fori aditu nos prohibuerit, sed etiam vniuersè, ne nostrorum quispiam vllo in loco appareret, vetuerit. Verùm Dei gratia pro nobis contra illos militauit, & imbecilles quidem à periculo seruauit: fortes autem, velut firmas columnas, & qui poßent omnem maligni impetum in sese forti tolerantiæ ausu attrahere, ex aduerso opposuit. Qui & cominus cum illis congreßi omne genus opprobrij atque supplicij ita sustinuerunt, vt quæ multa erant & magna, pauca ipsis & parua ad Christum contendentibus viderentur. Nempe illud vel tacendo clamabant: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Primò igitur omnia in se aceruatim ab omni turbâ populi congesta & exprompta, vt conuitia, plagas, raptationes, dilacerationes, lapidationes, carceres, & quæcumque alia ab agresti & efferata multitudine contra hostes & inimicos designari solent, generosè subierunt. E quibus nonnulli à Tribuno militum, & ab alijs vrbis magistratibus in forum deducti, cùm illic coram omni multitudine de fide interrogati & confeßi eßent, ad Præsidis vsque aduentum in carcerem compacti, illic in squallore & pædore detenti sunt. Qui Præses vbi adfuit, eos sibi sisti iussos tam atrociter iudicauit, vt nulli prorsus immanitati parceret. Aderat*

Rom. 8. vers. 18.

iniqui

VETTII EPAGATHI EXIMIA FORTITVDO ET MARTYRIVM.

Lucæ 1. vers. 6.

iniqui ſpectator iudicij, [e] Vetius Epagathus, vnus è fratribus, vir totius amoris in Deum & in proximum tenens faſtigium, tantáque inſuper vitæ pollens integritate & innocentia; [f] vt quamuis ætate iuuenis, Zachariæ tamẽ Presbyteri teſtatas laudes adæquaret. Incedebat enim in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela: *erátque ad omnia fratrum miniſteria impiger, & Dei zelo præſtans, ac ſpiritu feruidus. Talis igitur cùm eſſet, tam inhumanum aduerſus nos iudicium ferre non ſuſtinens; ſed maiorem in modum excandeſcens hoc vnum ſibi ab illo concedi petit, ſibi vt pro fratribus ſuis dicere volenti modica audientia præbeatur: oſtenſurum enim ſe, nihil ab illis, neque contra religionem, neque contra pietatem eſſe factum. Sed turbis aduerſus eum circumfrementibus (erat enim homo perilluſtris) & Præſide per æquam eius poſtulationem non ſuſtinente, ſed hoc ſolùm interrogante; num & ipſe eßet Chriſtianus? ipſe voce clariſsima ſe eſſe confeſſus eſt, atque idcirco in ſortem martyrum continuò relatus, tanquam qui Chriſtianorum eſſet aduocatus. Habebat enim in ſe ſpiritum illum paracletum Zacharia ipſo abundantiùs: quem ſpiritum in ſe inhabitare per gratiæ plenitudinem, quâ pro fratrum ſuorum defenſione, mortis periculo vitam obiecit ſuam, eximiè teſtatus eſt. Erat igitur ille, éſtque etiamnum multò magis germanus Chriſti diſcipulus, ſequens agnum, quocũque ierit. Licuit hic porrò à falſis & fictis fratribus veros athletas ſecernere atque internoſcere. Nam hi prompti & alacres in publicum prodierũt, & fidei confeßionem omni cum hilaritate repræſentarunt: alij autem imparati, inexercitati, imbelles, & tanti certaminis ponderi impares (ij decem numero fuêre) animis ceciderunt: qui & luctum ingentem, & immenſum dolorem nobis pepererunt: quin & reliquorum præterea, qui comprehenſi necdum erant, & quamuis aſpera omnia perpeßi, ſemper martyribus aderant, nec eos deſerebant, animos infregerunt. Tunc igitur vniuerſi ob incertum confeßionis exitum timore admodum perculſi hæſimus: non tam ea, quæ intentabantur, tormenta formidantes; quàm ad finem & rei exitum reſpectantes, ac ne quis à fide excideret, metuentes. Corripiebantur autem in dies ſingulos nonnulli hacce palæſtra digni, qui iſtorum lapſorum ſupplerent numerum: ita ſcilicet, vt è duabus iſtis eccleſijs omnes eximij, & per quos maximè res Catholica ibi ſtabat, comprehenderentur. Nec verò noſtri ſolùm, ſed Ethnici quoque nonnulli noſtrorum ſerui comprehendebantur, (iuſſerat enim Præſes publicè nos omnes cum domeſticis perquiri) qui dæmonis inſtinctu tormenta, quibus vexari ſanctos videbant, perhorreſcentes, tandem contra nos, (militibus ad hoc illos concitantibus) cenas Thyeſtæas, & inceſtus Oedipodæos, & ea quæ nobis nec loqui fas eſt, nec cogitare, falsò commenti ſunt. Nam tale aliquando inter homines admiſſum eße facinus, ne credi quidem propemodum debet. Hæc igitur cùm de nobis ſiniſtra fama in vulgus diſperſiſſet; cœperunt omnes ita in nos efferari, vt ſi qui*

CHRISTIANI DECEM A FIDE DEFECERVNT.

ECCLESIARVM LVGDVNENSIS ET VIENNENSIS MARTYRES.

CALVMNIÆ IN CHRISTIANOS.

qui antehac propter necessitudinẽ se gessissent moderatiùs; tum verò vehementiùs sæuire, atque in nos debacchari cernerentur. Ita nimirum id, quod Dominus noster prædixit, implebatur. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Quare quæ deinceps SS. martyres passi sunt tormenta, dũ satanas totus incũberet, vt vel aliquod blasphemiæ verbum ab illis extorqueret, omnem exsuperãt orationis modũ. Præcipuè autem furor omnis tam turbæ, quàm Præsidis, & militũ in hos efferbuit: nempe* [h] *in Diaconũ quendam Viennensem, Sanctũ nomine,* [i] *& in Maturum haud ita pridem aquis salutaribus expiatũ & Christi militiæ adscriptum, sed generosum tamen decertatorẽ;* [k] *& in Attalum genere Pergamenum, qui columna quædam & firmamentum semper fuerat nostratium ecclesiarũ;* [l] *in Blandinam denique, mulierem ancillam, in qua Christus euidenter ostendit, vsu interdum euenire, vt quæ vilia, & ignobilia, & contempta hominibus apparent, hæc maiori apud Deum gloria coronentur: propter insignem scilicet erga ipsum caritatem, non externa specie ostentatam, sed sincera virtute exhibitã. Cùm enim de Blandina omnes vehementer timeremus, atque ipsa etiam eius hera (quæ itidem è numero martyrum fuit, egregiéque decertauit) ne hæc præ imbecillitate corporis, haud satis liberè & confidẽter fidem confiteretur; tamen tantum in tempore concepit animo robur; vt tortores à primo mane ad vesperã alij alijs succedentes, atque illam omni suppliciorum genere excruciantes, resolutis viribus defecerint, seque ab ea victos, ac nihil reliquum habere, quod insuper agerent, confessi sint: hoc autem valde se mirari, quo pacto ea mulier omni dilacerato, dilaniatóque corpore, viua spiránsque permaneret: cùm vel vnicum tormenti genus ex ijs quæ adhibuerant, satis ad eripiẽdam vitam fuisse idoneum, nec tot tantísque opus habuisse testarentur. Verũ hæc beata fœmina, generosi instar athletæ, in ipsa fidei confessione reflorescebat; cui scilicet sola harũ vocum pronuntiatio:* Christiana sum: & nihil apud nos mali geritur, *simul & virium esset instauratio, & laborũ requies, & corporis inter cruciatus indolẽtia.*

[m] Iam verò Sanctus, cunctas & ipse à feris hominibus suppliciorũ plagas supra omnes naturæ humanæ vires animosè sustinens, dum sperarent ministri iniquitatis, per grauitatẽ enormitatémque tormẽtorum, aliquod se ab eo indecens verbũ audituros; tanta animi præsentia illis ex aduerso restitit, vt suum noluerit, neque nomẽ, neque gentem, neque ciuitatẽ, neque cõditionẽ, seruúsne scilicet, an liber esset, edicere: sed ad omnes interrogationes hoc vnicum [n] *voce Romana responderit:* [o] Christianus sum. *Nã hoc pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & pro re qualibet identidẽ professus est: nec aliam vllam Gẽtiles ab eo vocem exprimere aut extorquere vnquã potuerunt. Vnde in illum maximè irritati tã Præses ipse, quàm cuncti carnifices, cũ nihil amplius haberent, quod in eũ facerent, ad extremũ tenerrimis corporis ipsius mẽbris cãdentes æris laminas admouerunt. Atque illius quidẽ membra vrebãtur: ipse autem immobilis, in-*

Ioannis 16. ver. a.

SANCTI GENEROSA VIRTVS ET MARTYRIVM.

CHRISTIANVS SVM, VOX MARTYRVM.

cõcussus, firmúsque in fidei cõfeßione perstabat: quippe à cælesti fonte vitalis aquæ de Christi ventre emanantis irrigatus & corroboratus:[p] ipsum verò eius corpusculum, testis erat eorum, quæ ipsi acciderãt: nempe quod totũ nihil aliud erat, nisi vulnera & vibices. Ita planè dilaniatũ atque externâ hominis formâ exutum cernebatur: ipse interim Christus in illo patiens, res efficiebat gloriosas, partim aduersarium ipsum debellando, partim aliјs velut in imagine demonstrando, nihil ibi esse terribile, vbi Patris sit caritas: nihil illic dolorificum, vbi Christi sit gloria. Quin & paucis pòst diebus, cùm isti nefandi satellites rursus eundem excruciarẽt martyrem, & fore iam existimarent, vt, si in tumefactis atque inflammatis artubus eadem reduplicarent supplicia, tunc aut ipsum euincerent (quippe cui vel tactus manuum futurus videretur intolerabilis) aut certe tormentis immortuum ceteris trepidandi exemplum statuerent; tamen tantum abfuit, vt aliquid accideret eiusmodi; vt potiùs tenue eius corpusculum per posteriora tormenta, præter omnem hominũ opinionem, reformatum recreatúmque fuerit: nempe recuperata specie pristina, vsúque membrorum: ita vt hæc secunda carnificina, non illi pœna, sed medela, Christi scilicet operante gratia, existeret.

BIBLIDIS MVLIERIS AD FIDEM REVERSIO, ET MARTYRIVM.

[q] Biblis porrò, vna ex iјs, quæ fidem abnegauerant, sic Christo recuperata est: Diabolus scilicet eam sibi deuorasse visus, dum non est simplici eius abnegatione contentus; sed vult insuper extortâ in Christum blasphemiâ illius adaugere pœnam damnationis, prædam omnem perdidit. Cùm enim illam, vt fractam nunc & eneruatam, ad dicenda de nobis impia impellere satagit; hæc è contrario in ipsa quæstione ad mentem rediens, ac velut è graui somno euigilans,[r] submonita est temporali hoc supplicio, vt de æternis inferorum pœnis cogitaret. Itaque tortoribus, contrà quàm ipsi exspectabãt, elocuta.[s] Ecquomodo, *inquit*, ij pueros deuorarent, quibus ne animantium quidem rationis expertium gustare sanguinem licet? Atque exinde Christianam se professa, felici martyrum sorti adiuncta est. Postquam autem Christo adiuuante immanißima hæc tormenta, per martyrum patientiam, in irritum cecidère; ad alias se diabolus machinas cõuertit: nempe ad athletarum in carceris tenebroso & pleno ærumnarum loco inclusiones,[t] ad pedum in ligno carnificino ad quintum vsque foramen protractorum distensiones, necnon ad reliqua, quæ rabidi & malo spiritu pleni satellites expromere in inclusos solent, intentanda supplicia: ita vt plurimi, quos Deus ad gloriæ suæ ostensionem ita emori voluit,[u] in carcere enecti sint. Aliј verò tam acerbè excruciati cùm essent, vt viderentur, quamuis omni adhibita curationis diligentia, spiritum vltrà producere non posse, tamen in carcere vitam sustinebant, omni quidem humano destituti subsidio, sed à Domino ita corroborati, & corpore, animóque confirmati: vt reliquis & incitamento essent & solatio. Sed fuerunt & aliј quidam tirones, & nuper comprehẽsi, quorum corpora necdum pœnis occalluerant; hi

MARTYRES IN CARCERE MORTVI.

carceris

carceris ferre grauitatem non valentes, breui spatio huius lucis vsuram, vt meliore in æternum fruerentur, amiserunt.

Iam beatus Pothinus, Lugdunensis ipse Episcopus, annum ætatis nonagesimum supergressus, & corpore quidem omnino debilis, vixque præ virium infirmitate respirans, sed animi firmitate, propter ardentem martyrij cupidinem, corroboratus; ad tribunal etiam ipse gestabatur, membris quidem, & ob morbum, & ob senectutem, fatiscentibus, sed animâ tantisper, dum per illam Christus triũpharet, in ijs perdurante. Qui ad tribunal, Magistratibus ciuitatis comitantibus, & vniuersa multitudine varios cuiusquemodi, vt contra Christianum, clamores attollẽte, à globo militari deportatus, præclarum sanè perhibuit fidei testimonium. Interrogatus enim à Præside, quisnam esset Christianorum Deus, Scies, inquit, si dignus fueris. *Inde ergo raptatus immisericorditer, & varijs vndiquaque exceptus est plagis: his quidem qui propè aderant, manibus ac pedibus perquàm ignominiosè illũ propulsantibus: illis verò qui longè, quod cuique in manus venerat, in eum iaculantibus. Nam omnes quidem se grauis delicti atque impietatis reos fore existimabant, si quis suas insolentiæ partes tali in re ac tempore desiderari passus esset. Nimirum ita Deorum suorum caussam ab sese vindicari autumabant. Ille autem cùm vix spiritum duceret, retrusus in carcerẽ biduo exspirauit. Singularis autem hîc diuinæ prouidentiæ in nonnullos iustitia, in alteros immensa Iesu misericordia sese protulit, eáque raró quidẽ inter fratres visa, sed à Christi tamẽ arte non aliena. Nam qui ad primam sui comprehensionem abnegauerant fidem, etiam ipsi cum reliquis in carcerem nihilominus contrusi sunt, & eorundem malorum participes effecti. Sua enim illis, eo tempore, nihil profuit abnegatio. Et quidem, qui confitebantur id quod erant; includebantur vt Christiani; cùm nulla illis alia caussa obijceretur: at qui infitiabantur, quod erant; hi tãquam homicidæ & scelerati detinebantur, duplo, quàm alij, malis afflictati. Nam illos subleuabat & lætitia de martyrio, & spes promissorum, & caritas in Christum, & Patris Spiritus: hos autem conscientia ipsa vehementer lancinabat, ita vt vultu ipso inter omnes alios per compita internoscerentur. Illi præterea hilares procedebant, formam præferentes multa gratia & maiestate respersam, quibus & circumiecta vincula, preciosi instar ornamẽti, similes eos reddebant adornatæ sponsæ,* in fimbrijs aureis, circumamictæ varietatibus, *tantáque cum Christo fragrantia redolebant, vt à nonnullis mundano delibuti vnguento crederentur. Hi autem tristes, abiecti, deformati, & omni ignominia pleni, insupérque ab ipsis gentilibus, tanquam ignaui & effeminati, conuitijs lacessebantur, homicidarum nomine appellati, & contrà perhonorabili ac gloriosa & viuifica illa Christiani appellatione exspoliati. Hæc verò intuentes ceteri, in fide firmabantur, & comprehensi citra hæsitationem Christũ confitebantur.*

S. POTHINI LVGDVN. EP. MARTYRIVM.

IVSTITIÆ DIVINÆ IN FIDEI DESERTORES EXEMPLVM.

MARTYRVM ALACRITAS EVNTIVM AD MORTEM.

Psal. 44. ver. 15.

Quædam hic sua voluntate intercidit Eusebius, vt martyria pres-

EVSEBIVS MARTYRVM LVGDVNENSIVM NARRATIONEM BREVITATIS STVDIO NONNIHIL ACCIDIT.

sius exponeret. Itaque perierunt. Alia sic persequitur Martyrum epistola.

Posthæc in omne suppliciorum genus distincta sunt ea, quæ in ipso exitu sustinuere, tormenta. E diuersis enim coloribus, & ex omni florum varietate, vnam plectentes coronam, hanc Patri offerebant: vnde & oportebat generosos athletas varijs exantlatis certaminibus, & magnarum victores palmarum, eximiam recipere immortalitatis coronam.

SS. MATVRI ET SANCTI MARTYRIVM.

Maturus igitur, & Sanctus, & Blandina, & Attalus ad diem certam cum bestijs decertandi, propter nostros ex composito constitutam, in publicum, ad commune gentium inhumanitatis spectaculū, feris objiciendi educuntur: & Maturus quidem ac Sanctus in amphitheatro, quasi nihil antè paßi essent, rursus omnem tormentorum carnificinam subeūt: immo verò velut qui hostem pluribus iam vicibus subegissent, & de ipsa corona certamen extremum in manu haberent, denuo & flagellorum solitas inibi diuerberationes, & ferarum truculētas lacerationes, & quæcūque furens populus alij aliunde inclamant, & iubent, ac super omnia, [aa] *ferream quoque sellam, in qua eorum frixa corpora nidore istos complebant, fortiter sustinuerunt. Neque tamen vel sic isti cessabant; sed magis magisque efferabantur, volentes martyrum perdomare patientiam: verùm nihil à Sancto exaudire aliud potuerunt, quàm illam ei ab initio solitam vsurpari confeßionis vocem. Ad extremum igitur perseuerante adhuc satis diu, quamuis magno in certamine, eorum vitâ, illa ipsa die cæsis ceruicibus immolati sunt, pro omni singularium certaminum varietate, ipsi spectaculum mundo facti.*

FRIGVNTVR CORPORA MARTYRVM.

S. BLANDINA CRVCI AFFIXA, ET BESTIIS EXPOSITA AB ILLIS NON ATTINGITVR.

[bb] *Blandina porrò stipiti affixa, pabulum immißis belluis proposita est: quæ, quòd in forma crucis suspensa & continenter precabunda cerneretur, multam per continentes suas precationes, animi alacritatem decertantibus immisit: (quippe qui per ipsum luctæ tempus, etiam externis oculis in sorore sua eum ipsum, qui pro ipsis crucifixus est, intuerentur) atque hoc in Christum credentibus persuasit: quicumque pro Christi gloria pateretur, eum Dei viuentis societate perbeandum. Eam verò cùm nulla tunc bestiarum ausa esset attingere, de cruce depositam reducunt in carcerem, atque ad aliud certamen reseruant: vt nimirum è numerosa victrix palæstra, cùm inexcusabilem tortuoso serpenti redderet condemnationem; tum vt fratribus ad constantiam animos adderet: vtpote quòd parua, imbecillis, contempta; sed magnum tamen atque inexpugnabilem athletam Christum induta, supplantato multis certaminibus aduersario, tandem è stadio, cælesti immortalitatis coronâ exiret redimita.*

[cc] *Attalus autē, qui & ipse à turba plurimùm postulabatur, (erat enim magni nominis) rectè factorū fretus conscientia: quippe in Christiana institutione egregiè exercitatus, & nostræ veritatis constās testis, in palæstram promptè proceßit. Hic per amphitheatrum circumductus est, tabula*

bula

bula eum præcedente, in qua inerat latinis inscriptum litteris: [dd] HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS. *Insultante autem grauiter in eum populo, intelligens Præses illum esse ciuem Romanum, iubet ipsum vnà cum alijs carcere inclusis tantisper detineri: interim ad Cæsarē perscribit, eiúsque exspectat super his, qui ad necem restabant, sententiam. Temporis porrò intermedij opportunitas minimè iners fuit, miniméque infrugifera. Nam per horum martyrum dilationem, infinita emicuit Christi misericordia. Siquidem per viuentes animati sunt mortui, & martyres non martyribus subuenerunt, & factum est gaudiū magnum virgini matri, eos recipienti viuos, quos abiecerat vt mortuos. Complures enim fidei desertores illorum operâ iterum concepti, iterum geniti, ac velut resuscitati, fidem profiteri derelictam edocti sunt: qui vitâ iam receptâ, & viribus confirmatis, (Deo scilicet, qui non vult mortem peccatoris, sed ad pœnitētiam inuitat, aspera illis mitigante, & quadam dulcedine aspergente) se vltro stiterunt tribunali, denuo à Præside examinandos. Rescriptum igitur à Cæsare cum esset, puniendos esse eos qui fidē profiterentur: eos verò qui infitiarentur, dimittendos; Præses incipiente vrbis celebritate, (est autem hæc plurimâ confluentium vndique gentium multitudine frequentissima) beatos in theatro traducens, & adstantibus turbis pompæ instar exhibens, ad tribunal adduci mandat, rursúsque in quæstionem vocat, & quotquot Romanæ ius ciuitatis habere noscuntur, securi percutit: ceteros ad bestias damnat. Videre tum fuit magnificam Domini Dei gloriam; cùm ij, qui à fide prius defecerant, eam nunc, præter opinionem Gentilium, intrepidè confiterentur. Qui enim priuatim interrogabantur, perinde quasi essent absoluendi, Christum iā confitentes martyrum choro addebantur. Foris verò manserunt, qui nec vestigium vnquam fidei, nec vestis nuptialis sensum vllum, nec timoris Dei cogitationem aliquam habuerant; sed sua peruersa conuersatione viam veritatis infamarant, hoc est, filij perditionis. Ceteri autem omnes ecclesiæ adiuncti sunt. De quibus cum haberetur quæstio, ecce Alexander quidā, Phryx genere, arte medicus, qui annos multos in Galliis egerat, & omnibus ferè ob suam in Deum caritatem & sermonis libertatem probè notus (nec enim Apostolicæ gratiæ expers erat) coram tribunali adstans, & fratres ad fidei confessionem nutu adhortans, ab ijs qui tribunal circumsistebant, tanquam illos parturiens cernebatur: indignatæ ergo turbæ, propter eos, qui antehac infitiati, rursus fidem confitebantur; contra eum, tanquam huius rei caput, vociferari cœperunt: instare denique etiam Præses, & interrogare, quis esset? illoque respondente se esse Christianum, ira concitatus ad bestias eum condemnat. Postridie igitur vnà cum Attalo in arenam ingressus est. Nam & Attalum Præses, populo volēs gratificari, rursum emisit ad bestias. Ita hi duo athletæ cunctas, quæ excogitari potuerant ad carnificinam, machinas in amphitheatro constanter experti, & maximo certamine defuncti, tandem & ipsi*

FIDEI DESERTORES RESIPISCVNT ET MARTYRII COMPOTES FIVNT.

FIDELES ROMANI PRO CHRISTO SECVRI PERCVTIVNTVR.

S. ALEXANDRI PHRYGIS MEDICI MARTYRIVM.

ipsi immolati sunt: Alexander quidem neque gemens, neque verbum mutiens, sed in corde suo sermones cum Deo conferens: Attalus autem, cùm in sella positus ferrea vreretur, nidórque a corpore in sublime ferretur, dixit Romanâ linguâ ad circumfusam turbam: Ecce, ecce istud est vorare homines, quod vos agitis. Nos verò neque homines voramus, neque aliud scelus vllum admittimus. *Et rogatus, quod esset Deo nomen, respondit:* Non est Deo nomen, vti est homini.

S. ATTALI IN SELLA FERREA ARDENTIS GENEROSA LIBERTAS.

Hisce per illos dies confectis certaminibus, extremo tandem singularium certaminum die Blandina rursum adducitur, & cum illâ simul Ponticus, quindecim circiter annorum adolescens: qui ambo quotidie ad spectanda ceterorum supplicia producebantur, & iurare per ipsorum idola alternis cogebantur: quia verò constanter recusabant, nec flocci ea faciebant, ita in eos turba desæuijt, vt nec adolescentuli ætas commiserationem, nec feminæ sexus verecundiam illis efficeret. Omnibus itaque illos obiectant tormentis, nec vlli omnino parcunt cruciatui, iam hanc, iam illum, sed frustra, iurare compellentes. Nam Ponticus quidem à sorore animatus (quod nec Gentiles fefellit, qui illam cohortantem & confirmantem obseruabant) toleratis magno animo quibuscumque supplicijs, animam exhalauit.

PONTICI ADOLESCENTIS MARTYRIUM.

Beata verò Blandina omnium postrema, tanquam nobilis & generosa mater liberos cohortata, & victores ad Regem præmissos comitata, postquam & ipsa cunctas filiorum luctas permensa esset, ad eosdem gaudens, & exultans, & excessum pro lucro ducens properabat, non tanquam ad bestias proiecta, sed quasi ad cenam sponsi inuitata. Itaque post verbera, post bestias, post sartaginem, ad extremum in rete coniecta tauro obijcitur: & diu multúmque ab animali agitata, neque iam præ spe & fiducia promissorum bonorum, & beatæ cum Christo societatis, vllum eorum, quæ circa se fiebant, sensum habens, iugulata est: confitentibus ipsis Gentilibus, mulierem apud se, quæ tot ac tantos passa esset cruciatus, nullam vnquam esse visam.

S. BLANDINÆ VLTIMUM CERTAMEN, ET GLORIOSA MORS.

Neque sic tamen eorum rabies & immanitas aduersus sanctos exsaturata est. Nam ab agresti illa fera, importuno dæmone inquã, agrestes ac barbaræ gentes concitatæ, vix vllam, ac ne vix quidẽ conquiescendi copiam habuere; sed aliud inuenit eorum improbitas ac ferocia in martyrum corporibus initium. Quum enim omnem exuissent rationem, nihil eos inflectebat, quòd victi essent; sed bilem potius incendebat, tanquam feræ alicuius, sic Præsidis, sic populi, par in nos iniquè expromptum odium: vt Scriptura scilicet illa impleretur. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. *Nam in carcere suffocatos canibus proiecerunt, & diu noctúque diligenter cauerunt, ne quis à nostris sepulturæ mandaretur. Ceterorum quoque, seu à feris, seu ab ignibus relictas reliquias, partim diuulsas, partim carbonum instar vstulatas, & quorun-*

Apoc. 22. ver. 11.

SEPULTURÆ MARTYRUM PROHIBITIO.

quorundam item capita ſimul cum truncis, dies complures, adhibita militari cuſtodia, ſimiliter inſepulta conſeruarunt. Ac nonnulli quidem fremere, ac frendere dentibus contra illos, & maiorem de ipſis ſumere vindictam quæritare: alij verò irridere, & cachinnari, & ſua in cælum idola efferre, iiſque acceptam vltionem referre: nonnulli autem velut æquiores, & qui aliquantulum noſtri commiſereſcere videbantur, identidem conuitiando repetere: Vbi eſt Deus eorum? *&*, Quid illos ſua iuuit religio, quam & præ anima ſua poſuerunt?

Pſalmo 113. ver. 10.

Et eorum quidem facta, dictáue tam variè ſe habebant: nos autem magno in mœrore eramus: propterea quòd martyrum corpora humo tegere ac ſepelire non daretur. Ad hoc enim neque nox ſuffragabatur, neque pecunia perſuadebat, neque preces inducebant: ſed omni cura & ſollicitudine ea cuſtodiebant, velut magnum neſcio quod operæ facturi precium, ſi priuarent ſepultura.

His deinde, poſt alia quædam, quæ omiſit Euſebius, ac proinde perierunt, iſta ex eâdem de ſanctis martyribus narratione ſubiunguntur.

Martyrum igitur corpora ignominioſè traducta, & dies ſex ſub dio relicta, poſtmodúmque vſtulata, atque ab iniquis illis redacta in cineres, demum in præterfluentem illic Rhodanũ diſperſa ſunt: vt ne ſcilicet vllæ poſthac eorum reliquiæ in terra apparerent. Atque hoc eo agebant, quaſi Deum poſſent euincere, & martyrum beatam regenerationem abolere. Sic enim ipſi dictitabant: vt nulla ſit eis de reliquo ſpes reſurrectionis, in qua confiſi nouam quandam & peregrinam nobis introducunt religionem, & tormenta contemnunt, cum alacritate & gaudio morti occurrentes. Videamus igitur nunc, an ſint reſurrecturi, & vtrum ſuus ipſis Deus auxilio eſſe poſſit, ac de manibus noſtris eripere.

GENTILIVM ADVERSVS MARTYRVM RELIQVIAS SÆVITIA.

ÆTHNICI RESVRRECTIONEM IRRIDENT.

Iſta ibi de illorum martyrum conſtantia: de eorundem verò animi ſubmiſſione, modeſtia, benignitate hæc indidem deſumpta iuuat ſubiungere:

Iſti verò, inquiũt, *ipſius Chriſti*, (qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſteſſe ſe æqualẽ Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens) *in tantum ſe æmulos atque imitatores præſtiterunt, vt tali aucti gloria cùm eſſent, & non ſemel, neque bis, ſed ſæpius fidei teſtimonium exhibuiſſent, iterum ſcilicet atque iterum feris obiecti, & aduſtiones, flagra, vulnera perpeſſi, atque eorum inſignibus notati; tamen ſic à gloria abhorrebant, vt non modò ſe ipſi non prædicarent martyres; ſed neque nobis, tali vt eos appellaremus nomine, vllâ tenus permitterent. Ac ſi noſtrum quiſpiam, vel in litteris, vel in ſermonibus eos martyres nuncuparet, grauiter increpitabant. Libenter enim eam martyris appellationem Chriſto cedebant, fideli & vero martyri, & primogenito mortuorum, & vitæ, quæ ex Deo eſt, auctori principi: & aliorum item,*

Ad Philippenſes cap. 2. ver. 6.

GLORIÆ FVGA IN MARTYRIBVS.

item, qui iam excesserant, mentionem inferentes dicebant: Illi modò sunt martyres, quos ad se Christus recipere dignatus est, obsignato per ipsorum mortem martyrio: nos autem tenues solùm & humiles confessores. *Et cum lachrymis fratres suos obtestabantur, rogantes vt continuas ad Deum precationes pro se spargerent, quò & ipsi possent aliquando eandem exitus felicitatem consequi. Nam licet rebus ipsis martyrum fortitudinem repræsentarent, multáque cum Gentilibus libertate agerent, & generositatem suam patientiâ, & timoris ac tremoris vacuitate manifestam facerent; apud fratres tamen, appellationem martyrum, Dei timore pleni, deprecabantur.*

Et rursus post pauca, inquit historicus. [Quàm autem doleo, quòd nobis illa pauca subtraxerit!]

1. Petri cap. 5. vers 6.

HVMILIABANT SE SVB POTENTI MANV DEI, *à qua in præsenti satis exaltati sunt: & omnes quidem alios tum defendebant; neminem vero accusabant: omnes vinculis exsoluebant; vinciebant neminem: & pro illis ipsis, à quibus grauissima tolerabant, (sicut perfectus ille martyr Stephanus) precabantur, & dicebant:*

Actor. 7. ver. 59.

DOMINE, NE STATVAS ILLIS HOC PECCATVM. *Et si pro talibus precabantur, quanto magis pro fratribus?*

Et post alia, hæc iterum aiunt: [Vtinam & ista non omisisset!]

MARTYRVM ERGA FRATRES LAPSOS CARITAS.

Grauissimum autem hoc bellum propter germanam erga fratres caritatem, cum diabolo ab ipsis susceptum erat, vt fera scilicet illa suffocata eos, quos prius absorbuisse se crediderat, viuos euomeret. Neque enim de fratrum lapsu gloriabantur: sed ex ijs, quibus abundabant, indigentioribus subueniebant, verè materna gerentes viscera; & multas pro ijs ad Patrem effundentes lachrymas, vitam efflagitabant, & acceptam cum proximis communicabant, ex omnibus victores ad Deum contendentes. Hi sunt, qui pacem dilexerunt, & pacem nobis tradiderunt, & cum pace ad Deum transierunt, nec dolorem matri, nec dissensionem, bellúmue fratribus; sed gaudium, & pacem, & concordiam, & caritatem reliquerunt.

PACIS AMOR.

Erat in ijsdem Martyrum litteris insigne ad imitationem, moderationis animi exemplum, his ferè verbis:

ALCIBIADIS MARTYRIS ABSTINENTIA, ET ANIMI MODERATIO, IN FRATRIBVS OBSEQVENDO.

Alcibiades, vnus e laudatorum martyrum numero, vitam viuebat prorsus austeram, solo pane & aqua contentus; nihilque aliud omnino ad corporis sustentationem antehac admittebat. Quam vitæ rationem cùm instituisset etiam in carcere retinere; Attalo, qui primum in amphitheatro certamen martyrij confecerat, viso diuino manifestatum est, non rectè facere Alcibiadem, qui creatis à Deo cibis non vteretur, & alijs ansam offensionis relinqueret: dedit ergo is operam, vt Alcibiades ab instituto discederet, séque aliorum consuetudini accommodaret. Itaque omnibus exinde cibarijs indiscriminatim vsus est, & gratias Deo egit. Neque enim illos diuina gratia suæ respectu prouidentiæ destituebat:

ſtituebat: ſed Spiritus Sanctus ſana illis conſilia ſuggerebat. Sic ibi.
Hactenus de fortitudine, aliiſque virtutibus martyrum.

Sed quid interea, aut vbi Irenæus? Nempe martyribus, quoad potuit, vbique, & ad omnia præſto eſſe; conſilio, auxilio, omni ope, vel currentes incitare, vel labantes fulcire, vel lapſos releuare. Quamuis enim perſecutoribus eſſet occultus, at non martyribus, quos vel per ſeſe, ſi facultas adeſſet; vel per alios, ſi fors non adeſſet, præſens, abſens adiuuabat. Quid enim aliud tali in re ac tempore homo ardens ac feruidus, & ab ipſis martyribus, *pro Chriſti teſtamento zelotes* appellatus, factitaret? Necdum eius moriendi tempus aduenerat: ſed in fratrum ſuorum mortibus, totidem, quot illi numero erant, mortibus moriebatur. Aliam porrò ad tempeſtatem homo eccleſiæ neceſſarius à Domino reſeruabatur; nec illi certamen, aut corona auferebatur; ſed ad gregis inſtructionem, & ad gloriæ ſuæ incrementa differebatur. Venit enim, venit etiam ipſe, deſtinatis à Deo temporibus, in arenam, & cum maiore commilitonum manu, plena tandem potitus victoria, patentioribus in cælum portis aſcendit. Sed de hoc poſtea. Nam de martyribus, ſi quid ad eorum reſtet gloriam, videtur priùs perſequendum.

S. IRENÆI IN PERSECVTIONE ZELVS.

CAPVT VI.

Martyrum nomina, Reliquiæ, dies feſti. Item duorum martyriorum appendix.

MVlta quidem & alia de iſtis nobilibus Chriſti athletis habuiſſemus ornamenta virtutum addere; [a] ſi vel integrum illum commentarium Lugdunenſis eccleſiæ nacti eſſemus, quem aliquot locis interciſum nobis exhibuit in hiſtoriâ ſuâ Euſebius, [b] vel ſi ipſius ſaltem Euſebij conſcriptum *De martyribus* opuſculum obtinere, & à temporum vindicare iniuria potuiſſemus.

Erant in eo commentario diſtinctè recenſita ſingulorum nomina; tam eorum, qui enecti in carcere; quàm eorum qui ad beſtias in theatro damnati; aut qui varijs alibi ſupplicijs excruciati, vitam pro Deo poſuerunt: neque horum dumtaxat omnium; ſed illorum quoque, qui per eandem temporum calamitatem multa paſſi, tandem Dei beneficio malis omnibus ſuperſtites fuerant, & illius commentarij, ſaltem ex parte, auctores exſtiterant, in quo martyria illa, de quibus iam egimus, continebantur. Quibus enim ipſi interfuerant, & quorum oculati teſtes fuerant, hæc litteris diligenter & enucleatè commendarunt, atque ad varias eccleſias adiuncta breui epiſtola, velut proœmio (vt antè indicatum eſt) dimiſerunt. Martyres porrò, qui in ea perſecutionis tempeſtate fidem Chriſti morte ſua conſignarunt,

runt, vniuerſè quadraginta octo nunc recenſentur. Quorum nomina S. Gregorius Turonenſis, & S. Ado Viennenſis, Epiſcopi, ille in libro *de gloria martyrum*, hic in martyrologij tabulis, complexi ſunt. In quibus fuerunt ex vtroque ſexu, pari ferè numero. Nam è viris viginti ſex, è feminis viginti duæ comperiuntur. Ac difficile dictu eſt, viríne feminis, an feminæ viris, in hoc glorioſo certamine præſtiterint. Nam ambiguum fortitudinis certamen B. Blandina fecit, quæ viris tenerior, immo in feminis tenerrima, plus omnibus viris & feminis ſuſtinuit. Cuius virtutem S. Eucherius Lugdunenſis Antiſtes ſic admiratus eſt, vt ciuitatem ſuam Lugdunum, de gloria martyrum, cum vrbe Bethlehem (in qua propè innumeri innocentes occiſi ſunt) componens, nominatim Blandinam pro cumulo victoriæ proferat, ſicque ipſam Bethlehem alloquatur: *Triumphum tuum ſexus vnus; meum vterque promeruit: mea pugna palmā de mundi principe etiam in feminis reportauit. Chorus meus in pueris innocentes tuos habere potuit: chorus tuus Blandinam meam habere non potuit.* De eadē Blandina ſic Romani martyrologij tabulæ, ad diem ſecundum Iunij: *In his ſancta Blādina, ſexu infirmior, corpore imbecillior, cōditione deiectior, diuturniora & acerbiora certamina ſubiens, & fortis adhuc permanens, gladio iugulata, ceteros ſecuta eſt, quos hortabatur ad palmam.* Hinc & Ado Viennenſis Archiepiſcopus in ſuo martyrologio ipſam hanc feſtiuitatem ſub ipſius potiſſimùm nomine celebrabat. Nam eadem die dicit: *Ipſo die, Lugduni, ſanctæ Blandinæ cū xlvij. martyribus.*

S BLANDINÆ LAVDES.

Omnium autem nomina ſic ab eodem Adone iuxta ordinem ſacræ dignitatis recenſentur:

Pothinus Epiſcopus, Zacharias Presbyter, Epagathus, Macarius, Alcibiades, Siluius, Primus, Vlpius, Vitalis, Cominus, October, Philuminus, Geminus: Iulia, Albina, Grata, Rogata, Æmilia, Potamia, Pompeia, Rhodana, Biblis, Quartia, Materna, Helpes, quæ & Amnas. Hi ſunt autem, qui beſtijs traditi ſunt: Sanctus, Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina. Hi verò, qui in carcere ſpiritum reddiderunt: Ariſtæus, Cornelius, Zoſimus, Titus, Iulius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Iulia, Auſonia, Æmilia, Iamnica, Pompeia, Domna, Iuſta, Trophima, Antonia.

De horum porrò ſacris Reliquijs (quas homines barbari tantopere diſperſas diſperditáſque voluerant) quàm benignè ipſorum Martyrum dominus ac pater diſpoſuerit, quóue pacto vanas atque impias illorum cogitationes, qui ſimul cum illis omnem ipſorum exſtinguere memoriam, & ſpem futuræ reſurrectionis adimere ſperauerant, eliſerit; obſeruatu eſt digniſſimum. Fecit enim, vt & Reliquiæ magno miraculo reperirentur; & ſpes reſurrectionis, (oblato ipſorum Martyrū fratres ſuos per noctē alloquentium viſo) magis magíſque eſfloreſceret; adeóque eorundē gloria atque memoria, perennibus ad

ipſorum

ipsorum recollectos cineres salutaribus prodigijs, æternùm viueret ac peruigeret.

[d] Nam licet vstulatorum corporum cineres in Rhodanum sparsi fuerint, tamen Christianis immenso ob eam iacturam mœrore depressis, ijdem Sancti eo ipso in loco, per noctem, integri atque illæsi apparuerunt, in quo fuerant concremati: atque ad eos, qui aderant, conuersi dixerunt: *Reliquiæ nostræ ab hoc colligantur loco: quia nullus perijt è nobis: sed ex hoc translati sumus ad requiem, quam nobis promisit rex cælorum Christus, pro cuius nomine passi sumus.* Hęc renuntiantes viri illi gratias Deo egerunt, & fide corroborati collectos à se sacros cineres condigno honore, sub sancto altari condiderunt. *Vbi semper virtutibus manifestis* (vti Ado Viennensis loquitur) *se cum Deo habitare declarant.* id est, crebra & euidentia miracula, quæ in eorum sepulturæ loco, ad Dei laudem eduntur, signa sunt eius, quam apud eum obtinent, veræ solidæque gloriæ.

Ado in martyr. ad 2. Iunij.

MARTYRES APPARENT CHRISTIANIS, ET DE COLLIGENDIS RELIQVIIS ADMONENT.

Quam gloriam illis eripere se posse, si ipsorum corpora insepulta, atque in cineres redacta, in Rhodanum proiecta cōspicerent, homines stultissimi putauerunt. In quos proinde beatus Eucherius, Lugdunensis Episcopus, meritò insurgit, talibúsque inuehitur: *Veneranda ossa,* inquit, *in cineres redigebant. Quasi verò possent flammis merita consumi, & virtutes cum cineribus concremari, Quàm confusa dementia! Quibus cælum acquirebant, his terram negabant. Nil ergo fecisti inaudita sæuitia: incassum te exstinguere eorum memoriam credidisti; quorum gloriam propagasti. Dispergis Sanctorum puluerem fluentis Rhodani, ne resurgat; sed aquis resurrectio non consumitur; quæ per gratiam regenerationis, etiam aquarum munere celebratur. Adorandas Reliquias Rhodano tradis: hoc facit vis fluminis in corporis resolutione, quod temporis. Quicquid itaque ex humana substantia auis rapuerit, bestia deuorauerit, vnda sorbuerit, etiamsi tumulo non clauditur, intra mundi gremium continetur. Neque enim reparatio hominis, in ratione terræ, sed in legis naturæ, & in reparatoris virtute consistit. Ipse enim veridico ore testatus est.* EGO SVM RESVRRECTIO ET VITA. Ita vir sanctus iuxtà & doctus, pro adstruenda resurrectiónis fide, (quæ vnicum ferè omnis martyrij fundamentum, aut fulcimentum est) diuinè disseruit. Iam autem, cùm in horum Martyrum Reliquijs, seu diuinitus conseruandis, seu admirabili ostensione reperiendis, multa cernerentur facta miracula; dies ille magno in honore deinceps haberi cœptus, & anniuersaria celebritate in cultu martyrum obseruari, atque DIES MIRACVLORVM appellari. Quæ pietas ac deuotio sublatis Gentilium Imperatorum terroribus, ac vera Christi religione per Constantinum magnum propalàm & aperta fronte passim ambulāte, adeo increuit; vt sub annum Domini octingentesimum octogesimum scripserit de hac ipsa solemnitate testis oculatus,

S. EVCHERIVS IN HOMILIA DE SANCTA BLANDINA LVGDVNENSI.

Ioannis cap. 11. vers. 25.

oculatus, & magna vir sanctitate, Ado Viennensis Episcopus, in hæc verba: *Horum festiuitatem ciues Lugdunensis vrbis, omnibus vndiquaque lætanter accurrentibus, per descensum fluminis, cum hymnis & canticis gratulationis concelebrantes, missarumque solemnia in Apostolorum ecclesia (vbi sancti cineres eorum conditi seruantur) festiuè Domino reddentes, ex antiquorum traditione, ipsam DIEM MIRACVLORVM appellant. Locus in quo passi sunt, Athanaco vocatur: ideóque dicuntur martyres Athanacenses.* Sic ille.

DIES MIRACVLORVM.

Irem nunc ad alia, & ad nostrum Irenæũ confestim recurrerem, nî duo adolescentes mihi manum iniicerent, & minimè æquum se indictos præteriri, (qui eadem in persecutione, nec integro pòst anno decertarint & vicerint) pariter succlamarent. Ij sunt Alexander & Epipodius, duo à prima pueritia fidissimi, & tam studiorum, quàm virtutum paritate, coniunctissimi sodales: ille Græcus natione, hic ciuitate Lugdunensis, ambo parentibus fide iuxtà & genere illustribus nati, quorum bonâ veniâ eodem contubernio vtebantur, simul alebantur, simul ad litterarum gymnasium ibant, simul redibant: simul, & concordibus animis ad virtutis eruditionísque culmen connitebantur: denique vnus duorum animus, & vna voluntas erat: nec ea quidem naturæ impetu, (vt sæpe fit) ad inania sensuum oblectamenta præceps; sed ad viam mandatorum Domini constanter decurrendam pari stimulo concitata. Igitur crescente inter ipsos vnà cum annis morum sanctissimorum æmulatione, fecit egregia, & compar in vtroque animi modestia, vt in illo M. Aurelij persecutionis infesto turbine, indignos se prorsus illâ inuictorum athletarum gloriâ reputantes (quos tamen sua intus delitescens fides & ineluctabilis in Deum amor dignissimos exhibebat) ex diuini illius consilij prescripto, quod Apostolis à Domino suo datum fuit, *CVM AVTEM PERSEQVENTVR VOS IN CIVITATE ISTA, FVGITE IN ALIAM*, sibi capessendam è Lugdunensi ciuitate fugam vnanimiter statuerent. Quod cùm fecissent, atque extra murorum sæpta egressi, in quodam vico propter incisam petram sito, viduæ cuiuspiam fidelis ac religiosæ tuguriolum soli & absque conscijs intrassent; ibi quidem aliquantisper tam loci humilitate, quàm mulierculæ fide protecti latuerunt; sed tandem à sagacibus animarum venatoribus deprehensi sunt: fugientibus autem, excidit in angusto cellulæ vestibulo vnus Epipodio calceus, quem mulier hospita sublatum, thesauri instar, presertim ab eius martyrio, (quippe multorum potentem miraculorum) sanctè conseruauit. Illi porrò in carcerem confestim abducti, atque inde post tridui molestias tribunali Præsidis oblati de varijs cùm interrogarentur, constanter ad omnia intrepidéque responderunt; & Christianos se esse professi sunt. Iudex ergo visa auditáque libera fidei confessione, & Christi exosa appellatione,

SS. ALEXANDER ET EPIPODIVS PAR SANCTÆ AMICITIÆ.

HVMILITAS MARTYRVM.

Matthæi 10. ver. 23.

tione, mox seiungi illos iubet (durũ hoc ipsis fuisset, nisi pro Christo) & singillatim ac secretò examinari ac torqueri: ac primò quidem Epipodium. Paullò enim iunior hic erat, atque idcirco, (vt quidem sibi persuadebant) deiectu facilior. Sed ille rupis instar ad omnia aquarum verbera immotę, nec obiectionem floridæ ætatis, nec voluptatum deliciarúmue copiam ac facultatem, nec honorum dignitatúmue gradus, nec aliud denique quippiam, seu suaue, seu asperum, præ vno Christo, qui ipsi pro omnibus erat delicijs ac desiderijs, vel appetere, vel horrere. Quid enim esse Deos aut Deorum simulacra, nisi mera hominum desipientium figmenta? quid eorum cultus ac religiones, nisi pura puta deliria? immo eã, quæ pietas in eos vocetur, maximam esse impietatem: & qui pro illis aduersus Christianos zelus putetur, importunam esse, atque ab vno vero Deo grauiter puniendam sæuitiam: quę verò à Christianis pro Christo suo obeatur mors, melioris esse ac nunquam interituræ vitæ initium: non immeritò proinde ab illis appeti & oppeti mortem, quæ tanto ad omnem æternitatem pensanda sit stipendio. Quibus libero ore prolatis vehementer incensus Iudex, *Contundatur*, inquit, *os illud impiũ ac maledicum, quod nec Imperatoribus parcit, nec à Dijs abstinet immortalibus.* Neque plus in facto, quàm in dicto moræ fuit. Extemplo os ipsi contusum est, & collisi confractíque dentes; sed illi mistos cruore sermones in veræ confessionem fidei haud paullò quàm antè confidentiùs ediderunt, atque iniusti ministrum iudicij in rabiem adegerunt. Mox ergo in eculeum tolli, & fodi vngulis, & nouis excruciari supplicijs mandat. Sed enim moræ impatiens plebecula, & suas in sæuitia partes exercere gestiens, illum vel saxorum imbre obrui, vel membratim in frusta dissecari, inconditis postulat clamoribus. Ita gemina & dubia crudelitas tam accelerandæ necis occasionem Iudici attulit; quàm martyri, arripiendæ immortalitatis. Veritus enim ille impotentis ac confusæ turbæ diffusiora, quàm in vnum aut duos fontes, suppliciorum pericula, martyrem à tribunali continuò abductum, raptim ferro obtruncari iussit.

S. EPIPODII MARTYRIVM.

Alexander interim socius, comésque aliàs indiuiduus, licet violentam hanc corporum separationem ægrè ferret, spe tamen redintegrandæ haud multò pòst beatæ in cælo societatis, affectum fouebat animum, atque suam ex vtroque carcere eductionem in horas exspectabat. Sed illo ac postero die relictus in custodia, tertio demum ad tribunal educitur. Ibi collibitum Præsidi fuit, rursum experiri, si quid minis, promissis, fraudibus aduersus Christi athletam posset. Memorat igitur priorum martyrum misera exitia, & spes resurrectionis elusas: similem ipsi, nì citò resipiscat, exitum imminere; sin pristinæ ipsum stultitiæ seriò pœniteat, & Deos (vti pietas suadet) venerari in animum inducat; bene ac beatè cum ipso

S. ALEXANDRI ADOLESCENTIS MARTYRIVM.

actum iri. Nam & Epipodium validis rationibus tormentíſque victũ tandẽ ſuccubuiſſe, ac priſtino errore damnato manus dediſſe veritati: idem proinde vt faceret, & ſuo ſe ſodali redderet, amicè hortari. At verò Alexander diuino inſtinctus Spiritu, alia omnia, quàm hic proponebat, & ſentire, & dicere: memorationem enim priorum martyrum, magnam ſibi cohortationem eſſe ad martyrium: & quos ipſe prorſus exſtinctos putet, ſe contrà ſcire, & pro explorato habere, eos in cęlo beatos eſſe, & regnare; quin & ſuum illis aſſociatum eſſe Epipodium, cuius vt felici potiatur exitu, eiuſdem ſe ingreſſum certaminis non reformidare, ſed etiam maiorem in modum appetere: faceret proinde, quicquid libido ſuggereret: ſe enim Chriſtianũ eſſe, ſemper fuiſſe, nunquam deſiturum eſſe. Tum ille dictis efferatior inexſpectatis, *Corripite*, inquit, *hominem, & flagris, quãtum valetis, cõcidite.* Nec mora: corripiunt eum lictores, & tanta verberum atrocitate dilaniãt, vt crate ſoluta coſtarum, patefactis viſceribus interiora corporis panderẽtur. Inter ipſa autem flagra & immaniſſimos cruciatus, *Ehodum*, inquit, *etiamne in tua confeſſione perſeuerabis? nec Deos noſtros reuereris?* Hic verò, licet fracto corpore, integer animi, *Dæmonia*, infit, *ſunt Dij veſtri, non numina: vnus eſt Deus omnipotens, ſempiternus, inaſpectabilis: cui ſoli & vnicè ſeruio: quem & inuiolabilis propoſiti mei certũ cuſtodem habeo.* Tum ille ſui confuſionem aſtu celare contendens, *Habent hoc Chriſtiani*, inquit, *& hac furunt inſaniâ, vt pœnarum prolixitate ſibi gloriam comparari putent, ac tũ ſe ſuos viciſſe perſecutores, cũ carnifices fatigarint: quos proinde citiſſimè expedit expediri. Procul igitur mora, ſuffigatur hic cruci, & impiam impuramq́; mox exſpuat animã.* Nihil dilatum. Vix ſublatus in crucem fuit, vix manus pedéſque in diuerſa protenſi, cùm anima, (cui latum ad ſuperna ſpatium diffractæ diſtractęque coſtę fecerant) in cęlum cum palma euolauit. Ita illi duo ſuperioribus additi martyribus partam vrbi ſuę gloriam non parum adauxerunt. Verùm de his hactenus: nunc ad Irenæum reuertamur.

CAPVT VII.

Irenæi Presbyteri Romam primùm, atque inde in Aſiam ac Phrygiam ſacra legatio.

HIs quę perſequimur, M. Aurelij Antonini Imp. temporibus, non tantùm extranea illa à Gentilibus perſecutio eccleſiam Dei exercebat, ſed inteſtina quoque diſſenſio, & opinionum diuerſitas (quę prona eſt ad errores via) haud fortè minùs infeſtabat.[a] Aliæ enim atque aliæ in diſſitis regionibus, ex Fidei obſcuritate, atque ex morum varietate naſcebantur queſtiones; immo & ſanctiſſimorum Epiſcoporum auctoritate propè exſtincta antehac diſſidia renaſcebantur.

tur.

tur. Nam de quibus haud ita pridem beatissimi viri Anicetus & Polycarpus inter se conuenerant, pacémque cõciliarant, ea nonnulli renouare, & acriùs vtramque in partem commouere, atque ipsis alias insuper aggerare difficultates insistebant. Quibus accedebat de nonnullis in Phrygia Christianis fratribus mirifico, vt ferebãt, spiritu afflatis non minima cõtrouersia. Nam cùm ad hæc vsque tempora cælestium gratiarum dona multis in ecclesijs emicarent, ac iã in Phrygia Montanus, & Alcibiades, & Theodotus, prophetię spiritu pręfulgere, & in paucis clari esse crederentur; abijt ea res, vt fit, in diuersas hominum opiniones; nonnullis, vt prophetas, eos admittentibus & admirantibus; alijs, vt planos & sui amatores, erroris ac hæreseos cõdemnãtibus. Peruasit ergo discors ille animorum motus à Phrygia vsque in Galliam, & martyres ipsos Lugduni in carcere detẽtos, seu rumore deferente, seu litteris ad eos missis (magna enim inter vtramque ecclesiam per litteras intercedebat rerum communicatio) nõ parum sollicitos habuit. Quare cùm sapienter secum reputarent, minus esse vitâ, quàm fide periclitari; immo illud gloriosum, hoc autem malorum extremum; de sua in tormentis patientia Deo confisi, ad ferenda absentibus, quaquà possent, auxilia, verterunt animos: & litteras quidem ad eos pietatis ac rectissimi iudicij plenas perscripserunt: ipsi autem Deo opt. max. & Domino IESV Christo, pro cuius amore suum profusum sanguinem ibãt, rem omnem precibus efficacissimis commendarunt. Credibile porrò est ea tempestate nihil dũ in Montano, neque in socijs deprehensum esse, quod vel in fide, vel in moribus meritò argui, & certò conuinci posset: immo multa potiùs obseruata; quæ, nisi veræ pietatis innixa fundamento essent, haud posse consistere crederentur: nempe in Scripturis sacris plena nobiscum consensio: in obseruandis Domini mandatis exacta & integra obedientia: cum carne & sanguine, & quæ his sunt affinia, minimum commercij: continentia, quam in plerisque fratrum, restrictior: ieiuniorum & austeritatis, præ lautitia & delicijs, magna æstimatio & electio: quin & præter ordinariam verni temporis Quadragesimã, duplicis item extraordinariæ solemnis cõplexus & voluntaria obseruatio. Sic igitur olim Montanus, & virtutum Montani æmulatores, (dum rectam adhuc viam tenerent) auocatis à fæce corporea, & terrena illuuie mentibus ascendebãt in montes aromatum, & de cæli pinguedine, diuinorum charismatũ pluuiam excipiebant, & verè prophetabant. Nec enim dubium, quin via illa sit, quà & nunc, & olim ad alta contemplationis & vitæ perfectioris fastigia viri spirituales progressi sint: carnis scilicet illecebras iugi abstinentia & continentia perdomare: à sensibus & terrenis imaginationibus, (quantum naturæ infirmitas permittit, & rectæ rationis moderamen dictat) sponte abduci: denique nihil appetere, nihil optare, nihil ad-

QVÆSTIONES VARIÆ IN ECCLESIIS OB DIVERSAS CONSVETVDINES EXORTÆ.

MARTYRES DE BONO ECCLESIÆ STATV SOLLICITI.

MONTANI ET SOCIORVM PRÆCLARA VIRTVTIS AC SANCTIMONIÆ INITIA.

mittere, quod cælestium luminum receptioni obstruere, officeréue possit. Hac igitur via Montanus, hac & pauci quidam alij, in primis suæ exercitationis annis, incessere; ac prę multis, tam prophetię, quàm

PERSEVERANTIA NECESSITAS.

aliorum charismatum egregijs dotibus claruere. Sed parum est cœpisse, nisi profeceris; & profecisse, si aliquando defeceris: nihílque in omni re ferè difficilius manu vltimâ. Sæpe enim magnis & laudabilibus incœptis nonnulla obluctata est maleuolorum inuidentia; sæpe & lætis successibus obrepsit clandestinè insidians vana gloria: sæpe & vanam gloriam nimia affectata est arrogantia, & eius proxima comes ambitio: sæpe & ambitionem ac honores, malæ voluptatis consecuta est titillatio: ac demum ad hæc omnia concurrerunt, (heu malū) sui, Deíque obliuio, error, cæcitas, hæresis; & quod pessimum, desperatio. Ita enim ferunt de Montano. Qui quidem sancto Eleuthero Pontifice, dum Irenæus suos aduersus hæreses libros conscriberet, bonum adhuc & sanum ecclesiæ membrum erat (nam & in illum alioqui sanctus Pater, non secus atque in alios, stilum distrinxisset suum) sed vt malè fundata, aut non sollicitè conseruata nequaquam perstant magna molimina, & *in pigritijs*, vt monet Ecclesiastes,

Ecclesiastæ 10. ver. 18.

humiliatur contignatio: ita & Montani altè subuecta gloria, & totum illud suæ Prophetiæ culmen, adesis intus Christianę modestiæ radicibus, & dissolutâ sensim, dissipatáque totius caritatis compage pessum ruit. Qua de ruina erit alius, Deo volente, in S. Apolline Hierapoleos Episcopo (cuius vitam hoc ipso proferemus sæculo) cōmodior scribendi locus. Is enim totam eius hæresim à prima origine perquisiuit, perpendit, oppugnauit. Quare vt ad S. Irenæū atque ad Martyres reuertamur, cùm hi varias litteras partim in Asiam & Phrygiam ad fratres, partim Romam ad Eleutherum Papam super rebus dubijs

IRENÆVS ROMAM AD PONTIFICEM ALLEGATVR.

& controuersis conscripsissent, ipsum Irenæum hortati sunt, vti & eas ad ipsos perferre non dedignaretur, & pacem inter ecclesias tam apud Pontificem, quàm apud Asianos & Phrygas pro virili sua sollicitaret. Perseuerabat enim Asianorum cum Romanis de die paschali dissensio, & inter Phrygas super nouo prophetię spiritu non minima discordia increscebat. Haud renuit Irenęus in re tam pia & salutari fortissimis martyribus gratificari, neque suo nomini conueniens esse duxit, vllum vnquam pro Ecclesiæ pace quantumcumque laborem recusare. Igitur dum itineri se accingit, dum senis sanctissimi, Pothini extrema mandata exspectat, ecce motus & tumultus in vrbe audiri circumfrementium teterrimi dęmonis satellitum, & contra carcere inclusos extremi tormenta supplicij expedientiū, denique à Pręside ipso acerbissimę eorum neces accelerari: vt magis iam Ireneo de suppetijs tali fratrum necessitati afferendis, quàm de ineundo itinere, & litteris deferendis cogitandum fuerit. Igitur tanti temporis mora interuenit, quantum illa certamina, quæ paullò antè in medio posui-

posuimus, gloriosè obita postularunt. Quibus iam expletis, & fidei hostibus tãtorum martyrum sanguine vtcumque satiatis, mox vt ab vlteriori infestatione cessatum est, & nostris aliquæ respirandi vices datæ; animus Irenæo fuit mandati Martyrum exequendi; sed ita, vt breuis commentarius horum recentium martyriorum (quem & supremo Pontifici, & fratribus Oriẽtalibus longè gratissimum fore sentiebat) antè conscriberetur, qui vnà cum litteris deportari, & cùm fratribus per viam occurrentibus communicari posset. Ad nihil enim eorum aures animósque, quàm ad talia commilitonum suorum certamina, arrectos esse. Collectis ergo, quanta potuit celeritate, dierum singulorum memorijs, atque vnum in corpus redactis, commentarius ille, quem Irenæus Romam atque inde in Phrygiam atque Asiam pertulit, confectus est: ab alijs quidem ille, seu gallicâ, seu latinâ linguâ; sed græcâ, (vti quidem mea suspicio est, & stilus suadet) ab ipso Irenæo conscriptus. Tam hunc igitur commentarium, quàm epistolas Martyrum de pace inter ecclesias statuenda, ac nonnullas alias Romam ad beatissimum Eleutherum (erat is natione Græcus, patria Nicopolitanus) virum amplificandæ religionis quàm studiosissimũ detulit. Inter has epistolas vna erat, quę Irenæum eidem Pontifici mirificè commendabat. Nam eius aliquod membrum idque, vt videtur, ferè extremum, ad nos peruenit huiusmodi: *Gaudere te in Deo, pater Eleuthere, in omnibus & semper optamus. Rogauimus fratrem nostrum & consortem Irenæum, has vt ad te litteras perferret: quem vt commendatum habeas, vtpote testamenti Christi æmulatorem, te obsecramus. Ac si officij gradum cognouissemus conferre iustitiam, eum nos, cùm ecclesiæ sit Presbyter, in primis apposuissemus.* Ita de Ireneo Christi Martyres: qui dum consortem eum appellant, satis innuere videntur participem ipsum fuisse laborum ac dolorum in illa tyrannica infestatione à se exantlatorum: & dum testamenti Christi zelotem seu æmulatorem laudant, nihil sanè volunt aliud, quàm illum incredibili quodam Christianæ legis tuendæ atque amplificandæ studio ita exarsisse, vt quæuis potiùs pati tormenta, & quamlibet subire mortem paratus esset, quàm vt eam tantillùm lædi, aut de diuino honore vel minimum detrahi, sciens prudénsue permitteret. Nam eius erga Deum amoris ignes non semel, sed sæpius viderant: immensæ autem in fratres caritatis ardorem ipsimet testes locupletissimi senserant. Nempe is erat Irenæus, qui verè posset cum magno Paullo dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* ita scilicet omnium spectans & apprehendens dolores atque infirmitates, ac si illas in suo ipse corpore & animo persentiret. Virum igitur tanta fide, caritate, sanctimonia præditum, Pontifici maximo maiorem in modum commendabant: siue, vt illum Ecclesiæ Lugdunensi iam viduæ sacraret ac præficeret Antistitem; (si quidem

COMMENTARIVS DE MARTYRIBVS LVGDVNENSIBVS.

LAVS IRENÆI AB ORE MARTYRVM.

2. ad Corinthios cap 11. ver. 29.

nondum ſacratus tum fuerit, vt quibuſdam placet) ſiue, vt de pace eccleſijs danda dicturo, faciliùs aures animúmque commodaret. Et quidem expertâ viri virtute vtrumque perfeciſſe ſanctiſſimum Pontificem, atque ab eo Irenæum benignè aliquamdiu Romæ habitum, detentúmque, ac deinde ad res in Oriente componendas allegatum eſſe haud eſt improbabile. Nam alioqui, cùm ſatis conſtet eum S. Pothino martyri proximè in epiſcopatu ſucceſſiſſe; tamen nec vbi, nec à quo, nec quando fuerit manu impoſitâ conſecratus, certò reperiri adhuc potuit. Sed pacem eccleſijs Orientalibus, in Paſchatis celebrãdi ratione à Romana diſſidentibus firmatam eſſe habetur pro explorato. Quam enim ſanctus Polycarpus cum B. Aniceto inierat, hanc eiuſdem Polycarpi auditor Irenęus cum Eleuthero firmauit, & aduerſus Victorem Papam (vt pòſt cognoſcetur) ſuſtentauit.

Quomodo autẽ inter ipſos ſuper agitatis in Eccleſia quæſtionibus, ac nominatim ſuper feſto Paſchatis, tam facilè conuenerit; duę potiſſimùm cauſſæ reperiuntur: Vna quidem, quòd par fere in vtroque ſtudium exſtiterit, tam pacificandæ Eccleſiæ, quàm religionis amplificandæ. Nam vti de Irenæo proditum litteris inuenimus, cùm eccleſiæ Lugdunenſis habenas in manus recepiſſet, eum (quo feruebat, zelo) *in modici temporis ſpatio, prædicatione ſuâ maximè in integro ciuitatem reddidiſſe Chriſtianam*; ita & de Eleuthero, cùm Romę ſupremo Pontificatui admotus eſſet; *multos nobiles Romanorum ad fidem Chriſti perduxiſſe, & ſanctos Damianum ac Fugatium in Britanniam miſiſſe, qui Lucium Regem vnà cum vxore ac toto ferè populo baptizarunt*. Altera cauſſarum fuit; quòd Eleutherus Aniceti Pontificis Diaconus cùm eſſet, nõ tantùm pacis illius, quę inter eundem S. Anicetum & B. Polycarpum ſuper eadem quæſtione interceſſit, conſcius fuerit; ſed etiam ex reuerentia eiuſdem beatiſsimi Polycarpi, adiutor ac promotor. Memores igitur Eleutherus & Irenęus, quid magiſtri ſui Anicetus & Polycarpus de ijſdem ac ſimilibus quęſtionibus olim Romę agitaſſent, & quibus moti rationibus nihil innouare, ſed ſuas cuique nationi relinquere conſuetudines, ſeruata pace, ſtatuiſſent; ipſi quoque per impreſſa ab ipſis ſanctæ caritatis, mutuæque animorũ conſenſionis veſtigia, tam confidenter, quàm ſimpliciter ambulantes; alia quidem, vt facultas fuit, vnanimiter compoſuerunt; alia vero, quæ ſanari in præſens non poterant, ſananda tempori & opportunitati reliquerunt. Sed de tempore, quo Irenæus eſt Antiſtes conſecratus, cùm aliter, atque iam à nobis propoſitum eſt, nonnulli ſentiant, haud equidẽ ab aliorum ſenſu ita abhorreo, quin eorum facilè admittam vt probabilem, qui S. Pothinum ætate & infirmitate grauem, non modò de ſucceſſore prouidiſſe, ſed etiam recenti Apoſtolorum, atque aliorum Antiſtitum exemplo, creaſſe ſibi antehac Epiſcopum adiutorem Irenęum arbitrantur. Nam ſi Pothinus, primo ſecundóue

Greg. Turonenſis lib. 1. hiſt.

cundóue Eleutheri anno, ętatis suæ nonagesimum excedebat, támque inualidus senio erat, vt non quiret incedere; sed ad gloriosum illud martyrij certamen è domo in carcerem, atque è carcere in amphitheatrum alienis deportandus esset manibus; satis veritati consentaneum teneri potest, iam antea Irenæum ab illo fuisse ordinatum Episcopum, (qui scilicet fortis & validus grandęui & imbecillis partes Pontificis sustineret) eundémque, ne in tempore tempestatis ecclesia gubernatore vacaret; successorem designatum: qui proinde in demortui locum mox substitutus fuerit, ac paullò post à sacro Ecclesię cœtu, & ab ijs qui superstites erant, martyribus, ad fungendam, vt diximus, legationem, & res non leuis momenti pertractandas Romam ad Pontificem missus sit. Sed hanc rem, vt dubiam & incertam, in præsenti relinquamus. Illud sanè prorsus extra dubium est, & honorem illum ei delatum meritissimo esse, & sic à principio ad extremam metam ab illo administratum, vt diuina potiùs sorte, quàm humano electus & seruatus iudicio videri possit. Adeo rem Christianam in isto infesto turbine non parum concussam in breui restituit ac stabiliuit. Quod quâ curâ & diligentiâ perfecerit, e uestigio prosequemur.

CAPVT VIII.

Irenæi in suæ instructione & defensione ecclesiæ cura & diligentia.

[a] QVum Irenæus sedata grauissimæ persecutionis tempestate Lugdunensem ecclesiam, velut sponsam à Deo sibi traditam, amore affectúque singulari, quemadmodum decebat, prosequeretur; id statim vnicè studuit, maximóque curauit opere, vt eam virginem puram, castam, illibatam, & toto Christianæ virtutis splendore adornatam exhiberet Christo. Ea propter in visitanda & cōtemplanda eius specie assiduus fuit, ac ne qua macula, ne quis næuus eam inficeret (nam erant, qui errorum fuligine, aut voluptatum cœno illius offuscare claritatem, & inquinare castitatem deperibant) summa vigilantia excubauit. Cœtus habebat frequentes: summa fidei capita crebrò inculcabat: insidiantes illis errores detegebat: ad diligentem præceptorum obseruationem, (quæ certissima gratiæ custos & auctrix est) continuò exstimulabat: consilia etiam Christi Domini, si quis vitæ perfectioris studio teneretur, non rarò enuntiabat. Permultus verò ac penè totus in eo erat, vt illis ecclesiæ catholicæ, tanquam veræ matris suæ, germana lineamenta in oculis defigeret: eiusdem scilicet doctrinæ quauis in mundi plaga miram consensionem: Episcoporū ab ipsis vsque Apostolis rectam ac legitimam successionem, EPISCOPI PROPRIA EXERCITIA.

eorúmque

eorúmque nihil à tradita sibi lampade deuiantium, nec nouas & inauditas opiniones, cum insolentibus item vocibus ac nominibus (quod hæretici vulgò factitabant) ad hominum stuporem inducentium: sed intra eandem documentorum & appellationum simplicitatem Apostolico more sese continentium: modestiæ, sobrietatis, castimoniæ, etiam virgineæ, sed velo humilitatis obnuptæ, commendationem: cælestium donorum & miraculorum, sed ex sola caritate, ad fratrum vtilitatem & incolumitatem pertinentium, nullo interruptam tempore repræsentationem: assiduas denique ad obedientiam, reuerentiámque erga ecclesiæ rectores, veróśque pastores exhibendam, atque ad bona opera, cultumque virtutis, cohortationes. Hæc docebat, hæc iterabat, hæc scriptis commendabat Pothini successor martyris, & ipse olim futurus martyr Irenęus. Testes enim sunt eius libri: testes Lugdunensium martyrum litteræ: testes & antiqua eius actorum monumenta: nihil eum magis egisse, nihil enixiùs cõtendisse, quàm vt starent in vijs antiquis, quàm vt confictas nouitates, & dolosas errorum fabricas, velut Sirenum scopulos, velis, remísque, quod aiunt, deuitarent.[b] Ad hoc igitur persuadendum, ostendebat non aliam esse nunc temporis capessendam doctrinam, fidésque rationem, quàm quæ à Christo Domino, eius fonte ac capite, per ipsius Apostolos atque Euangelistas, velut secundo cursu esset deriuata. Nam vt Christum Apostolis, sic Apostolos Euangelistis, aliísque discipulis episcopatus sui ministeria sortitis, & hos item suis successoribus eundem Spiritum & eandem doctrinam, ad alios atque alios propagandam, tradidisse. Qui recto igitur ab his ordine atque successione creati sint Episcopi, eorum admittendam atque obuijs vlnis amplexandam esse doctrinam: aliorum verò, qui Episcopi non sint, & Episcoporum sibi arrogare, & impudenter vsurpare munia attentent, & qui receptis fidei articulis atque traditionibus contraria, & adhuc inaudita ingerere dogmata non vereantur; illorum prorsus abijcienda & abominanda esse somnia. Ita omnino respuendos, quicumque supra omnium creatorem, alium ponerent Deum: ita prorsus auersandos, qui nouam baptismi, nouam Eucharistiæ apportarent formam: ita denique repudiandos, & canum more propulsandos, qui superbia inflati solam sibi fidem sufficere, & eam absque vllis bonis operibus ad cælum conscendendum satis esse, & sine alio adminiculo idoneas per se fore scalas iactitarent. Valentini proinde fabulis aures obstipandas, cui religio non fuerit infitiari Deum opt. max. totius vniuersi huius esse conditorem,[c] & qui varios confingendo æonas, & mera inducendo monstra, totã studuerit euertere religionem: nec eos item vllatenus esse audiendos, qui pro clara & vsitata illa baptizandi forma: [d] *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quam ipse Christus tradidit; istam protruderent Valentinianam:

Matthei 28. ver. 19.

nam: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, & in nomine descendentis in Iesu, ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum:* multo verò minùs illorum, qui vt stupori essent, & terrori baptizandis,[e] peregrina ista vsurparent nomina, *Basema, Chamosse, Baæanora, mystadia, rhuada, custa, babophor, calachti.* Aut vt vetus Irenæi exhibet interpres, *Basima, eacabasa, eanaa, irraurista, dyarbada, caëotaba, fobor, camelanthi.* Quorum verborum (mirè corruptorum, tamen hebraicæ originis) talem producit Irenæus interpretationem: *Hoc, quod est super omnem virtutem, inuoco; quod vocatur lumen, & spiritus, & vita; quoniam in corpore regnasti.*

Hæc autem & his deteriora (quę omitto caussa breuitatis) quam habent, amabo, cum formâ à Christo præstitutâ, & præceptâ affinitatem? Sed nimirum duo semper habet omnis hęresis: comminisci noua, & loqui deliramenta. Isthæc igitur Irenęus cùm in omnibus demonstraret esse hęreticis; prudenter subditis suis, ne in talia inciderent, salutarem ingenerabat horrorem. De sanctissima item Eucharistia *Iren. lib. 1. c. 9.* optimo diuini amoris, & sanctissimę coniunctionis signo, caussáque admirabili, ostendebat idem Antistes, quomodo ipsam illorum quidam ad ritus dissimillimos, & incantationes magicas, & castimoniæ corruptelam traduxissent.[f] Simul & recentia nobilium feminarum exempla, quas illi suis philtris atque præstigijs sub splendido eucharistiæ velo, partim in Asia, partim in hac ipsa Celtica dementassent, in medium producebat: quarum quidem aliquæ ad Dei ecclesiam postliminio reuersæ vitam deinceps in perpetua pœnitentia & mœrore inconsolabili consumpsissent: aliæ verò publicæ exhomologeseos pudori sustinendo impares, déque salutis obtentu desperantes, prorsus ab ecclesia defecissent: nonnullæ etiam inter vtrũque vacillantes ita sese habuissent, vt iuxta vulgatum adagium nec intus nec foris essent: cùm & in ecclesiam salutis amor impelleret, & extra ecclesiam pœnę timor retineret. Cetera denique, quæ isti plani & præstigiatores docebant & designabant, monstris & portentis erant quàm simillima. Nam cùm Christus Dominus humilitatis & bonorum operum (ex quibus homines, vti ex fructibus arbores internosci prædicarat) multus semper laudator & demonstrator extitisset: isti, (quà elati superbiâ erant) solos se perfectos esse iactabant, tantáque ante alios pollere sacrâ scientiâ; vt præ se ferrent, neminem omnino eius exæquare magnitudinem posse, nõ Petrum, non Paullum, non alium quemlibet Apostolorum: *sed* (vt ipsius Irenæi verbis vtar) *plus omnibus se cognouisse: & magnitudinem agnitionis illius,*[g] *Ibidem.* *quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse: esse autem se in altitudine super omnem virtutem. Quapropter & liberè omnia agere, nullum in nullo timorem habentes: propter enim redemptionem, se & incomprehensibiles & inuisibiles fieri Iudici.*

Talia

Talia homines ſtultiſſimi,& alia quoque iſtis fabuloſiora apud infirmum ſexum,& imbecilla ingenia (quis enim cordatus talia crederet?) diſputabant. Euulgabat autem hæc Irenæus, & virtutem Chriſtianam contra huiuſmodi nugas exacuebat. Alij autem (vt idem vir ſanctus memorabat) de eadem Valentini propagine, & ex eodem cœno conflati ſuperbiæ & intemperantiæ, tres in claſſes cùm genus omne hominum diuiderent, & alios terreſtres, alios animales, alios ſpirituales appellarent; horum primos neceſſariò perire & ſalutis prorſus incapaces eſſe dictitabant: quòd nimirum nullam incorruptionis recipere adſpirationem poſſent: medios autem, ſiue animales; prout ipſi ſe ex ſui libertate arbitrij, vel ad terreſtres ſe inclinarent, vel ad ſpirituales; ſic interitus aut ſalutis fore participes. Nam ſi ad hos ſe applicarent, ſalutis; ſin ad illos deuergerent, interitus ſortem adepturos. Spirituales porrò eſſe eos, qui perfecta Dei cognitione imbuti eſſent, & à matre Achamoth ſcilicet (ita Sapientiam vocabant) myſterijs initiati. Nos igitur, qui de eccleſia ſumus, in medio ordine collocabant, & animales vocabant; quibus nimirum perfecta non contingeret agnitio; ſe verò ſpirituales, & vndequaque perfectos. Nobis proinde ad ſalutem neceſſariam eſſe fidem, & bona opera; ſine quibus ſaluari nequaquam poſſemus: ſibi autem illa minimè eſſe neceſſaria. Nam eo ipſo, quòd naturaliter ſpirituales ſint, neceſſariò ſe ſaluari. *Quemadmodum enim*, inquiebant, *impoſſibile eſt homines terreſtres ſalutem percipere, cùm eius non ſint capaces: ita ſpirituales*, (quales ipſi ſe eſſe gloriantur) *quicquid demum agant, quæcumque deſignēt facinora, corruptioni affines eſſe non poſſunt*. Nam vt aurum, quantumuis cœno ac luto immerſum, decorem non amittit ſuum; ſed naturam ſuam tuetur, retinétque incolumem, nihílque damni ex cœno facit: ita ſe quoque in quibuſcumque verſentur ac volutentur flagitijs, manere ſemper indemnes, nullámque facere ſuæ ſpiritualis naturæ iacturam. Quid autem inde conſequeretur, ſic fere explicat: His ergo fundati principijs, omni procul abacto timore, in omnia vitiorum genera laxis habenis efferuntur, nihil penſi habentes, nihil curantes illud, quod dixit & prædixit Paullus: *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Nam & quæ idolis immolata ſunt, ſine diſcrimine comedunt, nihil ſe ab ijs inquinari arbitrantes, atque ad omnia Gentilium feſta oblectamenta, idolorum conſecrata honoribus, primi conuolant: ita vt nec ab execrandis, tam apud Deum, quàm apud homines ſpectaculis, in quibus vel homo homini compoſitus, vel commiſſæ hominibus feræ depugnant, oculos abſtineant. Quin & reperiuntur, qui carnis voluptatibus ad ſatietatem inſeruientes, carnalia carnalibus, ſpiritualia ſpiritualibus reddi dicant. Hinc & illorum quidam mulieres diſcipulas, quas palam inſtruere debebant, clam vitiare maluerunt. Quod ipſæ poſtmodùm pœni-

Iren. li. 1. c. 1. ſub finem. Epiphan. hæreſi 31.

Ad Gal. 5. verſu 21.

tentia

tentia ductæ, cùm se in ecclesiæ portum secundâ sancti Spiritus aura retulissent, vnà cùm alijs facinoribus confessę sunt. Nonnulli autem propalam quoque inuerecundi, quascumque adamauerant feminas, à viris suis eas abstrahentes, sibi vxores duxerunt. Alij denique honestè primùm, tanquam cum sororibus, se cohabitare simulantes, processu deinde temporis, prodente fratris nequitiam, sororis vtero, spurcitiæ palàm conuicti sunt. Hæc verò, aliáque multa detestanda & impia perpetrantes, nos quidem (inquit Irenæus, quos Dei metus, velut habena quædam à turpi non tantùm facto, sed etiam sermone & cogitatu retinet) tanquam idiotas & ignaros rerum, flocci faciunt: se autem magnificè extollunt; perfectos se, & electionis semina appellantes. Nos enim vsu tantùm, se autem propriè & mancupio accipere gratiam; ac proinde adimi nobis posse, quod vt ne fiat, nobis esse bonis factis id promerendum: se verò extra omnem amissionis aleam versari, & adijci quidem sibi gratiam posse, adimi autem non posse.

Cetera eiusdem nequitiæ, & dementiæ, & non ferendæ superbiæ argumenta, quæ idem magnus auctor ibi persequitur, quo exosam germanis ecclesiæ filijs, tanquam verus pastor, eorum reddat hæresim, aut mephitin potius intolerabilem, consultò prætereo. Sat enim est nobis in præsentia, digitum ad fontem, quod aiunt. Sed sapientissimus Irenæus in suis sacris cœtibus, quos habebat quàm poterat frequētissimos, sæpenumero ea pertractabat, quibus populum sanctum ab istis auocaret hominum spurcissimorum deliramentis atque præstigijs: creberriméque istam, quę omni ferè adhæret hęresi, immanem arrogantiam, insanam libidinem, putidam simulationem detegebat: & pro tot fabularum ambagibus, & figmentis verborum, & opinionum centonibus; vnam rectam, compendiosam, facilem, sinceram adferebat fidei doctrinam: cuius nihil fictum in verbis, nihil obscurum in sententijs, nihil insipidum in præceptis reperiretur.

SYMBOLVM FIDEI.

Iren.l.1.c.2.

Ecclesia, inquiebat, *toto orbe diffusa, hanc ab Apostolis & Apostolorum discipulis accepit fidem. Credere scilicet in vnum Deum Patrem omnipotentem; cæli, & terræ, & maris, & omnium, quæ in eis sunt, creatorem. Et in vnum Iesum Christum, Filium Dei, pro salute nostra incarnatum. Et in Spiritum Sāctum, qui per Prophetas, Dei œconomiam & aduentum prædicauit, & generationem ex Virgine, & paßionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne ad cælos ascensionem, & de cælis ad iudicium de bonis & malis exercendum descensionem: vti & illos ad beatam & interminabilem vitam abducat; & hos in ignem & flammas ableget sempiternas. Atque hanc fidem sic acceptam tota, quanta, quanta est ecclesia, tam diligenter,* inquit, *tamque exactè custodit, perinde atque vnicam domum incoleret: atque ita similiter ijs credit, quasi cor vnum haberet, & animam vnam: & ita denique conformiter prædicat; vt cum multa sit docentium turba, tamen vnico ex ore loqui*

Ibid.c.3.

ECCLESIÆ FIDES VBIQVE GENTIVM VNIFORMIS.

loqui omnes videantur. Tametsi enim dißimiles in mundo linguæ sint, quemadmodum & nationes: tamen vna fides, vna doctrina, vna traditio est. Neque aliter credunt, quæ in Germania fundatæ sunt ecclesiæ, quàm eæ quæ in Hispania; nec quæ in Hispania aliter, quàm eæ quæ in Gallia; nec quæ in Oriente aliter, quàm eæ quæ in Ægypto; neque aliter Ægyptiæ, quàm eæ quæ in Libya; nec hæ postremò aliter, quàm eæ quæ in medio mundi sitæ sunt, & quæ primæ tam à Christo, quàm ab Apostolis in Iudæa, & Syria, & Samaria, & earum confinijs fidem receperunt. Nam vt sol toto in vniuerso est vnicus, & vno eodemque omnia lumine latè perlustrat: sic & prædicatio veritatis, vna & vnica vbique terrarum eadem collucet, mortalesque omnes, quos agnoscendæ veritatis amor teneat, copiosa luce perfundit. Neque vnus reperietur quispiam ex ijs, qui præsunt ecclesijs, tametsi nobis doctrina longè superior, qui hæc aliter se habere, quàm a me iam dicta sunt, pronuntiet. Nemo enim ante magistrum est: nec qui dicendo plus valet, ad eam adijciet: neque is, qui minus potest, aliquid diminuet.

Talia cùm de Catholicis doceret Irenæus, tum de hæreticis planè contraria demonstrabat: nempe in minimo ipsorum numero dissensiones esse quàm maximas; & quot capita, tot ferè sententias. *Nã si duo vel tres fuerint,* inquit, *tamen de ijsdem non eadem dicent: sed tam rebus, quàm nominibus contraria respondebunt.* Quod ipsum idem sanctus pater rationibus atque exemplis, ne videretur gratis dicere, mox confirmabat. Possem ego & alia ex eodem ditissimo illius penu plura depromere; sed illa alium in locum, vbi maior videtur fore commoditas, in præsentia differo; hoc tantùm hîc dico: hunc præcipuè doctorem ex omnibus, viam regiam refutandis certâ & optimâ methodo hæresibus, vel omnino primum, vel certè in primis patefecisse, clarissimámque, quà Græcis, quà Latinis, eam ad rem, lampada tradidisse. Quam tùm alij, tum præsertim Tertullianus auidè accepit, & acceptam alijs tradidit: quam hodiéque nostri Scriptores (qui non parum eam ob rem sancto Irenæo debere se agnoscunt) è manu in manum ad posteros transmittunt. Sed hactenus aperuisse sit satis, quam in sua erudienda confirmandáue plebe artem methodúmque magnus ille vir tenuerit. Nam ipsa eius præcepta ac documenta, pro more nostro, secundùm extrema vitæ vestigia submittemus. Nunc autem vt intelligatur, quemadmodum non priuatis modò sermonibus, nec publicis dumtaxat ad populum concionibus suæ diœcesi profuerit, sed etiam alijs vijs toti Galliæ, adeóque omni Ecclesiæ succurrerit; ad patentiores eius industriæ labores, & constructa aduersus quoslibet fidei hostes egregia armamentaria proferamus gradum.

Iren. l. 1. c. 5. & Tertullianus libro aduersus Valentinianos.

CAPVT

CAPVT IX.

Irenæi Episcopi, S. Eleuthero Pontifice, & M. Aurelio Antonino vnà cum filio Commodo, imperante, industrij labores, & æterna aduersus hæreticos monumenta.

[a] Haud satis habuit Irenæus, vel ecclesiam suam optimis fidei morúmque institutis imbuisse, vel commissum sibi gregem armis fortissimis aduersus intestinos hostes communisse: sed foras etiam industriæ suæ neruos longè latéque extendendi cupidus, totum vniuersæ ecclesiæ corpus sibi defendendum, & cunctos eius perduelles partim epistolis, velut missilibus telis, lacessendos, partim grauibus libris, quasi acuto ferro, confodiendos duxit.

Nam abusi ecclesiæ pace hæretici, atque illi præsertim, [b] qui è Valentini & Marcionis schola exierant, numero crescentes & audacia, sumpto ab vrbe orbis principe (vbi magistros suos audierant) initio, in diuersas abibant terræ partes, & suscepta lethalium verborum, quasi noxiarum herbarum, semina, passim proiectabant.[c] Iámque adeo in Gallias nonnulli (vt suprà attigimus) penetrarant; & allutam Rhodano flumine regionem suæ veneno hęreseos infecerant. *Iren. l. 1. c. 9. Hier. ep. 29. ad Theodoram.* Quæ vna de caussis fuisse creditur, quamobrem Irenęus in excelsa ecclesiæ inibi fundatæ speculà à Domino cõstitutus, cùm multas ab ijs seductas in errorem mulieres, & amatorijs quibusdam poculis, non *Iren. l. 4. in præfatione.* modò à fide, sed ab omni quoque rationis sensu propè alienatas animaduerteret; ad scribendum sese contulerit, atque ad sceleratas eorum, magicáque commixtas impudicitiá sordes & fraudulentias fortiùs, quàm adhuc quisquam fecerat, confodiendas procurrerit.[d] Conati enim fuerant ante illum nonnulli perniciosis Valentini erroribus, obiectâ fidei armaturâ, sese opponere; sed quòd eorum artes, dolósque, & consilia minùs perspecta haberent; haud satis efficaciter id egerant: [e] rogatus proinde Irenæus à nonnullis fratribus, [f] (ac nominatim à Turibio Præsule Toletano, insignis doctrinæ & ardentis fidei viro, missis ad se litteris prouocatus) vt occultam eorum ac latentem doctrinam in apertum educeret, eique subuertendę sui ordinis hominibus arma subministraret; *Idem l. 3. in præfatione.* fecit, vt nos suprà attigimus, perquam accuratè, & libros eam in rem non duos trésue dumtaxat, qui sufficere potuissent, sed totos quinque conscripsit. In quorum primo, (id quod maximè fuit necessarium, & sine quo labor omnis & opera luditur) totam Valentini, eiúsque sectatorum hęresim suis exspoliatam integumentis,

nudam in omnium oculis exposuit: cuius conspecta fœditate haud dubitabat fore, quin & ipsa à suis desereretur, & ab alienis multo magis despueretur. quippe cùm iam cognita, tam vnicuique facilis foret refutatu, quàm antea fuerat oppugnatu difficilis, dum ignota.

Iren.l.1.c.35.

Hinc & ipsemet sententiæ ipsorum manifestationem minimè veritas est suam de illis appellare victoriam. Et sanè rei alicuius perabsurdæ palam facere absurditatem, quid est aliud, quàm in manibus tenere victoriam? Quod vti persuaderet, eleganti admodum, atque apposita vsus est similitudine. *Quemadmodum enim* inquiebat, *dum fera quæpiam in siluæ latebris delitescens, atque inde, cùm libido traxerit, in apertum erumpens multis creat exitium; tunc si quis densitatem nemoris tenebrosam discludat, siluámque denudet, atque in conspectum feram adducat; certè non magnus ad eam capiendam restabit labor, cùm & ferã videre, & impetus declinare, & iaculis vndique impetere, & plagis conficere liceat: ita & nobis*, inquit, *postquam abdita illorũ, & tenebris inuoluta mysteria in lucem produxerimus, non grandis operæ negotium fuerit, ea ipsa discutere, refellere supplantare*. Sic ipse.

Vide Tertull contra Valent. c. 3. in fine.

Primo igitur libro hæreses denudauit, turpitudinem ostendit, earũ auctores, & varias ipsorum inter sese dissensiones propalauit.

Secundo autem, vulgatas iam & perspectas, magnâ rationum vi ac pondere, & toto philosophię conatu (in ea enim pręcellebat) acriter oppugnauit, ac tantùm non oppressit.

Iren.l.3. in præfat.

[b] Hos duos libros cùm confecisset, atque amico, qui illos expetierat, transmisisset; quamuis abunde eius respondisse votis videri posset, tamen impellente vlteriùs caritate, ad tertium librum vltro est aggressus, & quod in secundo argumentis peruicerat philosophicis; in hoc tertio, desumptis è sacræ Scripturæ armamentario ineluctabilibus telis ac machinis, penitùs subuertere molitus est.

Tertio proinde libro, Apostolorum doctrinam vanis ac futilibus Valentini, aliorúmque hæresiarcharum opinionibus, quàm maximè aduersari, productâ diuinorum locorum turbâ innumerâ firmissimè comprobauit. De cuius libri argumento sic ipsemet vir sanctus in præfatione ad librum quartum præmisit. *In eo igitur*, inquit, *qui ante hunc est libro, ostensa est de his omnibus sententia Apostolorum. Quoniam non solùm nihil tale senserunt, qui ab initio speculatores & ministri fuerunt verbi veritatis: sed & prædicauerunt nobis fugere huiusmodi sententias; spiritu præuidentes eos, qui seducturi erant simpliciores. Quemadmodum enim serpens Euam seduxit, promittens ei quod non habebat ipse: sic & hi prætendentes maiorem agnitionem, & mysteria inenarrabilia, & promittentes eam, quam dicunt intra Pleroma esse receptionem, in mortem demergunt sibi credentes, apostatas eos constituentes ab eo, qui eos fecit*. Ita ille.

In præfatione libri 4.

Quarto demum, ea quæ prioribus tractauerat, per ipsa Domini

Verba

verba, tam in vetere, quàm in nouo vsurpata testamento, luculentè confirmauit.

Hisce quatuor libris omnes veri defensoris fidei aduersus hæreticos explesse partes censeri poterat: sed varijs prætereа in mentem venientibus, quæ ad suæ doctrinæ libris superioribus traditæ corroborationem facerent, ac potissimùm ex Apostolicis epistolis, impulit caritas atque zelus, vt ex ijs quintum quoque librum conficeret.

[k] Quinto itaque & postremo libro, partim dicta quædam Christi Domini, ex euangelijs, partim loca nonnulla è Paulli Apostolis, quibus hæretici ad suas stabiliendas arundines, seu opiniones friuolas, abutebantur, in medium protulit, reiectáque ac desputa illorum peruersa ac distorta interpretatione, demum quis verus esset ipsorum germanúsque sensus, claro ac rotundo sermone patefecit. Totus autem ferè liber in his duobus maximi momenti punctis, in persuadenda scilicet carnis resurrectione, & in asserendo Christi iudicio, (sine quibus labant ruúntque omnia) versatur & consummatur. *Irenæus l. 4. in fine capitis vltimi, & in præfat. libri 5.*

Conscripsit porrò hos libros Irenæus,[l] Eleuthero Pontifice, & (quod probabilius item videtur) Imperatoribus M. Aurelio Antonino & filio Cōmodo, sub annum scilicet Domini 180. cùm Lugdunensem in bona ecclesiæ pace administraret diœcesim. Quo ex opere quia admodum clarere, atque in hominum ore esse cœperit, hinc rectè ad annum Commodi Imp. tertium, sic annotauit sacrorum Chronographorum princeps:

Irenæus Episcopus Lugduni in Gallia clarebat. *Eusebius in Chronico.*

Fuit enim hoc aduersus hæreses quinquepartitum opus, palmaris eius ac principalis labor: quod opus diu quidem antè inchoatum, sed sub illud fere tempus ad extrema perductum, non mediocrem illi gloriam comparauit.

Quum verò eadem tempestate vrbem Romam, ad varios inde per ecclesiam dispergendos errores, & sinceras consuetudines labefactandas diuersi insedissent hæretici, inter quos noti Ireneo [m] Florinus & Blastus Romani Presbyteri, nouam cudentes quisque hæresim, non paucos ab ecclesia in suas pertrahebant sententias; iusto ille animi dolore perculsus, varias ad vtrumque perscripsit litteras: quarum ea quæ ad Blastum, *de schismate* inscripta fuit: altera, quæ ad Florinum, *De monarchia:* siue, *Quòd Deus non sit malorum effector.* Contrariam enim opinionem cernebatur ille acriter propugnare: propter quem etiam (quòd in Valentini protractus esset errorem) liber de ogdoade ab eodem Irenæo conscriptus est. Nā Valentinus in sua ogdoade, siue octonario principiorū numero, mira fingebat somnia: mira somniabat mysteria: & quę nos de vno Deo, tribúsque *Eusеb. l. 5. c. 14.* *Euseb. l. 5. c. 19.*

busque personis philosophamur, ille ad alia principia & alias generationes transferebat.

Cùm enim dicamus Deum Patrem, ante quem nihil sit, per intellectionem sui ab æterno generasse Filium: ac rursus Patrem, & Filium per mutuam dilectionem produxisse Spiritum sanctum: & has tres personas simul pariterque concurrentes procreasse mundum, Angelos, homines, omnia: [a] ipsi contrà, primò omnium duo ponunt principia: Profunditatem scilicet & Silentium, quasi coniuges: qui procrearint Mentem & Veritatem: Mens autem & Veritas produxerint Verbum & Vitam: Verbum denique & Vita protulerint Hominem & Ecclesiam. Et hæc est illa tam famosa, tam hinc inde agitata & disceptata ogdoas; Profunditas nempe & Silentium: Mens & Veritas: Verbum & Vita: Homo & Ecclesia. Sunt enim quatuor paria velut coniugum: marium scilicet quatuor, & totidem feminarum; è quibus, Valentini quidem iudicio, cetera emanarint omnia. Aniles profectò fabulæ, & aranearum telis, cùm quis attenderit, & secum perpenderit, quàm simillimæ. Quibus tamen se teneri, more imbellis muscæ, passus ille Florinus, magnum æquali suo & condiscipulo Irenæo mœrorem attulit. [b] Qui proinde, datâ ad eum epistolâ, suę pristinę sub Polycarpo doctrinæ, ab ijs, quas nunc propaget, opinionibus multò diuersissimæ, illum amicè commonuit, atque in viam regiam, vnde in errores longè deflexerat, fraterna affectione, licet frustra, reducere conatus est. Nam animum obstinasse tam illũ, quàm Blastum in suis erroribus ac præcipitijs, ipsa indicat series hæresiarcharum: in qua de hoc quidem Blasto grauissimus auctor, atque eiusdem æui Scriptor Tertullianus ita refert: *Est præterea*, inquit, *his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Iudaïsmum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysi, decimâ quartâ mensis. Quis autem nesciat, quoniam euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit?* Ita ille.

Iren. l. 1. cap 1.

Tertull. lib. De præscript. c. 46.

[c] BLASTI DE PASCHATIS SOLEMNITATE ERROR.

Quòd ergo Blastus non modò celebrari posse pascha à Christianis eodem die, quo à Iudæis; sed etiam omnino debere, ac prorsus necessarium esse contenderet, idque Romę, vbi mos inualuerat contrarius, eáque ratione dissidium atque schisma in ecclesiam induceret; propterea pacis, & coniunctionis amans Irenæus, epistolam seu libellum quendam conscripsit, inscripsitque *De schismate*: in quo eum docit, quàm graue, & quàm à Christianis moribus alienum esset, pro tolerabili & tam diu tolerata consuetudine pacem & concordiam dissciндere. Hoc enim semper egit, hoc semper secundùm nomen suum laborauit Irenæus, vt quoad eius fieri posset, pax in ecclesijs retineretur. Cuius rei insigne specimen parebit pòst euidentiùs.

Sed

Sed non intra vnius duntaxat aberrantis ab ecclesia opinionis pertinaciam Blastus restitit:[p] verùm vsque in Valentini præcipitia, rapiente impetu, miserè progressus & prolapsus est. Perdifficile est enim hominis ex alto ruentis effrenem remorari, detinereúe impetum. Simili ruina, cùm ad eundem offendisset lapidem Florinus ille, Romanæ aliquando flos ecclesiæ, prostratus & protritus est. Cuius è radice, sed exsuccâ & marcenti, feruntur illi, qui primò Floriniani, pòst autem Floriani appellati sunt, & breui defloruerunt, pullulasse. Sic duo Romani Presbyteri, quos euocatum Eleutheri Pontificis fulmen afflauerat, de ecclesia, quasi de cælo, deciderunt. Sed his, quæ luctuosa sunt, in præsens omissis, præclara Irænei facta reuisamus.

Theodoret. l. 1. hæretic. fabularum

CAPVT X.

Irenæi ad ecclesiæ incrementa, & ad omnimodam hæreseon è Gallijs exstirpationem, noui conatus & industriæ.

[a]DVm lætos ecclesiæ suæ progressus peruigil Antistes secũ attẽtiùs consideraret, nimísque vereretur, ne prosperitatem hanc aduersus aliquis casus, & rerũ, vt fit, reuolutio derepentè contristaret; subijt animum cogitatio, ecqua ratione contrarijs euentibus, qui vel ab apertis hostibus, vel à falsis fratribus accidere solent, ab se occurri posset. Hactenus enim, ex quo fundata esset Christiana religio, nihil admodum in tranquillo, nihil diu in tuto fuisse: sed semper vel ab his, vel ab illis, (nisi etiam interdum simul ab vtrisque) affatim malorum, & amplius periculorum ingruisse: adeóque in ipso capite apparuisse, quid in membris futurum esset. Christum enim à domesticis proditum, ab extraneis irrisum, ab vtrisque occisum esse: nimirum vt aliquando suis diceret: *Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Id autem quàm verum foret, confestim à Domini excessu in Apostolis constitisse: post Apostolorum item neces, haud multæ quietis interuentu, in eorum discipulis iam antehac, & recenti quoque memoria palam factum esse: cùm scilicet è pulchra Lugdunensis ecclesiæ vinea, tam multi egregij palmites acuta persecutionis falce accisi sunt. Quid igitur deinceps exspectandum? nisi quod antè fuit? Nẽpe infestationes, persecutiones, pericula, tormenta, mortes. At illud bene, quòd non hæc sola; sed insuper postmodùm, victoriæ, spolia, coronæ, triumphi: quin & immensa atque interminata apud Imperatorẽ Deum in cælo gloria. Nec verò etiam, (quod haud paruo hìc nobis debet esse solatio) nec verò, inquam, licet tot accisis inimico ferro lętis ac floridis palmitibus, imminuta

Ioannis 15 ver. 20.

idcirco

idcirco eſt vinea, ſed amplificata; nec eccleſiarum numerus propterea detrimentum accepit, ſed augmentum. In harum igitur conſideratione rerum dum verſatur Irenæus, ac ſe per maiorum ſuorum veſtigia ſemper ad anteriora extendens, alias atque alias ad maiora eccleſiæ incrementa vias exquirit, duas demum aduertit, quibus ad eum ſcopum, quem ſibi propoſuiſſet, rectà tendi faciléque pertingi poſſet: Vnā quidem, ſi magna inter omnes Galliæ antiſtites animorum, ſtudiorúmque, tam in dilatādis Catholicę fidei terminis, quàm in hæreſibus vndique exterminandis vigeret conſenſio: Alterā, ſi ijdem Antiſtites in hoc vnum impensè incumberent, vt idoneos altarium miniſtros, & diuini conſortes muneris præpararent. Ad hæc igitur cogitationes ſuas omnes applicuit, in his operam induſtriámque poſuit; vt & cunctos eccleſiæ Gallicanæ Præſides firma ſecum atque inter ipſos amicitia & neceſſitudine coniunctos haberet ac retineret: & ſacri ordinis miniſtros ſpiritu feruidos, ac ſibi quàm ſimillimos redderet. Et quidem ad prius quod attinet, quò id commodiùs exequeretur atque exactiùs; ſtatuit ex cauſſa opprimendarum in Gallia hęreſeon, & litium (ſi quę forſitā eccleſias conturbarent) componendarum gratia, concilium conuocare Epiſcoporum. Ea enim occaſione, cùm illa quæ animo concepiſſet, tum alia quoque multa, in religionis Chriſtianę commodum conſtitui poſſe. Et habuit ea res, Deo opt. max. pios probante ac promouente conatus, felicem ſucceſſum.[b] Nam Lugdunum conuenere vicini è Gallia Epiſcopi numero duodecim, viri cùm pietate, tum eruditione inſignes, & qui ferè Apoſtolorum diſcipulos audierant. Hos inter ordine & auctoritate eminebat Irenæus. Qui actis primùm Deo opt. max. qui cunctos vnum in locum ſaluos incoluméſque adduxerat, ſingularibus gratijs; deinde magnâ de fructibus è præſenti ſynodo percipiendis bonę ſpei editâ ſignificatione (quippe qui omnes alacres & optimę voluntatis plenos cerneret) tum pręcipua rerum in hoc concilio tractandarum capita ſummatim expoſuit: quibus vnicuique congregatorum addendi, quod in commune bonum facere videretur, & ſumma cum libertate ſententiam ſuam dicendi poteſtas eſſet. Cui cùm omnes, nō ſine grata admurmuratione, aſſenſiſſent; ante omnia de principalibus fidei Chriſtianæ myſterijs, (quæ ſine opinionum diuerſitate à cunctis firmiter tenenda eſſent, & omnibus vnanimiter tradenda) in commune agi cœptum. Neque in his longâ inter viros Spiritu Dei plenos diſceptatione opus fuit: ſed quæ Apoſtolorum fuit confeſſio fidei, per manus ſucceſſorum ipſis tradita, hęc & ipſorum fuit: nempe illa, quam ipſe Irenæus iam antehac, in primo ſuo aduerſus hęreſes libro expreſſerat: *Credere ſcilicet in vnum Deum Patrem omnipotentem* &c. prout & Apoſtolicum Fidei ſymbolum nunc habet, & totidem ferè verbis idem noſter Antiſtes, (vt ſuprà retulimus) ſcriptis

CONCILIVM LVGDVNENSE ADVERSVS VALENTINIANOS.

Irenæus l. 1. c. 2.

Cap. 8. huius vitæ ſuprà.

ſcriptis ſuis indidit. Nam hæc ſcripta in manibus iam erant Epiſcoporum, non Galliæ modò, aut propinquarum regionum, ſed etiam remotarum. De conſuetudinibus item eccleſiarum, & ſacrorum ritibus ac cærimonijs, quæ ſaluâ & incolumi FIDE in varijs diœceſibus varia eſſe poſſunt, facilè inter ipſos conuenit. Nec enim omnia omnibus conuenire: neque ab ipſis adeo Apoſtolis (qui principalia dũtaxat, & quæ ad fidei ſubſtantiam pertinent, vt vbique eadem eſſent & docerentur, vnicè ſpectabant) neque ab ipſis, inquam, Apoſtolis ijdem ritus ac cærimoniæ, neque item conſuetudines, & alia eiuſmodi, vbique & quouis tempore ſunt eadem prorſus tradita. Quæ tamen Romæ à ptincipibus Apoſtolorum vſurpata eſſe, atque ab illis in Gallias deriuata conſtaret, hæc maiori quodam ſtudio videri retinenda: nec ipſa alijs, ſed alia ipſis, (ſi qua fortè eſſet facienda mutatio) eſſe accommodanda. Irenæus enim, (qui Romę dum eſſet, perquam diligenter allaborauerat, vt vrbis eius ſacras conſuetudines, ritúſque & inſtituta cognoſceret) nonnulla in medio poſuerat, quæ ad eccleſię dignitatem, & honeſtam ordinum diſciplinam, & laudabilem morum conformitatem ſpectabant. In cuius ſententiam manibus pedibúſque cùm ab omnibus itum eſſet, réſque aliæ omnes ſumma concordia tractatę & expeditæ eſſent; vbi ad errores, quos nõnulli religionis Chriſtianę hoſtes clandeſtinò & in tenebris ſparſum ibant, ventum eſt, tum ſinguli Pręſules ſuo quiſque ordine memorare, quænam alienæ opiniones, & quibus in locis, & à cuiuſmodi hominibus, & quanta cum pernicie populi Chriſtiani ſpargerentur: tum verò conſiderare ac ſedulò perpendere, quibus erui atque exſtirpari modis poſſent. Placuit denique falſa & rectæ fidei contraria dogmata breui ſcripto comprehendere, atque vnà cum auctoribus ſuis meritâ anathematis notâ inurere: ac ne quem eccleſię Catholicę filium hæc laterent, partim in ſacris cœtibus hęc Pontificum decreta promulgare, partim ſcripto cum fratribus cõmunicare. Qui poſtquam intellexerunt talia dogmata à cunctis vnanimitet Præſulibus, viris doctrina ac ſanctitate eximijs, execranda ac deteſtabilia haberi, eorúmque auctores ac participes à ſacrorum communione, & piorum ſocietate arceri; tum ab eis, tanquam à peſtibus quibuſdam, vulgò omnes abhorrere, & Gallicanæ eccleſiæ, eradicatis funditus zizanijs, ſolutæ ac liberę, deinceps magna in pace floreſcere. Conſcripta huius concilij Acta cùm in Græciam emanaſſent, diúque conſeruata eſſent; tandem exceptis pauculis, (quę quidam conciliorum abbreuiator in ſuam retulit gręcam epitomen) ſeu iniuria temporum, ſeu quorundam maleuolentia, qui ſe hiſce Actis confodi ſentiebant, malè interierunt. Indicat autem illa Epitome, hanc ſynodum aduerſus hos pręcipuè hereticos coactam eſſe, Valentinum ſcilicet, Secundum, Marcionem, Baſilidem, Saturninum, Carpocratem, Ebionem, Hermo-

Hermogenem, Alexandrum ærarium, atque alios eorum participes. Itaque huius auctoritate Synodi, & bonorum Pastorum ad sua reuersorum cura ac diligentia, omnis istorum hæresiarcharum fama per Gallias concidit, atque etiam extra Gallias tantorum virorum communi denotata iudicio infamis fuit. Neque id solùm boni, è sacro illo cœtu, (quamuis nec paruum illud, nec mediocre) emanauit; sed alia quoque, vti è talibus concilijs ferè assolet, non pauca effluxere commoda. Nam & inter ipsos Episcopos, & inter Sacerdotes itidem Episcoporum comites (quorum antehac alij alijs ignoti erāt) amplior cognitio, firmior concordia, caritas ardentior, & ex mutuis virtutum exemplis sanctior æmulatio, & studium diuini honoris exstitit inflammatius. Hinc cùm aliquæ in Gallijs vineę Domini partes superessent, quæ nouis cultoribus indigerent, incitatus est vniuscuiusque Antistitum animus, vt illò intra diœceseos suæ terminos operas mitteret necessarias, si haberet; si non haberet, saltem in futurum præpararet. Atque hæc est illa altera via, quam ad procuranda ecclesiæ, fideíque Christianæ incrementa prospectasse sanctissimum ac prudentissimum Irenæum, suprà attigimus: nempe tales vt prouideret in sacris ordinibus Presbyteros & Diaconos, qui & succedere oneri Episcopatus dignè possent, & ad deducendas in opportuna loca religionis nostræ colonias apti esse iudicarentur. Vtrumque porrò idem beatus vir cumulatè præstitit. Nam & aliquos Pontificiæ dignitati idoneos effecit,[d] in primísque Zachariam è Presbyteris suis vnum, tam egregia virtute ac sanctimonia virum, vt quasi diuina manu in ecclesiæ Lugdunensis sede primaria, post eiusdem Irenæi martyrium, constitutus sit: & nonnullos item ad nouas fidei condendas colonias, & doctrinæ Christianæ semen in agris antehac incultis conserendum, aptissimos misit. Quosnam autem?[c] Nempe primo Ferreolum Presbyterum, & Ferrutionem Diaconum, viros egregia pietate & doctrina, Vesontionem, *quod est oppidum maximum Sequanorum*, vt scribebat olim Iulius Cæsar, vt nunc loquimur, Burgundiæ vrbem clarissimam: deinde aliquanto pòst, nec multò ante suum martyrium, Felicem, & Fortunatum, & Achilleum, (quorum hi duo Diaconi, ille autem Presbyter erat) Valentiam Allobrogum allegauit: haud tamen priùs, quàm & insignia virtutis ipsorum exempla percepisset, & nonnullos alios è populo electos, ac spectatæ probitatis nomine commendatos, in sacri ministerij sortem adlegisset. Erat enim iuxta Apostolorum doctrinam in ijs, quæ ad officia rerum diuinarum, & ecclesię disciplinam spectant, perquam diligens & attentus: nec quemquam facilè sinebat in celsiorem gradum conscēdere, nisi antè in eo, quem tenebat, virtutem altiore loco dignam, dictis factísque præstitisset. Ac de horum quidem, quorum iam memini, sanctimonia, egregiísque meritis, erit pòst suus dicendi locus.

Iulius Cæsar lib.1. De bello Gallico.

cus. Nam magiſtri ipſorum Irenæi alię priores palmæ priùs exequendæ ſunt. Vocat enim ad ſe beata illa Pax, quam noſter hic Præſul, cùm in receſſu eſſet, velut iniecta manu retinuit.

CAPVT XI.

Irenæi in pacificandis eccleſiis, Victore Pontifice, egregia opera, & virtus magnifica.

[a] QVas res beatus Irenæus Eleuthero Pontifice geſſerit, quantámque non pro ſuâ tantùm, ſed etiam pro vniuerſa eccleſia operam ſtudiúmque nauauerit, ſiue in Chriſtiana doctrina, veteribúſque traditionibus aſſerendis, ſiue in hæreſum monſtris; hoc eſt, lupis ac vulpibus ab agro Domini, & vinea electa propulſandis, (quâ quidem tenus erui ex antiquitate potuit) ſuprà monſtrauimus: nunc ad Victoris, qui tertiuſdecimus fuit Romanę vrbis Epiſcopus, tempora accedimus: & quæ illi ſubſidia magnis in moliminibus vir ſanctus adduxerit, explicatum ſuo ordine aduenimus.

[b] Lis erat inter Chriſtianos haud mediocris, de vnâ certáque die ſolēmnitati Paſchatis vbicūque gentium aſſignandâ. Nam Romani aliíque Occidentales Dominicam tenebant, Syri autem & Aſiani decimam quartam lunam, (quæcumque demum ea dies eſſet) præferebant. Rem igitur à maioribus ſuis ſæpenumero tentatam, ſed nōdum effectam, ſperabat Victor (vt acri ſpiritu, & rara animi magnitudine pollebat) ſeu vi rationum, ſeu dignitatis ſuæ faſtigio, ſeu interminationis pondere, tandem euincere. Nam æquiſſimum eſſe arbitrabatur, (& re vera erat) vt prima ac præcipua totius eccleſię ſolemnitas vno eodémque tempore, vna eadémque die, (nempe dominica, dierum regina) per vniuerſas orbis catholici partes (quâ quidem tenus naturę conditio permitteret) conformibus & animis & ſententijs celebraretur.

Nam antehac difformitas ſemper in alijs, atque alijs nationibus fuerat: propterea quòd ab initio nihil fuiſſet communiter ab Apoſtolis, priuſquam à Spiritu ſancto in diuerſa ſegregarentur, de certo celebrandi Paſchatis die conſtitutum. In Syria enim, atque Aſia, viciniſque regionibus, propter immenſam Iudæorum ad fidem conuerſorum multitudinem ([d] quippe his à principio, & quidem ſolis, fidei credebantur myſteria) ſicut quidam veteres ritus è priſco Moyſis inſtituto permittendi ad tempus fuerunt; ita etiam ac multò quidem magis ſuarum dies ſolemnitatum, præſertímque Paſchatis, viſi ſunt neceſſariò aliquamdiu relinquendi. Si enim circumciſio, durum illud onus legis, tanta cum difficultate abrogata eſt; quid futurum fuiſſet, ſi de paſchate antiquando, ceteriſque ſimul antiquę legis feſtiuitatibus, cum ſuis cęrimonijs ac ritibus continuò abolendis, actum

actum esset? Vel ex vno certè facto non obscura fieri potest hac de re coniectura. Multi enim à Christi resurrectione, iam fluxerant anni, à diuisione autem Apostolorum haud etiam pauci: (quippe annus erat à Christi ortu circiter quinquagesimus octauus) & tamen Paullus, vas illud electionis, ille feruidus Christi & Christianæ legis æmulator, non modò pati coactus est veteres illos, licet Christi sanguine iam oblitteratos ritus à Iudæis nuper Christianis obseruari; sed etiam ipsemet iussus est apertè & propalàm, vitandæ tollendæue offensionis gratiâ, eosdem obseruare. Nam cùm aliquando Hierosolymam ab orbis peragratione, & Gentium instructione reuertisset, ac Iacobum Apostolum ex officio salutatum adijsset, illíque & cunctis senioribus vnà congregatis ea enarrasset singillatim, *quæ* *Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius*, & illi tantis rebus auditis magnificassent Deum, postremò dixerunt illi: *Vides, frater, quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse, eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum, dicens nō debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se: his assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderūt ex Gentibus, nos scripsimus iudicantes, vt abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Actor. 21. vers. 20. & deinceps.

Ita illi, hoc est, Iacobus Apostolus, & qui cum illo erant seniores è Christi discipulis. Quid autem Paullus? Nempe non detrectauit eorum sequi consilium, quos Dei spiritu agi non minùs quàm se, iudicabat; sed illis assensit, & legem se custodire, quam inter Gentes abrogatam prædicabat, rebus ipsis ostendit. Subdit enim Scriptura: *Tunc Paullus assumptis viris, postera die purificatus, cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* hoc est, Paullus Apostolus secundùm legem Moysi, rasit caput, sacrificia obtulit, *factus Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucraretur, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege esset, cùm ipse non esset sub lege; vt eos qui sub lege erant, lucrifaceret: ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege esset (cùm sine lege Dei non esset, sed in lege esset Christi) vt lucrifaceret eos, qui sine lege erant.* Vnde & clamabat: *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.*

Numer. 6. vers. 18.

1. Cor. 9. vers. 20.

Ibidem vers. 22.

Vt autem Paullus & Iacobus; sic & alij fecerunt Apostoli. Permiserunt scilicet Iudæis nuper ad fidem Christi conuersis, vt legem suam obseruarent, immo & vnà cùm illis tantisper ipsi obseruarunt, ita videlicet

videlicet progredientes in piscatu hominum, sicut periti piscatores in captu piscium. Hi enim non quàm primùm pisces deglutire hamum viderint, eũ confestim retrahunt; sed quasi cedant, ad aliquantũ spatij consequuntur, donec altè in ima viscera defixus sit hamus, túmque demum bene adhamatam prædam securè extrahunt. Ita scilicet Apostoli quoque rem gessere. Hamum enim nouæ Christi disciplinæ in Iudæorum mentes proiecerunt; illi autem hamo deuorato, ipsos piscatores ad circumcisionem, ad dies festos, ad temporum obseruationes, ad legis sacrificia, ad rasiones capitum traducebant: hi porrò prudenter & dolo bono ita sequebantur, vt illos magis ac magis hamo assuefacerent, & assuefactos, Christóque penitus adstrictos, tum denique ex antiquarum cærimoniarum oceano, tanquam è mari mortuo, reluctari iam non valentes tutò extraherent. Quare vt ritus alios; ita & suum Pascha, & suam Pentecosten illis aliquantisper reliquerunt: sic tamen, vt satis præ se ferrent, non esse hæc deinceps ad salutem necessaria: cùm nec Gentiles ad illa adstringerent, & Iudæos identidem ad veram ac perfectam in Christo libertatem prouocarent. Ita ergo sensim & suauiter à Iudaicis ritibus ad Christianos mores abducti sunt: sed tamen, vt paschalem solemnitatem alio quã à lege præscriptus esset, die celebrarent; obtineri ab omnibus tam citò non potuit. Permissum proinde est, ijs maximè, qui in Syria & Asia degebant, Christianis, vt suam celebrandi decimaquartâ lunâ Martij consuetudinem retinerent. Verùm permissionem hanc atque indulgentiam, temporis præsertim diuturnitate inueteratam, quasi legem & constitutionem Apostolicam malè quidam interpretati sunt. Hinc & alias ecclesias procul remotas, & è Gentilibus maximam partem conflatas, (quarum proinde nihil intererat, seu hac, seu illâ die pascha celebrarent) in suas conati sunt partes pertrahere. Quin & ipse S. Polycarpus, beati Ioannis Euangelistæ discipulus, Romam cum venisset ad Anicetum Pontificem (vti in eiusdem beati Polycarpi vita attigimus) ei persuadere conatus est, vti morem Asiaticum, celebrandi decimaquartâ lunâ paschatis, (quem semper tenuisset dilectus Christi discipulus) sequi non dedignaretur. Verùm Anicetus, qui aliam à maioribus suis imbiberat Romæ consuetudinem, nõ modò non assensit Polycarpo hæc suadenti; sed totus etiã in eo fuit, vt ipsummet Polycarpum ad Romanũ morem, atque ad diẽ Dominicã traduceret.[1] Præterquã enim, quòd ita à sanctis Apostolis Petro & Paullo Romæ tum degentibus proditum esse vulgò tradebatur,[2] accedebat etiam recens sub Pio Pontifice (vt passim quidem credebatur) facta reuelatio: nempe S. Hermeti apparuisse in forma pastoris Angelum, ac præcepisse, vt sanctum Pascha die dominica celebraretur. Sed neque sic persuadere S. Polycarpo S. Anicetus potuit, vt à prisca sua atque ad illum diem seruata consuetudine discederet.

PISCATORES HOMINVM SIMILES PISCATORIBVS PISCIVM.

LEGIS VETERIS RITVS AC CÆRIMONIÆ SENSIM ABOLITA.

Bar. anno Christi 159.

deret. Quo igitur loco res tum erant, eo relictę ſunt; nihilque, nec in Italia, nec in Aſia, nec vſquam alibi innouatum: ſed nec partes, licet diſcordantibus ſententijs, diſcordes fuere animis: verùm idem amor, qui ipſos, vtpote ambos ſanctos, ambos Epiſcopos, ambos martyrio deſtinatos, Chriſto adſtrinxerat, adſtrictos quoque inter ſeſe retinuit, ſolidóque parium virtutum vinculo ad palmam vſque copulauit. Ac bene quidem res eccleſię habuiſſent; ſi tantorum virorum poſteri, exempla ipſorum ſecuti, dimiſſis in poſterum eiuſcemodi diſceptationibus, ac iurgiorum, & diuiſionis ſeminibus, pacem inter ſeſe agitaſſent, ac ſe totos, ſua cuique ſtante ſententia, ad faciendos in fide & virtute progreſſus contuliſſent. Verùm exorti ſunt quidam, non tam ſcientia, quàm opinione ſcientiæ inflati, ac ſuo iudicio, (quod ferè conſequi natum eſt) nimio plus præfidentes, (inter quos & Blaſtus ille fuit, germen malum, de quo me in ſuperioribus agere memini) qui omnes egreſſi modeſtiæ terminos, maiorum ſuorum damnare facta, impugnare ſententias, & Romæ Romanos ritus, licet probos, & ijs, quos inducere tẽtabant, lõgè meliores, atque à multis Romanis Pontificibus approbatos & vſurpatos, magna impudentia improbare auſi ſunt; & quantum etiam in ipſis fuit, funditus conuellere. Sic enim ipſi principem illam Paſchę ſolemnitatem (quæ ex longiſſimo tempore in diem dominicam, & Romæ, & alibi traducta erat) lunæ decimæquartę adſtrictam eſſe pertendebant; vt alio die eam celebrare nefas eſſe, aperta fronte iactarent. Cuius mali venenum, cùm & cupidè à nonnullis hauriretur, & in dies magis magíſque proſerperet, optauit Victor Pontifex, & pro virili ſuâ elaborauit, vt ſola dies dominica ab omnibus omnino tam Orientalibus, quàm Occidentalibus eccleſijs, ad tantę ſolemnitatis obſeruationem ſuſciperetur. Quod quò faciliùs impetraret, ad primarios earum Rectores ſuper eodem negotio litteras dedit, eóſque maiorem in modum eſt cohortatus; vt, quo valerent conſilio & auctoritate, alios ſuę nationis Epiſcopos ac Presbyteros, ad hanc cum Romana eccleſia conformitatem adducere conarentur. Quarum S. Victoris litterarum geminas etiamnum ſuperſtites habemus, quarum priores ad B. Dionyſiũ Viennæ in Gallia Epiſcopum miſit; alteras poſt eius mortem ad S. Paracodam ipſius in eadem eccleſia ſucceſſorem. Atque, vt quemadmodum ex limbo pannus, quod aiunt, ſic ex vnius epiſtolæ membro ſpiritus hominis cognoſcatur, illam priorem epiſtolam ſic exorditur:

VICTOR EPISCOPVS DIONYSIO VIENNENSI EPISCOPO SALVTEM.

[b] *Sicut ſancta fraternitas tua à Presbyteris, qui Apoſtolos in carne viderunt, erudita eſt, qui & eccleſiam vſque ad tua tempora rexerunt, non*

non decimâ quartâ lunâ cum Iudæis, sed decimâ quintâ vsque ad vigesimam primam Pascha Catholica Ecclesia celebrauit. Non enim iam vmbram, sed veritatem, quæ vmbrâ legis celabatur, quærit. Hanc doctrinam Romæ Petrus & Paullus instituerunt: vt in azymis sinceritatis & veritatis Pascha ageretur. Qui enim cum Iudæis Pascha agere volunt, quid nisi vmbram diligunt? vt agni carnes non in veritate, sed in vmbra figurante manducent? Et infrà: *Collega beatissime, Christi Ecclesiam non in vmbra, sed in veritate supra solidam petram fundatam doceamus: vt audiamus cum Apostolo Petro: Beatus es Simon filius Ioannis, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Per tuam ergo fraternitatem Presbyteris Galliarum litteræ mittantur, vt obseruent Pascha, non cum Iudæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum prædicantibus veritatem Christi. Salutat te collegium fratrum. Saluta fratres qui tecum versantur in Domino. Eubolus, qui epistolam fert Viennam de collegio nostro, tecũ viuere & mori paratus est: quẽ suscipe in Domino Iesu Christo. Vale.* Postquam verò idem Pontifex minùs apud aliquas nationes eâ viâ se profecisse animaduertit, tum velut secundâ, quod aiunt, nauigatione, ad indicendas, aut deposcendas potiùs synodos prouinciales adiecit animum: & litteras ad primores Ecclesiarum Antistites super ijs cogendis dimisit, postulauítque, vti ad diei Paschalis vbique conformitatem seriò incumberent. Tum ergo & in Palæstinâ concilium habitum est, cui S. Theophilus Cæsariensis Ecclesiæ, & S. Narcissus Hierosolymitanæ Episcopi præfuere; & in Ponto, vbi Palmas, tanquam antiquissimus, præsedit; & in Achaia, vbi Bacchylus Corinthiorum Antistes; & in Osroëna, atque alijs in prouincijs, vbi earum præcipui Pastores cœtus moderabantur; vti & in Italia ipse Victor, & in Gallia Irenæus, & in Asia Polycrates. Atque in alijs quidem nationibus fere ex Pontificis summi voto res successit: sed in Asia, & Syria, & alijs finitimis populis (vbi, si vsquam alibi, maximè tum florebat ecclesia) vti ab antiqua sua consuetudine discederent, impetrari non potuit. Noluerunt enim Paschalem celebritatem soli Dominico alligare, sed liberam, vt retro sub maioribus suis vsque ad S. Ioannem Apostolum & Euangelistam fuisse meminerant, remanere voluerunt. Ita illam subinde secundâ, subinde tertiâ, subinde quartâ, subinde aliâ die, prout Iudæorum Pascha incidebat, tum ipsi, tum vicini ipsis populi in Oriente obseruabant. Nam & Syros, & Cilices, & Mesopotamianos isti penitus adhæsisse opinioni satis in confesso est. Victor igitur hanc Orientalium à maiori & potiori Ecclesiæ parte in aliam sententiam discessionem peræ grè tulit: & sanè meritò. Quippe per quos solos staret, quo minùs vna eadẽque dies, omnem Christianum populum per quascumque terras diffusum, de cō-

muni præcipuæ solemnitatis gaudio, & spiritali lætitia, simul atque vnanimiter haberet exsultantem. Quare, cùm aliter id, quod instituerat, nequiret euincere, grauissimis aduersus eos inferendæ excommunicationis vsus est minis. Verùm nec eæ quicquam profuere. Nã Polycratis apud suos auctoritas, Victoris imperio & minis, adeóque & excommunicationis fulminatione superior fuit: nec aduersus illũ atque adhærentes illi Orientales populos, donec illa generalis & omnium victrix Nicæna prima synodus imperante Constantino magno haberetur (habita est autem plùs centum annis ab hac controuersia) obtineri quicquam potuit. Nam tanta Pontificis seueritate exacerbatus Polycrates, Ephesi tum Episcopus, & primas Asiæ, synodicam illam contra eum scripsit epistolam, cuius membrum aliquod totidem verbis, quot ex Eusebio eius interpres S. Hieronymus, ad ostendendum viri ingenium & auctoritatem produxit, hic reponam.

Euseb l. 5. c. 23. Hieronymus lib. De Scriptoribus eccl.

POLYCRATIS EPISCOPI EPHESINI VERBA DE SOLEMNITATE PASCHATIS.

[l] *Nos igitur*, inquit, *inuiolabilem celebramus diem, neque addentes aliquid, neque dementes . Etenim in Asia luminaria maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de cælis in maiestate sua, & suscitaturus omnes sanctos, Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormiuit Hierapoli; & duas filias eius, quæ virgines senuerunt; & aliam eius filiam, quæ Spiritusancto plena in Epheso occubuit . Sed & Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, & Pontifex fuit auream laminam in fronte portans, martyr & doctor in Epheso obdormiuit. Et Polycarpus Episcopus & Martyr Smyrnæ cubat . Thraseas quoque Episcopus & Martyr de Eumeniâ, in eadem Smyrnâ requiescit . Quid necesse est Sagaris Episcopi & martyris recordari, qui in Laodicea soporatur? & Papyrij beati, & Melitonis in sancto Spiritu eunuchi, qui semper Domino seruiens, positus est in Sardis, & exspectat in aduentu eius, resurrectionem? Hi omnes obseruauerunt Paschæ diem decimaquartâ lunâ,* [m] *ab Euangelica traditione in nullam partem declinantes, & ecclesiasticum sequentes Canonem. Ego quoque minimus omnium vestrûm Polycrates, secundùm doctrinam propinquorum meorum, quos & secutus sum (septem siquidem fuerunt propinqui mei Episcopi, & ego octauus) semper Pascha celebraui, quando populus Iudæorum Azyma faciebat. Itaque, fratres, sexaginta quinque annos ætatis meæ habens in Domino, & à multis ex toto orbe fratribus eruditus, peragrata omni Scriptura non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim maiores mei:* OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS, QVAM HOMINIBVS. Huc vsque ex Hieronymo.

Actor. 5. ver. 29.

Adiecit deinde idem Polycrates de Episcopis, qui ei aderant scribenti, & eadem cùm ipso sentiebant, in hunc modum:

Possem & Episcopos, qui mecum fuerunt, commemorare, quos à

vobis rogatus, vt accerserem, accersiui: quorum si scribere velim nomina, nimis multa sint. Qui licet paruitatem meam non ignorarent, tamen huic epistolæ subscripserunt, scientes me istos canos non frustra gessisse; sed in Christo IESV semper ætatem exegisse.

Hactenus verba Polycratis antiquam ecclesiæ suæ consuetudinem mordicus retinentis: ad cuius æquitatem, animique moderationem haud dubiè spectabat, postquam se vinci tot numero sententiarum videret, ac propè omnem reliquum orbem terrarum in vnum conspirare animaduerteret; non stare suo sensu, neu tot aliorum Primatum iudicijs vnum suum anteferre: sed potius cùm suam, tum suorum opinionem ad supremi Pontificis tam piam & tam pulchræ cōformitatis adeo studiosam voluntatem accommodare. Sed nimio (vt sæpe fit) auitarum consuetudinum ardore abreptus, in communiorem Latinorum sententiam, tametsi & meliorem, adduci nequaquam potuit. Quod cernens Victor, atque etiam recogitans plus facta ipsa fortassis habitura ponderis, quàm verba: & inflictas pœnas, quàm intentatas minas, amplius valituras; aggressus est totam Asiam, nisi in hoc sibi assentiretur, ab Ecclesiæ cōmunione rescindere. Durum telum, necessitas, quod aiunt. Sed necessarium existimabat supremus Pontifex tam duro vti telo: quoniam eo vulneratos, sic tandem id, quod integri respuebant, admissuros sibi persuadebat. Sed nō ita fuit. Nihil enim (heu dolor!) sic effectum est; & acutissimum licet telum haud penetrauit. Tam certa scilicet, & tam omnis delicti secura illis sua conscientia habebatur, vt esset (quemadmodum ipsi quidem iudicabant) inuulnerabilis: atque adeo hanc celebrandi paschatis rationem haud magis sibi fraudi esse debere autumabant, quàm olim S. Ioanni, illi dilecto Christi discipulo & Euāgelistæ fuisset, qui eadem die & eodem ritu semper celebrasset. Itaque inualidū & imbelle telum in innocente conscientia Pontificiam esse excommunicationem dictitabant. Cùm ergo fructus è tam graui censura prouenirèt nullus: immo Ecclesia tam insigni priuata membro immane damnum faceret; suâ interesse iudicarunt sancti Episcopi, vt communem Pastorem seriò admonerent, caussam quidem eius, (pro qua & ipsi starent,) satis probari: sed seueritatem, quæ tanto alligata esset dispendio, minimè comprobari: fore enim tempus aliquando, cùm id susciperent voluntarij, quod nunc detrectarēt coacti: denique minus esse malum, aliquam in diuersis membris actuum discrepantiam, cùm nihil deroget fidei (hanc autem ducentis propè annis derogasse nihil) quàm talem ac tam violentam integrorum membrorum à corpore suo discissionem. Inter alios porrò Episcopos pacis studiosos, eius princeps auctor & procurator fuit B. Irenæus: cui proinde Ecclesia Romana duorum insignium beneficiorum acceptā referre debet gratiam: Vnius quidem, quòd cùm ipse B. Polycarpi discipu-

VICTOR PAPA ADMONETVR AB EPISCOPIS.

discipulus & sectator, alio die quàm Romani hactenus, siue in Asia cum Magistro Polycarpo, siue in Galliis cum S. Pothino martyre, paschalem obseruasset solemnitatem, tantæ tamen hac in re æquitatis, & in summum Pontificem obseruantiæ fuerit, vt cùm ei se facilè accommodarit, tum etiam Gallos ad idem præstandum, quà ratione, quà auctoritate induxerit.[o] Lugduni enim concilium habuit, in quo cum tredecim Episcopis, de solemnitate Paschatis, dominico die ac non alio celebrandâ, conformiter Pontificiæ voluntati sententiam dixit, ac decretum constituit.

Alterius verò, quòd tantam Ecclesiæ portionem, quanta est Asia, Romano coniunctam Pontifici, vel cùm mox amittenda esset, reseruarit: vel, cùm amissa esset, reddiderit. Nam in proximo dissidij exitialis periculo, antequam vehemētiùs Episcoporum inter sese studia contraria accēderentur, ac plùs nimio exulcerarentur ambarum partium animi, litteras quaquà versùs pacis & amicitię plenas expediuit: atque ipsum quoque Victorem nominatim scripto conuenit, eúmque edocuit, nec nouam esse hanc, nec vnâ tantùm de re controuersiam; sed omnino antiquam, & de pluribus rebus, atque à pluribus Pontificibus, (quos etiam enumerabat) æquanimiter toleratã. Cuius ipsa verba ex eo ipso scripto cùm mihi nonnulla suppetant, non cunctabor hìc apponere. Sic ergo ad Victorem Papam scripsit:

Apud Eusob. l. 5. c. 24.

IEIVNIORVM QVADRAGESIMÆ DIVERSITAS, ET ORIGO DIVERSITATIS.

Nec enim de die Paschatis solum, inquit, *est controuersia: sed de modo etiam, formáue ieiunij? Nam sunt, qui vnico die sibi ieiunandum putent: sunt qui duobus: sunt qui pluribus: sunt qui etiam quadraginta: & diem suum quidem diuinis simul nocturnisque horis admetiuntur. Talis porro ieiuniorum varietas, non hac nostra ætate cœpta est, sed multo antè apud maiores nostros haud satis hac in re, quemadmodum oportuisset, accuratos; qui nimirum consuetudinem ex simplicitate & priuata deuotione ortam ad posteros transmiserunt. Atque illi nihilominus pacem inter sese retinuerunt; vti & nos quoque retinemus:[q] hacque adeo ieiunij discordia, fidei commendat concordiã.*

Ita de ieiunio ante Pascha, siue, vt iam vocatur, quadragesimali Irenæus: quibus hæc deinde subdit de Paschate:

PRESBYTERORVM NOMINE SIGNIFICANTVR SVMMI PONTIFICES.

Presbyteri, qui ante Soterem fuerunt, quique eidem ecclesiæ, cui nunc præes, præfuerunt, (Anicetum dico, & Pium, & Hyginum, & Telesphorum, & Xystum) quamuis nec ipsi more Asianorum Pascha celebrarent, nec posteris celebrari concederent; ipsi tamen cum ijs, qui sic celebrabant, ad se venientibus pacem habebant (ecquid interea magis contrarium quam inter se illi qui isto, & qui alio modo celebrant?) neque vlli aliquando propter hanc contrarietatem ab Ecclesia eiecti sunt: sed qui ante te fuerunt Presbyteri illum celebrandi modum non seruantes, aduenientibus ijs, qui seruabant, Eucharistiam mittebant. Nam cùm beatus Polycarpus Romam sub Aniceto venisset,

atque ipsi alijs de rebus pauca collocuti facilè conuenissent; ne de hoc quidem, quod erat controuersiæ caput, grauior inter eos exarsit contentio. Non potuit quidem Polycarpo persuadere Anicetus, ne consuetudinem obseruaret, quã cum Ioanne Domini nostri discipulo, & alijs Apostolis, quibuscum versatus fuerat, hactenus obseruasset; neque item Aniceto Polycarpus, vt morem, quem à Presbyteris, maioribus suis acceptum, sibi retinendum dicebat, dimitteret: tamen his ita se habentibus communicabant illi inter sese, atque adeo celebrandæ in ecclesia Eucharistiæ partes detulit, reuerentiæ caussâ, Anicetus Polycarpo; sicque ambo cum pace discesserunt, vniuersâ Dei ecclesiâ tam eorum, qui dictum morem obseruarent, quàm qui non seruarent, pacem amplectente. Sic ille.

Credibile est porrò Victorem his Irenæi dictis pacificis, aliorúmque item Episcoporum sanis consilijs acquiescentem, iam vibratum excommunicationis telum reduxisse, atque Asianos in suæ consuetudinis antiqua possessione quietos reliquisse. Vnde si quipiam pro illo tempore, Quartadecimanorum illis nomen, quasi titulum hæreseos, affigendum putent; næ ipsi valde falluntur animi: non hæresis ea fuit, sed diuersa tantùm ex permissu Pontificum consuetudo. Pax enim illis & communio cum ecclesia semper fuit: quamuis quartadecimâ lunâ, (vt antè cum Apostolis fecerant) vsque ad Nicænam synodum (quæ Constantino Magno imperante fuit) semper pascha celebrarint. Sed in eo concilio, cùm generale & ex omnibus conflatum esset nationibus, ipsíque interessent; dederunt, (vti æquum erat ac necessarium) victrici sententiæ manus. Quòd si autem aliqui post tanti definitionem concilij, siue in Asia, siue in Italia, siue alibi, obstinatè ac pertinaciter diem decimam quartam ita retinere institerunt, vt illâ & non aliâ die eam obseruandam esse celebritatem contenderent; tum meritò & hæretici habiti, & in Quartadecimanorum classem à SS. Patribus sunt relati.

Quamuis qui & ante id concilium ea mente dictam diem introducere cum Blasto Romæ laborarunt, quòd aliâ celebrari nefas esse crederent, meritò in hæreticis censi sint, præsertim cùm ab aliquot iam Pontificibus Romæ decretum ac stabilitum scirent, non aliâ die, quàm dominica, istam Domini præcipuam celebritatem esse deinceps obseruandam.

Sed de hac controuersia, & de beati Irenæi, verè iuxta nomen suum pacifici, egregia ac perutili opera hactenus satis: nunc ad supremam eius palmam, & vnicum Christianæ fortitudinis, atque immensę in Deum opt. max. caritatis fastigium ascendamus.

CAPVT XII.

Irenæi, Zephyrino Pontifice, & Seuero Imperatore, extremi pro Ecclesia labores, & nobile Martyrium.

POst conciliatam inter ecclesias, vnius præcipuè Irenæi operâ, pacem atque concordiam, sæua ac truculenta ab Seuero Imp. aduersus rem Christianam persecutio commota est. Afer is erat, [a] & sub initia quidem imperij, quamuis asper in alios, nihil tamen molitus est in Christianos: verùm vbi secundæ fortunæ vento elatus, aut veneno potiùs nimiæ prosperitatis imbutus atque infectus fuit; tum omnem virtutis gustum prorsus perdidit: tum amare, quæ oderat; & odisse, quę amarat, cœpit: tum & tueri malos, & aduersari bonis: [b] tum & Christianos peræquè & Iudæos infestare, atque ad internecionem persequi instituit. [c] Quod sub annum eius imperij decimum (imperauit autem octodecim) præcipuè accidisse, litteris traditum est. [d] Sexta hæc fuit persecutio, eáque præ superioribus tam acerba, [e] vt istorum scriptor temporum Iudas Chronographus haud procul Antichristi abesse aduentum (tanta erat hominum perturbatio) existimauerit. Tum ergo Irenęus, tanquam Christianę in Gallijs dux militiæ (ibi enim, & in Asia potissimùm ea vis belli sęuiebat) suos ad arma spiritualia incitare: ad fidei & veræ pietatis exercitia inflammare: ad crebras ac feruidas precationes vel vltro currentibus calcar addere: ad mortem denique, qua nihil queat esse gloriosius, pro Christo oppetendam, verbis incendere. Nec enim dubitari potest, quin ipse superioris illius infestationis, quę M. Aurelio Antonino Imp. Lugdunum diuexarat, acerba tempora illis in memoriam reuocarit: quin & beata illa nomina Pothinum Episcopum, Maturum, Sanctum, Attalum, aliósque eorum fortissimos commilitones, & in proxima vexatione perillustres martyres commemorarit: quin & in sexu quoque infirmiore inclitam animo ac virtute Blandinam, (cui nihil in tenerrimo corpore, nisi inuicta Dei gratia vires tormentis pares, & robur ipsis tortoribus admirandum præstiterit) ipsis ad spes in Dominum excitandas, crebrò vsurparit. Denique tam solida eius institutio fuit, tam valida & efficax in hoc tempore cohortatio, vt multis persuaserit hominum millibus, morti cuilibet potiùs, quãuis atrocissimæ, secum vnà occumbere, quàm vllis aut tortorum minis cedere, aut promissis Præsidũ ad Christi iniuriam succumbere. Et cùm vna illum cogitatio valde sollicitum haberet, quis se mortuo curam gregis habiturus esset, quis in fide confirmaturus derelictos, hac eum sollicitudine diuina prouidentia benignè liberauit. [f] Nam illi aliquando simul cum Zacharia Presbytero in precationibus pernoctan-

Spartianus in Seuero
Euseb. in Chronico.
Sulpit. l. 2. hist.
Euseb. l. 6. c. 6.
Seuertius de Lugdun. Archiep. parte 1. c. 3.

noctanti adfuit nocte intempeſtâ, cum ingenti claritate, Domini Angelus,& de Zacharia futuro eius ſucceſſore, fratrúmque ſuorum confirmatore edocuit: quin & præceptum addidit,quo ipſe eundem Zachariam tutis obtegi latebris,atque ad alia ſeruari tempora imperabat. Ita nimirum pro ſuis fidelibus famulis diuina ſemper excubat prouidẽtia.Ita ſemper *OCVLI EIVS SVPER IVSTOS,ET AVRES EIVS IN PRECES EORVM.* (Pſal. 33. ver. 16.) Meſſuerat antea Pothinũ: diſtulerat Irenæũ: nunc metit Irenæum: differt Zachariam;ſapienter ſcilicet ſua ſingulis tempora dimetiens,& laboris & quietis;& certaminum,& præmiorum. Quę res ſanè maiorem in modum pios Chriſti aſcetas ad totam ſpem ſuam in Deo opt.max. (cui ſe curę cordíque eſſe intelligant) ſecura mente reponendam, excitare debet. Irenæus igitur è ſuperiore perſecutione ad curam gregis poſt Pothini martyrium reſeruatus, nunc demum poſt egregios labores, poſt ſanctè inſtitutam plebem,poſt diſcipulos (de quibus proximè agetur) in varias Galliæ partes dimiſſos,poſt vniuerſum denique populum ad inſtans pro Deo certamen egregiè animatum,ipſe tam meritorum plenus,quàm dierum,(nempe annos natus ſaltem octoginta quatuor) ad ſupremum certamen euocatur.

SEVERI IMP. PERSECVTIO.

Erat annus Chriſti Domini circiter ducenteſimus quartus,& Zephyrini Papæ ſecundus, Seueri Imp. decimus,cùm immani in omnes Chriſtianos odio ac rabie, tam tyrannus ipſe Septimius Seuerus, quàm improbi eius aſſeclæ in Eccleſiam debacchari cœperunt, atque in ipſos præcipuè duces ac rectores (quos inter inſigni florebat nomine atque exiſtimatione Irenæus) furorem omnem effundere. Comprehenſus igitur,atque ad defectionem à Chriſto & vero Deo, propoſitis modò præmijs,modò ſupplicijs,variè ſollicitatus, ſemper firmus,ac rupis inſtar,in ſincero fidei propoſito immobilis ſtetit. Nam & cùm à Seuero Imp. (quemadmodum litteris proditum reperitur) inter duos colles conſtitutus,in quorum vno fixa crux erat, in altero poſitâ Iouis ſtatua, interrogatus eſſet, vtram in partem inclinaret,& Iouémne cruci, an crucem Ioui præferret; ipſe actutum (vt cui nihil cruce amabilius,nihil Chriſti morte optabilius accidere poterat) ſpreto Ioue,quem ſimiliter inferorum portis exoſum habebat, crucem præferre: quin etiam corde & animo ad crucem totus anhelare, & quanto in eam mentis ferretur impetu,non obſcuris indicijs palam facere. Confeſtim igitur mille conuitijs,probris,maledictis,iniurijs, verberibus vndique appeti: ſed ille hęc omnia in lucro ponere, & crucem inſuper votis omnibus peroptare: qua tamen ipſa defraudari,maior illi & verior crux fuit. Viſum enim tyranno fuit pro cruce gladium ſupponere, & cunctos Chriſti athletas vna extremæ mortis ſententia comprehenſos, reſectis ceruicibus è medio tollere. Verùm,quia beatæ huius militiæ duci plus venire conueniebat

CRVCIS AMOR ET DESIDERIVM IN IRENÆO.

ueniebat gloriæ, quàm militi; [i] ipse non vno genere supplicij, sed multis: nec exiguo temporis spatio, sed protenso in longum cruciatu, ad exsaturandam immanem tortorum feritatem primò excarnificatus est: deinde pari omnium exitu, tam ipse, quàm tota ipsi adhærens multitudo, capitis obtruncatione peremipti sunt.

Tanta porrò ea fuisse multitudo prædicatur, quæ Lugduni per eam tempestatem vnà cum Irenæo cruentam mortem oppetijt; vt per vrbis vicos, [k] Christiani fluenta sanguinis decurrerent. Felix proinde, & térque quatérque beata terra illa, quę tot generosorum athletarum tam precioso rore irrigata est. Sed multò etiam felicior ac beatior inuictissimi Irenæi anima, quæ tanto cincta comitatu; ac tot penè ornata victoriæ laureis, quot stipata martyrij socijs, in cæleste IESV palatium triumphabunda conscendit. Sed neque corpus, licet truncum, sui expers honoris fuit. Nam illud summa diligentia requisitum, tandémque obtentum Zacharias gloriosi martyris in sede Lugdunensi successor, pro suo erga optimum patrem ac fortissimum martyrem, & sacras itidem reliquias singulari studio, decenter ac religiosè compositum crypta in abditissima condidit, atque [l] inter SS. Epipodij atque Alexandri martyrum (qui in priore infestatione eandem sub M. Aurelio Antonino palmam meruerant) sacras exuuias deposuit. Vbi cùm diu, impiorum Principum iniquis temporibus, soli cognitum sancto populo delituisset; tandem vera Fide supra Gentilitias superstitiones caput attollente, in templum nomini suo dedicatum, pio, solemníque ritu translatum est. [m] Illic autem tanta olim eius veneratio fuisse fertur: vt nec ipse Canonicorum Lugdunensium ordo sacer ad sanctum illud pignus attrectādum, nisi nudis pedibus, & expiatâ, in sancti honorem, peccatorum sordibus animâ, auderent accedere: neque item quisquam ciuium aut peregrinorum, nisi eadem seruata religione, ad illud visendum admitteretur. Religionem porrò tanta comitabatur sancti martyris gratia, tantáque prodigiosorum beneficiorum multitudo, vt tres de ijs conscripti libri exstitisse referantur; qui quidem libri illa temporum iniquitate, (quâ hęreticorum efferata rabies rerum impotenter potita, tam ipsam vrbem Lugdunum fœdè dilacerauit; quàm sacra omnia incestis & oculis & manibus & pedibus nefariè polluit, diffregit, conculcauit) vnà cum alijs multis cimelijs interierunt.

CORPORIS S. IRENÆI SEPVLTVRA ET HONORES.

[n] Annus erat à Domini natalitijs millesimus, quingentesimus, sexagesimus secundus, cùm ad diem Aprilis vicesimam nonam ea vrbs ab hæreticis capta, miserum ac lamentabile improbitatis ac nequitiæ spolium fuit: templa autem, aræ, imagines, reliquię, & quicquid sancti & horrendi erat, summę impietatis ludibrium. Tunc siquidem & beatissimi Irenęi venerandum corpus ereptum ex adytis, proiectum in compita, in partes distractum, partim flumine disperditur,

Seuertius de Lugdunensibus Archiep. num. 2.

Acta publica Lugdunensium.

perditur, partim ad contumeliam reſeruatur. Capitis enim craniũ, homines ſceleratiſſimi, per vicos & plateas, pilæ inſtar, quæſita tanto è flagitio voluptate, pedibus protruſerunt: donec tandem in riuulo quopiam pro re nihili derelictum, & à certo chirurgo inſignis probitatis viro clandeſtinè aſportatum, tam diu ſollicitè obſeruatum eſt: donec eâdem vrbe ab Carolo IX. Francorum Rege, depulſis hæreticorum ſtrumis, recuperatâ, priſtino honori per publicam ſupplicationem reſtitutum omnis ordo vidit, omnis populus, vt de reperto theſauro, applauſit. ° Eſt igitur hodiéque ſacrum illud cimelium in *Seuerius §. 9.* æde ſancto Ioanni ſacra, multíſque inibi honoribus ab affluente venerationis cauſſa populo religioſe colitur.

Denique ſanctus Irenæus ob egregios pro Dei eccleſia ſuſceptos labores, ob traductos deuictóſque hæreſiarchas, ob inſignia ingenij virtutíſque relicta monumenta, ob compoſitas eccleſiarum graues diſſenſiones, ob fratres in diriſſima perſecutione ad fidem retinendam, & cruore ſuo, ſi opus eſſet, obſignandam à ſe animatos, ob mortem poſtremò pro Chriſtianis legibus, generosè fortitérque obitam, ſacro Cælitum numero gloriosè adſcriptus, & die ad ſui cultum aſſignato, iure quàm meritiſſimo honeſtatus iam triumphat. Is dies ſacris eccleſię tabulis ad viceſimã octauam Iunij ſic legitur cõſignatus:

Quarto Kal. Iulij, Lugduni in Gallia, Sancti Irenæi Epiſcopi & martyris, qui, (vt ſcribit S. Hieronymus) beati Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi diſcipulus fuit, & Apoſtolicorum temporum vicinus. Is cum aduerſus hæreticos verbis ac ſcriptis plurimum decertaſſet, in perſecutione Seueri cum omni ferè ciuitatis ſuæ populo coronatus eſt glorioſo martyrio. S. IRENÆI MARTYRIVM XXVIII IVNII. Ita Romanum martyrologium. Addit autem Ado eadem die hæc de eius ſepulturâ: *Sepultus eſt à Zacharia Presbytero in crypta baſilicæ B. Ioannis Baptiſtæ ſub altari: cui ab vno latere Epipodius, ab altero Alexander martyr eſt tumulatus. Huius cryptæ tam reuerenda eſt claritas, vt meritum martyrum ſignare credatur.* Ita ibi.

Quis det autem, vt hoc etiam æuo, multi ſancto huic Antiſtiti ſimiles, non modò in Gallia, ſed in omni terræ plaga, reperiantur Antiſtites! VOTVM PRO HONORE EPISCOPORVM. doctrina ſcilicet excellenti, fide eximia, ſtudio tuendæ & amplificandæ religionis ardenti: quorum voluntas ſit, non in terræ latifundijs, ſed in lege altiſſimi; quorum occupatio, non in amicorum commodis & honoribus, ſed in lucris ac profectibus animarum: quorum voluptas, non in carnis immoretur delicijs, ſed in pulchritudine habitet caſtitatis: qui norint denique & infirmos confirmare, & lapſos releuare, & inopibus opitulari, & (quod monet ille magnus Gentium doctor) qui non vereantur *diuitibus huius ſæculi* *1. ad Timotheum 6. ver. 17.* *præcipere, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum; ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare*

zare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam: ac postremò, qui sciant tanquam boni pastores aduersus lupos depugnare, & animam, si opus sit, pro ouibus suis ponere? Quæ omnia, si quis alius, sanè quàm cumulatè & abundanter pręstitit magnus ille Irenæus: per se quidem viuus; per discipulos autem suos, (de quibus dicere mox aggrediar) emortuus.

CAPVT XIII.

Pręcipuorum S. Irenæi discipulorum sanctitas & gloria.

CVm permagna fuerit doctrinæ Irenæi iuxtà & sanctimoniæ, quaquauersum dispersa fama atque existimatio; haud sanè dubium esse potest, quin permulti ad eum vētitarint, atque in eius se tradere disciplinam amauerint. Inter eos verò clarissimus, & viua magistri imago fuit beatus Hippolytus. Nec enim doctrinam eius dumtaxat, & scribendi copiam est æmulatus, sed virtutem simul ac sanctitatem; neque hoc tantùm, sed & Episcopi munus, & martyris insuper gloriam feliciter est assecutus, De quo, quia posthac multa seorsùm dicenda sunt, nolo hîc ne pauca quidem attingere. Nam tota eius vita suo postea ordine subsequetur. Aliorum autem, quorum eruditio, Scriptorum defectu, ignota est, solæ virtutes, eæque palmares ad magistri sui gloriam breuiter & compendio referentur. Ex ijs igitur illustres fuêre [a] Ferreolus Presbyter & Ferrutio Diaconus, quos B. Irenæus suis imbutos moribus, & sacris instructos disciplinis, ad excolendas euangelij vomere Sequanorum terras, Vesontionem, vrbem eius tractus nobilissimam, (incertum quando, si coniectura recipitur, Commodo regnante) amandauit. Ibi continuò manus ad aratrum, & tanquam boni ac seduli agricolæ, terram sentibus horridam & pētris asperam perpurgare, & rudes fidei, sterilésque bonorum operum animos, verbi diuini culturâ, ad excipiendam virtutum sementem adaptare. Ita multi & mores barbaros exuêre, & Dominum Iesum Christum, fide susceptâ, induêre. Illis autem fidelibus agricolis nobilis palma martyrij, tanquam aurea messis, non sine præuia (vt mox dicetur) cælesti denuntiatione obuenit.

[a] Acta martyrū.

Fuerunt & alij, neque his impares, B. Irenæi discipuli: nempe Felix Presbyter, Fortunatus, & Achilleus, Diaconi: qui à magistro Præsule Valentiam Allobrogum eius excolendæ regionis caussa missi, cùm prædicando Christi euangelio, & illuminandis vera luce mentibus gnauiter institissent, suáque magnis laboribus digna operæ precia exspectarent; ecce benignissimus Deus tam hos, quàm eorum sub eodem pręceptore Irenæo discipulos, Ferreolum, inquam, & Ferrutionem, cęlestibus visis dignatos ad pugnam simul inuitat & lauream.

ream. Nam Felici quidem Presbytero, propè ab vrbe Valentia, in humili tugurio vnà cùm socijs degenti (erat porrò idem tugurium & domicilij locus, & oratorij) inibíque aliquantulum quietis, post diurnos nocturnósque labores capienti, talis obiecta est visio: Locus ei apparebat ingenti gratáque luce conspicuus: quem & diuersorum varietas florum eximiè depingebat, & aromatum miri odoris fragrantia iucundè perflabat: hic autem agni quinque sine macula, & candore niueo, albentia ibidem lilia depascebāt. In hoc porrò defixum obtutu talis è cælo vox perculit: *Euge, euge, serui boni, & fideles: quia super pauca fuistis fideles, super multa vos constituam: intrate in gaudium Domini vestri.* Quæ à se visa & audita cùm ille verè Felix, suis enarraret contubernalibus; tum repleti Spiritu sancto Fortunatus & Achilleus in hæc verba cum gaudio eruperunt: *Gloria tibi, Domine Iesu Christe, lumen æternum, splendor cælestis exercitus: qui nos per seruum tuum Felicem tantis beas gratijs, & quamuis indignos, promissionum tuarum securos facis. Da igitur pares esse tuis muneribus, quos tuæ fecisti ministros fidei. Nec est enim in nobis quippiam, quo speremus, si tua desit opitulatio, omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* In his erant illi sermonibus, cùm frater quidam à Ferreolo & Ferrucione cum litteris adfuit: quarū hæc erat summa:

VISIO S. FELICIS PRESBYTERI.

Matthæi 25. ver. 21.

Dominis pijssimis & in Christo fratribus Fortunato, & Achilleo, Ferreolus & Ferrutio in Domino Salutem.

Omnium moderator sæculorum Deus nonnulla seruis suis, ad bonæ inuitationem confessionis, arcana reserauit, quæ vobiscum vt communicarem, fraterna caritas impulit. Cum me peractis vigiliarum excubijs sopori aliquantisper tradidissem; vidi, cælo discedente, coronas quinque, auro, gemmis, sidereóque fulgore prænitentes, & harum in medio crucem, quæ Angelorum manibus omnia gestabantur: rapto autem mihi in admirationem ea vox allapsa est: VENITE IRENÆI DISCIPVLI, PERCIPITE PROMISSVM VOBIS REGNVM. Arbitror itaque, fratres sanctissimi, hac nos cælesti visione ad martyrij palmam inuitari. Quare quod in præsenti maximè conducit, oremus, vigilemus, spiritu feruentes simus, vt ne de manibus elabatur tam propinqua, tam præsens, tam certa victoria.

His perlectis litteris ingenti perfusus gaudio beatus Felix, sua vicissim illis visa omni ex parte concordantia rescripsit; & pari, qua illi cohortatione vsi fuerant, eos cohortatus, ad pugnam atque palmam, currentes, vt dicitur, incitauit.

Breui igitur postea, vti cælo præmonstrante didicerant, ad martyrij certamen omnes euocati sunt: primò quidem Felix Presbyter cum Fortunato & Achilleo Diaconis: deinde haud longo interuallo Ferreolus Presbyter cum Ferrutione Diacono. Quorum omnia certamina si in promptu posuero, ea deuotis cælo animis placitura,

non

non diffido. Age igitur, primos primò inducemus.

Felix ergo Presbyter, ille non magis nomine, quàm diuinarum gratiarum dote, & proſpero geminorum Diaconorum Fortunati & Achillei comitatu felix, ſecundo curſu apud Valentiam Chriſtianę religionis negotia cum ſocijs percurabat; cùm perfremente æterni hoſtis inuidia, cui Valentinianorum erga ſanctos beneuolentia, grauiſſimi inſtar incendij erat (bonam enim populi partem Chriſto acquiſiuerant, & aliqua idolorum fana iam ſubuerterant) rei Chriſtianæ ſucceſſus interturbari cœpit. Nam Aurelio Caracallo Principe in Gallijs agente, eius dux militiæ Cornelius Anulinus, dum Valentiæ ſuperbo ſtipatus comitatu obambularet, vocem hominum inaudiuit modulatè quadam in æde cantantium, & quidnam hoc rei eſſet ſciſcitatus, vbi intellexit modulationem eſſe Chriſtianorum, ac tres ex illis potiſſimùm, manifeſtarios eſſe Deorum immortalium hoſtes, nihilque nec Deorum ſacra curare, nec Imperatorum iuſſa floccifacere, immo & delubra religioſiſſima cum ſanctiſſimis ſuis ſimulacris diruiſſe iam, ac peſſumdediſſe: mox ipſe ira efferueſcere, & totus in ſtuporem agi, nimirum poſt tantam Seueri Imp. in eiuſmodi homines ſeueritatem, poſt tot, tantáque mortalium vtriuſque ſexus tormenta & cædes, etiam aliquos reperiri, qui talia audeant. Editis igitur ſibi illorum nominibus, eueſtigio tres illos eximios Chriſti athletas, Felicem, Fortunatum, & Achilleum compingi in carcerem, atque arctiſſimis conſtringi vinculis iubet. Quibus aliàs, cùm ipſi collibitum fuit, ſibi oblatis, *Ecqua tanta eſt,* inquit, *homines perditiſſimi, veſtra confidentia, vt quorum imitamini facta, eorum non perhorreſcatis exitus? Itáne diriſſima fratrum veſtrorum Lugdunenſium, ob tales auſus, ſupplicia vobis exciderunt animis? Et eádem vos, quâ illi perditum ſe iuerunt, dementiâ immortales Deos, præ vno furcifero in cruce mortuo, contemnere non reformidatis? Et auguſtiſſimorum Imperatorum decreta, quibus debitos Dijs honores exigunt, nihili penditis?* At Felix, verbis in ventum iactatis commoueri neſcius, ſermones viciſſim, ſed doctos ac ſapientes regerit, docétque haud inanibus verbis, ſed certis cæli oraculis, verè vnicum eſſe Deum, immortalem, inaſpectabilem, omnium conditorem, inſpectorem, gubernatorem, proborum improborúmque, ex cuiuſque meritis, remuneratorem aut vindicem: ceteros, qui dij habeantur, vana eſſe nomina, nec eos omnino poſſe quicquam, adeóque, nec viuere. Vni proinde ſeruiendum eſſe, vni cultum, vni honorem deferendum; ceteris, qui nihil ſint, dandum ac deferendum nihil. Qui ita fecerit, bona illi omnia & æternitatem certò venturam. Quid poterat Felix melius incantare? Verùm iſta Cornelio nihil bonę mentis attulerunt. *Furor illi ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis*

Pſal. 57. ver. 5.

tis sapienter. Tandem enim vehementiore ira succensus tam illum, quàm duos eius socios, Fortunatum & Achilleum crudelissimè in conspectu suo neruis cædi imperat. Nam quod Felix voce liberrima exprompserat, idem duo socij nutu & oris constantia comprobarant: ac iam quoque inter verbera, illo Dauidis plectro, quasi duriore flagello, sceleratas verberantium mentes reuerberabant: *Confundantur superbi: quia iniustè iniquitatem fecerunt in* Psal. 118. ver. 78. *nos: nos autem exercebimur in mandatis tuis*. Cornelius verò illis acriter insultare, atque obijcere, ipsos à Dijs, quos adorare renuant, meritò talibus mactari supplicijs: Deo autem ipsorum, in quo vanas spes suas collocarint, nihil ad eos malis eripiendos inesse virtutis, nihil frustra laudatæ potestatis. Alioqui enim iam ostendendi tempus esse, cùm præsentia hæc infortunia promptissimum eius exposcat auxilium. Et ecce (mirum dictu) sanati extemplo sunt: nec vsquam cruor in corporibus, nec liuor, nec vibices, nec vllum prorsus plagarum aut verberum paruit vestigium. Felix igitur diuinam in subita corporũ curatione potentiam, atque opem præsentissimam insultatori suo commonstrans, *Ecce verò*, inquit, *nì profunda erroris caligo* Isaiæ 55. ver. 7. *mentem tuam plùs nimio obcæcaret, videres ipse oculis tuis, post tot immanium tortorum cruentos ictus, ne minimum in dedicatis Deo membris exstare vulneris indicium*. At ille tam recenti, atque indubitato mirè obstupefactus ac confusus prodigio, in tetram eos retrudi custodiam mandat: ibíque tamdiu asseruari, donec aliqua insignis animo succurrerit peruicaces istos peruincendi ac perdomandi ratio. Hæc quidem ille cogitabat, sed alia omnia pater ac protector martyrum Deus. *Non enim cogitationes meæ*, inquit, Isaiæ 55. ver. 7. *cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra; sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris*. Et re vera sic est, atque in præsentia illustri hoc facto probatum est. Nam misit Dominus Angelum suum, sicut olim ad S. Petrum, sic ad hos pugiles in carcerem; qui mediæ noctis tenebris claro splendore discussis, custodibusque rei nouitate perterritis, viam martyribus ad exeundum liberã aperuit, atque in fanum eos profanũ mittens, *Ite*, inquit, *fideles Dei confessores, non scuto protecti aut galea, sed virtutis diuinæ armati fiducia, ite ad templum illud impium, & exsecranda Deorum simulacra disjicite, diffringite, dissipate*. Nec mora: iuerunt, aut cucurrerunt potiùs, & Iouis, & Saturni, & Mercurij simulacra disiecerunt, diffregerunt, dissiparunt. Quo perfuncti officio, cùm ad solita pietatis atque alienæ salutis negotia se referrent; denuo comprehensi, & Cornelio Duci magis, quã antehac, irarũ impotenti ac planè furioso oblati, hanc ab eo accepere sententiã; vt reuinctis post tergum manibus, ac deinde renibus, cruribúsque cõfractis circa rotarum adstricti

vertiginem,tam fumi infrà ſuſcitati acerbitate, quàm continuâ diu noctuque torquentis eculei carnificinâ diuexarentur. Quę cùm inuictis paſſi eſſent animis, neque poſthac euincendorum maior vlla ſpes appareret,Cornelius in bilis ſuæ remediū,eos capite plecti iuſſit. Educti igitur è ciuitate,in ipſa ſui tugurij, (quod ad habitationem condiderant) deſtructi ac deuſti area,ceruices pro fide & Chriſti gloria poſuerunt. Collecta & ſepulta à Chriſtianis eorum corpora, multis editis ſalutaribus prodigijs, populos ad ſui cultum excitauere. Atque hæc ſunt trium iſtorum S. Irenæi diſcipulorum minimè degenerum egregia certamina: hæ illuſtres ac palmares victoriæ: hi cælo parti triumphi. Quorum gloria in magiſtrum ac ducem Irenæum, (à quo doctrinæ & vitæ exempla duxerunt) redit ac reſultat.

Haud multum porrò ab hiſce martyribus effluxit temporis, cùm duo ipſorum commilitones, Ferreolus Presbyter & Ferrutio Diaconus, ad parem pro fide conflictum,& ad conſimilem palmam vocati ſunt. Nam recenti etiamnum prioris illius iudicij aduerſus ſanctos memoria,& quaſi calente adhuc ipſorum ſanguine, homo quidam impius ac truculentus, Claudius nomine, ab orbe Veſontione (vbi rem Chriſtianam illi duo iam nominati athletę inſigniter adminiſtrabat) Valentiam profectus,cùm intellexiſſet,quę inibi paullo antè contra ternos illos veræ aſſertores religionis exprompta eſſent ſupplicia; Cornelium illum ſub M. Aurelio Caracallo militiæ ducem & cædis iſtius auctorem adijt,nuntiauitque tales eſſe duos Veſontione, quales illi tres fuiſſent,in quos Valentiæ ferro animaduerterat. Nam eſſe, vti aduerſus Deos immortales, horribiliter impios: ita & aduerſus poteſtatem imperatoriam, nequiter impudentes: ita nec illos colere, nec huic obſequi velle: mirâ verò arte in hominum animos penetrare, atque ad ſe ſuámque voluntatem, neglectis æquè Deûm hominúmque legibus, pertrahere. *Quin etiam,* inquiebat, *permagnam populi partem à noſtra cultu religionis, ad vnum neſcio quem crucifixum (vt ipſimet fatentur) percolendum auerterunt: atque in his ancillam quoque veſtram, coniugem meam, ſuis dementatam malis artibus Chriſtianam fecerunt. Atque vt intelligas totius generis humani eos eſſe hoſtes, virginibus noſtris perſuadent, ne nubant. Denique perrari iam inueniuntur Deorum veri cultores: nec eſt fere quiſquam, qui templa, qui aras, qui ſacrificia quicquam curet,aut aliquo loco habeat. Quidni enim? quando iſtis impune licet eſſe ſacrilegis; & Deos noſtros vel malleis confringere, ipſis laudi ducitur?* Ne multa: Cornelius, tametſi per ſe ipſe fidei noſtræ ſatis aduerſus, tamen huius oratione non mediocriter exacerbatus, ſuas illi partes beatos viros perſequendi,& lege in eos agendi committit. Hic autem acceptis ſuper data ſibi poteſtate

testate litteris, qua potest celeritate Vesontionem reuertitur: inuisos sibi homines requirit, reperit, comprehendit. Comprehensis autẽ partim minatur mortem, partim vitam ostentat: mortem quidem, si iussa exequi Imperatoris, & Dijs sacrificare animum non induxerint: vitam autem, & è publico quidem ærario locupletatam, si induxerint. Hi autem nihil in deliberatione perdentes temporis, sed leuatis dũtaxat celeriter in cælum oculis, & salutiferæ crucis signo fronti impresso, honestam se mortem vitæ turpissimę pręlaturos dicunt. Habeat ipse opes suas, sibi Christum pro cunctis opibus fore; immo & prę vita esse. *Nam pecunia tua*, inquiunt, *tecum sit in perditionem: nobis sufficit vnum Deum colere.* Tum ille confestim distendi immaniter corpora, & flagris concidi mandat. Deus autem (cui sępe vel sola voluntas facti habet instar) cùm omnem illis ademit doloris sensum, tum Angelico etiam inter flagra resplendere oris habitu populis admirantibus effecit. Reductis ergo tum in custodiam, ac postridie rursus eductis, quærit itidem sacrificaréne Dijs velint, nec ne. Illi se nec sacrificaturos, nec à bona Christi confessione recessuros audacter profitentur: & cùm ille nimio furore succensus prætruncari ipsis linguas imperasset; ipsi nihilominus, quamuis elinguati, perfectè verba vitę eloqui, & tam fratres corroborare, quàm alienos ad Christum pertrahere. Dicebant enim: *Bęati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et ad Claudium conuersi, *An etiam Dij tui*, inquiũt, *qui nec audire possunt, nec loqui, ita dare loquelam elinguatis valent? Sed age, hæc in nobis admirabilia intuens resipisce. Potes enim, si ad vnum & verum Deum te conuertas, & aquis salutaribus abluaris, cunctorum, quæ ad hanc horam admisisti, veniam obtinere peccatorum.* Verùm ille tam sanis atque vtilibus monitis non ad pœnitentiam, sed in furorem & iracundiam actus, iubet euestigio sexaginta acutissimas fibulas, triginta vni, & triginta alteri, tam in manibus & pedibus, quàm in pectore & internodijs, vi ferreorum malleorum immaniter infigi: tandémque vbi istis nihil profici videt, capita resecari mandat. Quibus resectis tanta subitò emanauit suauissimi odoris fragrantia, vt testari Deus ipse videretur, nullum sibi esse gratius thymiama, quàm quod Christi Martyres ex omnigenis solidarum virtutum floribus & ardentissima caritate confectum, in ipsa morte exhalent. Dies ipsorum natalis, seu gloriosi ad cælum exitus, (qui fuit Iunij decimus sextus) sacris tabulis ad perpetuam eorum memoriam adscriptus reperitur.

Actor. 8. vers. 20.

Matthæi 5. vers. 8. & seqq.

Quemadmodum ergo filiorum gloria in parentes: sic & horum discipulorum honos atque decus in magistrum Irenæum redundauit. Ad quos proinde illa magni Paulli verba ad Thessalonicenses

Epist. 1. ad Thessal. c. 2. ver. 19.

iure quodam suo habuit vsurpare: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.*

Ecqui enim Thessalonicensium ita beatissimo Paullo auscultarunt, ita indiuulsè adhæserunt; sicut hi martyres quinque, immo sicut omnes propè Lugdunenses, (qui cum pastore suo vnà mori pulchrum ac beatum iudicarunt) sanctissimo Irenæo? Atque de illorum benefactis, Irenæi, inquam, & præcipuorum eius (quos quidem nouerimus) discipulorum hactenus dictum sit: nunc ad librorum, quos idem vir sanctus ad posteros transmisit, recensionem veniamus.

CAPVT XIV.

Librorum S. Irenæi indiculus: & eorum, qui ex ipsis interierunt, fragmenta quædam hactenus conseruata.

POstquam de S. Irenæi discipulis, velut ex germano eius spiritu natis filijs, diximus: iam de libris eius, quasi alteris liberis (taceri enim talis posteritas minimè debet) aliquid nobis dicendum est. Nam sunt re vera, vti Pręceptores patrum loco, & discipuli filiorum: sic etiam Scriptores, velut alteri patres, & eorum libri atque scripta (quo modo non pauci vocitarunt) alteri liberi. Nempe ingenij atque mentis veri ac legitimi fetus: in quibus & suorum parentum, (qualésnam ij fuerint, quàm boni, quàm sapientes) velut in nitidissimo speculo, natiua quędam lineamenta elucent.

Libri igitur Irenæi sunt hi:

De scientia contra Gentes, volumen breue.
De detectione & euersione falsæ doctrinæ, libri. V.
Contra Marcionem Opus vnum.
De schismate, ad Blastum epistola.
De Monarchia, ad Florinum epistola.
De Ogdoade commentarius.
De Apostolica prædicatione, ad Marcianum fratrem.
Diuersorum tractatuum volumen.
De Paschate liber.
De die celebrandi paschatis, ad Victorem Papam epistolæ complures.
Epistolæ variæ ad varios Episcopos.

Tot igitur sunt libri, quorum nunc quidem constet auctorem & conscriptorem esse Irenæum: non autem plures, neque pauciores: Quidam addunt commētarium in Apocalypsin, eúmque indicatū putant à S. Hieronymo, in libro De illustribus Ecclesię Scriptoribus, cap. 9. in Ioanne, per illa verba: *Scripsit Apocalypsin, quā interpretātur Iustinus Martyr, & Ireneus.* Sed cum illi duo SS. Patres in ijs libris, qui

qui certò ipsorum sunt, multa loca Apocalypseos interpretentur, nec quisquam alius antiquorum illis singulares in Apocalypsin commentarios attribuat, ne ipse quidem Hieronymus, cùm de ipsorum libris speciatim agit; certè nihil aliud videtur Hieronymus in Ioanne voluisse, quàm probare Apocalypsin eiusdem Ioannis esse, auctoritate tam antiquorum Patrum, qui multa eius libri loca citauerint & interpretati sint. Nam apud Eusebium magni Scriptores de auctore Apocalypseos dubitarunt.

Iam quòd nonnulli librum *De vniuerso*, (vt refert Photius, Codice XLVIII.) Irenæo attribuerunt, potiùs est, eodem teste Photio, Caij Presbyteri, qui in suo *Labyrintho* (volumen quoddam suum sic inscripsit) se librum *De vniuerso* elaborasse scribit.

Quod item Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, vno plus auget numerum, & dicit Irenæum scripsisse, *Contra gentes volumen breue, & de disciplina aliud*, quasi duo diuersa sint volumina, falsus est animi: quemadmodum & alij post illum, eius errorem secuti, vt Honorius, Tritthemius, & alij. Nam verba Eusebij libro 5. historiæ, cap. 25. vnde sua desumpsit Hieronymus (tantùm enim vice interpretis ferè fungitur) clara sunt, & vnicum esse librum indicant, non duos. Sic enim habent: φέρεταί τις αὐτοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγος συντομώτατος καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαιότατος περὶ ἐπιστήμης ἐπιγεγραμμένος. *Circumfertur & aliquis eius liber contra Gentes, breuißimus ille quidem, maximè tamen necessarius, De disciplina inscriptus.* Ex quo apparet libri inscriptionem, pro nouo libro acceptam esse ab Hieronymo: atque ita duos ex vno factos.

Verba porrò Hieronymi de B. Irenæo, eiúsque libris sunt eiusmodi:

Irenæus Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, à martyribus eiusdem loci, ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum perfert litteras. Postea iam Pothino propè nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum eius substituitur. Constat autem Polycarpi, cuius suprà fecimus mentionem, sacerdotis & martyris hunc fuisse discipulum. Scripsit quinque aduersus hæreses libros: & contra gentes volumen breue, & de disciplina aliud: & ad Marcianum fratrem, de Apostolica prædicatione: & librum variorum tractatuum: & ad Blastum, De schismate: & ad Florinum, De monarchia, siue, Quòd Deus non sit conditor malorũ: & περὶ τῶν ὀγδοάδων egregium commentarium: in cuius fine significans se Apostolicorum temporum vicinum fuisse, sic subscripsit: Adiuro te, qui transcribis librũ istum, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum eius aduentum, quo iudicaturus est viuos & mortuos, vt conferas, postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplar, vnde transcripsisti, diligentißimè; hanc quoque obtestationem similiter transferas, vt inueni-

sti in exemplari. Feruntur eius & alia ad Victorem Episcopum Romanum, de quæstione Paschæ, epistolæ: in quibus commonet eum non facilè debere vnitatem collegij scindere. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui decimâ quartâ lunâ cum Iudæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi etiam, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. Floruit maximè sub Commodo Principe, qui Marco Antonino Vero in imperium successerat.

Ita Hieronymus. Qui licet operis *Contra Marcionem* non meminerit, auctoritatem tamen habemus Eusebij, libro 4. historiæ ecclesiasticæ, cap. 24. vbi scribit S. Philippum, Gortynæ Episcopum, opus longè accuratissimum contra Marcionem contexuisse, atque Irenæum similiter, & Modestum. Qui Modestus excellenter præ ceteris viri illius errorem omnium oculis subiecerit. Cuius cùm nihil hodie habeamus, quanta (Deus bone!) iactura operis? Cùm igitur Irenæum cum Philippo & Modesto, qui separatim contra Marcionem accuratissimè scripserunt, componat; vult profectò & Irenæum contra eundem Marcionem opus edidisse separatum. Exoreretur enim fortè aliquis, qui Irenæum aduersus Marcionem aliud scripsisse nihil assereret, quàm quod suis aduersus hæreses libris in eum exeruit. At verò ipsemet contra illum singulare opus promiserat eo ipso in loco, vbi eius fraudes, vti & aliorum hæreticorum, detegebat; nempe libro 1. cap. 29. vbi post alia quædam de illo hæc subiecit: *Sed huic quidem, quoniam & solus manifestè ausus est circumcidere Scripturas, & impudoratè super omnes obtrectare Deum, seorsum contradicemus, ex eius scriptis arguentes eum, & ex ijs sermonibus, qui apud eum obseruati sunt, Domini & Apostoli, quibus ipse vtitur, euersionem eius faciemus, præstante Deo.* Ita ille.

Quare si & ipse promisit se scripturum, & Eusebius eum scripsisse dicit, nemo dubitare debet, quin scripserit. Ex quo item consequitur, non fuisse hoc opus Hieronymo, qui alia omnia ex Eusebio collegit, omittendum. Cuius omissionis caussa fuit: quòd Eusebius non vna serie, nec vno in loco (quod tamen aliàs ferè solet) Irenæi libros recensuerit; sed in pluribus ac diuersis: ita vt de hoc contra Marcionem opere agat libro 4. historiæ, cap. 24. de alijs autem libro 5. cap. 8. & cap. 19. & cap. 25.

Fugit etiam Hieronymum memoria epistolarum variarum Irenæi ad diuersos Episcopos super festo Paschatis: quarum tamen meminit Eusebius lib. 5. cap. 24. vbi dicit eum non ad Victorem solùm, sed ad plurimos quoque alios scripsisse ecclesiarum Præsides.

Sunt qui & librum de Paschate scriptum ab eo referant: quem librum & Auctor responsionum ad quæstiones Orthodoxorum inter S. Iustini opera citat, quęstione 115.

Ex omnibus porrò Irenæi operibus vnicum nunc restat integrum: nempe

nempe illud quod inscriptum ab ipso auctore fuit, *De detectione & euersione falsæ doctrinæ*; à posteris verò materiem magis, quàm inscriptionem spectantibus, *Opus aduersus hæreses* appellatum. Nam hæ duę appellationes, tametsi verbis discrepent, rebus tamen ipsis conueniunt: cū nihil sit aliud detegere & euertere falsam doctrinam, quā hæreses refutare & reuellere. Complectitur autem opus illud libros quinque, qui nunc passim in manibus habentur. Ceterorum autem operum nihil est integrum: sed aliquorum, fragmenta quędam dumtaxat, eáque necessaria modò superant, quę hic subiungemus: aliorum autem, ni fallor, (& falli velim) omnino nihil.

Irenæi ergo hæc interierunt:

1. Volumen De disciplina, aduersus Gentes.
   Inscriptum græcè erat: Περὶ ἐπιστήμης, *De scientia*, siue, vt Hieronymus vertit, *De disciplina*, erátque opus illud breuissimum & optimum, teste Eusebio.
2. Opus Contra Marcionem.
3. Epistola ad Blastum de schismate.
4. Liber de ogdoade.
5. Liber de Apostolica prædicatione, ad Marcianum fratrem.
6. Liber variorum tractatuum.
   Inscriptus erat græcè: βιβλίον διαλέξεων διαφόρων.
7. Epistolę ad varios Episcopos.
8. Epistolæ ad Victorem Pontificem, præter vnius exiguum fragmentum.

Fragmenta quædam exstant horum librorum:

1. Epistolæ ad Florinum, De monarchia: siue, quòd Deus vnicus sit, & nullius mali auctor.
2. Libri de Ogdoade.
3. Epistolæ vnius ad Victorem Pontificem: cùm aliæ plures ad eundem prorsus interierint.

Hæc tria fragmenta cùm ipsis S. Irenæi verbis græcè, vti scripsit, ab Eusebio seruata exstent, atque nonnulla obseruatu digna in se contineant documenta, bonum factum existimaui ea hìc repræsentare. Sunt igitur istæ:

PRIMVM

PRIMVM FRAGMENTVM.

* Ex epiſtola ad Florinum.

ISta dogmata, Florine, (vt mitiùs tecum loquar) non ſanæ ſunt ſententiæ.

Iſta dogmata aliena ſunt ab Eccleſia, & ſibi obſequentes in maximam impietatē pręcipitant.

Hæc dogmata ne illi quidem hæretici, qui ab Eccleſia reiecti ſunt, vnquã auſi ſunt propalare.

Hæc dogmata ij, qui ante nos fuerunt Presbyteri, & cum Apoſtolis ſunt conuerſati, haudquaquam tibi tradiderunt.

Vidi enim te, puer adhuc cùm eſſem in inferiore Aſia, apud Polycarpum; cùm & in aula Imperatoria ſplendidè degeres, & Polycarpo te probare ſedulò litereris. Nam ea quæ tum gerebantur (quemadmodum ſcientiæ, quas à teneris combibimus, vnà cum ætate creſcunt, & cum anima ipſa coaleſcunt) firmiùs inhærent memoriæ, quàm quę nuper facta ſunt: ita vt & locum poſſim dicere, in quo ſedens beatus Polycarpus diſſerebat; acceſſus quoque eius, & introitus, & omnem vitę formam, & corporis effigiem, & diſceptationes, quas habebat ad multitudinem, & quomodo ſuã cum Ioanne conuerſationem, & cum alijs, qui Dominum viderãt, enarraret: quomodo item eorum ſermones commemoraret, & de Domino, quęnam eſſent, quæ ab ijs inaudiſſet: de miraculis quoque ipſius atque doctrina: & quòd

ΤΑῦτα τὰ δόγματα Φλωρῖνε· ἵνα πεφεισμένως εἴπω· οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης.

Ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς.

Ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε.

Ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι.

Εἶδον γάρ σε παῖς ὢν ἔτι, ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ, καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. Μᾶλλον γὰρ τὰ τότε διαμνημονεύω τῶν ἔναγχος διαγινομένων· αἱ γὰρ ἐκ παίδων μαθήσεις συναύξουσαι τῇ ψυχῇ, ἑνοῦνται αὐτῇ. ὥστε με δύνασθαι εἰπεῖν, καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος, καὶ τὰς παρόδους αὐτοῦ, καὶ τὰς εἰσόδους, καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν, καὶ τὰς διαλέξεις, ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος, καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον· καὶ ὡς ἀπεμνημόνευε τοὺς λόγους αὐτῶν, καὶ περὶ Κυρίου τίνα ἦν, ἃ παρ' ἐκείνων ἀχηκόει. καὶ περὶ τῶν δυνάμεων αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας, ὡς παρὰ τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζωῆς τοῦ λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος

ἀπήγγελλε πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς.

idem Polycarpus ea, quæ ab ijs acceperat, qui Verbum vitę oculis conspexerant, omnia Scripturis consona demonstraret.

Ταῦτα καὶ τότε, διὰ τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ τὸ ἐπ' ἐμοὶ γεγονός, σπουδαίως ἤκουον, ὑπομνηματιζόμενος αὐτὰ οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ· καὶ ἀεὶ διὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ γνησίως αὐτὰ ἀναμαρυκῶμαι. Καὶ δύναμαι διαμαρτύρεσθαι ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ, ὅτι εἴ τι τοιοῦτον ἀκηκόει ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος, ἀνακράξας ἂν καὶ ἐμφράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὸ σύνηθες εἰπών· ὦ καλὲ θεέ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι; πεφεύγοι ἂν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος, ἢ ἑστώς, τῶν τοιούτων ἀκηκόει λόγων. Καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ, ὧν ἐπέστειλεν ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις ἐκκλησίαις, ἐπιστηρίζων αὐτάς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισι, νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προτρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι.

Hęc enim ego (quę diuina fuit erga me miseratio) sanè quàm diligenter tum auscultabam, non chartę illa committens, sed cordi meo imprimens. Quę & nunc mecum per Dei gratiam sincerè semper ruminor. Ac contestari quidem coram Deo possum, beatum illum, & Apostolicum Presbyterum, si tale quid inaudisset, exclamaturũ fuisse atque obturatis auribus ex more suo dicturũ: *Deus bone! quæ ad tempora me reseruasti, vt hæc ego sustineam!* Quin & fugiturus eo è loco fuisset, in quo aut stans, aut sedens tales sermones audiuisset. Nam & ex eius litteris, quas vicinis ecclesijs eas confirmans, aut quibusdam fratrum, eos admonens ac cohortans misit, possunt hęc liquidò cognosci. HÆRESEOS ODIVM.

Ταῦτα ὁ Εἰρηναῖος.

Hæc Irenæus.

SECVNDVM FRAGMENTVM.

Ex epistola ad Victorem Papam.

Οὐδὲ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας.

Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ καὶ πλείονας· Οἱ δὲ τεσσαράκοντα· ὥρας δ' ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.

Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν

NEc enim de die Paschatis solùm est controuersia, sed de modo etiam formáue ieiunij.

Nam sunt, qui vnico die sibi ieiunandum putent: sunt qui duobus: sunt qui & pluribus: nõnulli etiam qui quadraginta: & diem suum quidem diurnis simul nocturnísque horis admetiuntur. IEIVNIORVM IN ECCLESIA VARIETAS.

Talis porrò ieiuniorum varietas non hac nostra ætate cœpta est, sed multo antè apud maiores nostros

nostros haud satis hac in re, quẽadmodum oportuisset, accuratos, qui nimirum cõsuetudinem ex simplicitate & priuata deuotione ortam ad posteros transmiserunt. Atque illi nihilominus pacem inter sese retinuerunt, vti & nos quoque retinemus inuicẽ: hæcque adeo ieiunij discordia, fidei commendat concordiam.

πρὸ ἡμῶν τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων την καθ᾽ ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων· καὶ οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους. καὶ ἡ διαφωνεία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.

Et infrà ibidem, & ad eundem Victorem Papam:

Presbyteri, qui ante Soterem fuerunt, & qui eidem ecclesię, cui tu nunc præes, præfuerunt (Anicetum dico, & Pium, & Hyginũ, & Telesphorum, & Xystum) quãuis nec ipsi more Asianorum obseruarent, nec posteris obseruari permitterent, ipsi tamen cum ijs, qui sic obseruabant, ad se venientibus pacem habebant.

Καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι, οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ· Ἀνίκητον λέγομεν, καὶ Πίον, Ὑγῖνόν τε, καὶ Τελέσφορον, καὶ Ξύστον· οὔτε αὐτοὶ ἐτήρησαν, οὔτε τοῖς μετ᾽ αὐτοὺς ἐπέτρεπον· καὶ οὐδὲν ἔλαττον αὐτοὶ μὴ τηροῦντες, εἰρήνευον τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν, ἐν αἷς ἐτηρεῖτο, ἐρχομένοις πρὸς αὐτούς.

Ecquid autem magis contrarium, quàm inter se illi qui vno, & ij qui altero modo celebrant? Neque tamen vlli vnquã propter hanc contrarietatem ab ecclesia eiecti sunt. Sed qui ante te fuerũt Presbyteri illum celebrandi modum non seruantes, aduenientibus ijs qui seruabant, Eucharistiam mittebant.

Καὶ τί μᾶλλον ἐναντίον ἦν τὸ τηρεῖν τοῖς μὴ τηροῦσι; καὶ οὐδέποτε διὰ τὸ εἶδος τοῦτο ἀπεβλήθησάν τινες· ἀλλ᾽ αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι, τοῖς τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν.

Nam cùm beatus Polycarpus sub Aniceto Romam venisset, atque ipsi de alijs rebus pauca collocuti facilè conuenissent, ne de hoc quidem, quod erat controuersiæ caput, grauis inter eos exarsit contentio.

Καὶ τοῦ Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Ἀνικήτου, καὶ περὶ ἄλλων τινῶν μικρὰ σχόντες πρὸς ἀλλήλους, εὐθὺς εἰρήνευσαν· περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου μὴ φιλεριστήσαντες πρὸς ἑαυτούς.

Non potuit quidem Polycarpo persuadere Anicetus, ne obseruaret quæ cum Ioanne Domini nostri discipulo, & cum alijs

Οὔτε γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πεῖσαι, ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιέτριψεν, ἀεὶ τετηρηκότα·

τετηρηκότα· οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε τηρεῖν, λέγοντα τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν.

Apostolis, quibuscum versatus fuerat, semper obseruasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuasit, vt morem, quem à Presbyteris maioribus suis acceptum sibi dicebat retinendum, dimitteret.

Καὶ τούτων οὕτως ἐχόντων ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς· καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν τῷ Πολυκάρπῳ, κατ᾽ ἐντροπὴν δηλονότι, καὶ μετ᾽ εἰρήνης ἀπ᾽ ἀλλήλων ἀπηλλάγησαν, πάσης τῆς ἐκκλησίας εἰρήνην ἐχόντων τῶν τηρούντων, καὶ μὴ τηρούντων.

Atque his ita se habentibus, cōmunicabāt inter sese: atque adeo celebrandæ in ecclesia Eucharistiæ partes detulit, reuerētię caussâ, Anicetus Polycarpo: sicque ambo cum pace discesserunt, vniuersâ Dei ecclesiâ, tam eorum, qui dictum morem obseruarent, quā eorum, qui non obseruarent, pacem amplectente.

Hactenus verba Irenæi, quæ refert Eusebius, lib. V. historiæ ecclesiasticæ, cap. 26. græcę editionis, Ruffinus autem, & Christophorsonus, interpretes Eusebij, cap. 24.

TERTIVM FRAGMENTVM.

E libro, De ogdoade, extremo.

Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς· καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ.

Adiuro te, qui transcribis librum istum, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum eius aduentum, quo iudicaturus est viuos & mortuos; vt conferas, postquā transcripseris, & emendes illum ad exemplar, vnde transcripsisti, diligentissimè. Hanc quoque obtestationem similiter transferas, vt inuenisti in exemplari.

Ista Irenæus. Quæ laudans, & imitanda proponens Eusebius, *Ista*, inquit, *vtiliter & ab illo dicta; & à nobis relata sunt, vt priscos illos & verè sanctos viros accuratissimæ in libris describendis diligentiæ exemplum habeamus.*

Versio autem illa adiurationis est è S. Hieronymo, in Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 35. vt & suprà indicaui.

CAPVT

CAPVT XV.

Alia quædam fragmenta græca B. Irenæi, nunquam antehac græcè edita, ac nuperrimè ex Eminentissimi Cardinalis RVPIFOCALDI bibliothecâ ad nos benignè transmissa.

OPtauerat aliquando vir egregiè doctus, ac de B. Irenæo optimè meritus Feuardentius, doctissimi ac sanctissimi Patris Irenæi græca omnia Fragmenta, quæ vsquam essent, reperire, atque in suum opus immittere: & immisit quidem non pauca, siue è S. Epiphanio, siue ex alijs; sed è S. Ioanne Damasceno (quæ tamen multa sunt, & magna) nihil immisit, quia græcè nancisci non potuit: nos autē ex benignitate, vt iam indicaui, Eminentissimi Cardinalis RVPIFOCALDI, viri ad promouendas litteras propensissimi, ea tempestiuè nacti sumus: quæ & hìc cum noua interpretatione nostra nunc primùm edimus.

S. Irenęi, Episcopi Lugdunensis, fragmenta Græca, è S. Ioannis Damasceni parallelis deprompta: quæ in Græcis exemplaribus, per Gręcorum elementa, ordine digesta habentur, singula autem elementa plures pauciorésue titulos continent.

Irenæi, è libris redargutionis falsò nominatæ scientiæ, aduersus hæreses.

Libro 5. cap. 16.

PRioribus temporibus dicebatur quidem homo factus ad imaginem Dei; sed non ostendebatur. Verbum enim adhuc erat inaspectabile, ad cuius imaginē factus erat homo. Ac propterea & similitudinē facilè amisit. Quando autem Verbum Dei caro factum est, vtraque confirmauit. Nam & imaginem verè demonstrauit, hoc factus ipse, quod erat imago eius: & similitudinē prorsus restituit, dum hominem Patri inaspectabili assimilauit.

INCARNATIO DOMINI.

Et post pauca:

Ibidem.

In primo quidem Adamo offendimus, præceptum eius transgressi: in secundo autem Adamo reconciliati sumus, obedientes

REDEMPTIO GENERIS HVMANI.

Εἰρηναίου, ἐκ τῶν κατὰ αἱρέσεων ἐλέγχων τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις ἐλέγετο μὲν κατ' εἰκόνα θεοῦ γεγονέναι τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐδείκνυτο δέ. Ἔτι γὰρ ἀόρατος ἦν ὁ λόγος· οὗ κατ' εἰκόνα ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. Διὰ τοῦτο δὴ καὶ τὴν ὁμοίωσιν ῥαδίως ἀπέβαλεν. Ὁπότε δὲ σὰρξ ἐγένετο ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, τὰ ἀμφότερα ἐπεκύρωσε. Καὶ γὰρ καὶ τὴν εἰκόνα ἔδειξεν ἀληθῶς αὐτὸς τοῦτο γενόμενος, ὅπερ ἦν ἡ εἰκὼν αὐτοῦ· καὶ τὴν ὁμοίωσιν βεβαίως κατέστησε, συνεξομοιώσας τὸν ἄνθρωπον τῷ ἀοράτῳ Πατρί.

Καὶ μετ' ὀλίγα.

Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ Ἀδὰμ προσεκόψαμεν, μὴ ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν, ὑπήκοοι μέχρι θανάτου

νάτου γενόμενοι. Οὐ γὰρ ἄλλῳ τινὶ ἡμεῖς ὀφειλέται, ἀλλ᾽ ἢ ἐκείνῳ, οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ᾽ ἀρχῆς.

ad mortē vsque effecti. Nec enim alteri cuipiam eramus debitores; sed illi dumtaxat, cuius ab initio præceptum eramus transgressi.

Ἔστι δὲ οὗτος ὁ δημιουργὸς, ὁ κατὰ μὲν τὴν ἀγάπην πατὴρ, κατὰ δὲ τὴν δύναμιν κύριος, κατὰ δὲ τὴν σοφίαν ποιητὴς καὶ πλάστης ἡμῶν.

Est autē hic Creator, secundū dilectionem Pater; secundùm potentiam autem Dominus; secundùm sapientiam verò factor & efformator noster. Libro 5. cap. 17.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Sancti Irenæi, è lib. 4. Redargutionis & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

Πάντα συνέστηκεν· εἰς ἕνα θεὸν παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, πίστις ὁλόκληρος. καὶ εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν κύριον ἡμῶν, δι᾽ οὗ τὰ πάντα, καὶ τὰς οἰκονομίας αὐτοῦ, δι᾽ ὧν ἄνθρωπος ἐγένετο ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, πεισμονὴ βεβαία· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, τὸ τὰς οἰκονομίας πατρός τε, καὶ υἱοῦ σκηνοβατοῦν καθ᾽ ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καθὼς βούλεται ὁ πατὴρ, γνῶσις ἀληθής· ἡ τῶν ἀποστόλων διδαχὴ, καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα, κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου.

Omnia illi constant: in vnum Deum omnipotentē (ex quo omnia) fides integra: & in Filium Dei IESVM Christum, Dominum nostrum, (per quē omnia) & dispēsationē eius, per quam Filius Dei factus est homo, persuasio firma: & in Spiritū Dei, dispensationes Patris & Filij, secundùm vnamquamque generationem in hominibus (prout vult Pater) manifestantem, vera cognitio: & Apostolorum doctrina: & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo. Libro 4. cap. 62. IN HOMINE SPIRITVALI OMNIA INSVNT AD BENE IVDICANDVM.

Hæc B. Irenæi verba, cùm sint subobscura, aliquam postulant lucem: hanc strictim dabo. Dicit igitur vir sanctus, in homine spirituali, (cuius est, iuxta S. Apostolum in priore ad Corinthios, cap. 2. iudicare omnia, & à nemine iudicari) omnia inesse ad bene iudicandum necessaria: primò fidem in Deum Patrem, ex quo omnia; & in Filium Dei IESVM Christum, per quem omnia; & in Spiritum Sanctum, per quem manifestantur omnia: deinde Apostolorum doctrinam, & antiquum ecclesiæ statum, atque formam secundùm successiones Episcoporum, & Scripturarum cognitionem, & legitimam expositionem; & præcipuum dilectionis munus. Hæc enim omnia complexus est Irenæus lib. 4. cap. 62. & 63. licet ex ijs aliqua S. Damascenus omiserit. Nota porrò eadem esse fidem integram, persuasionem firmam, & cognitionem veram: atque ita S. Irenæum designare fidem in tres personas sanctissimæ Trinitatis. 1. ad Cor. 2. ver. 15.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ ε κατὰ αἱρέσεων, ἐλέγχου, καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Sancti Irenæi, è lib. 5. contra hæreses, redargutionis & euersionis falso nominatæ scientiæ.

Τί τὸ κωλῦον τὴν σάρκα μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας, ἢ τίς ἐστι μακαρία,

Quid impedit, quo minus caro participet incorruptionē, quæ Lib. 5. c. 5. RESVRRECTIONIS ASSERTIO.

est beata & interminata vita, quæ à Deo tribuitur? Nam Enoch, in quo corpore placuit Deo, in eo translatus est, iustorum translationem præsignificans. Et Elias, vti erat, in suę naturæ substantia assumptus est, spiritalium assumptionem prophetans. Nec ipsorum translationē aut assumptionem corpus vllatenus impediuit. Quibus enim manibus ab initio facti sunt, ijsdem & translationem acceperunt, & assumptionem. Nam in ipso Adamo assuetæ fuerunt Dei manus suum cōcinnare figmentum, ac ferre, & ponere, vbicumque ipsę vellent. Vbi igitur positus est primus homo? in paradiso scilicet, sicut scriptum est: atque inde in hunc mundum eiectus est, postquam refractarius Deo fuit. Qua etiam de caussa Presbyteri, Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illò dicunt esse translatos (Hominibus enim iustis & Dei spiritu præditis paradisus paratus est: in quem & Paullus asportatus *audiuit arcana verba*, hominibus scilicet in præsenti æuo) atque ibi manere translatos, tanquam consummationis auspicantes incorruptionem.

ENOCH ET ELIAS IN PARADISVM TERRESTREM TRANSLATI.

2 Cor. 12. ver. 4.

Ac si quis impossibile esse dicat homines tot sæculis perdurare; & velit Eliam non in carne assumptum esse, sed carnem eius in curru igneo absūptā fuisse; recognoscat, quòd Ionas in profundum maris proiectus, iterum saluus in terram iussu Dei exsputus sit: Ananias verò, & Azarias, & Misaël missi in caminum ignis

IONAS IN VENTRE CETI SERVATVS.

ANANIAS ET SOCII IGNIBVS ILLÆSI.

καὶ ἀτελεύτητος ὑπὸ θεοῦ διδομένη ζωή· ὅπου γὰρ Ἐνὼχ εὐαρεστήσας τῷ θεῷ, ἐν σώματι μετετέθη, τὴν μετάθεσιν τῶν δικαίων προμηνύων. καὶ Ἠλίας, ὡς ἦν, ἐν τῇ τοῦ πλάσματος ὑποστάσει ἀνελήφθη, τὴν ἀνάληψιν τῶν πνευματικῶν προφητεύων. Καὶ οὐδὲν ἐνεπόδισεν αὐτοῖς τὸ σῶμα πρὸς τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν. Δι' ὧν γὰρ χειρῶν ἐπλάσθησαν τὴν ἀρχήν, διὰ τούτων τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν ἐλάμβανον. Εἰθισμέναι γὰρ ἦσαν ἐν τῷ Ἀδὰμ αἱ χεῖρες τοῦ θεοῦ ῥυθμίζειν τὸ ἴδιον πλάσμα, καὶ φέρειν, καὶ τιθέναι, ὅπου αὗται βούλονται. Ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γέγραπται, καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον, παρακούσας θεοῦ. Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι, τῶν ἀποστόλων μαθηταί, τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι· δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις, καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος εἰσοικισθεὶς ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἐν τῷ παρόντι· κἀκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας, ἕως τῆς συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.

Εἰ δέ τις ἀδύνατον λέγοι τὸ χρόνοις τοσούτοις ὑπομένειν τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὸν ἠλίαν μὴ ἔνσαρκον ἀνειλῆφθαι, δεδαπανῆσθαι δὲ τὴν σάρκα αὐτοῦ ἐν τῷ πυρίνῳ ἅρματι, ἐννοείτω ὅτι Ἰωνᾶς ἐν τῷ βυθῷ ῥιφείς, σῶος πάλιν ἐξεπτύσθη τῇ γῇ, κελεύσει θεοῦ. Ἀνανίας δὲ καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαήλ, εἰς κάμινον ἐμβληθέντες πυρός, ἑπταπλασίως ἐκ-

καιομένης,

καιομένης, ἔμειναν ἄφθαρτοι, καὶ οὔτε ἐβλάβησάν τι, οὔτε ὀσμὴ πυρὸς εὑρέθη ἐν αὐτοῖς· ἡ οὖν ἐν αὐτοῖς συμπαροῦσα χεὶρ τοῦ Κυρίου, καὶ παράδοξα, καὶ ἀδύνατα τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων εἰς αὐτοὺς ἐπιτελέσασα, αὕτη καὶ ἐν τοῖς μετατεθεῖσιν ἀπείργασται παράδοξα, καὶ ἀδύνατα τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων εἰς αὐτοὺς ἐπιτελέσασα. Οὔτε οὖν φύσις τινὸς τῶν γεγονότων, οὔτε μὴν ἀσθένεια σαρκὸς ὑπερισχύει τῆς βουλῆς τοῦ θεοῦ. Οὐ γὰρ ὁ θεὸς τοῖς γεγονόσιν, ἀλλὰ τὰ γεγονότα ὑποτέτακται τῷ θεῷ, καὶ τὰ πάντα τοῖς ὑπηρετοῦσι τῷ βουλήματι αὐτοῦ.

septempliciter accensi permanserint incorrupti, nec quicquā læsi, vt nec ignis odor in ipsis iuuentus sit. Manus igitur Domini, quæ illis aderat, & prorsus admirāda atque hominum naturæ impossibilia circa illos patrabat; eadem & circa trāslatos designauit, prorsus scilicet admiranda, & naturæ humanæ impossibilia in ipsis operatus. Neque igitur natura cuiusquā eorum quę sunt, neque infirmitas carnis, Dei prȩualet voluntati. Nō enim Deus ijs, quæ facta sunt; sed ea quæ facta sunt, Deo subijciuntur, & omnia eius deseruiunt voluntati.

Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ τετάρτου ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Irenæi, è lib. 4. redargutionis & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

Ἅπαντα μέτρῳ καὶ τάξει ὁ θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ· ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

Deus in mensura & ordine cuncta facit: nec est apud eum quicquam mensurę expers: quoniam nec numeri.

Apud Damascenum in Parallelis Latinè lib. 1. cap. 2.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

S. Irenæi, è lib. 4. redargutionis & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

DEI COGNITIO EX DEO EST.

Ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ κύριος, ὅτι θεὸν εἰδέναι οὐδεὶς δύναται, μὴ οὐχὶ θεοῦ δοξάζοντος, τουτέστιν, ἄνευ θεοῦ μὴ γινώσκεσθαι τὸν θεόν, αὐτὸ δὲ τὸ γινώσκεσθαι τὸν θεὸν, θέλημα εἶναι τοῦ πατρός· γνώσονται γὰρ αὐτὸν, οἷς ἂν ἀποκαλύψῃ ὁ υἱός.

Docuit nos Dominus neminem posse scire Deū, absque Deo glorificante, hoc est, Deum sine Deo nō cognosci: illud autem ipsum, cognosci Deum, à Patris esse voluntate. Cognoscēt enim ipsum, quibus Filius reuelarit.

Ἐκ τοῦ β. τῶν αὐτῶν.

E libro 2. eorundem operum.

Lib. 2 cap. 46. E SCRIPTVRIS EA, QVÆ FACILES, MEDITANDÆ SVNT.

Ὁ ὑγιὴς νοῦς, καὶ ἀκίνδυνος, καὶ εὐλαβὴς, καὶ φιλαλήθης, ὅσα ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων ἐξουσίᾳ δέδωκεν ὁ θεὸς, καὶ ὑποτέταχε τῇ ἡμετέρᾳ γνώσει, ταῦτα προθύμως ἐκμελετήσει, καὶ ἐν αὐτοῖς προκόψει διὰ τῆς καθημερινῆς ἀσκήσεως, ῥᾳδίαν τὴν μάθησιν ἑαυτῷ ποιούμενος. Ἔστι δὲ ταῦτα, τά τε ὑπ' ὄψιν πίπτοντα τὴν

Mēs sana, & secura, & pia, & veritatis amans, omnia quę Deus hominū tradidit potestati, & nostræ subiecit cognitioni, hęc promptè meditabitur, & in his quotidiana exercitatione proficiet, facilē sibi ipse disciplinam reddens. Hæc autem sunt, quæ sub aspectū nostrum

ſtrum cadunt, & quę perſpicuè ac ſine ambiguitate ipſis vocibus in diuinis Scripturis expreſſa ſunt.

Sancti Irenæi, è libro V. aduerſus hæreſes.

AMICITIA CVM DEO.

Quæcumque cum Deo ſeruant amicitiam, his ipſe ſui præbet cōmunionem: communio autem Dei, vita eſt, & lumen, & bonorum eius fruitio.

S. Irenæi, è lib. 4. redargutionis & euerſionis falsò nominatæ ſcientiæ.

Lib. 4. cap. 73. Cur Deus hominem ab initio perfectum & impeccabilem non crearit.

Sin aliquis dicat: Non potuit Deus hominem ab initio perfectū facere? ſciat ipſe Deo, qui ſemper idem eſt, neque factus eſt, omnia quantū ad ipſum attinet, eſſe poſſibilia: quę autem facta ſunt, quatenus poſtea ſuæ generationis proprium habuere principiū, eatenus & imperfectiora eſſe debere eo, qui fecit. Nec enim poterāt infecta eſſe, quę nuper facta ſunt. Quatenus autem non ſunt infecta, eatenus à perfectione abſunt: quatenus verò nupera, eatenus & imbecilla, eatenus & inaſſueta, & inexercitata ad perfectam diſciplinam. Quemadmodum igitur mater poteſt ſolidam infanti pręberе eſcam, hic autem eam necdum poteſt robuſtiorem ſumere: ita & Deus ipſe poterat quidem ab initio conferre homini perfectionem; ſed homo eius capax non erat. Infans enim erat. Hinc & Dominus noſter in extremis temporibus in ſeipſo omnia inſtauraturus ad nos venit, non quo modo ipſe poterat, ſed quo modo nos ipſum videre poteramus. Ipſe enim in immor-

Infecta hic vocantur, quæ perfecta ſunt ex ſe, & a nullo facta: qualis eſt ſolus Deus.

Ibid. cap 74.

ADVENTVS DOMINI IN CARNE MORTALI.

ἡμετέραν, καὶ ὅσα φανερῶς καὶ ἀναμφιβόλως αὐτολεξεὶ ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς λέλεκται.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ κατὰ αἱρέσεων ε. λόγου.

Ὅσα τὴν πρὸς θεὸν τηρεῖ φιλίαν, τούτοις τὴν ἰδίαν παρέχει κοινωνίαν· κοινωνία δὲ θεοῦ, ζωὴ, καὶ φῶς, καὶ ἀπόλαυσις τῶν παρ᾽ αὐτοῦ ἀγαθῶν.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Εἰ δὲ λέγει τίς· οὐκ ἠδύνατο ὁ θεὸς ἀπ᾽ ἀρχῆς τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν ἄνθρωπον; γνώτω, ὅτι τῷ μὲν θεῷ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὄντι καὶ ἀγεννήτῳ ὑπάρχοντι, ὡς πρὸς ἑαυτὸν, πάντα δυνατά· τὰ δὲ γεγονότα, καθὸ μετέπειτα γενέσεως ἀρχὴν ἰδίαν ἔχε, κατὰ τοῦτο καὶ ὑστερεῖσθαι δεῖ αὐτὰ τοῦ πεποιηκότος· οὐ γὰρ ἠδύνατο ἀγέννητα εἶναι τὰ νεωστὶ γεγεννημένα. καθὸ δὲ μή ἐστιν ἀγέννητα, κατὰ τοῦτο καὶ ὑστεροῦνται τοῦ τελείου· καθὸ δὲ νεώτερα, κατὰ τοῦτο καὶ νήπια, κατὰ τοῦτο καὶ ἀσυνήθη, καὶ ἀγύμναστα, πρὸς τὴν τελείαν ἀγωγήν. Ὡς οὖν ἡ μὲν μήτηρ δύναται τέλειον παρασχεῖν τῷ βρέφει τὸ ἔμβρωμα, τὸ δὲ ἔτι ἀδυνατεῖ τὴν αὐτοῦ πρεσβυτέραν δέξασθαι τροφήν· οὕτως καὶ ὁ θεὸς αὐτὸς μὲν οἷός τε ἦν παρασχεῖν ἀπ᾽ ἀρχῆς τῷ ἀνθρώπῳ τὸ τέλειον, ὁ δὲ ἄνθρωπος ἀδύνατος λαβεῖν αὐτό· νήπιος γὰρ ἦν. διὰ τοῦτο καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν καιρῶν ἀνακεφαλαιωσάμενος εἰς ἑαυτὸν τὰ πάντα, ἦλθε πρὸς ἡμᾶς· οὐχ ὡς αὐτὸς ἠδύνατο· ἀλλ᾽ ὡς ἡμεῖς αὐτὸν ἰδεῖν ἠδυνάμεθα. αὐτὸς μὲν γὰρ ἐν τῇ ἀφθάρτῳ αὐτοῦ δόξῃ, πρὸς ἡμᾶς

ἐλθεῖν

ἐλθεῖν ἠδύνατο. ἀλλ' ἡμεῖς οὐδεπώποτε τὸ μέγεθος τῆς δόξης αὐτοῦ βαστάζειν ἠδυνάμεθα. καὶ διὰ τοῦτο, ὡς νηπίοις, ὁ ἄρτος ὁ τέλειος τοῦ πατρὸς γάλα ἡμῖν ἑαυτὸν παρέσχεν, ὅπερ ἦν ἡ κατὰ ἄνθρωπον αὐτοῦ παρουσία, ἵνα ὡς ὑπὸ μαστοῦ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τραφέντες, καὶ διὰ τῆς τοιαύτης γαλακτουργίας ἐθισθέντες τρώγειν καὶ πίνειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, τὸν τῆς ἀθανασίας ἄρτον· ὅπερ ἐστὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρός· ἐν ἡμῖν αὐτοῖς κατασχεῖν δυνηθῶμεν.

tali sua gloria venire ad nos poterat; sed nos eius magnitudinem gloriæ nequaquam ferre poteramus. Ac propterea, tanquam infantibus, ille panis perfectus Patris, lac nobis seipsū præbuit (quæ est humana eius pręsentia) vt quasi à mamilla carnis eius enutriti, & tali lactatione assueti manducare & bibere Verbum Dei, panem immortalitatis, (qui est Spiritus Patris) in nobis ipsis continere possemus. PANIS IMMORTALITATIS.

Καὶ διὰ τοῦτο Παῦλος Κορινθίοις φησίν Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα. οὐδὲ γὰρ ἠδύνασθε βαστάζειν· τουτέστι, τὴν μὲν κατὰ ἄνθρωπον παρουσίαν τοῦ κυρίου ἐμαθητεύθητε· οὐδήπω δὲ τὸ τοῦ πατρὸς πνεῦμα ἐπαναπαύεται ἐφ' ὑμᾶς, διὰ τὴν ὑμῶν ἀσθένειαν· ὅπου γὰρ ζῆλος, καὶ ἔρις, φησὶν, ἐν ὑμῖν, καὶ διχοστασίαι, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε; καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; τουτέστιν, ὅτι οὐδήπω τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ἦν σὺν αὐτοῖς, διὰ ἀκατάρτιστον αὐτῶν, καὶ ἀσθενὲς τῆς πολιτείας. Ὡς οὖν ὁ ἀπόστολος δύνατος ἦν διδόναι τὸ βρῶμα· οἷς γὰρ ἂν ἐπετίθουν οἱ ἀπόστολοι χεῖρας, ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον· ὅ ἐστι βρῶμα ζωῆς· ἐκεῖνοι δὲ ἠδυνάτουν λαβεῖν αὐτὸ, διὰ τὸ ἀσθενῆ ἔτι καὶ ἀγύμνασα ἔχειν τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια τῆς πρὸς θεὸν γυμνασίας· οὕτως καὶ τὴν ἀρχὴν ὁ μὲν θεὸς δυνατὸς ἦν διδόναι τὸ τέλειον τῷ ἀνθρώπῳ· ἐκεῖνος δὲ ἄρτι γεγονὼς, ἀδύνατος ἦν λαβεῖν αὐτό, ἢ καὶ λαβὼν χωρῆσαι, ἢ καὶ χωρήσας κατασχεῖν· καὶ διὰ τοῦτο συνενηπίαζεν υἱὸς τοῦ θεοῦ τέλειος ὢν τῷ ἀνθρώπῳ, οὐ δι' ἑαυτὸν, ἀλλὰ διὰ τὸ τοῦ ἀνθρώπου νήπιον, οὕτω χωρούμενος, ὡς ἄνθρωπος αὐτὸν χωρεῖν ἠδύνατο, οὐ περὶ τὸν θεόν μὲν τὸ ἀδύ-

Atque idcirco Paullus ait Corinthijs: *Lac vobis potum dedi, nō escam. Nondum enim poteratis portare*. hoc est, humanam Domini præsentiam didicistis: sed Spiritus Patris, ob vestram infirmitatem, necdum super vos requiescit. *Cùm enim sit inter vos zelus & contentio*, inquit, *nonne carnales estis? & secundùm hominem ambulatis?* id est, necdū Patris Spiritus cum illis erat, propter imperfectionem ipsorum, & infirmitatē conuersationis. Quēadmodum igitur Apostolus poterat quidem dare escam, (quibuscumque enim manus imponebant Apostoli, recipiebāt Spiritum sanctum, qui est esca vitę) illi autem non poterant illam recipere; propterea quòd sensa mētis adhuc imbecillia & inexercitata ad res diuinas haberēt: sic & ab initio poterat quidē Deus homini conferre perfectionem; sed hic nuper productus nō poterat, aut illam accipere, aut acceptam capere, aut captam continere. Quocirca filius Dei perfectus cū esset; similiter atque homo, infās factus

Lib. 4 cap. 75. 1. ad Cor. 3. ver. 2. Ibid. ver. 3.

SPIRITVS SANCTVS, VITÆ ESCA.

factus est, non propter se, sed propter hominis infantiā ita captus, sicut eum capere homo potuit: nō quod in Deo aliquid esset impossibile, aut deficiens: sed quòd in homine recens facto impedimētum esset: quia infectus non esset.

ναζον ἢ ἐνδεές· ἀλλὰ περὶ τὸν νεωστὶ γεγονότα ἄνθρωπον, ὅτι μὴ ἀγέννητος ἦν.

Notandus hîc obiter sensus istorum extremorū verborum: *quia infectus non esset*, id est: Quia homo ex se egeret fieri & produci, non autem esset, sicut Deus: infectus scilicet & improductus, & ex se existens. Ita vocem illam accepit & magnus Hilarius Pictauorum Episcopus, & egregius Christi confessor, in psalmum CXXXVIII. *Deo autem soli*, inquit, *proprium potest esse, vt sit, & infectus sit: quia quod est, non est necessitatis vt fiat: quod autem fit, non est, antequam fiat. Sed qui æternus est, manet, neque factus est.* Sic ille.

S. Irenæi è lib. V. contra hæreses.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ ε. κατὰ αἱρέσεων.

Lib. 5. c. 36. Non substantia, neque essentia creaturę exterminatur (verus enim est, & firmus, qui illam condidit) 1. Cor 7. ver 31. sed *præterit figura huius mundi*; id est, eorum, in quibus transgressio facta est: quia inueterauit homo in illis. RESVRRECTIONIS FIDES. Ac propterea præterit figura huius mūdi, præsciente omnia Deo. Pretereunte autem figura hac, & homine renouato ad incorruptionem, ita vt non possit amplius deinceps veterascere, Apocal. 21. ver. 1. *erit cælum nouum, & terra noua.* In quibus nouis persistet homo, semper nouus assistens Deo.

Οὐχ ἡ ὑπόστασις, οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἐξαφανίζεται· ἀληθὴς γὰρ καὶ βέβαιος ὁ συστησάμενος αὐτήν· ἀλλὰ τὸ σχῆμα παράγει τοῦ κόσμου τούτου, τουτέστιν, ἐν οἷς παράβασις γέγονεν· ὅτι ἐπαλαιώθη ὁ ἄνθρωπος ἐν αὐτοῖς. Καὶ διὰ τοῦτο τὸ σχῆμα παράγει τοῦ κόσμου τούτου, προειδότος τὰ πάντα τοῦ θεοῦ· παρελθόντος δὲ τοῦ σχήματος τούτου, καὶ ἀνανεωθέντος τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἀκμάσαντος πρὸς τὴν ἀφθαρσίαν· ὥστε μηκέτι δύνασθαι πέρα παλαιωθῆναι· ἔσται ὁ οὐρανὸς καινὸς, καὶ ἡ γῆ καινὴ, ἐν τοῖς καινοῖς ἀναμένει ὁ ἄνθρωπος ἀεὶ καινὸς προσομιλῶν τῷ θεῷ.

Sancti Irenæi Episcopi Lugdunensis è libro 2. contra hæreses.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐπισκόπου Λουγδούνων, ἐκ τοῦ κατὰ τῶν αἱρέσεων βιβλίου β.

Libro 2. Irenæi cap. 62. Sed sicut vnusquisque nostrûm propriū corpus sumit: sic & propriam habet animā. Neque enim RESVRRECTIO PERFECTA TOTIVS HOMINIS. ita pauper & indigens est Deus, vt vnicuique corpori suam non præbeat animam, vti & propriam formam. Hinc & impleto numero, quem apud se ipse prædefini-

Ἀλλ' ὡς εἷς ἕκαστος ἡμῶν ἴδιον σῶμα λαμβάνει, οὕτως καὶ ἰδίαν ἔχει ψυχήν. Οὐ γὰρ οὕτω πτωχὸς, οὐδὲ ἄπορος ὁ θεὸς· ὥστε μὴ ἑνὶ ἑκάστῳ σώματι ἰδίαν κεχαρίσθαι ψυχὴν, καθάπερ καὶ ἴδιον χαρακτῆρα. Καὶ διὰ τοῦτο πληρωθέντος τοῦ ἀριθμοῦ, οὗ αὐτὸς παρ' αὐτῷ προώρισε, πάντες οἱ ἐγγεγρα-

ἐγγραφέντες εἰς ζωὴν ἀναστήσονται, ἴδια ἔχοντες σώματα, καὶ ἰδίας ἔχοντες ψυχὰς, καὶ ἴδια πνεύματα, ἐν οἷς εὐηρέστησαν τῷ θεῷ. Οἱ δὲ τῆς κολάσεως ἄξιοι ἀπελεύσονται εἰς αὐτὴν, καὶ αὐτοὶ ἰδίας ἔχοντες ψυχὰς, καὶ ἴδια σώματα, ἐν οἷς ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος, καὶ παύσονται ἑκάτεροι τοῦ γεννᾷν ἔτι, καὶ γεννᾶσθαι, καὶ γαμεῖν καὶ γαμεῖσθαι· ἵνα τὸ σύμμετρον φῦλον τῆς προορίσεως ἀπὸ θεοῦ ἀνθρωπότητος ἀποτελεσθεὶς, τὴν ἁρμονίαν τηρήσει τοῦ πατρός.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ ε. βιβλίου κατὰ τῶν αὐτῶν.

Αἰώνια δὲ καὶ ἀτελεύτητα παρὰ θεοῦ τὰ ἀγαθά· καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἡ στέρησις αὐτῶν αἰώνιος καὶ ἀτελεύτητος. ὡς διηνεκοῦς τοῦ φωτὸς ὄντος, οἱ τυφλώσαντες ἑαυτοὺς, ἢ καὶ ὑπὸ ἄλλων τυφλωθέντες, διηνεκῶς ἀποστεροῦνται τῆς τοῦ φωτὸς ἀπολαύσεως, οὐ τοῦ φωτὸς ἐπιφέροντος αὐτοῖς τὴν ἐν τυφλώσει τιμωρίαν.

Ἐπεὶ οὖν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, οἱ μὲν προστρέχουσι τῷ φωτὶ, καὶ διὰ τῆς πίστεως ἑνοῦσιν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ· οἱ δὲ ἀφίστανται τοῦ φωτὸς, καὶ ἀφορίζουσιν ἑαυτοὺς τοῦ θεοῦ, ἐνδέχεται ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, τοῖς πᾶσιν ἁρμόζουσαν οἴκησιν ἐπάγων, τοὺς μὲν ἐν τῷ φωτὶ, πρὸς τὸ ἀπολαύειν αὐτοὺς τῶν ἐν αὐτῷ ἀγαθῶν· τοὺς δὲ ἐν τῷ σκότει, πρὸς τὸ μετέχειν αὐτοὺς τῆς ἐν αὐτῷ μοχθηρίας. Διὰ τοῦτό, φησι, τοὺς μὲν ἐκ δεξιῶν ἀνακαλέσασθαι εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, τοὺς δὲ ἐξ ἀριστερῶν, εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψειν. Ἑαυτοὺς γὰρ πάντων ἐστέρησαν τῶν ἀγαθῶν.

uit, omnes inſcripti ad vitã reſurgent, propria habẽtes corpora, & proprias animas, & proprios ſpiritus, in quibus placuerunt Deo. Digni autem ſupplicio ad illud ibunt, ſuas itidẽ animas habẽtes, & ſua corpora, in quibus à DEI gratia deſciuerunt. Vtrique porrò generare deſiſtent, & generari, vxorem ducere, & nubere: *vt hominum multitudo diuinę correſpõdens prædefinitioni iam conſummata, Patris conſeruet harmoniam.

** Corrige hinc & intellige veterem interpretem lib. 2. cap. 61. vbi hoc postremum membrum aliter habet.*

Eiuſdem è libro V. contra eaſdem.

Lib. 5. cap. 27.

PRÆMIORVM ET SVPPLICIORVM ÆTERNITAS.

Æterna verò ſunt & interminata à Deo bona: atque idcirco & eorum priuatio æterna quoque eſt, & interminata. Sicut lumen cùm ſit perpetuũ, qui ſe excęcant, aut ab alijs excęcãtur, ij perpetuo lucis vſura cariturí ſunt; ſed non quòd lumen ipſis inferat pœnam cæcitatis.

Lib. 5. cap. 28.

Quoniam igitur in hoc ſæculo quidam ad lumen accurrunt, & per fidem ſe Deo coniungunt: alij autem à lumine abſcedunt, & ſe à Deo ſeparant; hinc Verbũ Dei omnes congruenti excipit habitaculo: & eos quidem, qui ſunt in lumine, ad perfruẽda bona, quæ in eo ſunt; eos verò, qui in tenebris, ad participanda mala, quę in illis ſunt, adducens. Propterea dicit eos, qui à dextris ſunt, vocaturum ſe ad regnum cælorum: eos autem, qui à ſiniſtris, miſſurum in ignem æternum. Seipſos enim bonis omnibus priuauerunt.

Matthæi 25. ver. 34. & 41.

Sancti

Sancti Irenæi, è lib. 4. redargutionis, & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

Lib. 4. cap. 34.

RESVRRECTIO CARNIS ASSERTA.

Quomodo dicunt carnem abire in corruptionem, & non participare vitam, quæ corpore Domini, & sanguine eius alitur? Aut sententiam mutent, aut offerre, quæ dicta sunt, recusent. Nostra autem sententia Eucharistiȩ cõsonat: & Eucharistia sententiam nostram confirmat. Offerimus autem ei quæ sua sunt, congruenter communionem & vnitatem prædicantes, & carnis ac spiritus resurrectionem cõfitentes. Quẽadmodum enim panis terrenus,

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

suscepta Dei inuocatione, nõ amplius est panis cõmunis; sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrestri & cælesti: ita & corpora nostra, Eucharistiȩ susceptione, desinunt esse corruptibilia, spem æternȩ resurrectionis obtinentia.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου, καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Πῶς τὴν σάρκα λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν, καὶ μὴ μετέχειν τῆς ζωῆς, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ κυρίου, καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην; ἢ τὴν γνώμην ἀλλαξάτωσαν, ἢ τὸ προσφέρειν τὰ εἰρημένα παραιτείσθωσαν· ἡμῶν δὲ σύμφωνος ἡ γνώμη τῇ εὐχαριστίᾳ, καὶ ἡ εὐχαριστία βεβαιοῖ τὴν γνώμην. Προσφέρομεν δὲ αὐτῷ τὰ ἴδια, ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν. Ὡς γὰρ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ θεοῦ, οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν, ἀλλ' εὐχαριστία ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου· οὕτως καὶ τὰ σώματα ἡμῶν μεταλαμβάνοντα τῆς εὐχαριστίας, μηκέτι εἶναι φθαρτὰ, τὴν ἐλπίδα τῆς εἰς αἰῶνας ἀναστάσεως ἔχοντα.

Eiusdem, è lib. V. redargutionis.

Lib. 5 cap. 11.

Quandoquidem eius membra sumus, & per creaturã nutrimur, creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, &

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

pluens sicut vult, ipse calicem creationis suum sanguinem cõfessus est, & panem creationis suum corpus esse confirmauit, ex quo nostra alũtur corpora. Dum igitur mistus calix, & factus panis suscipit verbum Dei, Eucharistia fit corpus Christi, & ex eo augetur, & consistit carnis nostræ substantia; quomodo dicũt, doni Dei (quȩ est vita ȩterna) capa-

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ ε. ἐλέγχου.

Ἐπειδὴ μέλη αὐτοῦ ἐσμὲν, καὶ διὰ τῆς κτίσεως τρεφόμεθα, τὴν δὲ κτίσιν ἡμῖν αὐτὸς παρέχει, τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλων, καὶ βρέχων, καθὼς βούλεται, τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον, αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε· καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, ἀφ' οὗ τὰ ἡμέτερα αὔξει σώματα. Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶμα Χριστοῦ, ἐκ τούτου τε αὔξει, καὶ συνίσταται ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις, πῶς δεκτικὴν μὴ εἶναι λέγουσι τὴν σάρκα τῆς δωρεᾶς

ρεᾶς τοῦ θεοῦ· ἥτις ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου τρεφομένην, καὶ μέλος αὐτοῦ ὑπάρχουσαν, καθὼς ὁ μακάριος Παῦλός φησιν, ὅτι μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. οὐ περὶ πνευματικοῦ τινος καὶ ἀοράτου ἀνθρώπου λέγων ταῦτα· τὸ γὰρ πνεῦμα οὔτε ὀστέα, οὔτε σάρκα ἔχει· ἀλλὰ περὶ τῆς κατὰ τὸν ἀληθινὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας, τῆς ἐκ σαρκὸς καὶ νεύρων καὶ ὀστέων συνεστώσης· ἥτις καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου αὐτοῦ, ὅ ἐστι τὸ αἷμα αὐτοῦ, τρέφεται· καὶ ἐκ τοῦ ἄρτου, ὅ ἐστι σῶμα αὐτοῦ, αὔξεται.

Καὶ ὅνπερ τρόπον τὸ ξύλον τῆς ἀμπέλου κλιθὲν εἰς τὴν γῆν, τῷ ἰδίῳ καιρῷ ἐκαρποφόρησε· καὶ ὁ κόκκος τοῦ σίτου πεσὼν εἰς τὴν γῆν, καὶ διαλυθεὶς, πολλοστὸς ἠγέρθη διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ τοῦ συνέχοντος τὰ πάντα· ἔπειτα δὲ διὰ τῆς σοφίας τοῦ θεοῦ εἰς χρῆσιν ἐλθόντα ἀνθρώπων, καὶ προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, εὐχαριστία γίνεται, ὅπερ ἐστὶ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ· οὕτως καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα ἐξ αὐτῆς τρεφόμενα, καὶ τεθέντα εἰς τὴν γῆν, καὶ διαλυθέντα ἐν αὐτῇ, ἀναστήσεται ἐν τῷ ἰδίῳ καιρῷ, τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ τὴν ἔγερσιν αὐτοῖς χαριζομένου εἰς δόξαν θεοῦ καὶ πατρὸς, ὃς ὄντως τῷ θνητῷ τὴν ἀθανασίαν περιποιεῖ, καὶ τῷ φθαρτῷ τὴν ἀφθαρσίαν προσχαρίζεται. ὅτι ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται· ἵνα μὴ ὡς ἐξ ἡμῶν αὐτῶν ἔχοντες τὴν ζωὴν, φυσιωθῶμεν καὶ ἀπαρθῶμέν ποτε κατὰ τοῦ θεοῦ, ἀχάριστον ἔννοιαν ἀναλαβόντες, πείρᾳ δὲ μαθόντες, ὅτι ἐκ τῆς ἐκείνου ὑπεροχῆς, οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας φύσεως τὴν εἰς ἀεὶ διαμονὴν ἔχομεν· μήτε τῆς περὶ θεὸν δόξης, ὡς ἐστιν, ἀστοχήσομεν, μήτε τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀγνοήσομεν· ἀλλ' ἴδομεν, τί ὁ

cem non esse carnem nostram, quæ corpore & sanguine Domini nutritur, & eius est membrum, sicut ait beatus Paullus. QVIA MEMBRA SVMVS CORPORIS EIVS, DE CARNE EIVS, ET DE OSSIBVS EIVS. non de spirituali aliquo & inaspectabili homine dicens ista, (SPIRITVS ENIM CARNEM ET OSSA NON HABET) sed de vero homine ex carne, & neruis, & ossibus cõstante: qui & calice eius, qui est sanguis ipsius, nutritur: & pane, qui est corpus eius, augetur.

Ad Ephesios cap 5. vers. 30.

Lucæ 24. vers. 39.

Ac sicut lignum vitis in terram insitum tempore suo fructificat; & granum tritici lapsum in terram ac resolutum, multiplex resurgit per spiritũ Dei omnia continentis: deinde verò ipsa per Dei sapientiam in vsum hominũ veniunt, & suscepto Dei verbo Eucharistia fiunt, quæ est corpus & sanguis Christi: ita & nostra corpora, quæ illa nutriũtur, atque in terra deponũtur, & in eam resoluuntur, suo tempore resurgent, verbo Dei resurrectionẽ illis donante ad gloriam Dei & Patris: qui verè mortali immortalitatem circumdat, & corruptibili incorruptionem gratuitò donat. Quia *virtus Dei in infirmitate perficitur*. Vt non, quasi ex nobis ipsis habentes vitam, inflemur & extollamur aliquando contra Deũ, ingrata erga illum mente affecti: sed experientia edocti, nos ab eius excellentiá, & non à natura nostra habere, quòd æternũm perstemus: nec à Dei gloriá, quãtum in nobis est, aberremus; neque naturam nostram ignoremus: sed scia-

EVCHARISTIA EST CORPVS ET SANGVIS CHRISTI.

2. ad Cor. 12. versu 9.

sciamus, quid Deus possit, & quid homo beneficij recipiat: néue vnquam à vera de ijs, quæ sunt, opinione decrremus, hoc est, de Deo, & de hominibus. Nonne etiam, (vt antè diximus) vel propter hoc permisit Deus hanc nostri resolutionem in terram fieri, vt omnimodè eruditi, simus deinceps in omnibus exacta scientia præditi, neque Deum, neque nosmetipsos ignorantes?

θεὸς δύναται, καὶ τί ἄνθρωπος εὐεργετεῖται· καὶ μὴ σφαλῶμεν ποτὲ τῆς ἀληθοῦς περὶ τῶν ὄντων, ὡς ἔστιν, ὑπολήψεως· τουτέστι θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων. μήτε γε, καθὼς προείπομεν· καὶ διὰ τοῦτο ἠνέσχετο ὁ θεὸς τὴν εἰς τὴν γῆν ἡμῶν ἀνάλυσιν· ὅπως παντοίως παιδευθέντες, ἐν πᾶσιν εἰς τὸ μέλλον ὦμεν ἀκριβεῖς, μήτε θεὸν, μήτε ἑαυτοὺς ἀγνοοῦντες;

Lib. 5. cap. 3. Manifestissimè autem ostendit Paullus hominem ideo suæ traditum infirmitati; vt ne elatus excideret à veritate, cū dixit: (2 ad Cor. 12. ver. 9.) LIBENTER IGITVR GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS MEIS: VT INHABITET IN ME VIRTVS CHRISTI. (RESVRRECTIONIS PROBATIO.) Si enim Deus mortale non viuificat, & corruptibili non tribuit incorruptionem, certè non est potens Deus: atqui in his omnibus potentem esse, ex nostra ipsorū origine debemus cognoscere. (Genes. 2 ver. 7.) Quia Deus accepto limo de terra formauit hominem. Et tamen multo difficilius & incredibilius est, è non existentibus ossibus, & neruis, & reliqua hominis dispositione eū producere, & animatum ac ratione præditum animal efficere; quā id, quod factum fuit, ac deinde in terram resolutum, postquam in ea recesserit, vnde ab initio nondum factus homo fuerat, redintegrare.

Σαφέστατα δὲ Παῦλος ἀπέδειξεν, ὅτι παρεδόθη τῇ ἑαυτοῦ ἀσθενείᾳ ὁ ἄνθρωπος· ἵνα μὴ ἐπαρθεὶς ἀστοχήσῃ τῆς ἀληθείας, εἰπών· ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐπὶ ταῖς ἀσθενείαις· ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ τὸ θνητὸν οὐ ζωοποιεῖ, καὶ τὸ φθαρτὸν μὴ ἀνάγει εἰς ἀφθαρσίαν, οὐκ ἔστι δυνατὸς ὁ θεός· ἀλλ' ὅτι δυνατός ἐστιν ἐν τοῖς τοιούτοις πᾶσιν, ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡμῶν συννοεῖν ὀφείλομεν· ὅτι λαβὼν ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον. καίτοι πολλῷ δυσκολώτερον καὶ ἀπιστότερον ἦν, ἐκ μὴ ὄντων ὀστέων τε, καὶ νεύρων, καὶ τῆς λοιπῆς τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας ποιῆσαι εἰς τὸ εἶναι, καὶ ἔμψυχον, καὶ λογικὸν ἀπεργάσασθαι ζῶον, ἢ τὸ γεγονὸς ἔπειτα ἀναλυθὲν εἰς τὴν γῆν αὖθις ἀποκαταστῆσαι εἰς ἐκεῖνα χωρῆσαν, ὅθεν τὴν ἀρχὴν μηδέπω γεγονὼς ἐγεγόνει ὁ ἄνθρωπος.

Qui enim ab initio eos, qui non erāt, produxit, cùm voluit; multo magis iam productos rursus cùm voluerit, in vitam à se datā restituet: siquidē caro susceptrix simul & capax futura est virtutis Dei.

Ὁ γὰρ τὴν ἀρχὴν οὐκ ὄντας ποιήσας, ὁπότε ἤθελεν· πολλῷ μᾶλλον τοὺς ἤδη γεγονότας αὖθις ἀποκαταστήσει θελήσας εἰς τὴν ἐπ' αὐτοῦ διδομένην ζωήν· εὑρεθήσεται δὲ καὶ δεκτικὴ ἅμα καὶ χωρητικὴ ἡ σὰρξ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως.

Εἰ

Εἰ γὰρ τὴν ἀρχὴν ἀπεδέξατο τὴν τέχνην τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ μέν τι ἐγένετο ὀφθαλμὸς τοῦ ὁρᾶν· τὸ δὲ οὖς τοῦ ἀκούειν· καὶ ἄλλο ἄλλου· Τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν πάσης τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον μελοποιίας, ἥτις οὐκ ἄνευ σοφίας πολλῆς ἐγένετο. Τὰ δὲ τέχνης καὶ σοφίας μετέχοντα θεοῦ, μετέχει καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ· οὐκ ἄρα οὖν ἄμοιρος ἡ σὰρξ τεχνικῆς σοφίας καὶ δυνάμεως θεοῦ· ἀλλ' εἰ ἡ δύναμις αὐτοῦ. ἥτις ἐστὶ ζωῆς παρεκτική. ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, τουτέστιν, ἐν σαρκί· εἰπάτωσαν ἡμῖν οἱ λέγοντες μὴ εἶναι δεκτικὴν τὴν σάρκα τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δεδομένης ζωῆς, πότερον ζῶντες νῦν, καὶ μετέχοντες τῆς ζωῆς λέγουσι ταῦτα, ἢ τὸ καθόλου ζωῆς μετέχοντες μηδὲν, νεκροὺς δὲ αὐτοὺς τῷ παρόντι ὁμολογοῦσιν; ἀλλ' εἰ μὲν εἰσὶ νεκροὶ, πῶς καὶ κινοῦνται, καὶ λέγουσι, καὶ τὰ λοιπὰ ποιοῦσιν, ἅπερ οὐχὶ νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων ἔργα; εἰ δὲ ζῶσι νῦν, καὶ ὅλον σῶμα αὐτῶν μετέχει τῆς ζωῆς, πῶς τολμῶσι λέγειν, μὴ εἶναι τὴν σάρκα δεκτικήν τε καὶ μετοχικὴν τῆς ζωῆς; ὁμολογοῦντες ἔχειν ζωὴν ἐν τῷ παρόντι; ὅμοιον εἴ τις σπογγίαν ὕδατος πλήρη κρατῶν, ἢ λαμπάδα φωτὸς, μὴ δύνασθαι λέγει μετέχειν τοῦ ὕδατος ἐπὶ τῆς σπογγίας, μηδὲ τὴν λαμπάδα τοῦ πυρός· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οὗτοι ζῆν λέγοντες καὶ βαστάζειν τὴν ζωὴν ἐν τοῖς ἰδίοις μέλεσιν, ἔπειτα ἑαυτοῖς ἐναντιούμενοι τὰ μέλη αὐτῶν ἐπιδεκτικὰ μὴ λέγουσι τῆς ζωῆς.

Εἰ δὲ τὸ πρόσκαιρον τοῦ ζῆν, πολλῷ ἀσθενέστερον ἐκείνης τῆς αἰωνίας

Nam ſi ab initio artem Dei ſuſcepit: & alia quędam eius pars facta eſt oculus ad videndum; & alia, auris ad audiendum; aliáque itidem aliud; (Quid enim? Non eſt dicere numerum membrorū humanæ fabricæ, quæ non abſque magna ſapientia Dei fabricata eſt: quæ verò artem & ſapientiam Dei participant, eadē & virtutem eius participant) non igitur caro artificioſæ ſapientiæ ac virtutis Dei expers eſt. Atqui ſi eius virtus, quæ eſt datrix vitæ, in infirmitate perficitur, hoc eſt, in carne; reſpondeāt nobis ij, qui dicunt carnem, vitæ à Deo datę nō eſſe ſuſceptricem, vtrum iam viuentes ac vitam participantes hęc loquantur, an autem nihil omnino vitæ participantes, ſed ſe in præſenti mortuos confitentes? At ſi mortui quidem ipſi ſunt; quomodo & mouentur, & loquuntur; & cetera faciunt, quę non mortuorum, ſed viuorum ſunt opera? Sin iam viuunt, & omne ipſorum corpus vitam participat; quomodo dicere auſi ſunt carnē, nec capacem eſſe vitę, nec participem; cùm ſe in præſenti vitam agere confiteantur? Simile quidē ſanè illud eſt, ac ſi quis ſpongiam aquę plenam tenēs, & facē ignis, dicat nec ſpongiam capacē aquæ eſſe, nec facem, ignis. Sic enim & ipſi, cùm viuere ſe dicant, & in membris ſuis vitam gerere; tum ſibi ipſis contrarij, membra ſua contendunt vitæ nequaquam eſſe capacia.

Quod ſi vita hæc temporalis, quæ multò eſt æternâ illâ imbecillior

sciamus, quid Deus possit, & quid homo beneficij recipiat: néue vnquam à vera de ijs, quæ sunt, opinione deerremus, hoc est, de Deo, & de hominibus. Nonne etiam, (vt antè diximus) vel propter hoc permisit Deus hanc nostri resolutionem in terram fieri, vt omnimodè eruditi, simus deinceps in omnibus exacta scientia præditi, neque Deum, neque nosmetipsos ignorantes?

θεὸς δύναται, καὶ τί ἄνθρωπος εὐεργετεῖται· καὶ μὴ σφαλώμεθά ποτε τῆς ἀληθοῦς περὶ τῶν ὄντων, ὥς ἐστιν, ὑπολήψεως· τουτέστι θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων. μήτε γε, καθὼς προείπομεν· καὶ διὰ τοῦτο ἠνέσχετο ὁ θεὸς τὴν εἰς τὴν γῆν ἡμῶν ἀνάλυσιν· ὅπως παντοίως παιδευθέντες, ἐν πᾶσιν εἰς τὸ μέλλον ὦμεν ἀκριβεῖς, μήτε θεὸν, μήτε ἑαυτοὺς ἀγνοοῦντες;

Lib. 5. cap. 3.

Manifestissimè autem ostendit Paullus hominem ideo suæ traditum infirmitati; vt ne elatus excideret à veritate, cū dixit: LIBENTER IGITVR GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS MEIS: VT INHABITET IN ME VIRTVS CHRISTI. Si enim Deus mortale non viuificat, & corruptibili non tribuit incorruptionem, certè non est potens Deus: atqui in his omnibus potentem esse, ex nostra ipsorū origine debemus cognoscere. Quia Deus accepto limo de terra formauit hominem. Et tamen multo difficilius & incredibilius est, è non existentibus ossibus, & neruis, & reliqua hominis dispositione eū producere, & animatum ac ratione præditum animal efficere; quā id, quod factum fuit, ac deinde in terram resolutum, postquam in ea recesserit, vnde ab initio nondum factus homo fuerat, redintegrare.

2 ad Cor. 12. ver. 9.

RESVRRECTIONIS PROBATIO.

Genes. cap. 2. ver. 7.

Σαφέστατα δὲ Παῦλος ἀπέδειξεν, ὅτι παρεδόθη τῇ ἑαυτοῦ ἀσθενείᾳ ὁ ἄνθρωπος· ἵνα μὴ ἐπαρθεὶς ἀστοχήσῃ τῆς ἀληθείας, εἰπών· ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐπὶ ταῖς ἀσθενείαις· ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ τὸ θνητὸν οὐ ζωοποιεῖ, καὶ τὸ φθαρτὸν μὴ ἀνάγει εἰς ἀφθαρσίαν, οὐκ ἔστι δυνατὸς ὁ θεός· ἀλλ' ὅτι δυνατός ἐστιν ἐν τοῖς τοιούτοις πᾶσιν, ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡμῶν συννοεῖν ὀφείλομεν· ὅτι λαβὼν ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον. καίτοι πολλῷ δυσκολώτερον καὶ ἀπιστότερον ἦν, ἐκ μὴ ὄντων ὀστέων τε, καὶ νεύρων, καὶ τῆς λοιπῆς τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας ποιῆσαι εἰς τὸ εἶναι, καὶ ἔμψυχον, καὶ λογικὸν ἀπεργάσασθαι ζῶον, ἢ τὸ γεγονὸς ἔπειτα ἀναλυθὲν εἰς τὴν γῆν αὖθις ἀποκαταστῆσαι εἰς ἐκεῖνα χωρῆσαν, ὅθεν τὴν ἀρχὴν μηδέπω γεγονὼς ἐγεγόνει ὁ ἄνθρωπος.

Qui enim ab initio eos, qui non erāt, produxit, cùm voluit; multo magis iam productos rursus cùm voluerit, in vitam à se datā restituet: siquidē caro susceptrix simul & capax futura est virtutis Dei.

Ὁ γὰρ τὴν ἀρχὴν οὐκ ὄντας ποιήσας, ὁπότε ἠθέλησε· πολλῷ μᾶλλον τοὺς ἤδη γεγονότας αὖθις ἀποκαταστήσει θελήσας εἰς τὴν ἐπ' αὐτοῦ διδομένην ζωήν· εὑρεθήσεται δὲ καὶ δεκτικὴ ἅμα καὶ χωρητικὴ ἡ σὰρξ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως.

Εἰ

Εἰ γὰρ τὴν ἀρχὴν ἀπεδέξατο τὴν τέχνην τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ μέν τι ἐγεγόνει ὀφθαλμὸς τοῦ ὁρᾶν, τὸ δὲ οὖς τοῦ ἀκούειν· καὶ ἄλλο ἄλλου· Τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν πάσης τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον μελοποιΐας, ἥτις οὐκ ἄνευ σοφίας πολλῆς ἐγένετο. Τὰ δὲ τέχνης καὶ σοφίας μετέχοντα θεοῦ, μετέχει καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ· οὐκ ἄρα οὖν ἄμοιρος ἡ σὰρξ τεχνικῆς σοφίας καὶ δυνάμεως θεοῦ· ἀλλ' εἰ ἡ δύναμις αὐτοῦ. ἥτις ἐστὶ ζωῆς παρεκτική. ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, τουτέστιν, ἐν σαρκί· εἰπάτωσαν ἡμῖν οἱ λέγοντες μὴ εἶναι δεκτικὴν τὴν σάρκα τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δεδομένης ζωῆς, πότερον ζῶντες νῦν, καὶ μετέχοντες τῆς ζωῆς λέγουσι ταῦτα, ἢ τὸ καθόλου ζωῆς μετέχοντες μηδέν, νεκροὺς δὲ αὐτοὺς τῷ παρόντι ὁμολογοῦσιν; ἀλλ' εἰ μὲν εἰσὶ νεκροί, πῶς καὶ κινοῦνται, καὶ λέγουσι, καὶ τὰ λοιπὰ ποιοῦσιν, ἅπερ οὐχὶ νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων ἔργα; εἰ δὲ ζῶσι νῦν, καὶ ὅλον σῶμα αὐτῶν μετέχει τῆς ζωῆς, πῶς τολμῶσι λέγειν, μὴ εἶναι τὴν σάρκα δεκτικήν τε καὶ μετοχικὴν τῆς ζωῆς; ὁμολογοῦντες ἔχειν ζωὴν ἐν τῷ παρόντι; ὅμοιον εἴ τις σπογγίαν ὕδατος πλήρη κρατῶν, ἢ λαμπάδα φωτός, μὴ δύνασθαι λέγει μετέχειν τοῦ ὕδατος ἐπὶ τῆς σπογγίας, μηδὲ τὴν λαμπάδα τοῦ πυρός· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οὗτοι ζῆν λέγοντες καὶ βαστάζειν τὴν ζωὴν ἐν τοῖς ἰδίοις μέλεσιν, ἔπειτα ἑαυτοῖς ἐναντιούμενοι τὰ μέλη αὐτῶν ἐπιδεκτικὰ μὴ λέγουσι τῆς ζωῆς.

Εἰ δὲ τὸ πρόσκαιρον τοῦ ζῆν, πολλῷ ἀσθενέστερον ἐκείνης τῆς αἰωνίας

Nam si ab initio artem Dei suscepit: & alia quędam eius pars facta est oculus ad videndum; & alia, auris ad audiendum; aliáque itidem aliud; (Quid enim? Non est dicere numerum membrorũ humanæ fabricæ, quæ non absque magna sapientia Dei fabricata est: quæ verò artem & sapientiam Dei participant, eadẽ & virtutem eius participant) non igitur caro artificiosæ sapientiæ ac virtutis Dei expers est. Atqui si eius virtus, quæ est datrix vitæ, in infirmitate perficitur, hoc est, in carne; respondeãt nobis ij, qui dicunt carnem, vitæ à Deo datę nõ esse susceptricem, vtrum iam viuentes ac vitam participantes hęc loquantur, an autem nihil omnino vitæ participantes, sed se in præsenti mortuos confitentes? At si mortui quidem ipsi sunt, quomodo & mouentur, & loquuntur, & cetera faciunt, quę non mortuorum, sed viuorum sunt opera? Sin iam viuunt, & omne ipsorum corpus vitam participat; quomodo dicere ausi sunt carnẽ, nec capacem esse vitę, nec participem; cùm se in præsenti vitam agere confiteantur? Simile quidẽ sanè illud est, ac si quis spongiam aquę plenam tenẽs, & facẽ ignis, dicat nec spongiam capacẽ aquæ esse, nec facem, ignis. Sic enim & ipsi, cùm viuere se dicant, & in membris suis vitam gerere; tum sibi ipsis contrarij, membra sua contendunt vitæ nequaquam esse capacia.

Quod si vita hæc temporalis, quæ multò est æterna illa imbecillior

cillior, tamen tantum poteſt, vt mortalia noſtra mẽbra viuificet; quidni ęterna vita, quę eſt efficacior, carnem hanc viuificabit iam exercitatam, iam aſſuetam viuere? Nam carnem eſſe vitæ capacẽ, ex eo quòd viuat, oſtenditur. Viuit autem, quatenus vult eã Deus viuere. Deum porrò vitã illi præbere poſſe manifeſtum eſt. Ipſo proinde nobis prębente vitam, & Deo valente opus ſuum viuificare, & carne itidem aptâ viuificari; quid reliquum eſt, quo minùs ipſa participet incorruptionẽ, quæ eſt beata & interminata vita, quã illi largitur Deus?

Lib. 5. cap 5.

Sed de his quid diſputamus? quandoquidem & Enoch placẽs Deo, in corpore tranſlatus eſt, iuſtorum tranſlationẽ pręnuntians; & Elias, ſicut erat, in conditionis ſuæ perſona aſſumptus eſt, ſpiritualium aſſumptionẽ prædicens: quibus nec ſuum corpus impedimenti quicquam attulit, ſeu ad tranſlationem, ſeu ad aſſumptionem. Quibus enim manibus ab initio facti ſunt, iiſdem & tranſlati, & aſſumpti ſunt. Aſſuetæ enim in ipſo Adamo erant Dei manus, proprium opus & aptare & tenere, & ferre, & ponere, vbicumque vellent. Vbi igitur poſitus eſt primus homo? nempe in paradiſo ſicut ſcriptum eſt, & inde in huncce mundum eiectus. Quocirca Presbyteri, Apoſtolorũ diſcipuli eos, qui tranſlati ſunt, illuc dicũt eſſe trãſlatos, (Hominibus enim iuſtis, & Dei Spiritum habentibus paradiſus præparatus eſt, in quem & Paullus Apoſtolus aſportatus

Geneſis c. 2. ver. 15.

ζωῆς· ὅμως τοῦτο δύναται, ὥστε ζωοποιεῖν ἡμῶν τὰ θνητὰ μέλη. ἡ τούτου δραστικωτέρα αἰώνιος ζωὴ, τί ὅτι οὐ ζωοποιεῖ τὴν σάρκα τὴν ἤδη μεμελετηκυῖαν καὶ εἰθισμένην βαστάζειν τὴν ζωήν; ὅτι γὰρ ἐπιδεκτικὴ ζωῆς ἐστιν ἡ σάρξ, ἐκ τοῦ ζῆν δείκνυται· ζῇ δὲ, ἐφ' ὅσον αὐτὴν ὁ θεὸς θέλει ζῆν. ὅτι δὲ καὶ ὁ θεὸς δυνατὸς παρέχειν αὐτῇ τὴν ζωὴν, δῆλον. Ἐκείνου γὰρ παρέχοντος ἡμῖν τὴν ζωὴν, καὶ τοῦ θεοῦ οὖν δυνατοῦ ὄντος ζωοποιεῖν τὸ πλάσμα τοῦ ἑαυτοῦ, καὶ τῆς σαρκὸς δυναμένης ζωοποιεῖσθαι, τί λοιπὸν τὸ κωλῦον αὐτὴν μετέχειν τῆς ἀφθαρσίας, ἥτις ἐστὶ μακαρία καὶ ἀτελεύτητος ζωὴ ὑπὸ θεοῦ διδομένη.

Τί δὲ καὶ περὶ ἐκείνων λέγομεν· ὁπότε καὶ Ἐνὼχ εὐαρεστήσας τῷ θεῷ μετετέθη ἐν σώματι, τὴν μετάθεσιν τῶν δικαίων προμηνύων, καὶ ἠλίας, ὡς ἦν, ἐν τῇ τοῦ πλάσματος ὑποστάσει ἀνελήφθη, τὴν ἀνάληψιν τῶν πνευματικῶν προφητεύων. καὶ οὐδὲν ἐνεπόδισεν αὐτοῖς τὸ σῶμα πρὸς τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν· δι' ὧν γὰρ χειρῶν ἐπλάσθησαν τὴν ἀρχὴν, διὰ τούτων τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν ἐλάμβανον. εἰθισμέναι γὰρ ἦσαν ἐν τῷ Ἀδὰμ αἱ χεῖρες τοῦ θεοῦ ῥυθμίζειν, καὶ κρατεῖν τὸ ἴδιον πλάσμα, καὶ φέρειν, καὶ τιθέναι, ὅπου αὐταὶ βούλονται· ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος; ἐν παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γέγραπται· καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον παρακούσας· διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι, τῶν ἀποστόλων μαθηταὶ τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι· δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσ-

κομισθεὶς ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι· κἀκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.

Εἰ δέ τις ἀδύνατον ὑπολάβοι χρόνοις τε τοσούτοις ὑπομένειν τοὺς ἀνθρώπους· καὶ τὸν ἠλίαν μὴ ἔνσαρκον ἀναληφθῆναι, δεδαπανῆσθαι δὲ τὴν σάρκα αὐτοῦ ἐν τῷ πυρίνῳ ἅρματι· ἐννοησάτω μὲν τὸ, ὅτι Ἰωνᾶς ἐν τῷ βυθῷ ῥιφεὶς, σῶος πάλιν ἐξεπτύσθη τῇ κελεύσει θεοῦ. Ἀνανίας τε καὶ Ἀζαρίας καὶ Μισαὴλ εἰς κάμινον ἐμβληθέντες πυρὸς ἑπταπλασίως ἐκκαιομένης, οὔτε ἐβλάβησάν τι, οὔτε ὀσμὴ πυρὸς εὑρέθη ἐν αὐτοῖς· ἡ γὰρ συμπαροῦσα αὐτοῖς τοῦ θεοῦ χεὶρ παράδοξα καὶ ἀδύνατα τῇ φύσει εἰς ἑαυτοὺς ἀπετέλεσε. τί οὖν θαυμαστὸν, εἰ καὶ ἐν τοῖς μετατεθεῖσιν ἀπείργασαι παράδοξον ὑπουργοῦσα τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ καὶ πατρός; Οὔτε οὖν φύσις τινὸς τῶν γεγονότων, οὔτε μὴν ἀσθένεια σαρκὸς ὑπερισχύει τὴν δύναμιν καὶ τὴν βούλησιν τοῦ θεοῦ. Οὐ γὰρ ὁ θεὸς τοῖς γεγονόσιν, ἀλλὰ τὰ γεγονότα ὑποτέτακται τῷ θεῷ, καὶ κατὰ πάντα ἐξυπηρετεῖ τῷ βουλήματι αὐτοῦ.

audiuit arcana verba, ad nos quidem non efferenda in præsenti) & illic manere translatos vsque ad consummationem, auspicantes incorruptionem. *2 ad Cor. c. 12. ver. 4.*

Si quis autem impossibile existimet tantis temporibus homines permanere, & Eliam non in carne assumptū esse, sed eius carnem in curru igneo absumptam; is secum reputet, & Ionã in profundum maris proiectum, inde saluum Dei iussu exsputum esse; & Ananiam atque Azariam & Misaëlem in caminum ignis septuplo ampliùs, quàm consueuerat, succensum missos, adeo non fuisse læsos, vt nec odor ignis in ipsis inuentus sit. Nam præsto illis assistens Dei manus res inopinatas & naturæ impossibiles in ipsis patrabat. Quid igitur est admirabile, si in ijs, qui translati sunt, inopinatum quippiam fecit Dei & Patris subseruiens voluntati? Neque igitur natura cuiusquam eorum, quæ facta sunt, neque carnis infirmitas Dei virtuti ac voluntati præualet. Nec enim Deus ijs, quæ facta sunt, sed ipsa Deo subiecta sunt, eiúsque per omnem modum voluntati subseruiunt. *Ionæ 2. ver. 11.* *Danielis 3. ver. 19.*

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ.

A. lib. eodem.

Ἐπεὶ ἄνευ πνεύματος θεοῦ σωθῆναι οὐ δυνάμεθα, προτρεπόμενος ἡμᾶς ὁ ἀπόστολος, διὰ τῆς πίστεως καὶ τῆς ἁγνῆς ἀναστροφῆς συντηρεῖν τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ· ἵνα μὴ ἄμοιροι τοῦ θεοῦ γινόμενοι ἀποτύχωμεν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· ἐβόησε μὴ δύνασθαι τὴν σάρκα καθ' ἑαυτὴν ἐν τῷ αἵματι βα-

Ex eodem.

Quoniã autem sine Spiritu Dei saluari non possumus, adhortans nos Apostolus, per fidem & castam conuersationem conseruare Spiritum Dei, vt ne expertes Dei à regno cælesti excidamus, clamauit non posse carnem seipsa in sanguine regnum Dei possidere. *Lib. 5. cap. 9.* *1. ad Cor. cap. 15. ver. 50.*

sidere. Si enim verum dicere oportet, non possidet caro, sed possidetur.

Desunt in Damasceno aliqua.

Sicut igitur sponsa ducere sponsum non potest, sed duci à sponso potest, cùm sponsus venerit, & eam acceperit: ita & caro seipsa regnũ Dei hereditate possidere non potest, possideri autem hereditate in regno Dei potest. Viuẽs enim hereditate possidet ea, quæ sunt mortui. Et aliud quidem est hereditate possidere, aliud hereditate possideri. Ille enim præest, & dominatur, & disponit hereditate possessa, quemadmodum voluerit: hæc autẽ subiecta sunt, & obediunt, & possidẽtis Dominio subsunt. Quid est igitur viuens? Spiritus Dei. Quæ sunt autem res mortui? membra hominis, quæ in terra hac corrumpuntur: hæc autem possidentur à spiritu translata in regnum cælorum.

Lib. 5. c. 11. 12.

Quemadmodum enim caro corruptionis est capax; sic & incorruptionis: & quemadmodum mortis, sic & vitę: hęc vtraque in eodem manent: sed alterum ab altero expellitur: & præsente altero tollitur alterum. Si igitur mors occupato homine, vitam ab eo expulit, & cadauer effecit; quanto magis vita illi dominata expellet mortem, & viuum hominem sistet Deo? Si enim mors hominem cadauer effecit, sicut ait Isaias propheta: *Deuorauit mors praualens*. Et rursus: *Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie.*

Isaiæ 25. ver 8. iuxta editio Septuaginta.

σιλείαν κληρονομῆσαι θεοῦ. εἰ γὰρ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐ κληρονομεῖ, ἀλλὰ κληρονομεῖται ἡ σάρξ.

Ὡς οὖν ἡ νύμφη γαμῆσαι οὐ δύναται, γαμηθῆναι δὲ δύναται, ὅταν ἔλθῃ καὶ παραλήψηται αὐτὴν ὁ νυμφίος, οὕτω καὶ ἡ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται, κληρονομηθῆναι δὲ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ δύναται· κληρονομεῖ γὰρ ὁ ζῶν τὰ τοῦ τετελευτηκότος, καὶ ἕτερον μέν ἐστι τὸ κληρονομεῖν, ἕτερον δὲ τὸ κληρονομεῖσθαι· ὁ μὲν γὰρ ἀφηγεῖται, καὶ κυριεύει, καὶ διατίθησι τὰ κληρονομούμενα, ἣ ἂν αὐτὸς βουληθῇ· τὰ δὲ ὑποτέτακται, καὶ ὑπακούει, καὶ κυριεύεται ὑπὸ τοῦ κληρονομοῦντος. Τί οὖν ἐστι τὸ ζῶν; τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ· τίνα δὲ τὰ ὑπάρχοντα τοῦ τετελευτηκότος; τὰ μέλη τοῦ ἀνθρώπου τὰ φθειρόμενα ἐν τῇ γῇ ταύτῃ· ταῦτα δὲ κληρονομεῖται ὑπὸ τοῦ πνεύματος μεταφερόμενα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Ὡς γὰρ φθορᾶς ἐπιδεκτικὴ ἡ σάρξ, οὕτως καὶ ἀφθαρσίας· καὶ ὡς θανάτου, οὕτως καὶ ζωῆς, καὶ ἀμφότερα οὐ μένει κατὰ τὸ αὐτό, ἀλλ' ἐξωθεῖται τὸ ἕτερον ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ παρόντος τοῦ ἑτέρου ἀναιρεῖται τὸ ἕτερον. Εἰ οὖν ὁ θάνατος ἐπικρατήσας τοῦ ἀνθρώπου ἔξωσεν αὐτοῦ τὴν ζωήν, καὶ νεκρὸν ἀπέδειξε· πολλῷ μᾶλλον ἡ ζωὴ ἐπικρατήσασα αὐτοῦ ἀπωθεῖται τὸν θάνατον, καὶ ζῶντα τὸν ἄνθρωπον καταστήσει τῷ θεῷ. Εἰ γὰρ ὁ θάνατος ἐνεκροποίησε τὸν ἄνθρωπον· καθὼς φησιν Ἡσαίας ὁ προφήτης. Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. Καὶ πάλιν, Ἀφεῖλεν ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου.

Καὶ

Καὶ μετὰ βραχέα.

Ὡς οὖν ὁ εἰς ψυχὴν ζῶσαν γεγονὼς, ῥίψας ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀπώλεσε τὴν ζωὴν, οὕτως πάλιν ὁ αὐτὸς ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπανελθὼν, καὶ προσλαβόμενος τὸ ζωοποιοῦν πνεῦμα εὑρήσει τὴν ζωήν· οὐ γὰρ ἄλλο τὸ ἀποθνῆσκον, καὶ ἄλλο τὸ ζωοποιούμενον· ὡς οὐδὲ ἄλλο τὸ ἀπολωλὸς καὶ ἄλλο τὸ ἀνευρισκόμενον, ἀλλ᾽ ἐκεῖνο τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον ἦλθεν ὁ κύριος ἀναζητῶν. Τί οὖν ἦν τὸ ἀποθνῆσκον; πάντως ἡ τῆς σαρκὸς ὑπόστασις, καὶ ἡ ἀπολαβοῦσα τὴν πνοὴν τῆς ζωῆς, καὶ ἄπνους καὶ νεκρὰ γινομένη· ταύτην οὖν ὁ κύριος ἦλθε ζωοποιῶν. ἵνα ὡς ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκομεν, ὅτι ψυχικοί, ἐν τῷ Χριστῷ ζήσωμεν, ὅτι πνευματικοί, ἀποθέμενοι οὐ τὸ πλάσμα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς σαρκὸς, καὶ προσλαβόντες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

A. tit. eod.

Μετασχηματίσει, φησὶ, τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ· μετασχηματισμὸς δὲ αὐτῆς, ὅτι θνητὴ καὶ φθαρτὴ οὖσα, ἀθάνατος καὶ ἄφθαρτος γίνεται, οὐκ ἐξ ἰδίας ὑποστάσεως, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου ἐνέργειαν, τὸ δύνασθαι αὐτὸν τῷ θνητῷ τὴν ἀθανασίαν, καὶ τῷ φθαρτῷ περιποιήσασθαι τὴν ἀφθαρσίαν. καὶ διὰ τοῦτό, φησιν, ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο θεὸς, ὁ καὶ δοὺς ἡμῖν τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος, φανερώτατα περὶ τῆς σαρ-

Et post pauca:

Sicut igitur is, qui factus est in animam viuentem, diuertens in peius perdidit vitam: ita è contrario idem ipse reuersus ad melius, & viuificantem Spiritum consecutus inueniet vitam. Nec enim aliud est quod moritur, & aliud quod viuificatur: sicut nec aliud quod perijt, & aliud quod reperitur: sed illam ipsā ouem quæ perierat, venit Dominus requisitum. Quid ergo erat mortuum? planè carnis substantia, & ex ea quæ acceperat spiritum vitę, exanimis & mortua effecta. Hanc igitur Dominus venit viuificatū: vt quemadmodum in Adamo omnes moriebamur, quia animales; in Christo viuamus, quia spirituales, deponentes non Dei creaturam, sed carnis concupiscentias, & Spiritum sanctum accipientes.

Gen. 2. ver. 7.
Lib. 5 cap 12.

Ex eodem libro:

Reformabit, inquit, *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Ad Philip. 3. ver. 21.

Reformatio autem est, quòd caro mortalis cùm sit & corruptibilis, fiat immortalis & incorruptibilis, non vi proprię substantiæ, sed efficaciâ Domini, qui potest mortali immortalitatem, & corruptibili circumdare incorruptionem. Et propter hoc ait: *Vt absorbeatur quod mortale est à vitâ. Qui autem effecit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus*, manifestissimè de carne hæc dicens; quoniam ne-

Lib. 5. cap. 13.
2 ad Cor. cap. 5. ver. 4.

que anima est mortalis, neque spiritus. *Absorbetur enim quod mortale est à vita:* quòd caro non ampliùs mortua, sed viua & incorrupta maneat, Deo, qui nos in hoc ipsum effecit, hymnum dicens.

Vani igitur verè & infelices, qui tam manifesta & clara nolunt conspicere, sed lumen veritatis fugiunt, seipsos, iuxta Oedipodem tragicum, excæcantes, & vt palæstræ insueti cum alijs decertantes, vnam aliquam corporis partem consertis manibus arripiũt, & per illam ipsam, quam detinent, cadunt, & cadentes vincere se putant, quia membro, quod primò arripuerunt, peruicaciter adhærent, omnibus autem propter casum derisui sunt; ita & hæretici ad illud: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, duabus à Paullo arreptis vocibus, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dictorum perscrutati sunt, sed nudas dumtaxat voces sibi adaptantes, circa illas moriuntur, vniuersam Dei dispositionem, quantum in ipsis est, subuertentes.

Sophocles in Oedipode.

1. ad Cor. ca. 15. ver. 50.

κὸς ταῦτα λέγων· οὔτε γὰρ ἡ ψυχὴ θνητὸν, οὔτε τὸ πνεῦμα· καταπίνεται γὰρ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς, ὅτι μηκέτι σὰρξ νεκρὰ, ἀλλὰ ζῶσα καὶ ἄφθαρτος μένει, ὑμνοῦσα τὸν εἰς αὐτὸ τοῦτο κατεργασάμενον ἡμᾶς θεόν.

Μάταιοι οὖν ὄντως, καὶ ἄθλιοι οἱ τὰ οὕτως ἔκδηλα καὶ φανερὰ μὴ θέλοντες συνορᾶν, ἀλλὰ φεύγοντες τὸ φῶς τῆς ἀληθείας, οἱ κατὰ τὸν τραγικὸν Οἰδίποδα ἑαυτοὺς τυφλώττοντες, καὶ ὥσπερ ἀπάλαιστροι προσφιλονεικοῦντες ἑτέροις, ἔν τι μέρος τοῦ σώματος ἀπρὶξ κρατήσαντες, δι' ἐκείνου, οὗ κρατοῦσι, πίπτουσι, καὶ πίπτοντες οἴονται νικᾶν διὰ τὸ φιλεριστικῶς ἔχεσθαι ἐκείνου, οὗ τὴν ἀρχὴν ἐδράξαντο μέλους, πρὸς δὲ τὸ πεπτωκέναι καταγέλαστοι γίνονται· οὕτω γὰρ καὶ οἱ αἱρετικοὶ τὸ σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται, δύο λέξεις ἁρπάσαντες ἀπὸ Παύλου, οὔτε τοῦ ἀποστόλου κατεῖδον, οὔτε τὴν δύναμιν τῶν λεγομένων περιερευνήσαντες, ψιλὰς δὲ αὐτοῖς μόνον τὰς λέξεις ἀπαρτίζοντες, περὶ αὐτὰς ἀποθνήσκουσι, τὴν ἅπασαν οἰκονομίαν, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀνατρέποντες τοῦ θεοῦ.

Sancti Irenæi.

Nos igitur & corpora resurgere credidimus. Etsi enim corrumpuntur, at non pereunt. Terra enim eorum exceptas reliquias seruat, instar opimi seminis cum opimiore terra commisti. Rursus vti nudum granum seritur, & Dei, qui creauit, iussu germinans, vestitum ac splendidum resur-

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου.

A. ist cod.

Ἡμεῖς οὖν καὶ σώματα ἀνίστασθαι πεπιστεύκαμεν· εἰ γὰρ καὶ φθείρεται, ἀλλ' οὐκ ἀπόλλυται. τούτων γὰρ τὰ λείψανα γῆ ὑποδεξαμένη τηρεῖ, δίκην σπόρου πιαινομένου, καὶ τῇ γῆς λιπαρωτέρῳ συμπλεκομένου· αὖθις ὥσπερ κόκκος γυμνὸς σπείρεται, καὶ κελεύσματι τοῦ δημιουργήσαντος θεοῦ θάλλων ἠμφιεσμένος καὶ ἔνδοξος ἐγείρεται, οὐ πρό-

τερον

τερον, εἰ μὴ ἀποθανὼν λυθῇ, καὶ γῇ συμμιγῇ· ὥστε τὴν ἀνάστασιν τοῦ σώματος οὐ μάτην πεπιστεύκαμεν· ἀλλ' εἰ καὶ λύεται πρὸς καιρὸν, διὰ τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην παρακοὴν, ὡς εἰς χωνευτήριον τῆς γῆς καθίσταται, πάλιν ἀναπλασθησόμενον, οὐ τοῦτον φθειρόμενον, ἀλλὰ καθαρὸν, καὶ μηκέτι φθειρόμενον, ὡς ἑκάστῳ σώματι ἡ ἰδία ψυχὴ ἀποδοθήσεται, καὶ τοῦτο ἐνδυσαμένη οὐκ ἀνιαθήσεται, ἀλλὰ χαρήσεται καθαρὰ παραμείνασα, νυμφίῳ δικαίῳ συνοδεύσασα, καὶ μὴ ἐπιβούλῳ ἐν πᾶσιν ἔχουσα μετὰ πάσης. * *Aliquid deest.*

git; sed haud prius quàm mortuũ resolutum sit, ac terræ cõmistum: ita resurrectionem corporis non temere credidimus. Verùm si ad tempus, propter illam, quæ à principio fuit, inobedientiam, in terræ velut conflatorio constituatur, denuo reformandum; nõ hoc corruptibile, sed purum, nec ampliùs corruptibile, sicut sua vnicuique corpori anima, restituetur: & illo induta minimè lugebit, sed lætabitur pura permanens: sponsum iustum & nõ inimicum comitans, in omnibus se habens cũ omni &c.

Aliquid desideratur.

A. tit. 76.

Ἀπολήψεται οὐκ ἀλλοιωθέντα, οὐδὲ πάθους, ἢ νόσου μεταστάντα, οὐδὲ ἔνδοξα ἀπολήψεται τὰ σώματα, ἀλλ' ὡς ἐν ἁμαρτήμασιν ἢ κατορθώμασιν ἐτελεύτων, καὶ ὁποῖα ἦν τοιαῦτα ἀναβιώσαντα ἐπενδύσονται, καὶ ὁποῖα ἐν ἀπιστίᾳ γίνονται, τοιαῦτα πιστῶς κριθήσονται.

Recipiet non demutata, neque commotione animi, aut morbo liberata, neque item gloriosa recipiet corpora; sed vti in peccatis aut rectè factis obierint, & qualia fuerint, talia in resurrectione induent: & sicut in infidelitate fuerint, sic fideliter iudicabuntur. *Locus mutilus, & obscurus.*

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου, καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως,

Sancti Irenæi, è 4. libro redargutionis, & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

B. tit. 2.

Ἀνακρινεῖ δὲ τὸ θεῖον αὐτοῦ τὰ σχίσματα ἐργαζομένους, κενοὺς ὄντας τῆς τοῦ θεοῦ ἀγάπης, καὶ τὸ ἴδιον λυσιτελὲς σκοποῦντας, ἀλλὰ μὴ τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας· καὶ διὰ μικρὰς, καὶ τὰς ὑψούσας αἰτίας τὸ μέγα καὶ ἔνδοξον σῶμα τοῦ Χριστοῦ τέμνοντας, καὶ διαιροῦντας, καὶ ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς, ἀναιροῦντας· τοὺς εἰρήνην λαλοῦντας, καὶ πόλεμον ἐργαζομένους, ἀληθῶς διυλίζοντας τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντας. Οὐδεμία δὲ τηλικαύτη δύναται πρὸς αὐτῶν κατόρθωσις γενέσθαι, ἡλίκη τοῦ σχίσματός ἐστιν ἡ βλάβη.

Iudicabit autem Deus facientes schismata, qui Dei caritate vacui sunt, & ad suam vtilitatẽ, non ad Ecclesiæ vnitatem attendunt, ac propter modicas & quaslibet caussas magnum illud & illustre Christi corpus scindunt ac diuidunt, & (quantum in ipsis est) subuertunt: pacem loquentes, & bellum agitantes, verè *excolantes culicem, camelum autem glutiẽtes.* Nulla enim ab eis tãta potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies. *Lib. 4. cap. 62.* *Matthæi 13. vers. 24.*

Lib.2.cap.45. Melius est autem atque vtilius, idiotas & imperitos esse, & per caritatem Deo appropinquare; quā multiscios & peritos videri, & in Dominum suū esse blasphemos.

Ἄμεινον δὲ καὶ συμφερώτερον, ἰδιώτας καὶ ἀμαθεῖς ὑπάρχειν, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης πλησίον γενέσθαι τοῦ θεοῦ, ἢ πολυμαθεῖς καὶ ἐμπείρους δοκοῦντας εἶναι, βλασφήμους εἰς τὸν ἑαυτῶν εὑρίσκεσθαι δεσπότην.

Sancti Irenæi.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου. B.lit.2.

Lib.4.cap.20. Omnis Rex iustus sacerdotalem habet ordinem.

Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν.

De hac sententia vide infrà, cap.33.

B.lit.3. *Irenæi, è lib. 4. redargutionis & euersionis falso nominatæ scientiæ.*

Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Lib.4.cap.75. De Deo potentia simul, & sapiētia, & bonitas demonstrātur. Potentia quidem & bonitas ex eo, quòd ea quę nondum erant, voluntariè condiderit, & fecerit: Sapientia verò ex eo, quòd eadem apta, & concinna, & bene cōposita reddiderit. Quæ ipsa à supereminenti eius bonitate incrementum sumentia, ac diu permanentia gloriam eius, qui factus nō est, [Dei] referēt, Deo bonum ipsum largiter tribuente: quę quidem, quatenus facta sunt, dici nō possunt infecta: quatenus autem ipsa longis sæculis permanent, potentiam infecti assumēt, Deo ipsis æternam perseuerantiam gratis largiente. Atque ita in omnibus principatum tenet Deus, qui & solus est infectus, & omnium primus, quique omnibus, vt sint, caussa est: reliqua verò, omnia Deo subiecta manent: subijci autem Deo, est incorruptio: incorruptionis porrò perseuerātia, gloria est æterna.

Περὶ τὸν θεὸν, δύναμις ὁμοῦ, καὶ σοφία, καὶ ἀγαθότης δείκνυται· δύναμις μὲν, καὶ ἀγαθότης, ἐν τῷ τὰ μηδέπω ὄντα ἑκουσίως κτίζειν τε, καὶ ποιεῖν· σοφία δὲ, ἐν τῷ εὔρυθμα, καὶ ἐμμελῆ, καὶ ἐγκατασκευασα γεγονότα πεποιηκέναι. ἅτινα διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτοῦ ἀγαθότητα αὔξησιν προσλαβόντα, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐπιμένοντα, ἀγεννήτου δόξαν ἀποίσεται· τοῦ θεοῦ ἀφθόνως χαριζομένου τὸ καλὸν, κατὰ μὲν τὸ γεγεννῆσθαι αὐτὰ, οὐκ ἀγέννητα· κατὰ δὲ τὸ παραμένειν αὐτὰ μακροῖς αἰῶσι, δύναμιν ἀγεννήτου προσλήψεται, τοῦ θεοῦ προῖκα δωρουμένου αὐτοῖς τὴν εἰσαεὶ παραμονήν. Καὶ οὕτως πρωτεύει μὲν ἐν πᾶσιν ὁ θεὸς, ὁ καὶ μόνος ἀγέννητος, καὶ πρῶτος πάντων· καὶ τοῦ εἶναι τοῖς πᾶσι παραίτιος, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἐν ὑποταγῇ μένει τοῦ θεοῦ· ὑποταγὴ δὲ θεοῦ, ἀφθαρσία, καὶ παραμονὴ ἀφθαρσίας, δόξα ἀγέννητος.

Irenæi.

Δ.lit.29. Εἰρηναίου.

Deus naturâ prętātior est: & velle illi adiacet, quia bonus est: &

Φύσεως κρείττων ὁ θεός· καὶ παρ' αὐτῷ τὸ θέλειν, ὅτι ἀγαθός ἐστι· καὶ τὸ δύνασθαι,

δυνάσθαι, ὅτι δυνατός· καὶ τὸ ἐπιτελέσαι, ὅτι εὔπορος.

posse, quia potēs est: & perficere, quia efficax est.

E. tit. 44. Εἰρηναίου.

Ἐν ᾧ ἄν τις δύναιτο εὖ ποιεῖν τὸν πλησίον, μὴ ποιεῖ, ἀλλότριος τῆς ἀγάπης τοῦ κυρίου νομισθήσεται.

Irenæi.

In quo quis benefacere proximis potest, & non facit, alienus à Domini caritate reputabitur. Caritatis proximorum.

Τοῦ Εἰρηναίου Λουγδούνων, εἰς τὸ θηρίον τὸ ἐρχόμενον.

H. tit. 1.

S. Irenæi Lugdunensis, in bestiam venientem.

De Antichristo. Lib. 5. Irenæi c. 29.

Ἀνακεφαλαίωσις γίνεται πάσης ἀδικίας, καὶ παντὸς δόλου· ἵνα ἐν αὐτῷ συῤῥεύσασα καὶ συγκλεισθεῖσα πᾶσα δύναμις ἀποστατικὴ κατὰ τὴν κάμινον ὀλισθῇ τοῦ πυρός· καταλλήλως οὖν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἕξει τὸν ἀριθμὸν χξς. ἀνακεφαλαιούμενος ἐν αὐτῷ τὴν πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πᾶσαν κακίαν. Νῶε γὰρ ἐτῶν ἑξακοσίων, καὶ ὁ κατακλυσμὸς ἐπῆλθε τῇ γῇ εἰς ἐξάλειψιν τῆς ἁμαρτίας· ἀνακεφαλαιούμενος δὲ καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πᾶσαν εἰδωλολατρείαν, μέχρις οὗ ἡ τοῦ Ναβουχοδονόσορ ἀνασταθεῖσα εἰκών· ἥτις ὕψος μὲν εἶχε πηχῶν ἑξήκοντα, εὖρος δὲ πηχῶν ς. ὅλη γὰρ ἡ εἰκὼν ἐκείνη προτύπωσις ἦν τῆς τοῦ Ἀντιχρίστου παρουσίας· τὰ οὖν χ. ἔτη τοῦ Νῶε, ἀφ' οὗ ὁ κατακλυσμὸς ἐγένετο διὰ τὴν ἀποστασίαν, καὶ ὁ πηχισμὸς τῆς εἰκόνος τὸν ἀριθμόν· ὡς εἴρηται· σημαίνουσι τοῦ ὀνόματος, εἰς ὃν συγκεφαλαιοῦται τῶν ς. ἐτῶν πᾶσα ἀποστασία, καὶ ἀδικία, καὶ πονηρία. …

Recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli; vt in ipsa [bestia] cōfluens & conclusa omnis virtus apostatica in caminum ignis mittatur. Congruenter igitur & nomē eius habebit numerum 666. recapitulans in se omnem, quæ fuit ante diluuiū, malitiam (Noë enim erat annorū sexcentorum, quando diluuium venit super terram in deletionē peccati) & recapitulans itidem omnem, quę post diluuium fuit, idololatriam, vsque ad tempus, quo posita est Nabuchodonosoris statua, quæ sexaginta cubitos habebat altitudinis, latitudinis autem sex (Nam tota illa statua, aduentus Antichristi erat præfiguratio) ita anni sexcenti Noë, sub quo fuit diluuium propter apostasiā, & simul numerus cubitorum statuæ, significāt (vt dictum est) numerum nominis eius, in quo recapitulatur omnis sex milliū annorum apostasia, & iniustitia, & nequitia. Numerus nominis Antichristi.

Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, καὶ ἐν πᾶσι σπουδαίοις καὶ ἀρχαίοις τοῦ ἀριθμοῦ τούτου κειμένου, καὶ μαρτυρούντων ἐκείνων αὐτῶν τῶν κατ' ὄψιν τὸν μακάριον Ἰωάννην ἑωρακότων· ὅτι ὁ ἀριθμὸς οὗτος τῶν χξς. τοῦ ὀνόματός ἐστι τοῦ θηρίου ἐκείνου, οὐκ οἶδα πῶς ἐσφάλησάν τινες ἐπακολουθήσαντες

His autem sic se habentibus, & numero hoc in omnibus probatis priscisque Auctoribus posito, & illis ipsis, qui beatum Ioannem viderunt, contestantibus, numerum hunc 666. esse nominis illius bestiæ; nescio qui factum sit, vt quidam aberrarint, sequētes idiotismum

Antichristi nomen non perscrutandum.

tissimum, & medium numerum nominis reiecerint, subtrahentes 50. & pro sex decadibus vnicā adstruentes. Alij deinde absque inquisitione hunc accipientes, partim simpliciter & inconsideratè sectati sunt, partim etiam nomen ipsum habens numerum fallacem, & vitiatum, perscrutari ausi sunt.

Sed illis quidem, qui simpliciter & innocenter hoc fecerunt, æquū est veniam à Deo dari: quotquot autem nomina vitiatum numerum habentia sanciri volunt, & nomē à se ipsis excogitatum Antichristi esse definiunt, minimè euadēt innoxij: quippe qui & semetipsos, & sibi credentes decipiant. Ac prima quidem noxa est, excidere à veritate, & id quod nō est, arbitrari esse: deinde cū Scripturæ quippiam addenti aut detrahenti pœna non mediocris sit proposita, necesse est talē illi esse obnoxium. Consequetur verò & aliud non minimum periculum eos, qui scire Antichristi nomen falsò præsūpserint. Si enim aliud quidem ipsi arbitrētur, ille autem veniens aliud habeat, facilè ab eo decipientur: quasi necdum is aduenerit, à quo cauere oporteat. Certius proinde est, & securius, prophetiæ euentum præstolari, quàm coniectare nomen, aut vaticinari.

Fortè enim in pluribus nominibus idem reperiri numerus poterit: vt in ΕΥΑΝΘΑΣ, *EVANTHAS*, & ΛΑΤΙΝΟΣ, *LATINVS*, & ΠΑΠΙΣΚΟΣ, *PAPISCVS*. in quibus necesse est eum à

ἰδιωτισμῷ· καὶ τὸν μέσον ἠθέτησαν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος, ν. ψήφισμα ὑφελόντες, καὶ ἀντὶ τῶν ἓξ δεκάδων μίαν δεκάδα βουλόμενοι εἶναι. Ἄλλοι δὲ ἀνεξετάστως τοῦτον λαβόντες, οἱ μὲν ἁπλῶς καὶ ἀκαίρως ἐπετήδευσαν· οἱ δὲ κατὰ ἀπειροκαλίαν ἐτόλμησαν καὶ ὄνομα ἀναζητεῖν ἔχον τὸν ἐσφαλμένον καὶ διημαρτημένον ἀριθμόν.

Ἀλλὰ τοῖς μὲν ἁπλῶς καὶ ἀκάκως τοῦτο ποιήσασιν, εἰκὸς καὶ συγγνώμην ἔσεσθαι παρὰ θεοῦ· ὅσοι δὲ κατὰ κενοδοξίαν ὁρίζουσιν ὀνόματα διημαρτημένου ἀριθμοῦ νενομοτεθεῖσθαι, καὶ τὸ ὑπ' αὐτῶν ἐπινοηθὲν ὄνομα ὁρίζονται· οὐκ ἀναίτιοι οὗτοι ἐξελεύσονται, ἔτι καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐμπιστεύσαντας αὐτοῖς ἐξαπατήσαντες. καὶ πρῶτον μὲν ζημία ἐν τῷ ἀποτυχεῖν τῆς ἀληθείας, καὶ τὸ μὴ ὂν ὡς ὂν ὑπολαβεῖν. ἔπειτα δὲ τοῦ προσθέντος ἢ ἀφελόντος τι τῆς γραφῆς ἐπιτιμίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν ἔχοντος, εἰς αὐτὴν ἐμπεσεῖν ἀνάγκη τὸν τοιοῦτον· ἐπακολουθήσει δὲ καὶ ἕτερος οὐχ ὁ τυχὼν κίνδυνος τοῖς ψευδῶς προειληφόσιν εἰδέναι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου ὄνομα. Εἰ γὰρ ἄλλο μὲν οὗτοι δοκοῦσιν· ἄλλο δὲ ἐκεῖνος ἔχων ἐλεύσεται, ῥαδίως ἐξαπατηθήσονται παρ' αὐτοῦ. ὡς μηδέπω παρόντος ἐκείνου, ὃν φυλάσσεσθαι προσήκει. ἀσφαλέστερον οὖν καὶ ἀκινδυνότερον τὸ περιμένειν τὴν ἔκβασιν τῆς προφητείας, ἢ τὸ καταστοχάζεσθαι καὶ καταμαντεύεσθαι ὀνόματος.

Τυχὸν δὲ ἐπὶ πολλῶν ὀνομάτων εὑρεθῆναι δυναμένου τοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ. ὡς τὸ εὐανθὰς, καὶ λατῖνος, καὶ παπίσκος, περὶ ὧν ἀνάγκη σφάλλεσθαι τῆς ἀληθείας τὸν περὶ ἐν αὐτῶν ἐρχόμενον· Εἰ γὰρ πολλά ἐστι τὰ εὑρισκόμενα ὀνόμα-

ὀνόματα ἔχοντα τὸν αὐτὸν ἀριθμόν, ποῖον ἐξ αὐτῶν φορέσει ὁ ἐρχόμενος, ζητηθήσεται.

Εἰρηναίου ἐκ τοῦ κατὰ αἱρέσεων βιβλίου ε.

Θ. tit. 8.

Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον, αἷμα ἴδιον ὡμολόγησεν ὁ κύριος· ἐξ οὗ τὸ ἡμέτερον δεύει αἷμα· καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, ἀφ' οὗ τὰ ἡμέτερα αὔξει σώματα. Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ γίνεται εὐχαριστία, καὶ σῶμα Χριστοῦ, ἐκ τούτων δὲ αὔξει καὶ συνέστηκεν ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις, πῶς δεκτικὴν μὴ εἶναι λέγουσι τῆς δωρεᾶς τοῦ θεοῦ τὴν σάρκα· ἥτις ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος· τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου τρεφομένην, καὶ μέλος αὐτοῦ ὑπάρχουσαν; καθὼς ὁ μακάριος Παῦλός φησιν ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους ἐπιστολῇ· ὅτι μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ.

Εἰρηναίου.

Ο tit 2

Εὖ μὲν λέγοντες ἀεὶ τοῖς ἀξίοις, κακῶς δὲ οὐδέποτε τοῖς ἀναξίοις, τευξόμεθα, καὶ ἡμεῖς τῆς τοῦ θεοῦ δόξης καὶ βασιλείας.

Τοῦ αὐτοῦ.

Π. tit. 12.

Βία θεῷ οὐ πρόσεστιν· ἀγαθὴ δὲ γνώμη πάντοτε συμπάρεστιν αὐτῷ.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Π. tit 25.

Ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς, ἐντός εἰσι τοῦ φωτός, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν· οὕτως οἱ βλέποντες τὸν θεόν, ἐντός εἰσι τοῦ θεοῦ, με-

vero deerrare, qui horum vni adhæserit. Si enim multa sunt nomina eundem numerum repręsentantia, inuestigabitur quodnā ex illis laturus sit is, qui venit.

Irenæi, è lib. V. contra hæreses:

Lib. 5. cap. 11.

Calicem creationis confessus est Dominus suum esse sanguinem: quo nostrum sanguinem rigat: & panem creationis, suum esse corpus confirmauit: quo nostra augentur corpora. Quando igitur & mistus calix, & confectus panis suscipit verbum Dei, & fit Eucharistia, & corpus Christi, atque ex his augetur & consistit carnis nostræ substantia; quomodo dicunt carnem, muneris Dei capacem non esse, quę est vita æterna? & eam carnem, quę Domini corpore & sanguine Domini nutritur, & fit eius membrum. Sicut ait beatus Paullus in epistola ad Ephesios: QVIA MEMBRA SVMVS CORPORIS ET SANGVINIS EIVS, DE CARNE EIVS ET DE OSSIBVS EIVS.

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

Ephes. 5. vers. 30.

Irenæi:

Damasc. citat l. 3. parallelorum cap. 14.

Benedicentes quidem semper ijs, qui digni sunt; indignis autem nunquam maledicentes, ita demum nos quoque Dei gloriam & regnum consequemur.

Eiusdem:

Lib. 4. cap. 71.

Deo non inest violentia: sed bona voluntas semper illi adest.

Sancti Irenæi, è lib. 4. redargutionis & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

Lib. 4. cap. 37.

Sicut intuentes lumen, in ipso lumine sunt, & claritatem eius participant; ita videntes Deum, in ipso Deo sunt, & eius splendore

re perfruũtur. Quocirca qui Deũ vident, vitæ participes erunt. Ac proinde qui percipi, & comprehendi, & aspici non potest, se ipsum aspectabilem, & comprehẽsibilem, & perceptibilem fidelibus exhibuit: vt ipsum fide percipientes & aspectantes viuificet. Quemadmodum enim eius magnitudo nequit inuestigari; ita nec bonitas ipsius, per quam se intuentibus vitam præbet, potest enarrari. Nam viuere absque vita haud est possibile: vitæ autem substantia ex Dei participatione proficiscitur; Dei autem participatio, est Deum cognoscere, & ipsius frui bonitate.

τέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος. Ζωῆς οὖν μεθέξουσιν οἱ ὁρῶντες θεόν. Καὶ διὰ τοῦτο ὁ ἀχώρητος, καὶ ἀκατάληπτος, καὶ ἀόρατος, ὁρώμενον ἑαυτὸν, καὶ καταλαμβανόμενον, καὶ χωρούμενον τοῖς πιστοῖς παρέχει. ἵνα ζωοποιήσῃ τοὺς χωροῦντας καὶ βλέποντας αὐτὸν, διὰ πίστεως. Ὡς γὰρ τὸ μέγεθος αὐτοῦ ἀνεξιχνίαστον, οὕτως καὶ ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ ἀνεξήγητος· δι᾽ ἧς βλεπόμενος ἐνδίδωσι τοῖς ὁρῶσιν αὐτόν· ἐπεὶ ζῆσαι ἄνευ ζωῆς οὐχ οἷόν τε ἦν, ἡ δὲ ὕπαρξις τῆς ζωῆς ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ περιγίνεται μετοχῆς· μετοχὴ δὲ θεοῦ ἐστι τὸ γινώσκειν θεὸν, καὶ ἀπολαύειν τῆς χρηστότητος αὐτοῦ.

Sancti Irenæi, è libro V. Redargutionis & euersionis falsò nominatæ scientiæ.

Lib. 5. cap. 27.

Quicumque voluntate sua à Deo desciscunt, hos ipse à se separat: separatio autem Dei, mors est. Et separatio luminis, tenebræ: & separatio Dei, est omnium, quæ ab ipso manant, bonorũ amissio. Quare qui per apostasiam ea, quæ antè dicta sunt, dimiserint; tãquã bonis omnibus priuati, nullo nõ punientur supplicio, nõ quidem Deo antecedenter eos puniente, sed pœnâ illâ bonorum omnium priuationem consequente.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ ε. ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Π. τίτ. 26.

Ὅσοι ἀφίστανται κατὰ τὴν γνώμην αὐτῶν τοῦ θεοῦ, τούτοις τὸν ἀπ᾽ αὐτοῦ χωρισμὸν ἐπάγει· χωρισμὸς δὲ θεοῦ θάνατος· καὶ χωρισμὸς φωτὸς σκότος, καὶ χωρισμὸς θεοῦ ἀποβολὴ πάντων τῶν παρ᾽ αὐτοῦ ἀγαθῶν· οἱ οὖν διὰ τῆς ἀποστασίας ἀποβαλόντες τὰ προειρημένα, ἅτε ἐστερημένοι πάντων τῶν ἀγαθῶν ἐν πάσῃ κολάσει καταγίνονται· τοῦ θεοῦ μὲν προηγητικῶς μὴ κολάζοντος, ἐπακολουθήσης δὲ ἐκείνης τῆς κολάσεος, διὰ τὸ ἐστερῆσθαι πάντων τῶν ἀγαθῶν.

Irenæi, è libro 4. Redargutionis.

Lib. 4. cap. 75.

SS. TRINITATIS MYSTERIVM.

Hoc igitur ordine, & tali congruentia ac tenore factus & formatus homo, ad imaginem ac similitudinem Dei infecti existit, Patre quidem approbante ac iubente; Filio autem faciente atque

Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου.

Π. τίτ. 30.

Διὰ ταύτης τῆς τάξεως, καὶ τῶν τοιούτων ῥυθμῶν, καὶ τῆς τοιαύτης ἀγωγῆς ὁ γεννητὸς καὶ πεπλασμένος ἄνθρωπος κατ᾽ εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν τοῦ ἀγεννήτου γίνεται θεοῦ, τοῦ μὲν πατρὸς εὐδοκοῦντος καὶ κελεύοντος· τοῦ δὲ υἱοῦ πράσσον-

πράσσοντος καὶ δημιουργοῦντος, τοῦ δὲ πνεύματος τρέφοντος καὶ αὔξοντος, τοῦ δὲ ἀνθρώπου ἠρέμα προκόπτοντος, καὶ πρὸς τέλειον ἀνερχομένου, τουτέστι πλησίον τοῦ ἀγεννήτου γινομένου. Τέλειος γὰρ ὁ ἀγέννητος, οὗτος δέ ἐστι θεός. Ἔδει δὲ τὸν ἄνθρωπον πρῶτον γενέσθαι, καὶ γενόμενον αὐξῆσαι, καὶ αὐξήσαντα ἀνδρωθῆναι, καὶ ἀνδρωθέντα πληθυνθῆναι, καὶ πληθυνθέντα ἐνισχῦσαι, καὶ ἐνισχύσαντα δεδοξασθῆναι, καὶ δοξασθέντα ἰδεῖν τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην. Θεὸς γὰρ ὁ μέλλων ὁρᾶσθαι· ὅρασις δὲ θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας, ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ θεοῦ.

operante: Spiritu verò alente & augente: necnon homine paullatim proficiente, & ad perfectũ perueniente, hoc est, simillimo infecti euadente. Perfectus est enim is, qui factus non est: hic autem est Deus. Oportebat porrò hominem primò fieri, & factum augeri, & auctum corroborari, & corroboratum multiplicari, & multiplicatũ inualescere, & postquam inualuit, glorificari, & glorificatum denique videre suum Dominũ. Deus est enim, qui videri debet: visio autẽ Dei efficax est incorruptionis: incorruptio autẽ propinquum facit esse Deo.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου.

Sancti Irenæi.

π τιι 33.

Ἴδιον καὶ πρεπῶδες ὡς ἀληθῶς τῷ θεῷ, τὸ ἱλάσκεσθαι, τὸ ἐλεεῖν, τὸ τὰ ἔργα σώζειν τὰ ἑαυτοῦ· κἂν εἰς κίνδυνον διαφθορᾶς ὑφ' ἑαυτῶν καταφέρονται. παρ' αὐτῷ γάρ, φησιν, ὁ ἱλασμός ἐστιν.

Deo proprium re verà & congruens est, propitium se præbere ac misereri, operibúsque suis salutem afferre, etiamsi ad interitus periculũ ex se ipsis ferãtur. *Quia apud ipsum*, inquit Scriptura, *propitiatio est.* *Psal. 129 ver. 4.*

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ β. ἐλέγχου.

S. Irenæi, è lib. 4. Redargutionis.

π. τιι 35.

Εἰ καὶ ἐπὶ τῶν τῆς κτίσεως ἔνια μὲν ἀνάκειται τῷ θεῷ, ἔνια δὲ καὶ εἰς γνῶσιν ἐλήλυθε τὴν ἡμετέραν, τί χαλεπόν, εἰ καὶ τῶν ἐν ταῖς γραφαῖς ζητουμένων· ὅλων τῶν γραφῶν πνευματικῶν οὐσῶν· ἔνια μὲν ἐπιλύομεν κατὰ χάριν θεοῦ· ἔνια δὲ ἀνακείσεται τῷ θεῷ· καὶ οὐ μόνον αἰῶνι ἐν τῷ νυνί· ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι· ἵνα ἀεὶ μὲν ὁ θεὸς διδάσκῃ, ἄνθρωπος δὲ διὰ παντὸς μανθάνῃ παρὰ θεοῦ. εἰ οὖν καθ' ὃν εἰρήκαμεν τρόπον, ἔνια τῶν ζητημάτων ἀναθήσομεν τῷ θεῷ, καὶ τὴν πίστιν ἡμῶν διαφυλάξομεν, καὶ ἀκίνδυνοι διαμενοῦμεν, καὶ πᾶσα γραφὴ δεδομένη ἡμῖν ἀπὸ θεοῦ, σύμφωνος ἡμῖν εὑρεθήσεται· καὶ αἱ παραβολαὶ τοῖς διαῤῥή-

Si etiã in rebus creatis aliæ quidem soli Deo cognitæ sunt, aliæ verò & in cognitionem nostram veniunt; cur durum sit, si eorum, quæ in Scripturis quærũtur (cùm Scripturæ omnes spirituales sint) aliqua quidem per Dei gratiam exsoluamus, alia autẽ Deo relinquamus, nec solùm in hoc, sed etiam in futuro sæculo? vt semper quidem Deus doceat; homo autem semper à Deo discat. Si igitur, quemadmodum diximus, quæstiones nonnullas Deo relinquamus; ita & fidem nostram custodiemus, & periculi expertes erimus,

Lib. 2 cap. 47. Scripturarum aliqua difficillima, & Deo relinquenda.

mus,& omnem Scripturam nobis à Deo traditam sibi consentire inueniemus: & parabolę cum manifestè dictis cõcordabunt, & manifestè dicta parabolas exsoluent, atque è multisonis vocibus vnum in nobis consonum melos audietur.

δηλ εἰρημένοις συμφωνήσουσι, καὶ τὰ φανερῶς εἰρημένα ἐπιλύσει τὰς παραβολὰς, καὶ διὰ τῆς τῶν λέξεων πολυφωνίας, ἓν σύμφωνον μέλος ἐν ἡμῖν αἰσθήσεται.

S. Irenæi, è lib. 4. Redargutionis.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου.

Libro 4. cap. 72.

Φ ιιι. 14

Non sic amantur ea, quæ vltro nobis aduenuint, quemadmodũ ea, quę studio acquiruntur.

Οὐχ ὁμοίως ἀγαπᾶται τὰ ἐκ τοῦ αὐτομάτου προσγινόμενα τοῖς μετὰ σπουδῆς εὑρισκομένοις.

S. Irenæi, è lib. 4. Redargutionis.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ. ἐλέγχου.

Lib. 4.

Χ. ιιι 6.

Christiani munus aliud nullum est, quàm mortem meditari.

Τὸ ἔργον τοῦ Χριστιανοῦ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ μελετᾷν ἀποθνήσκειν.

S. Irenæi, è lib. 5. Redargutionis.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐκ τοῦ ε. ἐλέγχου.

Lib. 5. cap. 31. Nomen Irenæi. FIDES EST ANIMAS INTEGRE EXPIATAS MOX IN CÆLUM RECIPI.

Ψ. ιιι 1.

Animæ abscedunt in locum sibi à Deo destinatum: ibique versantur Resurrectionem exspectãtes: deinde corpora resumentes, & integrè, hoc est, corporaliter resurgentes, (sicut & Dominus resurrexit) ita in conspectum DEI venient.

Αἱ ψυχαὶ ἀπέρχονται εἰς τὸν τόπον τὸν ὡρισμένον αὐταῖς ἀπὸ τοῦ θεοῦ, κἀκεῖ μέχρι τῆς ἀναστάσεως φοιτῶσι περιμένουσαι τὴν ἀνάστασιν, ἔπειτα ἀπολαβοῦσαι τὰ σώματα, καὶ ὁλοκλήρως ἀναστᾶσαι, τουτέστι σωματικῶς, καθὼς καὶ ὁ κύριος ἀνέστη, οὕτως ἐλεύσονται εἰς τὴν ὄψιν τοῦ θεοῦ.

Sancti Irenæi.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου.

Lib. 4. cap. 72. LIBERTAS ARBITRII CONFIRMATVR.

Si naturâ quidem alij mali, alij boni nati sint: neque hi laudabiles erũt, quòd boni sint (Tales enim facti sunt) neque illi reprehensibiles, quòd mali sint. Sed cũ omnes eiusdem sint naturæ, & possint tenere & facere bonum; & rursus illud reijcere, & non facere; meritò apud homines rerũ peritos, (ac multo quidem magis apud DEUM) hi quidem laudantur, & vniuersè testimonia digna accipiunt electionis boni ac perseuerantiæ: isti verò culpantur, ac

Εἰ φύσει οἱ μὲν φαῦλοι, οἱ δὲ ἀγαθοὶ γεγόνασι· οὐθ' οὗτοι ἐπαινετοὶ ὄντες ἀγαθοί· τοιοῦτοι γὰρ κατεσκευάσθησαν· οὔτ' ἐκεῖνοι μεμπτοὶ, οὕτως γεγονότες· ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, δυνάμενοί τε κατασχεῖν καὶ πρᾶξαι τὸ ἀγαθόν· καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ, καὶ μὴ ποιῆσαι, δικαίως καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς εὐνομουμένοις, καὶ πολὺ πρότερον παρὰ θεῷ, οἱ μὲν ἐπαινοῦνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι μαρτυρίας τῆς τοῦ καλοῦ καθόλου ἐκλογῆς καὶ ἐπιμονῆς. Οἱ δὲ καταιτιῶνται, καὶ ἀξίας τυγχά-

τυγχάνουσι ζημίας τῆς τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀποβολῆς. Καὶ διὰ τοῦτο οἱ προφῆται παρῄνουν τοῖς ἀνθρώποις δικαιοπραγεῖν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐξεργάζεσθαι· ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντος τοῦ τοιούτου. καὶ διὰ τὴν πολλὴν ἀμέλειαν εἰς λήθην ἐκπεπτωκότων, καὶ γνώμης δεομένων ἀγαθῆς, ἣν ὁ ἀγαθὸς Θεὸς παρέχει γινώσκειν διὰ τῶν προφητῶν.

merito afficiuntur damno reiectionis boni & honesti. Hinc & Prophetæ, homines commonebant iustè agere, & bonum operari, tanquam quod in nostra situm sit potestate, nósque ex magna negligentia in obliuionē inciderimus, ac bono egeamus cōsilio; quod nobis dedit bonus Deus per Prophetas cognoscere.

Ταῦτα γὰρ πάντα τὸ αὐτεξούσιον ἐπιδείκνυσι τοῦ ἀνθρώπου· καὶ τὸ συμβουλευτικὸν τοῦ Θεοῦ, ἀποτρέποντος μὲν τοῦ ἀπειθεῖν αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ βιαζομένου.

Hęc enim omnia hominis demonstrant libertatē, & Dei simul consilium, dehortantis quidē ab inobedientia; sed vim non inferentis.

Quæ adhuc allata sunt, hæc è S. Ioannis Damasceni codice MS. suprà laudato desumpta sunt: iam nonnulla è SS. Græciæ Patrum Catenis, quas vocant, studio Iacobi Sirmondi deprompta, atque ad me transmissa hîc addemus.

E Catena in Genesim:

Ἕτερόν ἐστι πνοὴ ζωῆς, ἡ καὶ ψυχικὸν ἀπεργαζομένη τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἕτερον πνεῦμα ζωοποιοῦν, τὸ καὶ πνευματικὸν αὐτὸν ἀποτελοῦν. Καὶ διὰ τοῦτο Ἡσαΐας φησίν· οὕτω λέγει Κύριος ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν, καὶ στερεώσας αὐτὸν, ὁ πήξας τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, καὶ διδοὺς πνοὴν τῷ λαῷ τῷ ἐπ' αὐτῆς, καὶ πνεῦμα τοῖς πατοῦσιν αὐτήν· τὴν μὲν πνοὴν παντὶ κοινῶς τῷ ἐπὶ γῆς λαῷ φήσας δεδόσθαι· τὸ δὲ πνεῦμα ἰδίως καταπατοῦσι τὰς γεώδεις ἐπιθυμίας. Διὸ καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς Ἡσαΐας διαστέλλων τὰ προειρημένα φησί. Πνεῦμα γὰρ παρ' ἐμοῦ ἐξελεύσεται, καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα. τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τοῦ θεοῦ τάξας τοῦ ἐκχέοντος αὐτὸ διὰ τῆς υἱοθεσίας ἐπὶ τὴν ἀνθρωπότητα· τὴν δὲ πνοὴν κοινῶς ἐπὶ τῆς κτίσεως, καὶ ποίημα ἀναγορεύσας αὐτήν.

E Catena in Genesim.

Aliud est spiraculum vitę, quod animalem facit hominē, & aliud Spiritus viuificans, qui spiritualem ipsum reddit. Ac propterea inquit Isaias. *Sic dicit Dominus, qui fecit cælum, & firmauit illud; qui produxit terram, & quæ in illa sunt, & dedit spiraculum populo in ea degenti, & spiritum calcantibus illam:* spiraculum quidem omni populo communiter datum dicens: spiritum autem ijs peculiariter, qui terrestres calcant cupiditates. Idcirco rursus idem Isaias ea, quę antè sunt dicta, distinguēs ait: *Spiritus à me exibit; & flatum omnem ego faciam:* spiritum propriè attribuens Deo effundenti illum, per adoptionem, in genus humanū: flatum verò communiter creaturę, & vocans eam opus factum. Aliud

Lib. 5. Irenæi cap. 12.

Isaiæ 42. vers. 5.

Isaiæ 57. vers. 16.

est porrò quod factum est, ab eo qui fecit. Quare flatus est temporalis: spiritus autem æternus.

Et flatus quidem cùm paullisper viguit, & aliquanto tempore perstitit, postea abscedit, exanimũ relinquẽs illud, in quo priùs fuerat: spiritus verò intus forísque hominem complexus, tanquam semper stabilis, nunquam eum derelinquit.

Ex eadem.

Diuinæ opus prouidentiæ hoc erat, quo duæ synagogæ ab vno & eodem patre, sine carnis libidine, procreatæ significabãtur. Nec enim alius erat vllus, qui illis posset semen genitale, & liberorum fructum dare.

E Catena in Numeros.

Hæc olim per parabolas loquens Balaam nõ agnoscebatur: & nunc Christus præsens, & ea implens, fidem nõ obtinuit. Vnde præuidens & admirans dicit. *Heu, heu, quis viuet, quando posuerit ista Deus?*

Numer. 24. ver. 23.

Ex eadem.

Deuteronomium, generationi quæ cæsos in eremo cõsecuta est, à capite ipso enarrans, legem tradit: nõ quasi legem alteram, præter eam quæ olim ipsorum patribus constituta erat, afferens; sed illam ipsam recapitulans: vt ipsi auditis, quæ suis patribus cõtigerunt, ex toto corde timeant Dominum.

E Catena in Deuteronomium:

A quibus Christus præfiguratus est & agnit⁹, & genitus: in Ioseph qui-

Ἕτερον δέ ἐστι τὸ ποιηθὲν τοῦ ποιήσαντος. ἡ οὖν πνοὴ πρόσκαιρος· τὸ δὲ πνεῦμα ἀέναον.

Καὶ ἡ μὲν πνοὴ ἀκμάσασα πρὸς βραχὺ, καὶ καιρῷ τινι παραμείνασα, μετὰ τοῦτο πορεύεται, ἄπνουν καταλιποῦσα ἐκεῖνο, περὶ ὃ ἦν τὸ πρότερον. τὸ δὲ περιλαβὸν ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν τὸν ἄνθρωπον, ἅτε ἀεὶ παραμόνιμον, οὐδέποτε καταλείπει αὐτόν.

Ex eadem.

Οἰκονομία ἐπετελεῖτο, δι' ἧς αἱ δύο συναγωγαὶ ἀπὸ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς τεκνοποιησάμεναι ἐμηνύοντο ἄνευ σαρκὸς ἡδονῆς. Οὐ γὰρ ἦν ἄλλος οὐδεὶς σπέρμα ζωτικὸν, καὶ τέκνων ἐπικαρπίαν δυνάμενος δοῦναι αὐταῖς, καθὼς γέγραπται.

E Catena in Numeros:

Ταῦτα πάλαι διὰ παραβολῶν λαλῶν ὁ Βαλαὰμ οὐκ ἐγινώσκετο· καὶ νῦν ὁ Χριστὸς παρὼν, καὶ ταῦτα πληρῶν οὐκ ἐπιστεύετο. Ὅθεν προβλέπων καὶ θαυμάζων λέγει· ὦ, ὦ, τίς ζήσεται, ὅταν θῇ ταῦτα θεός;

Ex eadem:

Ἄνωθεν τὸν νόμον τῇ μετὰ τοὺς ἠρημωμένους ἐν τῇ ἐρήμῳ γενεᾷ ἐπεξηγούμενος ἐκδιδάσκει τὸ Δευτερονόμιον· οὐχ ὡς ἕτερον νόμον διδοὺς παρὰ τὸν πάλαι τοῖς πατράσιν αὐτῶν ὡρισμένον· ἀλλ' αὐτὸν τοῦτον ἀνακεφαλαιούμενος· ἵνα ἀκούσαντες τὰ συμβάντα τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ἐξ ὅλης καρδίας φοβηθῶσι τὸν Κύριον.

E Catena in Deuteronomium.

Ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς προετυπώθη, καὶ ἐπιγνώσθη, καὶ ἐγεννήθη· ἐν μὲν τῷ Ἰωσὴφ προετυπώθη·

πώθη· ἐκ δὲ τοῦ Λευὶ καὶ τοῦ Ἰούδα τὸ κατὰ σάρκα, ὡς βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς ἐγεννήθη· διὰ δὲ τοῦ Συμεὼν ἐν τῷ ναῷ ἐπεγνώσθη. διὰ τοῦ Ζαβουλὼν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἐπιστεύθη, ὥς φησιν ὁ προφήτης· Γῆ Ζαβουλών· διὰ δὲ τοῦ Βενιαμὶν τοῦ Παύλου εἰς πάντα τὸν κόσμον κηρυχθεὶς ἐδοξάσθη.

dem prefiguratus est: è Leui autem & Iuda secundùm carnem, vt Rex & Sacerdos, genitus est: à Symeone autē in tēplo est agnitus: per Zabulon porrò in Gentibus fides in eum habita est; sicut propheta dicit: *Terra Zabulō*: per Beniamin Paullum denique predicatus toto orbe glorificatus est. *Isaiæ 9. ver. 1.*

E Catena in Iudices.

Καὶ τοῦτο οὐκ ἀργῶς, ἀλλ' ἵνα διὰ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δέκα ἀνδρῶν Ἰησοῦν μεθ' ἑαυτοῦ ἔχων φανῇ βοηθόν.

E Catena in Iudices.

Atque hoc non frustra, sed vt numero decem virorum pateret eum secū habere IESVM adiutorē.

Hactenus è Catena SS. Patrum in Scripturam sacram: addam pro corollario locum nouum S. Irenæi à Leontio Byzantino, lib. 1. aduersus Nestorium & Eutychem, vsurpatum.

Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, Ἐπισκόπου Λουγδούνων.

Ὥσπερ γὰρ ἡ κιβωτὸς κεχρυσωμένη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν χρυσίῳ καθαρῷ ἦν· οὕτω καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα καθαρὸν ἦν καὶ διαυγές· ἔσωθεν μὲν τῷ Λόγῳ κοσμούμενον, ἔξωθεν δὲ τῷ πνεύματι φρουρούμενον· ἵνα ἐξ ἀμφοτέρων τὸ περιφανὲς τῶν φύσεων παραδειχθῇ.

S. Irenæi, Episcopi Lugdunensis.

Nam sicut Arca [testamenti] inaurata intus & foris auro puro erat; ita & Christi corpus purum erat ac splēdidum; intus quidem Verbo ornatum, foris autem Spiritu communitum: vt ex ambobus naturarum splendor commonstraretur.

Hæc sunt omnia S. Irenæi fragmenta antehac nunquam græcè edita. Nam alia, quæ S. Epiphanius, & quidam alij SS. Patres conseruarunt, cùm ea iam antehac à doctissimo Feuardentio euulgata sint, apud eum videnda pretermitto: nunc sacras Græcorum de eodem B. Irenæo tabulas proponam.

CAPVT XVI.

Menæi Græcorum de S. Irenæo memoria.

QVæ pauca de tanto Martyre in Menæo reperi, hæc tam ex instituto meo arbitratus sum apponenda, quàm ex voto ea requirentium minimè silentio prætereunda.

Sic igitur habet Menæum ad vigesimam tertiam Augusti:

Eadem die, memoria sancti martyris Irenæi, Episcopi Lugdunensis.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εἰρηναίου, Ἐπισκόπου Λουγδούνων.

Σπεύδει λιπεῖν γῆν ἐκ ξίφους Εἰρηναῖος.
Ἐρωτᾷ γὰρ τοῦ πρὸς οὐρανοὺς πόθῳ.
Amat Irenæus ense terris digredi.
Nam totus haurit amore cælos igneo.

Fuit hic temporibus Marci Antonini Imperatoris, homo priscus, beatorum Apostolorum successor, Lugdunensium in Gallia creatus Episcopus. qui libros plurimos Ecclesię reliquit, nostram confirmans fidem: è quibus posteri interpretationis diuinarum Scripturarum occasiones desumserunt.

Οὗτος ὑπῆρχεν ἐν τοῖς χρόνοις Μάρκου Ἀντωνίνου τοῦ βασιλέως, ἀρχαῖος ἀνὴρ, διάδοχος τῶν μακαρίων Ἀποστόλων, χρηματίσας Ἐπίσκοπος Λουγδούνων τῆς Γαλλίας· ὅστις βιβλία πλεῖστα τῇ ἐκκλησίᾳ καταλέλοιπε τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν βεβαιῶν. ἐξ ὧν οἱ μεταγενέστεροι τὰς ἀφορμὰς τῆς ἑρμηνείας τῶν θείων γραφῶν ἔλαβον.

Is secundùm Pothinum dictæ vrbis Episcopum, qui pro Christo decertauit, cùm suscepisset ecclesiæ gubernaculum, multísque libris, & orationibus cohortatorijs ab idolorum errore plurimos eripuisset, ac Christo martyres obtulisset, tandem & ipse à persequentibus, gladio peremptus, coronatur.

Οὗτος μετὰ Ποθεινὸν Ἐπίσκοπον τῆς εἰρημένης πόλεως, ὑπὲρ Χριστοῦ ἀθλήσαντα, τῆς ἐκκλησίας τοὺς οἴακας δεξάμενος, καὶ πολλοῖς λόγοις, καὶ παραινέσεσιν, ἐκ τῆς πλάνης τῶν εἰδώλων ἀφαρπάσας, καὶ τῷ Χριστῷ πολλοὺς μάρτυρας προσαγαγὼν, τελευταῖον καὶ αὐτὸς, ὑπὸ τῶν διωκόντων, ξίφει τελειωθεὶς, στεφανοῦται.

Hæc de beato nostro Irenæo Menæum, & nihil ampliùs. Sed eodem die alium quoque habet Irenæum Sirmij Episcopum, qui sub Diocletiano, vt ait, amputato capite coronam obtinuit martyrij. Romanum autem martyrologium habet, *sub Maximiano*, diémque eius natalem consignat vicesimo quinto Aprilis, vt in notationum initio annotaui. Minimè autem discordant Menæum & martyrologia in tempore imperij, quandoquidem simul imperium sumpserint Diocletianus & Maximianus, & simul deposuerint.

Alterius item Irenęi meminit idem Menæum vigesimo secundo Augusti, qui leuita & martyr fuerit, sociósque certaminis habuerit Orum & Oropsim. Hi primum in ignem iniecti, atque exinde innocuis flammis ad bestias proiecti, postremò cùm & ab illis euasissent illæsi, capite truncati sunt.

Atque hi tantùm in Menæo, plures qui cupit Irenęos, in Romano inueniet martyrologio. Iam nonnullæ virtutes, quæ in ipsis nostri Irenæi scriptis præclariùs elucent, in medio ponendæ sunt.

CAPVT XVII.

S. Irenæi virtutes in Scriptis ipsius præcipuè emicantes.

CLarorum virorum scripta sic duæ virtutes exornant, fragrans scilicet in Deum pietas, & amica aduersus homines animi submissio, vt ijs orbata tantum fere deperdidisse, non ornamenti modò, sed etiam commodi necessarij videantur, quantum ipsa duobus priuata luminibus corpora. Quàm multos enim haberem nominare huius nostri æui clarissimos Scriptores, quorum excellentia alioqui monumenta, nihil ferè aliud exosa contemptáque reddidit, quàm neglecta in illis pietas, atque in locum humanitatis ac modestię, nimia ingenij sui iniecta arrogantia? Nolo autem illos ne nomine quidem tenus violare.

Sed ab his B. Irenæus quàm longè abfuit? cui nihil scilicet pietate in Deum fuit antiquius, nihil humanitate erga æquales amicius, nihil obseruantia aduersus maiores vsitatius. Hinc eius illæ voces: *quemadmodũ à præstantiore nobis dictum est. & : Qui ante nos fuerunt, & quidem multo nobis meliores.* aliáque eius generis. Hinc laudati toties, & in suorum dictorum auctoritatem citati Presbyteri, siue, Seniores. Quò etiam spectant illę aduersus hæreticorum superbiam, pro humilitate fidei, vsurpatę voces: *Si autem & aliquis non inuenerit caussam omnium, quæ requiruntur; cogitet quia homo est, in infinitum minor Deo, & qui ex parte acceperit gratiam, & qui nondum æqualis vel similis sit factori, & qui omnium experientiam & cognitionem habere non possit, vt Deus; sed quanto minor est is, qui hodie factus est, & suæ accepit creationis exordium, eo qui nec factus est, & semper idem est: tanto se & scientia, & caussas rerum omnium inuestigandi facultate, minorem esse eo, qui fecit.*

In præfatione libri 1. & libri 4.

Lib. 2. cap. 43.

Eodem & istæ ex eodem libro respiciunt: *Melius ergo est & vtilius, idiotas & parum scientes existere, & per caritatem proximos fieri Deo, quàm putare multum scire, & multum expertos, in suum Deum blasphemos inueniri, alterum Deum Patrem fabricantes. Et ideo Paullus clamabat.* Scientia inflat: charitas autem ędificat. *Non quia veram scientiam de Deo culparet (alioqui seipsum primum accusaret) sed quia sciebat quosdam sub occasione scientiæ elatos excidere à dilectione Dei, & ob hoc opinari seipsos esse perfectos.* Et ista paullò inferiùs:

Ibid. cap. 45.

1. ad Cor. 8. ver. 1.

Melius itaque est, sicuti prædixi, nihil omnino scientem quempiam, ne quidem vnam caussam cuiuslibet eorum, quæ facta sunt, credere Deo & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat: nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus

fixus est, quàm per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere. Et illa denique:

Irenæus lib. 2. cap. 47.

Quòd si omnium, quæ in Scripturis quæruntur, solutiones non possumus inuenire, alterum tamen Deum, præter eum qui est, non requiramus. Impietas enim hæc, maxima est. Credere autẽ talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissimè scientes, quòd Scripturæ quidem perfectæ sint: quippe à Verbo Dei & Spiritu eius dictæ: nos autem secundùm quod minores sumus, & nouissimi à Verbo Dei & Spiritu eius, secundùm hoc & scientia mysteriorum eius indigemus.

SCRIPTVRARVM SACRARVM LAVS.

Hęc & alia ibidem atque alibi nonne plena modestiæ, plena pietatis sunt?

Nec verò præterire hîc possum eiusdem illustre erga Deum religionis, & quidem sancti timoris plenæ, exemplum. Nam contra primos hæreticos, qui inaudita elati superbia, se omnium creatore, seu (vt ipsi appellabant) Demiurgo maiores ac meliores iactitabant, in certamen ingressurus, & ipsorum opera cum operibus creatoris commissurus, talem commissionem & comparationem, impietatis appellans nòmine, ita præfatur ac præmunit; vt id se necessitate coactum facere profiteatur, & quasi culpam deprecans sibi Deum oret propitium. Ecce verba:

Meliorem enim ex operibus oportet ostendi. Vnde igitur semetipsos ostendunt Demiurgo meliores? vti & nos, inquit, *ad impietatem propter necessitatem sermonis deuergamus, Dei & impiorum hominum comparationem facientes, & in argumentationem eorum descendentes, sæpe per propria ipsorum dogmata arguentes eos: sed nobis quidem propitius sit Deus. Non enim illis eum comparantes, sed arguentes & euertentes illorum insaniam dicimus hæc, ad quos stupescunt multi insensatorum, quasi plus aliquid ipsa veritate ab eis possent discere.*

Sic Irenęus reuerentiæ erga Deum & pietatis plenus.

Alios eiusdem pietatis igniculos ex diuersis occasionibus in animi sui fundo excitatos continere non valens, sæpius foras emisit. Vt cùm ad vnius & solius Dei, qui in sacris Scripturis descriptus sit, cõfirmationem aduersus Valentinianos accedens in eum locum deuenisset, vbi Helias propheta Deum inuocans clamabat: *Domine Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, exaudi me hodie: & intelligat omnis populus hic, quoniam tu es Deus Israël;* tum ipse eodem propè zelo contra fallaces Christianos, quo ille contra falsos prophetas concalefactus, *Et ego igitur inuoco te,* inquit, *Domine Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob (qui est & Israel) Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordiæ tuæ bene sensisti in nobis, vt te cognoscamus, qui fecisti cælũ & terram, qui dominaris omnium, qui es solus & verus Deus, super quem alius Deus non est, per Dominum nostrum Iesum Christum, dominatione quoque dominaris*

3. Reg. 18.

Iren. l. 3. c. 6.

minaris Spiritus sancti, da omni legenti hanc scripturam, cognoscere te, quia solus Deus es, & confirmari in te, & absistere ab omni hæreticâ, & quæ est sine Deo, & impiâ sententiâ.

Hæc ille, igniculis pietatis, faces coniungens caritatis. Quas & alibi, ad ingenerandum ipsis hostibus à Deo & Christo deuijs, veræ fidei calorem, cum feruenti precatione sic admouet:

Nos autem precamur, inquit, *non perseuerare eos in foueâ, quam ipsi foderunt; sed segregari ab huiusmodi matre, & exire à Bytho, & abstinere à vacuo, & vmbram derelinquere, & legitimè eos generari, cōuersos ad ecclesiam Dei, & formari Christum in eis, & cognoscere eos fabricatorem & factorem huius vniuersitatis, solum verum Deum & Dominum omnium. Hæc precamur pro illis, vtilius eos diligentes, quàm ipsi semetipsos putant diligere. Quæ enim est à nobis dilectio, cum sit vera, salutaris est eis, si quidem eam recipiant. Nam austero medicamini similis, absumens improbiorem ac superfluam vulneris carnem, elationem illorum & inflationem euacuat. Quapropter tentantes omni virtute manum porrigere eis, non tædebit nos. Prorogauimus autem super hæc, quæ dicta sunt, in sequenti libro Domini sermones inferre, si quos ex his per ipsam Christi doctrinam conuincentes, suadere possimus cessare ab eiusmodi errore, & absistere ab ea blasphemia, quæ est in fabricatorem ipsorum, qui & solus est Deus, & pater* Domini nostri *Iesu Christi.*

Libro 3. c. vltimo.

Dilectio vera austero medicamini similis.

Sic finit librum suum tertium aduersus hæreses Irenæus: aurea videlicet coronide pietatis in Deum, quem velit agnosci, & coli; & caritatis in proximum, quem optet ab errore desistere, & veritatem amplecti. Cuius ab animi submissione, illa quoque manauit erga maiores suos obseruantia, quę in citandis, laudandísque senioribus eximiè fragrat.

Ecce aliquem huius fragrantię odorem, de libro eius primo, cap. 12. vbi contra Marcum hæresiarcham, & præstigiatorem, Senioris cuiusdam catholici iambos vibrat, & ipsum auctorem laudat:

Quocirca, inquit, *iure optimo atque ad tantam temeritatem tuam perappositè diuinus ille senex, & præco veritatis hos in te versus fudit:*

Idola fingens Marce, monstrorum artifex,
Fraudisque gnare magicæ, & astrorum sciens,
Erroris vnde dogma pestiferum struis,
Portenta cæcæ ficta dum turbæ exhibes;
Per te rebellis qualia aggreditur manus,
Hæc tu illa satanæ fretus auxilio patris,
Azazelisque mira designas ope.
Præcursor olli fraudis in Superos datus.

Et hæc quidem pius senex & Deo carus.

Ita beatus Ireneus maiorum ac seniorum reuerentissimus, horum

rum iamborum auctorem, virũ ſanè, vt ipſi verſus demonſtrant, doctum & acutum, (nec enim gręcè minùs artis & veneris habent, quàm latinè, vt infrà parebit) modò diuinum ſenem, & pręconem veritatis, modò pium ſeu Deo carum appellat. Cuius identidem aliorúmque ſępenumero egregiè dicta, velut ſacra anathemata, ſuis affigit libris.

CAPVT XVIII.

Documenta è ſcriptis S. Irenæi.

POſteaquam S. Irenæi vitam egregijs Chriſtianarum virtutum ornamentis præfulgentem oſtendimus, déque diſcipulis, & præclaris eius ingenij monumentis, quę dicto opus erant, breuiter protulimus: nunc proximè ſequitur, vt quędam ex ijſdem monumentis documenta, eáque potiſſimè, quæ ad fidei ſpectant confirmationem, hic exponamus. Nec enim nobis verendum eſt, ne illa parui apud homines Chriſtiani nominis fiant, quę & ab eruditione nomen, & à ſanctitate precium, & ab antiquitate auctoritatem ſibi non mediocrem vindicarunt: & eo quidem vſque vindicarunt; vt inter prima ſui æui ſcripta meritò cenſeantur. Nam ſi quis fortè reperiatur, vel adeo ſuperbus, vt maiores ſuos ac ſeniores quãuis Epiſcopos, præ ſe deſpiciat; vel ita arrogans, vt confictæ à ſe nouitati plus tribui velit, quàm receptis ab æuo vſque Apoſtolorum documentis; vel ſic ambitioſus, vt ſe in eccleſiæ thronos ante omnem vocationis vmbram, ſeu clam, ſeu palam tentet intrudere; vel tam denique intemperans, vt faciendæ peccatis ſuis maiori licentiæ, carnis libertatem atque ſpurcitiem, vel virginitati conferendam, vel caſto coniugio anteponendam doceat; tum ſanè de hominis iſtiuſmodi doctrina (& ferè talis eſt hęreticorum omnium in hac tempeſtate color) non dicam dubitari, ſed aſpectu primo diiudicari verè poſſit; quàm vana, quàm falſa, quàm noxia ſit, & à mortalium cœtu longiſſimè releganda. Verùm Irenæus, (cui perpetuum & irreconciliabile cum iſto hominum genere fuit diſſidium) tantæ modeſtiæ fuit; vt ſeniores, etiam eos, quibus ipſe iudicio haud parum præpollebat, tanquam dictorum ſuorum duces atque auctores ſuſciperet, & coleret: tantæ ſubmiſſionis, vt acuto licet ſublimíque ingenio, nihil tamen ad antiquam maiorum doctrinam, nouæ ſubtilitatis auderet inducere; tantæ honorum deſpicientiæ, vt latere inter alienigenas mallet inglorius, quàm inter populares ſuos incedere glorioſus: tantæ poſtremò caſtimoniæ, vt nulli acerbius infeſtiúſue bellum, quàm libidini, & illecebris, (hæreticorum ſcilicet primis delicijs & extremis delirijs) indiceret. Huius proinde, vt germani doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum ſectatoris atque diſcipuli documenta, ſudore & ſanguine

ſanguine in vita & morte conſignata, velut certam ad cęlum ipſum teſſeram producemus. Age igitur, hoc agamus: & principium quidem à ſummo ducamus principio, ac Deum ipſum primo in limine (ſic enim decet, & in bono nomine, bonum ad cetera omen ſperatur) venerabundi ſtatuamus. Quid igitur de Deo B. Irenæus docuerit, ex ipſomet promemus, ſed veteris interpretis ſtilo, (qui nonnũquam nimis eſt obſcurus, difficilis, confragoſus) aliquantulùm emendato.

DEVS. DEI NATVRA.

I. S. Irenæi locus, lib. 2. cap. 64.

Sine initio, & ſine fine, verè & ſemper idem & eodem modo ſe habens, ſolus eſt Deus, qui eſt omnium Dominus.

Quæ autem ſunt ab illo omnia, id eſt, quæcumque facta ſunt & fiũt, initium quidem accipiunt ſuæ generationis; & per hoc inferiora ſunt eo qui fecit, cum non ſint infecta: permanent autem, & in longa ſæcula protenduntur, iuxta Dei creatoris voluntatem, qui & initio, vt fierent; & poſtea, vt ſint, eis donat. Sic ille.

II. Locus è lib. 2. cap. 16.

Multùm differt Deus ab hominibus, & Dei cogitationes à cogitationibus hominum. Deus *enim ſimplex eſt, incompoſitus, totus ſibimetipſe ſimilis & æqualis, totus cùm ſit ſenſus, & totus ſpiritus, & totus intelligentia, & totus ratio, & totus auditus, & totus oculus, & totus lumen, & totus fons omnium bonorum, vti religioſis ac pijs de* Deo *loqui conuenit. Eſt autem & ſuper hæc, & per hæc inenarrabilis. Senſus enim omnium capax bene & rectè dicetur* Deus*; ſed non ſimilis hominum ſenſui: et lumen rectiſſimè dicetur, ſed non ſimile noſtro lumini. Sic et in reliquis omnibus, nihil ſimilis erit omnium pater, hominum paruitati. Et hæc quidem appellatur ſecundum dilectionem, et ſupra hæc intelligitur ſecundum magnitudinem.*

Hæc è libro 2. aduerſus hæreſes cap. 16. nonnihil contracta. Quibus ſimilia ſunt eiuſdem iſta è cap. 47.

III. IRENÆI locus.

Deus autem cùm ſit totus mens, totus ratio, et totus ſpiritus operans, et totus lux, et ſemper idem, et ſimiliter exiſtens (ſicut et vtile eſt nobis ſapere de Deo*, et ſicut è Scripturis diſcimus) non iam huiuſmodi affectus et diuiſiones decenter erga eum ſubſequentur. Velocitati enim ſenſus hominum, propter ſpiritale eius, nõ ſufficit lingua deſeruire: quippe carnalis exiſtens. Vnde et intus ſuffocatur verbum noſtrum, et profertur non de ſemel, ſicut conceptum eſt à ſenſu, ſed per partes, ſecundum quod lingua ſubminiſtrare præualet.*

Ita ibi totidem verbis.

Conformiter autem doctrinæ S. Irenæi, & ex eo fortaſſis S. Auguſtinus,

ſtinus, libro X. Confeſſionum, capite ſexto, Deum appellat lucem, vocem, odorem & ſimilia, ſed non lucem huic noſtræ ſimilem, neque vocem, neque odorem &c. ſed altius aliquid, & menti magis quàm ſenſui obuium.

Sic enim Deum ſuum affatur?

DEVS PER NEGATIONES DESCRIPTVS.

Quid autem amo, cùm te amo? Non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis externæ, iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum & aromatum ſuaueolentiam, non manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & vbi ſonat, quod non rapit tempus; & vbi olet, quod non ſpargit flatus; & vbi ſapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. Hoc eſt, quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? interrogaui terram, & dixit, Non ſum: & quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abyſſos & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt; Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. &c.

In his igitur docet re ipſa Auguſtinus, Deum & per hæc terrena explicari, & ſuper hæc intelligi: quemadmodum Irenæus ſupra docuit, cùm diceret Deum, totum eſſe ſenſum, totum rationem, totum auditum, totum oculum, totum lumen &c. deinde ſubiunxit, non talem ſenſum, non tale lumen, & ſic de alijs, qualia noſtra ſunt: atque ita Deum & per hæc dici, & ſupra hæc intelligi.

Non poſſum, quin & Tertulliani locum pulcherrimum de Deo æſtimabili & inæſtimabili, noto & ignoto, hîc adijciam. Ita igitur ille in Apologetico, cap. 17. *Quod colimus nos, Deus vnus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo, quo iuſſit; ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit; de nihilo expreſſit in ornamentum maieſtatis ſuæ. Vnde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerunt. Inuiſibilis eſt, etſi videatur: incomprehenſibilis, etſi per gratiam repræſentetur: inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur. Adeo verus & tantus eſt. Ceterùm, quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis, quibus occupatur; & manibus, quibus contaminatur; & ſenſibus, quibus inuenitur. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt. Hoc eſt, quod Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita eum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.*

Ita Tertullianus. Quem æmulatus & proximè aſſecutus Minutius Felix in Octauio. *Tu in cælo,* inquit, *ſummam poteſtatem diuidi*

credas,

credas, & scindi veri illius ac diuini imperij totam potestatem? cùm palàm sit parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum: qui natiuitatem omnibus praestet, sibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo: qui vniuersa, quaecumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensibus maior est: infinitus, immensus, & soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis verò ad intellectum, pectus angustum est, & ideo sic eum dignè aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar, quemadmodum sentio: magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non nouit. Ita Minutius. Veniat, veniat nunc Irenęi vera exclamatio, & dicat, & asseueret: *Verè enim magna sunt thesaurophylacia caelestia: immensurabilis est in corde Deus: & incomprehensibilis in animo, qui comprehendit terram pugillo.* Iren.lib.4.c.36.

Vide ibidem plura de Dei magnitudine, libro 4. aduersus haereses cap. 36. & cap. 37.

Edoctus item S. Cyrillus Hierosolymorum Episcopus à B. Irenęo, ea fusiùs in sua Catechesi dilatauit, quę breuiter ille comprehendit. Ipse enim in sexta catechesi sub initium ita scribit:

Ac mens quidem acutissimè, velocissimeque cogitat: lingua verò verbis multis opus habet, & multa verborum intermediorum enumeratione. Simul enim oculus siderum chorum numerosum comprehendit: verùm si quis singula narrare velit, quid lucifer, quid hesperus, quid vnumquodque, longa opus est oratione. Item terram, ac mare, & mundi fines vniuersos momento leuissimo complectitur intelligentia: sed quod minimo tempore cogitat, hoc multis verbis enarrat.

Ista, inquam, Cyrilli nonne ex istis Irenęi supra positis deriuata sunt, vbi dicit: *Velocitati enim sensus hominum* [Id est, mentis seu intelligentiae hominum] *propter spiritale eius non sufficit lingua deseruire: quippe carnalis existens. Vnde & intus suffocatur verbum nostrum, & profertur non de semel, sicut conceptum est à sensu* [id est verbum mentis intus vi quodammodo retinetur, vt non totum simul & vna vice proferri possit, vti à mente conceptum fuit] *sed per partes secundum quod lingua subministrare praeualet.* id est, sed successiuè, prout lingua, quae mente longè est tardior, subsequi potest.

Illa rursus, eiusdem Cyrilli ibidem:

Satis nobis est ad pietatem, hoc solum nosse, quòd Deum habeamus, Deum vnum, Deum existentem & semper existentem, sui semper similem. &c. Et paullò pòst:

Totus existens oculus, & totus auditus, & totus mens &c.

Et inferiùs:

Totius boni fons maximus & perennis: beneficiorum quasi quoddam flumen, lumen aeternum sine fine coruscans, vis inexpugnabilis, ad nostras

nostras infirmitates se demittens & accommodans.

Nonne illa, inquam, paria sunt & gemina verbis Irenæi? Et quidem, quod Irenæus dixit Deum esse lumen, sed non simile nostro lumini, quasi diceret, sed alterius generis lumen longè perfectius, hoc expresse dixit Cyrillus istis verbis: φῶς ἀΐδιον ἀνελλιπῶς ἀπαστράπτον, *lumen æternum indeficienter coruscans.*

IV. IRENÆI locus.

Quartus Irenæi locus è lib. 4. cap. 24. tum ad superiores explicandos facit, tum ad homines erga perpetuum benefactorem amore inflammandos, atque ab ingrati animi vitio reuocandos. Est autem talis:

Et hoc Deus ab homine differt: quoniam Deus quidem facit: homo autem fit. Et quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, & initium & medietatem & adiectionem & augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit: bene autem fit homini:

PROFICIENDI IN VIRTVTE MODVS.

Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi æqualis & similis, totus cùm sit lumen, & totus mens, & totus substantia, & fons omnium bonorum: homo verò profectum percipiens & augmentum à Deo. Quemadmodum enim Deus semper idem est; sic & homo in Deum intentus semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo, & locupletando hominem: neque homo cessat beneficium accipere, & ditari à Deo.

GRATI ANIMI LAVS.

Exceptorium enim bonitatis, & organum clarificationis eius, homo gratus ei, qui se fecit: & iterum exceptorium iusti iudicij eius, homo ingratus, & spernens plasmatorem, & non subiectus verbo eius, qui plurimum semper fructificantibus, & plus habentibus, dominicum argentum daturum se pollicitus est. Euge, *inquit*, serue bone & fidelis, quia in modico fidelis fuisti, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Matthæi 25. ver. 21.

Hactenus Irenæus. Et nos de Deo ingrati erimus? per Deum & per beneficentiam eius non erimus. Vide eundem Irenæum contra ingratos lib. 2. cap. 64.

Illud porro Irenæi: *Deus quidem perfectus in omnibus*, pertractat & diffundit latiùs idem, vbi suprà, B. Cyrillus. *Perfectus in visu*, inquit, *perfectus in potentia, perfectus in magnitudine, perfectus in præcognitione, perfectus in bonitate, perfectus in iustitia, perfectus in humanitate &c.*

Quæstio de simplicitate Dei.

Sed quærat fortè aliquis, cùm suprà ab Irenæo dictum sit, Deum esse tam multa, & tam inter se diuersa atque distincta; quomodo fieri potest, vt vnus sit, & simplex, & incompositus, & sui vndiquaque similis? Respondeo esse illa quidem in se ipsis & extra Deum diuersa inter se atque distincta; sed in Deo vnum, idémque; nempe ipsiusmet essentiam. Quod ipsum innuere visus est Irenæus, cùm dixit: *Deus*

totus

totus eſt ſenſus, totus ſpiritus, totus lumen &c. quaſi diceret: non parte aliqua ſui eſt vnum, & parte altera eſt alterū (nec enim habet partes) ſed totus toto ſe eſt omnia, & vnumquodque: ita vt in Deo vnum ſit alterum, quia vtrumque eſt Deus, & omnia ſunt ipſa Dei eſſentia: quę lumē eſt, quatenus illuminat; quæ vox eſt, quatenus inſonat; quę ratio eſt, quatenus intelligit; & ita de ceteris. Quia ſcilicet eminenter ſeu excellentiori modo continet in vnica & ſimpliciſſima ſua eſſentia, quicquid in rebus creatis diuiſum eſt atque diſperſum. Quod ipſū infinitę eſt perfectionis. Nam (ſi parua licet componere magnis) inſtrumentum illud, quod vnum & inuariabile ad res mille diuerſas, valet, longè illi pręfertur, quod ad vnicam ex his dumtaxat, aut certè ad pauciores eſt idoneum. Sic & palma arbor, (cuius trecentę & ſexaginta vtilitates carmine quodam Perſico comprehenſę ſunt) longè alijs omnibus, arboribus ſingillatim, & multis ſimul vnica pręfertur & pręcellit: ex qua cùm fiat vinum, panis, mel, &c. illa ipſa quodammodo dici eminenter poſſet, ſi ipſa quidem tam bona eſſent ex illa, quàm ſunt è vite, è frumento, è floribus. At in Deo quęcumque ſunt, perfectiora in illo ſunt modis innumeris, quàm extra illum: & omnia ſunt ipſe Deus, & ipſe Deus omnia. Hinc D. Auguſtinus lib. 8. De ciuitate Dei cap. 6. docet omnia, quæ in Deo ſunt, eſſe ipſius eſſentiā.

Quia non aliud illi eſt eſſe, inquit, *aliud viuere, quaſi poßit eſſe non viuens: nec aliud illi eſt viuere, aliud intelligere, quaſi poßit viuere non intelligens: nec aliud illi eſt intelligere, aliud beatum eſſe, quaſi poßit intelligere, & non beatus eſſe: ſed quod eſt illi viuere, intelligere, beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe.* Ita Auguſtinus.

Sic D. Bernardus ſerm. 80. in Canticum, loquens de diuinę eſſentiæ ſimplicitate, *Quod habet,* inquit, *eſt: & quod eſt, ſemper & vno modo eſt. In ea & multa in vnum, & diuerſa in idem rediguntur, vt nec numeroſitate rerum ſumat pluralitatem, nec alterationem de variatione ſentiat.* Et paullo inferiùs:

Iam de magnitudine, bonitate, iuſtitia, ſapientiáque, idem per omnia, quod de diuinitate ſentimus: vnum in Deo ſunt, & cum Deo. *&c.*

CAPVT XIX.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Deus vnus & trinus.

DEum vnum in eſſentia, & trinum in perſonis, tametſi expreſsè non dicat Irenæus, tamen multis locis ita innuit, vt ex eius dictis facile ſit ipſius de ſanctiſſima Trinitate doctrinam intelligere: ac primò, quidem è ſymbolo ſeu regula fidei, quā proponit lib. 1. capite 2. & quam capite octauo vitæ comprehendi: nēpe eccleſiam toto orbe diffuſam, hanc ab Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis accepiſſe

Irenæi verba lib 3.cap.2.

cepisse fidem: *Credere scilicet in vnum Deum patrem omnipotentem, cæli, & terræ, et maris, et omnium, quæ in eis sunt, creatorem: Et in vnum Iesum Christum, Filium* Dei, *pro salute nostra incarnatum. Et in Spiritum sanctum. &c.*

Deinde ex capite 19. libri primi, vbi ita scribit:

Ibidem.

Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id est, quia vnus sit Deus omnipotens. &c. Et mox.

Ibidem.

Nihilo enim indiget omnium Deus: *sed per Verbum & Spiritum suũ omnia faciens, & disponens, & gubernans, & omnibus esse præstãs. &c.*

Vbi cùm distinguat Verbum & Spiritum à rebus creatis, necessariò consequitur, vt sint personæ increatę, & Deus.

Eiusdem lib. 3.

Et libro 3. cap. 6. ita scribit idem Irenæus:

Verè igitur cùm Pater sit Dominus, & Filius verè sit Dominus, meritò Spiritus Sanctus Domini appellatione signauit eos.

Psalmo 109. ver 1.

Nempe in illo psalmo: DIXIT DOMINVS DOMINO MEO. De eo enim agit ibi Irenęus, vt non miretur quis non adiecisse eum: *& Spiritus vere sit Dominus*, ac putet propterea excludi à nomine Domini: sed potiùs existimet hunc eliciendum esse sensum: Spiritus Sanctus, qui verè est Dominus, Dauidi prophetę, vt sic loqueretur, inspirauit: DIXIT DOMINVS DOMIMO MEO. id est, Dominus Pater Domino Filio.

Eiusdem, lib. 4.

Et lib. 4. in præfatione sic docet:

Homo autem est temperatio animæ & carnis, qui secundùm similitudinem Dei *formatus est, & per manus eius plasmatus, hoc est, per Filiũ & Spiritũ: quibus & dixit: FACIAMVS HOMINEM.* Ita ille.

Eodem libro, cap. 22. ad illud Paulli:

1. Cor. 13 ver. 10.

CVM AVTEM VENERIT QVOD PERFECTVM EST, EVACVABITVR QVOD EX PARTE EST. *Sicut igitur, adueniente perfecto*, inquit, *non alterum Patrem videbimus, sed hunc quem nunc videre concupimus. &c. Neque alium Christum &* Dei *Filium exspectabimus; sed hunc, qui ex Maria Virgine. &c. Neque alium Spiritum Sãctum percipiemus, nisi hunc, qui est nobiscum*, & qui clamat: ABBA PATER. *&c.*

Ad Gal. 4. ver. 6.

Vbi quid aliud intelligit Irenæus, nisi nos visuros tres in vno Deo personas, iisque fruituros?

Item libro 4. aduersus hæreses, cap. 37. disserit hominem nec ab Angelis, nec ab alia virtute, quæ non esset Deus, condi potuisse: sed tantùm à Patre & Filio & Spiritu Sancto.

Verba Irenæi:

Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasmauerunt: nec Angeli *potuerunt imaginem facere* Dei, *nec alius quis præter Verbum* Domini, *nec virtus longè absistens à Patre vniuersorum. Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quæ ipse apud se præfinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum, & Sapientia; Filius & Spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & sponte fecit: ad quos & loquitur*

loquitur dicens: FACIAMVS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM NOSTRAM, *ipse à semetipso substantiam creaturarum, & exemplum factorum, & figuram in mundo ornamentorum accipiens.* Gen.1.ver.26.

Vbi Nota Filium & Spiritum Sanctum vocari ab Irenæo manus Patris: ex quo deducitur inter Filium & Spiritũ Sanctum æqualitas.

Nota item Filium vocari Verbum: Spiritum autem vocari Sapientiam. Quare non sic distinguendam esse sententiam, vt filius coniũgatur cùm Sapientia, quasi idem sint Verbum, Sapientia, Filius: sed sic: *Adest enim ei semper Verbum, & Sapientia: Filius; & Spiritus.* ita vt posterius membrum sit prioris explicatio. Nam ita explicat paullò pòst ibidem Irenæus illis verbis:

Et quoniam Verbum, id est, Filius semper cum Patre erat, per multa demonstrauimus. Quoniam autem & Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud Deum ante omnium constitutionem, per Salomonem ait: DEVS SAPIENTIA FVNDAVIT TERRAM. &c. Prouerb.3.v.19.

Quare illa verba ibidem: *Qui omnia Verbo fecit, & Sapientiâ adornauit.* similiter de Filio & Spiritu Sancto accipienda sunt.

Hinc & illa eiusdem Irenæi, libro 4.c.17. iam dictis conformiter & benignè interpretanda sunt, vbi dicit non indiguisse Patrem Angelorum ministerio, nec ad fabricationem mundi, nec ad dispositionẽ, siue ornatum, sed habuisse copiosum & inenarrabile ministeriũ. *Ministrat enim ei ad omnia,* inquit, *sua progenies, & figuratio sua, id est, Filius & Spiritus Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus seruiunt, & subiecti sunt omnes Angeli.*

Vbi *figuratio*, id est, Spiritus Sanctus, vt patet ex verborum connexione. Sic enim & à Grecis SS. Patribus perinde Spiritus Sanctus vocatur figura & imago Patris, quàm Filius: licet S. Thomas rationem inuenerit, quâ magis congruere videatur Filio.

Verum forma fidei ab Angelo data diuinitus S. Gregorio Thaumaturgo, & laudata in cõcilio V. œcumenico, in ipso exordio, (quod exordium omisit in sua editione Conciliorum Binius) vocat Spiritũ Sanctum perfectam perfecti Patris imaginem: vti in vita eiusdem Thaumaturgi ostendetur (si quidem Deus vitam & vires dederit) à nobis expressiùs.

Quòd autem dicit Irenæus Filium & Spiritum Sanctum ministrare Patri; ne humile aut creatæ rei simile cogita ministerium, sed (vt idem vocauit) *copiosum & inenarrabile:* quale scilicet homini esset, vt sic loqui liceat, suarum manuum. Eiusdem enim sunt illæ dignitatis & naturæ cũ ipso homine. Sic Filius & Spiritus Sanctus manus sunt Patris, vt iam dictum ab Ireneo, & eiusdem naturę & dignitatis cum Patre. Nec veretur Ecclesia de Spiritu dicere: DEXTRÆ DEI TV DIGITVS.

Vbi si per dextram intelligatur Filius, non perinde inter illas duas

personas signatur æqualitas, quàm per duas manus. Caue tamen, ne propter manus in aliud incommodum incidas, & à Spiritus Sancti processione de Filio retrocedas. Nam vna manus non procedit ab altera. Sic omnia de diuinis similia, plena sunt dissimilibus.

Actionem hanc, qua Filius cum Patre operatur, vocat etiam *ministerium* S. Hilarius libro XII. de Trinitate, sub medium, vbi probans Filij æternitatem ex illo Prouerbiorum, cap. 8. versu 30. *CVM EO ERAM CVNCTA COMPONENS. Neque tum paratum cælum est*, inquit, *cùm præparatum est. Nam erat apud præparantem & discernentem. Pòst verò componebat cùm parante, æternitatem suam, cùm præparanti adest; & ministerium, quando cum parante componit, ostendens*. Et in exẽplo Fidei ab Orientalibus contra Photinum hæreticum conscriptæ, hic ponitur 27. anathematismus: *Et iterum confirmantes Christianismi intellectum, dicimus: Quoniã si quis Christum Deum, Filium Dei ante sæcula subsistentem & ministrantem Patri, ad omnium perfectionem non dicat; sed ex quo de MARIA natus est, ex eo & Christum & Filium nominatum esse, & initium accepisse, vt sit Deus, dicat; anathema sit*. Hęc refert, & approbat, & explicat idem S. Hilarius in epistola ad Episcopos, De synodis aduersus Arianos.

Rursum Irenæus lib. 5. cap. 6. sic scribit:

Per manus enim Patris, id est, per Filium & Spiritum fit homo secundùm similitudinem Dei, sed non pars hominis, &c.

Idem repetit infrà cap. 28.

Adde ad finem capitis 37. libro 4. cùm illos exploratores, quos Raab hospitio suscepit, indicat retulisse imaginem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, eadem operâ indicare Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres esse personas distinctas.

Verba Irenęi:

Sic autem & Raab fornicaria semetipsam quidem condemnans, quoniam esset Gentilis, omnium peccatorum rea, suscepit speculatores, qui speculabantur vniuersam terram, & apud se abscondit, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum Sanctum.

Non dissimulandum tamen est videri Irenęum sensisse, tres fuisse exploratores, (cùm duo tantùm fuerint: vt patet Iosue 2. & 6.) alioqui non est integra illorum ad sanctissimam Trinitatem relatio.

Et lib. 5. cap. 18. Verba Irenæi.

Super omnia quidem Pater; & ipse est caput Christi: per omnia autem Verbum; & ipse est caput Ecclesiæ: in omnibus autem nobis Spiritus; & ipse est aqua viua, quam præstat Dominus in se rectè credentibus, & diligentibus se, & scientibus, quòd vnus sit Pater, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis.

Ibi clarè distinguit B. Irenæus tres sanctissimæ Trinitatis personas: licet nomina ipsa Trinitatis & Personas nusquam nominet.

Filius

Filius Patri æqualis.

Docet hoc Irenæus pluribus locis:& premere potuit tanta auctoritas Arianos. Sed inter hos & Catholicos solis ferè Scripturis pugnatum est.

Verba Irenæi, l. 2. cap. 43.

Non enim infectus es, ô homo, neque semper coëxistebas Deo, sicut proprium eius Verbum: sed propter eminentem bonitatem eius, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis à Verbo dispositiones Dei, qui te fecit. Ordinem ergo serua tuæ scientiæ, & ne, vt bonorum ignarus, supertranscendas ipsum Deum.

Docebat Arius Verbum non coëxstitisse Patri, sed fuisse tempus, cùm Verbum non esset. Itaque verba Irenæi, tanquam telum acutissimum, rectè in eius superbiam intendi potuissent.

Eiusdem, cap. 55.

Hic Pater Domini nostri Iesu Christi, per Verbum suum, qui est Filius eius, reuelatur & manifestatur omnibus, quibus reuelatur. Cognoscunt enim eum hi, quibus reuelauerit Filius. Semper autem coëxistens Filius Patri, olim & ab initio semper reuelat Patrem, & Angelis, & Archãgelis, & Potestatibus, & Virtutibus, & omnibus, quibus vult reuelare Deus.

Eiusdem Irenæi lib. 4. cap. 8.

Omnia enim mensura & ordine facit Deus, & nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.

Ex quibus colligitur Filij cum Patre æqualitas, quandoquidem ille huius mensura sit, & capiat eum, hoc est, comprehẽdat. Nihil autem comprehendit Deum, nisi Deus: nec æternum ab aliquo mẽsuratur, nisi ab ęterno. Propterea idem Irenæus lib. 2. cap. 55. dixit de Patre: *Omnia capiens, solus à nemine capi potest.* Vbi illud *à nemine* omnia excludit præter Filium & Spiritum Sanctum, à quibus capi & cõprehendi potest, vt iam de Filio ex eius verbis dictum: Spiritus Sancti autem eadem est ratio. Æqualis enim vna manus alteri.

Et cap. 28.

Non solum ante Adam, sed & ante omnem cõditionem [. i. *creationẽ*] *glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo, & ipse à Patre glorificabatur, quemadmodum ipse ait:* Pater clarifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Ioannis 17. ver. 5.

Filius Dei non est verbum prolatum, seu pronuntiatum.

Id probat varijs in locis Irenæus.

Verba Irenæi l. 2. c. 18.

Quemadmodum qui dicit Deum totum visionem, & totum auditum, & quod in quo videt, in ipso & audit; & in quo audit, in ipso & videt, non peccat: sic & qui ait totum illum sensum, & totũ verbum: & in quo sensus est, in hoc & verbum esse, & verbũ esse nun, [. i. mentem] *minus quidem*

quidem adhuc de Patre omnium sentiet: decentiora autem magis, quàm hi qui lationem prolatiui hominum verbi transferunt in Dei æternum verbum, & prolationis initium donantes & genesin, quemadmodum & suo verbo.

Et in quo distulit Dei verbum, immo magis ipse Deus, cùm sit Verbum, à verbo hominum, si eandem habuerit ordinationem & emissionem generationis?

Ita vetus Irenæi interpres, qui eloquentissimo sermone (vt testis est Hieronymus) ab Irenæo scripta, tam inscitè vertit, vt vix sciatur, quid auctor dixerit, aut dicere voluerit. Quod igitur græcè νοῦν Ireneus appellarat, hic modò sensum, & quidem frequentissimè, modò *nun* appellauit: cùm νοῦς magis sit *mens* aut *animus*, raro *sensus*.

Poterat meliùs & clariùs ita vertere: quæ versio erit vice explicationis.

FILIVS DEI NON EST VERBVM PROLATVM.

Quemadmodum qui Deum, totum visum, & totum auditum appellarit, ipsúmque per idem videre dixerit, per quod & audit; & per idem audire, per quod & videt, haud à vero aberrarit: sic & qui ait illum esse totum mentem, & totum verbum; & per hoc esse mentem, per quod est verbum; & per hoc verbum, per quod est mens: inferiora quidem adhuc Patris omnium dignitate sentiet: sed tamen multò decentiora, quàm ij, qui prolationem verbi, vt ab homine fit, in æternum Dei Verbum transferunt, dando illi prolationis initium & generationem, non secus ac suo ipsorum verbo, seu sermoni. Quod si ita est, in quo differet Dei Verbum, immo ipse Deus, qui est Verbum, à verbo hominum, si eodem ordine & modo producatur?

Ita Irenæus. Qui & simillimum locum habet eodem libro, capite 48. valde item incommodè conuersum, & obscurum, ac proinde ex hoc intelligendum. Vbi illa extrema sententia: *Quoniam enim ex cogitatione & sensu Verbum emittitur, hoc vtique omnes sciunt homines.* sic vertenda erat: *Quòd enim ex intelligentia & mente Verbum emittatur, hoc omnibus notum est.*

CAPVT XX.

Christus est Deus & homo, & filius Virginis.

DOcet Irenæus Christum esse Deum & hominem, libro 3. aduersus hæreses, cap. X. in explicandis Magorum muneribus, quibus mysticè ostendebant, quis esset, qui adorabatur.

Verba Irenæi;

Myrrha quidem, quòd ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur: aurum verò, quoniam Rex, cuius regni finis non est: thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum.

Et

Et rursus eodem lib. cap. 12. loquens de S. Paullo:

Verba Irenæi:

Hoc est mysterium, quod dicit per reuelationem manifestatum sibi: quoniam qui passus est sub Pontio Pilato, hic Dominus est omnium, & Rex omnium, & Deus, & Iudex, ab eo qui est omnium Deus, accipiens potestatem; quoniam subiectus factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Sed ecce & alius locus multò illustrissimus, & ipsa Irenæi verba germanissima, quippe græca è libro 3. cap. 20. quibus ostenditur, non modò Christum esse Deum & hominem, sed etiam ad salutis nostrę reparationem, ita fieri debuisse, aut decuisse.

Verba Irenæi apud Theodoretum dialogo 2. sub medium.

Ἥνωσεν οὖν, καθὼς προέφαμεν, τὸν ἄνθρωπον τῷ θεῷ. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. πάλιν τε εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔχομεν αὐτήν. Καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. Ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος, εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν, καὶ θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν θεόν.

Quocirca hominem, vt antè à nobis dictum est, cum Deo copulauit. Etenim nisi hominis hostem homo superasset, haud æquè victus esset inimicus. Rursus, nisi Deus salutem donasset, haudquaquam firmam ac stabilem eam haberemus. Adhac nisi homo cum Deo copulatus fuisset, incorruptibilitatis particeps fieri minimè potuisset. Necesse quippe erat, vt Dei & hominum mediator, per suam cum vtroque cognationem ac necessitudinem, ambos amicitiæ fœdere inter se conciliaret, ac Deo quidem hominem sisteret, hominibus autem Deum patefaceret.

Ita Irenæus ex interpretatione Iacobi Billij, viri græcè doctissimi. Nam veteris interpretis translationem, (quę videri potest lib. 3. Irenęi cap. 20. sub finem) huic posthabendam censui.

Alia Irenæi verba de Christo nato è Virgine.

Ibidem paullò inferiùs.

Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου τοῦ πρώτως ἐκ γῆς ἀνεργάστου πεπλασμένου, ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, καὶ ἀπέβαλον τὴν ζωήν, οὕτως ἔδει καὶ δι' ὑπακοῆς ἑνὸς ἀνθρώπου τοῦ πρώτως ἐκ παρθένου γεγενημένου, δικαιωθῆναι πολλοὺς, καὶ ἀπολαβεῖν τὴν σωτηρίαν.

Quemadmodum per vnius hominis primum è rudi terra facti inobedientiam peccatores multi constituti sunt, ac vitam amiserunt: ita etiam conueniebat, vt per vnius hominis primum ex Virgine procreati obedientiam, multi iustitiam consequerentur, ac salutem recuperarent.

Ita versio Billij. Quamuis neque hic, neque superiùs Irenæi assequatur proprietatem & elegantiam: quod tamen non eruditionis defectu accidit, quæ magna in illo fuit, sed linguæ latinæ penuria.

Nam

Nam ἥνωσεν & συνηνώθη à verbis ἑνόω & συνενόω, plus aliquid sonant, quàm *copulauit*, & *copulatus est*. Et οἰκειότης vno latino verbo exprimi non potest, quod proinde vetus Interpres barbaro reddidit *domesticitas*. In posteriore autem loco γῆ ἀνέργαστος, plùs vult, quàm *terra rudis*, nempe *terram virginem*, & (vt strictissimè & maximè propriè cum Virgilio vertamus & Ouidio) *terram inaratam*. Nam alioqui rudis esse potest etiam illa, quæ olim arata fuerit, annorum scilicet multorum situ. Virgo autem propriè *terra inarata* est: cùm & arandi vox locum habeat in coniugijs. Deinde ἀποβαλεῖν ζωήν, *amittere vitam*, & ἀπολαβεῖν σωτηρίαν, *recipere salutem*, grecè insignem habent in antithesi annominationem, Latinis hîc inimitabilem.

Alius Irenæi locus, l. 3. c. 21.

Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam, quæ est ab altißimo Patre, genituram; præclara autem functus est & ea, quæ est ex Virgine, generatione; vtrãque diuinæ Scripturæ de eo testificantur. &c.

Et infrà.

Sicut enim homo erat, vt tentaretur; sic & Verbum, vt glorificaretur. &c.

Et libro 4. capite 37.

Verbum Dei Dominus noster Iesus Christus, in nouißimis temporibus homo in hominibus factus est, vt finem coniungeret principio, id est, hominem Deo. Et propterea Prophetæ ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, prædicauerunt eius secundùm carnem aduentum, per quem commixtio, & communio Dei & hominis secundùm placitum Patris facta est, ab initio prænuntiante Verbo Dei, *quoniam videbitur* Deus *ab hominibus, & conuersabitur cum eis super terram.*

Et cap. 66. eiusdem libri.

Et qui eum ex Virgine Emmanuel prædicabant, adunationem Verbi Dei *ad plasmationem eius manifestabant.*

Ita vetus interpres. Sed cùm græca Irenæi verba Theodoretus dialogo 2. reseruarit, hîc adijciam. Sic ergo habent:

Verba Irenæi:

Οἱ τὸν ἐκ τῆς παρθένου Ἐμμανουὴλ κηρύττοντες, τὴν ἕνωσιν τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸ πλάσμα αὐτοῦ ἐδήλουν.

Qui natum è Virgine Emmanuelem prædicabant, copulationem Verbi Dei *cum sua creatura manifestabant.*

CAPVT XXI.

Dei *visio*.

DE visione Dei tribus potissimùm in locis agit B. Irenæus, quæ hîc consequenter annotabo.

§. 1. Ver-

§. II. Verba Irenæi, lib.4. cap.25.

Qui diligit Deum, est perfectus, & in hoc æuo, & in futuro. Nunquam enim desinimus diligere Deum: sed quanto plùs eum intuiti fuerimus, tantò plus eum diligimus.

Conferebat Irenæus Caritatem cum Spe & Fide: & quia per intuitum Dei desinunt Spes & Fides, (creduntur enim, quæ non videntur: & sperantur, quæ non habentur) crescit verò potiùs Caritas, siue dilectio, dum res cernitur & habetur, quàm vel decrescit, vel desinit; hinc dicit: *Nunquam enim desinimus diligere Deum &c.* scilicet in futura vita. Nam in præsenti quidem, (heu miseriam omnium miseriarum longè miserrimam!) quàm multi, & quoties Deum multò dilectissimum diligere desinimus? At verò si de hac quoque vita intelligat vir sanctus, & nunquam nos à diligendo Deo cessare profiteatur, tum certè de sui similibus loqui credendus est, hoc est, de viris omnino probis, & sanctis, & perfectis, & quorum sit assidua de Deo, rebúsque diuinis meditatio. Quo enim tales in perfectionum Dei, & immensorum eius beneficiorum promptuaria, velut in Sancta Sanctorum, profundiùs penetrant, hoc magis ac magis ea, quæ vident & gustant, etiam diligunt & sitiunt. Nec tamen sic continenter diligunt, aut diligere possunt (hoc enim beatissimæ Virgini Mariæ proprium, & singulare, nullique concessum alteri creditur) vt ab actu dilectionis Dei nunquam, neque diu cessent, neque noctu: (hoc siquidem alijs in patria reseruatur) sed quòd sint ac permaneant in habituali eius dilectione, semper apud eum gratiosi; neque vllo vnquã tempore piam erga Deum affectionem sic dimittant, vt vel aliquid diuinæ aduersum voluntati scientes admittant, vel ad expromendos suis temporibus sanctissimæ caritatis actus fiant inhabiles. Sed de patria & naturali illo perfectissimi amoris loco quæri posset, an quãto plùs Deum inibi intuiti fuerimus, tanto etiam ampliùs, simus dilecturi? Quàm enim hoc beatum, quàm optandum, quàm votis, (vt quidem vulgò apparet) omnibus expetendum esset, vt ab hora, momentóue ingressus in cælum, & clari conspectus Dei, deinceps in æternum in beatis animis diuinus ille amor magis ac magis increresceret! O si hoc fieret, aut fieri posset! Verumtamen in ventos abeant hæc vota. Vincitur enim eorum simplicitas Dei sapientiâ. Simul ipse & perpetuò totum hoc, quod in hac vita meriti sumus, & longè amplius, quàm meriti simus, elargitur. Talis enim tibi & tanta in ipsis initijs veniet dilectio, qualis & quantæ tibi capax erit animus. Nempe ab acquisita hic gratia, & à recepto ibi lumine, (in quo æternum illud videbimus & amabimus lumen) totus est, pendétque capacitatis tuæ numerus. Nec differt Deus gloriam, nec per partes dispertit (procul à cælo istæc parsimonia) sed citò dat & totam. *Ecce venio citò, inquit, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum* Apoc.22.ver.12.

dum

dum opera ſua. Hinc ille magnus & ſanctus Rex, *Satiabor*, aiebat, *cùm apparuerit gloria tua.* Igitur data & accepta mercede, vti iam tempus merendi, & proficiendi in gratia non eſt (quippe extra viam conſtitutis, & in patriâ ſatiatis) ita nec creſcendi in dilectione, nec proficiendi in gloria. Simul enim in patria gloriæ apparitio, ſimul ſatietas: ſtatim hæc, ſtatim illa: & quàm illa perfecta, tam hęc plena. Cùm enim ad primos cæli introitus bonorum omnium menſuram acceperis in ſinum tuum, eámque bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, quid velis amplius? Sed hæc, quæ nos abripuerunt, relinquamus, & alia B. Irenæi aurea documenta reuiſamus.

Pſalm. 16. ver. 15.

§. II. Alia B. Irenęi verba de Dei viſione. lib. 4. cap. 37.

Homo à ſe non videt Deum: ſed Deus volens videtur ab hominibus, à quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult. Potens eſt enim in omnibus Deus. Qui olim quidem viſus eſt per Spiritum prophetiæ: poſtea verò per Filium adoptiuè, poſtremò autem videbitur in regno cælorum paternaliter. Spiritus enim præparat hominem ad Filium Dei, Filius autem adducit ad Patrem, Pater verò incorruptelam donat in vitam æternam, quæ vnicuique euenit ex eo, quòd videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen ſunt, & claritatem eius percipiunt: ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt, percipientes eius claritatem. Viuificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum. Ac propterea inuiſibilis & incomprehenſibilis viſibilem ſe & comprehenſibilem hominibus præſtat, vt viuificet percipientes & videntes ſe. Quemadmodum enim magnitudo eius imperſcrutabilis eſt; ſic & benignitas eius inenarrabilis; per quam ijs præſtat vitam, qui vident eum. Nam viuere ſine vita impoſſibile eſt: vita autem ſubſiſtentia ex Dei participatione venit: Dei verò participatio eſt Deum videre, & eius frui benignitate. Homines igitur videbunt Deum, & viuent per viſionem, immortales facti, & pertingentes vſque ad Deum.

Et poſt pauca ibidem:

Gloria Dei, viuens homo: vita autem hominis, viſio Dei. Si enim ea, quæ per creationem ſit, Dei oſtenſio vitam præſtat hominibus in terra viuentibus; multo magis ea, quæ per Verbum fit, manifeſtatio Patris vitam præſtat his, qui vident Deum.

CAPVT XXII.

Maria Virgo Deipara, *eiúſque laudes.*

§. I. Irenęi locus l. 3. c. 23. & 24.

D*Eus igitur homo factus eſt: & ipſe* Dominus *ſaluauit nos ſigno Virginis dato. Non ergo vera eſt quorundam interpretatio, qui ita*

ita audent interpretari Scripturam: Ecce adoleſcentula in ventre habebit,& pariet filium:*quemadmodum Theodotion Epheſius eſt interpretatus,& Aquila Ponticus,vtrique Iudæi proſelyti: quos ſectati Ebionæi ex Ioſeph generatũ eum dicũt.&c.*Sic vetus interpres, ſed ecce Iſaiæ 7.ver.14.

Ipſiſſima Irenæi græca verba:

Ὁ θεὸς οὖν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, δοὺς τὸ τῆς παρθένου σημεῖον. Ἀλλ' οὐχ ὡς ἔνιοί φασι τῶν νῦν τολμώντων μεθερμηνεύειν τὴν γραφήν. Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν, ὡς Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν ὁ Ἐφέσιος, καὶ Ἀκύλας ὁ Ποντικός, ἀμφότεροι Ἰουδαῖοι προσήλυτοι, οἷς κατακολουθήσαντες οἱ Ἐβιωναῖοι ἐξ Ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσιν.

Sic illa excerpſit Euſebius,& libro 5.hiſtoriæ ſuæ cap. 8. inſeruit: quibus ſufficit ſuperius poſita interpretatio. De ſigno autẽ Virginis, quod datum eſt Regi Achas; hoc eſt,quòd Virgo manens virgo pareret,vide ipſum Irenæum lib.3.cap.26.Et de eiuſdem virginitate, ſequentibus aliquot ibidem capitibus.

Ad locum autem Iſaiæ cap.7.ver.14.quod attinet, ſic verſum habemus in vulgata latina editione: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.*Quàm lectionem adſtruit etiam S. Iuſtinus, tam in Apologia ad Imperatores,quàm in dialogo cum Tryphone Iudæo. Iſaia cap.7. ver.14.

§. II. Alius locus ex eod. lib. 3. Irenæi,cap.31.

Quemadmodum protoplaſtus ille Adam de rudi terra & adhuc virgine(nondum enim pluerat Deus,& homo non erat operatus terram) habuit ſubſtantiam,& plaſmatus eſt manu Dei,id eſt,Verbo Dei (omnia enim per ipſum facta ſunt)& ſumpſit Dominus *limum à terra, & plaſmauit hominem: ita recapitulans in ſe Adamum,ipſe Verbum exiſtens, ex Maria,quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis.* Ioannis 1.ver.3.

Hactenus veteris interpretis verba (deſunt enim græca) ſed ſequentia cùm exſtent græcè apud Theodoretum dialogo 1.& verterit Billius,ponam ex huius verſione. Sunt autem proximè iuncta præcedentibus, & ita habent:

Proinde ſi primus Adamus patrem hominem habuiſſet, atque ex viri ſemine procreatus fuiſſet; non abs re dicere quis poſſet, ſecundum quoque Adamum ex Ioſeph ortum eſſe. At verò,cum ille ex terra ſumptus,atque à Deo effictus ſit; oportebat vtique eum,qui hominem a Deo *effictum in ſeipſo inſtauraret, eandem cum illo generationis ſimilitudinem habere. Quid igitur cauſſæ eſt,quamobrem* Deus *limum rurſus non ſumpſerit,verum operam dederit,vt effictio ex Maria fieret? Nimirum ne alia effictio exiſteret,aut alius eſſet,cui ſalus afferretur, ſed ille ipſemet inſtauraretur,ſeruata ſimilitudine.*

Ita ingenioſè & acutè B. Irenæus. Quem imitari ſtuduit Tertullianus libro,De carne Chriſti, cap.17.& deinceps: *Virgo erat adhuc*

terra,

terra, inquit, *nondum opere compressa; nondum sementi subacta; ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur si primus Adam de terra traditur; meritò sequens vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondum generationi resignata, in spiritum viuificantem à Deo est prolatus.* Ita ille.

§. III. Maria Virgo Euæ maritatæ, sed adhuc Virgini, componitur & opponitur.

Irenæi verba, l. 3. c. 33.

Consequenter autem & Maria Virgo obaudiens inuenitur dicens: Lucæ 1. ver. 38. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum: *Eua verò, inobediens. Non obaudiuit enim, cùm adhuc esset virgo: quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens. Erant enim vtrique nudi in paradiso, & non confundebantur: quoniam paullò antè facti non intellectum habebant filiorum generationis. Oportebat enim illos primò adolescere, dehinc sic multiplicari. Sicut Eua inobaudiens facta, & sibi & vniuerso generi humano caussa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo, obaudiens, & sibi & vniuerso generi humano caussa facta est salutis.*

Et infrà ibidem:

Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.

Imitatus est hoc loco Irenæum Tertullianus: qui hanc vtriusque maritatę Virginis, Euæ, inquam, & Mariæ, oppositionem ita profert libro, de carne Christi, cap. 17. *In virginem enim adhuc Euam,* inquit, *irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit; hæc credendo deleuit.*

Hæc & plura ibi Tertullianus.

§. IV. Alia Irenæi verba Mariam Euæ opponentis, lib. 5. c. 19.

Seductione illâ solutâ, quâ seducta est malè illa, quæ iam viro destinata erat virgo Eua; per veritatem euangelizata est bene ab Angelo iam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.

Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato, per correptionem primogeniti, emendationem accipiente, & serpentis pruden-

prudentiâ deuictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.

In posteriore huius loci parte, *Et quemadmodum adstrictum &c.* secutus sum lectionem S. Augustini, qui libro 1. Contra Iulianum Pelagianum, cap. 3. hæc citat ex Irenæo, de quo ita subijcit.

Vidésne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat?

Corrigendus itaque vetus Irenæi interpres loco superiùs citato, vbi sic habet absque vllo sensu:

Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia deuicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quæ alligati eramus morti.

Similis de B. Virgine locus a B. Iustino Philosopho & martyre, aliquantò ante Irenæum delibatus fuerat. Nam hanc ipsam Euę & Mariæ, inobedientiæ & obedientiæ, mortis & vitæ oppositionem, in Dialogo cum Tryphone, hoc ferme sensu attigerat:

Et homo, inquit, *è Virgine natus est; vt quà viâ per serpentem inobedientia ceperat initium, eadem viâ dissolutionem & interitum acciperet. Virgo enim & incorrupta cùm esset Eua, sermonem à serpente concepit, & inobedientiam ac mortem peperit: Maria autem Virgo, cum fidem & gaudium ex Angeli annuntiatione concepisset, obediuit, & Christum genuit.* Quod idem est, ac si dixisset: obedientiam & vitam peperit.

Multo quidem pluribus verbis hanc posteriorem partem: *Obediuit, & Christum genuit*, habet Iustinus: sed breuitatis compendio sensum prorsus eundem, verbis omissis, reddidi.

Possunt in ipso dialogo longè post medium græca ipsa consuli, quę sic habent:

Καὶ διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος γέγονε, ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λαβῇ. Παρθένος γὰρ οὖσα Εὔα καὶ ἄφθορος, τὸν λόγον τὸν ἀπὸ τοῦ ὄφεως συλλαβοῦσα, παρακοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε· πίστιν δὲ καὶ χαρὰν λαβοῦσα Μαρία ἡ παρθένος εὐαγγελιζομένου αὐτῇ Γαβριὴλ ἀγγέλου, ὅτι πνεῦμα ἐπ' αὐτὴν ἐπελεύσεται. &c.

De Virgine autē Deipara Euæ aduocata, (vt hîc appellauit Irenęus) est ille Aratoris Subdiaconi lib. 1. in Acta Apostolorū elegans versus.

Mala criminis Euæ.
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus.

Dilatauit hæc eleganter S. Augustinus serm. 11. de natali Domini his verbis: *Malum mundo venit per feminam: immo et per feminā bonum: quia si per Euam cecidimus, per Mariam stamus: per Euam prostrati, per Mariam erecti: per Euam seruituti dati, per Mariam liberi effecti. Eua nobis sustulit diuturnitatem: Maria*

nobis reddidit perpetuitatem. Eua nos damnari fecit per arboris pomum: Maria nos absoluit per arboris donum. Quia Christus in ligno pependit vt fructus. Igitur sicut per arborem mortui, ita per arborem viuificati.

Vide eundem serm. 18. de Sanctis.

Nec verò æquum hîc censeo cantus Pontani nostri dulcedinem atque amœnitatē illaudatam præteriri. Hic enim Irenęi nostri sensa pulchrè admodulatus est. Vide illū lib. 1. De Virgine matre, carm. 3.

CAPVT XXIII.

§. I. Ecclesia Catholica, eiúsque fides.

Lib. 1. aduersus hæreses, cap. 2.

Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ dispersa, ab Apostolis, eorúmque discipulis accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: & in vnum Iesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute: & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispensationes Dei, & aduentum, & eam quæ est ex Virgine generationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & in carne ad cælos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, & de cælis in gloria Patris aduentum eius ad instauranda vniuersa, & resuscitandam omnem carnem humani generis, vt Christo Iesu Domino nostro & Deo & Saluatori & Regi, secundum placitum Patris inuisibilis, omne genu curuetur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat: spiritalia quidem nequitiæ, & Angelos transgressos, atque apostatas factos, & impios & iniustos & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: iustis autem & pijs & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam conferat, & gloriâ æternâ circumdet.

Ita Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 2. cuius græca verba, quę exstant apud S. Epiphanium hęresi 31. è verbo reddidi, proximè interpretationi veteri meam accommodans.

Vide eiusdem Irenęi caput 3. quod hîc non repeto, cùm incluserim eius vitę cap. 8. sub finem.

§. II. Eiusdem Irenæi, initio libri 3.

VERA FIDES QVÆ SIT.

Sola vera ac viuifica fides est, quam ab Apostolis Ecclesia percepit, & distribuit filijs suis. Etenim Dominus omniū dedit Apostolis suis potestatē euangelij; per quos et veritatē, hoc est, Filij Dei doctrinā cognouimus: quibus et dixit Dominus: QVI VOS AVDIT, ME AVDIT:

Lucæ 10. vers. 16

ET

ET QVI VOS CONTEMNIT, ME CONTEMNIT, ET EVM, QVI ME MISIT. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quam per eos, per quos euangelium peruenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt: postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniã antè prædicauerunt, quàm perfectã haberent agnitionem: sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quàm surrexit Dominus noster à mortuis, & induti sunt superuenientis Spiritus Sãcti virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem; exierũt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt euangelizantes, & cælestem pacẽ hominibus annuntiantes, qui quidem & omnes pariter, & singuli eorum habentes euangelium Dei. Luca 10. vers. 16.

Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit euangelij, cùm Petrus & Paullus Romæ euangelizarent, & fundarent ecclesiam. Euangelia, Matthæi.

Post horum verò excessum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ à Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Marci.

Et Lucas item sectator Paulli, quod ab illo prædicabatur euangelium, in libro condidit. Lucæ.

Postea & Ioannes discipulus Domini, qui & supra pectus eius recumbebat, & ipse edidit Euangelium Ephesi Asiæ commorans. Ioannis.

Et omnes isti vnum Deum factorem cæli & terræ, à Lege & Prophetis annuntiatum, & vnum Christum Filium Dei tradiderunt nobis. Quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini: spernit autem & ipsum Christum Dominum: spernit vero & Patrem, & est à semetipso damnatus, resistens et repugnans saluti suæ: quod faciunt omnes hæretici. Hactenus verba Irenæi.

Quòd autem in Ecclesia quatuor sint euangelia, non plura, nec pauciora, probat eodem libro 3. Irenęus, cap. XI.

§. III. Verba Irenæi de 4. euangelijs.

Neque autem plura numero, quàm hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse euangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt, in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est ecclesia super omnem terram, (columna autem et firmamentum ecclesiæ est euangelium, et spiritus vitæ) consequens est quatuor habere eam columnas vndique flantes incorruptibilitatem, et viuificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super Cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus dedit nobis quadriforme euangelium, quod in vno spiritu continetur. Quemadmodum et Dauid eius postulans aduentum ait: Qui sedes super Cherubim, appare. EVANGELIA SVNT TANTVM IV. EVANGELII LAVS. Psal. 79 vers. 3.

Etenim Cherubim quadriformia, et formæ ipsorum, imagines sunt dispo-

dispositionis Filij Dei. Primum enim animal, inquit, simile Leoni, efficabile eius et principale et regale significans.

Secundum verò simile vitulo, sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans.

Tertium verò animal habens faciem quasi humanam, eum, qui est secundum hominem, aduentum eius manifestè describens.

Quartum verò simile aquilæ volitantis, Spiritus in Ecclesiam aduolitantis gratiam manifestans.

Vide ibi plura.

Nota in iam dictis vocem *capit*, idem valere quod *potest*, aut *possunt*, & poni impersonaliter, sicut *conuenit*, *decet*, & similes. Sic lib. 2. cap. 16. sub initium dixit: *Non capit igitur ex Bytho et Ennoia emissum esse Nun.* id est, non potest dici è Profundo & Intelligentia natam esse Mentem. Et paullò pòst: *Et hæc quidem in hominibus capit dici.* id est, possunt dici. Sic & alibi sæpius, ad exemplum grecæ vocis ἐνδέχεται, quę vim illam habet, & significat, *licet, fieri potest. &c.*

Vocem *capit*, pari quoque modo & sæpenumero vsurpauit Tertullianus. In Apologetico aduersus Gentes cap. 17. *Hoc quod est,* inquit, *Deum æstimari facit, dum æstimari non capit.*

Corrige eàdem operâ, hoc loco, notatiunculam Pamelij, vbi ἐντέκετε positum est, pro ἐνδέχεται. Vox enim ἐντέκετε nihili est, altera verò vsitata & elegans.

Idem Tertull. libro de Spectaculis, cap. 3. *Generaliter,* inquit, *dictum intelligamus, cùm quid etiam specialiter interpretari capit.*

Et libro, de præscriptionibus, cap. 44. *Talia capit opinari eos, qui exorbitant, & fidei veritatis periculum non cauent.* id est, talia contingit opinari &c. *vel* Talia possunt opinari ij, *&c.*

Nota item illud, *declaratus hominibus*, de Christo dici, hoc est, manifestatus hominibus per incarnationem.

§. IV. Alius Irenæi insignis locus De ecclesia. l. 3. c. 40.

Prædicatio Ecclesiæ vndique constans, & æqualiter perseuerans est, testimonium habens à Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus Discipulis: quemadmodum ostendimus per initia & medietates & finem, & per vniuersam Dei dispositionem, & eam, quæ secundùm salutem hominis est, solidam operationem, quæ est in fide nostra, quam perceptā ab Ecclesia custodimus, & quæ semper à Spiritu Dei, quasi in vase bono, eximium quoddam depositum iuuenescens, & iuuenescere faciens ipsum vas, in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei munus, quemadmodum adspiratio plasmationi, ad hoc vt omnia membra percipientia viuificentur. Et in eo disposita est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, & confirmatio fidei nostræ, & scala ascensionis ad Deum. In Ecclesia enim, *inquit,* posuit

Deus

Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, *& vniuersam reliquam operationem Spiritus: cuius non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam: sed semetipsos fraudant à vita per sententiam malam, & operationem pessimam. Vbi enim Ecclesia, ibi & Spiritus* Dei: *& vbi Spiritus Dei, illic & Ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem, veritas. Quapropter qui non participant eũ, neque à mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridã bibunt aquam, effugientes fidem ecclesiæ, ne traducantur; reijcientes verò Spiritum, vt non erudiãtur. Alienati verò à veritate, dignè in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de ijsdem sentientes, & nunquam scientiam stabilem habentes, sophistæ verborum magis volentes esse, quàm discipuli veritatis.*

Ephes.4.ver.11. Ierem.2.13.

Hæc ibi & plura.

§. V. Eiusdem Irenæi, eodem lib. cap. 63. & 64.

Contra Gnosticos, siue eos hæreticos, qui gloriabantur se agnitionem habere, hoc est, donum scientię & cognitionis Scripturarum, rerúmque ad fidem pertinentium, ita scribit Irenæus:

Verba Irenæi:

Agnitio vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus ecclesiæ status in vniuerso mundo, & character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, lectio sine falsatione, & secundum Scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia: & præcipuum dilectionis munus, quod est preciosius quam agnitio, gloriosius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius.

Iren.l.4.cap.63.

Quapropter Ecclesia omni in loco, ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem: reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed ne quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium: nisi si vnus aut duo aliquando per omne tempus, ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi & ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul baiulauit nominis, & cum eis ductus est, velut adiectio quædam donata eis. Opprobrium enim eorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, & omnes pœnas sustinent, & mortificantur propter eam, quæ est erga Deum, dilectionem & confessionem Filij eius, sola Ecclesia purè sustinet, sæpe debilitata, & semper augens membra, & integra fiens.

Cap.64. MARTYRIA CATHOLICORVM.

Ita vetus interpres, bonas quidem res proferens, sed malis verbis. Nam doctrina Irenęi eximia, sed stilus Interpretis sordidus, & qui nō

solùm deformet pulchrè dicta, sed etiam clara & nitida obscuret, mentíque aliàs intellecturæ eripiat. Quare si nonnihil deinceps vera Interpretis imposita, inconcinna, inexpedita interpolauero, non alium ex Irenæo, sed Irenæum potiùs ex alio censeri debebo reddidisse. Sensum enim eundem dabo, & aliquid stili reddam. Ita nihil detraxero; nihil, nisi in melius, mutauero.

§. VI. Ecclesiæ Doctores eadem vbique conformiter docent: secùs hæretici.

Hoc Irenæus libro 5. cap. 19. & cap. 20. pertractat: cuius verba posteriore capite hunc sensum referunt:

Lib. 5. cap. 20. *Necesse habent prædicti hæretici, (quoniam sunt cæci ad veritatem) alteram & alteram ambulare, exorbitantes, viam: ideóque eorum doctrinæ nec consonant inter se, nec cohærent: sed incerta, temereq; dispersa habent vestigia. E contrario autem eorum, qui in ecclesia sunt, semita mundum circumiens vniuersum, firmam habet ab Apostolis traditionem, per quam videre nobis datur, omnium vnam & eandem esse fidem; quippe omnibus vnum & eundem Deum Patrem recipientibus, omnibus eandem dispositionem incarnationis Filij Dei credentibus, omnibus eandem Spiritus donationem agnoscentibus, omnibus eadem præcepta obseruantibus, & eandem ecclesiasticæ ordinationis formam custodientibus, & eundem expectantibus aduentum Domini, & eandem salutem totius hominis, id est, animæ & corporis opperientibus. Et Ecclesiæ quidem vera & firma est prædicatio, in quâ vna & eadem salutis via in vniuerso mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, ac propter hoc sapientia Dei, per quam saluat omnes homines, in* Prou. 1. ver. 20. *exitu canitur. In plateis enim fiducialiter agit, in summis muris prædicat, in portis ciuitatis constanter loquitur. Vbique enim ecclesia prædirat veritatem: & hæc est* * ἑπτάμυξος *lucerna, Christi baiulans lumen. Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus, quàm blasphemus & impudens sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant, ea quæ prius dicta sunt, variè & multiformiter sequentes, & imbecille facientes iter, de ijsdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci à cæcis circumducuntur, iustè cadent in sublatentem ignorantiæ foueam, semper quærentes, & nunquam verum inuenientes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, & intentiùs obseruare, ne ipsis coniungamur; sed confugere ad Ecclesiam, & in eius sinu educari, & dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo.* Ab omni Gen. 2. ver. 16. ergo ligno paradisi escas manducabis, *ait Spiritus Dei, id est, ab omni Scriptura* Dominica *manducate: super elato autem sensu ne manducaueritis, neque tetigeritis vniuersam hæreticam dissensionem. Ipsi enim confi-*

* Lucerna constans 7. ellychnijs.

confitentur ſemetipſos agnitionem habere boni & mali,& in Deum,qui fecit eos,iaculantur ſenſus ſuos impios.

Ita Irenæus.

CAPVT XXIV.

Scriptura Sacra.

DE SCRIPTVRA SACRA.

1. documentum.

Lib 3. cap. 11.

PRo certo & explorato inter Catholicos peræquè & Hæreticos ſumitur & tenetur, nihil ad fundandam firmandámue Fidei doctrinam Sacra Scriptura eſſe validius. Dici enim de tota poteſt, quod de parte, hoc eſt, de euangelio, dixit Irenæus: nempe *columnam eſſe,& firmamentum Eccleſiæ,& Spiritum vitæ.*

Et hoc ſit primum Irenæi de Scriptura ſacra documentum.

2. documentum.

Secundum autem: Scripturas eſſe perfectas, hoc eſt, certæ & indubitatę veritatis.

Irenæus libro 2. cap. 47.

SCRIPTVRÆ QVÆDAM DIFFICILES.

Credere hæc talia, inquit, *debemus Deo, qui & nos fecit, rectiſſimè ſcientes, quia Scripturæ quidem perfectæ ſunt: quippe à Verbo Dei, & Spiritu eius dictæ: nos autem ſecundum quod minores ſumus,& nouiſſimi à Verbo Dei, & Spiritu eius: ſecundum hoc & ſcientia myſteriorum eius indigemus. Et non eſt mirum, ſi in ſpiritalibus, & cæleſtibus, & in his, quæ habent reuelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum, quæ ante pedes ſunt (dico autem quæ ſunt in hac creatura, quæ & conteruntur à nobis,& videntur,& nobiſcum ſunt) multa fugerunt noſtram ſcientiam,& Deo hæc ipſa committimus.* Sic Irenæus.

3. documentum.

Tertium documentum: Aliquas Scripturas eſſe difficiles, & in quibus ſemper habeat homo, quod diſcat, & quarum aliquæ non ſint nimis curioſè perſcrutandę, ſed Deo relinquendæ.

Hęc partim in proximè dictis continentur, partim ex ijs, quę paulò pòſt ibidem ſubiungit in hæc verba:

Ibidem.

Si ergo & in rebus creatis quædam quidem adiacent Deo, quædam autem & in noſtram venerũt ſcientiam: quid mali eſt, ſi & eorum quæ in Scripturis requiruntur, quæ vniuerſæ ſpiritales ſunt, quædam quidem abſoluamus ſecundùm gratiam Dei, quædam autem cõmendemus Deo, non ſolum in hoc ſæculo, ſed & in futuro? vt ſemper quidem Deus doceat, homo autem ſemper diſcat quæ ſunt à Deo.

Hæc Irenæus. Quæ meritò producit Bellarminus libro 3. de Verbi Dei interpretatione, cap. 1: vt probet aliquas Scripruras eſſe difficiles,& egere interpretatione.

In ſyntheſi doctrinæ Irenæi c.

Scultetus autem pro ſua in mentiendo & calumniando impudentia ſic ſcribit:

De Scriptura ſacra, inquit, *quid ſenſerit Irenæus, capite huius libri ſeptimo fuit expoſitum: nempe eſſe eam perfectam & perſpicuam. Quid contrà Bellarminus? Ne ſuffragatione Irenæi videatur deſtitui, per ſummam*

summam fraudem & malitiam exscripsit ex libri 2. capite 47. Irenæi hæc verba: Si ergo & in rebus creatis &c. *Quibus ex verbis colligit Iesuita Scripturam Irenæi testimonio esse obscuram.*

REFVTATIO SCVLTETI.

Ita ille. Qui primò quidem mentitur, cùm dicit Irenęum sensisse Scripturam esse perfectam & perspicuam. Nam perfectam quidem dixit, vt in verbis eius suprà positis videre est: *Rectissimè scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt.* &c. perspicuam verò non dixit, sed potiùs obscuram in nonnullis esse locis indicauit, cùm subiecit: *nos autem secundùm quòd minores sumus* &c. id est, nos qui longissimè à Verbo dictatore Scripturarum absumus, egemus scientia mysteriorum, quæ scilicet capere aliter non possemus, nec, nisi Deo docente intelligere. Et hoc probat in sequentibus. *Et non est mirum &c.* quorum hic est sensus: Nec est mirum esse aliqua in Scripturis, quæ non intelligamus, cùm & in ipsis rebus creatis, quas quotidie videmus, & pedibus calcamus, sint non pauca, quæ nos fugiant. Et tamen corporalia sunt hæc: Scripturæ autem spiritales.

An non ergo hic multo iustiùs possum quærere. *Quid contra Scultetus?* quàm ille quærebat, *Quid contra Bellarminus?*

Affert verò Scultetus, (vt puluerem offundat oculis) occasionem, quâ ista dixerit Irenæus, nempe quia Valentiniani è parabolis malè intellectis noua cudebant dogmata. Sed quid hoc refert, quacumque occasione dixerit, dummodo illud constet seriò dixisse, immo & probasse aliquas Scripturas esse difficiles, & earum solutionem & explicationem, vt supra vires nostras, Deo relinquendam? Hoc enim tantùm volumus, non omnes esse claras & faciles, ita vt interpretatione non egeant; sed aliquas difficiles & obscuras.

Et is, qui sinceram in Bellarmino exscriptionem verborum Irenęi appellabat *summam fraudem & malitiam,* videte, vt suo ipse capiatur laqueo. Nam vbi verba Irenæi fuerunt ad peculiarem & certam quæstionem restricta, ipse velut generatim dicta fraudulenter & malitiosè traduxit. Tractabat videlicet hanc Irenæus quęstionem: alium non esse Deum, quàm eum, qui creauit omnia (alios enim fingebant Valentiniani & Gnostici) idque ex Scripturis clarissimis, tam Prophetarum, quàm euangelistarum comprobabat: illi autem ex parabolis & locis ambiguis repugnabãt. Cõtra illos igitur dixit Irenęus:

Lib. 2. c. 46.

Cùm itaque vniuersæ Scripturæ, & Propheticæ, & euangelicæ, in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint; quæ (tametsi omnes non credunt) vnum & solum Deum, ad excludendos alios, prædicant omnia fecisse per Verbum suum, siue visibilia, siue inuisibilia, siue cælestia, siue terrena, siue aquatilia, siue subterranea (sicut demonstrauimus ex ipsis Scripturarum dictionibus) & ipsa item creatura, in qua sumus, per ea quæ in conspectum veniunt, hoc ipsum testetur, vnum esse qui eam fecerit & regat: valde hebetes apparebũt, qui

ad

ad tam lucidam apertionem cacutiunt oculos, & nolunt videre lumen prædicationis, ſed conſtringũt ſemetipſos, & per tenebroſas parabolarum abſolutiones vnuſquiſque eorum putat ſe inueniſſe Deum.

Ex his porrò Irenæi verbis, & ex alijs ibi conſequentibus, quis non videt Irenæum de illis ſolis loqui Scripturis, quæ docent vnum & ſolum eſſe Deum, qui omnia condiderit? quas Scripturas, ſiue ſint propheticę, ſiue euangelicæ, dicit eſſe claras & perſpicuas, ac proinde hebetes admodùm eſſe illos, qui relictis illis ad obſcuras & tenebroſas parabolarum explicationes & ſolutiones confugiant. Nam alioqui ſi de omnibus abſolutè Scripturis loqueretur, & diceret eas eſſe in aperto, & ſine ambiguitate, & ſimiliter ab omnibus intelligi; duo ſequerentur valde abſurda. Vnum, ſibi eodem in capite ipſum contradicere: ſiquidem initio huius ipſius capitis diuiſit Scripturas in faciles, & quæ ſtatim occurrant oculis; & in eas, quæ non apertè dictę ſint, nec ante oculos poſitæ.

Alterum, Prophetas facilè & ſtatim ab omnibus intelligi, quos tamen nemo eſt, qui non plurimis in locis obſcuros, & ita difficiles fateatur, vt vix à ſummis ingeniis, & ne vix quidem capi poſſint. Niſi fortè tam elatus, & tam ſuæ tenuitatis, ne dicam ſtoliditatis, ignarus eſt Scultetus, vt tanquam Origene & Auguſtino acutior, cuncta ſe vno aſpectu & lynceis oculis penetraſſe, & intellexiſſe myſteria Scripturarum, etiam reconditiſſima, glorietur.

Adde verò tertium, quod ipſi Sculteto, & eiuſdem ſectæ hominibus cenſebitur longè abſurdiſſimum: nempe ſequi ipſos turpiſſimè hallucinari in verbis facillimis, & in aperto poſitis. Nam ſi tales ſunt Scripturæ omnes, vt cunctis obuium & intellectu facilem ſenſum offerant, quis eſt obuius & intellectu facillimus verborum iſtorum ſenſus? *Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*, nonne is, quem verba ſonant? nonne is, quem plurima mundi pars vel arripit, vel admittit: Nam ſi alius; ergo non omnes ſcripturæ perſpicuæ, & in aperto poſitę.

Sed idem planus & calumniator Scultetus, poſt ſuperiùs dicta, pergens de Irenæi doctrina loqui, ſic ait: *Subiungit, (quod Sophiſta Bellarminus non attigit) Semper tamen fidem, qua ad magiſtrum eſt noſtrum, manere firmam.* Ecqua de cauſſa, mi homo, id attigiſſet, quod ad propoſitum ſuum faciebat nihil? Neque tu profectò potes oſtendere illa Irenæi verba quicquam contra Bellarminum facere. Hoc enim voluit, & aliud nihil Irenęus: Quamuis aliquæ ſint Scripturæ, inquit, quas non intelligamus, tamen fides noſtra erga Deum permanet ſemper firma. Perinde, ac ſi dicerem; Tametſi Scultetus Scripturà ſacrà variè abutatur, tamen fides noſtra ſemper permanet firma, eſſe vnum Deum &c. De hoc enim agit Irenęus.

Quòd autem minimè ſibi contradicat Irenęus, ſed de ſolis illis

Scripturarum locis loquatur,qui docent vnicum illum esse Deum, qui condidit omnia; vel ex illa conclusione patet, quam initio sequentis capitis,hoc est,47. idem sanctus sic affert:

Lib.2.cap.47. *Habentes itaque regulam*,inquit,*ipsam veritatem,& in aperto positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum subtilitates, declinando in alias atque alias absolutiones,* [*id est explicationes*] *eijcere firmam & veram de Deo scientiam: sed potius absolutionem quæstionum in hunc characterem dirigentes,exerceri quidem nos conuenit per inquisitionem mysterij,& dispositionis existentis Dei, augeri autē in caritate eius,qui tanta propter nos facit & fecit:nec vnquam excidere ab ea suasione,qua manifestissimè prædicatur, quod hic solus verè sit Deus & Pater,qui & hunc mundum fecit,& hominem plasmauit &c.* Sic ille.

Deerat in excusis exemplaribus hoc loco vna vox, legebatúrque, *per quæstionum declinantes* &c. restitui vocem *subtilitates*. Eam enim defuisse,& non aliam, ex simillima locutione in secundo,ante hoc capite,collegi.Sic enim capite 45. *quàm per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.*

Sed redeamus ad Irenæi documenta.

4.documentum. *Quartum documentum est:* Scripturas difficiliores explicandas esse,& aptandas per faciliores,non contrà.

Hoc docet libro 2.aduersus hæreses,cap.46.initio.

Sensus autem sanus,inquit,*& qui sine periculo est,& religiosus,& amans verum,quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus, & subdidit nostræ scientiæ,hæc promptè meditabitur, & in ipsis proficiet, diuturno studio facilem eorum sententiam efficiens. Sunt autem hæc, quæ ante oculos nostros occurrunt,& quæcumque apertè & sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis; & ideo parabolæ debent non ambiguis adaptari. &c.*

5.documentum. *Quintum*: Sacrarum Scripturarum ex Hebraica in Græcam linguam per Septuaginta interpretes versionem diuinitus factam, eáque vsos in scriptis suis Apostolos.

Id docet Irenæus libro 3.aduersus hæreses,cap.25. vbi & interpretationis modum conformiter B. Iustino describit. Exstant ipsamet Græca Irenęi verba apud Eusebium,lib.5.historiæ,cap.8.quorum hic est sensus:

Antequam Romani summum orbis tenerent imperium, Macedonibus adhuc Asia potiuntibus, Ptolemæus Lagi filius bibliothecæ, quam Alexandriæ condiderat,egregijs omnium Scriptorum libris adornandæ cupidus,petijt ab Hierosolymitanis, vt Scripturas suas in græcum sermonem traductas sibi traderent. Illi verò (tum enim adhuc parebant Macedonibus) viros Septuaginta seniores,Scripturarum & vtriusque linguæ peritissimos, ad Ptolemæum miserunt facturos, quod ipse vellet,

Hic

Hic autem eorum sinceritatis periculum facere seorsum volens, ac veritus ne, si illos coniungeret, aliquam fortasse Scripturarum veritatem interpretatione sua occultarent, eos inter se disiûxit, atque vt singuli idem interpretarentur, mandauit, hócque in libris omnibus fecit. Tandem verò, cum simul coram Ptolemæo conuenissent, & suam vnusquisque interpretationem contulisset, ibi Deus glorificatus est, & Scripturæ re vera diuinæ esse cognitæ sunt. Quippe omnes eadem & sententijs & verbis ab initio ad finem vsque expresserant: ita vt Gentiles, qui ibi tum aderant, interpretationem istam diuina factam inspiratione agnoscerent. Neque mirum est fecisse hoc Deum, quando & Scripturas omnes, dum populus sub Nabugodonozore captiuus teneretur, penitus deperditas atque corruptas, reuersis in regionem suam post septuaginta annos Iudæis, in integrum restituerit: cùm scilicet temporibus Artaxerxis Persarum Regis, Esdræ Sacerdoti è tribu Leui inspirauit; vt omnium, qui antè fuerant, Prophetarum libros de integro scriberet, & populo scriptam à Moyse legislationem redonaret.

Hactenus è Græcis Irenæi, quæ exstant.

Reliqua eiusdem Irenæi, quæ Latinè tantùm supersunt, sic sunt apud veterem interpretem:

*Cum tanta igitur veritate & gratia Dei interpretatæ sunt Scripturæ, ex quibus præparauit & reformauit Deus fidem nostram, quæ in Filium eius est, & seruauit nobis simplices Scripturas in Ægypto, in qua adoleuit & domus Iacob effugiens famem, quæ fuit in Chanaan, in qua & Dominus noster seruatus est, effugiens Herodis persecutionem. Et hæc Scripturarum interpretatio, priusquam Dominus noster descenderet, facta est; & antequam Christiani ostenderentur, interpretata est. Natus est enim Dominus noster circa primum & quadragesimum annum imperij Augusti: multo autem vetustior fuit Ptolemæus, sub quo interpretatæ sunt Scripturæ. Quare vere impudorati & audaces ostenduntur ij, qui nunc volunt alias interpretationes facere, quando ex ipsis Scripturis arguuntur à nobis, et in fidem aduentus Filij Dei concluduntur. Firma est autem, et sincera, et sola vera fides nostra, manifestam habens ostẽsionem ex ijs Scripturis, quæ illo, quo antè diximus, modo interpretatæ sunt, et * annuntiatæ Ecclesiæ sine interpolatione. Etenim Apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, et interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, et Ioannes, et Matthæus, et Paulus, et reliqui deinceps, eorúmque sectatores Prophetica omnia ita annuntiarunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.*

* Male legebatur [illegible]

Hactenus ex Irenæo.

Quod autem hic dicitur Ptolemæus Lagi filius sacras expetijsse Scripturas: alij tribuunt Ptolemæo Philadelpho, illius Ptolemęi Lagidę filio.

Sed

Sed haud magnum discrimen, quando tribuitur patri, quod fecit aut facere instituit, filius viuente adhuc patre. Nam Philadelphus consors regni à patre factus est, & fortè instigante patre inchoatam priùs bibliothecam istis libris auxit. Meliùs tamen procuratio interpretationis Scripturarum Philadelpho adscribitur, quàm Lagidæ.

Quòd autem nonnulli de disiunctione Interpretum, & diuersis, (quarum Iustinus & alij meminerunt) cellulis, ob Aristeę silentium discrepant, primò verum & purum Aristeam exhibeant, deinde altercentur. Nam hunc, qui exstat, nec ipse Scaliger, qui à communiore discedit sententia, vt purum suscipit, sed reijcit, vt spurium. Vide eius Animaduersiones in Eusebij Chronologiam.

6. documentum. *Sextum documentum*: Prophetas non vno, sed varijs modis prophetasse: nimirum sermone, visione, conuersatione, seu actione.

Hanc doctrinam complectitur Irenæus lib. 4. cap. 37. cuius hęc verba:

Non enim solum sermone prophetabant Prophetæ, sed & visione, & conuersatione, & actibus quos faciebant, secundùm id quod suggerebat Spiritus. Secundum hanc igitur rationem inuisibilem videbant Deum: quemadmodum & Isaias ait: Isaiæ 6. ver. 5. *REGEM DOMINVM SABAOTH VIDI OCVLIS MEIS: significans, quoniam videbit oculis Deum homo, & vocem eius audiet.*

Hac etiam ratione Filium Dei hominem videbant conuersatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nondum aderat adesse dicentes, & impaßibilem paßibilem annuntiantes, & eum, qui tunc in cælis, in limum mortis descendisse dicentes. Et reliquas eius recapitulationis [id est, humanæ instaurationis] dispositiones, quasdam quidem per visiones videbant, quasdam per verbum annuntiabāt, quasdam verò per operationem typicè significabant, quæ quidem videnda erant, videntes: quæ verò audienda erant, sermone præconantes: quæ denique agenda erant, operatione perficientes: vniuersa verò propheticè annuntiantes.

Ponit deinde singulorum membrorum exempla.

Docet etiam ibidem nullum Prophetarum vidisse propriè Deum, sed similitudinem tantùm Domini.

Igitur, inquit, *si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, (qui multa de cælestibus viderunt, sed quæ ab ijs videbantur, erant similitudines claritatis Domini, & prophetiæ futurorum) manifestum est,* 1. Ioan. 4. ver. 12 *quoniam Pater quidem inuisibilis, de quo & Dominus dixit:* Deum nemo vidit vnquam. *&c.*

Videri etiam potest eiusdem libri 4. caput 66. vbi quænam de Christo singuli Prophetę prædixerint, & quomodo, breuiter aperit.

Post Scripturas sacras, de quibus sufficere videtur, quę hactenus allata sunt, ad Apostolicas traditiones ordine congruo procedamus.

CAPVT XXV.

Traditiones Ecclesiæ.

NIhil secundùm Scripturas sacras, (de quibus iam suprà dictum est) nec antiquius, nec fortius pro sui conseruatione & defensione habet Ecclesia catholica, quàm Apostolorum Traditiones. Cùm enim & in sacris Scripturis aliqua reperiantur, vel obscurè dicta, vel ambiguè, quibus hi ad tuendam veritatem, isti ad impugnandam vtantur & abutantur; qui meliores iudices, quàm Apostolicæ voces, vel scripto traditæ, vel successorum auribus concreditæ? Scripturis igitur & Traditionibus, velut duabus columnis firmissimis innituntur germani Ecclesiæ filij: cùm interea hæretici, velut pulli adulterini, nec his firmiter credentes, nec illis stabiliter innitentes, nihil prorsus habeant, vbi constanter figant pedem. Audiamus enim super his, quid noster gloriosus martyr proferat Irenæus.

§. I. Verba S. Irenæi, l.4. c.2.

Cùm enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quòd variè dicta sint, & quòd non possit ex ijs inueniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem. Non enim per litteras eam traditam, sed per viuam vocem: ob quam caussam & Paullum dixisse: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non mundi huius. *Vnusquisque autem istorum, hanc sapientiam esse dicit illam, quam à semetipso adinuenit, fictionem videlicet.* Sic ille. 1. Cor. 2.

Et paullò pòst:

Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, & quæ per successiones Presbyterorum in ecclesiis custoditur, eos prouocamus; aduersantur Traditioni, dicentes se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores sinceram inuenisse veritatem: Apostolos autem admiscuisse ea, quæ sunt legalia, verbis Saluatoris: & non solum Apostolos, sed etiam ipsum Dominum, modò quidem à Demiurgo, modò autem à medietate, interdum autem à summitate fecisse sermones: se verò indubitatè, & incontaminatè, & sincerè absconditum scire mysterium. Quod quidem impudentissimè est blasphemare suum factorem. Euenit itaque nec Scripturis iam, neque Traditioni eos consentire. Sic Ireneus.

HÆRETICI IACTANT SE APOSTOLIS SAPIENTIORES.

§. II. Et cap. 3. eiusdem libri:

Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt,

cuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, ipsi qui seorsum & clam reliquis perfectos docebant, his vel maximè ea traderent, quibus & ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant; suum ipsorum magisterij locum eis committentes: quibus emendatè agentibus magna esset vtilitas, lapsis autem summa calamitas.

SVCCESSORES APOSTOLORVM VALDE PERFECTI.

Sed quoniam valde longum est in hoc tantillo volumine, omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquißimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosißimis duobus Apostolis Petro & Paullo Romæ fundatæ & constitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem, & prauam sententiam, secus quàm oportet, cœtus colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vbique fideles, in qua semper ab his, qui vbique sunt, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio. Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paullus in his quæ sunt ad Timotheum, epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cùm adhuc recentem & quasi insonantem prædicationem Apostolorum, & Traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, sed multi adhuc id temporis eruditi ab Apostolis erant superstites.

ROMANÆ ECCLESIÆ LAVS.

VNVS ECCLESIAM AB APOSTOLIS ACCEPIT REGENDAM.

PONTIFICVM ROMANORVM SVCCESSIO.

Et infrà, paucis interiectis:

Huic autem Clementi succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & post hunc Telesphorus: qui etiam generosè martyrium subijt: ac deinceps Hyginus, deinde Pius, post quem Anicetus. Cùm autem succeßisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco ab Apostolis sortem Episcopatus obtinet Eleutherus. Hoc ordine, & hac succeßione, ea quæ ab Apostolis in Ecclesia est Traditio, & veritatis prædicatio ad nos vsque peruenit.

Denique ad extremum eiusdem capitis (transilio enim, quæ ibidem habet de S. Polycarpo, Apostolorum successore, ne dicta in eius vita repetam) sic addit:

ECCLESIÆ EPHESINÆ FVNDATIO.

Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, à Paullo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verax Apostolorum traditionis.

Hactenus è cap. 3. pergit porrò in eadem tractatione toto cap. 4. & dicit:

§. III.

§. III. Verba Irenæi:

Tam euidenter igitur cùm hæc ostensa sint; non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis; vti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui, fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia deligere, & apprehendere veritatis Traditionem. Quid enim? Et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oporteret ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habent per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodiunt, credentes in vnum Deum fabricatorem cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium: qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, generari è Virgine sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, qui & passus sub Pontio Pilato, & resurrexit, & in caritate receptus, in gloria venturus est saluator eorum, qui saluantur; & iudex eorum qui iudicantur; & missurus in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores Patris sui, & aduentus sui metipsius.

Lib. 3. cap. 4.

VERITAS NON ALIVNDE, QVAM AB ECCLESIA, PETENDA EST.

DISCIPVLIS APOST. LORVM FIDES ADHIBENDA EST.

FIDEI SYMBOLVM.

Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem, propter fidem, quà sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantur in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annuntiauerit ea, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio eorum sermone colloquens; statim concludentes aures longè longiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium.

AVRES OBTVRANTVR AD HÆRETICORVM ERRORES.

Traditionum ecclesiasticarum defensio.

Ita B. Irenæus, tam de traditionibus Apostolicis, quàm de fuga hæreticorum, prorsus diuinè.

Quòd autem initio huius tituli, Traditiones sacris Litteris, & dignitate, & auctoritate feci proximas; factum tueor exemplo magni Dionysij, illius, inquam, ex Areopago in ecclesiæ speculam missi, qui capite 1. de ecclesiastica hierarchia, post medium, ab his duobus velut cardinibus pendere statum, roburque ecclesiæ videtur innuere. Sic enim scribit:

Substantia, inquit, *hierarchiæ nostræ, sunt tradita diuinitus eloquia.*

Scriptura sacra prima debetur auctoritas: deinde traditioni Apostolorum non scripta.

Augustissima porrò eloquia hæc dicimus, quæ à sanctis nostris imitatoribus in sacrosanctis ac Theologicis libris tradita sunt. Ac præterea quæcumque ab ijsdem viris sanctis, cælestiore institutione, ac vicina quodãmodo diuinæ hierarchiæ, ex animo in animum, medio intercurrente sermone, corporali quidem, sed minus terreno, sine scripturâ transfusa sunt.

Ecce ergo notatam distinctè duplicem doctrinam, vnam scripto, quæ est Scriptura sacra: alteram sine scripto, voce sola interueniente, quę est Traditio.

Hunc de Traditionibus locum, nostri Irenæi in multis imitator Tertullianus egregiè dilatauit *libro de corona militis, cap.* 3.

TERTVLLIANVS DEFENSOR TRADITIONVM.

Et quamdiu per hanc lineam, inquit, *serram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo roborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est. Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & Traditio, nisi scripta, non debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.*

BAPTISMI RITVS E TRADITIONIBVS.

Denique, vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto priùs, in ecclesia, sub Antistitis manu, contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter immergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in euangelio determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus: exque ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus.

SACRIFICIA PRO DEFVNCTIS.

Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur.

CRVCIS SIGNACVLVM

Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.

Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationem Traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium. Ita Tertullianus.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Obedientiæ Episcopis & Presbyteris, in Ecclesiæ & fidei rebus, debita.

SI Christus Apostolis, si Apostoli Episcopis, si Episcopi Presbyteris, & omnes suis successoribus, tam Scripturas, quàm Traditiones commiserunt; ecquibusnam in Fidei rebus, & in omni Ecclesiæ negotio, quàm ipsis potiùs credendum, promptiùs obediẽdum est? Audeo dicere, si quis credat, si obediat, saluus est. Saluus, inquam, etiamsi ex illis aliqui, (quod nolim, & non potest) malè credidissent. Audiamus ab Irenæo, quinam sint, qui pereant.

Verba Irenæi. l. 4. cap. 43.

*Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis (*sicut ostendimus) qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ; vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes; aut rursus, vt hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate.* *l. 3. cap. 3. & seqq.

Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à cælesti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu. Qui verò exsurgunt contra veritatem, & alios adhortantur aduersus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos voragine terræ absorpti, quemadmodum Core, Dathan, & Abiron. Qui autem scindunt & separant vnitatem ecclesiæ, eandem, quam Ieroboam, pœnam percipiunt à Deo. HÆRETICORVM EXITVS. Leuit. 10. vers. 1 & 2. NON OBEDIENTIVM ECCLESIÆ POENA. Num. 16. 31. SCHISMATICORVM. 3. Reg. 14.

Et cap. 44. ibidem:

Qui verò crediti sunt quidem à multis esse Presbyteri, seruiunt autem suis voluptatibus, & non proponunt timorem Dei in cordibus suis; sed contumelijs agunt reliquos, & principalis consessionis tumore elati sunt, & in occulto agunt mala, & dicunt: Nemo nos videt, *redarguentur à Verbo, qui non secundum gloriam iudicat, neque faciem attendit, sed cor: & audient eas, quæ sunt à Daniele propheta, voces:* Semen Chanaan, & non Iuda, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum. &c. Isaiæ 29. 15. Daniel. 13. 56.

Ab omnibus igitur talibus absistere oportet: adhærere verò his, qui & Apostolorum, (sicut prædiximus) doctrinam custodiunt, & cum Presbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant, ad informationem & correctionem aliorum.

Ita Irenæus ibi & plura. Videtur autem in malis Presbyteris, præter suprà nominatos, etiam Ebionem, Cerinthum, & eiusmodi alios atri coloris denotare. Quibus opponit ex aduerso Moysem, Samue-

Samuelem, Paullum, quorum hic scribens ad Corinthios dicebat: (2.Cor.2. 17.) *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur: Nemini nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Tales Presbyteros nutrit Ecclesia: de quibus & Propheta ait:* (Isaie 60. ver. 17. ex versione 70. Interp.) Et dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in iustitia. *De quibus & Dominus dicebat:* (Matthæi 24. ver. 45.) Quis igitur erit fidelis actor, bonus & sapiens, quem præponit Dominus super familiam suam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille seruus, quem veniens Dominus inuenerit sic facientem. *Sic ibi.*

Et cap. 45. ita continuat:

Vbi igitur tales aliquis inueniat? Paullus docens ait: (1. ad Cor. 12. ver. 28.) Posuit Deus primò in Ecclesia Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores. *Vbi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos scilicet est ea, quæ ab Apostolis est, Ecclesiæ successio; & id quod est sanum & irreprobabile conuersationis, & inadulteratum, & incorruptum sermonis cõstat. Hi enim & eam, quæ est in vnum Deum, qui omnia fecit; & eam, quæ est in Filium Dei, dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit, & Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.*

Et cap. 52. ibidem:

Si autem credat quis vnum Deum, qui verbo omnia fecit; (quemadmodum ipse Moyses ait: (Gen 1. ver 3.) Dixit Deus: fiat lux: & facta est lux, *& quemadmodum in Euangelio legimus:* (Ioannis 1. ver 3.) Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Et Apostolus Paullus similiter:* (Ad Ephes. 4. ver. 5.) Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis.) *hic primò erit tenens caput, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, in mensura vniuscuiusque partis, incrementum corporis facit in ædificationem sui, in caritate. Post deinde & omnis sermo ei constabit; si & Scripturam diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt Presbyteri, apud quos est Apostolica doctrina, quemadmodum demonstrauimus.*

Quorum S. Irenæi verborum contra Valentinianos, qui alium Deum supra creatorem omnium ponebant, hic est sensus:

Qui credit vnum Deum *omnium creatorem, hic tenet fidei caput, & præcipuum articulum, vnde omnes alij, velut membra à capite, dependent, & cum quo aptè connectuntur, & cohærent, ac corpus vnum efficiunt. Secundum autem, quod illi est necessarium, & quod sufficit ad perfectam doctrinam est, vt sacras Scripturas diligenter legat in ecclesia Catholica, sequatúrque sensum, quem Presbyteri seu Episcopi ab Apostolis edocti, ipsi subministrabunt.*

Hoc est, quod vult ibi Irenæus, & verum est.

CA-

CAPVT XXVII.

Baptiſmus, & Spiritus Sancti gratia, omnibus neceſſaria.

DOcet hoc, egregiiſque explicat ſimilitudinibus Auctor noſter Irenæus libro 3. cap. 19.

Verba S. Irenæi:

Dominus poteſtatem regenerationis demandans diſcipulis, dicebat eis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Hunc enim promiſit per Prophetas effundere in nouiſſimis temporibus ſuper ſeruos & ancillas, vt prophetent. Vnde & in Filium Dei, Filium hominis factum deſcendit, cum ipſo aſſueſcens habitare in genere humano, & requieſcere in hominibus, & habitare in plaſmate* Dei, *voluntatem Patris operans in ipſis, & renouans eos à vetuſtate in nouitatem Chriſti. Hunc Spiritum petit* Dauid *humano generi dicens:* & Spiritu principali confirma me. *Quem & deſcendiſſe Lucas ait poſt aſcenſum Domini ſuper diſcipulos in Pentecoſte, habentem poteſtatem omnium gentium ad introitum vitæ, & apertionem noui teſtamenti. Vnde et omnibus linguis conſpiranter hymnum dicebant* Deo, *Spiritu ad vnitatem redigente diſtantes tribus, et primitias omnium gentium offerente Patri. Vnde et Dominus pollicitus eſt mittere ſe Paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico maſſa vna fieri non poteſt ſine humore, neque vnus panis: ita nec nos multi vnum fieri in Chriſto Ieſu poteramus ſine aqua, quæ de cælo eſt. Et ſicut arida terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat: ſic & nos lignum aridum exiſtentes primo, nunquam fructificaremus vitam ſine ſuperna voluntaria pluuia. Corpora enim noſtra per lauacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, vnitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Vnde & vtraque neceſſaria, cum vtraque proficiant in vitam Dei, miſerante Domino noſtro Ieſu Chriſto.*

Matt. 28. 19.
Ioël 2. ver. 29.
Pſal. 50. ver. 14.
Similitudines.
Simile eſt in Cyrill. catecheſi 16. p. 407.

Et infrà, poſtquam Spiritum Sanctum in omnem terram miſſum, per rorem Gedeonis, (quem is ſecunda petitione in omni terra fieri expetijt, præterquam in vellere) præſignari indicauit, tum ita ſubdit:

Quapropter neceſſarius nobis eſt ros Dei, vt non comburamur, neque infructuoſi efficiamur: & vbi accuſatorem habemus, illic habeamus & Paracletum, commendante Domino, Spiritui Sancto ſuum hominem, qui inciderat in latrones: cui ipſe miſertus eſt, & ligauit vulnera eius, dans duo denaria regalia, vt per Spiritum, imaginem & inſcriptionem Patris et Filij accipientes fructificemus, creditum nobis denarium multiplicatum Domino annumerantes.

GRATIA ROS DEI APPELLATA

Iſta ibi Irenæus, quæ contra eos faciunt, qui ſine Dei gratia ex ſolo libero arbitrio acquiri poſſe ſalutem putant. Contra quos & libro 5. cap. 8. & 9. diſputat: quorum in poſteriore ſic inter alia:

Quoniam

Quoniam igitur sine Spiritu Dei saluari non possumus, propterea adhortatur nos Apostolus, per fidem & castam conuersationem conseruare Spiritum Dei, vt ne sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum cælorum.

Et infra ibidem:

Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem à sponso potest, quum venerit & acceperit eam sponsus: sic & caro hæc secundum seipsam, id est, sola, regnum Dei hereditate possidere non potest.

De baptismi Christiano ritu nihil plus in Irenæo reperi, sed è Tertulliano annotaui quędam cap. 20. & ad vitam S. Iustini inter eius documenta.

Quòd si quis varias priscorum hæreticorum & vanas nugacésque baptismi formas agnosse velit, præter quod in ipsius Irenęi vitâ attigi, adire & consulere eiusdem librum primum potest, & quæ decimo octauo capite ibi pertractat, peruidere.

CAPVT XXVIII.

Eucharistia.

IN duobus præcipuè libris agit B. Irenæus de sanctissimo Venerabilis Eucharistiæ sacramento: nempe lib. 4. aduersus hęreses, & lib. 5. cuius verba plurimùm pro Catholica religione aduersus hæreticos facientia hìc proferenda sunt.

§. I. Verba S. Irenęi. l. 4. cap. 32.

Sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, Matthæi 26. ver. 26. *eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens.* HOC EST CORPVS MEVM. *Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias* Malachiæ 1. ver. 10. & 11. *sic præsignificauit:* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens: *manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum: nomen autem eius glorificatur in gentibus.*

Hæc ibi Irenęus, quę hæretici in suas partes trahunt. Quia scilicet dicatur Dominus consilium dedisse discipulis primitias Deo offerendi

offerendi è ſuis creaturis,& accepto pane & calice exemplo præiuiſſe: atque exinde Eccleſiã cœpiſſe Deo, qui alimenta pręſtat, munerum ſuorum primitias offerre: hinc dicunt oblationem noſtram & ſacrificium nihil eſſe aliud, quàm oblationem panis & vini, non verò Corporis & Sanguinis Domini, niſi myſtica intelligentiâ.

Sed intelligere deberent duas Deo offerri oblationes, & ambas in duplicem gratiarum actionem: Panis & vini quidem, tanquam primitias frugum in actionem gratiarum pro bonis terrenis, quod fit in Offertorio, quod vocamus, ante verba conſecrationis. Tum enim nihil dum eſt aliud, quam panis & vinum, terrę fruges. Corporis autem & Sanguinis Domini, pro bonis ſpiritualibus, & cæleſtibus gratijs, poſtquam idem panis & idem vinum per verba conſecratoria ſunt in Corpus & Sanguinem Domini commutata. Cur enim alioqui diceret Dominus. HOC EST CORPVS MEVM : HIC EST SANGVIS MEVS: dicendo id quod non eſſet, & nos, qui tota pietate in eum ſenſum eius verba amplectimur, decipiendo; niſi verè & Corpus & Sanguis eſſet? Adde illum Irenæi modum loquendi: *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura quæ eſt ſecundum nos*, id eſt, calicem vini noſtri à Deo creati (vſus eſt enim interpres helleniſmo) *ſuum Sãguinem confeſſus eſt*: adde, inquam, illa verba, quòd Ieſus vinum confeſſus ſit eſſe ſuum ſanguinem, ſuadere etiam nobis, vt idem credamus & confiteamur, nempe id quod ante conſecrationem erat vinum, poſt eam, eſſe eius Sanguinem.

Apponam & alium eiuſdem S. Patris locum clariorem & efficaciorem.

§. II. Verba Irenæi, l. 4. cap. 34.

Quomodo autem conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, Verbum eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat primum quidem fœnum, poſtea ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore Domini & Sanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant ab offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei, quæ ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & Spiritus. Quemadmodum enim qui eſt à terra panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti; ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem ei, non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius, & ſanctificãtes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quæ à nobis

Prou. 19. 17. *sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo: sicut Salomon ait:* Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo. *Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, vt præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait:* Matt. 25. 34. Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & potastis me: hospes fui, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere, & venistis ad me. *Sicut igitur non his indigens, attamen à nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi: ita idipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamuis non indigeret eis, vt disceret Deo seruire. Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter, sine intermißione. Est ergo altare in cælis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur, & ad templum, quemadmodum Ioannes in Apocalypsi ait:* Apocal. 12. & 21. Et apertum est templum Dei, & tabernaculum. Ecce enim, *inquit*, tabernaculum Dei in quo habitabit cum hominibus.

Hactenus pura puta Irenæi, seu veteris eius interpretis verba. Quibus nihilo secus quàm superioribus proximè positis Abraham Scultetus, immundi instar aranei, ad sua venena abutitur, hoc semper agens, vt quę clara sunt & dilucida, ex alijs obscurè dictis impugnando, conetur velut quadam tetræ nubis caligine obducere. Nam initio quidem Irenæi verba sunt clarissima, & pro veritate Corporis & Sanguinis Domini plurimùm facientia: sub finem verò, quòd varia misceat oblationum genera, nempe opera misericordię, precationes, munera ad altare, & duplicis item altaris meminerit, inde mala argumenta, tanquam noxia pharmaca, conatur conficere.

Verùm, sicut altare illud, quod in cælis ponit Irenæus, & quidem rectè, nullo modo tollit, quin sint & in terris altaria, & quin illa verba Christi, Matt. 5. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare*, de altari terreno & visibili intelligenda sint: ita & oblationes illæ munerum, quæ in templis fiunt; & precationes, quæ priuatis in ędibus, & eleemosynę, aliáque benignitatis & caritatis opera, quæ passim exercentur, nihil impediunt, quin sit oblatio aliqua ab his omnibus distincta, & longè altioris ordinis, nempe Venerabilis Eucharistiæ, in qua Corpus & Sanguis Christi verè contineantur. Vult ergo B. Irenęus omnes oblationes cuiuscumque generis Deo fieri in actionem gratiarum, quia ab illo omnia & creata & data sunt. Atque adeo, cùm ipsemet Dei Filius nobis ab illo datus, nobis natus sit, voluit etiam illum sibi à nobis Pater offerri, atque vt hoc fieret, ipsemet præcepit Filius.

Denique verba prima Irenæi. *Quomodo autem constabit eis* &c. supponunt constitisse inter Valentinianos, panem in quo gratiæ actæ sint, siue panem consecratum, verè fuisse Corpus Christi. Quod tanquam certum admittens, & contra illos sumens Irenæus, vult

probare

probare exinde Patrem esse omnium creatorem, alioqui eius Filius non assumeret ea, quæ non sunt eius, ad conficiendum Corporis & Sanguinis sui sacramentum. Nam Valentiniani ponebant alium creatorem, quàm Patrem: quod passim impugnat Irenæus. Et hoc ipso capite, haud multò ante ea, quæ citauimus, sic denotat: *Alij enim alterum, præter fabricatorem, dicentes Patrem, ideo quæ secundùm nos creaturæ sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, & aliena concupiscentem.*

Verum quidem est tam valiturum aduersus Valentinianos argumentum, si de puro & communi pane agatur, quàm de alio; sed tamen, quando verba clara sunt de Corpore & Sanguine Domini, & aliunde ex SS. Patribus constat, ita esse accipienda Christi verba, non est, cur à sensu claro & simplici ad obscurum & mysticũ decurramus.

Similem locum protuli inter documenta S. Iustini. Hunc autem Irenæi vide diffusiùs explicatum à beatissimo Christi martyre Ioanne Fiscero, Roffensi Episcopo, lib. 4. de Eucharistia cap. 21. & 22.

§. III. Alia Irenæi verba. l. 4. c. 57.

Quomodo autem iustè Dominus, si alterius Patris existit, huius conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum Corpus esse confitebatur: & temperamentum calicis, suum Sanguinem confirmauit? Et quare se Filium hominis confitebatur, si non eam, quæ ex homine est, generationem sustinuisset?

Ista Irenæus: quorum hic est sensus: *Si Christus Dominus non est Filius conditoris omnium, sed ex altero Patre est, quomodo iustè panem huius nostræ creationis accipiens, confessus est suum esse Corpus? & quomodo mistum calicem confirmauit esse suum Sanguinem? & quomodo se confitebatur filium hominis, si non erat genitus ex homine?*

Vbi notanda occurrunt duo. Prius, eodem vti loquendi & asseuerandi modo, tam vbi de consecratione agit, quàm vbi de incarnatione, quare eodem quoque à nobis modo verba vtrobique accipienda. Quemadmodum ergo, cùm dicit: *Et quare se filium hominis confitebatur &c.* intelligimus confessum esse eum, quod verè erat, non autem quod erat mysticè, sic cùm dicit: *Quomodo autem accipiens panem, suum Corpus esse confitebatur, &c.* intelligere debemus confessum esse id, quod verè erat, hoc est, verè Corpus suum fuisse, & non mysticè tantùm, *& temperamentum calicis*, hoc est, calicem vini aqua temperatum, verè fuisse eius Sanguinem. Posterius autem notandum, est de temperamento calicis: nempe nos hinc discere, in vsu antiquitus fuisse, misceri in calice aquam vino, ad Eucharistiam conficiendam: quod nunc improbant hæretici, & nominatim Scultetus, vt notaui ad Documenta S. Iustini. Malunt enim illi vinum purum, & sine vlla aquæ guttula bibere. VINI ET AQVÆ NOSTRO IN CALICE.

§. IV.

§. IV. Alius Irenæi locus de Venerabili Eucharistia, lib. 5. c. 2.

Verba eius sunt hæc:

Vani omni modo sunt, qui vniuersam Dei dispositionem contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem eius spernunt, dicētes eam non esse capacem incorruptibilitatis. Sic autem, secundùm hæc videlicet, nec Dominus Sanguine suo redemit nos; neque calix Eucharistiæ, com-
1. Cor. 10. 16. *municatio Sanguinis eius est; neque panis, quem frangimus, communicatio Corporis eius est. Sanguis enim non est, nisi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundùm hominem, substātia, qua verè factum Verbum Dei sanguine suo redemit nos. Quemadmodum & Apostolus eius ait:*
Ad Coloss. 1. 14. In quo habemus redemptionem per Sāguinem eius, & remissionem peccatorum. *Et quoniam membra eius sumus, & per creaturam nutrimur: (creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens & pluens, quemadmodum vult) eum calicem, qui est creatura, suum Sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; & eum panem, qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nutritur, vt membrum eius. Quemadmodum & beatus Apostolus ait in ea,*
Ad Ephesios 5. ver. 30. *quæ est ad Ephesios, epistola:* Quoniā membra sumus Corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, *non de spirituali aliquo & inuisibili homi-*
Lucæ 24. ver. 39 *ne dicens hæc* (Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet) *sed de ea dispositione, quæ est secundùm verū hominem, quæ ex carnibus & neruis & ossibus consistit: quæ de calice, (qui est Sanguis eius) nutritur, & de pane, (qui est corpus eius) augetur. Et quemadmodum lignum vitæ depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapiētiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei, Eucharistia fiūt, quod est Corpus & Sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in eam, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circumdat, & corruptibili incorruptelā gratuitò donat.* Quoniā virtus in infirmitate
2. ad Cor. 12. ver. 9. perficitur: *vt non quasi ex nobis ipsis habentes vitam inflemur aliquando, & extollamur aduersus Deum ingratam mentem accipientes; experimento autem discentes, quoniam ex illius magnitudine, & non ex nostra natura, habemus in æternum perseuerantiam: neque ab ea, quæ est circa Deum, gloria, sicuti est, frustremur aliquando: neque nostram naturam ignoremus; sed vt sciamus, & quid Deus potest, & quid homo beneficij accipit, & non erremus aliquando à verâ comprehensione eorum,*

rum, quæ ſunt, & quemadmodum ſunt, id eſt, Dei & hominis. Et nunquid fortè, quemadmodum prædiximus, propter hoc paſſus eſt Deus fieri in nobis reſolutionem, vt per omnia eruditi, in omnibus ſimus diligentes, neque Deum, neque noſmet ipſos ignorantes?

Hæc ibi Irenæus ex veteris interpretis verſione. Quæ verſio, ſi græci exemplaris eſſet copia, lucidior multò & nitidior reddi poſſet, lucis tamen aliquid etiam in hac penuria addi poteſt.

Agens igitur Irenæus contra negantes Chriſti incarnationem & carnis reſurrectionem, ſic diſputat:

Secundùm hos, nec Dominus redemit nos Sanguine ſuo, nec calix Euchariſtiæ eſt communicatio Sanguinis eius, neque panis, quem frangimus, communicatio Corporis eius. Sanguis enim non eſt, niſi à venis, & carnibus, & à reliqua hominis ſubſtantia, quæ Verbum verè aſſumpſit. &c. *id eſt*, Si Chriſtus non eſt incarnatus, ergo non redemit nos Sanguine ſuo, quia ſanguis non eſt, niſi à carne & venis: ergo in Euchariſtia non communicat nobis ſuum Sanguinem, ſiquidem nullum habuit, ſi non fuit incarnatus: neque item Corpus ſuum. Nec enim potuit panem in corpus ſuum vertere, & nobis illud dare, ſi nullum corpus habuit. Atqui verè nos redemit Sanguine ſuo, teſte Apoſtolo, & verè nobis dedit, ſeu communicauit in Euchariſtia Corpus & Sanguinem ſuum, ergo verè eſt incarnatus.

Iſta eſt vis argumentationis Irenæi.

Deinde & ſequentiũ ibidem hic eſt ſenſus: Cùm ſimus Chriſti mẽbra, & rebus creatis alamur, ipſe Corpore & Sãguine ſuo nos alit, augétq;.

Verum enim eſt, & experientia conſtat Venerabilem Euchariſtiã, in qua Chriſtus integer homo eſt, non tantùm animas, ſed etiam corpora, ſiue totum hominem alere, & roborare, & augere, tametſi alio modo, quàm alij cibi ſoleant, modo ſcilicet nobis incognito, ſed re ipſa experimentis compluribus notâ. Nec eſt nouum res factas cognoſcere, & quo modo factæ ſint, ignorare.

Poſtremò reſurrectionem carnis ad gloriam & immortalitatem per ſimilia ſic probat:

Sicut lignum vitis in terra plantatum, ſuo tempore producit fructũ; & granum tritici in terram iactum & diſſolutum, per voluntatem Dei reſurgit multiplex; ita corpora noſtra, quæ venerabili ſacramento Corporis & Sanguinis Chriſti alita ſunt, Verbo Dei donante illis reſurrectionem, reſurgent ad gloriam.

CAPVT XXIX.

Liberum arbitrium.

DOcet pluribus in locis Irenæus in homine & fuiſſe primitus, & nunc eſſe liberum arbitrium, idque tam clarè, vt planè cæcus ſit, qui non videat, aut cæco ſimilis eſſe velit, qui videre nolit.

§. I. Verba Irenæi lib. 4. cap. 9.

Non alius est, qui frumentum fecit, & alius, qui paleas; sed vnus & idem, qui & iudicans ea, id est, separans. Sed frumentum quidem, & palea, & animalia irrationabilia, naturaliter talia facta sunt. Homo verò rationabilis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi caussa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iustè condemnabitur, quoniam rationabilis factus amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus: quemadmodum Propheta ait: Homo cùm
Psal. 48. 21. in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.

Et infrà cap. 29.

Si autem quidam propter inobedientes Israëlitas & perditos infirmum dicunt Legis doctorem, inuenient in ea vocatione, quæ est secundũ
Matt. 20. ver. 16. *nos*, multos quidem vocatos, paucos verò electos. *Et intrinsecus lupos, foris verò indutos pelles ouium: & id, quod erat semper liberum & suæ potestatis in homine, semper seruasse Deum, & suam exhortationem: vt iustè damnentur, qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt: & qui obedierunt & crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.*

Et infrà, cap. 31.

Postquam egit Irenæus de donis Dei, quæ in noua lege per Christũ auxerit, tum addit & timorem offensionis in hominibus auxisse, & ex occasione hac mentionem sic inducit liberi arbitrij:

§. II. Verba Irenæi:

Auxit autem & timorem. Filios enim plus timere oportet, quàm seruos, & maiorem dilectionem habere in patrem. Et propter hoc ait Do-
Matt. 12. ver. 36. *minus?* Omnem sermonem otiosum, quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et qui
Matt. 5. 28. Ibid. ver. 22. irascitur fratri suo sine caussa, reus erit iudicio. *Vt sciamus, quoniam non solum factorum reddemus rationem Deo, vt serui; sed etiam sermonum, & cogitationum, tanquam qui & libertatis potestatẽ acceperimus, in qua magis probatur homo, si reuereatur, & timeat, & diligat Deum.*
1. Petr. 2. ver. 16. *Et propter hoc Petrus ait:* non velamentum malitiæ habere nos libertatem, sed ad approbationem & manifestationem fidei.

§ III. Eodem lib. 4. cap. 71.

Matthæi 23. ver. 37. *Aliud autẽ, quod ait,* Quoties volui cõgregare filios tuos, & noluisti? *veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentẽ suam potestatem, sicut & suam animã ad vtendũ sententia Dei voluntariè, & non coactũ à Deo. Vis enim à Deo non fit; sed bona sentẽtia adest illi semper: & propter hoc consiliũ quidem bonum*

dat

dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis.

§. IV. Et cap. proximo ibidem, siue 72.

Si autem naturaliter quidam boni, quidam vero mali facti fuissent; neque illi laudabiles essent, quia boni sint (tales enim facti fuerant) sed neque hi vituperabiles: & ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes eiusdem sunt naturæ, & potentes retinere ac operari bonum, & potentes rursum amittere id ac non facere, ideo iustè etiam apud homines sensatos (quanto magis apud Deum?) alij quidem laudantur, & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ & perseuerantiæ: alij verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eo quòd iustum & bonum reprobauerint. Et paullò pòst:

Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cuius ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei continere bonum, quod perficitur ex ea quæ est ad Deum obedientia: & non tantùm in operibus, sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus dicens: Secundùm fidem tuam fiat tibi: *propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam.* Matth. 8. 13.

Ex his porrò Irenæi verbis patet, non initio tantùm creationis, sed semper exinde remansisse in homine libertatem arbitrij, quandoquidem & in illo Centurione fuerit, cui verba illa dixit Dominus, Matthæi 8. ver. 13.

Occurrit ibidem Irenæus nonnullorum imprudentium tacitæ obiectioni, dicentium non debuisse Deum creare Angelos & homines cum libero arbitrio, & tam facilè peccabiles, sed potiùs determinatos ad bonum.

Eius autem responsionis hic est sensus:

CVR HOMINES NON CREATI SINT IMPECCABILES?

Si impeccabiles atque ad bonum determinatos creasset Deus, iam id quod est bonum, non esset illis tam suaue, nec Dei *communicatio tam preciosa; neque tam appetendum illud bonum, quod sine proprio motu, & cura, & studio proueniret, otiosis & non cogitantibus insitum. Neque in magno precio essent boni; quippe magis natura tales, quam voluntate, vltro adueniens bonum, & non ex electione acquisitum, possidentes. Vnde nec satis, quanta esset boni pulchritudo, intelligerent, neque adeo fruerentur. Quæ enim boni fruitio non intelligentibus? & quæ gloria, sine studio & labore eam adeptis? & quæ corona, consecutis sine certamine victoriam? Hinc difficile acquisitu est regnum cælorum, & violenti rapiunt illud. Hinc & Paullus ad certamen cohortatur, volens vt coronemur, & preciosam arbitremur coronam, quæ certando acquiritur, non quæ vltro aduenit. Nam quanto maiori acquiritur certamine, tanto est preciosior; & quanto preciosior, tanto plus diligitur. Nec enim æquè diliguntur quæ spontè veniunt; quam quæ multa cura & sollicitudine ob-* DIFFICVLTER ACQVISITA, PLVS DELECTANT.

 tinentur.

CONTRARIA CONTRARIIS ELVCESCVNT.

tinentur. Neque item tantus est sensus boni, vbi non est cognitio aut experientia cõtrarij. An visus tam esset optabilis, si quantum cæcitas foret malum, nesciremus? Et valetudinem quid est quod tam caram facit, nisi morborum experiẽtia? Et lucem quid commendat, nisi tenebrarum comparatio? & vitam quid amabilem efficit, nisi horror mortis?

Sic & cæleste regnum (verba hæc sunt veteris interpretis) *honorabilius est his, qui cognouerunt terrenum: quanto autem honorabilius, tanto magis diligimus illud: & si plùs illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum.* Hęc ibi.

Eodem lib. 4. cap. 75.

§. V. Verba Irenæi.

Psal. 81. ver. 6. Ibid. ver. 7.

Ego, *inquit*, dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. *Nobis autem potestatem diuinitatis baiulare non sustinentibus,* Vos autem, *inquit*, sicut homines moriemini, *vtraque referens, & illud quod est benignum suæ donationis, & infirmitatem nostram, & quòd essemus nostræ potestatis.*

Secundùm enim benignitatem suam bene dedit bonum, & similes sibi suæ potestatis homines fecit: secundùm autem prouidentiam sciuit hominum infirmitatem, & quæ ventura essent ex ea: secundùm autem dilectionem & virtutem, vinci facta naturæ substantiam. Oportuerat autem primò naturam apparere, pòst deinde vinci, & absorberi mortale ab immortalitate, & corruptibile ab incorruptibilitate, & fieri hominem secundum imaginem & similitudinem Dei, agnitione accepta boni & mali.

Iam verò, quia eiusdem libri quarti aduersus hæreses caput 76. planè est aureum, ac non modò Liberi arbitrij, sed etiam Fidei, & grati erga Deum animi, cum mira sententiarum efficacia, doctrinam profert eximiam: ingratus ego sim in Dominum meum, si ad lucrum non exponam. Sic ergo habet:

§. VI. Verba S. Irenæi, lib. 4. cap. 76.

Agnitionem accepit homo boni & mali. Bonum est autem obedire Deo, & credere ei, & custodire eius præceptum: & hoc est vita hominis: quemadmodum non obedire Deo, malum; & hoc est mors eius. Magnanimitatem igitur præstante Deo, cognouit homo & bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ: vti oculo mentis vtrorumque accipiens experimentum, electionem meliorum cum iudicio faciat: & nunquam segnis, nunquam negligens præcepti fiat Dei.

Quare id, quod ab eo aufert vitam (id est, non obedire Deo) experientia discens, quàm malum sit; ne tentet quidem illud vnquam: quod verò conseruatorium vitæ eius est, obedire Deo, sciens quòd bonum sit, hoc cum omni intentione diligenter custodiat. Propterea enim duplices accepit sensus, vtrorumque agnitionis capaces, vt electionem meliorum disciplina faciat. Disciplinam enim boni quo modo

modo habere potuisset, ignorans eius contrarium. Firmior est enim & indubitata eorum, quæ sensibus subiacent, apprehensio; quàm ea, quæ est ex suspicione coniectura. Quemadmodum enim lingua per gustum accipit experimentum dulcis & amari; & oculus per visum discernit quod nigrum est ab albo; & auris per auditum differentias sonorum scit: sic & mens per vtrorumque experimentum disciplinam boni accipiens, firmior ad conseruationem eius efficitur obediens Deo. Itaque inobedientiam primum respuens per pœnitentiam, (amarum enim quiddam & malum est inobedientia) ac deinde animo comprehendens, quale sit id, quod bono & dulcedini est contrarium; ne tentet vnquam Dei gustare inobedientiam. Quòd si quis vtrorumque cognitionem & duplices cognitionis sensus defugiat; latenter in semetipso, quod hominis proprium est, occidit. Quomodo igitur erit Deus, qui nondum homo? aut quomodo perfectus, qui nuper effectus? Et quomodo immortalis, qui in natura mortali non obediuit creatori? Oportet enim te quidem primo ordinem hominis custodire, ac tum deinde participare gloriam Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo opus Dei es, manum artificis tui expecta opportunè omnia facientem; opportunè, inquam, quantum ad te quidem attinet, qui efficeris. Præsta proinde ei cor tuum molle & tractabile, & custodi figuram, qua te figurauit artifex, atque humorem in temetipso retine, ne induratus digitorum eius amittas vestigia. Nam custodiens compaginationem, ascendes ad perfectum. Siquidem Deus artificio suo abscondet quod est in te lutum, & fabricabit in te substantiam, & manu sua liniet te intus & foris auro puro & argento, atque in tantum ornabit te, vt & ipse Rex concupiscat speciem tuam. Sin statim obduratus artem eius respuas, & erga eum ingratus, à quo homo factus es, existas; simul & artem eius, & vitam amittes. Facere enim, proprium est benignitatis Dei: fieri autem, proprium naturæ hominis. Si igitur tradideris ei, quod est tuum, id est, Fidem in eum & subiectionem, percipies eius artem, & eris perfectum opus Dei. Si autem non credideris ei, & manus eius fugeris; in te erit caussa imperfectionis tuæ, qui non obedisti; non autem in eo, qui vocauit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias: sed qui venire noluerunt, semet ipsi regia cena priuauerunt. Non igitur ars Dei deficit (potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ) *sed qui eam non sequitur, ipse sibimet suæ imperfectionis est caussa. Nec enim lumen deficit propter eos, qui semetipsos excæcauerunt, sed ipso perseuerante tali, quale est, ij qui excæcati sunt, per suam culpam constituuntur in caligine. Atque vt lumen neminem sibi magna cum necessitate subijcit; ita nec Deus eum cogit, qui artem eius nolit continere. Quare qui abstiterunt à paterno lumine, & libertatis legem transgressi sunt, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrij & suæ potestatis facti. Deus autem omnia præsciens, vtrisque aptas præparauit habitationes, ijs quidem qui inquirunt*

INOBEDIENTIA AMARUM QVIDDAM ET MALVM EST.

Psal.44.ver.12.

Matt.22.ver.3.

Luca 3.ver.9.

DEI PRÆSCIENTIA.

lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benignè donans, quod concupiſcunt: alijs verò id contemnentibus, & ſe ab eo auertentibus, idque fugientibus, & quaſi ſemetipſos excæcantibus, congruentes aduerſantibus lumini præparauit tenebras; & ijs, qui fugiunt ei eſſe ſubiecti, conuenientem ſubdidit pœnam. (Subiectio autem Deo, requies æterna eſt) vt hi, qui fugiunt lumen, dignum fugæ ſuæ habeant locum: & qui æternam fugiunt requiem, congruentem fugæ ſuæ habeant habitationem. Cùm autem apud Deum omnia ſint bona, qui ex ſua ſententia fugiunt Deum, ſemetipſos omnibus fraudant bonis: fraudati autem omnibus Dei bonis, conſequenter in iuſtum Dei iudicium incident. Qui enim requiem fugiunt, iuſtè in pœnis verſabuntur: & qui fugiunt lumen, iuſtè inhabitabunt tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine, qui illud fugiunt, ipſi ſe tenebris mancipant, ita vt ipſi ſibi cauſſa ſint, quamobrem à lumine deſtituantur, & tenebras inhabitent, non verò lumen ipſis cauſſa eſt huiuſmodi commorationis, vt antè diximus: ſic qui æternum fugiunt Dei lumen, quod in ſe omnia bona continet, ipſi ſibi cauſſa ſunt, cur bonis omnibus deſtituti æternas inhabitent tenebras.

Ita Irenæus.

Quid autem pro aſſerenda humani arbitrij libertate, vel fortius, vel clarius dici poteſt? Probat è Scripturis, declarat ex ſimilibus, atque etiam, vt ea bene vtamur, incitat præmijs; vt ne abutamur, deterret pœnis. Nec ad alia tantùm, ſed ad fidem quoque ipſam liberum concurrere arbitrium clariſſimè oſtendit, dum ait: *Si igitur tradideris ei, quod eſt TVVM, ID EST, FIDEM IN DEVM & ſubiectionem, percipies eius artem, & eris perfectum opus Dei. &c.* Noſtrum itaque eſt & noſtri arbitrij adiuuante diuina gratia præſtare conſenſum fidei, quem ſi liberè præſtiterimus, tum Deus ad complendam hominis ſpiritualis perfectionem accingetur.

Quàm pulchra item & quàm efficax ad exhibendam Deo obediẽtiam, & offerendum cor molle & tractabile illa adhortatio, quòd obedire Deo, vita ſit hominis; non obedire, autem, mors? quod molle & tractabile cor offerentibus, ipſe Deus, abſcondito quod in nobis eſt luto, ſeu ablata omni terrena vilitate, precioſiorem efficiat naturam, & manu ſua intus foriſque auro argentóque liniat puriſſimo? hoc eſt, animam precioſiſſimo caritatis ornamento, atque omni virtutum genere condecoret?

Alia verba Irenęi l. 5. cap. 27.

Manifeſtum eſt, quoniam & Pater eius omnes quidem ſimiliter fecit, propriam ſententiam vnumquemque habentem, & ſenſum liberum. &c. Ibi plura.

Vide etiam cap. 29. vbi idem de libero hominis arbitrio aſſerit.

Hęc porrò tam multa de libero arbitrio è diuerſis Irenæi locis, vel hac vna de cauſſa (licet alię quoque plures ſuppetant) à me colligi decuit:

decuit:vt Abrahami Sculteti hominis Caluinistæ os impudens valido petræ ictu feriretur: qui dixit B. Irenæum sibi in asserendo libero arbitrio non constitisse. Quod vt dignè & propalàm, vti meritus est, fiat, hîc eius denotetur proteruia.

§. VII. Abrahami Sculteti Caluinistæ, S. Irenæum Martyrem proteruè calumniantis refutatio.

Verißimè ab Eusebio dictum est, inquit, *Ecclesiam post tempora Apostolorum non diu mansisse virginem. Testem huius rei vel Irenæum nominare possumus, qui fundamento doctrinæ Apostolorum tot stipulas superstruxerit. DE LIBERO ARBITRIO, non postremo Fidei nostræ capite, sententias è diametro secum pugnantes recitat. Nam* * τὸ αὐτεξούσιον *libro quarto, cap. 71. 72. & 76. multis conatur rationibus defendere: quæ omnes infirmæ sunt, si verè scripsit (scripsit autem verißimè) eodem libro, cap. 9. hominem iustè condemnatum iri:* quoniam rationabilis factus amisit veram rationem; & irrationabiliter viuens, aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus.) *Ex quibus planum est, amissa vera ratione & illius vsu, rectum quoque iudicium & liberam electionem esse amissam.* Hactenus impudentis illius verba.

* Liberum arbitrium.

Omitto hîc illum statim initio attribuere Eusebio, quod alterius est auctoris apud Eusebiũ. Sit hoc eius inscitiæ, aut oscitantiæ potius.

Sed illud quantæ est, & quàm intolerandæ impudentiæ, probare ecclesiam non diu mansisse Virginem; quia Irenæus fundamento doctrinę Apostolorum multas stipulas superstruxerit? An hoc est aliud, quàm vigilantissimum Episcopum, & sanctissimum martyrem, & ecclesiæ contra omnes hæreticos acerrimum defensorem, ipsius virginitatis ecclesiæ appellare & denotare stupratorem?

Ecquid verò profert homo nequam, vt id probet? Nempe 1. loco producit conatum esse Irenęum defendere liberum hominis arbitrium. Nouum crimen, Deus immortalis! & ante hunc diem, inauditum. Conatus est Irenæus defendere liberum hominis arbitrium. Atqui ego dico non conatum modò, sed etiam ita defendisse, vt crediderim Scultetum, nihil cùm haberet, quod eius argumentis respõderet, consultò ea transilijsse, ac vespertilionis more à clara luce in tenebras suas auolasse.

Defendit igitur liberum arbitrium Irenæus. Solúsne? An non & omnes alij SS. Patres defenderunt? Vnum, si potes, nomina, Sculte-te, qui non defenderit. Nam ego quidem nullum scio. An verò soli SS. Patres defenderunt? Nonne & præcipuæ Philosophorum scholę? Academia, inquam, Platonem secuta, & omne Lyceum Aristotelis auctoritate nixum, nonne illud semper defenderunt? Ecquis porrò est hodie, extra obstinatum in malo hæreticorum genus, qui non liberè

berè liberum defendat arbitrium? Quidni autem defenderet? quod in se quisque, quotiescumque lubet, experitur, & sentit. An modò in mea potestate non est, vel calamum à Sculteto cohibere, vel fortiùs ac fortiùs, cum Dei mei auxilio, in eum tanquam eius & matris suæ hostem, (vt pòst ostensurus sum) distringere?

SCVLTETI VERBA DE S. IRENÆO. *De libero*, inquit, *arbitrio, non postremo Fidei nostræ capite, sententias è diametro secum pugnantes recitat.*

Falleris, falleris Sculteto, & te petulantis ac peruersi ingenij esse ostendis. Quod ne infitieris, ex temetipso ita probo:

Petulantis profectò, ac peruersi ingenij est, contradictionis maculam ei malle inurere, quàm vnum atque alterum incommodiùs & obscuriùs dictum, ex multis apertis, planis, & perspicuis interpretari. Atqui tu hoc facis. Ergo petulantis profectò ac peruersi es ingenij.

Quid hîc negare potes? Maior enim propositio ex te sumpta est, & sunt ipsissima tua verba, ne minimo quidem apice dempto, vel addito. Tu illa habes in 1. parte tuæ Medullæ, in Synthesi doctrinæ Irenæi, cap. 9. paginâ 99. editionis quartę, Ambergę, anno M.DC.XIII.

Assumptio autem illa, *Atqui tu hoc facis*, mihi est probatu quàm facillima: immò tu etiam ipse probasti. Nam citatis pluribus locis, vbi Irenæus defendit, vel te ipso teste, Liberum arbitrium, vnicum dumtaxat produxisti paullò incommodiùs & obscuriùs dictum, & ita dixisti, *illum sententias è diametro secum pugnantes recitare*: ergo contradictionis maculam Irenæo maluisti inurere, quàm vnum atque alterum incommodiùs & obscuriùs dictum, ex multis apertis, planis, & perspicuis interpretari.

Iam solùm mihi restat ostendere, quod sit illud vnum incommodiùs & obscuriùs dictum: & quæ item sint illa multa aperta, plana, & perspicua pro libertate arbitrij ab Irenæo dicta.

Vnicum ergo illud (nec enim alterum aut secundum inuenio) est id, quod à me huius capitis 24. initio positum est, è libro 4. Irenæi, cap. 9. in illis verbis:

Quapropter & iustè condemnabitur; quoniam rationabilis factus amisit veram rationem; & irrationabiliter viuens, aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus: quemadmodum Propheta ait: Et homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. ver. 13.

Hic, inquam, vnicus locus Irenæi videri potest non nemini aliquid incommodiùs & obscuriùs dictum continere, quod faciat contra arbitrij libertatem; quamuis re vera nihil prorsus faciat, vti omnes non petulantis, nec peruersi ingenij homines facilè fatebuntur; cùm sensum, quem mox aperiam, viderint.

Multa autem aperta, plana, & perspicua sunt ea, quæ hoc ipso capite,

pite, *De libero arbitrio*, citaui ex Irenæi lib. 4. c. 29. & cap. 31. & ex cap. 71. & ex cap. 72. & ex cap. 75. & ex cap. 76. Et ex lib. 5. cap. 27. & c. 29. quæ omnia pro liberi arbitrij aſſertione, tam aperta, plana, & perſpicua ſunt, vt nihil magis; ac propterea etiam Sculcetus citatis tribus capitibus ex illis (hoc enim & ſufficiebat) faſſus ſit Irenæum conari illic probare libertatem arbitrij.

Debuit ergo Scultetus, è tot capitibus apertis & perſpicuis, interpretari vnum, immo partem dumtaxat vnius obſcuram, & incommodiùs, vt ſibi videbatur, dictam, alijs multis, quæ clara eſſent, accommodare; non autem omnia clara conari ex vno obſcuro infirmare, & doctiſſimum Patrem contradictionis iniuria gratis afficere.

Age igitur, quod debuit ille facere, & noluit, faciamus nos, quia debemus, & poſſumus. Facile eſt enim antecedentia conſiderando, & connectendo, (quod hęretici ſæpe non faciunt, & nominatim negligit Scultetus) verum ſenſum, & certiſſimam Irenæi mentem cognoſcere. Dicit ergo Irenæus in hunc modum:

B. IRENÆI LOCVS EXPLICATVS CONTRA SCVLTETVM.

Frumentum quidem, & palea, & animalia irrationabilia, naturaliter talia facta ſunt: Homo verò rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſſa eſt, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iuſtè condemnabitur, quoniam rationabilis factus amiſit veram rationem, & irrationabiliter viuens aduerſatus eſt iuſtitiæ Dei. &c.

Quibus in verbis, quis non videt Irenæum, (vtpote de omni loquentem tempore, & non ſolùm de prima creatione) iſta de hominibus, qui ſua ętate malè viuebant, & è frumento paleas ſe faciebant, loqui & conqueri? *Frumentum quidem*, inquit, *& paleæ, & animalia irrationabilia, ſic nata ſunt, & ſic perſeuerant ſine vlla ratione & arbitrio: ſed homo factus eſt rationabilis, & per hoc ſimilis Deo*, liberi ſcilicet arbitrij, & ſuæ poteſtatis: ac propterea cùm talis ſit, & libero præditus arbitrio, poſſitque ſemper manere frumentum, ſi velit; (collaborando ſcilicet cum diuina gratia) & rationabiliter viuere, Deóque adhærere; ipſe tamen ſponte, ſequendo deteriora, ſibi cauſſa eſt, & non alius, vt palea ſit, & æterno igni condemnetur. Quapropter & iuſtè condemnabitur: ſiquidem talis cùm eſſet, relictâ vltrò verâ ratione, & more irrationabilium viuens, aduerſatus eſt iuſtitiæ Dei, & præcepta eius contempſit &c.

Itaque illud *Amiſit veram rationem*, non eſt, *amiſit liberum arbitrium*. Differunt enim vera ſeu recta ratio, & liberum arbitrium. Nam hoc poſterius eſt indifferens ad rectam & prauam, ad veram & falſam rationem, ad virtutem & vitium: recta autem ratio non eſt indifferens, ſed ad bonum tantummodò propenſa.

Quid eſt ergo hìc *amiſit veram rationem?* nempe vſu rectæ rationis ſe priuauit: ſiue, in hoc aut in illo facto non vſus eſt recta ratione.

ne. Sic in vſu eſt multis gentibus iſta loquendi ratio: *Eſt beſtia, eſt rationis expers, omni iudicio deſtitutus eſt:* de eo ſcilicet, qui res agit perperam. Sic Galli: *C'eſt vne beſte. Il eſt deprouueu de bon ſens, & de raiſon.*

Neque ego profectò, cùm veriſſimè dicam Abrahamum Sculte-tum in ſcribendis rebus abſurdiſſimis amiſiſſe veram rationem, hoc intelligi volo, illum amiſiſſe liberum arbitrium. Nimis enim illo ſe vti oſtendit, cùm valens ſcribere res bonas, eligit malas: & dum loco honoris in Sanctos, quem impendere in conſilij ſui manu habet, mauult profundere calumnias.

Adde illa Irenæi verba: *Ipſe ſibi cauſſa eſt, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat:* ſatis indicare, eſſe etiamnum in hominis poteſtate, vt tametſi per bonam vitam & honeſtos mores modò ſit frumentum; poſſit tamen ex vi liberi arbitrij, commutatis moribus, fieri palea: & rurſus è palea, ex vi liberi arbitrij, ſed non ſolius (plus enim ad bene & meritoriè agendum requiritur, quàm ad malè) verùm diuinæ ſociati gratiæ, fieri frumentum. Alioqui ſi nullo modo ad hoc homo concurreret, vt frumentum fieret; quomodo diceret Irenæus, *eum ſibi cauſſam eſſe, vt aliquando frumentum fieret, aliquando palea?* cùm nunquam ſibi eſſet cauſſa, cur frumentũ fieret?

Sed vide nunc, amabo, nouam Sculteti abſurditatem, aut ſtuporem potiùs. Dicit enim Irenæi rationes omnes, quibus conatur tribus in capitibus liberum arbitrium defendere, eſſe infirmas, ſi vno in capite verè ſcripſerit illa, quæ iam iam explicui. Nonne hoc immanè quàm abſurdum eſt, ex vno capite ſubobſcuro tria velle infirmare capita clariſſima, potiùs quàm ex tribus, immo ex octo aut nouem clariſſimis, vnum infirmare obſcurum? & quidem nec totum, nec omnibus obſcurum, ſed illis ſolis hæreticis, qui Sculteti exemplo ad ſolis caligant radios, veri veſpertiliones.

Nam ego quidem ſanè perlecto illo capite, vbi iſte homo tenebras reperit; aut fecit, nihil vidi, nihil animaduerti tenebroſum: & tamen, ſi tale quid animaduertiſſem, hoc profectò feciſſem, quod prudẽtes, & qui veram non amiſerunt rationem, faciunt. Dixiſſem, quandoquidem Irenæus alijs octo, nouémue capitibus clarè propugnet liberum arbitrium, ea quæ obſcurè in illo vno capite ab eo dicta videntur, ſic interpretanda eſſe, vt cum illis pluribus congruere demonſtrentur.

At ille è pauculis verbulis in rem ſuam malè deflexis, (nam alibi omnia tam clara ſunt, vt nulla ei libido venerit in prauum deflectendi) ſic collegit:

Ex quibus planum eſt, inquit, *amiſſa vera ratione, & illius vſu, rectum quoque iudicium, & liberam electionem eſſe amiſſam.*

Miror proinde vllos homines inuerecundo iſti Sanctorum calumniatori,

lumniatori, qui amissa vera ratione, aut illius vsu dimisso rectum quoque iudicium,& liberam electionem(vt vult quidem ipse) amiserit;adhuc inueniri tam credulos.

Producit ibidem ille planus rationes quasdam è varijs B.Irenæi locis,quibus ille magnus vir ad hoc vsus est, vt ostenderet, quantis obligati Deo essemus beneficijs,*sempérque permaneremus*, (sic enim ferè loquitur libro 3.cap.22.)*glorificantes Deum, & sine intermißione gratias referentes*, iste autem more suo ad expugnandam arbitrij libertatem abutitur.

Verba autem Sculteti citantis Irenæum sunt ista:

Quanquam idem [Irenæus scilicet] *disertis alibi verbis exponens, Paullus,inquit, infirmitatem hominis annuntians ait:* Scio quoniam non habitat in carne mea bonum: significans BONVM SALVTIS ESSE A DEO. *Et præclarè in eandem sententiam dixit alibi:* Edocuit Deus Deum scire neminem posse, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum: hoc autem ipsum cognosci eum,voluntatem esse Patris. *Quòd si agnitio Dei in nostra potestate non est;multò minus eiusdem cultus.Eat nunc Bellarminus,et Libertatem arbitrij in operibus pietatis,Irenæi testimonio tueatur.Obijciet:Irenæus clarè pronuntiat:Si tradideris ei,quod est TVVM,id est,FIDEM in eum, et subiectionem &c. Obijciam:Irenæus clarè pronuntiat:* Sicut arida terra,si non percipiat humorem,non fructificat: sic & NOS lignum ARIDVM existentes primùm, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia, *hoc est, Spiritu Sancto. Vtri nostrûm porrigetur herba? Neutri credo. Sed ad alia.* Hactenus verba Sculteti. Quæ omnia plena esse inscitiæ atque amentiæ quis non videt?Quis enim Catholicus negauit vnquam BONVM SALVTIS ESSE A DEO?Quis vnquam dixit Deum sine Deo posse cognosci? Fatemur, fatemur omnes,& voluntarij quidem,& gratias omnium bonorum auctori agentes, nihil nos posse boni sine bono Deo, sed hoc mi homo,in præsenti non agitur: illud, illud monstrandum est, cum gratia Dei non stare liberum arbitrium. Nam ita nos eo vti dicimus;vt eo solo absque Dei gratia possimus nihil,illo autem cum Dei gratiâ,vel Dei gratia cum illo,omnia; iuxta illud: *Omnia possum in eo,qui me confortat.* Et iuxta istud: *Non ego,sed gratia Dei mecum*, id est,non solus ego,sed gratia Dei mecũ.Nec enim illud,*MECVM*, frustrà & de nihilo ponitur; sed vt significet vtriusque concursum, gratiæ & liberi arbitrij. Quæ simul stare posse si mihi non credis, Scultete,crede magno Augustino,crede Ireneo nostro,crede tot sanctis iuxtà & eruditis Ecclesiæ Patribus & Doctoribus, qui semper id docuerunt,hodiéque docent.

Roman. cap. 7. ver. 18.

Iren. lib. 4 c. 76.

Ad Philip. 4. ver. 13.

1. Cor. 15. ver. 10.

Nam ad illas obiectiones duas quod attinet, vnam Bellarmini nomine,alteram tuo,& ad illud, quod petis, vtri porrigenda sit herba?

ba?

ba? nimis certum est, quòd alteri, quàm tibi: & bene fecisti, quòd non dixeris, tibi; aliquid enim in hoc pudoris habuisti, licet in alijs extremè visus sis esse impudens. Non placet verò, quod dicis: *NEVTRI, CREDO*. Immo sanè alteri, sed non tibi. Bellarmino enim * *μακαρίτῃ* ea debetur palma: cuius obiectio longè tuâ est efficacior: quippe qui nihil profers, quod non libenter, & vltro, ac sine vllo sententiæ nostræ damno concedimus. Nos enim, vt rectè dixit S. Irenæus, ligni instar aridi, sine pluuia Dei voluntaria, nullum vnquam vita æterna dignum fructum proferemus; sed est in voluntate arbitrij admittere pluuiam, aut reijcere: audire Deum vocantem, & vel sequi, vel renuere. *Quia vocaui*, inquit, *& renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

* Felicis memoriæ.

Prouerb. 1. ver. 24.

Potuerunt igitur tam vocantem renuere, quàm sequi. renuerunt enim. Potuerunt & tam sequi, quàm renuere: si enim sequi non potuissent, quæ esset caussa, in eorum interitu ridendi? Eorum enim ridetur interitus, qui potuernnt non interire: eorum culpatur inobedientia, qui potuerunt obedire.

Multa possem & alia è libris sacris, aut è SS. proferre Patribus: sed quia volo ostendere Sculteto, me liberum esse, & meę potestatis, nolo plura. Satis enim ex his videre est, *vnam stipulam Irenæi* (sic enim conuitiator appellauit sancti viri de libero arbitrio doctrinam) meliorem esse totis cumulis Sculteti.

Pro secunda verò stipula posuit, quòd Irenæus libro 2. cap. 49. dixerit, Filium Dei minorem esse Patre secundùm scientiam.

Sed illa iterum stipula melior est tota messe Sculteti. Nam Irenęus loquitur de Christo, seu Filio Dei, vt homine: quo modo non scientiâ tantùm, sed rebus omnibus minor est Patre. Explicat enim Irenæus locum illum Matthæi 24. v. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* vbi & producit alterum Christi Domini dictum, ex Ioãnis 14. v. 28. *Quia Pater maior me est.*

Matthæi 24. ver. 36.

§. VIII. Verba Irenæi, l. 2. cap. 49. sunt hæc:

Etenim, si quis exquirat caussam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire & horam & diem à Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram, quàm hanc, inueniat in præsenti: quoniam cùm solus verax magister sit Dominus, vt discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater, *ait*, maior me est. *Et secundùm agnitionem itaque præpositus esse Pater annuntiatus est à Domino nostro, ad hoc, vt & nos in quantum in figura huius mundi sumus, perfectam scientiam, & tales quæstiones concedamus Deo: & ne fortè quærentes altitudinem Patris inue-*

Ioan. 14. ver. 28.

inuestigare, in tantum periculum incidamus, vti quæramus, an super Deum alter sit Deus.

Ista Irenæus: quæ nulla prorsus indigent correctione: tametsi Scultetus in ordine stipularum posuerit, cum hac annotatiuncula: *Filium Dei, scientia minorem Patre, quod Irenæus statuit, durum nimis, & ex Catholicæ Ecclesiæ sensu corrigendum est.* Nam B. Ireneus per Filium Dei intelligit Christum, vt hominem.

§. IX. Pro tertia stipula, sic idem Scultetus de Irenæo:

Eodem libro, inquit, *cap.* 48. *inenarrabilem dicit esse generationem Filij Dei: quo loco tamen subiungit:* Quoniam ex cogitatione & sensu Verbum emittitur, hoc vtique omnes sciunt homines. *Vbi inenarrabile ex parte enarrare videtur.* Sic ille.

Non video autem ego, quid ibi reprehendere habeat Scultetus. Meritò enim inenarrabilis dicitur generatio Filij, cuius generationis modus ignoratur vel ex toto, vel ex parte maxima. Quantillum enim est dicere, Verbum è mente generari? Hoc enim vult Irenæus, quamuis interpres ἔννοιαν καὶ νοῦν, soleat per *cogitationem & sensum*, (vt supra ostensum est) minùs aptè reddere.

Persequitur deinceps suas stipulas, & dicit:

Mirari autem vel maximè subit, quod nuspiam Spiritum Sanctum, Deum nuncupet, quem tamen in operibus creationis & redemptionis, cum Patre, Filióque copulat & coniungit.

Respondeo primò, perinde mirandum Sculteto videri debere, quòd Paullus ipse nusquam Spiritum Sanctum Deum nuncupet, hoc est, expresse ac distinctè dicat, Spiritus est Deus, vel Spiritus, qui est Deus, aut aliquid simile, prorsus clarè idem denotans. Nā si dicat Scultetus Paullū dixisse aliquid istis equiparabile, atque vnde necessariò colligi liceat Spiritū sanctum esse Deum, idē dico & de S. Irenæo, & remitto discendi & conferendi cupidos ad loca S. Irenæi citata cap. 19. suprà.

Respondeo secundò, nusquam Irenæū expresse & distinctè dicere, Spiritum Sanctum esse Deum, sicut dicit de Patre & Filio: propterea quòd nulla dū hæresis eius expresse mentionem fecisset, & totus labor versaretur circa eos, qui supra Patrem, alium Deum ponerent, & qui de Filio nimis humilia & fabulosa sentirent. Quòd si egisset de Spiritus Sancti diuinitate, nouam illis rixarum & figmentorū occasiones subministrasset. Quin & Concilium Nicænum, licet duobus ferè pòst sæculis, cùm ab Ario præcipuè Filius Dei impugnaretur, nihil eādem ob caussam de Spiritus sancti diuinitate dixit, nihil determinauit. Venio denique ad id, quod cunctis Deiparę cultoribus, & mihi in primis erga Scultetum bilem mouet. Cùm enim dignum me operę fecisse precium existimarem, & in loco de B. Virginis Deiparæ laudibus propalàm à me posito satis conquiescerem, ratus scilicet id quoque multis gratum fore; ecce incurro in Scultetum, qui totum

hoc, quod magni faciebam, inter stipulas conijcit.

Audite enim eius os ferreum, & canis impudentiam.

§. X. *Periculosa præterea,* inquit, *immo intoleranda est comparatio illa, quam inter Euam & Mariam instituit.* Sicut Eua inobediens, & sibi, & vniuerso generi humano caussa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano caussa facta est salutis. *Et paullò pòst:* Sic autem Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. *Quæ nisi candidissimũ habeant interpretem, non poterunt cũ veritate Apostolica conciliari. Quod idẽ de alia inter easdem mulieres cõparatione sentio, qua docet: sicut Eua seducta est, vt effugeret Deũ: sic Mariã suasam esse obedire Deo: vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.*

Iren. l. 3. c. 33.

Sic improbus ille Caluinista parum erga Dei matrem reuerens, & de accepto ab ea beneficio multùm ingratus.

REFVTATIO ABRAHAMI SCVLTETI, IN VIRGINEM MATREM IMPII.

Non probat igitur ille tantas maximę matris laudes, nec melliflorum B. Irenęi verborum odorem suauissimũ impurus scarabæus sustinet: longissiméque profectò abest ab illo candidissimo, quẽ designat, interprete; tantũ scilicet, quantũ lupus ab agno. Non dicet sanè candidissimus interpres intolerandã esse illam comparationem inter duas maximas matres, illã antiquitate, hãc dignitate: nec improbabit, recusabítue, tantum profuisse, in pręparanda ad salutem via, Mariæ obedientiam; quantum obfuisse in deperdenda, Euæ inobediẽtiam.

Sed bene, quòd non probet. Suspecta enim esse potuissent, quæ probasset malus: & ipse, dum bona non probat, solens suo more facit: videamus autem, si boni non probent.

An non probant, & similia Irenæo dicunt, & docent, Hieronymus, Augustinus, aliíque doctissimi & sanctissimi Patres? Nam & Iustini verba Irenęo antiquioris, & Tertulliani eidem Irenęo propè æqualis suprà posui. Hieronymus quidem in epistola 22. ad Eustochium sic habet: *Postquam Virgo,* inquit, *concepit in vtero, & peperit filium &c. soluta maledictio est. Mors per Euam; vita per Mariam.*

Hieron. epist. 22. Ad Eustochium.

An non ista vel candidissimo illo candidiorem requirerent ex illius insensati sensu, vt sic loquar, interpretem?

MARIÆ ET EVÆ ANTITHESES.

Augustinus verò serm. 18. de Sãctis, *Mater generis nostri,* inquit, *pœnam intulit mundo: genitrix Domini nostri salutem attulit mũdo. Auctrix peccati Eua: auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit: Maria viuificando profuit. Illa percussit: ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur: fides pro perfidia compensatur.*

Ita ille admodum cõformiter B. Irenęo. Quę licet quidã tribuant S. Fulgentio, quia tamen nec librorũ S. Fulgentij censores vllarum eius concionũ mentionẽ fecerunt: & Augustinus his similia & alibi habet de B. Virgine, citato etiã & laudato Irenęo, hinc Augustini esse probabiliùs opinamur: non item sermonẽ illum, qui tomo eius decimo,

in

in Appendice de diuersis, est octogesimus tertius, (vbi etiam verba à me citata reperiuntur) sed ille ex varijs Augustini locis ab aliquo lõgè posteriore confectus est, cùm Isidorum Hispalensem citet.

Enimuerò ad ruborem Sculteti (si tamen possit frons meretricis erubescere) vnum S. Augustini locum, paullò quidem lõgiorem; sed pulchrum, & valde ad rem nostram accommodum, haud pigebit hic adscribere. Is est tomo eius 7. Contra Iulianum Pelagianum, libro 1. cap. 3. statim initio, vbi laudatur Irenæus ab Augustino in eo ipso, in quo reprehenditur à Sculteto.

Sed tu, inquit, *qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos Fidei catholicæ defensores tam exsecrabili criminatione appetere audeas, si euigilas, intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor: quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere, & credere, si vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ superauerit.* (S. August. lib. 1 contra Iulianum, cap. 3.) *Irenæus Lugdunensis Episcopus non longè à temporibus Apostolorum fuit: iste ait non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati, in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos.* (S. Irenæus lib. 4. cap. 5.) Item idem ipse: *Quemadmodum astrictum est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem, æquâ lance dispositâ, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.* (Idem Iren. l. 5. c. 19.) *Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentiâ deuictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti. Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? quid de similitudine carnis peccati, per quàm sanatur plaga serpentis in carne peccati? quid de protoplasti peccato, per quod alligati fueramus?*

Hæc omnia coniunctim & cohærenter S. Augustinus. Qui quàm diuersus à Sculteto fuerit, quis hinc non videt? Et vtri iam potiùs, Augustinóne albo instar niuis, an Sculteto atro instar carbonis, fides adhibeatur, manere cuiquam in dubio potest? Vituperat Scultetus Irenæum: Augustinus laudat, & ita quidem laudat, vt ferè semper primum inter eos, quos laudat, nominet: quòd etsi ob antiquitatem faciat, tamen non faceret; si talis, qualis à Sculteto deformatur, existeret. Ecce enim iterum, quid de illo Augustinus eodem libro, cap. 7. *Si autem assertores eos flagitas, quorum aliquid etiam litterarum inueniri potest, illustrisque doctrina est; en adest assertorum eius memorabilis & venerabilis consessus atque consensus: Sanctus Irenæus dicit.* &c. (S. August. lib. 1 contra Iulianum cap. 7.)

Sanctus Cyprianus dicit & c. S. Reticius dicit. & c. eodem modo S.

 Olym-

Olympium, S. Hilarium, S. Ambrosium citat. Sanctorum porrò Reticij & Olympij (quorum tunc exstabant scripta) nescio nunc supersitne quippiam.

Et infrà cap. 10. *Propter quam Catholicam veritatem sancti ac beati, & in diuinorum eloquiorũ pertractatione clarißimi Sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius*, &c. *proferũt de omniũ hominum peccato originali obnoxia succeßione sententiã, vnde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis Virgo concepit.* Et lib. 2. ad finem bis similiter de B. Irenæo loquitur.

Sed redeo ad encomia Virginis ab Irenæo data, quibus ostendi paria esse ac prope gemina, quæ à Tertulliano, Hieronymo, Augustino eidem tributa sunt, quibus & alij multi addi possent, & quidem qui mille abhinc annis retro vixerint, eóque ampliùs, è quibus tres se obijciunt, qui sese prȩteriri nolũt, Petrus Chrysologus, Sedulius Presbyter, Arator Subdiaconus, ea scilicet de caussa, quòd se ipsissimam Irenæi comparationem de Eua & Maria attigisse asseuerent. Ille quidem serm. 142. vbi de collocutione Angeli & Virginis agens, *Audistis agi,* inquit, *vt homo cursibus ijsdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina.* Vide eundem aliquot in concionibus alia plura & pulchra referentem. Sedulius autem, lib. 2. Carminum, ita in primo, eóque pulcherrimo de Filij Dei sapiente misericordia, post quædam alia, hæc cecinit:

Petrus Chrysologus, serm. 142.

Sedulius lib. 2. Carminum.

Donaretque suis semper placatus, vt vnde
Culpæ dedit mortem, pietas daret inde salutem:
Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens; matrémque obscurat honore;
Sic Euæ de stirpe sacrâ veniente Mariâ,
Virginis antiquæ facinus noua virgo piaret.

Arator denique, qui Acta Apostolorum egregijs suorum versuum sulcis exarauit, de nostra Virgine concertans Sedulio, sic infit:

Arator libro 1. in Acta Apostolorum.

— mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus:
Restituit, quod prima tulit. Non voce querelas
Excitet, aut gemitu mœrentia corda fatiget
Antiqua pro lege dolor: scelera ipsa, nefásque
Hac potiùs mercede placent: mundóque redempto
Sors melior de clade venit. —

Addamus & *Ioannem* cognomento *Bonum valetum, qui gloriosissimam Christi matrem* (verba sunt Thomæ Cantipratani) *miro feruore complectens, inter cetera, quæ de ea composuit, duos istos versus incomparabiles edidit:*

Felix mater aue, quâ mundus soluitur à væ:

Quæ

Quæ genitricis Euæ væ facis eſſe breue.

Vide Cantipratanum lib. 2. de proprietatibus apum, cap. 2.

At non placent hæc Sculteto, & minùs ea quæ de eiuſdē B. Virginis inuocatione à Catholicis proferuntur. Nam cùm Bellarminus libro 1. *De Sanctorum beatitudine*, cap. 29. inter multas SS. PP. auctoritates, pro Sanctorum inuocatione, etiam B. Irenæi locum produxiſſet, vbi ſanctiſſima Deipara vocatur *Euæ aduocata*, adeo impatienter tulit, vt furioſorum more, qui manus in quoſque obuios mittunt, non modo in Bellarminum, ſed in ipſam quoque Virginem inuolarit.

Quid ſi ex eodem Irenæo [inquit ille furioſus] *doceam Mariam ignorare, quando, cui, quomodo Deus per Filium opitulaturus ſit, atque idcirco intercedentem pro nouis coniugibus à Chriſto ipſo fuiſſe repulſam, pergétne Bellarminus ex Irenæo interceßiones demonſtrare?*

En Thraſonis illius verba minitantis ſe probaturum ex Irenæo, quod nunquam faciet.

Hoc enim dumtaxat probare poteſt *intempeſtiuam feſtinationem* pro vino conuiuis impetrando (quandoquidem ſic habet Irenæi interpres, durius fortè, quàm græcus textus habuerit) *repulſam fuiſſe*: cum quo ſtare poteſt, quòd nouerit *quando*, ſaltem pro vicino tempore, nempe horâ conuiuij, licet non pro momento & articulo temporis, & patrandi miraculi, & *cui*, hoc eſt, ipſis coniugibus, & *quomodo*, id eſt, ad poſtulationem matris, & per aquæ in vinum mutationem, opitulaturus eſſet Filius.

Nihil enim eorum negat Irenæus: cuius verba, ſi ad quem finem dicta ſint, expendantur; multo leniùs accipi poterunt, quàm à nonnullis accepta ſint. Cupiens enim probare cuncta in ſuis fieri temporibus, prout à Deo præcognita ſunt, non verò citiùs, neque tardiùs, ſic ait:

Præcognita ſunt enim hæc omnia à Patre, perficiuntur autem à Filio, ſicut congruum & conſequens eſt, apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volente participare compendij poculo, Dominus repellens eius intempeſtiuam feſtinationem, dixit: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea, *exſpectans eam horam, quæ eſt à Patre præcognita.* Ioannis 2. ver. 4.

Hæc ibi, & nihil amplius habet Irenæus de Virgine. Quæ certè non probant D. Virginem ignoraſſe ea, quę dicit ſe docturum doctor indoctus: immò potiùs innuunt contrarium. Nam illa verba: *properante Maria ad admirabile vini ſignum*, innuunt ſciuiſſe illam, opitulaturum Filium nouis coniugibus, dando vinum tempore illius conuiuij, & quidem per miraculum, ergo ſciuit *quando, cui, & quomodo, opitulaturus eſſet*. Alioqui enim, quomodo properaſſet ad miraculum vini, ſi illud ignoraſſet? Nec verba Irenæi quicquam

ſonant de iſtorum ignoratione,ſed tantùm ipſam ante tempus patrandi iam iam miraculi, indicaſſe Filio: *Vinum non habent*. Nam paullò pòſt patrauit. Et Filius ipſe cùm reſpondit matri, *Nondum venit hora mea*, hoc ſignificauit nondum adeſſe articulum temporis, quo patrandum eſſet miraculum. Et mater cùm dixit miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, ſatis præ ſe tulit Filium breui pòſt patraturum miraculum. Denique quòd B. Virgo ante tempus petijſſe dicitur, non ſic accipiendum eſt, quaſi petierit vinum ante tempus, quo debebat petere; ſed ante tempus, quo debebat concedi. Nam vt plurimùm ita fieri ſolet; vt res maturiùs petantur, quàm debeant fieri, ne ſcilicet ſit mora, cùm tempus venerit. Et hoc quidem tantum abeſt, vt affine ſit vitio; vt potiùs cum prudentia coniunctum ſit. Hic porrò & euentus ipſe oſtendit, bonum fuiſſe peti maturiùs, quò ſcilicet moneri poſſent miniſtri de prompta & fideli obedientia, quicquid demum ipſis à IESV præciperetur. Sciebat ergo & hoc Mater Ieſu, ô impie Scultete, Filium ſuum opera miniſtrorum vſurum, & quidem, vt apparet, ad obediendum in re, quæ ipſis aliàs non ſatis grata, nec neceſſaria tali in tempore videretur. Poterant enim dicere, aut cogitare: *Quid nunc opus tanta aquæ copia? Non id moris habent nuptiæ, vt conuiuas ſuos aquis repleant*. Replerunt tamen ſex hydrias, & quidem vſque ad ſummum, in exemplum ſcilicet integræ ac plenæ obedientiæ. Sed de hoc ſatis.

Ioannis 2. ver. 3. — *Ibidem ver. 5.*

Vnum autem reſtat, & quidem, vt mihi videtur, perneceſſarium; nempe vt noſtræ vulpeculæ aliam fraudem maligniſſimam publicè exponam, quò videant Sculteti ſectatores, quàm doloſo & fraudulento animali ſeſe committant.

§. XI. Abrahami Sculteti vulpinæ fraudes detectę.

Vult probare homo perfidus & doloſus ex Irenæo, non inuocandam eſſe B. Virginem, Dei matrem: Sic igitur probat:

Quæ ſunt enim, inquit, *eius* [Irenæi ſcilicet] *de inuocationis obiecto præcepta?* Non inuocationibus Angelicis fiat aliquid, nec aliqua praua curioſitate, ſed mundè & purè orationes dirigantur ad Dominum, qui omnia fecit; & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius nomen omnia præſtat & curat, non autem alterius cuiuſquam. *Quod exemplum inuocationis lib. 3. cap. 6, Irenæus orans, compellat Patrem Ieſu Chriſti, qui dominatione dominatur Spiritus Sancti. Nulla ibi Mariæ vel mentio, nedum inuocatio.* Ita Scultetus.

Irenæus lib. 2. c. 57.

Quis hic non putaret iſtum hominem ipſa B. Irenæi verba, aut ſenſum ſaltem verum produxiſſe? Quis non crederet Irenęum dixiſſe inuocationis obiectum eſſe ſolum Dominum, & nomen Ieſu Chriſti, non autem nomen Angeli, nec cuiuſquam alterius, & conſequenter nec Virginis? At Irenæi verba prorſus aliud ſonant, alióque reſpiciunt, ſi quis & integra ponat, & rectè interpretetur, & antecedentia

dentia consideret. Nam confert Irenæus illo capite miracula Catholicorum cum præstigijs hæreticorum, discipulorum scilicet Simonis magi, & Menandri, & Carpocratis, & aliorum similium: & inuocationes nominis Iesu, cum inuocationibus dæmonum, quas vocat inuocationes Angelicas, id est, diabolicas, vti ex adiũcto paullò pòst verbo *incantationum*, (quod omisit per fraudem Scultetus) indicat.

Ponam igitur in medio totam ipsius Irenæi sententiam: quæ sic habet:

Non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem Gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis & ministrat. Nec inuocationibus angelicis aliquid facit, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes secundum vtilitates hominum, non verò ad seductionem perficit. Si itaque & nunc nomen Domini nostri Iesu Christi beneficia præstat, & curat firmissimè, & verè omnes vbique credentes in eum; non autem Simonis, (nomen scilicet) *neque Menandri: neque Carpocratis, nec alterius cuiuscumque; manifestum est, quoniam homo factus, & cum plasmate suo conuersatus, verè omnia fecit ex virtute Dei, secundum placitum Patris vniuersorum, quo modo & Prophetæ prædixerunt.*

Ista sunt beati Irenæi verba, quæ nihil contra inuocationem Beatissimæ Virginis, aut sanctorum Angelorum faciunt, nihil prorsus; sed contra inuocationes diabolicas, & incantationes magicas, de quibus ibidem paullò antè præmiserat, *hæreticos, si aliquid faciant, per magicam operationem niti fraudulenter seducere insensatos* &c. Scultetus autem, tametsi videret ab Ireneo opponi inter sese nomen Iesu Christi, & nomina Simonis, & Menandri, & Carpocratis, & similium, his relictis opponit nomen Christi, cuiuscumque alterius nomini, per *cuiuscumque* intelligens B. Virginem, & alios Sanctos, cùm S. Irenęus intellexerit alios quosuis hęreticos proximè nominatis similes. Vnde & ponit exemplum vnius inuocationis, qua vsus est S. Irenæus (eam suprà posui cap. 17.) vbi nulla fit mentio B. Virginis, quia nulla, nec caussa, nec occasio ibi erat eius inuocandæ; vt illic videri potest: deinde sic addit. *Nulla ibi Mariæ vel mentio, nedum inuocatio.* Ita sit, quid exinde sequitur? non inuocandam Virginem? Atqui ea ratione nec Spiritus Sanctus inuocandus esset; cùm nec ibi inuocetur.

Adde perridiculam esse illam ratiocinationem: Irenæus in vna sua inuocatione (& quidem, in qua voluit Heliæ inuocationem imita-

imitari, vt patet,) non inuocat Mariam: ergo nunquã inuocanda est.

Pergit verò Sculterus, & multis ridiculis addit aliud magis ridiculum, his verbis:

Dico quid amplius, inquit: *Si mortuam Mariam inuocare nos decet, quia aduocata dicitur, fuerat ea in primis inuocanda Eua (vt enim & nos verba vrgeamus, Euæ, non aliorum, aduocata Maria ab Irenæo scribitur.) At qui potuit Eua Mariam inuocare mortuam, quæ necdum erat nata? Sic igitur captus est pes Iesuitarum, & nos liberati sumus à mortuorum inuocatione.* Sic ille.

Iob. 11. ver. 12.

Videtísne porrò quemadmodum *Vir vanus* (vt Iobi verbis vtar) *in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat?* aut si non natum, saltem stolidula quadam & ridicula argumentatione factum?

Heus tu, mihi homo, Is qui MARIAM Euæ aduocatam esse dicit, negátne ideo esse aliorum? negátne ideo esse nostram? Nec enim minùs nostra, quia Euæ: sed quia est Euæ, vt matris; ideo magis nostra, vt filiorum. Hinc omnis ecclesia Catholica in vsitatissimo illo hymno, *Salue Regina*, aduocatam appellat suam.

S. Bernardus serm. 1. de assumptione.

Hom. 2. super Missus est.

Et Bernardus, *Aduocatam*, inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Et idem alibi: *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat a corde: & vt impetres orationis eius suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias; ipsam rogans non desperas; ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis; ipsa protegente non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa propitia peruenis:* &c.

Monstremus verò, & per similitudinem aliquam (sic enim fortasse magis Sculterus percipiet) quomodo nec pes Iesuitarum captus sit, nec ipse liberatus.

Si ergo mater tua, mi Sculterte, (iuuat enim clarè te affari) grauis alicuius flagitij comperta, ab aliquo adiuuaretur aduocato, quem ipsa non nosset, tu autem nosses; an quia inuocare illum ipsa non posset, quia non nosset; ideo tu, qui nosses, etiam in tuo periculo nolles? Fac igitur ignotam fuisse Euæ Mariam, atque idcirco nec inuocatam, ideóne nos eiusdem Euæ filij, ipsius nostrámque aduocatam in nostris ipsorum multis, magnísque periculis, licet opitulari valentem & volentem, non inuocabimus? Facesse cum tua isthac sapientia: nos malumus esse insipientes, quàm, ita vt sapis, sapere, & Deo desipere. Nec enim possumus aduocatam nostram, & matrem Dei nostri non inuocare. *Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: & IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Hoc in gratiam Sculteti:

Nunc

Nunc vt hæreticos internoſcere poſſimus, bonum eſt eorum inſignes notas agnoſcere. Age, hoc agamus.

CAPVT XXX.

HÆRETICORVM NOTÆ.

ADmonuit me Abrahami Sculteti cùm inſignis improbitas, bonos Scriptores impudenter calumniantis; tum immanis ſuperbia, ſupra omnes Eccleſiæ Doctores proteruè ſe efferentis, ac denique & præcipuè intoleranda impietas, Beatiſſimam Virginem, alióſque Sanctos, quantum poteſt, deprimentis, & debito ipſos honore, (vt breui antè patuit) indignè & ſacrilegè exſpoliantis; admonuit me, inquam, vt congerronum eius, hoc eſt, hæreticorum illuſtres notas, quibus à germanis Eccleſiæ filijs diſtingui, diſcernique poſſint, in medio ponam: ídque ex S. Irenæo potiſſimè, vt cuius non eſt reueritus ſanctitatem, eius experiatur aculeos.

HÆRETICI IGITVR QVALES?

§. I. SVPERBI.

Talis fuit hæreticorum omnium anteſignanus Simon magus, quem meritò Ireneus noſter *patrem omnium hæreticorum* appellauit, de cuius exuberantis calice ſuperbiæ omnes quidem guſtauere hæretici, ſed Scultetus affatim bibit. In præfat. libri 3.

De hoc igitur ipſorum patre ſic Irenæus:

Hic à multis quaſi Deus glorificatus eſt: & docuit ſemetipſum eſſe, qui inter Iudæos quidem quaſi Filius apparuerit; in Samaria autem, quaſi Pater deſcenderit; in reliquis vero gentibus, quaſi Spiritus Sanctus aduentauerit. Eſſe autem ſe ſublimiſſimam Virtutem, hoc eſt, eum, qui ſit ſuper omnia Pater, & ſuſtinere ſe vocari quodcumque vocant homines. Simon autem ille Samaritanus, ex quo vniuerſæ hæreſes ſubſtiterunt, habet huiuſmodi ſectæ materiam. Hic Selenen quandam, quam ipſe a Tyro ciuitate Phœnices quæſtuariam cùm redemiſſet, ſecum circumducebat, dicens hanc eſſe primam mentis eius conceptionem, matrem omnium, per quam initio concepit Angelos facere, & Archangelos. Et infrà. *Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inſpiratos dixiſſe prophetias: quapropter nec vlterius curarent eos hi, qui in eum & in Selenen eius ſpem habeāt, & vt liberos agere quæ velint. Secundum enim ipſius gratiam ſaluari homines, & non ſecundum opera iuſta.* &c. Lib. 1. c. 20.

Talis fuit & Menander, Simonis ſucceſſor.

Qui primam quidem VIRTVTEM incognitam ait omnibus: ſe autem eum eſſe, qui miſſus ſit ab inuiſibilibus, ſaluatorem pro ſalute hominum. Mundum autem factum ab Angelis: quos & ipſe ſimiliter, Iren. l. 1. c. 21.

vt

vt Simon, ab Ennoia emissos dicit. Dare quoque per eam, quæ à se doceatur, magiam, scientiam addidit, vt & ipsos, qui mundum fecerunt, vincat Angelos. Resurrectionem enim, per id quod est in eum baptisma, accipere eius discipulos, & vltrà non posse mori; sed perseuerare non senescentes, & immortales.

Talis Carpocrates & Carpocratiani.

De quibus hæc Irenæus lib. 1. cap. 24.

Lib. 1. c. 24.

Quapropter & ad tantum elationis prouecti sunt, vt quidam quidem similes se esse dicant Iesu: quidam autem & secundùm aliquid illo fortiores, qui sunt distantes ampliùs, quàm illius discipuli, vt puta, quàm Petrus, & Paullus, & reliqui Apostoli.

Tales Valentinus & Valentiniani, de quibus sic Irenæus:

Iren. lib. 2. cap. 53.

SVPERBIA HÆRETICORVM ENORMIS.

Et vniuersæ spiritalis substantiæ Demiurgum & Dominum [id est, creatorem] *animalem esse dicentes, indubitatè & verè suam ostendunt insaniam: & velut verè tonitruo percussi supra eos, qui in fabulis referuntur, Gigantes, extollunt sententiam aduersus Deum, præsumptione vana, & instabili gloria tumidi, quibus vniuersæ terræ helleborum ad expurgationem non sufficit, vti euomant tantam suã stultitiam.* Sic ibi.

Tam ergo superbi erant isti hęretici, vt se spiritales esse dicerent, Creatorem autem ipsum, animalem.

Ibidem cap. 54.

Et semet meliores vocant eo, per quem tanta & talia facta sunt & disposita; cùm & per suam argumentationem multò inferiores inueniantur.

Similitudo egregia.

Ac velut duo ferramenta operaria, vel organa duo cùm sint, ex quibus alterum quidem semper in manibus & in vsu artifex habeat, per quod & faciat quanta velit, & ostendat artem & sapientiam suam: alterum autem vacuum atque otiosum perseueret, ac sine operatione, per quod nihil omnino facere appareat artifex, & ad nullam actionem vti: deinde dicat aliquis inutile hoc, & vacuum, atque otiosum, melius esse, plurisque illo, quo in opere suo vtitur, & in quo gloriatur artifex; hic sanè hebes meritò censebitur, nec mentis suæ compos. Sic ergo & hi, dum se & spiritales & meliores Demiurgo dicunt, quem animalem vocant. &c. *Qui enim melior est, ex operibus ostenditur. Omnia autem opera à Demiurgo facta sunt: ipsi verò, cùm nihil à se factum ratione dignum habeant ostendere, insani sunt summa & insanabili insania.*

Et capite proximo de ijsdem:

Hi enim non tantùm aliquid de spiritalibus, sed ne quidem muscam, aut culicem, aut tale quippiam ex ijs animalibus, quæ pusilla & contempta sunt, perficere possunt.

Hactenus ex Irenæo, de primorum hæreticorum superbia, non modò exæquantium se creatori; sed etiam anteferentium. In quos

&illi

&c illi verſus vibrari poſſunt, qui inter aurea Pythagorę carmina extremi ſunt:

Εἴ τις ἐρεῖ, θεός εἰμι, παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν· ἐμὸς οὗτος.
Κοὐχὶ μόνον στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς, ἀλλὰ κατοικεῖν
Αὐτὸς, ἐν ᾧ πεποίηκε· πεποίηται δ᾽ ὑπὸ τούτου.
Extra vnum, ſi quis tumido tonet ore, Deus ſum;
Is parem huic mundum fabricans, meus, *inquiat*, hic eſt:
Nec ſatis eſt dixiſſe, meus: *ſed & inſuper illum*
Incolat. Hunc etenim Deus hic fabricauit, habétque.

Et illa quoque Tertulliani in eoſdem diſtringi poſſunt: *Imitare, ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina: ſuſtine, ſi potes, illas ipſas lectuli & tegetis tuæ beſtias, cantharidis venena, muſcæ ſpicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cum tam modicis aut iuuaris, aut lęderis? vt nec in modicis deſpicias creatorem.* Ita Tert. lib. 1. aduerſus Marcionem, cap. 14.

§. II. Impudici.

Propter primorum hæreticorum impudicitiam valde infamatum eſt, initio naſcentis Eccleſię, nomen Chriſtianum. Ex iſtorum enim ſpurcitia in horum caſtimoniam graues ſtructæ ſunt calumniæ. De quibus ſatis fusè ad S. Iuſtini vitam actum eſt.

De Marco hæreſiarcha, vnde Marcoſiani cognominati, ſic Irenæus, lib. 1. c. 9.

Verba S. Irenæi:

Potiſſimè circa mulieres ſtudium & operam ſuam impendit, eáſque præſertim, quæ eleganter cultæ ſunt & purpuratæ, maximíſque opibus præditæ, quas perſæpe ad ſe allicere ſtudens aſſentabundè ita alloquitur: Libet tibi gratiam meam impertire, quandoquidem vniuerſorum Pater Angelum tuum perpetuò cernit ante faciem ſuam. Locus autem tuæ magnitudinis in nobis ſitus eſt: oportet nos vnum effici. Accipe primum ex me & per me gratiam. Adorna teipſam, vt ſponſa ſponſum ſuum expectans, vt ſis quod ego, & ego viciſſim quod tu. Luminis ſemen in thalamo tuo colloca. Sponſum à me ſume, & capax ipſius eſto, atque in ipſo facito, vt capiaris. En gratia in te deſcendit: aperi os tuum, & vaticinare. *Reſpondente autem muliere;* Nunquam vates fui, nec vaticinandi artem calleo; *rurſus ille inuocationes quaſdam faciens, vt ſeductam illam in admirationem ac ſtuporem trahat, his eam verbis affatur:* Aperi os tuum, loquere quicquid lubet, & prophetabis. *His igitur verbis illa ſtultè elata ac tumida, atque ob vaticinandi ſpem & expectationem, in qua verſatur, animo incaleſcens, corde, pluſquam par ſit, ſubſultante, audaciá effertur, ac meras nugas, & quicquid temere occurrerit, inaniter & impudenter eloquitur; vtpote inani ſpiritu concaleſacta (quemadmodum quidam nobis*

bis

bis præstantior de huiusmodi mulieribus ait : Audax & impudens res est anima inani aëre concalefacta) *ac deinceps prophetissam se arbitratur, gratiásque Marco agit, qui gratiæ suæ participem eam fecerit, eúmque non modò facultatum suarum largitione (vnde ille ingentem pecuniæ vim cogit) sed etiam corporis sui communicatione remunerari conatur; per omnia nimirum ei copulari studens , vt cum eo in vnum veniat. Enimuerò mulieres quædam fideliores , ac timore Dei præditæ, nec ab eo in fraudem inductæ, (quas æquè ac reliquas seducere instituerat, iubens prophetare) exsufflantes eum, ac diris omnibus deuouentes, ab huiusmodi choro sese abstraxerunt.*

Et infrà ibidem.

Quòd autem Marcus amatoria quædam & illectantia pharmaca (quò videlicet earum quoque corporibus probrum & contumeliam inferat) si non omnibus, at certè nonnullis adhibere soleat; ipsæmet sæpe, cùm ad Ecclesiam rediissent, confessæ sunt, séque corpore ab eo contaminatas fuisse, miróque ipsius amore exarsisse : adeo vt Asianus etiam quidam ex nostris Diaconus, cùm eum hospitio excepisset, in hanc calamitatem inciderit. Ipsius enim vxor, singulari pulchritudine femina, tum animo, tum corpore ab hoc mago corrupta est; eúmque, cùm perdiu secuta esset, postea non sine magno labore à fratribus conuersa, per omne reliquum vitæ tempus, admissum scelus confiteri non destitit; labem eam, quæ à mago acciderat, lugens ac lachrymis prosequens.

Quin ipsius etiam discipuli in iisdem studiis versantes, mulierculas multas in fraudem impulsas corruperunt: perfectos interim se appellantes, atque ea scientiæ magnitudine præditos; vt nemo ad eam adspirare possit, etiamsi Paullum dixeris, etiamsi Petrum, aut alium quemquam Apostolorum; verùm se scientia mortales omnes antecellere, sólósque ingentem illam ineffabilis potentiæ magnitudinem ebibisse, ac supra omnem Virtutem in summo fastigio collocatos esse, ob idque etiam liberè quiduis perpetrare, nullo vllius rei metu affectos. Redemptionis enim beneficio effici, vt à Iudice nec prehendi, nec conspici possint. &c.

Ita Irenæus (exstant enim græca) ex Billij interpretatione.

Ecce autem, quanta superbia quantæ impudicitiæ coniuncta est. Et ita ferè fit, vt bina illa monstra inter sese quàm arctissimè semper cohæreant. Hoc in antiquis, hoc in hodiernis est videre hæreticis: quibus nihil est antiquius, quàm quos sibi fecerint obnoxios, vinculis illigare carneis. Et cùm beatus Cyprianus Virgines appellet *illustriorem portionem gregis Christi*, Scultetus (vt notaui ad Iustinum) veritus non est appellare *corruptelam*.

§. III. FRAVDVLENTI, MENDACES, & S. Scriptura variè abutentes.

Quàm variè, & quàm fraudulenter abutantur hæretici Scripturis, passim

passim quidem in suis aduersus hæreses libris ostendit Irenæus, sed potissimè libro 1.c.1.& cap.15,& cap.17.& lib.3. citãdis mox locis.

Verba Irenæi, cap. 15. libri 1.

Ac de creatione quidem talia dicentes, progignunt quotidie eorum vnusquisque, quantum possunt, aliquid noui. Perfectus enim nemo apud eos, nisi qui magna mendacia produxerit. E Propheticis autem scriptis, quæ ipsi ad sua detorquendo transformant, necesse erit, cum id ostenderimus, refutare. Moyses enim, inquiunt, creationis opus exordiens statim initio matrem omnium ostendit, dicens: In principio creauit Deus cęlum & terram. *Quatuor enim hæc nominans, Deum, Principium, Cælum, & Terram, quaternionem ipsorum, vt ipsi dicunt, figurauit.* Vide ibidẽ absurdiores Scripturæ sacræ distortiones. Gen.1.vir.1.

Alia Irenæi verba de ijsdem. l. 1. c. 17.

Insuper apocryphorum librorum & adulterinarum scripturarum, quas ipsi confixerunt, infinitam multitudinem afferunt: vt stultos ac vesanos homines, veritatísque litterarum ignaros in stuporem trahant. Commentum etiam illud assumunt, quòd cum Dominus puerili ætate esset, atque elementa disceret, ac ludimagister, vt mos est, ei dixißet: Age, dic A. *responderit,* A. *cumque rursus præceptor iußißet dicere* B. *responderit Dominus:* Tu mihi priùs dic, quid sit A, tum ego dicam tibi quid sit B. *& hoc ita interpretantur, quasi solus ipse id, quod incognitum sit, norit: quod in figura litteræ* A *manifestauit.* *Libri apocryphi & adulterinæ Scripturæ hæreticorum.*

Hæc Irenęus: post quæ ibidem aliquot ex euangelijs loca producit, quę ipsi ad errores suos perperam detorserunt.

Et cap. 30. eiusdem libri 1.

Nunc autem eius necessariò meminimus, [Marcionis scilicet] *vt scires quoniam omnes, qui quoquo modo adulterant veritatem, & præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis Samaritani magi discipuli & successores sunt. Quamuis enim non confiteantur nomen magistri sui ad seductionẽ reliquorũ; attamen illius sententiam docent, Christi quidẽ IESV nomen tanquam irritamentum præferentes; sed Simonis magi impietatem variè introducentes, multos occidunt; per nomen bonum sententiam suam malam dispergentes, & per dulcedinem decorémque nominis, amarum & malignum principis apostasiæ serpentis venenum porrigentes.* Sic ibi. Vide eundẽ Irenęum l. 3.c.11.sub finem, vbi docet aliquos plura, quàm quatuor, habere euangelia, nonnullos pauciora, alios mutila.

Et lib. 3. cap. 12.

Deserti igitur cùm sint à paterna dilectione, & inflati à satana, conuersi in Simonis magi doctrinam absliterunt sententijs ab eo, qui est Deus, & putauerunt, quod à semetipsis plus inuenissent, quàm Apostoli, alterum Deum adinuenientes: & Apostolos quidem adhuc ea quæ sunt Iudæorum sentientes, annuntiasse euangelium; se autem sinceriores & prudentiores Apostolis esse. Vnde & Marcion, & qui ab eo sunt,

SCRIPTVRARVM CORRVPTORES. *ad intercidendas conuersi sunt Scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes; secundum Lucam autem euangelium, & Epistolas Paulli decurtantes, hæc sola legitima esse dicunt, quæ ipsi minorauerunt.*

Et rursus, eodem libro 3. cap. 15.

SCRIPTVRÆ VERÆ. *Igitur testificatio Lucæ vera, & doctrina Apostolorum manifesta, & firma, & nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia verò in manifesto docentium. Hoc enim fictorum, & prauè seducentium, & hypocritarum est molimen, quemadmodum Valentiniani faciunt. Hi enim ad multitudinem propter eos, qui sunt de ecclesia (quos communes ecclesiasticos ipsi dicunt) eos inferunt sermones, quibus capiunt simpliciores, & nostros simulantes tractatus, ad sæpius audiendum illiciunt.* VALENTINIANI A CHRISTIANIS EXCOMMVNICATI. *Quin & de nobis queruntur, quòd cùm similia nobis sentiant, sine caussa ab eorum abstineamus communicatione: cúmque eadem dicant, & eandem doctrinam habeant, vocemus illos hæreticos. Quòd si per quæstiones, quas mouent, aliquos à fide deiecerint, & non amplius contradicentes auditores suos fecerint; tum his separatim inenarrabile Plenitudinis suæ enarrant mysterium. Decipiuntur autem omnes, quia id quod in verbis est veri simile, se putant à veritate posse discernere.* ERROR FVCO PLENVS. *Ad suadendum enim compositus, & veri similis, & exquirens fucos est error: sine fuco autem veritas, & propterea pueris credita est. Et si aliquis quidem ex his, qui audiunt eos, quærat solutiones, vel eis contradicat; hunc quasi non capientem veritatem, & non habentē de superioribus à matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est, Psychicorum. Si autē aliquis, quasi paruum ouum, deditum semetipsum ipsis præbeat imitationi illorū;* Superbia hæreticorum. *& Redemptionem illorum consequatur, inflatus est iste talis, neque in cælo, neque in terra putat se esse, sed intra pleroma introisse, & complexum iam Angelum suum, cum institorio & supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Sunt autem inter eos, qui dicunt oportere bonam conuersationem assequi eum hominem, qui sit desuper veniens: propter hoc & fingunt quodam supercilio grauitatem. Plurimi autem & contemptores facti, quasi iam perfecti, sine reuerentia, & in contemptione aliorum viuentes, semetipsos spiritales vocant, & se nosse iam dicunt eum, qui sit intra pleroma, ipsorum refrigerij locum.*

Hæc Irenæus: in quibus obscura sunt nonnulla, quæ à græcis, si extarent, claritatem habere possent. Conabor dare aliquam lucem.

1. *Inenarrabile Plenitudinis mysterium*, seu græcè, *pleroma*, (vt hîc quoque vsurpat) est quasi mysteriū glorificationis ipsorum, seu beatitudinis complementum. Hinc nosse, quem sint habituri intra pleroma locum refrigerij, perinde est illis, atque esset nobis, cognoscere, quem simus habituri in cælo locum.

Continet eorum pleroma æonas triginta. De quibus vide Irenæum libro 1. c. 1. & lib. 2. cap. 6. & Tertullianum libro Aduersus Valentinianos,

tinianos, & Interpretum vtriusque Auctoris tabulas.

2. *Et non habentem de superioribus à matre sua semen affirmantes*, id est, negantes talem esse ex Achamoth [matre Valentinianorum] secundùm eiusdem Achamoth imaginationem, sed per conuersionem, ac proinde animalem illum esse, non spiritalem. Nam dicebant Valentiniani eos, qui essent ex Achamoth per eius passionẽ producti, esse choicos, materiales, terrenos prorsus: qui verò per eius conuersionem, esse psychicos, seu animales, quales nos Catholicos appellabant; qui verò per eius imaginationem, esse spiritales; quales ipsi se esse gloriabantur. Vide Irenæum lib. 1. cap. 1.

3. *Si autem aliquis, quasi paruum ouum, deditum semetipsum ipsis præbeat illorum imitationi* &c. id est, Si quis Catholicorum leuis & vanus instar oui paruuli & subuentanei, sese illis dedat, & ipsorum redemptionem assequatur, &c. Vocant autem illi redemptionem, quã nos regenerationem, siue baptismum. Vide Irenęum l. 1. c. 18. Rectè autem comparat B. Irenæus eos Catholicos, qui ad sectam Valentinianã deficiebant, paruis ouis & subuentaneis; è quibus, tanquã plus venti, quàm substantiæ habentibus, nullum gigni animal posset. Sũt enim planè ijs similes, inanes, tumidi, inflati, nec vnquam futuri viri boni, nec semen probum post se relicturi. Oua ista paruula, (de quibus credibile est Irenæum loqui) Aristoteli vocãtur ἀνεμιαῖα, ὑπηνέμια, ζεφύρια, αὐτόματα: Platoni ἀνεμίδια: Plinio, *irrita*, *subuentanea*, *hypenemia*, *zephyria*, quasi vento concepta, & ex sola Veneris imaginatione. Ac propterea non malè Valentiniani, qui ex Achamoth matris suæ imaginatione generantur, istis ouis ex imaginatione item matrum suarum productis comparantur. De istis ouis vide Plinium l. 10. c. 58. & 60. OVIS PARVIS ET SVBVENTANEIS QVINAM SIMILES?

4. *Cum institorio & supercilio incedit*. Vox nihili est *institorium*, & à nemine, quod sciam, explicata. Crediderim veterem interpretem, vt admodum latinæ linguæ rudem, ita reddidisse, quod græcè fuerat ἀκροβατικῶς. Est autem incessus ἀκροβατικὸς, cùm quis insistit extremis pedum digitis, vt celsior videatur, quod superbiæ est, & bene cum supercilio iungitur. Græci *ἀκροβάζειν & ἀκροβατεῖν, dicunt. Virgilius V. Æneidos eiusmodi expressit statum illo versu: INSTITORIVM QVID SIT? *Summis digitis incedere.

Constitit in digitos extemplò arrectus vterque.

Interpres igitur ab insisto, institi, institum nouauit verbum *institorium*, pro *elato incessu*. Et sanè nihil ferè magis ostendit extrinsecus hominis superbiam & elationem, quàm incessus & supercilium. Et pro hac mea coniectura faciunt duo adagia eandem sententiam proximè cingentia. Præcedit enim de eodem superciliofo & altigrado: *Inflatus est iste talis, neque in cælo, neque in terra putat se esse*: subsequitur autem de eodem, *gallinacei elationem habens*. Nota est porrò gallinacei in extremos vngues arrectio. Sed redeamus in viam. SVPERBIÆ EXTERNA INDICIA.

Alia B. Irenæi verba, ſuper eadem hęreticorum fraudulentia:

Lib 3.cap.19. *Vnde oportebit, & te, & omnes qui hoc ſcriptum legunt, & pro ſua ſalute ſolliciti ſunt, cum forinſecus eorum ſermones audierint, non ſponte ſuccumbere. Loquentes enim ſimilia fidelibus, (ſicut antè diximus) non ſolum diſſimilia ſapiunt, ſed & contraria, prorſúſque blaſphemijs plena, quibus interficiunt eos, qui per ſimilitudinem verborum, diſſimilis eorum affectionis in ſe attrahunt venenum. Sicut ſi quis gypſum aquâ miſtum dans pro lacte, homines per coloris ſeducat ſimilitudinem. Quo modo & quidam nobis præſtantior, de omnibus, qui quolibet modo diuina deprauant, & veritatem Dei adulterant, protulit: Lacte gypſum malè miſcetur.*

Sic Irenæus. Per *lac* igitur, intellige doctrinam Chriſtianam, puram, ſimplicem, apertam, boni & ſani nutrimenti: Per *gypſum* autem, hæreſim, impuram, multiplicem, obſcuram, veneno plenam. Eſt enim gypſum, materia calci ſimilis, & cùm ſit alba, facilè miſcetur lacte; & cùm ſit venenoſa, latenter interimit. Qui igitur Scripturæ ſacrę admiſcet ſenſus prauos & noxios, rectiſſimè dicitur *miſcere gypſum lacte*, hoc eſt, venenata ſalubribus, & colore tantùm ſimilia, non bonitate, venditare pro veris. Valet idem adagium in omnibus huiuſmodi fallacibus miſturis.

Idem B. Irenæus, libro 4. cap. 1. vocat hæreticos, *circumuentores, & peruerſiſſimos ſophiſtas.*

Hoc etiam habent hæretici proprium, vt relictis ſacræ Scripturę locis claris & apertis, quę contra ſe faciunt; alia quærant obſcura & ambigua, quibus ſuas opiniones prauas confirment. Sic Valentiniani ſuos errores ex Chriſti parabolis, quæ ambiguæ ſunt, & variè poſſunt applicari, conabantur ſtabilire. Contra quos agit B. Irenæus libro 2. cap. 46.

S. Irenæus lib.2. cap 46. *Cum,* inquit, *parabolæ multas poſſint recipere interpretationes, velle ex ipſis de inquiſitione Dei affirmare, derelinquendo quod certum, & indubitatum, & verum eſt, nonne id eſſe valde præcipitantium ſe in periculum, & irrationabilium, quiſque veritatem amans confitebitur? Hoc autem nonne eſt, non in petra firma, & valida, & in aperto poſita ædificare domum ſuam, ſed in incerto effuſæ arenæ, vnde & facilis huiuſmodi ædificationis ſit euerſio?* Sic ille.

Fugiendam porrò in Scripturis intelligendis nimiam curioſitatem, docet eodem libro 3. cap. 45. & 47. Sed eamus ad alias hæreticorum notas.

§. IV. DISCORDES INTER SESE.

Non ago hic de diſcordia liberarum, & Fidei nihil officientium opinionum, (talis enim & inter nos eſt) ſed de ea, quę homines in religione diſiungit, & ſectas ex vna plures facit. Quo modo è Va-

è Valentinianis alij Ptolemaitæ, alij Secundiani, alij Marcosiani euaserunt: & hi quidem non super rebus exiguis, sed super ipso Deo, & præcipuis ipsorum fidei punctis, inter sese digladiantes.

Verba Irenæi, lib. 1. cap. 5.

Videamus nunc & eorum inconstantem sententiam, & quomodo, cùm sint duo vel tres, de ijsdem non eadem dicant; sed & nominibus, & rebus, contraria respondeant. &c.

Et infrà: *Etenim de ipso Bytho variæ sunt sententiæ apud eos. Quidam enim sine coniugatione dicunt eum, neque masculum, neque feminam, neque omnino aliquid esse. Alij autem & masculum & feminam dicentes esse, hermaphroditi genesim ei donant. Sigen autem alij coniugem ei addunt, vt fiat prima coniugatio. Ptolemæus autem cum suis asseclis suo ipse magistro scientior, vltrà progressus, Bytho duas coniuges excogitauit, ac dedit Cogitationem & Voluntatem, quas etiam affectiones vocauit.* Hæc ibi.

Vbi NOTANDVM *Bython & Sigen*, id est, *Profundum & Silentium*, esse duos primos Deos Valentinianorum. Hæc omnia imitatus Tertullianus libro aduersus Valentinianos, cap. 33. sic scribit: *Extiterunt enim de schola ipsius, discipuli super magistrum: qui duplex coniugium Bytho suo affingerent, Cogitationem & Voluntatem. Vna enim satis non erat Cogitatio, quâ nihil producere potuisset, ex duabus facillimo prolatu.* Vide ibidem reliqua.

Verba Irenæi, lib. 1. cap. 7.

Multa autem pugna apud eos, etiam de Saluatore. Quidam enim eum ex omnibus Æonibus generatum dicunt: ideóque Beneplacitum vocari: quod scilicet vniuerso Pleromati placuerit, per eum glorificare Patrem. Alij autem ex solis decem æonibus. &c. Alij vero è duodecim æonibus, qui ex Homine & Ecclesia nati sunt, & propterea filium Hominis se confiteri, tanquam Hominis nepotem. Alij rursus è Christo & Spiritu Sancto, ad fulciendum Pleroma natum dicunt. &c.

Et hoc quoque caput, sed alijs repræsentauit verbis oppidò elegantibus idem Tertullianus, cap. vltimo ibidem:

De ipso iam Domino IESV, inquit, *quanta diuersitas scinditur! Hi ex omnium Æonum flosculis eum construunt: Illi ex solis decem constitisse contendunt, quos Sermo & Vita protulerunt: inde & in ipsum Sermonis & Vitæ concurrerunt flosculi: illi ex duodecim potius, ex Hominis & Ecclesiæ fetu, ideóque filium hominis auitè pronuntiatum: illi à Christo & Spiritu sancto, constabiliendæ Vniuersitati prouisis confictum, & iure paternæ appellationis heredem.* &c.

Alia Irenæi verba de Redemptione Valentinianorum, lib. 1. cap. 18.

Incerta & instabilis cum sit; non potest vno ac simplici sermone exponi: cum eorum vnusquisque pro libitu suo eam tradat. Quot enim sunt huius sententiæ Doctores, tot sunt & Redemptiones. Et quidem, quod

genus hoc Redemptionis à satana submissum sit ad negationem baptismi, quo in Christum regeneramur, & ad totius fidei destructionem; cõuenienti loco eos redarguentes referemus. Eam autem ijs, qui perfectam adepti sunt cognitiontm, necessariam esse dicunt, vt in eam, quæ est super omnia, Virtutem regenerentur. Aliter enim fieri non posse, vt cuiquam aditus ad Pleroma pateat: cùm hæc sit, quæ vsque ad intimum Bythi sinum eos deducat. Nam per Iesu quidem apparentis baptismum remitti peccata: sed per Christi in eum descendentis Redemptionem comparari perfectionem. Itaque illum esse animalem, hanc verò spiritualem.

Vide ibi plura de modo Redemptionis ipsorum, & cap. 18. vbi sic: *Et de Redemptione quidem ipsorum hæc sunt, quæ ad nos venerunt. Cùm enim discrepent ad inuicem, & doctrina, & traditione: & qui recentiores eorum agnoscuntur, affectent per singulos dies nouum aliquid adinuenire, & fructificare, quod nunquam quisquam excogitauit, durum est omnium describere sententias.*

Eodem lib. cap. 33.

Præter hos autem ex antè dictis Simonianis multitudo Gnosticorum Barbelo exsurrexit, & velut à terra fungi comparuerũt: quorum principales sententias enarramus. Quidam enim eorum Æonem quendam nunquam senescentem in virginali spiritu subijciunt, quem Barbelon nominant. &c.

Respexisse ad hunc locum videtur S. Epiphanius, hæresi 31. initio, cùm ita scripsit: *Gnosticorum decem diuersa genera sunt, quorum somnia coniugationum, & Ogdoadum, & æonum masculofeminarum, vnâ plagâ inuicem æqualiter profligata sunt. Neque in ijs confutandis temporum seruanda est series, sed ab vna secta ad aliam transeundum: quandoquidem hæ omnes vno tempore, fungorum instar, è terra pullularunt, ac velut noxia & fœtida herbarum germina, aut senticosum gramen, aut multorum scorpiorum lustrum, eadem omnes ætate in vitam emerserunt, atque (vt antè dixi) fungorum more, sub vnum contactum deformitate sua apparuerunt: quemadmodum & à sanctißimo Irenæo de illis iam olim dictum fuit. Contemporales enim hi omnes fuerunt.* &c. Sic Epiphanius.

Alia Irenæi verba, lib. 3. c. 12.

Imperfectus igitur secundùm hos Petrus: imperfecti autem & reliqui Apostoli: & oportebit eos reuiuiscentes horum fieri discipulos, vt & ipsi perfecti fiant. Sed & hoc quidem ridiculum. Arguuntur verò isti non quidem Apostolorum, sed suæ malæ sententiæ esse discipuli. Propter hoc & variæ sententiæ sunt vniuscuiusque eorum, errorem, quemadmodum fieri natum erat, variè recipientium. Hactenus de hæreticorum inter se dissensione B. Irenæus. Non est verò existimandum, hanc inter hæreticos dissensionem atque discordiam, & sententiarum, & animorum olim tantùm fuisse, nunc autem non esse; immo nunc

potiùs, quàm olim, & ipsos inter sese, & sibimet ipsos sæpenumero aduersari. Et sunt complures, qui eorum contrarias inter se opiniones collegerunt: sed accuratam exactámque illarum seriem vno potes aspectu in nostro Carolo Scribanio, viro doctissimo & acutissimo contueri. Is enim libro 2. Controuersorum orthodoxæ fidei, totum caput tertium hanc in collectionem, vt magni ad irreparabilem instabilis eorum ædificij subuersionem ponderis, perquàm vtiliter insumpsit. Sed alia videamus.

§. V. INOPES MIRACVLORVM.
§. VI. EXPERTES OPERVM.

Quòd hæc in producendis Irenæi locis coniuncta inueniam, propterea & iunctim pono.

Irenæus, lib. 2. cap. 56.

Arguentur præterea, inquit, *Simoniani & Carpocratiani, & si qui sint alij, qui virtutes dicuntur operari, non in Dei virtute, nec in veritate, nec in beneficij exhibitione ea facere, quæ faciunt; sed magicis illusionibus, ad hominum errorem atque perniciem, multo plus mali vniuersa sua fraude hominibus sibi credulis afferentes, quàm vtilitatis conferentes: quandoquidem eos seducant. Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque dæmonia effugare, nisi illa quæ ipsi immiserint, (si tamen & hoc faciant) neque debiles, aut claudos, aut paralyticos, aliáue corporis parte affectos curare, nec alias denique (vt sæpe occurrunt) seu ex corpore, seu extrinsecus infirmitates valetudine reddita propulsare. Tãtum absunt, vt excitare mortuum poßint. Quod & Dominus fecit, & Apostoli per precationem. Atque etiam inter fratres nostros, sæpenumero exigente neceßitate, totâ illius loci Ecclesia, cùm multo ieiunio & castitate, precationibus insistente, anima demortui in corpus redijt, & hominis vita sanctorum supplicationibus donata est.* RITVS PATRANDI VERA MIRACVLA. *Cùm igitur apud eos quidem error, & seductio, & magica phantasmata, vti ab hominibus videantur, impiè fiant: in Ecclesia autem miseratio, & misericordia, & fraternitas, & veritas in opitulando hominibus vigeat, ac non solùm gratis; & sine mercede; sed nobis ipsis pro salute hominum nostra erogantibus, ij qui curantur, crebrò accipiant quibus indigent: verè isti per hæc quoque arguentur, & à diuina natura, & à benignitate Dei, & à virtute spiritali prorsus extranei: sed omni dolo tam ab inspiratione apostatica, & operatione diabolica, & phantasmate idololatriæ omnino repleti, verè illius draconis præcursores; qui per huiusmodi phantasiam abscedere faciet in cauda tertiam partem stellarum, & deijciet eos in terram: quos similiter atque illum deuitare oportet: & quanto quidem maiora phantasmata operari dicuntur; tanto eos magis obseruare, tanquam qui maiorem nequitiæ spiritum perceperint. Quapropter etiam, si quis obseruauerit quotidianam eorum conuersa-*

uersationis rationem, inueniet vnam & eandem illis esse cum dæmoniis conuersationem.

Sic ille: qui eorundem proximè ac continenter coniungit impiam de malis operibus, quasi nihil ipsis nocere queant, sententiam his ferè verbis:

Hæc autem circa operationes impia ipsorum sententia, quæ dicit oportere eos in omnibus operibus, quamlibet malis, versari, ex Domini doctrina dissoluetur, apud quem non solum qui mœchatur, expellitur; sed Matt. 5. ver. 28. *& qui mœchari vult: & non solum, qui occidit. &c.*

Idem lib. 2. cap. 57.

Qui quidem Epicuri philosophiam & Cynicorum indifferentiam æmulantur, non Iesum magistrum, qui non solum à malis operibus auertit suos discipulos, sed etiam à sermonibus & cogitationibus, quemadmodum ostendimus. Dicentes autem se ex eadem circulatione cum Iesu habere animas, & similes illi esse, aliquando autem & meliores; ad opera producti, quæ ille ad vtilitatem hominum & firmitatem fecit, nihil tale, nec simile, nec secundum, quódue in comparationem venire possit, facere deprehenduntur. Sed si aliquid faciunt (quemadmodum per magiam eos operari diximus) fraudulenter seducere nituntur insensatos, fructum quidem & vtilitatem præstantes nullam, in quibus virtutes perficere se dicunt; sed producentes pueros inuestes, & oculos deludentes, & phantasmata ostendentes statim cessantia, & ne stillicidio quidem temporis perseuerantia, non Iesu Domino nostro, sed Simoni mago similes ostenduntur. Sic ibi. Vide etiam lib. 1. cap. 20.

Idem libro 5. cap. 8.

Immunda, inquit, *animalia, quæ duplicem vngulam habent, sed non ruminant; eos omnes designant hæreticos, qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus iustitiæ adornantur: quibus & Dominus ait:* Quid Matt. 7 ver. 21. mihi dicitis Domine, Domine; & non facitis, quæ dico vobis? *Qui enim sunt tales, in Patrem quidem & Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, vt oportet; neque iustitiæ operibus sunt adornati.*

Huc spectant illa Tertulliani aduersus Valentinianos, cap. 30. *Ideóque nec operationes necessarias sibi existimant, nec vlla disciplinæ munia obseruant, martyrum quoque eludentes necessitatem, qua volunt, interpretatione.*

De contemptu porrò martyrum scripserat antea & Irenæus lib. 3. cap. 20. his verbis:

Et cum hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, vt etiam Martyres spernant; & vituperent eos, qui propter Domini confessionem occiduntur, & sustinent omnia à Domino prædicta, & secundum hoc conantur vestigia sequi passionis Domini.

Vt autem prisci hæretici miracula, martyria, bona opera, vel parui,

ui,vel nihili æstimarunt: ita & qui nunc sunt hęretici,quia bonorum tantorum sunt expertes,flocci ea faciũt. Quibus quin pulcherrimum obijciam S.Cypriani pro bonis operibus locum, quamuis & illum fortè ipsis aspernabilem,tamẽ nequeo me in præsentia continere.Sic ergo sanctus ille martyr sermone de eleemosyna extremo:

Praclara,inquit,& diuina res,salutaris operatio, solatium grande credentium,securitatis nostra salutare prasidium, munimentum spei, tutela fidei,medela peccati,& res posita in potestate facientis: res grandis & facilis: sine periculo persecutionis,corona pacis; verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium,fortibus gloriosum: quo Christianus adiutus prase effert gratiam spiritualem,promeretur Christum Iudicem,Deum computat debitorem. Ita ille.

De hęreticorum porrò miraculis ita Tertullianus libro de præscriptionibus,cap.30. *Volo igitur & virtutes eorum proferre:nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum,qua Apostolos in peruersum amulantur.Illi enim DE MORTVIS VIVOS FACIEBANT: Isti DE VIVIS MORTVOS FACIVNT.* Ita ille.

Hactenus de hęreticis: iam ad schismaticos.

CAPVT XXXI.

Schismatici quales:

PRoximum hæresi malum est schisma: & viam hæreticis præmunientes schismatici horrendo se flagitio inquinant,de quibus schismaticis ita Irenęus libro 4.cap.72.

Verba Irenæi:

Iudicabit autem & eos,qui schismata operantur,qui sunt immanes,non habentes Dei dilectionem, suamque vtilitatem potius considerantes, quàm vnitatem Ecclesia,& propter modicas & quaslibet caussas magnum & gloriosum Corpus Christi conscindunt, & diuidunt,& quãtum in ipsis est,interficiunt,pacem loquentes,& bellum operantes, verè liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio,quanta est schismatis pernicies.

SCHISMATICI SVNT IMMANES.

ECCLESIA MAGNVM ET GLORIOSVM CHRISTI CORPVS APPELLATVR.

Ita beatus Irenęus, qui, vt rectè intellexit, quantam afferret Ecclesiæ perniciem diuisio; ita semper summo studuit opere, vel eam prępedire exorientem, vt in eius vita diximus; vel certè pro virili sua exterminare exortam. Nam sanè discindere & diuidere Ecclesiam,est immane,horrendum,& propè inexpiabile flagitium. *Macula ista*,inquit Cyprianus,libro De vnitate Ecclesiæ,cap.8. *nec sanguine abluitur.Inexpiabilis & grauis culpa discordia nec passione purgatur.Esse martyr non potest,qui in ecclesia non est: ad regnum peruenire non poterit,qui eam,qua regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes atque vnanimes esse pracepit: dilectionis &* carita-

SCHISMA EST MACVLA INELVIBILIS.

caritatis fœdera incorrupta atque inuiolata seruari mandauit. Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam nō tenuit caritatem. Et infrà.

Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.

Cypriano Afro alterum Afrum iungemus Optatum Mileuitanum, qui eximiè atque succinctè de ecclesia Catholica, de schismate, déque hæresi, hęc complectitur:

Optatus Mileuitanus lib. 1.

Catholicam, inquit, *Ecclesiam facit simplex & verus intellectus, & vnitas animorum. Schisma verò sparso coagulo pacis, dissipatis sensibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur: vt deserta matre Catholica, impij filij dum foras excurrunt, & se separant, (vt vos fecistis,) à radice matris Ecclesiæ inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt: nec possunt nouum aliquid aut aliud agere, nisi quod iam dudum apud suam didicerunt matrem.*

HÆRETICI QVALES?

Hæretici verò, veritatis exsules, sani & verissimi symboli desertores, de sinu ecclesiæ sanctæ impijs sensibus deprauati, contempto quod bene fuerant geniti, vt rudes & ignorantes deciperent, de se nasci voluerunt: & qui iam dudum vitalibus pasti fuerant cibis, corruptelâ malæ digestionis, in perniciem miserorum, disputationibus impijs venena mortifera vomuerunt. Sic Optatus.

Augustinum item Afrum, & Africæ quidem primum lumen istis antiquioribus iungo, qui scribens contra Donatistas, mirè schismatis expendit grauitatem.

Lib. 2. c. 6.

An vt dicere cœperam, inquit, *grauiora sunt crimina traditorum, quàm schismaticorum? Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis; & in illa quid sit grauius, appendamus: immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber irâ Regis contemptoris incensus, & schisma tentatum; idololatria gladio punita est; exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate; schisma hiatu terræ, sepultis auctoribus viuis, & ceteris cælesti igne consumptis. Quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatum? A talibus sacrilegis venientes sine baptismo, vt dicitis, si Cyprianum non contaminabant; quomodo vos contaminare poterant, non conuicti, sed conficti traditores? Qui si non libros incendendos tradidissent, sed eos ipsi manibus suis incendissent; minoris vtique fuissent sceleris, quàm si schisma committerent,*

rent, quia illud mitiùs, illud grauiùs vindicatum est, non humano arbitrio, sed diuino iudicio.

Ibi ergo tenet D. Augustinus, & idololatriam, & sacrorum librorum adustionem, minora esse flagitia quàm schisma. Et libro 6. contra eosdem Donatistas, verba vsurpans S. Cypriani in controuersia de baptismo ab hæreticis collato, qui diuersa sentientes tolerare malebat, quàm excommunicando schisma facere, post illa Cypriani: *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes*, ita subdit: *Ecce, quantum valeat in bonis ecclesiæ filijs amor vnitatis & pacis, vt quos dicebant sacrilegos & profanos, sine baptismo (vt arbitrabantur) admissos, si eos quantum putabant, corrigere non valerent; eligerent potius tolerare, quàm propter eos sanctum illud vinculum rumpere: ne propter zizania eradicaretur simul & triticum, permittentes, quantum in ipsis erat, sicut in illo nobilissimo iudicio Salomonis, infantile corpus à falsa matre nutriri potius, quàm concidi.*

De hæreticis ac schismaticis, ad eorum cognoscenda & declinannanda exitia, satis hactenus dictum videri potest: quia tamen egregiarum beatissimi Irenæi similitudinum quandam statui facere vindemiam, in qua & ipsi haud raró ab eodem sancto Patre comprehenduntur, magis necessitas deinceps erit de illis mentionem faciendi, quàm voluntas. Nihil enim, quàm similitudines, hic colligo: illæ autem ad eius commendationem ingenij spectant.

CAPVT XXXII.

Similitudinum B. Irenæi vindemiatio.

PRæclarum quodque ingenium vber est Similibus: sed nec tam multa effundit, quàm potest; & vbi fundit; iuuat, prodéstque profusio. Talis Ireneo, & mens, & voluntas, & successus fuit. Dabo selecta eiusmodi Similia, pro aceruí quidem numero pauca, sed pro instituto nostro sufficientia: & quia græcè illa dixit, interpres autem vertit rusticè, ego sensu Irenæi vtar, sed stilo interpretis nonnihil emendato.

I. SIMILITVDO.

Quòd hæretici, apparente in illecebrosis dictis specie veritatis, alios in errorem inducant.

VERBA IRENÆI:

Quemadmodum nonnunquam vitrum aliquod tam artificiosè & callidè in smaragdi formam contingit adaptari; vt quamuis naturâ suâ longè sit vilius, tamen pro verô smaragdo, & ingentis precij lapide, (quamdiu quidem est nemo, qui artis suæ industria versutiam detegat) apud nonnullos habeatur: ita error, qui in sese apparere nudus, (ne fraus In præfatione ad lib. 1.

fraus detegatur) reformidat; postquam illecebroso suadelæ amictu circumductus est, adeo per externam speciem capit imperitos, vt ipsâ verior veritate videatur. Nam quotusquisque est, qui æs argento mistum, facilè ac sincerè explorare valeat?

Hæc è præfatione libri primi aduersus hęreses.

E quibus illud S. Hieronymi ep. 8. ad Demetriadem dilucidatur: *Tanti vitrum, vt dicitur, quanti margaritum?* Non enim quodcumque vitrum margarito comparatur; sed vitrum in margariti formam elaboratum cum vero margarito: & per hoc res fictitia & ementita cum vera & sincera. Allegoricè autem in illo Hieronymi loco per vitrum intelliguntur virgines deformes & debiles: per margaritum virgines nobiles & diuites, & egregia forma, claræque virtutibus. Sed ante Hieronymum vsurpauerat Tertullianus libro ad martyres, cap. 4. hac forma: *Tanti vitreum: quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?* Vbi posterius membrum explicatio est prioris. Nam per verum margaritum intelligitur vera & æterna gloria, pro qua Christi martyres vitam & sanguinem erogabant: per vitreum autem, terrena, & fragilis, veréque vitrea mundi gloria, pro qua mundani nihil non patiuntur.

II. SIMILITVDO.

Quòd hæretici errores suos fictitio ornatu obtegant.

VERBA IRENÆI:

Lib. 1 cap. 1. *Eiusmodi cùm sit eorum argumentum, quod nec Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, ipsi interim, ea quæ in Scripturis non sunt lectitantes, & quod dici solet, FVNEM EX ARENA NECTERE laborantes, plus ceteris se scire gloriantur. Nempe inuentis suis quædam appositè ad faciendam fidem adaptare conantur, seu Dominicas parabolas, seu voces Propheticas, seu verba Apostolica, vt ne sine teste commentum suum esse videatur: cum interea & ordinem, & contextum Scripturarum transiliant, & veritatis, (quantum in se est) membra dissoluant. Transferentes igitur, & transmutantes, & aliud ex alio confingentes, istâ dominicorum eloquiorum figmentis suis aptatorum malè consarcinatâ sapientiâ multos in fraudem pellexerunt. Ad eum scilicet modum, quo quis pulchram Regis imaginem ex gemmis preciosis à perito artifice eleganter elaboratam, subtractâ hominis figurâ, & translato gemmarum ornatu, in canis aut vulpeculæ formam, & satis quidem ineptè transfiguraret, ac deinde seriò affirmaret, hanc ipsam esse pulchram illam Regis imaginem, quam peritus ille artifex designasset, atque ad id persuadendum ostenderet gemmas illas, quæ à priore quidem artifice ad Regis imaginem egregiè adaptatæ fuerant, sed nunc à posteriore ad canis formam prauè essent translatæ; atque eo pacto imperitos homines, & rega-*

& regalis formæ ignaros ista gemmarum specie deludens, fidem ijs faceret, putidum hoc vulpeculæ simulacrum esse illam Regis egregiam effigiem: sic isti, aniles quasdam consuentes fabulas, ac deinde auulsas hinc inde voces, & verba, & parabolas illis assuentes, Dei eloquia suis congruere fabulis volunt. Ita ibi.

Aliam huic simillimam similitudinem, nec elegantia, nec virtute inferiorem Notationibus inclusi. Vide illam cap. 1. vbi iniectum in Valentinianos centonem Homericum ostendimus: sub quo Catholicis fuere ludibrio.

III. SIMILITVDO.

Quòd hæretici, quo plùs se sapere credunt, eo plùs desipiant.

VERBA IRENÆI:

Quemadmodum ij, qui in phrenesim inciderunt, quanto plus rident, *Lib. 1. cap. 13.*
& se valere magis existimant, ac tanquam valentes, omnia faciunt, immo & quædam supra valentes; tanto ÿdem deterius habent: ita & hi quo magis sapere præ alÿs sibi videntur, & quo plus neruos intendunt, extra modum iaculantes; eo magis desipiunt. Egressus enim immundus insipientiæ spiritus; ac postmodum eos non Deo, sed mundanis intentos quæstionibus reperiens, assumptis secum alijs septem nequioribus se, *Lucæ 11. ver. 26.*
inflato illorum animo, quasi supra Deum excogitare aliquid possent, atque ad idoneorum exclusionem præstructo, prauorum amentiæ spirituum ogdoadem in eos immisit.

Alludit ibi Irenæus ad Ogdoadē Valentinianorum, & quos illi velut octò Deos faciebant, ipse pro totidē spiritibus nequitiæ & insipiētiæ (malo enim græcè *ἀνοίας* legi quàm *ἀγνοίας*, *insipientiæ*, inquā, potiùs quā *ignorantiæ*, vti & Frōto noster vir linguę grçcæ scientissimus legit) ipse, inquā, pro totidem spiritibus amentiæ eos habet. Quòd autē *ἀνοίας insipientiæ* seu *amentiæ* nomē magis placeat, quàm *ἀγνοίας*, *ignorantiæ*, ipsa tota similitudo, quę est de phrenesi, persuadet.

Nota hic, quòd dixi *ad idoneorum exclusionem præstructo*, ex ea verborum græcorum lectione, quam puto legitimam, esse deductum. Sic enim græcè: Καὶ εἰς τὴν ἐπιτηδείων ἀπέγκλεισιν κατασκευάσαν. Ad quod proximè accedit vetus Interpres, si modò is qui irrepsit error eximatur. Habet enim: *et aptabiliter in exclusionem*, pro quo reponendum censeo, *et aptabilium interclusionem*. hoc est, idoneorum seu vtilium exclusionem. Dicit enim Irenæus spiritum amentiæ infatuasse animum Valentinianorum ad exquirendum alium Deum suprà creatorem, & ad excludendas aptas & conuenientes de vero Deo cogitationes. Quare & Billij versio apud Feuardentium erit corrigenda, qui Billius pura defectus lectione vertebat *animo aptè ad suscipiendam fraudem comparato*. Voce autem *aptabilis* sæpe vtitur Irenæi vetus Interpres. Vide lib. 2. cap. 18. & 20. & lib. 5. cap. 29. & alibi passim.

IV. SIMILITVDO.

Quòd hæretici ſint cani AEſopi ſimiles, Libro 2. cap. 12.

VERBA IRENÆI:

Sic igitur veritati non credentes, ſed in mendacio volutantes perdiderunt panem vitæ veræ, in vacuum & in profundum vmbræ incidentes, & cani Æſopi ſimiles, qui panem quidem reliquit, in vmbram autem eius impetum fecit, & eſcam perdidit. Ita Irenæus. Quàm bene porrò iſta! quę haud ſcio an non longè meliùs in Caluiniſtas hodiernos, quàm in priſcos illos quadrent hæreticos. Quid eſt enim aliud negare in ſacroſancta Euchariſtia Corporis Chriſti veritatem, & pro eo ſignum dumtaxat & ſimilitudinem aſſerere, quàm dimiſſâ vitę eſcâ, inanem eius vmbram conſectari?

V. SIMILITVDO.

Refutans Irenæus Valentinianorum & Gnoſticorum in diuinis emiſſiones (ſic illi appellitabant quas nos productiones in diuinis appellamus) quarum alias maiorum, alias minorum veluti Deorum faciebant, à quibus etiam nonnulla ex paſsione & ignoratione producta cenſebant, tali aduerſus eos vtitur ſimilitudine:

Lib. 2. cap. 18. *Quemadmodum ſi quiſpiam circulos, vel figuras in aqua rotundas, quadratáſue faciat; hæc omnia ſimiliter aliquid de aqua participabunt: & ſi quis in aëre nonnulla quoque eiuſmodi deſignet, participabunt itidem de aere; & ſi in lumine, ſimiliter de lumine: ſic omnes, qui intra Patrem ſunt, de Patre ſimiliter participabunt nullo* Ignorantiæ *relicto loco. Si enim participatio eſt Patris adimplentis; vbi adimpleuit, ibi* Ignorantia *non erit. Diſſoluetur itaque ipſorum deminorationis operatio, & materiæ emiſsio, & reliqua mundi fabricatio, quæ ex* Paſſione *&* Ignorantia *ſuam accepiſſe volunt ſubſtantiam.*

VI. SIMILITVDO.

Quòd hæretici principiò quædam vera, poſtmodò falſa inducant.

VERBA IRENÆI:

Lib. 2. cap. 19. *Sicut, qui certa animalia proiectis aucupantur illecebris; primò quidem per aſſueta pabula ſenſim eis blandiuntur, donec prehenderint: at vbi prehenſa in poteſtate habuerint; tum verò & vincula captiuis injciunt acerbiſsima, & vi abſtrahentes, quocumque voluerint, ducunt: ſic iſti primò manſueti & faciles, paullatim ſuis verborum lenocinijs ad vnam emiſsionem admittendam, quæ aliquid præ alijs habeat probabilitatis, homines pelliciunt: poſt verò nec congruentia inferunt, & reliquarum emiſsionum necopinatas ſpecies introducunt, ex* Sermone *&* Vita *decem Æonas emiſsos, ex* Homine *autem &* Eccleſia *duodecim. De quibus cum nec demonſtrationem, nec teſtimonia, nec veri ſimilitu-*

ſimilitudinem, nec vllum prorſus aliud probandi inſtrumentum habeãt; tamen temerè & abſque inquiſitione credi volunt, ex Sermone & Vita *Æonibus emiſſos eſſe* Bythium & Mixin, Ageraton & Henoſin, Autophyea & Hedonen, Acineton & Syncraſin, Monogenem & Macariam. *Ex* Homine *ſimiliter &* Eccleſia *Æonibus emiſſum eſſe* Paracletum & Piſtin, Patricon & Elpida, Metricon & Agapen, Ænon *et* Syneſin, Eccleſiaſticum *et* Macarioteta, Teleton *et* Sophiam.

Ex his corrige multa in veteri interpretatione errata.

Corrigenda in vetere & vſitata S. Irenæi editione latinâ.

1. Iſta: *Quemadmodum qui aſſuetas eſcas, et vt illiciant præmittunt.* corrige ſic: *et illecebras præmittunt.* Aut quod vicinius textui, *et quæ illiciant, præmittunt.*

2. *Diſſuadentes per pithanologiam aſſumere prædictam emiſsionem.* Corrige, *Perſuadentes.*

3. *Ex Logo et Zoë dicentes Æonas emiſſos: de Antropo autem et Eccleſia duodecim.* Corrige: *Ex Logo et Zoë decem Æonas.* &c. Totidem enim poſtea recenſentur: & conuenit cum eo, quod poſtea in alia emiſſione ſequitur, *duodecim.*

4. *Emiſsum eſſe Bythum.* corrige *Bythium.* Differunt enim *Bythus* & *Bythius.* Nam *Bythus* eſt ipſorum primum principium, quod nec generari, nec emitti poteſt. Sed *Bythius* & *Mixis*, aliíque octo Æones, ex *Logo* & *Zoë*, hoc eſt, ex *Sermone* & *Vita* emittuntur, ſeu generantur.

5. Iſta, *inſeneſcibilem et vnitionem naturalem, et delectamentum, immobilem et contemperamentum et Monogenem et Macariam.* maiuſculis litteris ſcribenda (ſunt enim nomina Æonum) & meliùs diſtinguenda ſunt. Nempe ſic: *Inſeneſcibilem*, & *Vnitionem*; *Naturalem*, & *Delectamentum*; *Immobilem*, & *Contemperamentum*, *Monogenen*, & *Macariam.*

Verùm meliùs feciſſet vetus interpres, ſi vel vbique græca retinuiſſet nomina, vel certè vbique (& aliquanto meliùs) mutaſſet in latina. Et cùm ſint quinque Æonum paria, velut totidem coniugum, proptereáque prima ſemper ſint maſculini generis, ſecunda feminini, debuit hoc quoque Interpres in verſione ſua obſeruare, non autem vti neutris interdum nominibus. Nam pro *delectamentum* poterat ponere *Voluptatem*, cùm gręcè ſit Ἡδονή. pro *Temperamentum* item, *Temperaturam*, vel, *Commiſtionem*, cùm gręcè ſit Σύγκρασις.

Sed ecce claritatis gratiâ totam ſeriem huius emiſſionis, ſiue productionis decem Æonum ex *Sermone* & *Vita*, vtriuſque linguæ vocabulis hîc ſubijciam:

Series emiſſionis decem Æonum.

Ἐκ ΛΟΓΟΥ καὶ ΖΩΗΣ. *E Sermone & Vita.*	Βύθιος καὶ Μίξις. *Profundus* & *Mixtura.*
	Ἀγήρατος καὶ Ἕνωσις. *Senio non obnoxius* & *Vnio.*
	Αὐτοφυὴς καὶ Ἡδονή. *Natus ex ſe* & *Voluptas.*
	Ἀκίνητος καὶ Σύγκρασις. *Immobilis* & *Temperatura.*
	Μονογενὴς καὶ Μακαρία. *Vnigenitus* & *Beata.*

Hæc eſt decas Æonum: prẹter quam eſt & vna Ogdoas Æonum & vna duodecas: ita vt vniuerſim ſint triginta Æones. Qui omnes ſimul conficiunt Pleroma. Vide tabulam integram in Irenæo Feuardentij, pagina 8. & 9. ſecundẹ editionis.

Sed redeamus ad Similitudines.

VII. SIMILITVDO.

Ad hæreſeos demonſtrationem ſufficit alicuius articuli falſitas.

VERBA IRENÆI:

Lib. 2. cap. 34. & 35. *Et de eo quidem, quòd regula ipſorum infirma ſit, & inſtabilis, immo & vana; ſufficiant ea, quæ dicta ſunt. Nec enim oportet, quod dici ſolet, vniuerſum ebibere mare, eum qui velit diſcere, an aqua eius ſalſa ſit. Sed quemadmodum, ſi ſtatua quæpiam è luto facta, propter additum ſuperficie tenus auri colorem, putetur eſſe aurea, cùm verè ſit lutea; quicumque detractam ex ea particulam qualemcumque oſtenderit eſſe lutum; is eos, qui veritatem quærunt, falſa opinione liberauerit: ita nos, qui non modicam partem, ſed præcipua doctrinæ eorum capita reſoluimus; ſatis omnibus, (quotquot ſeduci ſcientes nolunt) Valentinianorum, & ſimilium hæreticorum nequitiam, & dolos, & fallaciam, & perniciem, manifeſtatâ illorum futili ac diſſolubili doctrinâ oſtendimus.* Ita Irenæus.

Simile quiddam olim ab Athenagora eleganter dictum & priùs quidem, quàm ab Irenæo: *Hæc quidē,* inquit, *parua è magnis, & pauca è multis, vt ne vobis moleſti ſimus, ſi pluribus. Nam & mel, & vinum qui explorant, ex parte totius exigua, de toto, an bonum ſit, iudicant.* Quę grecè ſi quis malit, ita habent: Ταῦτα μὲν οὖν μικρὰ ἀπὸ μεγάλων, καὶ ὀλίγα ἀπὸ πολλῶν· ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον ὑμῖν ἐνοχλοίημεν. Καὶ γὰρ τὸ μέλι καὶ τὸν οἶνον δοκιμάζοντες, μικρῷ μέρει τοῦ παντὸς τὸ πᾶν, εἰ καλὸν, δοκιμάζουσιν.

Sic ille in Legatione pro Chriſtianis, ante medium.

VIII. SIMILITVDO.

Quòd omnia creata, licet inter ſe diuerſa, non tamen à pluribus, ſed ab vnico, eodémque Deo creata ſint.

VERBA IRENÆI.

Lib. 2. cap. 43. *Omnia ex vno & eodem Deo ſunt, quamuis varia & multa ſint, quæ*

quæ facta sunt. Est enim quidem vnumquodque ab altero diuersum, atque distinctum, immo & contraria inter sese nonnulla; sed ita tamen, vt rectè inuicem aptentur, benéque consonent: eo scilicet modo, quo citharæ sonus, qui cùm ex multis, iisque contrarijs constet sonis, per vnius tamen cuiusque soni ab altero discrimen, consonantem vnam efficit melodiam. Quare debet veri amator, non cuiusque soni distantiâ sinere se transuersum agi, neque existimare alium huius, & alium istius esse auctorem; neque alium, qui acutiores, alium, qui grauiores, alium, qui medios edat sonos; sed vnum, eundémque, vt in cithara, sic in mundo cuncta ad perfectam vnius operis demonstrationem, suis & sapientiæ, & iustitiæ, & bonitatis adaptare numeris. Horum est porrò qui melodiam audiunt, eius laudare & glorificare artificem, & in alijs quidem suspicere contentionem, in alijs laxamentum demirari, in alijs temperamentum, in alijs typum attendere, & quò vnumquodque referatur, considerare, caussámque perscrutari; sed eâ cautione. vt neque regula transuertatur, neque ab artifice deerretur, neque fides in vnum Deum, qui cuncta molitus est, abijciatur; neque Conditor noster contumeliâ afficiatur.

IX. SIMILITVDO.

Quòd anima vires in corpore non amittat, licet in actionibus retardetur.

VERBA IRENÆI:

Non est corpus animâ fortius, à qua spiritum, & vitam, & augmentum, & compositionem membrorum accipit; sed illa præest, dominatúrque corpori. Et quamuis ipsa, dum motionem suam cum illo communicat, nonnihil eius retardetur, ac quodammodo infringatur velocitas; scientiam tamen suam & cognitionem non amittit. Nam corpus quidem instrumenti, anima verò artificis instar & rationem habet. Quemadmodum igitur artifex, tametsi in operationis suæ inuentis celer admodum & velox sit; propter instrumenti tamen ex sese immobilitatem, in agendo est tardior, & mentis eius celeritas coniuncta cum organi tarditate, opus efficit temperatum: sic anima, dum velocitatem suam corporeæ admouet tarditati, impeditur quidem in cursu suo aliquantulum; at non penitus amittit vires: sicut & vitam tribuens corpori, non orbatur vitâ; sicque de ceteris: ita nec scientiâ, nec inspectorum memoriâ, ob corporis coniunctionem spoliatur.

Lib.2.cap.61.

CORPVS EST INSTAR INSTRVMENTI: ANIMA VERO INSTAR ARTIFICIS.

Hæc Irenæus contra Platonicos, qui corpus humanum esse animabus instar poculi obliuionis dictitabant.

X. SIMILITVDO.

Contra negantes Christum verè passum: & quòd vera passio valde commendet Redemptionis nostræ beneficium.

VERBA IRENÆI periphrasticè reddita.

Lib 3 cap 20.

PASSIONIS DOMINI SALVATORIS VERA ÆSTIMATIO.

Si iudicium quasi de duobus generis humani Redemptoribus faciendum esset; altero quidem nihil pro illis, quos redimeret, re vera patiente, licet à quibusdam fortè pati putaretur; altero autem non opinione tantùm, sed re ipsa verè patiente; ecquis dubitaret, quin is, qui vulnera, qui plagas, qui omnia in se exprompta tormenta verè & promptè pateretur, & immemor insuper admissi contra se flagitij, bene ipsis inimicis faceret; quis, inquam, dubitaret, quin is longe illi præferretur, qui nullam passus iniuriam, nullo violatus opprobrio, liber expérsque mali auolaret? In eos hoc incurrit, qui Christum dicunt opinione tenus esse passum. Nam si verè non est passus, quæ illi debetur gtatia nihil passo? &c. Sic Irenæus. Vide ibidem plura & pulchra.

XI. SIMILITVDO.

Cur Ierusalem ciuitas Dei derelicta sit?

VERBA IRENÆI.

Lib.4 cap 7.

Audent præterea, & de Ierusalem, & de Domino dicere: Si esset magni Regis ciuitas, non derelinqueretur. *Simile autem hoc est, ac si quis diceret: si stipula, Dei opus esset, nunquam à frumento derelinqueretur: & sarmenta vineæ, si à Deo essent, nunquam à botris destituta abscinderentur. Nam sicut hæc non propter se principaliter facta sunt; sed propter crescentem in eis fructum, quo maturo iam & decerpto, derelinquuntur, & è medio auferuntur, vt fructificationi deinceps inutilia: sic & Hierosolyma, quæ seruitutis iugo premebatur, (quo domitus est homo, qui olim, dum mors regnaret, non subijciebatur Deo, postea verò subiectus ac domitus ad libertatem habilis factus est) aduemente iam fructu libertatis, auctóque, & demesso, & in horreum recepto, deportatisque ex ea his, qui fructificare possent, & in omni mundo disseminatis (quemadmodum ait Isaias:* Filij Iacob germinabunt, & florebit Israël, & fructu ventris eius adimplebitur vniuersa terra.) *meritò derelicta est, & de medio ablata, quæ aliquando quidem bene fructificauerat (ex ipsa enim secundùm carnem Christus fructificatus est, & Apostoli) sed nunc fructificationi est inutilis. Quæcumque enim temporale initium habent, necesse est ea & finem habere temporalem.* Ita Irenæus. Interpretabere porrò vltimam sententiam potissimùm de rebus manu factis, sicut de vrbibus, ædificijs, &c. siquidem ex occasione destructionis Ierusalem ea prolata est. Alioqui nullum accipient finem, nec Angeli, nec animæ, licet acceperint initium.

Isaia 27. vers 6.

XII. SI-

XII. SIMILITVDO.

Propter diuersa testamenta, quorum altero alterum sit perfectius, non esse diuersos Deos: neque hoc esse in Religione proficere, alium suprà alium Deum inuenire: sed in gratia crescere.

VERBA IRENÆI:

Plus & minus non in his dicuntur, quæ inter se communionem non habent, & contrariæ sunt naturæ, pugnántque inter se; sed in his, quæ eiusdem sunt naturæ, & inuicem communicant, nec nisi altitudine & magnitudine differunt, vt aqua ab aqua, lumen à lumine, gratia à gratia. Maior est igitur legislatio, quæ in libertatem, quàm quæ data est in seruitutem; ideòque non in gentem vnam, sed in totum mundum diffusa est. Vnus autem & idem Dominus, qui plusquam templum est: *& qui plus hominibus, quàm Salomon, & quàm Ionas largitur; suam scilicet præsentiam, & resurrectionem à mortuis, non tamen demutans Deum, nec Patrem alium prædicans; sed vnum, eundémque, qui semper possit, & plura impertiri domesticis, & proficiente eorum erga Deum dilectione, plura & maiora dilargiri. Quemadmodum & Dominus discipulis dicebat:* Quoniam & his maiora videbitis. Et infrà:

Lib. 4. cap. 22.
Matt. 12. ver. 6.
Ioannis 1. ver. 51.

Vna enim salus, & vnus Deus formator hominis; licet præcepta multa, nec gradus pauci, qui ad Deum ducunt hominem. Terreno enim ac temporali Regi, cum sit homo, licet aliquoties maiora incrementa attribuere his, qui ei sunt subiecti: Deo autem non licebit, cùm idem semper sit, maiorem humano generi præstare gratiam, & pluribus assiduè muneribus eos honorare, qui ei placent? Nam si hoc sit proficere, alterum adinuenire Patrem, præter eum, qui ab initio annuntiatus est; & rursus præter eum, qui secundò inuentus esse creditur, alterum tertium adinuenire; sic erit profectus & à tertio ad quartum, & à quarto ad quintum, & ab hoc ad alterum, & ita de ceteris in infinitum. Putans enim talis semper se proficere, in nullo vnquam consistet Deo.

DEI LIBERALITAS.

*Nam ab eo, qui re vera est, cùm depulsus sit, ac retrorsum conuersus; quæret quidem semper, sed Deum inueniet nunquam, perpetuóque in incomprehensibilitatis natabit profundo, nisi conuersus per pœnitentiam, eò, vnde deiectus fuerat, reuertatur, atque vnum Deum Patrem *Demiurgum confiteatur, & credat. &c.* Ita Irenæus,

* Conditorem.

De progressu autem in infinitum, vbi ab vnico Deo disceditur, rectè Prudentius in Hamartigenia contra Marcionitas hæc scribit:

Prudentius in Hamartigenia.

Si duo sunt igitur, cur non sunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello est?
An non in populos dispersa examina Diuùm
Fundere erat melius? mundúmque implere capacem
Semideis passim, nullo discrimine, monstris?

XIII.

XIII.

Quòd nomen Domini Iesu possit aliquo modo dici nomen Patris.

VERBA IRENÆI:

Lib. 4. cap. 33.

Quemadmodum si Rex aliquis filij sui pingat imaginem, iustè illam appellat suam imaginem, tam quòd filij eius sit, quàm quòd eam ipse fecerit: sic & Iesu Christi nomen, quod per vniuersum mundum glorificatur in Ecclesia, suum esse confitetur Pater: tùm quòd filij sui sit, tum quòd illud à se expressum ad salutem dederit hominum. Quandoquidem igitur nomen filij proprium Patris sit, & Deo omnipotenti per Iesum Christum offerat Ecclesia; bene duabus hisce de caussis ait: Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. *Incensa autem Ioannes in Apocalypsi orationes esse ait Sanctorum.* Ita ibi.

Malachia 1. ver. 11.

Verba autem S. Ioannis sunt hæc: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.*

Apocal. 5. ver. 9.

XIV.

De Fidelium illuminatione, & Infidelium excæcatione.

VERBA IRENÆI:

Lib. 4. cap. 48.

Vnus & idem Deus incredulis & sui contemptoribus infert cæcitatem; haud secus ac sol ipse ijs, qui ob oculorum infirmitatem ad eius contemplandam lucem nō sunt idonei: credentibus autem, eúmque sectantibus, maiorem ac pleniorem mentis exhibet illustrationem iuxta illud Apostoli, in 2. ad Corinthios. Quòd si etiam opertum est euangelium nostrum, in ijs qui pereunt, opertum est: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. *Et rursus in epistola ad Romanos:* Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea, quæ non conueniunt.

2. ad Cor. 4. ver. 4.

Ad Rom. c. 1. ver. 28.

XV.

Immeritò reprehendi Israëlitas, quòd Ægyptios exspoliarint, & tabernaculum è spolijs construxerint.

VERBA IRENÆI:

Lib. 4. cap. 49.

Vnde enim domus, in quibus habitamus; & vestimenta, quibus induimur; & vasa, quibus vtimur; & reliqua omnis ad quotidianam vitam nostram subministratio; nisi ex his, quæ, cùm Ethnici essemus, de auaritia acquisiuimus, vel ab Ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis de iniustitia acquirentibus percepimus? vt non dicam, quæ & nunc post susceptam fidem acquirimus. Quis enim vendit, & lucrum ab emptore non exspectat? Quis emit, & vtilitatem à venditore non quærit? Et quis omnino negotiatur, nisi vt inde alatur? Quid autem, & qui

Christiani in aula Imperatorum, tempore S. Irenæi.

qui in aula regali sunt fideles? nonne ex ijs, quæ Cæsaris sunt, habent vtensilia, & his qui non habent, quoad possunt, ea præstāt? Ægyptij enim debitores erant non rerum modo, sed & vitæ suæ, propter Patriarchæ Ioseph auitam benignitatem: nobis autem qua de caussa debitores sunt Ethnici? à quibus & lucra & commoda percipimus. Nam quæcumque illi cum labore cōparant, ijs nos iam fideles sine labore vtimur. Et infrà.

Quid igitur iniustè gestum est, si de multis pauca sumpserunt? & qui potuerunt multas habere suas copias, si illis non seruissent, & diuites abire; tenuißimam pro magna seruitute mercedem assecuti, inopes abierunt? Perinde igitur res hic se habet, ac si liber quispiam & ingenuus per vim ab aliquo in seruitutem abductus, postquam annos ei complures seruierit, rémque eius familiarem auxerit, postea ob aliquod inde sumptum adminiculum, existimetur pauca illa, quæ habet, ex alienis rebus habere; cum re vera ex multis laboribus suis, & magna acquisitione, paucis acceptis abscedat. Cui sanè si quis imputet, quasi rectè non fecerit; is multo magis iniustus in eum iudex conuincetur, qui per vim abductus in seruitutem fuerit. Tales igitur sunt, qui populo Israëlitico pauca pro multis laboribus suis auferenti flagitium impingunt: ijs autem, qui nullam ex parentum merito debitam gratiam reddiderunt, immo & in grauißimam innoxios redegerunt seruitutem, plurimúmque ex eis commodi fecerunt, nihil imputant. Nam istos quidem, qui aurum, argentúmque non signatum in paucis vasculis, pro suis multis laboribus, acceperunt, incusant iniustitiæ: cùm ipsimet interea (dicetur enim quod verum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur) ex alienis laboribus signatum aurum, argentum, æs, cum inscriptione & imagine Cæsaris, in zonis suis ferentes, iustè facere se dicant. Quòd si inter nos & illos fiat comparatio, ecqui iustius censebūtur accepisse aliena? Israëlitæne ab Ægyptijs sibi per omnem modum obæratis? an nos à Romanis, & reliquis gentibus, nihil nobis tale debentibus? Nam & per eos mundus pacem habet, & per eos sine timore in vijs ambulamus, & , quocumque lubuerit, nauigamus. Ibi plura.

XVI. SIMILITVDO.

Deo non obedientes meritò & filiorum nomen amittere, & hereditatem.

VERBA IRENÆI:

Lib.4 cap. viii.

Sicut inter homines fieri assolet, vt filij à patribus propter inobedientiam abdicati, licet natura filij sint, tamen per legem alienati sint, nec heredes naturalium parentum fiant: ita fit apud Deum. Qui enim meruerunt, nolendo obedire, ab eo abdicari, eius desierunt esse filij: vnde nec eius adire hereditatem valent. Quemadmodum ait Dauid: Alienati sunt peccatores ab vtero: ira eis secundùm similitudinem serpentis. *Ac propterea Dominus, quos sciebat hominum esse progeniem, appellabat* progeniem viperarum, *quod scilicet horum instar animalium,*

Psal. 57. ver. 4.

Matt. 23. ver. 33.

lium, in varietate ambularent, & alios læderent. &c.

XVII. SIMILITVDO.

Hominem, vt regnum Dei possideat, debere esse spiritualem, & Fidei adijcere bona opera.

VERBA IRENÆI, l. 5. cap. 10. explicantis locum Paulli ad Romanos 11. ver. 17.

Quemadmodum igitur oleaster, si acceptâ insitione nihil mutetur, sed permaneat vti antè fuerat; exciditur & in ignem mittitur: sin verò retentâ insitione in bonam transmutetur oliuam, fit fructifera, velut in paradiso Regis plantata; sic & homines, si suscepta fide profecerint in melius, ac Spiritum Dei assumpserint, eiúsque fructus produxerint; spirituales fient, tanquam in Dei paradiso plantati: sin Spiritum respuerint, atque in eo, quod antè fuerant, perseuerauerint, magis amantes carnis, quam Spiritus; de ijs iustissimè dicetur: Caro & sanguis regnum Dei non possident: *quod idem est, ac dicere: Oleaster in paradisum Dei non admittitur. Itaque Apostolus eo in sermone, qui est de carne, & sanguine, & oleastro, naturam nostram, & Dei vniuersam dispositionem mirabiliter demonstrauit. Nam sicut oliua neglectui habita, & aliquanto tempore in deserto derelicta, ac siluestria fructificans, sensim sua sponte fit oleaster: & rursus oleaster, adhibitâ diligentiâ & insitione in pristinam recurrit naturæ fecunditatem: sic & homines otio ac desidiæ dediti, & carnis cupiditates, quasi poma siluestria proferentes, culpa sua infructuosi & iustitiæ steriles efficiuntur.* (dum enim dormiunt homines, venit inimicus homo, & superseminat zizania. *Ac propterea præcepit Dominus discipulis suis, vt vigilarent) & rursus, qui iustitiæ bonorúmque operum steriles sunt & infecundi, ac velut sentibus obuoluti, si studium, diligentiámque adhibuerint, & Verbum Dei, velut bonam insitionem, admiserint; hi in pristinam recurrunt hominis naturam, eam quæ ad imaginem & similitudinem Dei creata est. Verùm, sicut oleaster insitione accepta naturam ligni non amittit, sed qualitatem dumtaxat fructus demutat, & variato vocabulo non iam oleaster, sed fructifera oliua existit, & dicitur: ita & homo per insitionem Fidei, & Spiritus assumptionem, non quidem carnis amittit substantiam, sed qualitatem fructus variat, & diuersa producens opera, aliud sortitur vocabulum, suæ in melius transmutationis indicium, nec iam caro & sanguis, sed homo spiritualis & est, & appellatur. Denique sicut oleaster, (nisi accepta insitione) inutilis domino suo manet, ob conditionem siluestrem, & tanquam arbor infrugifera exscinditur, & in ignem mittitur; sic & homo, (nisi suscepta per Fidem insitione Spiritus) idem, quod antè erat, permanet: caro scilicet & sanguis, quæ regnum Dei non possident.*

1. ad Cor 15. ver 50.

OPERA BONA SVNT AD SALVTEM NECESSARIA.

Matt. 13. ver. 25.

XVIII. SIMILITVDO.

De gentibus à Dei & Fidei lumine vltro auersis.

VERBA IRENÆI, l.5.cap.29.

Gentes autem, quæ & ipsæ non alleuauerunt oculos ad cælum, neque creatori suo gratias egerunt, neque lumen veritatis videre voluerunt, sed sicut mures cæci in profundo insipientiæ latuerunt, Gentes, inquam, illas sermo diuinus iustè, vt stillicidium de cado, & sicut momentum stateræ, & quasi nihilum deputauit, in tantum scilicet vtiles & commodas iustis, quantum adfert vtilitatis stipula ad tritici augmentum; & palea, dum comburitur, ad auri confectionem. Isa.40.ver.15. GENTES STIPVLIS COMPARATÆ.

Hactenus Similitudinum, (multis passim præteritis, & quibusdam alibi antehac positis) accelerata vindemiatio: nunc ad sententiarum quarundam collectionem, & velut racemationem, accedimus.

CAPVT XXXIII.

Sententiarum aliquot è B. Irenæi Scriptis collectio.

1ª. Lib.2. aduersus hæreses, cap.64.

PRincipari debet in omnibus, & dominari voluntas Dei: cetera autem omnia huic cedere, & subdita esse, & in seruitium dedita.

2ª. Lib.2.cap.6.

Quæ vtilitas honoris huius breuissimi temporis, qui aliquando quidem non fuit, rursus autem non erit?

Et paullò inferiùs ibidem:

O vanæ gloriæ honos, qui statim præterit, & iam non apparet?

3ª. Lib.3. in præfatione.

Quæ in Deo est caritas, diues cum sit, miniméque inuida; plura donat, quàm quis ab ea postulet.

4ª. Lib.3. cap. 2.

Tametsi haud facile est animam errore occupatam resipiscere: non tamen prorsus impossibile est errorem effugere, apposita veritate.

5ª. Lib.3.cap.22.

Gloria hominis, Deus: operationis vero Dei, & omnis sapientiæ eius, & virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum autem medicus in his, qui ægrotant, probatur: sic & Deus in hominibus manifestatur.

6ª. Lib.4.cap.14.

Illa est vera, & sine contradictione probatio, quæ & ab aduersarijs ipsis symbola testificationis profert.

Nota veterem lectionem habuisse *singula* pro *symbola*. Sed hoc esse rectius iudicat ipsa Veritas. Nam alioqui minimè vera esset sententia, quæ diceret illam veram esse probationem, & cui contradici

non posset; quæ omnia & singula testimonia haberet ab aduersarijs. Sed illa demum vera est, quæ & à suis, & ab aduersarijs consentientia profert testimonia. Atque hoc velle Irenæum è proximè antecedentibus liquet. Dixerat enim oportere veritatem ab omnibus accipere testimonium, *& à domesticis, quoniam & amici; & ab extraneis, quoniam & inimici.* Post quæ subiungit continenter: *Illa est enim vera et sine contradictione* &c.

Huic porrò Irenęi sententiæ illa Nouatiani Presbyteri, etiam tum Catholici, libro De Trinitate, cap. 18. concinit.

Firmum est, inquit, *genus probationis, quod etiam ab aduersario sumitur: vt veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.*

7ª. Lib. 4. cap. 27.

Quanto plùs Dominum dilexerimus, tanto maiorem ab eo gloriam accipiemus.

8ª. Ibidem.

Amicitia Dei, immortalitatis est condonatrix ijs, qui ipsam amplectuntur.

9ª. Lib. 4. cap. 28.

Sequi Saluatorem, participare est salutem; & sequi lumen, participare est lumen. Qui autem in lumine sunt, non lumen illuminant, sed illuminantur à lumine: ita et qui seruiunt Deo.

10ª. Ibidem.

Hæc est gloria hominis, perseuerare in Dei seruitute.

11ª. Lib. 5. cap. 3.

Vbi augmentum est dilectionis, ibi maior gloria Dei virtute perficitur his, qui diligunt eum.

12ª. Lib. 5. cap. 27.

Separatio Dei, mors: & separatio lucis, tenebræ: sed separatio Dei, amißio omnium quæ sunt apud eum bonorum.

13ª. Apud Damascenum lib. 3. parall. cap. 14.

Benedicentes semper ijs, qui digni sunt; indignis autem nunquam maledicentes; ita demum nos quoque Dei gloriam & regnum consequemur.

14ª. Lib. 4. cap. 20.

Omnes iusti Sacerdotalem habent ordinem.

Quæ sententia ad B. Petri sensum accipienda est, qui epistola priore, cap. 2. versu 5. vbi alloquitur omnes Christianos, sic ait: *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Et intrà versu 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.*

Eandem Irenæi sententiam citauit S. Ioannes Damascenus in Parallelis, littera B. titulo 2. & Antonius Melissa libro 2. sermone 1. sed nonnihil variatam. Sic enim habent:

Πᾶς

Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν.

Omnis rex iustus sacerdotalem habet ordinem.

Et fortè ita scripsit S. Irenæus propter Dauidem Regem, de quo proximè scripserat eum manducasse panes propositionis, quos non licebat manducare, nisi solis Sacerdotibus. Quomodocumque autem scripserit, haud multum refert; cùm sua vtrique lectioni insit veritas. Omnes enim iusti, (non verò solùm Reges) sacerdotalem habent ordinem, id est, eo apud Deum sunt loco, propter virtutem, & pietatem, ac sanctimoniam (hæc enim omnia iustitię nomine comprehenduntur) quo ipsi sunt Sacerdotes: quia scilicet, quod illi corporaliter faciunt, hi exercent spiritualiter; *exhibentes corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem:* non verò, quasi possint omnes iusti promiscuè & indiscriminatim, seu viri, seu feminæ, seu cerdones, seu lanij, sacrosanctum Domini corpus consecrare, & alia ministerij sacerdotalis propriè dicti officia & sacramenta exercere. Qui fuit olim Marci magi apud Irenæum, & nunc quorundam hæreticorum error intolerabilis. Nam vt bifariam regnum accipitur; sic & sacerdotium: semel propriè, semel metaphoricè, & per quandam similitudinem. Vt igitur non omnes Christiani sunt propriè Reges, sic nec propriè Sacerdotes. Reges nempe sunt boni Christiani: quia vt veri Reges, suos regunt subditos; sic ipsi subiectas sibi affectiones animi & corporis ad legem & voluntatem Dei gubernant, & moderantur. Sacerdotes item sunt: quia vt veri Sacerdotes externa offerunt Deo sacrificia; hoc est, in antiqua lege, oues & boues, aliáque eiusmodi, & in noua verum agnum sine maculâ, id est, Christum Dominum post panis & vini consecrationem; sic ipsi internos & spiritales amoris, aliarúmque virtutum actus, & sanctas precationes, quasi vitulos cordis & labiorum, offerunt Deo.

Ad Rom. 12. ver. 1.

In hoc sensu accepit B. Petri locum S. Augustinus, lib. 20. *De ciuitate Dei*, cap. 10. dum similem Apocalypsis locum explicans, vbi Ioannes ait cap. 20. versu 7. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis:* sic addit: *Non vtique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in ecclesia Sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma: sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt vnius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus: Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium.* Hactenus verba Augustini. S. Hieronymus autem in Dialogo aduersus Luciferianos, initiò, sacerdotium laici vocat baptisma.

1. Petri 2. ver. 9.

Ortum porrò esse ex superbia seu hæreticorum seu prauorum Christianorum, vt omnes veri esse & videri vellent, (& quidem ex Apostolorum sensu) Sacerdotes; id præclarè & morsicatim istis de-

Libro de monogamia, cap. 12.

clarat verbis Tertullianus: *Sed quum extollimur*, inquit, *& inflamur aduersus Clerum; tunc omnes vnum sumus, tūc omnes Sacerdotes: quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Quum autem ad perequationem disciplinæ sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, nec pares sumus*, id est, cū superbia efferimur, & negotium habemus cū Clero, eíque nos opponimus, aut contradicimus; tum vt conditionis imparitas, verbi impudentiâ contegatur, dicimus nos peræquè Sacerdotes esse atque illos, & Ioannis Apostoli dicto nos armamus, qui dixit in Apocalypsi: *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* At, cùm illi nobis exaduerso dicunt: si igitur estis sacerdotes, seruate, vt illi, castimoniam, & omnem aliam sacerdotalem disciplinam: tum verò negamus nos esse sacerdotes, & velut depositis infulis, ornamentísque sacerdotalibus, nos illis impares profitemur. Nota hic Pamelium in sua Tertulliani editione legere: *deponimus infulas, & pares sumus.*

Apocal. 5. ver. 10.

Sed errati conuincit hanc lectionem ipsa ratio. Si enim se pares faciebant, adeóque vnum, propterea quòd se dicerent Sacerdotes, & velut infulas arrogarent: quomodo illis depositis non se impares profitentur? Ecquis item non videt istiusmodi homines in honoribus pares videri voluisse, in oneribus autem impares?

S. Irenęi sententiam confirmat etiam S. Leo Papa ser. 3. de anniuersario sui Pontificatus, ad illud 1. Petri 2. *Regale Sacerdotium. Omnes*, inquit, *in Christo regeneratos Crucis signum efficit Reges; sancti verò Spiritus vnctio consecrat Sacerdotes: vt præter istam naturalem nostri ministerij seruitutem, vniuersi spiritales & rationales Christiani agnoscant se regij & sacerdotalis officij esse consortes. Quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?*

Eodem in sensu accipienda est illa B. Clementis Alexandrini sententia, lib. 4. Stromatum, versus finem: Μόνοι τοίνυν οἱ καθαρῶς βιοῦντες ἱερεῖς ὄντως τοῦ θεοῦ. *Soli igitur purè viuentes, verè sunt sacerdotes Dei.*

Item illa S. Victorini Martyris explicatio, sub initium commentarij sui in Apocalypsin, ad illud: *FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNVM ET SACERDOTES. id est, omnem Fidelium ecclesiam*, inquit, *sicut Petrus Apostolus dicit: GENS SANCTA, REGALE SACERDOTIVM.* Sic ille.

CAPVT XXXIII.

Corollarium Pietatis, è pœnitentia Adami, & martyrio Ignatij confectum.

DVo nactus sum B. Irenæi loca ingeniosè, & ad peccati medelam accommodatè dicta: vnum quidem, vbi elucet primi parentis pœnitentia cum carnis mortificatione iuncta: alterum, vbi tribulationis necessitas, dicto S. Ignatij martyris aureo confirmata, proponitur; ex ijs vnum conficere institui, tam ad peccatorum salutem, quàm ad afflictorum consolationem, expeditum atque vtile pietatis corollarium.

Adami pœnitentia.

Sit itaque peccatoribus primi peccatoris illa celer & voluntaria pœnitentiæ susceptio ad suorum castigationem peccatorum iusta & efficax incitatio. *Nam adamus*, (primus ille hominum innocens, & primus nocens, sed nocumenti in immensum eunt vestigia) *occasione seductus immortalitatis, mox timore corripitur, & absconditur; non quasi effugere Deum speret; sed quòd præcepti violatione confusus, indignum se reputet tam Dei conspectu, quàm colloquio. Timor autem Domini initium intelligentiæ; intelligentia verò transgreßionis, caussa est pœnitentiæ: benignus autem est in pœnitentes Deus. Per subligaculum quidem sanè ostendit ipso facto Adamus suam pœnitentiam, dum folijs ficulneis, (tametsi multa suppeterent alia folia, quæ carnem minus cruciarent) se contexit. Nempe hunc condignum suæ inobedientiæ amictum ad retundendam carnis petulantiam timore Dei conterritus iudicauit. Propterea igitur quod indolem, sensúmque puerilem amisisset, atque in deteriora mentem deflexisset; ideo & sibi, & vxori continentiæ frenos circumdedit, timens scilicet Deum, eiúsque aduentum operiens, & quasi tacitè hæc indicans: Quandoquidem quam à Spiritu accepi sanctitatis stolam, mea perditum iui inobedientia; iam nunc tali me tegumento dignum esse cognosco, quod delectamentum quidem adfert nullum, corpus autem mordet ac pungit. Atque huiusmodi sanè indumento, semet ipse humilians, semper vsus fuisset; nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro folijs ficulneis induxisset.* Sic Irenæus. Irenæus lib. 3. cap. 37.

Quod si verum est filios per parentum ire vestigia, quis eos non probet admodum, laudétque, & imitetur, qui cùm stultè olim maiorum sint secuti concupiscentiam, eorundē sapienter æmulantur pœnitentiam? Hi nempe illi sunt, qui postquam plus nimio, seu mollitie vestium, seu ardore cupidinis, carni & sanguini sponte indulserūt; postmodum acribus melioris conscientiæ stimulis compuncti, & salutifero Dei timore confixi, effrenem membrorum lasciuiam, partim asperitate indumentorum, partim alimentorum austeritate, cilicijs,

 inquam

inquam, & ieiunijs, & plagis, & exercitationibus alijs cohibent ac refrenant.

Atque hæc vna & sola est à vitijs ad perfectam virtutem via. Hanc institère primi Sanctorum: hanc docuere præcipui vitæ spiritualis Magistri: hanc maximi quique ascetarum perursere. Adi, si lubet, nostrum Franciscum Ariam, non dico, vt antiquis meliorem (quis enim Basilios æquet? aut quis Dorotheis par sit? aut Cassianis, aut Climacis compar?) sed vt antiquorum hoc in argumento peraccuratum laudatorem; & qui hoc Irenæi nostri productum à nobis documentum in suo De mortificatione tractatu nequaquam prçterierit. Ibi enim parte 2. cap. 25. vbi de Tactus mortificatione disserit, perappositè illud vsurpauit.

Iustorum tribulatio, à B. Irenæo laudata, & S. Ignatij martyris insigni dicto nobilitata.

VERBA IRENÆI, lib. 5. cap. 28.

TRIBVLATIONIS NECESSITAS.

Tribulatio, inquit, *necessaria est his, qui saluantur: vt quodammodo contriti, & attenuati, & conspersi per patientiam Verbo Dei, velut igniti apti sint ad conuiuium Regis. Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter testimonium de Deo, damnatus ad bestias:* Frumentum Dei sum, & dentibus bestiarum molar, vt mundus panis efficiar.

S. IGNATII MARTYRIS DICTVM AVREVM.

Hactenus verba Irenæi; qui licet sanctum Ignatium martyrem expresse non nominet, verba tamen proferens martyris, (quę in eius ad Romanos epistola hodiéque leguntur, & sub eius nomine citantur ab Eusebio, libro 3. hist. cap. 30. & ab alijs) nullum de eo relinquit dubio locum. Certè, haud scio, an quisquam secundùm Apostolos, tribulationum pro Christo amantior, & duri appetentior martyrij fuerit, quàm idem beatus Ignatius. Testem enim huius rei locupletem nobis reliquit suam ad Romanos epistolam, quæ flammis eiusmodi amoris tota deflagrat. Licet eam videre in eius vita à nobis composita.

Haud dubium porrò, quin & Irenæo nostro, dum illa, quę modò laudauit, pronuntiaret, ęedem tribulationes bene admodũ saperent. Quippe qui non bonas modò & salutiferas, sed etiam sibi, suisque ad vitam & beatitatem necessarias iudicaret. Et sanè non verbo magis & scripto iudicium suum, quàm facto ipso duabus in persecutionibus comprobauit. Nam in priore quidem multa perpessus, in posteriore autem, magnâ stipatus commilitonum manu gloriosè (vt in vita persecuti sumus) pro asserenda in Christũ fide occubuit. Et quod de tribulationum necessitate in ijs, qui saluãdi sunt, dixit; solido certè sacrarum litterarum fundamẽto innititur. Propterea enim & Raphaël Angelus, vnus ex septem, qui adstant ante Dominum, seniori Tobiæ (cui post multa bene facta, cæcitatis obtigerat, velut pro mercede,

mercede, tribulatio) quasi consolabundus dicebat: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te*. Sic enim & sanctissimos Patriarchas, & optimos Iudices, atque Reges probarat Deus. Nam, vt ait Ecclesiasticus, *Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis*. Hinc illa tam sapiens, quàm fortis mulier Iudith, cùm propè succumbentem ponderi tribulationum videret populum suum, hac ad maiores natu oratione vsa, iam iam deficientes redintegrauit animos: *Et nunc fratres*, inquit, *quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri, vt probarentur, si verè colerent Deum suum. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles*. Hactenus mulier fortis. Vtinam & nunc in pari ingruentium vndique bellorum turbine, si non mulier, qualis illa, vir saltem vnus fortis reperiatur, qui stet fortiter pro domo Dei, nec hac, illácue humanis fluctuet, vacilletue perturbationibus! Quotus enim quisque est hodie, qui publico communis boni, & non priuato potiùs peculiaris commodi trahatur affectu? Aliquem patria, alterum cognatio, alium vicinitas, hunc vtilitas, illum amicitia, alterum affinitas, omnes denique alia fere omnia, quàm ea quę deberent, vno scilicet, quod est necessarium, excepto, huc illuc impellunt, agitant, vexant, præcipitant, sternunt. Tempus est igitur tribulationum: lugete mali: gaudete boni. Nam bonis quidem tale canit classicum vnus è primis Ducibus: *Omne*, inquit, *gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet: vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*. Nec verò gaudete tantùm, quando tempus tribulationis aduenerit; sed & gloriamini, cùm in vos venerit. Interrogate enim Paullum, si fortè tantùm in spe gloriæ filiorum Dei glorietur, an in aliquo etiam altero: *Non solum autem*, inquit, *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit*. Denique omnes manet tribulatio, sed varios varia, probos sua, improbos alia: & vtrosque aliter, atque aliter, neque est vnus, qui omnino exemptus sit. *Summus quippe ille vitis agricola* (loqui nunc incipit magnus Augustinus, silete) *Summus quippe ille vitis agricola*, inquit, *aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis: tamen non parcit, nec probis, nec reprobis; illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum est tanta iustitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel*

Tobiæ 12. ver. 13.

Ecclesiastici 27. ver. 6.

Iudith 8. ver. 21.

Iacobi 1. vers. 2. 3. 4.

Ad Rom. 5. v. 3.

S. Augustinus lib. 22 contra Faustum Manichæum, cap. 20.

ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. Sic ille. Ad eam igitur tentationem tribulationis præparemus nos, tanquam boni & germani filij patris noſtri, neque ex illorum degenerum numero ſimus, qui leuibus concuſſi tentationibus, abſque vllo ferè certamine, haſtam abijciunt, & ſæpe patientiam, interdum & fidem deſerunt. Quos proinde Tertullianus non malè paleis, vti probos & conſtantes frumento puro, optimè comparat: *Auolent,* inquit, *quantum volent, paleæ leues fidei, quocumque afflatu tentationum: eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.* Sic ille. Tu autem Domine meus, & Deus meus, da mihi ſeruo tuo humili ac ſupplici, vt tanquam vnum aliquod puri illius frumenti granum tibi exſiſtam ac perſiſtam, dum in pane illo cæleſti ac viuifico tibi commiſtus, æterna illa non indignus menſa reperiar, & tecum atque in te æternùm permaneam. Amen.

Tertul. lib. De præſcriptionibus, cap. 3.

Atque hìc ſit B. Irenæi documentorum finis:
ad Notationes hinc procedamus.

NOTA·

NOTATIONES.

AD VITAM

SANCTI IRENÆI.

AD CAPVT PRIMVM.

a

SANCTI IRENÆI] Hoc nomine complures extiterunt sancti. Nouem enim complectitur Romanum martyrologium, & omnes laureâ martyrij claros. Ex his duo Episcopi fuerunt, Lugduni vnus (& hic est noster Scriptor, solus inter cognomines suos eo titulo illustris) alter Sirmij. De quo sic Rom. martyrologium ad vicesimam quintam Aprilis: *Sirmij, passio S. Irenæi, Episcopi & martyris, qui tempore Maximiani Imper. sub Præside Probo, primùm tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, nouissimè abscisso capite consummatus est.*

De ceteris consuli possunt martyrologia Latinorum, & Græcorum Menæa.

S. IRENÆVS SMYRNÆ IN ASIA MINORE NATVS.

b ET SMYRNÆ QVIDEM] Irenæum Smyrnæ natum prorsus censeo: & censuerunt ante me alij complures. Petrus Galesinius in Notis ad suum, martyrologium, 4. Kal. Iulij probat fuisse Asianum, non Gallum, vti volebat Oecumenius, ad 3. caput, epist. 2. B. Petri.

In iisdem verò Notis ad vocem *Smyrnæ* Kalendis Februarij, inter alias eius vrbis commendationes, hanc quoque adducit: *quòd Smyrnæ natus sit Irenæus, Episcopus Lugduni. Traseas item Episcopus Eumeniæ, & martyr. Smyrnenses præterea martyres*, inquit, *innumerabiles leguntur*. Et eius pueritia Smyrnæ transacta testis est haud paullò locupletior.

Ego multa in Smyrnæ laudem notaui ad vitam S. Polycarpi Smyrnẽsis Episcopi.

IRENÆI ÆTAS.

Natum Smyrnę Irenæum scribit etiam PRIMVS, Cabilunensis Episcopus, in Topographia SS. martyrum ad vocem *Smyrna*, his verbis: *Hinc ortus Irenæus Episcopus Lugdunensis, Polycarpi discipulus.*

c VEL EXTREMIS TRAIANI &c.] Natum esse Irenæum sub id tempus, quod A assignamus, extorquere vel inuitis possent consentientia SS. Patrum de eius ætate testimonia: quippe qui omnes illum proximè Apostolorum temporibus vixisse contestantur. Tertullianus certè, qui hoc ipso secundo sæculo vixit, non obscurè indicat eum sub initia huius sæculi vixisse, dum innuit ipsum Valentino hæresiarchæ fuisse contemporalem, in elogio, quod ante vitam positum est. Quem Valentinũ Traia- B no Principe natum esse certa fides est. Eusebius autem lib. 5. hist. eccl. cap. 19. ita de illo: Καὶ τὸ περὶ Ὀγδοάδος συντάττεται τῷ Εἰρηναίῳ σπούδασμα· ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν Ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν. *Compositum est etiam ab Irenæo opus de ogdoade: quo in opere indicat se Apostolorum temporibus proximè successisse.* Tempora autem Apostolorum vsque ad Traianum fuerunt, sub quo illorum postremus Ioannes Euangelista excessit.

C S. Basilius magnus in lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. Εἰρηναῖος δὲ ἐκεῖνος, ὁ ἐγγὺς τῶν Ἀποστόλων γενόμενος, πῶς ἐμνήσθη τοῦ πνεύματος ἐν τοῖς πρὸς τὰς αἱρέσεις λόγοις, ἀκούσωμεν. *Irenæus verò ille, qui vicinus Apostolis fuit, quomodo de Spiritu meminerit in suo aduersus hæreses opere, audiamus.*

Hieronymus epist. 29. ad Theodoram: *Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum.*

Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, cap. de Nazaræis. Κατὰ τούτων συνέγραψεν Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος καὶ μάρτυς, καὶ D Εἰρηναῖος ὁ τῶν Ἀποστόλων διάδοχος. *Contra illos conscripsit Iustinus Philosophus & Martyr, & Irenæus Apostolorum successor.*

AN IRENÆVS FVERIT IOANNIS EVANGELISTÆ DISCIPVLVS?

Neque defuerunt, qui Irenæum S. Ioannis Euangelistæ discipulum fuisse scripserint: vt apud Paradinũ lib. 2. historiæ Lugdunensis, cap. 30. auctor illius diplomatis, cui subscripserunt Gregorius Papa V. Henricus Rex Burgundiæ, & Hugo Archiepiscopus. In quo diplomate sic scribitur: *Sæpenumero verò diuinitus ostensum est, vt multis ecclesiarum dignis Deo, quod Lugdunensi de*

Zacharia

Zachariæ secundo post gloriosum Irenæum Ioãnis Apostoli & Euangelistæ discipulum, Eucherioque contigit) Pastores fierent. &c.

Itaque Iacobus Seuertius 1. parte de Lugdunensibus Archiepiscopis, cap. 2. ita scripsit de eodem Irenæo: *Fuitque discipulus, primò D. Ioannis Euangelistæ, ex diplomate Gregorij Papæ quinti: deinde S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi.* &c. Hæc quidem faciunt, vt credibilior sit nostra sententia, qui saltem ad Traiani aut Hadriani tempora Irenæi natiuitatem referimus: sed quod dicunt non tantùm esse natum temporibus S. Ioannis, sed etiam eius fuisse discipulum, id procul esse à vero communis Patrum videtur clamare consensus: quippe qui tantùm dicant eum Polycarpi (qui Ioannis fuit auditor) fuisse discipulum; non taciturи profectò, si credidissent etiam Ioannis fuisse auditorem: ita vt satis silentio suo clament nihil plus eum quàm Apostolorum auditores audiuisse. Et sanè vicinum esse Apostolis, seu Apostolorum temporibus propinquum, non est eorum fuisse discipulum, sed tantùm Apostolorum discipulis conuixisse. An verò, cùm tam multi eum, ob antiquitatem, aduersus hæreticos producant veræ doctrinæ assertorem, si illorum quispiam ipsum Apostolorum scisset discipulum, id reticuisset? Nemo id credat. De sua denique ætate nemo potiùs, quàm ipse audiendus est, qui lib. 5. aduersus hæreses, cap. 30. agens de Apocalypsi S. Ioannis ita scribit: Οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. *Nec enim longinquo abhinc tempore visa est, sed nostra propè ætate, ad finem imperij Domitiani.* Itaque finem Domitiani appellat suam propè ætatem. Necdum ergo natus sub Domitiano: alioqui suam appellasset ætatem. Quòd si necdum natus, certè cùm pauculos annos vltra Domitianum vixerit Ioannes, eius non potuit Irenæus esse discipulus. Requiritur enim ætas ad disciplinã. Deinde sequeretur S. Irenæum annos vixisse ampliùs centum decem: vt patet supputanti spatium ab eius exortu (qui debuisset accidisse circiter annum Christi 80.) vsque ad eius martyriũ, hoc est, Christi Domini instar 204. Nam circa illud tempus contigisse satis liquet. Ex his autem facilis est quæstionis illius, quæ à nonnullis ad caput secundum Apocalypseos tractatur, decisio:

An scilicet Irenæus sit Angelus ille siue Episcopus ecclesiæ Thyatiræ in Apocalypsi Ioannis designatus?

Quamuis enim Antiochus Brondus Calaritanus in cap. 2. Apocalypseos, disput. 17. q. 2. conetur eam opinionem, quæ tenet illum Episcopum fuisse Irenæum, reddere probabilem; contraria tamen sententia, è suprà dictis, videtur certa: & quę contrà afferũtur, haud difficulter solui possunt.

Permulti, inquit Brondus, *Apocalypseos expositores martyrem Irenæum ecclesiæ Thyatirensis Episcopum fuisse existimant, tempore, quo Apostolus & Euangelista Ioannes hæc Apocalypseos scribebat mysteria.*

Ego quidem, quàm multi sint, haud scio: sed vix vnum, ac ne vix quidem, qui disertè id dicat, hodie reperio. Petrus quidem Aureolus Cardinalis scribit Irenæum fuisse Episcopum Thyatiræ, sed fuisse post tempora Ioannis Euangelistæ. Verba eius in compendiosa sacræ Scripturæ dilucidatione sunt hæc: *Est enim sciendum, quòd ille Irenæus fuit egregius Polycarpi discipulus, & præ ceteris excellentioris doctrinæ. Sicut enim Polycarpus excessit omnes discipulos Ioannis; sic iste ceteros discipulos Polycarpi. Fuit autem primò Episcopus Thyatiræ: deinde zelo fidei per multas regiones discurrens & docens, vsque in Gallias perueniens, Lugduni Archiepiscopus resedit &c.* Et post pauca: *Licet autem iste non fuerit Ioanni contemporaneus, in spiritu tamen prophetico loquitur de isto: quia excessit omnes Episcopos ecclesiæ Thyatiræ.* Sic ipse.

Vt autem obiter hoc attingam, Thyatira ciuitas est minoris Asiæ, *Macedonum colonia, quam nonnulli dicunt vltimam esse Mysorum*, inquit Strabo, lib. 13. geographiæ. Est autem Mysia, regio minoris Asiæ: in qua sunt populi Mysomacedones appellati, iuxta Ptolemæum libro Geographiæ quinto, cap. 2 in prima Asiæ tabula. In his igitur sunt Thyatirenses.

Iam, vt ad alios Auctores redeamus, scribẽs Nicolaus de Lyra ad illa Apocalypseos verba, ET ANGELO THYATIRÆ, *Qui ab aliquibus*, inquit, *dicitur fuisse S. Irenæus, qui non solum istam ecclesiam, sed & multas alias vita & doctrina illustrauit, & vsque ad Lugdunum, quæ est Galliarum ciuitas, peruenit. Sed hoc non videtur probabiliter dictum: primò, quia non fuit contemporaneus beato Ioanni, qui videtur scribere de Episcopis sibi contemporaneis.* &c. Ita rectè Nicolaus.

Nec enim fidem meretur, quòd scribit Aureolus beatum Ioannem scripsisse ad eum, qui nondum natus erat, sed tantùm medio sæculo pòst nasciturus.

Denique pro ista priori opinione nullum non modò è SS. Patribus, sed neque ex alijs alicuius notæ Scriptoribus reperio.

Probat tamen illam opinionem Brondus, hisce tribus argumentis, quę compendiò ponam, & compendiò refellam:

Primò, S. Irenæus fuit discipulus B. Polycarpi, Polycarpus autem Ioannis; igitur dum Polycarpo operam dabat, verissimè dicitur

dicitur contemporaneus fuisse Ioannis Apostoli,& ecclesiæ Thyatirensi præfuisse.

Respondeo Irenæum fuisse quidem discipulum Polycarpi,sed (vt ipsemet scribit) admodũ iuuenem valde senis, ac propterea non potuisse vllo modo fuisse discipulum S. Ioannis, qui ante Polycarpi senectutem obierat.

Secundò, Quia Irenæus multas ecclesias vita & doctrina illustrauit, & Lugdunum vsque peruenit: igitur possibile esse videtur, & hanc Thyatirensem illustrasse ecclesiam.

Respondeo, nec possibile fuisse Irenæũ, saltem ætate Ioannis, illam illustrasse ecclesiam (vt nunc probatum est) neque, si possibile fuisset, tamen sequi factum esse, quod fieri potuit.

Tertiò, Quia Irenæus scribit Apocalypsin à Ioanne visam sua propè ætate, sub finem imperij Domitiani.

Respondeo, inde potiùs sequi, (quod etiam antehac diximus) non vixisse Irenæum tempore S. Ioannis, multò autem minùs fuisse Episcopum. Non enim dixisset alioquin, *nostrâ propè ætate*; sed simpliciter, *nostra ætate*.

Verùm de hac quæstione, ac simul de S. Irenæi ætate, satis.

d *HVNC AVTEM VITA EXCESSISSE 2. TRAIANI IMP. ANNO.*] Illi anno assignant eius mortem Eusebius Pontaci, & Auberti Miræi, & antiquæ editiones in chronico. Et huic quoque concordat sententiæ S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 9. vbi de Ioanne agens, *Et confectus senio*, inquit, *sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est*. Idẽ est porrò in istis chronicis annus Traiani Imp. secundus, & à passione Christi sexagesimus octauus. Eusebianum tamẽ Chronicon Mariani & Iosephi Scaligeri assignãt eius mortem anno Traiani 3. Alexandrinum autem chronicon 7. vbi etiam refertur Ioannes obdormisse anno ætatis centesimo, additis 7. mensibus. Sic enim ad eum annum, (quo Coss. recenset Syrianum 11. & Marcellum) hoc est, anno 4. Olympiadis 220ᵃ. Indictione 1ᵃ. sic, inquam, scribit: Ἐπὶ τούτων τῶν προκειμένων ὑπάτων φασὶ τὸν ἅγιον Ἰωάννην γενόμενον ἐτῶν ρ. καὶ μηνῶν ζ. κοιμηθῆναι. *His ante positis Coss. aiunt sanctum Ioannem natum annos centum & menses septem obdormisse.*

S. IOANNES EVANGELISTA QVO ÆTATIS ANNO SIT MORTVVS.

Venerabilis Beda, Vsuardus, Maurolycus in martyrologijs suis habent Ioannem vita excessisse anno vitæ 99. Plus ei tribuit Hippolytus teste Cedreno, in Nerua, nempe centum sex annos. Verba Cedreni Hippolytum citantis sunt hæc: Οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ ὁ θεῖος Ἱππόλυτος Ῥώμης περὶ τοῦ θείου κηρύγματος καὶ τῆς τελειώσεως τῶν Ἀποστόλων διεξιὼν ἔφη· Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς Ἰακώβου κηρύσσων ἐν τῇ Ἀσίᾳ τὸν λόγον, ἐξωρίσθη ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἐπὶ Δομετιανοῦ τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων· κἀκεῖθεν πάλιν εἰς Ἔφεσον ἐκ τῆς ἐξορίας ἀνακληθεὶς ὑπὸ Νερούα, καὶ τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον συγγραψάμενος, ἔνθα καὶ τὴν ἀποκάλυψιν θεασάμενος ἐτελεύτησεν ἐτῶν ἑκατὸν ἕξ. οὗ τὸ λείψανον ζητηθὲν οὐχ εὑρέθη.

Georgius Cedrenus in Nerua Imp.

Sed & diuinus Hippolytus Romæ [Episcopus] *tractans de prædicatione & consummatione Apostolorum, sic inquit: Ioannes Iacobi frater, cum in Asia verbum Dei prædicaret, in Patmon insulam, tenente Romanum imperium Domitiano, est relegatus. Inde autem à Nerua reuocatus Ephesum, postquam suum conscripsit euangelium, & Apocalypsin ibi est contemplatus, vitâ excessit annos natus centum & sex. Cuius requisitæ reliquiæ, inuentæ non sunt.* Sic ille.

S. HIPPOLYTI VERBA DE S. IOANNIS EVANGELISTÆ OBITV.

Totidem annos, sed & septem menses amplius illi tribuit Menæum Græcorum ad diem vicesimam sextam Septembris, si singularum eius habitationum anni, prout ibi numerantur, rectè in summam colligantur. Scribit enim illum annos natum fuisse quinquaginta sex & menses septem, cùm Hierosolymis venit Ephesum: Ephesi autem ante exilium in Patmon degisse annos nouem: deinde in Patmo insula quindecim: Ephesi rursus à reditu ex Patmo, viginti sex, hoc est, iustâ putatione, centum sex annos, & menses septem. Ipsum tamen Menæum recolligendo summam, tantùm conficit centum viginti quinque annos & menses septem: sed errore manifesto. Audent verò ampliùs in augendis vitæ annis Dorotheus in Synopsi, & Suidas in Lexico. Nam eius ætatem ad annos centum viginti protendunt. Dorotheus quidem his verbis: *Post mortem verò Traiani reuersus est ex insula Patmo, mansitque Ephesi, ac vixit annos centum viginti*. Suidas autem istis: Ἰωάννης ὁ θεολόγος καὶ εὐαγγελιστὴς ἀπὸ τῆς ἐν Πάτμῳ ἐξορίας ἐπανελθὼν συντάττει τὸ εὐαγγέλιον ὢν ἐτῶν ρ. διαρκέσας ἕως ρκ. *Ioannes Theologus & Euangelista ab exilio Patmi reuersus, componit euangelium natus annos centum, peruenitque ad centum viginti.*

e *QVAPROPTER II, QVI VERE CHRISTI SVNT DISCIPVLI* &c.] Ipsissima Irenæi græca verba exstant apud Eusebiũ, lib. 5. hist. ecclesiast. cap. 7. & sunt hæc: Διὸ καὶ ἐν τῷ ἐκείνου ὀνόματι, οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταὶ, παρ' αὐτοῦ λαβόντες τὴν χάριν, ἐπιτελοῦσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν τὴν δωρεὰν εἴληφε παρ' αὐτοῦ. &c. quæ ibi videri possunt.

Vetus autem interpres (quem reor vnum fuisse

fuisse è socijs Irenæi, græcum quidem, sed latinæ linguæ satis rudem) sic vertit barbarè: *Quapropter & in illius nomine, qui verè illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnusquisque accepit donum ab eo, &c.* Vide lib. 2. Irenæi, cap. 57. vbi ista verba *perficiunt ad beneficia reliquorum hominum,* sic explicanda sunt, *miracula perficiunt ad vtilitatem reliquorum hominum,* siue, *vt beneficii sint in alios:* non autem hæreticorum more, qui hominum plausus & gloriam suam, non aliorum vtilitatem, nec Dei gloriam quærunt. Hoc inter Catholicos & Hæreticos discrimen in miraculis notauerat etiam S. Iustinus in dialogo cũ Tryphone. Vide suprà in Notationibus ad eius vitam, cap. 2. vbi quænam & quando facere possint hæretici miracula, fusius disputatum est.

INTENTIO CHRISTIANORVM IN MIRACVLIS.

B

f *MVLTOS, INQVIT, FRATRVM IN ECCLESIA* &c.] Hic locus est ex ipso Irenæo lib. 5. cap. 6. & exstat græcè ipsismet eius verbis apud Eusebium l. 5. hist. eccl. c. 7. Sunt igitur hæc Græca Irenæi: Καθὼς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ ἐκδιηγουμένων. *Quemadmodum & multos audimus fratres in ecclesia, prophetiæ dona habentes,* &c. Vbi Nota, cùm græcè sit ἀκούομεν, *audimus,* non fuisse vertendum ab interpretibus, *audiuimus.* Vult enim dicere Irenæus, eo etiã ipso tempore, quo hæc scribebat, fuisse in ecclesia qui prophetarent: neque dum cessare illud futura prædicendi, aut occulta pandendi donum, sed perseuerare, ac perseueraturum videri: non verò quòd intellexerit dumtaxat ante se & sua tempora illud exstitisse.

C

D

g *MIRA SCILICET IN SIMILIBVS DISSIMILIBVSQVE* &c.] Facile est hoc obseruatu, magnis ingenijs magnum vulgò suppetere similitudinum, comparationum, prouerbiorum velut cornucopię. Dauid & Salomon, quædam sapientię in hominibus miracula, quàm multis & pulchris sua refersere dicta similibus, prouerbijs, parabolis? His itidem refulsit Irenæi, velut quibusdam gemmis, preciosa oratio. Cuius quidem aliqua indicia dedi suprà cap. 22. sed ipsum legenti Irenæum plenior veniet experientia.

E

F

Quàm verò præclara & acuta est ista fictionis cuiusdam Valentinianorum magistri, qui varios fingebat æonas, quasi Deos, simili ab Irenæo adhibita fictione, irrisio? Cùm enim ille & res ipsas, & rerum nomina audacter fingeret, ac diceret: *Ante omnia est Proarche,* [id est proprincipiũ] *& illa quidem incogitabilis, ineffabilis, innominabilis, quam ego monoteten appello. Cum hac monotete est virtus, quam itidem henoteten voco: iam autem henotes & monotes, cùm sint vnum, produxerunt principium omnium intellectuale, ingenitum, inuisibile, quod monadem vulgò nominant: cum hac monade est virtus eiusdem substantia, quam voco Hen.* [id est, vnum.] *Hæ autem virtutes, Monotes scilicet, & Henotes, & Monas, & Hen, reliquam Æonum turbã produxerunt.* Cùm ille, inquam, inter Valentinianos preclarus magister, prima quatuor principia pro suo arbitratu ita poneret, vocarétque; Irenæus adhibitâ in tantam audaciam exclamatione tragicâ, & adiecto per irrisionem, carituram fuisse hactenus Veritatem nominibus, nisi ille affingere ipsi nomina ausus esset; tum subdidit, eâdem, qua ab illo ratione, fingi à quouis altero itidem posse, & res, & nomina, atque ita dici: *Est quoddam proprincipium regale, proincogitabile, proinsubstantiale, procircumuolubile, quod ego cucurbitam voco: cum hac cucurbita, est virtus, quam inanitatem appello: iam cucurbita & inanitas, cùm vnum sint, produxerunt visibilem, & manducabilem, & dulcem fructum, quem cucumerem vulgò appellant: cum hoc autem cucumere est virtus eiusdem potestatis, quam & ego similiter peponem nuncupo. Iam porrò hæ virtutes, cucurbita, & inanitas, & cucumis, & pepo produxerunt reliquam multitudinem Valentini deliriosorum peponum. Quid enim vetat,* [inquit idem beatus vir] *quandoquidem detur fingere, quid vetat his vti nominibus, quæ multo credibiliora sunt, & in vsu posita, & ab omnibus cognita?* Deinde post pauca tam in illum, quàm in alios Valentinianorum magistros, illa vtitur perquam apposita exclamatione Homerica:

IOCVS INSIGNIS S. IRENÆI IN VALENTINIANOS.

Ὦ πέπονες, κάκ᾽ ἐλέγχε᾽ Ἀχαιίδες, οὐδ᾽ ἔτ᾽ Ἀχαιοί.

O pepones, mala probra, & Achaides, haud enim Achæi.

Id est, homines vani, probrosi, & feminę magis, quàm viri. Ita nihil sapitis, nihil nisi aniles nugas garritis, nihil prèter meras gerras geritis.

h *IN PERVOLVENDIS POETARVM, ORATORVM* &c.] Disci potest è varijs librorum Irenæi locis, quantus in his artibus ipse fuerit: tum nominatim è cap. 1. libri 1. vbi peracutè composito ex Homericis versibus centoni simillima esse ostendit Valentinianorum figmenta: vt quo modo in centone cùm vnus versus sit de Vlysse, alter de Hercule, alius de Priamo, quidam de Menelao, nonnullus de Agamemnone, atque ita de alijs; sic tamen omnes inter se commissi, atque ad Herculem accommodati sunt, vt ab ipso Homero de Hercule compo-

compositi videantur: ita cùm varia sacræ Scripturæ loca de varijs rebus à Christo & Apostolis vsurpata sint, sic tamen ab impijs Valentinianis ad sua deliria adaptantur; vt rerum rudes, & ignari Scripturarum, verè dicta esse de ipsorum doctrina, vel hæresi potius, arbitrentur.

CENTO HOMERICVS, SIVE HOMEROCENTO. Centonem ipsum, vt cupidis eius videndi animis faciam satis, hic substernam. Est igitur talis de Hercule ab Eurystheo ad inferni canem misso:

B

Ex odyss. Ὣς εἰπὼν ἀπέπεμπε δόμων βαρέα στενάχοντα
Odyss. φ. Φῶθ' Ἡρακλῆα, μεγάλων ἐπιίστορα ἔργων,
Iliad. l. τ. Εὐρυσθεὺς Σθενέλοιο πάϊς Περσηϊάδαο,
Iliad. θ. Ἐξ ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο.
Iliad. μ. Βῆ ῥ' ἴμεν ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιθὼς
Iliad. ι. Καρπαλίμως ἀνὰ ἄστυ· φίλοι δ' ἅμα πάντες ἕποντο,
Iliad. α. Νύμφαι τ', ἠΐθεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες,
Odyss. λ. Οἶκτρ' ὀλοφυρόμενοι, ὡσεὶ θάνατόνδε κιόντα.
Odyss. λ. Ἑρμείας δ' ἀπέπεμπεν, ἰδὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Iliad. β. Ἤιδει γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν, ὡς ἐπονεῖτο.

C

Odyssea l. 9. *Hæc ait: atque alto suspiria corde trahentem*
Odyss. l. 21. *Armis egregium Alcidem Stheneleia proles*
Iliad 9. 19. *Confestim ad stygij descendere tecta tyranni*
Iliad. 8. *Iussit, vt inde canem superas efferret ad oras.*
Iliad. 12. *Ergo ille intrepidus, furibundi more leonis,*
Iliad 5. *Egreditur: iuuenes illum, innuptæque puellæ,*
Iliad. l. vlt. *Grãdæuique senes, mæsti, lacrymisque madẽtes,*
Odyss. l. 11. *Exitium velut ad certum, comitantur euntem.*
Odyss. l. 11. *At ductabat eum Cyllenius, atque Minerua.*
Iliad. l. 2. *Norat enim ærumnas fratris, durósque labores.*

D

Subdit deinde Irenæus:

Ecquis, quæso, ex ijs, qui simplici ac minùs vafro animo sunt, hisce versibus non abripiatur, in eáque sit opinione, vt Homerum in eiusmodi argumento lusisse putet? At qui Homerica poëseos argumentum callet, versus quidem agnoscet; vtpote qui compertum & exploratum habeat, aliquid ex ijs de Vlysse, aliquid de ipso Hercule, aliquid de Priamo, aliquid de Menelao & Agamemnone dictum esse. Quo fit, vt si quis ea

E

dimouerit, ac suo quoque libro reddiderit, præsentem materiam de medio sublaturus sit. Ad eundem modum, qui veritatis normam, quam per baptismum accepit, firmam in se atque constantem retinet, vocabula quidem è Scripturis petita, & dictiones, & parabolas agnoscet; at nefarium & impium argumentum non agnoscet. Nam etsi gemmas agniturus est; interim tamen vulpem pro regia imagine non admittet: verùm vbi singula eorum quæ dicta sunt, in classem

F

suam retulerit, ac veritatis corpori accommodauerit: ita demum eorum figmentum deteget, ac tale esse ostendet, vt nullo modo subsistere queat.]

Hactenus B. Irenæus. Qui & libri secundi capite vndeuicesimo, quàm diligenter antiquos reuoluerit Philosophos, ex eo satis ostendit; quòd & Valentinianorum furta, atque veterum scriptorũ ad nugas suas accommodatorum compilationes prodat: & quid ab vnoquoque captum, & quam in rem translatum sit, velut digito demõstret: nempe quid ab Antiphane, quid à Thalete Milesio, quid ab Anaximandro, quid ab Anaxagora, quid item à Democrito simul & Epicuro, quid à Democrito rursus & Platone, quid à Platone rursum & Anaxagora atque Empedocle, quid à Stoicis item & Poëtis, quid ab Hesiodo speciatim, & à Cynicis, & ab Aristotelicis, & à Pythagoreis, tam Valentinus ipse, quàm eius discipuli acceperint, accommodarint, inuerterint. Ex quibus, & ex alijs quàm plurimis per hos aduersus hæreses libros sparsis Auctorum antiquissimorum sententijs, haud est difficile, quantâ & quàm variâ pectus illud doctrinâ confertum fuerit, tam externâ, quàm nostrâ, recognoscere. IRENÆI QVAM VARIA ET MVLTIPLEX ERVDITIO.

Vnde & hoc quoque documenti eliciendum est, permagnos esse litterarum etiam profanarum fructus; neque eos vllo modo audiendos, qui ad ea, quæ ipsi nesciant, aut non didicerint, contemnenda, atque condemnanda adeo proiecti sunt; vt sacrarum profanatores litterarum appellare eos non vereantur, qui profanas scientias ad sacrarum ministeria deuocent. Quasi verò hoc fraudi sacris litteris, & non honori potiùs, atque adiumento sit. Certè, vt Basilium magnum, vt vtrumque Gregorium tam Nyssenum, quàm Nazianzenum, vt Amphilochium taceam, *qui omnes in tantùm*, inquit Hieronymus, *Philosophorum doctrinis atque sententijs suos inferciunt libros, vt nescias, quid primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum*, certe inquam, vt illos ac plures alios taceam, neque S. Iustinus philosophus & martyr, neque S. Theophilus Antiochenus, neque Athenagoras, neque hic noster beatus Irenæus, tanta vi aduersarios suos refellere & retundere potuissent, nisi in eorum ipsi armamentaria introgressi, erepto inde ferro, ad eos suis ipsorum gladijs confodiendos, quadam Dauidis imitatione prosilijssent. In Homero enim, & Hesiodo, & Orpheo, & alijs quàm plurimis Auctoribus profanis arma contra hostes inuenerunt. PROFANARVM LITTERARVM NON MEDIOCRIS FRVCTVS AD TVENDAM FIDEM. S. Hieron. ep. 84.

i *VT NON IMMERITO ILLVM TERTVLLIANVS* &c.] Idem ipsum tractaturus argumentum Tertullianus, quod antea tractauerat Irenæus, libros eius perlegit, & admiratus, & æmulatus est. Et ne viri optimè de se meriti laude abstineret, eũ *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* appellauit, in libro Contra Valentinianos, cap. 5. cuius verba pleniùs posui suprà, ante cap. 1. inter Veterum de S. Irenæo testimonia.

AD

AD CAPVT II.

a PERACTIS CELERITER &c.] S. Irenæum humaniora & externa studia celeriter percurrisse, id argumento esse potest, quòd propè adhuc puer ad audiendũ in Theologia Polycarpum se contulerit, id est admodum iuuenis. Ita enim ille loquẽdi modus vulgò accipi solet. Quo etiam modo ipse M. Tullius in tertia contra M. Antonium Philippica est vsus, cùm dixit: *Caius Cæsar adolescens, ac penè potiùs puer, incredibili ac diuina quadam mente atque virtute, &c. firmissimum exercitum ex inuicto genere veteranorum militum comparauit.*

b *S. POLYCARPVS SMYRNÆ EPISCOPVS* &c.] S. Polycarpi se fuisse discipulum indicauit ipsemet in epistola ad Florinum, apud Eusebium, l. 5. histor. ecclesi. cap. 19. cuius verba hoc ipso cap. in vita posui. *Vidi te*, inquit, *Florine, adhuc puer cùm essem, in inferiore Asia apud Polycarpum* &c.

IRENÆVS S. POLYCARPI DISCIPVLVS.

Testatur & B. Theodoretus dialogo 1. contra hæreses post medium, his verbis: Ἀ'κήκοας καὶ Εἰρηναῖον, ὃς τῆς Πολυκάρπου διδασκαλίας ἀπήλαυσεν, ἐγεγόνει δὲ φωστὴρ Γαλατῶν τῶν Ἑσπερίων. *Inaudisti etiam de Irenæo, qui Polycarpi fruitus est disciplina, & Gallorum occidentalium lumen fuit.*

Et ante Theodoretum Eusebius lib. 5. hist. eccl cap. 6. his verbis: Εἰρηναῖος τῆς κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἡγεῖτο παροικίας, τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. Πολυκάρπου δὲ τοῦτον ἀκουστὴν γενέσθαι κατὰ τὴν νέαν ἱστοροῦμεν ἡλικίαν. *Irenæus ecclesiæ Lugdunensis episcopatum, quem Pothinus gesserat, cap. suscepit. Hunc in iuuenili ætate Polycarpi fuisse auditorem accepimus.*

IDEM S. PAPIÆ.

c *ET S. PAPIAS HIERAPOLITANVS*] Papiæ auditorem fuisse Irenæum docet Hieronymus, epist. 29. ad Theodoram. *Refert*, inquit, *Irenæus vir Apostolicorum temporum, & Papiæ auditoris euangelistæ Ioannis discipulus, Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, quòd Marcus quidam* &c. Huius S. Papiæ vitam scripsi priore tomo: vbi contra Eusebium Pamphili & Cæsarem Baronium, integra disputatione probare conatus sum nõ modò Ioannis cuiusdam senioris ac minùs noti, sed ipsius quoque Ioannis Apostoli & Euangelistæ fuisse discipulum.

d *VIDI TE, INQVIT, FLORINE* &c.] Hæc reperiuntur græcè apud Eusebium l. 5. cap. 19. & suprà positi inter Irenæi Fragmenta. Vide primum Fragmentum. Sed de eodem Florino simul & Blasto, de gradu Presbyterij in hęreses lapsis, ita idem Eusebius lib. 5. cap. 14. Οἱ δὲ ἐπὶ Ῥώμης ἤκμαζον, ὧν ἡγεῖτο Φλωρῖνος πρεσβυτερίου τῆς ἐκκλησίας ἀποπεσών. Βλάστος τε σὺν τούτῳ παραπλησίῳ πτώματι κατεσχημένος· οἳ καὶ πλείους τῆς

A ἐκκλησίας περιέλκοντες ἐπὶ τὸ σφῶν ὑπῆγον βούλημα, θάτερος ἰδίως περὶ τὴν ἀλήθειαν νεωτερίζειν πειρώμενος. *Alij autem Romæ floruerunt, quorum dux fuit Florinus de presbyterio ecclesiæ lapsus: & cum illo vnà Blastus persimili casu afflictus, qui etiam complures in suam pertraxerunt sententiam, singuli propriam sectam contra veritatem excitare moliti.*

e *SVI ILLIVS SENIORIS, CVIVS FREQVENTER IN LIB. SVIS COMMEMI-* SENIOR QVIDAM SÆPE AB IRENÆO CITATVS.
B *NIT.*] Libro 4. aduersus hęreses, cap. 45. ter citat Presbyterum, siue Seniorem. Semel quidem his verbis: *Quemadmodum audiui à quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos viderant, & ab his qui didicerant sufficere veteribus de his, quæ sine consilio Spiritus egerunt, eam quæ ex Scripturis esset correptionem.*

Et eodem lib. cap. 47. *Valde insensatos ostendebat Presbyter eos, qui ex his, quæ acciderunt*
C *ijs, qui olim Deo non obtemperabant, tentant alterum Patrem introducere.*

Et cap. 49. *Qui verò exprobrant & imputant, quòd profecturus populus iussu Dei vascula omnis generis & vestimenta acceperit ab Ægyptijs, & sic abierit: (ex quibus tabernaculum factum est in eremo) ignorantes iustificationes Dei & dispositiones eius, semetipsos arguunt, sicut & Presbyter dicebat.*

Et cap. 50. *Talia quædam enarrans de an-*
D *tiquis Presbyter reficiebat nos, & dicebat de his quidem delictis, de quibus ipsæ Scripturæ increpant Patriarchas & Prophetas, nos non oportere exprobrare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, & in maledictionem decidit.* &c.

Citatur etiam cap. 52.

Item l. 5. c. 5. & cap. 17. *Quemadmodum dixit quidam de Senioribus: per extensionem manuum duos populos ad vnum Deum congre-*
E *gans.* Christus scilicet.

Et cap. 33. *Quemadmodum Presbyteri meminerunt, qui Ioannem discipulum Domini viderunt.*

Ibidem & S. Papiæ meminit nominatim.

f *IPSE ITEM VIR APOSTOLICVS.*] Ita sæpenumero appellatur Irenæus ab Hieronymo, Theodoreto, & alijs. Hieronymus in c. 64. Isaïæ. *De quibus diligentissimè vir Apostolicus scribit Irenæus, Episcopus*
F *Lugdunensis & martyr.*

IRENÆVS VIR APOSTOLICVS.

Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, in Menandro. Κατὰ τούτου συνέγραψεν Ἰουστῖνος &c. καὶ Εἰρηναῖος, ὃ καὶ πρόσθεν ἐμνήσθημεν· ἀποστολικὸς δὲ καὶ οὗτος ἀνήρ. *Contra hos scripsit Iustinus* &c. *& Irenæus, cuius suprà quoque meminimus: est verò & vir hic Apostolicus.*

Et in Carpocrate: ἵνα δὲ μή τις ὑποπτεύσῃ με ταῦτα πλάττειν κατ' αὐτῶν, Εἰρηναίου τοῦ τῶν Ἑσπέραν φωτίσαντος, ἀνδρὸς ἀποστολικοῦ παρα-

παραθήσομαι μαρτυρίαν. Ac ne quis suspicetur hæc à me fingi contra illos; Irenæi illius, qui Occidentem illustrauit, viri Apostolici apponam testimonium.

Et lib. 2. earundē hæret. fab. capite de Nazaræis: Κατὰ τούτων συνέγραψεν Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος καὶ μάρτυς, καὶ Εἰρηναῖος ὁ τῶν Ἀποστόλων διάδοχος. *Contra illos conscripserūt Iustinus Philosophus & Martyr, & Irenæus Apostolorum successor*; tam doctrina scilicet, quàm ætate: non ita quidem vt primos Christi Apostolos viderit, sed quòd proximo ab ipsis sæculo vixerit, & illorum qui Apostolorum quoque nomine honorabantur (quales fuerunt Dionysius, Ignatius, Polycarpus, Papias, & similes) successor extiterit.

AD CAPVT III.

a DIGNITATE SACERDOTII COHONESTAVIT] Planè credendum est Irenæū à Polycarpo, Episcopo suo & Magistro Sacerdotem consecratum, idque ante eiusdem Polycarpi profectionem in Italiam & vrbem Romam ad Anicetum Pontificem. Nam ab anno Christi 120. (quo circiter tempore natum statuimus Irenæum) vsque ad Aniceti Pōtificis tempora, & Polycarpi cum eo congressum, anni fere 40. intercedunt, & si Baronio quidem crederemus, 47. Quę procul dubio ætas in homine à pueritia dedito litteris, & magnā cum virtutem, tum doctrinam assecuto, sacerdotij haud indigna fuit munere: immo ad dandam libris (quos tum cœpisse scribere est vero simillimum) auctoritatē & nomen, non solùm dignissima eo munere, sed etiā velut ipsi debitum necessariò adepta. Existimauit Martinus Polonus in suis Supputationibus Irenæum tempore Aniceti non modò Sacerdotē fuisse, sed etiam Episcopum, & iam tum Lugdunensem gubernasse ecclesiam. Nos satis habemus dicere, eum fuisse Sacerdotē: aliquanto autē pòst (Pothino scilicet vita functo) ei successisse.

POTHINVS EPISCOPVS LVGDVNENSIS.

b S. POTHINVM LVGDVNENSEM EPISCOPVM] Græci Ποθεινὸν, *Pothinum* appellant. Eusebius, Sophronius, Nicephorus, Menæa perpetuò ita scribūt: è Latinis quoque Hieronymus & quidam alij, vti & manu scriptus codex Gemblacensis. Recētiores autem multi *Photinus*. Sed cùm Græcus fuerit, sequamur oportet Græcos. Credibile est enim Latinos quosdam, cùm legerēt *Pothinus*, existimasse mendum, & scripsisse *Photinus*, quasi à φῶς φωτεινὸς, *à luce lucidus* diceretur; cùm vox Ποθεινὸς *amabilis, desiderabilis*, à πόθος *amor, desiderium*, emanet. Hic ergo Pothinus Lugdunensium primus Episcopus fuisse scribitur, qui cùm maior nonagenario subierit martyrium M. Aurelio Antonino Imp. sub annum Christi 79. necessariò eiusdem Christi Domini primo sæculo natus esse dicendus est. Non fuit tamen (quod perperam visum quibusdam fuit) S. Petri Apostolorum Principis discipulus. Nam cùm modò nonagenarius, modò maior nonagenario, id est, paullo maior, sub M. Aurelio mortuus dicatur Pothinus: reperiuntur à Nerone, sub quo Petrus passus est, vsque ad M. Aurelium sub quo Pothinus vixit, 107. anni circiter. Tot igitur vixisse annos oportuisset Pothinum, & insuper minimùm quindecim. Nec enim poterat S. Petri esse discipulus, nisi quindecim saltem adolescens annorum, ita vt 120. duobus annis vixisse dicendus esset. Quod si ita foret, potiùs *lōgè maior centenario* vocatus esset ab Auctobus, quàm *maior nonagenario*.

AD CAPVT IV.

a MASSILIAM &c.] Est Massilia, Galliæ Narbonensis vrbs maritima, eadémque antiquissima, & potentissima, & moribus excultissima, à Phocæensibus è patriā Ioniā profugis condita, Tarquinio Prisco Romanorum Rege, olympiadis 45. anno 3. ad quem annum sic notauit Eusebius in Chronico: *Massilia condita, ciuitas Galliæ.* De eius situ ad mare atque ad ostiū Rhodani scribit Iulius Cæsar in cōmentario De bello ciuili, l. 2. initio. *Massilia enim*, inquit, *ferè tribus ex oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ habet aditum à terra.* &c. vide ibi plura. Et infrà, de vrbis eiusdem antiquitate & fama, (propter quæ idē Cæsar à se deuictam conseruauit) ita loquitur: *Quibus rebus confectis Cæsar magis eos pro nomine & vetustate* [Massilienses scilicet] *quàm pro meritis in se ciuitatis conseruans, duas ibi legiones præsidio relinquit: ipse ad Vrbem proficiscitur.* Tenuerat enim Massilia partes Pōpeij magni contra Cæsarem, & damna illi intulerat. De eiusdē antiquitate, situ, potentia, scribit Iustinus Trogi, lib. 43. sub medium: *Temporibus Tarquinij Regis, ex Asia Phocæensium iuuentus ostio Tiberis inuecta amicitiam cum Romanis iunxit: inde in vltimos Galliæ sinus nauibus profecta, Massiliā inter Ligures & feras gentes Gallorum condidit: magnásque res, siue dum armis se aduersus Gallicam feritatem tuentur, siue dum vltro lacessunt, à quibus fuerant antè lacessiti, gesserunt.*

De disciplina autem & moribus eiusdem ciuitatis ita M. Tullius in orat. pro L. Flacco. *Neque verò te Massilia prætereo, quæ L. Flaccum militem, quæstorémque cognosti: cuius ego ciuitatis disciplinam atque grauitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguáque diuisa, cùm in vltimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, sic Optimatum*

matum consilio gubernatur, vt omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm æmulari.

Hæc omnia, quæ de antiquitate, situ, præstantia Massiliæ dicta sunt, valde confirmat & declarat Strabo, Geographiæ accuratissimus, lib. 4. sub initiũ, his verbis: Κτίσμα δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία· κεῖται δ' ἐπὶ χωρίου πετρώδους· ὑποπέπτωκε δ' αὐτῆς ὁ λιμὴν θεατροειδεῖ πέτρᾳ βλεπούσῃ πρὸς τὸν νότον. Τετείχισται δὲ καλῶς καὶ αὐτή, καὶ ἡ πόλις σύμπασα μέγεθος ἔχουσα ἀξιόλογον· ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται, καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν· τοῦτο μὲν κοινὸν Ἰώνων ἁπάντων· Τὸ δὲ Ἐφέσιον τῆς Ἀρτέμιδός ἐστι νεὼς τῆς Ἐφεσίας. *Massilia à Phocæensibus est condita, sita loco saxoso, portum habens subiectum, theatri formâ cauato saxo, austro obuersum: cùm portus, tum ipsa vrbs præclarè ædificata est, iusta magnitudinis. In arce est Ephesium, & Apollinis Delphinij fanum. Hoc quidem omnium Ionum commune est. Ephesium autem, fanum est Dianæ Ephesiæ.* Et paullò pòst:

Διοικοῦνται δ' ἀριστοκρατικῶς οἱ Μασσαλιῶται πάντων εὐνομώτατα, ἀνδρῶν χ. καταστήσαντες συνέδριον, διὰ βίου ταύτην ἐχόντων τὴν τιμήν, οὓς Τιμούχους καλοῦσι. πεντεκαίδεκα δ' εἰσὶ τοῦ συνεδρίου προεστῶτες. τούτοις δὲ τὰ πρόχειρα διοικεῖν δέδοται. Πάλιν δ' ἐπὶ τῶν πεντεκαίδεκα προκάθηνται, τρεῖς οἱ πλεῖστον ἰσχύοντες. Τούτων δὲ εἷς Τιμοῦχος οὐ γίνεται, μὴ τέκνα ἔχων, μηδὲ διὰ τριγονίας ἐκ πολιτῶν γεγονώς. Οἱ δὲ νόμοι Ἰωνικοί, πρόκεινται δὲ δημοσίᾳ. *Respublica Massiliensium omniũ optimè legibus paret, administrata per Optimates (Aristocratiam hoc Græci vocant) concilio* IↃC.* *virorum, quos ab honore, quem per totam vitam gerunt, Timuchos nominãt. Huic concilio quindecim viri præsunt, quorum est occurrentia negotia expedire. Ex his rursum tres præsident maximâ potestate. Nullus Timuchi dignitatem cõsequitur, cui nulli sint liberi, aut cuius stirps inter ciues non per tres ætates durauerit. Legibus vtuntur Ionicis, publicè expositis.*

Et infrà, de studijs litterarum ibidem vigentibus, hęc refert: Ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας κατεσκεύαζε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν· ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας. *Hæc vrbs paullò ante hæc tẽpora barbaris loco ludi litterarij patefacta est, tantúmque apud Gallos Græcarum litterarũ studium excitauit, vt contractuum quoque formulas græcè conscriberent: in præsenti autem etiam nobilissimis Romanorum persuasit, vt discendi studiosi pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur.*

Nonnulla eiusdem vrbis laudabilia instituta, & exempla morum grauitatis ac seueritatis memorat Valerius Maximus lib. 2. Dictorum, factorúmque memorabiliũ, c. 6. è quibus vnum hîc notabo, dignissimum, quod omnes Christianorum vrbes imitentur. Sic igitur ille inter alia: *Eadem ciuitas seueritatis custos acerrima est, nullũ aditum in scenam Mimis dando, quorũ argumenta, maiore ex parte, stuprorũ continent actus: ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumat.*

MASSILIÆ SITVS, ex Strabone li. 4. Geographiæ.

EIVS POLITIA.

* *sex centorum.*

Timuchi, i. honorati, vel æstimati, Senatores.

EIVSDEM STVDIA LITTERARVM.

MIMIS ADITVS IN SCENAM INTERDICTVS.

b *QVAS DE BEATO LAZARO*] Fuit B. Lazarus Massiliæ vrbis primus Episcopus, eò appulsus post dispersionem Christianorum, quæ describitur in Actis Apostolorũ, c. 8. cùm scilicet post necem S. Stephani, furente in Apostolos & discipulos Domino Saullo persecutore, omnes Hierosolymis excesserunt præter Apostolos, & in varia abierunt. *Facta est autem,* (inquit Lucas, Actor. 8. ver. 1.) *in illa die persecutio magna in ecclesia, quæ erat Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati: & fecerunt planctum magnum super eũ. Saullus autem deuastabat ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam. Igitur qui dispersi erant, pertransibant euangelizantes verbum Dei.* &c. Eadem porrò persecutione Lazarus vnà cum sororibus suis Magdalena & Martha, & quibusdam alijs malè à Iudæis habiti & impositi nauigio omnibus ad nauigandum instrumentis exarmato, tanquam facilè hauriendi fluctibus ac submergendi, ducente Deo Massiliam peruenerunt. Illic fundauit Lazarus Ecclesiam, eique præfuit. De quo ita Romanum martyrologium ad 17. Decembris: *Massiliæ in Gallia, beati Lazari Episcopi: quem Dominus in euangelio à mortuis suscitasse legitur.* Vellem, exstaret Andræ Cretensis scriptum de illo encomium, quod latere in bibliotheca Sfortiana græcè dicitur, cod. MS. num. 11. Permagno æstimatę sunt S. Lazari Reliquiæ. Corporis quidem pars præcipua dicitur asseruari etiamnum Massiliæ, in æde principe B. Virgini Mariæ dedicata: item vestimenta quædam sacra, quibus idẽ Episcopus ad sacrificia vtebatur, in eadem vrbe ad memoriã & cultum custodiri. Vide Antonium Democharẽ in libro, De diuino Missæ sacrificio, cap. 32. in recensione Episcoporum Massiliensium, & Belloforestiũ tom. 1. Cosmographiæ, in descriptione Galliæ Narbonensis, & speciatim Massiliæ.

De istorũ SS. in Galliam appulsu agit Cæsar Baronius tom. 1. Annaliũ eccl. ad Christi annum 35. his verbis: *Hac ipsa dispersione Ananias discipulus profectus Damascum collegit ecclesiam. Insuper colligere possumus, hoc quoque tempore Lazarum, Mariam Magdalenen, Martham, & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi maiori odio exardebant, non tantũ Hierosolymis pulsos esse, sed vnà cum Maximino discipulo naui absque remigio impositos, in certũ periculum mari fuisse creditos: quos diuina prouidẽtia*

Actor. Apost. cap. 8. ver. 1.

Acta Magdalenæ & sociorum.

Cod. MS. histor. Anglicanæ in bibliotheca Vaticana.

tia Maßiliam tradunt appulisse: comitémque ferunt eiusdem discriminis Iosephum ab Arimathæa, nobilem decurionem: quem tradũt ex Gallia in Britanniam nauigasse, ibíque diem clausisse extremum. A

Quandónam verò ea B. Lazari & sororũ, sociorúmue nauigatio & felix ad Massiliam appulsus contigerit, non omisit annotare Flauius Lucius Dexter: nempe anno Christi quadragesimo octauo; & vrbis Romæ septingentesimo nonagesimo nono, vbi sic notauit: B *Hierosolymitani Iudei vehemẽter infensi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximino, Iosepho ab Arimathæa, nobili Decurioni, & alijs plurimis naui sine remigio, velísque, ac sine gubernatore eas imponunt, & exsulare mandant. Qui per vastum mare diuinitus delati, ad Maßiliensem portum incolumes appellunt.* Ita Dexter.

Et hæc confirmat doctissimus vir, & plurima lectione exercitatus Scriptor, Franciscus Biuarius, in suo ad hunc Dextri locum cõmentario. C *Adstipulantur his, quæ à Dextro referuntur,* inquit, *antiqui manuscripti codices, veteráque Hispaniæ Breuiaria, è quibus legi Asturicense & Palentinum.* Vide ibi plura.

Reliquiarum porrò S. Lazari, & S. Mariæ Magdalenę complures fuisse translationes, colligitur tã è Menæo ac Menologio Græcorum, ad XVII. Octobris, quàm è Georgio Cedreno, in compendio historiarum, in D Leone Philosopho, Imp. vbi sic de illo: Ἀνήγειρε δὲ καὶ ναὸν ἄλλον κατὰ τὰς τόπους, εἰς ὄνομα τοῦ ἁγίου Λαζάρου, ἐν ᾧ καὶ τὸ τοῦ ἁγίου μετακομίσας ἀπέθετο σῶμα, καὶ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς Μαγδαλινῆς, ἐξ Ἐφέσου μετακομίσας. *Ibidem* [Cõstantinopoli scilicet] *aliud quoque templum excitauit sancto Lazaro sacrum, in quo & eius corpus illuc translatum deposuit & sanctæ Mariæ Magdalenæ translatum ex Epheso.* Guilielmus Xylander ita verterat græca, vt indicaret E vtrumque corpus ex Epheso translatũ. Atqui in Menæo Græcorum dicitur idẽ Leo corpus S. Lazari e Cypro insula transtulisse, siue Citio ciuitate eius insulę. Sic enim ciuitatẽ vocat Claudius Ptolemęus libro V. Geographiæ, c. 14. Κίτιον πόλις. *Citium ciuitas,* cùm in Menæo populi inde dicti vocẽtur Κιτιαῖοι Cytiçi. Translationis earundem Reliquiarum meminit etiam Michaël Glycas parte 4. Annalium post mediũ; sed F tacet, vnde translatæ sint. *Ceterum Leo,* inquit, *cùm templum exstruxisset in honorem nominis sancti Lazari, tam ipsius, quàm Mariæ Magdalenæ reliquias eò transtulit.* nempe partes aliquas Reliquiarum, non totas.

Michaël Glycas, par. 4. Annalium.

c *QVID ITEM DE S. MAGDALENA.*] Mortẽ S. Magdalenæ assignat Lucius Dexter anno Christi 88. Vrbis Rom. 839. vbi sic notat: *MARIA Magdalena miraculis clara, mirificè diuinis laudibus, contemplationíque dedita in cælum migrat.* Rupes autem & speluca, vbi S. Magdalena vitam egit cælestem, sita est inter Massiliam & Aquas Sextias, quam egregiè describit Belloforestius loco nuperrimè citato. Ad eam speluncam celebris est peregrinatio ex pietatis affectu. Quò cùm adijsset Franciscus Petrarcha sacro quodam deuotionis horrore commotus, ibi ad pãgendum de S. Magdalena carmen prosilijt, quod ibidẽ velut pium anathema reliquit: in quo sunt hi versus inter alios, de Christo illam cælitus absque terreno cibo nutriente:

S. MAGDALENA SPELVNCA.

Te quoque digressus terris, & ad astra reuersus,
Bis tria lustra, cibi nunquam mortalis egentem,
Rupe sub hac aluit, tam longo tempore, solis
Diuinis contentam epulis, & rore salubri.
Hac domus antra tibi stillãtibus horrida saxis,
Terrifico tenebrosa situ, tecta aurea Regum,
Delicias omnes, ac ditia vicerat arua.
Hac inclusa libens, longis vestita capillis,
Veste carens alia, ter denos passa decembres,
Diceris hic non fracta gelu, nec fracta pauore.
Namque famẽ, frigus, durũ quoque, saxa, cubile
Dulcia fecit amor, spéque alto pectore fixa.

Sic ille. Vide Belloforestium suprà.

S. Magdalenæ corpus nunc asseruatur in vrbe S. Maximini, in eadem prouincia: quæ vrbs ab ipso S. Maximino Episcopo Aquẽsi, vno è comitibus eiusdem S. Magdalenæ est appellata. Illius Maximini memoria in martyrologijs celebratur ad 8. Iunij. Dicitur porrò in eadem vrbe sex circiter milliaribus ab Aquis Sextijs distante, ipsum caput S. Magdalenæ ostendi, quod adhuc in fronte aliquid carnis habeat, ea scilicet in parte, in qua illam Christus Dominus à sua Resurrectione tetigerit.

LVGDVNI ORIGO ET SITVS.

d *ATQVE AD VRBEM LVGDVNVM.*] Est Lugdunum vrbs Galliæ Celticæ prima & nobilissima inter Rhodanum & Ararim sita, Lugudunũ olim appellata: Quod monstrant quædam antiquæ inscriptiones, quarum vnam exhibet Paradinus in historia Lugdunensi, lib. 1. c. 6. Situm describit Strabo, lib. 4. Geographiæ, ante mediũ, his verbis: Πλησίον δ' ὑπέρκειται τῆς Οὐιέννης τὸ Λούγδουνον, ἀφ' οὗ συμμίσγουσιν ὅ τε Ἄραρ καὶ ὁ Ῥοδανός. *Paullò supra Viennam est Lugdunum: vbi Arar & Rhodanus confluunt.* Vide ibi plura.

Eam vrbem condidit L. Munatius Plancus, M. Tullij Ciceronis discipulus, anno Augusti Imp. 19. Olympiadis 188. 4°. Sic ad eum annũ in Eusebiano Chronico Hieronymus: *Munatius Plancus Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui cùm Galliam comatam regeret, Lugdunum condidit.*

Meminit huius conditionis & Dio Cassius l. 46. sub finem: sed attribuit Lepido & Planco simul, non soli Planco, cùm de ambobus ita scribit: Καὶ ὅπως ἐκεῖνοι ἀπομείναντες

μείναντες τὸ Λυγύδυνον μὲν ὀνομάζειν, νῦν δὲ A Λύγδυνον καλούμενον, ἔκτισαν. *Atque ita ipsi illic subsistentes Lugdunum ædificauerunt, quod olim Lugudunum appellabatur.*

De Planco Lugduni conditore, aut potiùs deductore Coloniæ, exstat in altissimo Caietani promõtorij cacumine intra quoddam ingẽtis magnitudinis mausoleum certa memoria. Nam intra illud mausoleum est forma quędam templi, supra cuius ostium, L. Planci titulus characteribus pul- B cherrimis, velut in tabula sculptus, sic integrè legitur:

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS. CENS. IMP. ITER. VII. VIR. EPVL. TRIVMP. EX RAETIS AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE. MANVBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT. LVGDVNVM. ET. RAVRICAM.

Hæc inscriptio exstat apud Ianum Gruterum, in Corpore Inscriptionum Roma- C narum, pag. 439. & apud Guilielmum Paradinum in historia Lugdunensi, lib. 1. c. 7. & apud Sigonium in commentario ad Fastos & triumphos Romanorum, pag. 309. & libro De nominibus Romanorũ, c. vltimo.

Quòd autem in ea *ædem Saturni fecisse* dicitur, hoc etiam de illo testatur Suetonius in Octauio Augusto, cap. 29. his verbis: *Multáque à multis exstructa sunt: sicut à Marcio Philippo ædes Herculis Musarum: à L. Cornifi- D cio ædes Dianæ: ab Asinio Pollione atrium libertatis: à Munatio Planco ædes Saturni. &c.*

Ab eodem Planco dicta creditur hæc vrbs primò *Plancia*, & pòst à luctu incensæ vrbis *Luctunum*, ex quo deinde (vt omnia mollit ætas) *Lugdunum*. Hoc enim è vetusto illo carmine (quod Francisci Iureti bibliotheca in publicum dedit) probabile comperitur. In eo sunt isti versus:

SAGONA .i. ARAR FLVVIVS

Qua fluit in Rhodanũ pinguis, lentusq́; Sagona, E
Conditur à Planco Plancia magna viro.
Vrbs ea, seu locus hic, lento qui præsidet amni,
Monte iacens flammis corruit in cineres.
Instaurant ciues in margine fluminis vrbem:
Et meliore locant mœnia prisca solo.
Nomen ab euentu tristi, renouata, priore
LVCTVNVM à luctu, quẽ dedit ignis, habet.

LVGDVNI ETYMOLOGIA.

Aliam porrò etymologiã profert Plutarchus in libro De fluuijs, dum agit de Arari: vbi hæc sunt postrema verba: Μώμορος δὲ οἰ- F ωνοσκοπίας ἔμπειρος ὑπάρχων τὴν πόλιν Λούγδουνον προσηγόρευσεν. Λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι· Δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα· καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν ιγ κτίσεων. *Momorus autem augury callentissimus ciuitatẽ Lugdunum vocauit. Lugum enim linguâ suâ coruum appellant: Dunum verò, montem eminẽtem:* vt refert Clitophon in 13. De vrbium ędificationibus. Momorus igitur, visis, dum iacerentur vrbis fundamenta, coruis auolantibus, ab ijs & à loci eminentia, dedisse vrbi nomen prædicatur. Alias etymologias vide in Claudij Roberti Gallia Christiana.

LVDI AD ARAM AVGVSTI.

Fuerunt antiquitus in ea vrbe ludi celeberrimi ad aram Augusti Imp. quorum meminit Dio Cassius, lib. 54. sub finem in his verbis: προφάσει τῆς ἑορτῆς, ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν ἐν Λυγδούνῳ τελοῦσι. *Prætextu eius festi, quod hodiéque Lugduni, circum aram Augusti celebratur.* Ad hos ludos referunt nõnulli hos Iuuenalis versus satyra 1.

Iuuenalis satyra 1.

Palleat, vt nudis pressit qui calcibus anguem:
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Quòd nimirum ludi isti nihil aliud quàm eloquentiæ certamen fuerint, in quo victi formidanda afficerentur ignominia.

LVGDVNI PRÆCIPVÆ LAVDES

Verumenimuero Lugdunum nihil æquè commendat, atque fundata inibi ecclesia, quæ antiquitus fuit, estque etiamnum florentissima. Nam penes eam primatũ fuisse omnium Galliæ ecclesiarum innuit Eusebius, dum lib. 5. hist. eccl. c. 22. scribit super difficultate Paschatis, ecclesiarum Galliæ quas regebat Irenæus, Victoris Papæ iussu habitum in ea concilium. Ex quo colligitur iam tum primatem fuisse Irenæum. Nam cùm duę maximè florerent in Gallia ecclesiæ, Viennensis & Lugdunensis, (quod ex eodem Eusebio, & ex litteris in vita recitatis cognoscitur) dum nationum hoc tẽpore coguntur concilia, tacetur Viennensis, nominatur Lugdunẽsis Episcopus. Verba Eusebij: Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. *Et ecclesiarum Galliæ* [factũ est concilium] *quas Irenæus regebat*. Nam vox παροικίας, paroecia, apud Eusebium, & alios Scriptores Ecclesiasticos passim, pro tota ditione Episcopali capitur.

PAROECIA IDEM QVOD DIOECESIS APVD ANTIQVOS SCRIPTORES.

Glaber Rodulphus lib. 5. historiæ, cap. 4. *Habetur*, inquit, *antiquitus ipsa Lugdunensis ciuitas, index veri luminis maxima partis Galliæ: quoniam præcones primitus Christianæ fidei, à S. Polycarpo, discipulo Ioannis Apostoli missi, eò deuenientes, vniuersam illustrauerunt regionem.*

CONCEPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ FESTVS DIES.

Sed princeps in Lugdunensis ecclesię laudatoribus eminet S. Bernardus, qui epistolam suam ad Canonicos Lugdunenses, de conceptione S. Mariæ (hi enim primi vel inter primos eam solemnitatem auspicati sunt) sic orditur: *Inter ecclesias Galliæ constat profectò Lugdunensem hactenus præeminuisse sicut dignitate sedis; sic honestis studijs, & laudabilibus institutis. Vbi enim æquè viguit disciplinæ censura, morum grauitas, maturitas consiliorũ, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in officiis ecclesiasticis haud facilè vnquam repentinis visa est nouitatibus acquiescere: nec se aliquando iuuenili passa est decolorari nouitate ecclesia plena iudicij*. Ita S. Bernardus.

Odilo

Odilo autem in vita S. Maioli Abbatis A Cluniacensis, *Lugdunum*, inquit, *profectus est*, [S. Maiolus] *Philosophiæ matrem & altricem, totiúsque Galliæ ex more antiquo & iure ecclesiastico arcem.*

e *ETIAM IPSORVM GENTILIVM, FIDEIQVE HOSTIVM CONFESSIONE.*] Nam Cæcilius Gentilis apud Minutium Felicem, in Octauio, sub initium, sic de Christianis, quos calumniatur: *Occultis se notis & insignibus noscunt: & amant mutuò* B *penè antequam nouerint. Passim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miscetur: ac se promiscuè appellant fratres, & sorores.* &c. Cui Cæcilio sic respondet Octauius: *Sic nos denique non notaculo corporis, vt putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus: quoniam odisse non nouimus. Sic nos, quod inuidetis, fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt consortes fidei, vt spei coheredes.* C

Similem locum habet Tertullianus in Apologetico, cap. 39. *Sed eiusmodi*, inquit, *vel maximæ dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, vt inuicem se diligant!* ipsi enim inuicem oderunt. *Et vt pro alterutro mori sint parati!* ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. *Sed & quòd fratres nos vocamus, nō aliàs, opinor, infamant, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est.* D *Fratres autem vestri sumus iure naturæ matris vnius: etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt? qui vnum spiritum biberunt sanctitatis?* &c.

f *SED ETIAM LONGINQVI AC PEREGRINI* &c.] Ex omni propè natione sedisse Romæ Pontifices licet ex Anastasio Bibliothecario & ex alijs Pontificum recensitoribus cognoscere. E Multi è primis Græci fuêre, Anacletus, Euaristus, Telesphorus, Hyginus, Eleutherus, omnes Irenæo antiquiores, vti & Anicetus Syrus. Victor autem Papa Irenæo æqualis, Afer fuit. Aliorum Irenæo posteriorum recensione supersedeo. Sed Itali alios omnes numero longe superarunt. Extranei autem summatim recensentur à Claudio Roberto Lingonensi Presbytero, in Gallia Christiana, ad seriem summorum Pontificum, his F verbis: *Ac præterea Galli natione 14. Hispani 4. Germani 4. Græci 15. Anglus vnus. Flander vnus: ex Syria 7. ex Africa 3. Itali plures.* Sic ille.

g *PRIMVS ILLI IN TERRAM GALLIAM INGRESSO LABOR* &c.] Qui enim ad alienæ linguæ homines sic peregrinantur, vt totam velint apud eos, pro Christo & fidei amplificatione, ætatem agere, ij ferè primos labores suos addiscendæ eius nationis linguæ dedicant: immo non tantùm iam ingressi eas terras, isti studio nauant operam; sed in ipso etiam subinde ad illas itinere, atque ante ingressũ. Quod & multi etiamnum in suis, siue ad Indias, siue in Iaponiam, siue in Sinam, siue alias in plagas profectionibus faciunt: & nos ipsi aliquando in Pannoniam & Daciam, Præsidum nostrorum iussu proficiscentes (Deo opt. max. qui me deduxit ac reduxit, si non prorsus incolumem, certè saluum, æterna sit gloria) sicut & nos ipsi, inquam, aliquando fecimus. Testis enim studij nostri est Danubius. Sic igitur Irenæus mox à suo in Celticam ingressu (nisi si etiam priùs) Celticè cœpit addiscere: in quo quidem studio, hoc ipse plus laboris sustinuit, quo maior tum natu fuit. Nam iuuentus & adolescentia (vt vsu cernitur) ad linguas alienigenarum condiscendas, longè posterioribus ætatibus sunt dociliores. Et iunior è duobus socijs meis Iacobus Senaltius Parmensis, piæ mem. medio post ingressum in Hungariam anno publicè catechesin lingua Hungarica Varadini habuit. Sed magno iam natu, vt dixi, erat Irenæus: magno & S. Dionysius Areopagita, cùm in Gallias est profectus, (vti in vitâ eius notauimus) magno & S. Regulus itineris eius comes, & olim S. Ioannis Euangelistæ discipulus, vt ibidem meminimus: magno & S. Pantænus, cùm in Indiam ad gentis illius conuersionem est profectus: de quo nos infrà in ipsius vita: magno & alij multi, qui de suo natali solo in terras alienigenarum, & ignotæ linguæ propter disseminandum Christi Domini euangelium abscesserunt.

h *QVOD AB EO GRÆCE OLIM EDITVM* &c.] Scripsisse Irenæum libros suos græcè, tam clarum est, cùm aliunde, tum ex eius scriptis & fragmentis nunc græcè superstitibus, vt mirer venisse Desiderio Erasmo in mentem de hoc dubitare. In sua enim ad opera Irenæi (quæ primus è longis densisque tenebris eduxit in lucem, idque centum ferè abhinc annis) in sua, inquam, nuncupatoria, vt ipse vocat, epistola sic habet: *Mihi nondum satis liquet, græcéne scripserit, an latinè; etiamsi magis arbitror latinè scripsisse, græci tamen sermonis peritiorem.*

Verùm hanc suam opinionem postea doctior reuocauit, aut potiùs quantum in eam antea inclinabat, tantùm in alterã postea deflexit. Nam in sua præfatione ad librum V. Irenæi, sic scripsit: *In primâ quidem præfatione dubitabamus, vtrum græcè scripsisset Irenæus, an latinè, nec adhuc certum aliquid habemus, nisi quod Hieronymus eo loco, quem modò citaui, testatur eum fuisse græcum. Quanquam & hic dubitare licet, vtrúmne natione græcum dixerit, an Scriptorem græcum. Sed apparet*

Hieronymus in cap. 36 Ezechiel.

paret illum de scriptione sensisse, cùm illum copulet cum Apollinare, quem constat græcè scripsisse. Verba Hieronymi sic habent: Quod & multi nostrorum, & præcipuè Tertulliani liber, qui inscribitur De spe fidelium, & Lactantij institutionum volumen septimum pollicetur, & Victorini Pictabionensis Episcopi crebræ expositiones, & nuper Seuerus noster in dialogo, cui Gallo nomen imposuit (& vt græcos nominem, & primum extremúmque coniungam) Irenæus & Apollinaris. *Hæc Hieronymus. Adiuuant hanc opinionem tituli librorum græci. Tantùm obstrepit, quòd versus aliquot græcos admixtos videmus illius libris, quòd ab Auctore fit vsitatè, ab Interprete non item; tùm quòd nullus indicauit Interpretis nomen.* Hactenus verba Desiderij.

Dicit ergo tantùm duo obstrepere, siue nonnihil remorari, quo minùs constanter afferat Irenęum græcè scripsisse: Vnũ quidem; quòd eius libri admistos habeant versus græcos, id autem tantùm ab ipso Auctore fieri solitum sit, non ab interprete: quia scilicet interpres soleat latinè illos reddere. Alterum autem, quòd non exstet nomen Interpretis.

Sed his duobus obstrepentibus facillimum est obloqui, atque ostendere nihil admodum ea facere, ad probandum libros illos latinè scriptos primitus fuisse. Nam ad prius quod attinet, scimus liberum esse interpretibus, si quos inter vertendũ græcos Auctores offendant versus Poëtarum; vt eosdem versus (præsertim si pauci fuerint) aut gręcè retineant, latinámque interpretationem subiungant; aut illis omissis solam illorum latinam versionem edant. Ita Gentianus Heruetus in postrema Clementis Alexandrini editione ac nouissimo labore suo fecit. Inuenies enim librum VI. Stromatum ita ab eo versum, vt testimonia veterum Græcorum Poëtarum (quæ quidem pauculis carminibus comprehendantur) non tantùm latinè, sed etiam græcè posuerit; alia verò, quæ prolixiora erant, latinè dumtaxat. Nam ante illum ipse B. Irenæi interpres idem fecerat. Quod enim ait Desiderius in Irenæi libris reperiri aliquot versus græcos admixtos; id verum est, sed duobus locis tantùm, atque in vnico libro, & singulis quidem locis, non duos integros versus: siquidem c. 37. libri secundi aduersus hæreses, hoc vnicum habet Hesiodi carmen:

Αἱμυλίυς τε λόγυς καὶ ἐπίκλοπον ἦθος ἐς ἀυτοὺς
Κάτθετο.

Cuius explicationem mox subijcit his verbis: *Vt hoc ipso latino sermone dicamus fraudulentia siue seductionis verba & subinuolantes mores indidit eorum sensibus.*

Capite autem quadragesimo eiusdem libri, habet istud Homericum ex Iliados Δ. siue libro 4.

Οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορέωντο
Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ.

Quod latinè interpretabimur, inquit, *Dij autem apud Iouem considentes tractabant in aureo loco.*

Plures porrò versus græcos, quàm istos, in totis quinque libris latinè vulgatis, (nisi me & visus fefellit & memoria) non est reperiri.

At verò, vbi in græca ipsius Irenæi compositione plures simul fuerunt versus græci, quemadmodum in centone Homerico, lib. 1. aduersus hæreses, cap. 1. tum Interpres latinus omissis græcis versibus, sensum dumtaxat latinâ prosâ reddidit, non versu: sicut illic videre est.

Quin ex his ipsis locis liquidò colligitur Irenæum græcè scripsisse: quandoquidem versus gręcos protulerit, & centonem confecerit ex Homeri versibus, quos ipsos gręcè totidem verbis ex ipso producere se profitetur S. Epiphanius, hæresi xxxi. vnde & illos desumpsi, & suprà capite primo harum Notationum collocaui. Nam si latinè scripsisset, tum potiùs è Virgilianis versibus centonem contexere, aut ab alio contextũ inducere studuisset, quàm ex Homericis.

Accedit illud quoque ex nomine Antichristi argumentum, quod omnino paret inexpugnabile. Libro enim V. aduersus hęreses, cap. 30. disputans de numero nominis, quo appellabitur Antichristus, qui continebit 666. dum aliquot nomina producit, quæ illum continent numerum, græcè illa producit, non latinè; immò latinè reddita non conficiunt eum numerum: vt latinos numeros callentibus cernere obuium est. Si autem latinè scripsisset, debuisset vocabula latina proferre, quæ istum numerum continerent. Facilè enim potuisset (quandoquidem exempli dumtaxat gratia proferebat) talia fingere. Quænam autem græca protulerit, vide loco suprà citato, & ibidem Feuardentij de singularum numero litterarum explicationem. Denique libri S. Irenæi, quos latinè habemus, ita è verbo sunt translati de græco, vt appareat interpretem ad singula ferè verba consuluisse lexicon, ex illo tamen (ita ignarus & paruo iudicio fuit) sæpe vnam significationem accepisse pro altera. Quod plurimis in locis reperiet, qui græcas latináque litteras vel mediocriter callet, si conferre quidem latina cum græcis voluerit.

Alia possunt eandem in rem complura afferri argumenta: sed hæc in præsenti sufficient.

Ad alterum porrò Desiderij Erasmi argumentum,

gumentum,quo mouebatur, vt putaret S. Irenæum latinè ſcripſiſſe illos ipſos libros, qui nunc exſtant, ex eo quòd nullus indicauerit interpretis nomen;facilis in promptu & idonea eſt reſponſio : nempe interpretem ipſum ex ignorationis ſuæ conſciẽtia noluiſſe nomen ſuum prodere, ne ſibi tam mala verſio fraudi eſſet ac dedecori. Ita enim fit,& ſic ſe homines amant:in bonis nomen produnt:in malis abſcondunt.

Eſt & tertia opinio, eorum ſcilicet qui bis ſcripſiſſe Irenæum arbitrantur, primò græcè,deinde eadem latinè.Sed neque hoc mihi placet,neque vlli placere debet tanti perſonam Antiſtitis attendenti. Nam & aliud iudicium eius fuit, quàm vt tam rudia,incongrua,incondita emitteret; & aliæ occupationes,quàm vt ad eiuſmodi negotium,quod multi præſtare meliùs ac commodiùs poſſent,animum applicaret:& alia item Eccleſiæ tempora & perſecutiones, quàm vt ſtudio tam ignobili, tam laborioſo,tam diuturno ipſum vacare, quamuis etiam vellet, Chriſtianæ ducem militiæ permitterent.

Quis igitur tandem iſtorum S.Irenæi librorum interpres,& quando fuit? Vtrumque dictu perdifficile: illud tamen propius vero videtur, interpretem fuiſſe aliquem ex ipſius Irenæi ſacra familia, græcum hominem,latinæ linguæ haud ſatis peritum, cui ipſe Antiſtes id oneris commiſerit; ac proinde vel ipſo adhuc ſuperſtite,vel haud diu poſtea interpretationem illam in publicum emanaſſe. Hoc certè conſtat perantiquis Patribus eam cognitam fuiſſe & vſurpatam: quandoquidem illius verba nõ ſemel,ſed ſæpius à S.Auguſtino citata eſſe habeamus exploratum. Notaui ea verba cap.18.§.10.ſuprà, vti & loca ipſa Irenæi, vnde deſumpta ſunt.

i *NEQVE VERO FACIES, INQVIT*] Hæc græcè reperiuntur in S. Epiphanio hæreſi 31. numero 10. ab his verbis : Οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν τὴν ἐν Κελταῖς διαζῶσαν,&c. *Non requires autem à nobis &c.*

IRENÆI LIBER ADVERSVS GENTES.

k *LIBRVM ENIM ADVERSVS GENTES.*] De hoc libro egi ſuprà cap. 12. in librorum Irenæi indiculo. Multi veterum ſimiles libros *Contra Gentes* inſcripſerunt,in quibus Deorum ab ipſis cultorum fabulas & deliramenta irriſerunt:inter alios S. Iuſtinus martyr, & eius auditor Tatianus. Item Athenagoras, S. Theophilus Antiochenus,B. Clemens Alexandrinus,Miltiades,Origenes,S. Athanaſius, S. Gregorius Nazianzenus,& alij.

l *QVOCIRCA NE CVLPA NOSTRA &c.*] Habentur hæc græcè ipſis Irenæi verbis apud S. Epiphanium, paullò antè citatum,hęreſi 31.numero 9. Ἵνα οὖν μὴ τὴν ἡμετέραν αἰτίαν συναρπάζωνταί τινες ὡς πρόβατα ὑπὸ λύκων. *Ne igitur culpa noſtra abripiantur aliqui tanquam oues a lupis.* Chriſtiani enim ſunt oues Chriſti,& ſic ab illo vocantur:hæretici autem,& quilibet iniuſti Chriſtianorum perſecutores, lupi ſunt, & habentur; lupi ferociã,vulpes calliditate.

AD CAPVT V.

a *INTEREA DVM IRENÆVS &c*] Hîc de perſecutione M. Aurelij Antonini, & L. Veri Impp. agitur: in quâ eccleſiæ Gallicanæ in martyribus ſuis fortitudo ex eiuſdem eccleſiæ Actis expreſſa eſt. Exſtant autem etiamnum tam græcè, quàm latinè ipſorum martyrũ egregia certamina apud Euſebium,& Ruffinum Presbyterum,alióſque eiuſdem Euſebij interpretes.

MARTYRVM GALLIÆ LAVS EXIMIA, ET IPSORVM ACTORVM INSIGNIS COMMENDATIO.

De quibus certaminibus (vt cognoſcatur maximum operæ fuiſſe precium hic inſeri) ita Ioſephus Scaliger, in ſuis ad Euſebium Animaduerſionibus numero MMCLXXXIII. *Ea*,inquit,[Gallorum certamina] *& Polycarpi martyrium hodie exſtant apud Euſebium in hiſtoria eccleſiaſtica : quæ ſunt vetuſtiſſima eccleſiæ martyria:quorum lectione piorum animus ita afficitur; vt nunquam ſatur inde recedat. Quod quidem ita eſſe vnuſquiſque pro captu ſuo,& conſcientiæ modo ſentire poteſt. Certe ego nihil vnquam in hiſtoria eccleſiaſtica vidi,à cuius lectione commotior recedam:vt non ampliùs meus eſſe videar. Idem ſentimus de Actis martyrum Lugdunenſium & Viennenſium apud eundem Euſebium : quibus quid auguſtius? quid venerabilius in antiquitatis Chriſtianæ monumentis legi poteſt?* Ita Scaliger. Cuius ego valde probo amplectórque iudicium. Saxum enim & ferrum ſit oportet, qui tanta fortiſſimorum martyrum virtute atque conſtantiâ non commoueatur.

V. PERSECVTIO ECCLESIÆ SVB M. AVRELIO ANTONINO.

b *ECCE DECENNALIS PERSECVTIO.*] Tam longinquam fuiſſe hanc Imperatorum perſecutionem, tum ex ipſis plurimorum SS. Martyrijs, tum ex apologijs ſub extrema imperij M. Aurelij Antonini datis colligi licet. Nam Athenagoras apologiam ſuam pro Chriſtianis ad Marcum Aurelium Antoninum & Luciũ Aurelium Commodum eius filium Impp.ſcripſit. Hic autem imperij conſors demum factus eſt anno 17.imperij M.Antonini. Quare durabat tum adhuc perſecutio. Nec enim alioqui defenſione Catholicorum opus eſſet ad inhibendam perſecutionem,ſi inhibita iam eſſet. De hac Athenagoræ apologia egi pluribus,in Notationibus ad S.Iuſtinum cap.26.

Euſebius quoque lib.5 hiſt.cap.1.diſertè notat 17. Antonini anno ſæuitum eſſe in Chriſtianos. Ἔτος δ᾽ ἦν ἑπτακαιδέκατον Αὐτοκρα-

τοκράτορος Ἀντωνίνου Οὐήρου, ἐν ᾧ κατά τινα μέρη τῆς γῆς σφοδρότερον ἀναῤῥιπισθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ &c. *Annus erat septimusdecimus Imperatoris Antonini Veri, quo quibusdam in terræ partibus incensa contra nos vehementiùs persecutione.* &c.

Altercatio historica eruendæ veritatis gratiâ.

Verùm altercari poterit hîc aliquis, & dicere, illapsum esse in Eusebij verba non tenue mendum, ac pro anno septimo positum esse septimum decimum Antonini Veri Imp. Græcè enim fuisse primitus: Ἔτος δ' ἦν ἕβδομον. *Erat autem annus septimus.* &c. Et contra reluctantem sic arguet: Imperatorem L. Verum non attigisse annum 17. imperij, ac proinde dici de illo non posse: *Erat autem annus 17. Imperatoris Antonini Veri*, quandoquidem hunc Imperatorem constet apoplexi exstinctum anno imperij sui XI. Quin & opinionem suam eo fulciet, quòd idem Eusebius in suo chronico, ad annum 17. M. Aurelij Antonini, ne verbum quidem vllum fecerit de excitata sub illud tempus persecutione; cùm è contrario ad annum eiusdem Imp. & Lucij Veri VII. in Canone chronico, sub Consulibus Vero III. & Quadrato sic notauerit:

Πολύκαρπος ὁ ἱερώτατος Σμύρνης ἐπίσκοπος τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρίῳ ἐτελειώθη, διωγμοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν γεγονότος. Πολλοὶ δὲ καὶ κατὰ τὰς Γαλλίας νομίμως ὑπὲρ Χριστοῦ ἤθλησαν, ὧν τὰ μαρτύρια ἀναγέγραπται εἰς μνήμην τοῖς ἔπειτα.

Polycarpus, ille sanctissimus Smyrnæ Episcopus, motâ per Asiam persecutione, martyrio pro Christo mortem obijt. Multi itidem in Gallia legitimè pro Christo decertarunt: quorum martyria ad posteritatis memoriam conscripta sunt.

Igitur historiæ Eusebij error in numero annorum è Chronico eiusdē Eusebij corrigendus est. Nam de rebus magis credendum videtur historiæ; licet de temporibus & de annis potiùs Chronologiæ. Quippe quæ de illis expressè & singulariter (vnde & nomen accepit) pertractet. Sic altercator aliquis locutus esse fingatur. Quid respondebimus? Fatendum profectò est altercatorem non omnino male altercari, & parum abesse, quin me in suam pertrahat sententiam. Plurima enim, & ferè omnia dicit vera, saltem in aliquo sensu: videndum tamen, quid possit responderi.

Quod ergo adfert Antoninum Verum Imp. non attigisse annum imperij 17. si intelligamus de L. Antonino Vero Imp. (& ferè de illo solet intelligi) verum dicit: at necessariò dicendus est Eusebius non de illo loqui, sed de fratre eius M. Aurelio Antonino Vero. Est enim is etiam Verus appellatus, vt ex historicis tā profanis, quàm sacris liquet. Is autem non modò attigit annum 17. imperij, sed etiam supergressus est, & ad 19. accessit. Sin de Lucio Vero in-

A tellexerit, in annis videtur esse hallucinatus. Iam ad Eusebij chronicon quod attinet, vtrumque etiam verum est, quod altercator protulit. Nam de persecutione in Gallia, & tacetur prorsus in anno 17. imperij M. Aurelij Antonini, & contrà signatè exprimitur in anno 7. vtriusque simul imperantis, M. Aurelij & Lucij Veri: sed iam quæritur vtri potiùs credendum de annis sit, historiæne Eusebij, an eiusdem potiùs B chronographiæ? & difficilis quidem foret, si de diuersis ageretur Scriptoribus, responsio. Sunt enim aliqui interdum Historici, multis chronographis, etiam in designandis temporibus diligentiores; sed tamen sæpius è contrario. Iam autem, cùm de vno eodémque auctore Eusebio agatur, qui rem vnam aliter habet in Chronico, aliter in historia; requirendum ex ipso est, vtrum posteriùs scripserit, & vtrum item accura- C tiùs. Dubitari enim non potest, quin eius standum sit iudicio, quod posteriùs simul & accuratiùs ipse scripserit. Atqui istud est historia eius ecclesiastica, ipsomet teste: cùm hæc sint eius verba, cap. 1. libri primi eiusdem historiæ: Ἤδη μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον ἐν οἷς διετυπωσάμην χρονικοῖς κανόσιν, ἐπιτομὴν κατεστησάμην· πληρεστάτην δ' οὖν ὅμως αὐτῶν ἐπὶ τοῦ παρόντος ὡρμήθην τὴν ἀφήγησιν ποιήσασθαι. *Iam quidem*, inquit, *res* D *has in Chronicis canonibus antehac breuiter descripsimus: sed nunc earum plenissimam enarrationem conficere institui.* Est autem tunc narratio plenissima, quando accuratè, & cum omnibus circumstantijs, personarum, locorum, temporum descripta est: quemadmodum hæc Acta martyrum Lugdunensium, in historia Eusebij.

Contrà, contrà, clamat altercator: Vel Eusebius in personis Imperatorum erra- E uit, vel in circumstātia temporis. Nam cùm dixit. *Erat autem annus 17. Imperatoris Antonini Veri*, prorsus intellexisse de Lucio Vero Imp. & non de M. Aurelio, luce hac clarius est, ex ipsomet Eusebio, libro V. historiæ, cap. 4. & 5. Nam absolutâ de dictis Martyribus Lugdunensibus narratione, sic concludit in fine capitis quarti: Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπ' Ἀντωνίνου τοιαῦτα, καὶ οὕτως ἔχοντα. *Sed hæc quidem sub Antonino talia fuerunt, & sic* F *se habuerunt*: deinde initio sequentis sic ait: Τούτου δὴ ἀδελφὸν Μάρκον Αὐρήλιον Καίσαρα λόγος ἔχει Γερμανοῖς καὶ Σαρμάταις ἀντιπαραταττόμενον μάχῃ, δίψει πιεζομένης αὐτοῦ τῆς στρατιᾶς ἐν ἀμηχανίᾳ γενέσθαι. &c. *Huius porrò fratrem Marcum Aurelium Cæsarem fama est contra Germanos & Sarmatas prælio decertantem, exercitu suo siti oppresso, quid ageret non inuenisse.* &c. Igitur priori illo cap. per Antoninum intelligit L. Verum, & in sequenti M. Aurelium Antoninum eius fratrem. An

non

non ita est? an non id hac ipsa luce clarius est? Omnino est: & lubens id tibi concedo.

Errauit igitur Eusebius, vel in Imperatore, nominando L. Verum pro M. Aurelio; vel in annis, dicendo 17. pro 7. Negari non potest. Nisi tamen fortè dicatur Eusebius numerasse ãnos ab initio eius imperio, nulla mortis habita ratione: quemadmodum in annis Christi Domini accidit, de quibus dicitur aliquid gestum anno Domini 50. aut 100. licet tot non vixerit. At hoc fieri in Imperatoribus non solet. Quare dicetur Eusebius eo loquendi modo vsus esse, quòd Lucius Verus persecutionis inchoatæ anno septimo sui imperij, & productæ vsque ad decimum septimum annum pòst, præcipuus auctor fuerit. Quæ nodi solutio haud videtur incommoda. Hanc igitur, si alterutra admittenda est, admitto vt minùs incommodam.

Sed quæretur vlteriùs, quî fieri possit, vt M. Aurelij Antonini anno 17. fuerit in ecclesia persecutio, cùm eiusdem anno 13. insignis illa victoria contra Quados & Marcomannos Christianorum precationibus ei obtigerit? Nam Christianis acceptam referens eam victoriam litteras pro eorum securitate edidit. De quibus ita Tertullianus in Apologetico, cap. 5. *Ceterùm de tot exinde principibus vsque ad hodiernum, diuinum humanúmque sapientibus, edite aliquem debellatorẽ Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem. Si litteræ M. Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur: quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palàm ab eiusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palàm dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.*

VICTORIA CHRISTIANORVM PRECIBVS OBTENTA.

Sic ille. Exstat tota huius prælij historia apud Dionem in M. Aurelio: & perstringitur à Claudiano, in consulatu VI. Honorij: sed isti magicis artibus (vti solent Gentiles Christianorum miracula) eam attribuunt victoriam. Dionem porrò confutat Xiphilinus, & ostendit eius victoriæ laudẽ Christianis omnino debitam. Idem vult Paullus Orosius libro 7. cap. 15. vbi de hoc M. Antonini prælio sic loquitur: *Hoc quidem bellum prouidentia Dei administratum esse cùm plurimis argumentis, tum præcipuè epistolâ grauissimi ac modestissimi Imperatoris apertissimè declaratum est. Nam cùm insurrexissent gentes immanitate barbara, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis penè Germania, & in Quadorum vsque fines progressus exercitus, circumuentúsque ab hostibus, propter aquarum penuriam, præsentius sitis quàm hostis periculum sustineret; ad inuocationem nominis Christi, (quam subitò magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palàm fecerunt) tanta vis pluuiæ effusa est; vt Romanos quidem largissimè, ac sine iniuria refecerit, Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cũ plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum terga Romani vsque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam & omnibus penè antiquorum titulis præferendam, rudi parnóque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt. Exstare etiam nunc apud plerosque dicuntur litteræ Imp. Antonini, vbi inuocatione nominis Christi per milites Christianos, & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse victoriam.* Hæc Orosius.

BELLVM MARCOMANNICVM.

E quibus faciles intellectu redduntur, eadem de re, versus Claudiani, in sexto consulatu Honorij Imp.

Claudianus in 6 consulatu Honorij Imp.

Non tantis patriæ studijs ad templa vocatus,
Clemens Marce, redis: quum gentibus vndique cinctam
Exuit Hesperiam paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum. Nam flammeus imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus sonipes: hic tabescente solutus
Subsedit galea: liquefactáque fulgure cuspis
Canduit: & subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit: Chaldæa mago seu carmina ritu
Armauère Deos; seu, (quod reor) omne Tonantis
Obsequium, Marci mores potuere mereri.

Innuit ergo Claudianus victoriam hanc ipsius M. Aurelij Antonini Imp. precibus impetratam esse, & miraculo obtentam. Quæ fuit & Capitolini sententia, in Marco ita scribentis: *Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuiâ impetratâ, quum siti laborarent.*

De hoc prælio & miraculo exstat locus in Eusebij chronico, sed variè corruptus, qui totus sic legendus & corrigendus videtur:

LOCVS IN EVSEBII CHRONICO CORRECTVS.

Imperator Antoninus multis aduersum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinabat: in quibus semel Pertinaci, & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso pluuia diuinitus missa est: cùm è contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Exstant litteræ M. Aurelij grauissimi Imp. quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.

Legi volebat Arnaldus Pontacus: *in quibus semel pertinaci exercitui, & qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluuia diuinitus missa est.* Quasi eo loco vox *pertinaci* esset adiectiua. Verùm eam esse nomen proprium è Græcis Eusebij constat: in quibus sic legitur: Καὶ Περτίνακι, καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ

αὐτοῖς ἐν Κουάδοις δίψῃ πιεζομένοις, ὄμβρος ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐγένετο. Et Pertinaci,& ijs qui cum eo erant,inter Quados siti oppressis imber à Deo accidit.

Vbi patet *Pertinaci* esse nomen proprium ducis exercitus. Is nempe est Ælius Pertinax,qui anno post hanc pugnam circiter vicesimo creatus est Imperator: de quo ita Eusebius in Chronico: *Pertinax septuagenario maior, cùm Præfecturam vrbis ageret,ex senatusconsulto imperare iussus est:*

Iosephus Scaliger vult legi: *in quibus semet,Pertinaci,& exercitu qui cum eo.* &c. At vox illa *semet* neque in græcis est, neque in Latinis exemplaribus,seu impressis,seu manu scriptis reperitur:neque item Hieronymus tam rudis aut despiciens latinitatis fuit,vt tali ac tam rustica oratione vteretur: *in quibus semet,Pertinaci,& exercitu,qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso,pluuia diuinitus missa est.* cùm dicere latinius potuisset: *in quibus sibimet, Pertinaci,& exercitui* &c. per datiuos:vti habent & græca. Peiùs verò apud Baronium anno Christi 176. legitur his verbis: *in quibus semel perniciter exercitui,qui cum eo in Quadorum regione pugnabat.* Qui corrigendus est iuxta prædicta. Hieronymus autem addidit in sua versione vocem *Semel*, quia & res & oratio exigebant. Bene enim respondet voci *sæpe* aliquoties ibidem præmissæ.

LOCVS IN ANNALIBVS BARONII CORRECTVS.

Iam vt ad quæstionem suprà propositam reuertamur:qui fieri potuit,vt eodem propè tempore, & litteræ Imperatoriæ pro Christianis, & persecutio fuerit aduersus Christianos?

Respondeo illas litteras continuis Gentilium conuitijs, qui vel arti magicæ, vel pietati Imperatoris miraculum per adulationem adscribebant,videri aut inefficaces fuisse,aut esse suppressas. Certè cùm multi de ijs scribant litteris,Tertullianus, Eusebius,Paullus Orosius, eæque tanti essent momenti,vt vix vllus, (si quidem nancisci potuisset)extra scripta relicturus esset; nullus tamen est,qui vel illas proferat, vel vidisse se dicat: sed Tertullianus quidem hoc tantùm dicit: *Si litteræ M. Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur*, indicans non esse eas in promptu,dicturus alioqui: *Tenentur litteræ M. Aurelij.* &c.& aliquid certi indidem depromipturus. Eusebius autem non dicit exstare:quamuis eo vocabulo vsus sit in eius versione Hieronymus, sed solummodò: *Λέγονται δὲ καὶ αἱ ἐπιστολαὶ φέρονται Μάρκου τοῦ βασιλέως* &c. *Dicuntur etiam exstare Marci Imp. epistolæ.*&c. Orosius verò: *Exstare etiam nunc apud plerosque dicuntur litteræ Imperatoris Antonini.*

LITTERÆ M. AVRELII ANTONINI PRO CHRISTIANIS VEL SVPPRESSÆ, VEL DEPERDITÆ.

Tali sermonis formâ vtitur & Xiphilinus apud Dionem,in M. Antonino Philo-

A sopho,ante medium: *Λέγεται δὲ καὶ ἐπιστολήν τινα περὶ τούτων εἶναι τοῦ Μάρκου. Dicitur & de his exstare Marci epistola.*

Nusquam autem nunc exstat. Nam illa, quæ S. Iustini martyris apologiæ ad Antoninum Pium subiecta est, hominis est ignarissimi nouum figmentum,nec stabile, nec cohærens.

De quo iudicium Scaligeri verum est. Vide eius Animaduersiones in Chronologi-

B ca Eusebij, sub numero MM. CLXXXIX.

c *SERVI IESV CHRISTI* &c.] Tota hæc epistola aut narratio potiùs græcè exstat apud Eusebium,lib.5.histor.cap. 1. cum ista inscriptione: Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς, καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Ita græca in-

INSCRIPTIO GRÆCA EPISTOLÆ MARTYRVM LVGDVNENSIVM AD ASIANOS.

C scriptio,quam latinè in vitâ positam hîc nõ repeto. Epistolam ipsam & martyria si græcè vis,vide in ipso Eusebio. Cui magna sanè debetur gratia,quòd nõ modò in volumine suo, *De martyribus*, eam historiam incluserit(cum illo enim volumine iam perijsset) sed etiam ecclesiasticæ suæ historiæ inseruerit:in qua nunc perennat, & omni æuo proficit. Pleniùs tamen de his ipsis in eodem illo volumine egerat: quemadmo-

D dum ipsemet indicat lib.5. historiæ, cap.4.

d *E QVIBVS NONNVLLI A TRIBVNO MILITVM*] Græcè: Καὶ δὴ ἀναχθέντες εἰς τὴν ἀγορὰν ὑπό τε τοῦ χιλιάρχου, καὶ τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν. Quæ sic vertebat Christophorsonus: *Quotquot igitur erant à Tribunoplebis,alijsque magistratibus, qui ciuitati præerant,in forum deducti.*

CHRISTOPHORSONI VERSIO EVSEBIANA CORRECTA.

Sed male illud, *à Tribunoplebis*. Neque enim τὸ *χιλίαρχος Tribunumplebis* significat: E sed *Tribunum militum*, seu *præfectum mille viris*,iuxta nominis ἔτυμον. Longè autem is differt à Tribunoplebis, qui *δήμαρχος Demarchus* Græcis dicitur, hoc est, *præfectus plebi*, eiúsque patronus & defensor. Nam Tribunus militum foris militiæ vacabat,ac solis militibus præerat. Tribunusplebis autem nihil extra vrbem potestatis habebat, immo nec integrum diem abesse ab vrbe poterat,vnde nec Lugduni esse, nec iudi-

F cijs præsidere:sed Romæ dumtaxat,quamdiu in officio esset,prospicere vrbis ciuiúmque libertati, nec sinere plebem à potentioribus grauari, aliáque his similia procurare in bonum reip.debebat.

e *VETIVS EPAGATHVS,VNVS E FRATRIBVS*] i. vnus è Christianis. Sic enim soliti inter se appellare: quod à Christo & ab Apostolis didicerunt. Auctor vitæ S. Gregorij Turonensis apud Surium tomo 6.scribit ipsum S. Gregorium genus suum

ducere

ducere ex eodem Vetio Epagatho. Vbi corrigendum quod malè ibi legitur *Pagato*; & quod alibi nonnulli *Vectium* scribunt pro *Vetium*, cùm apud Eusebium lib. 5. c. 1. (vnde omnes desumpsère) legatur: Ο'ύέτιος Ε'πάγαθος εἷς ἐκ τῶν ἀδελφῶν: *Vetius Epagathus vnus è fratribus*. Non debent igitur ex vno fieri duo, quod nimis facile factu, vel coniunctione interiectâ, vel solo commate (vt in quibusdam Romani martyrologij editionibus obseruatum est) interposito.

f *VT QVAMVIS ÆTATE IVVENIS, ZACHARIÆ TAMEN PRESBYTERI &c.*] Græcè: ὡς καὶ περ ὄντα νέον συνεξισοῦσθαι τῇ τοῦ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτυρίᾳ. Ibi τὸ πρεσβυτέρου verti potest, vel *Senioris*, vel *Sacerdotis*. Christophorsonus vtrumque capit, sicque interpretatur: *Vt quamuis esset adolescens, eodem tamen testimonio, quod Scriptura seni Zachariæ sacerdoti tribuit, dignus videretur*. Retinui nomen *Presbyteri* vt nostris quoque vsitatum: & verbum συνεξισοῦσθαι, Sallustiana voce *coæquandi*, significantiùs reddidi.

INCEDEBAT ENIM IN OMNIBVS MANDATIS ET IVSTIFICATIONIBVS DOMINI SINE QVERELA.] Hæc ratio è capite 1. S. Lucæ desumpta & ad hoc allata, vt ostendatur Epagathus Zachariæ Sacerdoti æquandus; planè conuincit non alium hîc apud Eusebium intelligi Zachariam, quàm Ioannis Baptistæ patrem, de quo ibi in Euangelio fit mentio, & de quo & simul de Elisabetha eius vxore dicitur:

Luca 1. vs. 6. *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.*

Quare Iacobus Seuertius valde animi fallus est, cùm in sua Chronologia de Lugdunensibus Archiepiscopis, parte 1. num. 3. existimauit per Zachariam apud Eusebium lib. 5. cap. 1. intelligi martyrem quempiam cum Pothino functum martyrio. Nam agens Seuertius de S. Zacharia tertio Archiepiscopo Lugdunensi ita scribit: *Etenim tertius hic Præsul non est alius ille Zacharias Presbyter Lugdunensis, item sanctus, qui antea propter Christum trucidatus est cum B. Pothino, ex Eusebio, & de quo Vsuardus*. Ita ille.

Verùm nullus apud Eusebium illo loco Zacharias Presbyter inter martyres sancti Pothini socios recensetur: & Vsuardus, aliique nonnulli malam secuti verborũ Eusebij interpretationem à Ruffino Presbytero acceptam à vero aberrarunt. Nam Ruffini verba longè admodum à Græcis discedunt, & pro Zacharia euangelico Lugdunensem substituũt. Sic enim scribit de Vetio Epagatho: *Ille verò habens in se aduocatum pro nobis Iesum, hoc nomine meruit honorari*: [aduocati scilicet Christianorum] *sancti Presbyteri Zachariæ, qui erga sanctos plenitudinem caritatis ostēderat, secutus exemplum*. A

Qui & ipse dum fratribus adest, & defensionem libertatis, quæ in nostra religione consistit, exsequitur, dominicum secutus exemplum, animam suam pro omnibus suis posuit & pro amicis.

Quibus in verbis paraphrasten agit potiùs, quàm interpretem, ac dum nimis liberè euagatur, nimis etiam hallucinatur. Nam græca tantùm sic habent: Ἔχει δὲ τὸν παράκλητον ἐν ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα, πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου, ὃ διὰ τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης ἐνεδείξατο, εὐδοκήσας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἀπολογίας, καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεῖναι ψυχήν. B *Habebat enim in se Spiritum paracletum copiosiùs quàm Zacharias, quem* [Spiritum] *per plenitudinem caritatis ostendebat, gratum habens pro defensione fratrum & animam suam ponere*. Itaque longè est alius sensus, quàm Ruffini verba intulerint: nec Zacharias, de quo hîc sermo, alius est ab eo, de quo suprà fit mentio: sed C idem ipse, de quo Lucæ 1. nempe pater S. Ioannis Baptistæ: cum quo Vetius Epagathus in eo comparatur; quòd vterque Spiritu sancto plenus fuerit, & incesserit in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Frequens enim fuit SS. Patribus, & alijs, ad vitæ integræ & piæ commendationem, à Zacharia euangelico sumere comparationes. Ita S. Ignatius Theophorus epistola ad Philadelphios, de D ipsorum dicit Episcopo: Καὶ ἔστιν ἀμέμπτος οὐχ ἧττον Ζαχαρίου τοῦ ἱερέως. *Estque irreprehensibilis non minùs quàm Zacharias Sacerdos.* Sic Hieronymus in vita Malchi captiui, de illo & anu contubernali, *Tam studiosè*, inquit, *ambo religiosi, & sic ecclesiæ limen terentes, vt Zachariam & Elisabeth de euangelio crederes.*

g *CENAS THYESTEAS, ET INCESTVS OEDIPODEOS*] De his calumnijs E aduersus Christianos fusè egi in vita S. Iustini martyris, in Notationibus ad caput tertium. Quæ autem hîc dicuntur, simillima sunt illis Athenagoræ in Legatione pro Christianis: Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. *Tria nobis obijciunt crimina, impietatem, Thyesteas epulas, congressus Oedipodeos.*

h *IN DIACONVM QVENDAM VIENNENSEM, SANCTVM NOMINE*) Græ- F cè apud Eusebium: εἰς Σάγκτον διάκονον ἀπὸ Βιέννης. *In Sanctũ Diaconum Viennensem.*

Dubitari potest an ciuitate Viennensis fuerit, an verò tantùm in ea ciuitate Diaconus, quamuis alibi natus. Christophorsonus credit ciuem Viennensem fuisse. Nā ita vertit: *in diaconum nomine Sanctum, Viennæ prognatum*. Ruffinus autem sic: *Perurgentes præcipuè Sanctum nomine, diaconum quendam Viennensem*. Vbi illud *Viennensem* cùm referatur ad Diaconum, nihil dicit aliud, quàm

quàm Viennensis ecclesiæ fuisse Diaconũ.

Ac proinde & Ioannes Langus Nicephori Callisti interpres, eadẽ Eusebij verba iã posita sic interpretatur: *in Sanctum ecclesiæ Viennensis Diaconum.* De hoc ita Martyrologium Romanum ad diem secundam Iunij: *Lugduni, sanctorum martyrum Pothini Episcopi, Sancti diaconi, Vetij Epagathi, Maturi, Pontici, Biblidis, Attali, Alexandri & Blandinæ, cum alijs multis, quorum fortia & iterata certamina tempore M. Aurelij Antonini & Lucij Veri, ecclesiæ Lugdunensis epistola ad ecclesias Asiæ & Phrygiæ scripta recenset.* Aliter Ado ad eandem diem: nempe sic: *Ipso die, Lugduni, sanctæ Blandinæ cum XLVIII. Martyribus, temporibus M. Aurelij Veri & Antonini atque Lucij filiorum eius.* Vbi primò corrigendus est numerus, & scribendum *cum XLVII.* Nam comprehensâ ipsâ Blandinâ fuerunt tantùm XLVIII. cùm paullò post non plures ipse numeret. Deinde quòd vitiosè tres numeret Impp. corrige sic: *temporibus M. Aurelij Antonini.* Nec enim qui adduntur, fuerunt filij eius, & ipse amisso Lucio fratre solus regnabat.

Quæ martyria si acciderunt anno M. Aurelij Antonini decimo septimo, vt in historia notat Eusebius, & docet Baronius tomo 2. Annalium, & nos suprà ostendimus, corrigenda sunt verba martyrologij, deletis tribus istis vocibus, *Et Lucij Veri.* Nam L. Verus minimùm septem annis ante hæc martyria obierat: nõ ergo eius tempore acciderunt, vt indicant verba martyrologij. Nisi fortè, vt suprà indicaui, vtrumque imperatorem nominet, quia persecutio Christianorum sub vtroque incepit, nempe anno septimo imperij ipsorum, & perseuerauit vsque ad 17. M. Aurelij Antonini, qui sit etiam decimus septimus ab exordio imperij Lucij Veri, licet ipse ante hunc annum sit mortuus.

S. MATVRVS.

i *ET IN MATVRVM HAVD ITA PRIDEM AQVA SALVTIFERA ABLVTVM*] Græcè est: Καὶ εἰς Μάτουρον νεοφώτιστον μὲν, ἀλλὰ γενναῖον ἀγωνιστήν. *Et in Maturum nuperrimè illuminatum quidem, sed generosum decertatorem.* Vbi *illuminatum* idẽ est, quod baptizatum, sicut apud Paullum in Epist. ad Hebræos cap. 6. versu 4. *Impossibile est, enim eos qui semel sunt illuminati,* &c. *rursus renouari ad pœnitentiam.* græcè est φωτισθέντας *illuminatos.* Vox enim φωτίζειν *illuminare*, apud Græcos crebrò vsurpatur pro *baptisare*: quemadmodum & φωτισμὸς *illuminatio* pro *baptismo.* Hinc & Dionysius Areopagita in libro De ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. Baptismum vocat μυστήριον φωτίσματος, *sacramentum illustrationis.* Cuius rationem affert S. Iustinus martyr in Apologia ad Antoninum Pium & filios Cæ-

A sares, sub finem: Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. *Vocatur autem hoc lauacrum, illuminatio: quòd eorum, qui hæc addiscunt, mentes illuminentur.* Vocatur etiam ab eodem S. Dionysio ibidem ἱερὰ καὶ θειοτάτη ἀναγέννησις, *sancta & diuinissima regeneratio.* Item θεογενεσία, *Deigeneratio,* vt sic loquar: quòd per baptismum fiamus Dei per adoptionem, iuxta illud Ioannis 1. ver. 12. *Quotquot autem*
B *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

S. ATTALVS MARTYR

k *ET IN ATTALVM PERGAMENVM GENERE*] Græcè: Καὶ εἰς Ἄτταλον Περγαμηνὸν τῷ γένει, στύλον καὶ ἑδραίωμα τῶν ἐνταῦθα ἀεὶ γεγονότα. Insignis laus, semper columen & firmamentum fuisse ecclesiarum Gallicarum.

Hic est idem Attalus, qui aliquot annis priùs aliorum in Gallia martyrum ad Pium
C Pontificem litteras Romam detulerat. De quo ita ipse Pius in epistola ad Iustũ Viennensem Episcopum: quam eius veneratione sanctitatis integram iuuat apponere. Igitur sic habet:

S. PII PONT. EPISTOLA.

Pius Episcopus Romanus fratri Iusto Episcopo S.

Attalus epistolas martyrum portans ad nos venit, gaudium inæstimabile faciens de triũpho eorum: qui dixit nobis sanctum Verum, col-
D *legam nostrum, victorem de mundi principe triumphasse: te verò apud senatoriam vrbem Viennam eius loco à fratribus Episcopum constitutum, & colobio Episcoporum vestitum. Vide vt ministerium, quod accepisti, in Domino impleas. Cura autem sanctorum corpora, sicut membra Dei: quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum. Carceres sanctorum visita: ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba: &, vt perseuerent in fide, incitator*
E *insiste. Presbyteri & Diaconi, non vt maiorem, sed vt Ministrum Christi te obseruent: Plebs vniuersa tuâ sanctitate protegatur. Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de tyranni sæuitia iam liberati requiescunt in Domino. Pastor Presbyter titulum condidit, & dignè in Domino obijt. Reuelatũ mihi esse scias collega beatissime, citiùs me finem huius vitæ facturum. Vnum flagito: in communione sta, & mei ne obliuiscaris. Salutat te senatus pauper Christi*
F *apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum, qui tecum sunt, in Domino.*

CAPTIVOS INVISERE.

Hæc est tota S. Pij Pontificis ad S. Iustum Viennensem Episcopum postea martyrem epistola ex ecclesiæ Viennensis archiuo deprompta.

Vtinam autem, vtinam illæ Martyrum epistolæ, quas Attalus Vienna Romam ad Pium Pontificẽ detulit, modò exstarẽt! Nihil est enim in mũdo fortius, nihil dulcius, nihil salubrius inuictorũ Martyrũ epistolis.

Quis

S. VERVS AN FVERIT PRIMVS VIENNENSIS EPISCOPVS.

A Quis porrò fuerit ille Verus Episcopus, cuius mentio fit in Pij Pont. epistola, docet Baronius ad annum Christi 166. his verbis: *Fuit porrò Verus, cuius meminit, primus Viennensis ecclesiæ Episcopus, Apostolorum discipulus, qui Traiani tempore episcopatum eius ecclesiæ accepit, & ad hæc vsque tempora illi præfuit.*

Ita Baronius. Sed vnde habeat fuisse primum ecclesiæ Viennensis Episcopum, haud equidem scio.

B Nam alij S. Crescentem Paulli discipulum recensent primum Viennensem Episcopum, Zachariam secundum, Martinum tertium, Verum quartum, Iustum quintum: nempe Ado, ipse quoque Viennensis Archiepiscopus, & suorum antecessorum diligens perscrutator: & post illum atque ex illo Demochares in Viennensium Archiepiscoporum serie, & Ioannes à bosco in Elencho Pōtificali historico. C Ex quibus Ado quidem in Chronico, ætate sextâ, de Neronis agens temporibus, *Quo tempore*, inquit, *creditur Paullus ad Hispanias peruenisse, & Arelatæ Trophimum, Viennæ Crescentem, discipulos suos ad prædicandum reliquisse.*

Et paullò pòst, Traiani persequens tempora, *Sub quo etiam Imperatore*, inquit, *gloriosissimus senex Zacharias, Viennensis ecclesiæ Episcopus, martyrio coronatur. Nam primus Crescens, discipulus Apostolorum, Viennæ aliquot annos resedit. Quo ad Galatiam reuerso, tertius Martinus Episcopus, & discipulus Apostolorum Viennæ resedit.*

D Et infrà: *Verus Viennensis Episcopus, qui vnus fuit de discipulis & auditoribus Apostolorum, Traiani temporibus doctrina & confessione fidei floruit.*

Ex quibus liquet istum Verum non fuisse primum Episcopum Viennensem, sed quartum.

E S. VERI VIENNENSIS EPISCOPI MORS QVO ANNO ACCIDERIT?

Idem tradunt Demochares & Ioannes à Bosco suprà citati. Sed hic quidem longè à vero aberrat, & secum ipse dissentit, cùm scribit Verum decessisse sub Nerua, & simul Pium Pontificem, (qui tamen diu post Neruam fuit) ad eundem Verum scripsisse. Sic enim scribit: *Qui* [Verus] *postea Kalend. Augusti sub Nerua Imp. sanguine suo Viennensem ecclesiam purpurauit. Ad quem etiam Pius primus, Romanus Pontifex Apostolicam hoc rescriptum transmisit.* Ita ille.

F Atqui Pius Pont. fuit post Neruam, post Traianum, post Hadrianum, sub Antonino Pio, hoc est, quadraginta, eóque ampliùs annis post Neruam. Itaque si Pius Pontifex scripsit ad Verum; non mortuus est Verus sub Nerua; sed sub Antonino Pio, aut etiam tardiùs. Aut certè Pij ad Verum epistolæ dicendæ erunt commenticiæ. Non hoc autem, sed alterum magis dicendum & tuendum est. Nam litteræ Pij, veræ Pij sunt, vt rectè probat Baronius in Annalibus, & missæ non ad Verum, (vti arbitratus est Ioannes à Bosco) sed ad Iustum Veri successorem. Secundò Verus nullo modo sub Nerua dici mortuus debet: cùm ab Adone dicatur floruisse Traiani temporibus, qui Traianus Neruæ successit. Nisi fortè, (quod existimari potest) idem Ioannes à Bosco per Neruam intelligat Traianum, qui coniunctim sæpe dicitur Nerua Traianus, vt è multis patet antiquis inscriptionibus, quas vide apud Ianum Gruterum. Verumtamen nunquam à doctis Scriptoribus per Neruam Imperatorem, si nihil addatur aliud, Traianus intelligitur, sed Nerua Traiani pater & antecessor.

Obijsse autem Verum sub Traiano indicare videtur Ado in verbis paullo superiùs citatis: & rursus cùm agens de Hadriano Imp. Traiani successore ita scribit: *Hoc itidem tempore & Iustus Viennensis ecclesiæ Episcopus, illustrissimus in confessione exstitit.*

Iustus enim successit Vero. Quare si Iustus fuit Episcopus tempore Hadriani; iam obierat Verus, vel sub eodem Hadriano; vel sub Traiano, ex sententia Adonis.

Probabilior tamen est opinio etiam seriùs obijsse Verum, nempe sub Antonino Pio Imp. tempore Pij primi, Pontificis: quandoquidem idem Pontifex scribens Iusto Episcopo, dicat se audiuisse ab Attalo de morte Veri, & successione Iusti ipsius. Quod signum est, non ita pridem vtrumque accidisse.

Baronius existimat Verum obijsse demum M. Aurelio Antonino & L. Vero Impp. & quidem anno quarto imperij ipsorum: vt ibidem in suis annalibus annotat.

Sed existimauit Pium Pont. vsque ad illos Impp. superfuisse. Quod secus est. De errore eius circa annos Pij disputauimus fusè in Notationibus ad Polycarpum.

Ac ne quis in verbis Adonis paullò antè laudatis fallatur, vbi dicit Iustum, Viennensem Episcopum, Hadriani tempore *illustrissimum in confessione exstitisse*, sic ea verba accipienda sunt, vt non de martyrio & morte eius, sed tantùm de tolerata, citra violētam mortem, persecutionis acerbitate accipiātur. Neque enim sub Hadriano mortuus est, neque item sub Antonino Pio, sed sub huius successoribus M. Aurelio Antonino, & L. Vero, vt

ipſemet Ado teſtatur, cùm de illis agens dicit: *Iuſtus Viennenſis Epiſcopus longo tempore exilio maceratus, martyr glorioſus efficitur.*

Itaque per *Confeſſionem* ſuperiùs, intelligit exilium, & alia pro fidei confeſſione perpeſſu acerba & aſpera.

1 *AC IN BLANDINAM DENIQVE, IN QVA CHRISTVS EVIDENTER OSTENDIT*, &c.] Ita Græcè: Καὶ εἰς Βλανδῖναν, δι' ἧς ἐπέδειξεν ὁ Χριστὸς, ὅτι τὰ B παρὰ ἀνθρώποις εὐτελῆ, καὶ ἀειδῆ, καὶ εὐκαταφρόνητα φαινόμενα, μεγάλης καταξιοῦται παρὰ θεῷ δόξης. Latina non repeto, cùm in vitæ contextu poſita ſint.

Exſtat in huius admirandæ virginis laudem egregia B. Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi oratiuncula, perperam hactenus ſub nomine *Euſebij Emeſeni*, ſeu, vt alij ſcribunt, *Emiſeni* edita.

C De hac in Romano martyrologio ad ſecundam Iunij inter alios Lugduni martyres ſic notatur: *In his ſancta Blandina, ſexu infirmior, corpore imbecillior, conditione dejectior, diuturniora & acerbiora certamina ſubiens & fortis adhuc permanens gladio iugulata, ceteros ſecuta eſt, quos adhortabatur ad palmam.* Dicit autem *conditione dejectior*: quia vel famula erat, vel ſerua. Seruam expreſsè vocat Nicephorus Calliſtus lib. quarto, hiſtor. eccl. capite decimo ſepti- D mo, his verbis: Καὶ εἰς Βλανδῖναν δούλην μὲν, ἐλευθέριον δὲ μάλα προβαλλομένην τὸ φρόνημα. *Et in Blandinam, ſeruam quidem, ſed maximè liberali animo præditam.* Fuerat nimirum ante ſuſceptam Chriſti fidem ſerua, ſed pòſt famula dumtaxat: quippe à Chriſto libertate donata.

Ad eandem diem collegit breuiter Ado eiuſdem ſanctæ variorum dierum certamina.

E *Inter hos, inquit, Blandina femina beatiſſima (per quam Chriſtus oſtendit, quia ea quæ apud homines deſpecta ſunt, & in contemptu habentur, in magna gloria apud Dominum ducuntur) glorioſiſſimè coronatur. Cui à prima luce ad veſperam tormenta ſemper innouantes ad vltimum victos ſe tortores confitentur. Quæ & ſecundo die pulſata cruciatibus non ſuperatur. Tertio quoque die religata ad ſtipitem atque in crucis modum diſtenta, beſtijs pabulum præ-* F *paratur. Quam cùm nulla ex beſtijs auderet attingere, rurſum reuocatur ad carcerem. Quarto etiam verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa ad vltimum gladio iugulatur.* Ita ibi. Habet propè eadem Venerabilis Beda, ſed minùs emendatè; ac proinde ex Adone emendanda: *Lugduni*, inquit, *ſancta Blandina, cum vndecim & octo martyribus.* corrige *cum quadraginta octo*, vel potiùs cum 47. Ipſa enim numerum compleuit quadrageſimum octauum. Sed digna eſt beata Blandina, in cuius laudes omnia, quæ vſquam de ipſa reperiri poſſunt, diligentiùs perquirantur. Equidem inuenio tam clarum eius fuiſſe nomen non modò in Lugdunenſi (cuias ea fuit) ſed etiam in Viennenſi ditione, vt ſacris ædibus, templis, cœnobijs inibi honorata ſit: in quibus & præſens ſuum numen, & poteſtatem, ac beneuolentiam erga ſtudioſos ſui cultores oſtenderit: nominatim verò & maximè erga S. Clarum, Viennenſem Presbyterum, & in S. Marcelli martyris cœnobio Abbatem. Huic igitur, quàm nomine Claro, tam virtute clariſſimo cùm habenæ cœnobij ſanctæ Blandinæ viduarum, ad directionem ac tutelam concreditæ eſſent, valde cordi fuit S. Blandinam peculiari cultu ac pietate proſequi, & viciſſim S. Blandinæ illum varijs è cælo donis opportunè remunerari. Quare & ipſe vitâ ſanctiſſimè tranſactâ, ac multis pro aliorum ſalute & incolumitate deſignatis prodigijs, necnon profuſis diuinitus de futuro vrbis & eccleſiæ Viennenſis ſtatu, vſque ad ſeptimum ab exceſſu ſuo Epiſcopum, certis vaticinijs, tandem corpus ſuum in templo beatiſſimæ martyris Blandinæ & ſociorum eius humari voluit: & ipſa Blandina ante ſupremum tempus ſe illi videndam exhibuit, atque ad Agni cenam in diem tertium inuitauit. Ita enim in Actis vitæ ipſius S. Clari expreſſum habemus: *Cùm iam idem CLARVS è morbo decumberet, tertia die antequam clara eius anima corpus deſereret: cúmque ſemper in laudibus Dei perſeuerãret, vidit circa crepuſculum diei aperiri cælum, & immenſum exercitum candidiſſimi & niuei candoris ſuper locum, vbi iacebat, deſcendere: quem exercitum iuuenis miræ pulchritudinis & ſplendoris præcedebat. Quod cùm CLARVS irreuerberatis oculis læto vultu adſpiceret, virgo beatiſſima BLANDINA ab eo cognita conſolari eum cæpit, & vt tantum exercitum ſequeretur hortari. Cúmque ipſe voto & deſiderijs annueret, ab illa audiuit: Tertia die, hora quinta, ſanctus Marcellus & ego ad te venientes, te nobiſcum ad felicia regna ducemus. Et ne hoſtis tibi nocere poſſit, totus iſte exercitus Dei, quem vides, tecum erit. Sic viſione abſcedente beatus vir in eccleſiam deportatus, cilicióque ſuperextenſus, quamdiu ſuperuixit à Dei laudibus non ceſſauit. Appropinquante autem hora exitus ſui pſalterium decantare cæpit. Vt ergo fratres finitis pſalmis dixerunt: OMNIS SPIRITVS LAVDET DOMINVM, cum luce odor ineffabilis cellam, vbi ſanctus Dei iacebat, repleuit: ſicque beata anima carne ſoluta migrauit ad Dominum.* Sic in vetuſtis

INVITATIO AD CÆLVM DATA DIE.

MORTIS DIES ET HORA PRÆDICITVR.

Pſalmo 150. ver. 6.

ſtis manu ſcriptis codicibus. Acciderunt autem hæc ſub annum Domini 686. Caldeoldo eccleſiæ Viennenſis Pontifice. Apud Democharem vocatur Caldeolus in catalogo Viennenſium Archiepiſcoporum,& recenſetur 33. numero. Apud Surium vocatur Cadoldus.

m *IAM VERO SANCTVS* &c.] Hîc refertur Sācti Diaconi prima pugna, & prorſus admirabilis in tormentis intolerabilibus fortitudo ac tolerantia.

n *VOCE ROMANA RESPONDERIT: CHRISTIANVS SVM.*] Hinc & ipſum martyrem,& ipſos Iudices,& tortores,Latinos fuiſſe videtur colligi,non Gallos, neque Græcos:præterquam quod & nomen ipſum Sanctus latinum eſt. Galli autem Romanorum imperio tunc ſuberant: ad quos & de pœnis Chriſtianorum referebatur.

MARTYRVM VOX CHRISTIANVS SVM.

o *CHRISTIANVS SVM*]Hæc vox martyribus & doloris ſenſum minuebat, & animos addebat, & vires inſtaurabat.Hoc enim in vitâ, paullò antè de S. Blandina dictum eſt. Hinc & Sanctus Diaconus hanc vnam vocem, & nullam aliam,diriſſima inter tormenta, in ore habuit: & rogatus de nomine, de patria, de genere reſpondit pro omnibus hoc vnicum, *Chriſtianus ſum*: nec aliud ab eo exprimi, extorquerìue potuit.

Ita in actis SS.Martyrum Tharaci, Probi,& Andronici, reſpondiſſe habemus S. Tharacum, imperantibus Diocletiano & Maximiano. *Maximus enim Præſes dixit Tharaco: Qui vocaris? Te enim oportet interrogare primum:quoniam & ætate ſenior es. Reſpōdit Tharacus: Chriſtianus ſum. Maximus Præſes dixit:Tace de hac impia profeſſione: dic, Qui vocaris?Tharacus dixit:Chriſtianus ſum. Maximus Præſes dixit: Frangite ei maxillas, dicentes:alud pro alio noli reſpondere. Tharacus dixit: Quod eſt nomen meum, hoc dico:ſi autem, quod eſt impoſitum à parentibus, requiris, dicor Tharacus.*

Surius tomo 1.p.1056. ſub med.

Nec multò ſecus S. Neſtor Epiſcopus & martyr à Præſide Pamphiliæ interrogatus, *Quis vocaris?reſpondit: Seruus Chriſti. Præſes dixit: Ego non de conditione,ſed de nomine percontatus ſum. Neſtor ait: Ego verò Chriſtianus ſum:& hoc nomen eſt mihi. Quòd ſi verò etiam temporarium vis nomen ſcire, equidem Neſtor vocor.* &c.

Quid de S.Mardario viro ſimplice & illiterato dicam?cùm vltro relicta coniuge& liberis ad martyres ſe contuliſſet,ac inſtante iam iam certamine ab vno ex illis Euſtrato nomine petijſſet edoceri, quidnam & quomodo reſpondendum iudici eſſet, *dic ſolùm conſtanter,mi frater Mardari,* inquit ille,*Sum Chriſtianus,ſum Chriſti ſeruus, nihil que aliud ei reſpondeas,quidquid contra ille dixerit aut fecerit.* Ita igitur egit, & ita ad omnes interrogationes; & inter omnia tormenta reſpondit, inter quæ & animam cælo reddidit, ſub Diocletiano & Maximiano.Vide Surium 13.Decembris.

p *IPSVM VERE EIVS CORPVSCVLVM TESTIS ERAT* &c.] Ita verti quæ ſic græcè apud Euſebium: Τὸ δὲ σωμάτιον μάρτυς ἦν τῶν συμβεβηκότων, ὅλον τραῦμα, καὶ μώλωψ, καὶ συνεσπασμένον, καὶ ἀποβεβληκὸς τὴν ἀνθρώπειον ἔξωθεν μορφήν. &c. Quæ ita vertebat Chriſtophorſonus: *Corpus autem teſtimonio fuit eorum, quæ ipſi acciderant: vtpote vulneribus & vibicibus totum cruentatum: quod quidem ſic in rugas erat contractum,vt exteriorem hominis formam prorſus abieciſſet:*&c.

In quibus,præter quędam alia,certè illud nimis humile,& longè infra vim verborum græcorum: *quod quidem ſic in rugas erat contractum: vt exteriorem hominis formam prorſus abieciſſet.* Nam τὸ συνεσπασμένον non *corrugatum*, ſed *conuulſum*, *dilaniatum* ſignificat: à verbo σπαράσσω, *conuello*, *contorqueo*, *dilanio*. Quod autem Martyres in illa epiſtola voce diminutiua σωμάτιον, *corpuſculum*, vſi fuerint; non autem σῶμα, *corpus*, credibile eſt eos ad hominis ſtaturam reſpexiſſe,& martyris paruitatem indicare voluiſſe.

q *BIBLIS PORRO VNA EX IIS, QVÆ FIDEM ABNEGARANT*] Hæc in exemplari græco Euſebij reperiuntur, prout latinè expoſui. Ruffinus autem in ſua interpretatione longè aliter. Nam quæ Biblidi Euſebius & Nicephorus tribuunt,ille perperam de Blandina memorat.

r *SVBMONITA EST TEMPORALI HOC SVPPLICIO, VT DE ÆTERNA INFERORVM POENA COGITARET.*] Hinc diſcendum, quam ſit vtilis ad peccata deuitanda, & ad acerba quæque pro Dei honore ſuſtinenda, æternorum ſuppliciorum recordatio & recogitatio. Semel Chriſtum abnegarat ſancta Biblis, idque perpetiendorum metu tormentorum, (non abnegatura alioquin, vt apparet, ſi grauiora illa æternæ durationis attendiſſet) ſed dum vice altera tormentis ſubijcitur, ecce ex temporalibus ad æterna aſſurgit, & præ horum conſideratione, iſta parui ducens, contra Gentilium in Chriſtianos de infantium vorατione calumnias, fidei patrocinium ſuſcipit, & ſeſe voluntaria morti obiectat temporali, vt vitet æternam. Itaque in doloribus morborum, in aculeis iniuriarum,in iacturis fortunarum, in acerbitatibus tormentorum, ſemper ad æterna illa & multò grauiſſima cruciamenta reuocemus

INFERNARVM POENARVM CONSIDERATIO VTILISSIMA.

cemus animum; neque dubium vllum erit, quin malemus ista Deo adiuuante sustinere, quàm hæc eodem puniente tolerare.

¶ *ECQVOMODO, INQVIT, II PVEROS VORARENT, QVIBVS NE ANIMANTIVM QVIDEM RATIONIS EXPERTIVM GVSTARE SANGVINEM LICET?*] Verba sunt sanctæ Biblidis, quæ perperam nonnulli S. Blãdinæ tribuerunt. Ea sic græcè apud Eusebium in epistola Lugdunensium: Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν;

Vnde autem hoc, vt non liceret Christianis vesci sanguine? nempe ex præcepto Apostolorum in concilio Hierosolymitano, vbi sic statutum est Actorum 15. *Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. A quibus custodientes vos bene agetis. Valete.*

Ponitur ergo inter necessaria, *abstinere à sanguine*, id est, ab esu sanguinis. Et de hoc locuta est S. Biblis.

Quare vigebat adhuc in Gallia, & quibusdam in alijs locis, ac diu quoque postea, illud præceptum. Hinc & Tertullianus eodem contra Gentiles redarguendi genere vsus est, quo iam laudata martyr. Sic enim scripsit Apologetici cap. 9. *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus. Qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admouetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò quale est, vt quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?* Ita ille.

Tertullianus in Apologetico, cap. 9

Ne quarto quidem sæculo, eius præcepti vis prorsus exoleuerat. Quod è pluribus colligi potest concilijs particularibus. Nam in Gangrensi quidem secundus ille canon satis innuit, qui etiam habetur dist. XXX. cap. XIII.

GANGRENSIS CONCILII CANON.

Si quis carnem manducantem ex fide cum religione (præter sanguinem, & idolo immolatum, & suffocatum) crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, qui eam manducat; anathema sit.

Vbi innuitur condemnari posse, qui manducat sanguinem, & idolo immolatum, & suffocatum.

Glossa verò ad dictum canonem hæc notat: *Quod autem dicit de sanguine, & carne suffocatâ, hodie non tenet. Quia tantùm in figura fuit istud prohibitum.*

Non tenere quidem, nec obligare hodie certum est: sed ratio, quæ adfertur, sitA ne bona, dubitari potest. Nam si ita intelligatur *in figura*, vt idem sit, quod *in vetere lege*, falsa est: cùm etiam ab Apostolis in noua lege præceptum positum sit, vt suprà ostensum est. Si autem *in figura* ponatur pro *figuratè*, seu *tropologicè*, quasi idem sit *abstinere à sanguine*, quod *abstinere ab homicidio*, perinde falsa est. Nec enim hoc voluerunt Apostoli: cùm de homicidio superuacaneum esset præceptum nouum ponere, B quod satis præcepto diuino & naturali prohibitum erat.

Potest igitur tertiò accipi, *in figurâ*, vt significet *per modum figuræ*, transeuntis scilicet, siue *ad tempus*, ita vt non in perpetuum hoc præceperint Apostoli, sed tantùm ad tempus, quia scilicet status nascentis ecclesiæ id exigere videbatur: vt nimirum, (quod rectè annotauit Cornelius à lapide, noster in sacris litteris præ- C ceptor) *sic faciliùs Iudæi cum Gentibus consuescerent, in vnámque ecclesiam coalescerent. Iudæi enim auersabantur Gentes, quasi barbaras: eò quòd sanguinem comederent.* Ita ille in Leuitici caput tertium, versu 17. Meritò autem abhorrebant Iudæi ab esu sanguinis, quòd expressum à Deo super hac abstinentia præceptum accepissent, Geneseos 9. & Leuitici 3. Illic enim dicitur: *Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: qua- D si olera virentia, tradidi vobis omnia: excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Hic autem in Leuitico: *Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.*

Genesis 9. ver. 3. & 4.

Leuitici 3. ver. 17.

Quis autem præceptum illud, & quando sustulit? Non quidem Pontifex aliquis, non concilium, non necessitas; sed vsus tantùm ipse, & ratio: idque serò admodum & difficulter, saltem vniuersè. Nã apud Græcos quidem generatim nec- E dum sublatam fuisse illam à sanguine & suffocato abstinendi legẽ, anno 1191. Theodori Balsamonis, qui tum viuebat, verba, quibus ad canonis Apostolorum sexagesimi tertij interpretationem vtitur, satis innuunt. Nam producto illo canone, qui vetat esum carnis cum sanguine, ad extrema suæ interpretationis, hæc addit: Σημείωσαι οὖν τὸν κανόνα διὰ τοὺς Λατίνους ἀδιαφόρως τὰ πνικτὰ ἐσθίοντας. *Nota igitur canonem* F *propter Latinos, qui suffocata indiscriminatim comedunt.* Ex quibus verbis duo docemur: vnum quidem; illo Balsamonis tempore, siue duodecimo Christi sæculo, atque etiam priùs, desijsse præceptum illud, de non vescendo sanguine & suffocato, in Latina Ecclesia: Alterum autem apud Græcos saltem aliquos etiam tum fuisse in vsu. Qui primus autem in Græcia declarauit, licere sanguine, & carne suffocata, & quauis alia esca indiscriminatim vti, fuit

S. Qua-

S. Quadratus Athenarum Episcopus, de qua re tractaui in eius vita, cap. 5. & in Notationibus ad idem caput. Vide priorem nostrum tomum.

CHRISTOPHORSONI INTERPRETATIO CORRECTA.

t *AD PEDVM IN LIGNO CARNIFICINO AD QVINTVM VSQVE FORAMEN PROTRACTORVM DISTENSIONES.*] Sic verti ea, quæ apud Eusebium ita græcè reperiuntur: Τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα. Quæ sic vertebat Christophorsonus: *vt nonnunquam illorum pedes in crassas compedes impositi distinerentur, & ad quintum vsque foramen longa intercapedine interposita distenderentur.*

In quibus non probo, quòd τὸ ξύλον reddidit, *crassas compedes*: cum ξύλον hic nihil significet aliud, quam lignum carnificinum, seu stipitem (vt sic loquar) tortorium in quo foramina erant, & funes seu nerui, aut fidiculę ad distensionem. Hinc Langus apud Nicephorum l. 4. cap. 17. (vbi hæc ipsa referuntur) sic vertit: *Et pedum distractio ad quintum vsque fidicularum foramen.*

Nec item admitto illa verba: *longa intercapedine interposita*. Sunt enim superuacanea: quandoquidem vox *distendor* totam vim contineat vocabuli διατείνομαι.

COMPEDES QVID SINT?

Certè nesciuit Christophorsonus quid sint compedes, dum existimauit in illis vsque ad quintum foramen distendi pedes. Nec enim distendunt compedes, sed potiùs contendunt & constringunt pedes; vnde & illis nomen. Neque profectò aliud sunt compedes pedibus, quàm manicæ manibus: Quæ compedes, pedicæ quoque appellantur synonymos. Sunt igitur pedum vincula, vt manicę manuum: tametsi compedes sæpe sint tam crassæ, vt omnem pedum impediant motum: vix ita manicæ, manuum: quarum ad plura vsus, isque necessarius.

Horatius libro primo epist. 16. ad Quinctum, inducens tyrannum viro bono minitantem manuum ac pedum vincula, sic scribit:

——— *in manicis &*
Compedibus, sæuo te sub custode, tenebo.

id est, manus & pedes vinctum te in custodia detinebo.

Psalm. 149 ver. 8.

Sic & diuinus psaltes: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

Nec aliud admittendum est compedum genus multis plenum foraminibus ad pedum cruciabilem distentionem gratis excogitatum. Quod primus in sua hîc Eusebij interpretatione perperam egit Christophorsonus. Cuius malæ versioni innités Baronius multa de eculeo, de fidiculis, de compedibus in suis ad martyrologium notationibus 22. Ianuarij disputauit, quæ vt à communi doctissimorum virorum opinione, sic à verò longissimè dissident. *Increbuit*, inquit, *hactenus complurium error, vt fidiculas à fidibus deriuatas putarēt: nihilque aliud esse fidiculas, quàm vincula neruea, quibus ad equuleum manus pedésque hominis ligarētur: sicque torquere fidiculis reum idem esse, quod ligatum in equuleo fidiculis hominem intendendò ossium commissuras cum immenso dolore distrahere. Sensit hæc Sigonius lib. 3. de Iudic. cap. 18.* Hactenus verba Baronij vocantis errorem, quod est ipsissima veritas, & notantis Sigonium, vbi optimè sensit & docuit: sicut & alij cum illo Scriptorum doctissimi, atque in his Turnebus, & Iustus Lipsius.

Fidiculæ quid sint.

Fidiculas enim à fidibus dici, sicut ædiculas ab ædibus, apiculas ab apibus & alia eiusdem generis, luce ipsa est clarius. Nam à fides fidei, fidecula fieret: sicut à res recula, à spes specula, à dies diecula. Baronius tamen paullò post superiora, *Miratus sum vehementer*, inquit, *cùm sanctus Isidorus libro 3. Originum exactè monstrarit, quid sint fidiculæ, eruditos viros eo prætermisso, in perquirendo de illis adeo laborasse, ac à rei veritate tantopere aberrasse. Fidiculas enim idem esse, quod vngulas testatur, cùm ait: Vngulæ dictæ, quod effodiant: hæ & fidiculæ, quia ijs rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur. Hæc Isidorus.*

Hactenus Baronij verba: circa quæ ego longè magis miror eum sequi voluisse Isidorum, tantique eum fecisse, licet plurimis scatentem (in his quidem libris Originum) erratis & etymologiarum ignorantia; vt à receptis eruditorum virorum sententijs tam inconsideratè deflexerit. Nam primò quis nescit, quanta inter fidiculas & vngulas sit differentia? Maior enim sanè quàm inter vngues nostros, & fides citharæ. Vngulæ sunt ferreæ & bifidæ; seu, vt vocat Prudentius, *bisulca*: Fides autem sunt nerui, seu funes è neruis, quibus in eculeo distendebantur membra martyrum: Hinc Adrianus Turnebus lib. quarto Aduersariorum, capite tertio, sic scribit:

Adriani Turnebi opinio de fidiculis.

Fidiculæ, inquit, *quæ in tormentis numerantur, mihi videntur lasciuia quadam ioci nomen inuenisse: quòd vt in fidibus, nerui: ita quoque hinc & inde multis funibus homines distendebantur: sed & illa machina funes multos, vt neruos habebat.* Ita ille.

Iusti Lipsii.

Iustus Lipsius ad illam Senecæ locum lib. 3. de ira. cap. 3. *Apparatúsque illi reddendus est suus, eculei, & fidiculæ, & ergastula, & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadauera quoque trahens*

vncus, varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, & bestiarum immanium cauea. Iustus, inquam. Lipsius ibi sic notat:

ECVLEI] Quibus impositi extendebantur. & longiores fiebant, ait Seneca epist. 67.

FIDICVLÆ] Nerui & chordæ ad ipsum illum finem, siue etiam ad membra arctanda.

Docet ergo Lipsius ex ipso Seneca eculeos esse instrumenta, in quibus homines fidiculis, siue neruis, ac chordis extendebantur, & longiores fiebant. In quo plane consentit & Sigonio, & Turnebo, & omnibus vno verbo doctioribus antiquis Scriptoribus.

ANTONII GALLONII OPINIO REFVTATA.

Itaque corrigendus erit etiam Antonius Gallonius Baronij cæcus sectator qui perinde, vt magister, aberrat in fidiculis, eculeo, compedibus, vngulis.

Quòd autem fidiculæ eculeis annexæ sint, hinc fit, vt & Scriptores in tormentorum recensionibus ea ferè iungant: vt Seneca proximè, & rursus cap. 19. ibidem:

SENECÆ LOCVS DE FIDICVLIS ET ECVLEO.

Ceciderat flagellis Senatores: ipse effecit, vt dici posset: solet fieri. torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, eculeo, igne, vultu suo.

Sic legendum censeo cum Lipsio, nec inter fidiculas & eculeum inserendam esse vocem *tabularijs* insolentem inusitatámque Senecæ.

Iunxit & Valerius Maximus lib. 3. titulo de patientia. *In Theodoro quoque,* inquit, *viro grauissimo, Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigauit. Rupit enim verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, laminas exstinxit, priusquam efficeret, vt tyrannicidij conscios indicaret.*

Vix ergo, ac ne vix quidem, eculeus sine fidiculis, cum eculeo propriè conueniat extensio enormis, & cruenta membrorum, quæ neruis fit & funibus, hoc est, fidiculis, quæ membrorum commissiones immaniter distrahunt.

Atque de extensione quidẽ in promptu est Senecæ probatio, epistola LXVII. *Neminem certè adhuc scio,* inquit, *eo nomine votum soluisse, quòd flagellis cæsus esset, aut podagra distortus, aut eculeo longior factus.*

VNGVLÆ A FIDICVLIS DISTINCTÆ.

Iam quòd vngulæ distinguantur à fidiculis, patet etiam e Prudentio, hymno 10. de S. Romano, vbi comparans tormenta martyrum cum morbis corporum, vngulas componit pleuritidi, seu vt ipse vocat, pleuresi; fidiculas autem podagræ. Primò enim ita de vngulis:

Non vngularum tanta vis latus fodit:
Mucrone quanto dura pulsat pleuresis.

Deinde de eculeo & fidiculis:

Miserum putatis, quòd retortis pendeo
Extentus vlnis? quòd reuelluntur pedes,
Compago neruis quòd sonat crepantibus?
Sic eiulantes ossa clamant diuidi,
Nodosa torquet quos podagra, & arthresis.

Quid est enim, quod ita pedes reuellit, vt neruorum crepet compago, nisi fidiculæ? quibus homo extẽditur, modò ad quintum, modò ad sextum, aut septimum foramen, hoc est, minùs, magísue pro iudicum arbitrio. Similis fidicularum & vngularum distinctio agnoscitur ex eiusdem dimetris, hymno 5. vbi iudex S. Vincentium eculeo, fidiculis, & vnguibus torqueri imperat:

Vinctum retortis brachijs,
Sursum ac deorsum extendite?
Compago donec ossium
Diuulsa membratim crepet.

En eculeus & fidiculę: nisi solæ forsan fidiculæ.

Tum de vngulis sic proximè & consequenter.

Pòst hinc bisulcis ictibus
Nudate costarum abdita:
Vt per lacunas vulnerum
Iecur retectum palpitet.

Agi autem de vngulis ipse testatur Vincentius ista subijciens:

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundius
Intraret artus vngula.

Sic & de S. Romano.

Amor coronæ penè præuenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas bisulcis exarandas vngulis.

Hinc etiam patet vngulas fuisse bifidas seu bisulcas, quę scilicet duplices sulcos exararent. Vnde & illud de Christianis vngularum vulnera in Romano osculantibus:

Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Adde hic Adonem in Martyrologio ad 22. Aprilis, vbi de martyribus in Cordula ciuitate, sic scribit: *Omnes primò in eculeo suspensi, & nexibus attracti sunt: dein laminis ardentibus circa latera appositis vstulati, & vnguibus lacerati, ad vltimũ gladio trucidati sunt.* Vbi Nota *nexibus attracti*, id est, *fidiculis.*

Quid ergo ad auctoritatem Isidori lib. 5. originum, qui scribit: *Vngulæ dictæ, quòd effodiant: hæ & fidiculæ, quia ijs rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur:* quid, inquam, ad Isidori auctoritatem respõdemus? nempe 1°. non tanti Isidorum in rebus Grammaticis faciendum, quanti facit Baronius. Testes enim sunt ipsa Isidori errata quàm plurima, doctis viris annotata. Et sanè in vnico hoc exiguo cap. 27. dicti libri, vbi sunt hæc de quibus disputamus, non pauca habeo eius peccata ostendere.

Pœna,

Pœna, inquit, *dicta quòd puniat. Est autem epithetum nomen* &c. Immo pœna ex græco ποινὴ est: neque est epithetum aut adiectiuum nomen, sed substantiuum. Quod autem vocat epithetum, quia sine adiectione non habet plenum sensum: non valet hîc illa ratio. *Adyce*, inquit, *pœna carceris, pœna exily, pœna mortis, & imples sensum.*

Atqui Tullius 2. philippica, initio, sine tali adiectione vtitur pleno sensu, dicens de inimicis: *Mihi pœnarum illi plus quàm optarem dederunt*. Deinde iuxta illam regulam nulla penè nomina erunt substantiua. Idem enim dici poterit de laude, gloria, præmio, decore, dedecore, supplicio, tormento &c.

Ibidem, vt alia omittam, *Damnum à diminutione rei vocatum*, inquit. immo à demptione, vt auctor Varro.

Ibidem: *Vincula à vinciendo* &c. *vel quia vi ligant colla*. Quàm ridicula hæc etymologia posterior? quasi *vinculum* ex vi & collo componatur.

Ibidem: *Nam plaga, quasi flaga*. Atqui plagæ ex græco πληγὴ, *plaga*, & hoc à πλήττω. *percutio*, descendit.

Ibid. *Vectes dicti, quòd manibus vectentur.* Quidni potiùs quòd vehant?

Eculeus autem, inquit, *dictus, quòd extendatur.* Immò, quòd equulei animalis figuram referat.

Tormenta verò, (inquit idem Isidorus) *quòd torquendo mentem inueniant.*

An non videtur componere, *tormentum*, ex *torqueo* & *mentem*? Quale item illud?

Patibulum enim, inquit, *vulgo furca dicitur, quasi ferens caput.* Quidni potiùs (vt & ego aliquid afferam ridiculum) quasi fures capiens? Iam verò in vnica vocis *ergastuli* definitione quoties peccauerit, cõsule Lipsium lib. 2. Electorum cap. 15.

Hæc ergo & alia in vnico capite, *De pœnis*, siue in vnica pagella cùm habeat Isidorus, an de alijs absque aliaratione, solo stabimus Isidori iudicio? Et credemus scilicet vngulas & fidiculas idem esse, quia vnus dixerit Isidorus Hispalensis? Nam si qui fortè alij idem dixerint, ij ex illo, & post illum dixerunt, velut cæci à cæco in errorem ducti.

Quid si autem ne dixerit quidem Isidorus vngulas & fidiculas idem esse, sed tantùm dixisse creditus sit, idque ex vitioso fortassis exemplari, quod ita habeat, sicut legit Baronius. Nam editio Parisiensis anni M. DCI. apud Niuellium, quæ videtur omnium correctissima, non habet hoc loco: *hæ & fidiculæ*. sed, *hac & fidiculæ*. Vnde mihi suspicio, legendum esse *sic & fidiculæ*. ita vt totus Isidori locus sic habeat:

Vngulæ dictæ, quòd effodiant: sic & fidiculæ,

A *quia ijs rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur.*

Quasi dicat vtrumque ab effectu suo dictum esse: vngulas, quod effodiant: fidiculas, quòd fidem extorqueant. tametsi nec hoc rectè dictum sit, fidiculas à *fides fidei* dictas: cùm dictæ sint à *fides fidis*, id est, *chordæ*, vt ante docui.

Ad argumentum autem Baronij è Prudentio allatum hymno 10. vbi dicit Ascle-
B piades:

> — *Vertat ictum carnifex*
> *In os loquentis, inque maxillas manum,*
> *Sulcosque acutos, & fidiculas transferat.*

Et paullo pòst, quasi per fidiculas intelligantur vngulæ:

> *Implet iubentis dicta lictor improbus:*
> *Charaxat ambas vngulis scribentibus*
> *Genas, cruentis & secat faciem notis* &c.

Responderi potest, duo iussisse Asclepia-
C dem, vt & vngulæ scilicet à lateribus ad genas transferrentur, quas intelligit per sulcos acutos, metonymiâ effectus pro caussa; & fidiculæ à cruribus ad linguam & labia. Nam dicit etiam hæc Asclepiades:

> *Verbositatis ipse rumpatur locus:*
> *Scaturientes perdat vt loquacitas*
> *Sermonis auras, perforatis follibus,*
> *Quibus sonandi nulla lex ponit modum.*
> *Ipsa & loquentis verba torqueri volo.*

D Per illud autem — *cruentis & secat faciem notis.*

(Sic enim legunt Baronius & Gallonius; ille loco citato, hic cap. 3. libri De cruciatibus martyrum) possent intelligi fidiculæ per synecdochen partis. Nam fidiculæ circum rotulas in extendendo voluebantur, vt fides in citharis. Vocantur autem fidiculæ cruentæ, id est, crudeles: sicut Diabolus à S. Martino, *cruenta bestia*. Hinc inuali-
E dum est eiusdẽ Baronij argumentũ, per fidiculas intelligi vngulas; quia L. Decuriones. C. de quæst. *fidiculis torqueri* appellet Imperator, *cruentam conditionem*. Nihil enim aliud ibi significat, *quàm sæuam & crudelem*.

Redeo ad locum epistolæ Lugdunensium, *de ligno carnificino*, quod Baronius *compedes* appellat, sicque appellandas ex pluribus Eusebij locis conatur euincere, quo-
F rum tamen omnium locorum nullus est, qui compedum mentionem faciat. Primũ locum suprà posui græcè & latinè, tam ex mea, quàm è Christophorsoni (quem semper sequitur Baronius) versione. Locus 2. ab eo citatus est in lib. 6. Eusebij, c. 32. de Origene propter Christi fidem torto. *Multis*, inquit, *diebus pedes in compedes ligneos intrusi distractione quadam ad quartum foramen distenti fuerunt.* Sic Baronius.

At græcè non est sic. Ecce enim verba:

Καὶ

Καὶ ὡς ἐπὶ πλείσαις ἡμέραις τοὺς πόδας ὑπὸ τέσσαρα τῷ κολασηρίῳ ξύλῳ διαταθεὶς διασήματα, [καρτερῶς ἤνεγκεν.] *Et quomodo ad plures dies extensus pedes ad quartum ligni tortorij internallum,* [fortiter tulerit scilicet]

Ibi nulla mentio compedum: sed quod superiùs ξύλον *lignum* simpliciter dixerat, hic ξύλον κολαστήριον *lignum tortorium*, dicit: Vnde ego in vita *lignum carnificinum* vocaui claritatis gratia, quamuis tantùm esset *lignum*: quòd vnus locus explicet alium. Per lignum autem tortorium siue carnificinum, malim eculeum, quàm compedes intelligi. Sic Prudentius hymno X. eculeum vocauit *stipitem noxialem*.

Iubet amoueri noxialem stipitem.

Plebeia clarum pœna ne damnet virum.

Est enim synecdoche generis.

Vocatur etiam ξύλον βασανιστήριον, *lignum tortorium* eam credo ob caussam, quòd nullum tormentum è ligno sit eculeo frequentius, & acerbius; quasi per antonomasiam. Sic accipi à Sozomeno lib. 5. histor. eccl. cap. 10. docent Turnebus & Christophorsonus. Verba Sozomeni sunt hæc: Καὶ δημοσίᾳ προσαγαγὼν πρὸς τὸ βασανιστήριον ξύλον αἰωρεῖσθαι προσέταττεν. ὁ δὲ Βησίρεις ἀνασχὼν τὼ χεῖρε πρὸς τὴν κεφαλὴν ἐγύμνωσε τὰς πλευράς, καὶ πρὸς μάτην χρῆναι πονεῖν τοὺς δημίους πρὸς τὸν ἄρχοντα ἔφη ἀνάγοντας αὐτὸν ἐπὶ τὸ ξύλον, καὶ πάλιν κατάγοντας. Quæ sic vertit Christophorsonus: *Atque publicum in locum ad eculeum deducẽs, sublimem suspendi iubet. Tum Busiris manibus ad caput sublatis sua nudauit latera, & ad Præsidem dixit: non esse opus, vt lictores in ipso tum in equuleum tollendo, tum inde rursus deponendo, laborem frustra susciperent.*

Ibi ergo Christophorsonus τὸ ξύλον vertit *equuleum*, qui in Eusebio suprà vertebat, *crassas compedes.*

Probat autem versionem *equuleum* Turnebus lib. 15. Aduersariorum cap. 16. vbi sic scribit: *Equuleus tormenti genus est à similitudine nomen habens, quasi paruus equus sit. Erat autem machina lignea, equo similis, cui imponebantur, qui torquebantur. Eius crebra est apud Marcellinum & Senecam mentio. Sed & ξύλον βασανιστήριον videtur appellare Sozomenus lib. 5. καὶ δημοσίᾳ* &c. Ita ille.

Illud autem καὶ δημοσίᾳ quod Christophorsonus vertit, *Atque publicum in locum*: meliùs vertisset *& publicè*, vel, *& propalam.* Nec enim δημοσίᾳ significat *publicum in locum.*

Alter Eusebij locus est lib. 8. cap. 12. de Alphæo & Zacchæo martyribus: νυχθήμερον ὑπὸ τέσσαρα τῷ κολαστηρίῳ ξύλῳ κεντήματα τοὺς πόδας διαταθέντες. *Noctu diuque ad quartum punctum in ligno tortorio pedibus extensi.*

A Tertius locus Eusebij citatus à Baronio est è lib. 8. c. 11. *Post verbera in compedibus ligneis positi erant, & pedes alter ab altero ad quartum foramen distenti districtique, adeo vt necessario supini iacerent, nec possent propter plagarum vulnera recens toto corpori inflicta se vllo modo commouere.* Ita citat Baronius ex versione Christophorsoni.

At verò in Græco Eusebij codice non est, *in compedibus ligneis* sed tantùm ἐπὶ τοῦ
B ξύλου, *in ligno*: quod potest capi, vt suprà.

Deinde non est in græco: *alter ab altero*, quasi pedes in latum distenti essent: sed tantùm est διατεταμένοι. quod hic nihil est aliud, quàm *protensi*, in longũ scilicet, quod ex alijs locis liquet superiùs positis, vbi pro διατεταμένοι, est διαταθέντες *extensi.*

Idem enim significat διατείνω *distendo* quod παρατείνω .i. *extendo*, siue in longum, siue in latum, sicut & latinum *distendo.*

C Quartus locus huic similis est è lib. eodem Eusebij, cap. 14. vbi sic græcè: Δεσμωτηρίῳ παραδίδοται, ἔνθα νυχθήμερον ἄμφω τὼ πόδε ἐπὶ τοῦ βασανιστικοῦ διαταθεὶς ξύλου. *In carcerem traditus est, vbi diem ac noctem ambos pedes in ligno cruciatorio extensus.*

Baronius autem ex Christophorsoni versione sic citat: *In carcerem concluditur, in quo vnum diem noctémque vtroque pede compedibus ad cruciatum paratis longè à se mutuo di-*
D *stento diuexatus.* Vbi miror sanè, cùm ξύλον βασανιστήριον & ξύλον βασανιστικὸν prorsus idem sint, ea non eodem modo versa esse à Christophorsono. Nam in loco Sozomeni superius citato vertit *eculeum*, hic autem vertit *compedes ad cruciatum paratas*. Deinde ista verba: *longè à se mutuò*, frustra adduntur, & fortè falsò. Potuerunt enim æqualiter & coniunctim in longum extendi. Et vox διαταθεὶς *distentus* (vt dixi suprà) idem va-
E let sępenumero, quod παραταθείς, *extensus, protensus.*

Eculeum exactiùs describit Eusebius lib. 8. histor. cap. 11. his verbis: Οἱ μὲν γὰρ ὀπίσω τὼ χεῖρε δεθέντες περὶ τὸ ξύλον ἐξηρτῶντο, καὶ μαγγάνοις τισὶ διετείνοντο πᾶν μέλος· εἶθ' ὅπως διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐπῆγον ἐκ κελεύσεως οἱ βασανισαὶ, οὐ καθάπερ τοῖς φονεῦσιν ἐπὶ τῶν πλευρῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς γαστρὸς καὶ κνημῶν καὶ παρειῶν τοῖς ἀμυντηρίοις ἐκόλαζον.
F *Quidam enim vinctis post tergum manibus ligno appendebantur, & machinis quibusdam per omnia membra distendebantur: deinde in totum corpus ex mandato insurgebant tortores, neque tantùm latera, vt homicidis assolet, sed & ventrem, & tibias, & genas tormentis varijs cruciabant.*

Vbi nota 1. per ξύλον *lignum*, intelligi *eculeum*, etiam confessione Baronij, ad 22. Ianuarij, atque in eo appensos martyres.

2. Quòd omnia membra machinis quibusdam

busdam distenta sint. Per *illas machinas* commodissimè possunt intelligi *fidiculæ*, quæ non tantùm pedibus, sed etiam alijs membris omnibus adhiberi poterant, & subinde adhibebantur ad extensionem, de qua hic agitur.

3. per illud: *neque tantùm latera*, vngularum posse intelligi cruciatum, quæ lateribus adhiberi solitæ.

4. Quod græcè est τοῖς ἀμυντηρίοις, latinè reddebat Christophorsonus *flagris ferreis*. B Sed non ea est vocis significatio, vt singulare aliquod cruciatus instrumentum significet, cùm generale nomen sit. Quod nos docet Phauorinus hisce verbis: Ἀμυντήριον, ξίφος ἢ βάκτρον, ἢ ῥάβδος, ἢ ἀξίνη, ἢ ἄλλο τι τῶν πληττόντων. *Amynterium*, inquit, *gladius est, aut baculus, aut virga, aut securis, aut aliud verberandi instrumentum*. Itaque prior illa interpretatio, per veritatis incuriam, est diuinatio. C

Deinde cùm perpetuò ferè compedes sint ferreæ, vt notatum est à Iusto Lipsio lib. 2. *Electorum*, cap. 15. multisque testatum exemplis; quid rationis est, per lignum intelligi compedes?

Plautus in Mostellaria *compeditos* appellat *genus ferratile*;

Augebis rure numero genus ferratile, inquit, Idem in Persa, scenâ primâ.

SAG. *Negotium edepol fuit*. TOX. *ferreum* D *fortasse*. SAG. *plusculum annum*
Fui præferratus apud molas Tribunus vapularis.

Ouidius quoque:

Spes etiam dura solatur compede vinctum.
Crura sonant ferro; sed canit inter opus.

Lib. 10. Aduers. cap. 27. Nec placet mihi, quòd Turnebus locum in Menæchmis interpretetur de compedibus ligneis, cùm capi possit de ferreis. Locus est è 1. scen. E

Nam se ex catenis eximunt aliquo modo:
Tum compediti ianuam lima proterunt.

Siue enim per ianuam intelligatur ianua carceris, siue (vt ipse vult) ianua compedum, id est, earum claustrum, nihil obstat, quo minùs compedes sint ferreæ, & tamen limâ deterantur. Immo parum probabile est vllas compedes fuisse ligneas: cùm passim vocentur ferreæ, & nullus locus clarus sit de ligneis: præterquam quòd hæ tractu F aut detritu aut dissectu nimis sint faciles.

Non dicit porrò Turnebus compedes passim fuisse ligneas, sed tantùm in illo Plauti loco. Dicit enim sic: *Apud Plautum in Menæchmis, catenæ ferreæ sunt, compedes ligneæ, cùm scribit*: Tum compediti ianuam lima proterunt. *Non enim id de ianua, vel ergastuli, vel carceris, vt quispiam prima specie putaret, dicit: sed de compedum claustro, vt inde pedes eximant*. Ita ille: sed non ego credulus illi, neque Lambinus, neque Lipsius.

u *IN CARCERE ENECTI SINT*] Græcè ἀφ᾽ ὧν ἀποπνιγῆναι τινας πλείστους ἐν τῇ εἱρκτῇ. *Vt complures ibi ob fœtidum odorem, & loci angustiam penitus suffocarentur*, inquit Christophorsonus.

Atqui illa in græco non sunt, *ob fœtidum odorem & loci angustiam*. immo contrarium patet, tam ex antecedentibus, quàm ex cōsequentibus, vbi fit mentio grauissimorum tormentorum in eos exprompt orum, nulla autem fœtoris, nulla angustiarum: nisi paullo postea, cùm de alijs martyribus loquitur: vt in vitæ textu notaui.

x *IAM BEATVS POTHINVS LVGDVNENSIS EPISCOPVS*] Hic describitur S. Pothini martyrium ex epistola Lugdunensium. Qua ex epistola apud Eusebium, cuncti sumpsere ea, quæ de Pothino scripserunt: vt quæ auctor Chronici Alexandrini, Olympiadis 238. anno 4. Indictione 13. & quæ Ado Viennensis in martyrologio ad secundam Iunij: qui vt contractius, sic corruptiùs Eusebij verba retulit. Nam illa verba: *Impiæ plebis vndique clamor attollitur: hunc ipsum esse insonant Christum*, suspicor esse vitiosa: cùm tantùm sit apud Eusebium, *emissos clamores, vt contra Christianum*. Itaque pro *Christum* crediderim restituendum *Christianum*. Et pro, *incontaminatum paullò post reddidit spiritum*, habent litteræ Lugdunenses, *biduo post*. ac proinde sic intelligendus est Ado.

y *ANNVM ÆTATIS NONAGESIMVM SVPERGRESSVS*] Sic enim græcè: ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα ἔτη τῆς ἡλικίας γεγονώς. *supra nonaginta annos ætatis natus*. Et idem ac totidem ferè verbis habetur in Chronico Alexandrino. Quare corrigendus est Hieronymus in catalogo Scriptorum, cap. 25. de Irenæo, vbi sic scribit: *Postea iam Pothino propè nonagenario ob Christum martyrio coronato in locum eius substituitur*. Nam propè nonagenarius dicitur, qui necdum attigit. Attigerat autem & prætergressus erat Pothinus annum nonagesimum.

Egregiè eum laudat S. Eucherius eiusdem ecclesiæ Lugdunensis Episcopus in homilia de S. Blandina. *Præstitit*, inquit, *inter ista, diuina prouidentia, vt in tantis patriæ sacrificijs etiam Pontifex non deesset. Rapitur ad impiam quæstionem grandæuus & plenus dierum beatus pater noster Pothinus, ecclesiæ huius Antistes, & pro eruditionis, vt credimus, merito, gregi suo iungitur, ac post dominici corporis sacrificium, profanis tribunalibus nouam de se hostiam Christo oblaturus infertur. Senilis infirmitas per iniurias & afflictiones furentium ministrorum ita celerem sortitur exitum, vt eum intelligeres ad tempus illud soli martyrio reseruatum. Felix, cui in ipso vitæ limine constituto finem*

finem suum non tam natura contigit debere quàm gloria. Ita ille inter alia.

NAM QVI AD PRIMAM SVI COMPREHENSIONEM ABNEGAVERANT FIDEM] Notandum hoc exemplum contra eos, qui metu tormentorum abnegant fidem: nempe non in futuro tantùm æternas pœnas pro momentaneis, sed in hoc quoque sæculo grauiores subinde sustinendas, & à tortoribus, & ab excarnificante conscientia, quàm sint eæ, quas sustinuissent in martyrio: quippe quas oleo gratiæ suæ deliniuisset Dominus.

FERREAM QVOQVE SELLAM.] Græcè: Τὴν σιδηρᾶν καθέδραν. Erat igitur in alijs torquendi instrumentis sella quoque ferrea ignita, in qua sedentium corpora frigebantur. Hoc verba epistolæ Lugdunensium declarant, cùm addunt: ἐφ᾽ ἧς τηγανιζόμενα τὰ σώματα κνίσσης αὐτοὺς ἐνεφόρει. *in quâ quæ frigebantur corpora, nidore eos replebant.*

Meminit & S. Gregorius Nyssenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi, vbi & alia varia tormenta martyribus intentata sic enumerat: ξίφη, καὶ πῦρ, καὶ θηρία, καὶ βόθροι, καὶ τὰ στρεβλωτικὰ τῶν μελῶν ὄργανα, καὶ σιδηρεαὶ κατὰ πυρὸς καθέδραι, καὶ ξύλα ὄρθια, οἷς ἐντεινόμενα τῶν ἐνισταμένων τὰ σώματα ταῖς τῶν φοβερῶν ὀνύχων προσβολαῖς κατεξαίνετο. *Gladij, & ignis, & bestiæ, & scrobes, & alia tortoria membrorum instrumenta, & sellæ ferreæ ignitæ, & recta ligna, in quibus extensa insistentium corpora, terribilium vngularum immissionibus lacerentur.*

bb *BLANDINA PORRO STIPITI AFFIXA.*] Hoc est S. Blandinæ secundum certamen. Nam primum fuit cum hominibus belluinis, hoc autem est cum ipsis belluis: sed hæ quàm illi mitiores fuerunt. Nam illi totum virginis corpus ad fatigationem & virium defectionem fœdè dilacerarunt: hæ ne attingere quidem ausæ sunt.

Mirè in hac Blandina exultat S. Eucherius, & Lugdunum de triumpho suorum martyrum, præferens vrbi Beth-lehem de cæde infantium gloriosę ita gloriatur inter alia: *Triumphum tuum sexus vnus: meum vterque promeruit. Mea pugna palmam de mundi principe etiam in feminis reportauit: Chorus meus in pueris innocentes tuos habere potuit; chorus tuus Blandinam meam habere non potuit.*

Et paullò inferiùs, habito ad feras respectu, quæ veritæ sunt eam attingere; & ad ignes, qui non valuerunt exurere: sic persequitur: *Subijciuntur ignes; sed ad hoc tantùm valere cognoscuntur, vt consecrent: instigantur bestiæ; sed ad prædam suam feritas impasta miratur. Dilacerata vario tormentorum*

A *genere membra sanctificant flamma, dum pascere nesciunt: honorant bestiæ, dum sæuire non norunt. Vbi sunt, qui dicunt venerationem sacris martyrum deferendam non esse corporibus? Ecce cruentæ feritatis immanitas, quæ religionis non recipit sensum, defert venerationis obsequium: & quæ discretionem rationis ignara non recipit, ad malorum tamen damnationem; quid honoris Sanctis debeatur, agnoscit: ac sic supplicij ministerium vel instrumentum miro* B *modo meritorum efficitur testimonium: & dum pietati reuerentiam præstat, profert tacitam de impietate sententiam.* Ita S. Eucherius.

RELIQVIÆ SANCTORVM VENERANDÆ SVNT.

Est insignis ille locus pro sacris reliquijs: & istud: *Vbi sunt* &c. multum valere potest ad euocandos ad lucem hæreticos, aut certè ad eos in fugam & latebras, prę vultus confusione, conijciendos.

cc *ATTALVS AVTEM.*] De hoc Attalo, & de litteris per eum Romam missis C actum paullò superiùs: hîc autem eius martyrij incipit narratio.

dd *HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS.*] Tales voces, seu in tabula scriptæ (vt hoc loco) seu per præconem pronuntiatæ, (vt in S. Polycarpi martyrio) *elogia* vocantur Tertulliano, in Apologetico, cap. 44. *Vestros enim*, inquit, *iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodijs præsidetis, qui sententijs elogia dispungitis.* In eodem D significatu accepit Ælius Spartianus, in Seuero Imp. vbi de eius legatione in Africam, antequam imperium adeptus esset, agens sic scribit: *In quâ legatione quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem præconis cecidit: LEGATVM P. R. HOMO PLEBEIVS TEMERE AMPLECTI NOLI.* Sic etiam vsurpauit Auidius Cas- E sius in epistola ad generum suum, apud Vulcatium Gallicanum, cùm scripsit inter alia: *Vides multis opus esse gladijs, multis elogijs, vt in antiquum statum publica forma reddatur.* Ita & Ammianus Marcellinus lib. 15. sub medium, *Constabat*, inquit, *nos omnes sub elogio vno morte multandos.* Erat igitur elogium in damnatis nihil aliud, quàm titulus continens damnationis caussam. Aliàs elogium, est nomen ambiguum, modò F in bonam, modò in malam partem vsurpatum, significátque idem quod nota, nuncupatio, testimonium: in bonam quidem, in illo Ciceronis, lib. De senectute ferè extremo: *Quanta in Atilio Calatino auctoritas? in quem illud elogium: Vno ore plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* In malam autem, in illo Tertulliani, libro De corona militis, cap. 5. *Omne autem, quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes; penes nos verò, etiam elogium sacrilegij*

ELOGIA QVID SINT?

in

in Deum natura dominum & auctorem. Pro elogio vſurpatur & vox *titulus*. Qui in Chriſtianis pro fide Chriſti damnatis interdum *Titulus Chriſtianitatis* legitur appellatus. In Martyrologio Rom. ad viceſimam Ianuarij ita de S. Sebaſtiano Martyre. *Qui Diocletiano Imperatore cùm haberet principatum primæ cohortis; ſub titulo Chriſtianitatis iuſſus eſt ligari in medio campo, & ſagittari à militibus, atque ad vltimum fuſtibus cædi, donec deficeret.*

INTELLIGENS ILLVM ESSE ROMANVM.] Magna ſemper in puniendis criminibus, aut Chriſtianis occidendis, Romanorum habita eſt ratio: vt neque tam facilè in ipſos animaduerteretur, neque indigno aliquo ſupplicio afficerentur. Hinc Præſes iſte Lugdunenſium, intellecto Attalum eſſe Romanum, nihil in eum grauius ſtatuere auſus eſt, quoad ipſum Cæſarem conſuluiſſet. Accepto autem de puniendis Chriſtianis, ſeu Romani eſſent, ſeu alieni, reſponſo, puniuit quidem omnes; ſed differenter & cum Romani nominis reſpectu, vt pòſt ſequitur. Nam Romanos ſecuri percuſſit, (quod illorum erat ordinarium ſupplicium) alios autem partim damnauit ad beſtias, partim ignibus adulſit.

Nota eſt porrò M. Tullij aduerſus Verrem de Gauio Romano in crucem acto grauiſſima criminatio. *Facinus*, inquit, *eſt, vincire ciuem Romanum: ſcelus verberare: propè parricidium necare. Quid dicam, in crucem tollere? Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.*

TVM AD CÆSAREM PERSCRIPSIT] Quis ille Cæſar? Sanè M. Aurelius Antoninus Imp. idem ille, qui adiutus à Chriſtianis elicitæ pluuiæ miraculo fuerat, & litteras, quod aiunt, pro Chriſtianis dederat. Ex quo fit probabile, vt antè dixi, adulatorum malitiâ miraculum à Chriſtianis ad ipſiuſmet Imp. pietatem detorquentiũ, aut magiæ, & Ioui pluuio (quem propterea exſculpi in columna iuſſerunt) adſcribentium, Imperatorem breui animum mutaſſe, & Chriſtianos, qui Iouem non colerent, neci tanquam impios addixiſſe. Ipſam Iouis pluuij effigiem tunc exſculptam repræſentat eruditiſſimus & talium ſcrutator ſtudioſiſſimus Baronius in æs inciſam, tomo 2. Annalium, Chriſti anno 176. M. Aurelij 14.

ECCLESIA, VIRGO MATER APPELLATA.

ET FACTVM EST GAVDIVM MAGNVM VIRGINI MATRI &c.] Virginem matrem appellant martyres eccleſiam: *virginem* quidem, ob fidei & doctrinę puritatem ac ſinceritatem: *matrem* verò, ob multorum liberorum fecundam in Chriſto generationem.

RESCRIPTVM IGITVR A CÆSARE CVM ESSET, PVNIENDOS QVI FIDEM PROFITERENTVR &c.] Græcè: Ἐπιστείλαντος γοῦν τοῦ Καίσαρος τοὺς μὲν ὁμολογοῦντας ἀποτυμπανισθῆναι, εἰ δέ τινες ἀρνοῖντο, τούτους ἀπολυθῆναι.

Ita legenda eſſe græca docet rei contextus. Ante erat γὰρ pro γοῦν. *Nam* pro *igitur*.

Hæc autem non rectè vertit Chriſtophorſonus in hunc modum: *Nam cùm Cæſar reſponſum per litteras miſiſſet, illos qui fidem Chriſti confiterentur, tympanis eſſe torquendos: hos autem qui eandem infitiarentur, in principio mercatus, liberos dimittendos.* Quibus in verbis duo ſunt præcipua errata. Vnum, quòd vocem ἀποτυμπανισθῆναι verterit hoc loco *tympanis eſſe torquendos*: Alterum, quod iſta verba: *in principio mercatus*, ad hanc periodum attraxerit, cùm ſpectent ad ſequentem. Nam ad prius quod attinet, breuiter & certò ſic probari poteſt, non intelligendum illo verbo id quod vult Chriſtophorſonus, nempe *tympanis* (ſeu fuſtibus) *percuti*. Nam ſi hoc iuſſiſſet Imperator, ſanè tali eſſent affecti ſupplicio. Atqui mox ſubditur, ſecuri percuſſos, nempe qui ius Romanæ ciuitatis habebant, & de quibus potiſſimè conſultus fuerat Imperator ob Attalum Romanum: alios autem damnatos ad beſtias. Nulla igitur hîc tympana, nulli fuſtes. Quid eſt igitur ἀποτυμπανισθῆναι. Phauorinus ſic explicat in ſuo lexico: Ἀποτυμπανισθῆναι, ταὐτόν ἐστι τῷ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. *Idem eſt*, inquit, *quod capite truncari*. Dicit autem Stephanus in ſuo theſauro, ad hanc vocem, neſcire ſe, ex quo id Varinus acceperit. Ego itaque dico Varinum, ſiue Phauorinum, ex hoc Euſebij loco accepiſſe. Nam cùm legeret hîc apud Euſebium iuſſos ab Imperatore Chriſtianos ἀποτυμπανισθῆναι, ac mox videret ſecuri percuſſos, interpretatus eſt hanc vocem, *capite truncari*. Non rectè tamen, nec adæquatè meo iudicio: cùm non ſit tantùm, *capite plecti*, ſeu *ſecuri percuti* (quamuis hoc etiam) ſed *excoriari* quoque, & *vehementiùs verberari*, & *fuſtibus cædi*. Quod poſtremum videtur ex ipſa etymologia fuiſſe prima eius vocis ſignificatio. Nam τύμπανον (ex quo τυμπανίζειν & ἀποτυμπανίζειν) *fuſtes ſeu baculos* ſignificat: quo modo & τυμπανισμὸς *fuſtuarium* Ciceroni: quamuis ξυλοκοπία in vſu ſit, non ita iſtud, pro *fuſtuario*. Erat autem pœna eorum, qui ordines deſerebant, aut vigilias, vt è Tullio & Polybio conſtat. Ille in 3. Philippicâ: *Nam ſi ille Conſul;* inquit, *fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem reliquerunt.*

Pro ſignificatis, quæ attuli, facit Heſychius his verbis: Τυμπανίζεται. πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται. *Tympanizatur* [ſignificat] *percutitur, excoriatur, fortiter verberatur.*

tur. Idem est autem compositi significatum quod simplicis. Additque ibidem: Τύμπανον, ᾧ αἱ Βάκχαι κρούουσιν, ἦν εἶδος τιμωρίας. *Tympanum est, quo Bacchæ sonũ edunt. Est & genus tormẽti.* Crediderim enim græcis excidisse duas voces δὲ καὶ, *autem etiam*, & sic scribendum: ἦν δὲ καὶ εἶδος. *Erat autem & genus*: vt aliàs solet, atque ibi proximè: Τύμφαιον ἔθνος. ἄθεον ἔθνος· λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἠπειρώτας. *Tymphæa natio, significat nationem impiam: significat verò & Epirotas.*

Ita superiùs de tympano accipienda sunt diuersa significata: ne fortè idem tympanum, siue eadem forma tympani putetur esse, & quod pulsatur, confectúmque est è pellibus, & illud quod tormenti genus est: quod nihil est aliud, quàm baculus seu fustis, quod etiam βάκλον græcè dicitur. Aristophanis scholiastes in Pluto, sub medium, ad illum versum:

Ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες, οὐκ ἀρήξετε;
O tympana & cyphones, non iuuabitis?

Docet tympana & cyphones, instrumenta esse supplicij, ita scribens: Τύμπανα, ξύλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπάνιζον. ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ· ἢ βάκλα, παρὰ τὸ τύπτειν· ἤγουν ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. *Tympana sunt ligna, quibus homines cædebant, (vtebantur enim tali supplicio) seu bacula, à verberando dicta: siue ligna, quibus cædebantur in iudicijs ij, qui puniebantur.* Ita ille de tympanis: quæ totidem ferè verbis Suidas excepit. Nota βάκλα esse ex latino *bacula*. Vide Meursij Glossarium. De cyphonibus autem mitto ad ipsum Scholiasten loco citato. Ad significationes porrò vocis τυμπανίζεται, suprà ex Hesychio positas addit & aliam Suidas, nimirum *suspenditur*. Sic enim habet: Τυμπανίζεται, ξυλοκοπεῖται, ἐκδέρεται, καὶ κρεμᾶται. *Fuste percutitur, excoriatur, & suspenditur.*

Ex quibus colligitur latissima vocum τυμπανίζεσθαι, & ἀποτυμπανίζεσθαι, significatio, vt non tantùm scilicet, *fustuarium pati*, sed etiam *quolibet alio affici supplicio*, sub se comprehendat. De fustuario & quo modo id fieret, vide Polybium, & ex eo Iustum Lipsium, lib. 5. de militia Rom. dialogo 18. ad illud: Ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας &c. *Fuste autem percutitur & qui furatus est.* &c.

Atque vt de voce τυμπανίζω & ἀποτυμπανίζω concludamus, prima significatione idem sunt, quod ξυλοκοπέω, *fuste percutio*: sicque accipiunt Demosthenes, Iosephus, Plutarchus, alij: secundâ autem significatione, pœnâ aliquâ mortis plectere, seu capitis sectione fiat, seu excoriatione, seu suspensione.

Atque in illa secunda significatione capitur hic apud Eusebium, vt suprà ostensum est. Et confirmatur è Ruffino, qui sic

A vertit: *Igitur cùm à Cæsare rescriptum esset, vt persistentes quidem punirentur, negantes autem dimitterentur; die quodam celeberrimo.* &c. Vbi verbum ἀποτυμπανισθῆναι interpretatus est, non *tympanis torqueri*, vt Christophorsonus, sed generatim, *puniri*.

Alterum, in quo dixi errasse eiusdem Christophorsoni versionem, etiam ex his Ruffini verbis comprobatur, qui ista: *die quodam celeberrimo* &c. connectit sequenti-
B bus, non verò, vt ille, antecedentibus. Neque enim Imperator iussit Christianos puniri aut dimitti nundinarum tempore, nedum initio illarum, seu, vt ille habet, *in principio mercatus*, sed tantùm puniri aut dimitti, nullo præscripto tempore: sed Præses acceptis litteris Imperatoris, sponte tẽpus illud elegit. Quod liquidum facit Ruffinus interpres ita totam disponendo periodum: *Igitur cùm à Cæsare rescriptum esset,*
C *vt persistentes quidem* [in fide] *punirentur, negantes autem dimitterentur: die quodam celeberrimo, in quo ex omnibus prouincijs coeuntes, nundinas apud nos agere solent, in ipso frequentissimo conuentu tribunal ascendens, præparari sibi Iudex Christianos, & introducti ad suppliciorum pompam præbendam cunctis qui aderant, iubet.*

Iam autem ad clariorem loci Eusebiani notitiam, adeóque ad ipsorum Martyrum
D Lugdunensium maiorem gloriam, qui in tanto plurimarum gentium conuentu fidem Christi & fortitudinem suam publicè testatam fecerunt, aduocandus mihi huc videtur vnus de Lugdunẽsi emporio Strabonis locus, è libro 4. Geographiæ, sub medium. Is est eiusmodi:

Ipsum quidem Lugdunum sub colle ædificatum, vbi confluunt Arar flumen & Rhodanus, tenent Romani. Maximè aliarum vrbium, præ-
E *ter Narbonem, fortibus abundas viris. Nam & emporium habent, & monetam ibi signant tam auream quàm argenteam Romani duces. Templum item ab omnibus communiter Gallis Augusto Cæsari dedicatum ante ipsam vrbem situm est, ad confluxum fluuiorum. Adest & ara percelebris inscriptionem habens gentium numero sexaginta: & harum imagines, cuiusque vna. Necnon alia ingens ara.* Sic Strabo.

Credibile est igitur in epistola Martyrum
F Lugdunensium, per confluxum omnium gentium ad istas nundinas, intelligi eas sexaginta gentes Galliæ, de quibus ibi Strabo.

Extant etiam nummi, in quibus harum gentium sunt vestigia. Duos profert Lipsius lib. 2. epistolicarum qq. epist. 21. in quorum priore hæc inscriptio: ANTONI IMP. A. XL. III. VIR. R. P. C. cum adiuncta leonis effigie.

In altero ista: LVGDVNI. A. XL.

Sed quid hoc, quòd in Strabone LX.

(est

(est enim græcè littera ξ. valens 60.) in his autem nummis tantùm XL. gentes signantur? An quòd in nummis inuersus sit ordo litterarum numeralium, & XL. sculptum sit pro LX. qui facillimus est error? an verò, quòd nummi non ab omnibus gẽtibus, sed tantùm à XL. cudi sint iussi, alijs XX. gentibus cõferre nolentibus? an denique quòd modò plures, modò pauciores gentes in communi Lugdunensium recensitæ sint? Nõ enim dico *in communi Galliarum*, quod longè plures gentes habuit: siquidem Appianus in Celtico victas à C. Cæsare scribit gentes quadringentas, ciuitates verò amplius octingentas, græcè ἔθνη τετρακόσια, καὶ πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Quare Strabonis verba intelligenda mihi videntur de populis Galliæ Celticæ, cuius caput Lugduum, præsertim quòd olim Celtę peculiariter Galli vocarentur, teste Ammiano Marcellino, lib. XV. sub finem, vbi ista: *Temporibus priscis, cùm laterent hæ partes, vt barbaræ, tripartita fuisse creduntur, in Celtas (eosdem Gallos) diuisæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis, legibúsque discrepãtes. Et Gallos quidem, qui sunt Celtæ, ab Aquitanis Garumna disterminat flumen.* &c.

Hinc & Appiano historia belli Gallici inscribitur Κελτική. cuius initio sic scribit: Κέλτοι Ῥωμαίοις ἐπεχείρησαν πρῶτοι, καὶ τὴν Ῥώμην εἷλον ἄνευ τοῦ Καπιτωλίου καὶ ἐνέπρησαν. *Celtæ Romanos primi inuaserunt, & Romam, excepto Capitolio, ceperunt, & incẽderunt.*

Quòd autem Iustus Lipsius lib. 2. epistolic. qq. epist. 21. scribit Tacitum Annali tertio ponere Galliæ gentes LXIV. si hoc vult Lipsius, iuxta Tacitum omnes Galliarum Gentes censeri LXIV. non ei subscribo, cum nolit ibi Tacitus computare omnes Galliarum gentes, neque item ciuitates: sed eas tantùm, quæ à Romanis dicantur defecisse. Vix autem vnquam, ac ne vix quidem accidere poterat, vt omnes deficerent, cùm semper essent in aliquibus Præfecti cum præsidijs, & nonnullæ fidelitatis nomine gloriarentur. Verba Taciti: *At Romæ non Treueros modò & Æduos, sed quatuor & sexaginta Galliarum ciuitates desciuisse, adsumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, vt mos famæ, in maius credita.*

Quæ non aliter capienda, quàm sonent: nec per *ciuitates*, intelligendæ *gentes*, vt volebat Lipsius. Quandoquidem non fiat recensio absolutè, neque ciuitatum omnium Galliæ, neque gentium: sed tantummodò ciuitatum rebellium. Denique ex victoria tum parta liquet, haud adeo multas ciuitates rebellasse, victásque esse. Et certum est, neque Massilienses, neque Lugdunẽses rebellasse, vti ex Tacito ibidem colligi potest:

A immò (si de totis populis sermo sit) solos ferè Treueros, & Æduos. An enim, si rebellassent, taciti essent eorum duces & copię? siquidem de alijs non ita est factum.

PRÆSES, INCIPIENTE VRBIS CELEBRITATE &c.] Celebritatem interpretor, quæ græcè est πανήγυρις. & solet verti, modò *conuentus publicus*, modò *nundinæ*, modò *mercatus*, modò *ludi publici*, modò *celebritas*: quæ postrema vox omnia ferè prio-

B ra complectitur. Et vocem πανηγύρεως voce *celebritatis* expressisse videtur M. Tullius libro Tuscul. qq. 5. sub initium, cùm quærenti Leonti Phliasiorum Principi, quid inter philosophos & reliquos interesset, dicit respondisse Pythagoram: *Similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu, totius Græciæ celebritate.*

Sicut ergo in totius Gręciæ πανηγύρει pa-

C negyri seu celebritate mercatus maximus, & ludi habebantur amplissimi; sic & in hac Lugdunensi celebritate. Et de ludis quidẽ ac certaminibus, ex hac ipsa Lugdunẽsium constat epistola, cùm de S. Blandina scribitur: Ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῶν μονομαχιῶν ἡ Βλανδῖνα πάλιν εἰσεκομίζετο. *Post hæc autem omnia, die postremo singularium certaminum Blandina rursus adducitur.* Nempe adducta & priùs fuerat. Hic autem *dies po-*

D *stremus certaminum*, refertur ad illud prius: τῆς ἐνθάδε πανηγύρεως ἀρχομένης συνιστάναι. *Incipiente vrbis celebritate.* Quasi dicat: Alij incipiente celebritate, Blandina autem finiente rursus producta est.

NAM PONTICVS QVIDEM A SORORE ANIMATVS &c.] Non à sorore germana aut vterina, sed Christiana. Quod omnes Christiani inter sese fratres & sorores appellitarent. Sic B. Blandina soror

E hic vocatur Pontici, & paullò pòst ob exemplum patiendi, & quasi maternas cohortationes suas eadem matris nomine afficitur.

NEQVE SIC TAMEN EORVM RABIES ET IMMANITAS ADVERSVS SANCTOS EXSATVRATA EST.] Huc spectant illa S. Eucherij de his nostris martyribus verba: *Cùm ergo, carissimi, ecclesia nostra tantis fidei adornaretur trophæis; id*

F *elaborabat vis iniquitatis, vt seipsam scelerum nouitate superaret. &c.*

NAM IN CARCERE ENECTOS CANIBVS PROIECERVNT. &c.] Hic de Gentilium crudelitate in Christianorum corpora insignis locus est, quorum aliqua canibus abiecerunt, alia igni tradiderunt, alia insepulta ludibrio habuerunt: adustorũ autem cineres in Rhodanũ dissiparũt. Quę omnia Eucherius, vt sui moris est, elegantissimè persequitur. *Sacra corpora*, inquit,

Reliquia SS. Martyrum Lugdunensium. *funeris honore priuantes, ignibus dabant: & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem. Et cùm iam caussa perisset furoris, finem non imponebant crudelitati; sed tamen, vellent nollent, beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis inuidebant. Quomodo semper malitia cum stultitia coniuncta est? Veneranda ossa in cineres redigebant. Quasi verò possent flammis merita consumi, & virtutes cum cineribus concremari. Quàm confusa dementia! Quibus cælum acquirebant, his terram negabant. Nil ergo fecisti inaudita sæuitia: incassum te exstinguere eorum memoriam credidisti, quorum gloriam propagasti. Dispergis sanctorum puluerem fluentis Rhodani, ne resurgat: sed aquis resurrectio non consumitur, quæ per gratiam regenerationis etiam aquarum munere celebratur. Adorandas reliquias Rhodano tradis: hoc facit vis fluminis in corporis resolutione, quod temporis. Quicquid itaque ex humana substantia auis rapuerit, bestia deuorauerit, vnda absorbuerit, etiamsi tumulo non clauditur, intra mundi gremium continetur. Neque enim reparatio hominis in ratione terræ, sed in legis natura, & in reparatoris virtute consistit. Ipse enim veridico ore testatus est:* Ego sum resurrectio & vita, *qui viuit in sæcula sæculorum. Amen.* Ioannis 11. ver. 25.

Ita S. Eucherius, adorandas, & non dispergendas censens Sanctorum Reliquias. D

ISTI VERO IPSIVS CHRISTI &c.] Humilitas martyrum, & fuga vanæ gloriæ hîc describitur. Quam dum perpendo, verissimum esse video, quod dicere quendam memini, *Sanctos scilicet humiliores esse in suis virtutibus, quàm nos in nostris vitijs.*

MARTYRII CANDIDATORVM VIRTVTES. Notandus est hic totus locus conuersationis SS. martyrum, vt discatur quales esse oporteat eos, qui ad tales palmas adspirant: nempe præditos humilitate, timore Domini, caritate in fratres, atque ab omni specie mali abstinentes. Qui enim his virtutibus caruêre, ij hac ipsa in persecutione à fide defecerunt. E

ALCIBIADES VNVS E LAVDATORVM MARTYRVM NVMERO] Est hîc præclarum fugiendæ singularitatis, & vitandæ aliorum offensionis exemplum. Quamuis enim Alcibiades ex virtutis motu à cibis omnibus præter panem & aquam priùs abstineret; tamen vt ab Attalo, vno è commilitonibus (cui cæleste visum ea de re obtigerat) intellexit nonnullos eam abstinentiam in deterius interpretari; ipse morem suum consuetudini fratrum suorum accommodauit, atque à solita sua austeritate discessit. Erant enim eadem tempestate, Cerdonis & Marcionis quidam sectatores, qui non ex virtutis studio, sed ex errore doctri- F

A næ à certis cibis abstinebant, tanquam malis, & à malo principio procreatis. Quibus ne vel specie tenus consentire crederetur Alcibiades, visus fuit à fratribus esse commonendus. Et cessit ille commonitioni, & alijs exemplum cedendi dedit. Non priùs autem fuit commonitus, quàm Attalo vt id faceret, per cælestem visionem inspiratum est. Nam ex hominis sancti reuerentia, vti probabile est, nemo audebat ad eum commonendum accedere. In B græco Eusebij, libro 5. cap. 3. verbum ἀπεκαλύφθη, quod Christophorsonus vertit, *indicatum est*, quasi Attalo ab aliquo è fratribus dumtaxat indicatum esset, non rectè facere Alcibiadem: sed Ruffinus Presbyter vertit *reuelatum est*, quod ferè vsurpatur de cælesti quapiam visione, & diuino indicio. In qua significatione, vt idem verbum ἀπεκαλύφθη *reuelatum est*, acciperem, mouit me C Chronici Alexandrini Auctor græcus, qui disertè ita accepit, cùm ad olympiadis 238. annum quartum, Indictione decimatertia ita scripsit: Ἀλλὰ καὶ Ἄτταλος τοὔνομα πολλὰ πολλῷ τῷ χρόνῳ πεπονθὼς ἐν εἱρκτῇ τυγχάνων θείας ὀπτασίας ἐν νυκτὶ ἀξιοῦ. *Sed & vir Attalus nomine multa multo tempore passus in carcere, diuina visione per noctem dignatur.* &c. Deinde refert totam de Alcibiade narrationem conformiter Eusebio.

AD CAP. VI.

a *SI VEL INTEGRVM COMMENTARIVM LVGDVNENSIS ECCLESIÆ*] Commentarium voco breuem illam narrationem de martyribus Lugduni & Viennę mortem pro fide passis, quam Eusebius sæpe γραφὴν *scriptum*, interdum σύγγραμμα *opus*, vocat, ἐπιστολὴν nunquam: tametsi Christophorsonus semper interpretetur *epistolam*: Ruffinus autem nunc *epistolam*, nunc *scripturam*. Credo vtrumque fuisse, primo loco epistolam breuem, indicem eius, quæ mitteretur, narrationis seu commentarij: deinde ipsam narrationem.

b *VEL IPSIVS SALTEM EVSEBII CONSCRIPTVM, DE MARTYRIBVS, OPVSCVLVM*] Scripsit Eusebius librum de martyribus, inscriptum græcè. Τῶν ἀρχαίων μαρτύρων συναγωγή. *Priscorum martyrum collectio.* Meminit ipse huius libri, varijs in locis, vt libro 4. historiæ cap. 14. sub finem, & libro 5. cap. 1. sub initium, & cap. 4. in fine, & cap. 20. eiusdem libri quinti, in fine; vbi hæc eius verba: Ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτύρων συναχθείσης ἡμῖν ἀναγραφῆς εἴσεται. *E commentario De priscis martyribus à nobis composito cognoscet.* Alijs locis vocat συναγωγὴν τῶν μαρτύρων *collectionem martyrum*. Quo cum libro vnà, quantus, (ô Deus bone!) thesaurus amissus est! Ibi enim antiquissimorũ Sanctorum primi, secundi, tertij sęculi illu-

strissima

ſtriſſima martyria continebantur. Ibi præcipui ecclesiæ flores & ornamenta deposita erant: ibi pulcherrima ſimul atque fortiſſima heroicarum virtutum exempla conſeruabantur. Quibus proinde ſic diabolica inuidit malignitas, vt vel in longum abſconderit, vel in totum aboleri...

c *VNIVERSE QVADRAGINTA OCTO NVNC RECENSENTVR.*] Vix eſt credibile, duabus in florentiſſimis Galliarum eccleſijs, & tanta in perſecutione quanta hæc fuiſſe fertur, tantum 48. affectos eſſe martyrio. Exiſtimauerim equidem eorum dūtaxat inuenta eſſe ab Adone & Gregorio Turonenſi nomina, qui durius & diutiùs in quadam illius infeſtationis tempeſtate afflictati fuerint. Nec enim ipſi vndique in nominum recenſione conueniunt. Et Gregorius quidem, vt nunc extat, cùm profiteatur se 48 recitaturum tantum 45. recitat: vt ſit mihi ſuſpicio vnam in editione lineam deſiderari.

Ego autem ex Adone Viennenſi, tanquam eorum accuratiori collectore, prout quidem editum & emendatum nuper ab Heriberto Roſvveido ſingularis diligentiæ viro accepi, ſic in vita noſtra edidi. Nam neque apud Baronium (licet in eiuſmodi admodum aliàs diligentem) ſine grauibus mendis ea extant nomina. Pro duabus enim feminis duo ſcripti ſunt viri, nempe pro Iulia & Albina (quo modo habent Gregorius lib. 1. miraculorum, & Ado ſecunda Iunij) Iuſtinus & Albinus, tomo 2. Annal. Chriſti 179. vbi & male *Fonteus* pro *Pontico*, *Siluinus* pro *Siluio*, *Apollinaris* pro *Apollonio*, & alia quædam, quæ, vt leuioris notæ, prætereo. Standum ſanè editione Adonis Roſvveydinâ, vtpote ad antiquiſſima manu-ſcripta emendatâ.

Idem Ado ad 22. Aprilis ſcribit *poſt glorioſos quadraginta octo martyrum agones*, eadem in perſecutione Antonini paſſos martyrium duos fidei commilitones Epipodium & Alexandrum. Et rurſus ad 15. Septembris, de Valeriano martyre addit: *Qui vnus fuit ex numero Sanctorum quinquaginta, qui temporibus Antonini Veri Lugduni in carcerem truſi fuerant, quique cum B. Marcello patefactis cuſtodiæ, qua detinebantur, diuinitus clauſtris, aufugit.*

S. AVGVSTINVS MEMINIT MARTYRVM LVGDVNENSIVM.

d *NAM LICET VSTVLATORVM CORPORVM CINERES IN RHODANVM SPARSI*] Præter S. Eucherium à nobis citatum meminit & S. Auguſtinus diſperſionis huius ſacrorum cinerum in flumē Rhodanum. In libro enim de cura agenda pro mortuis, cap. 6. ſic ſcribit. *Legimus in eccleſiaſtica hiſtoria (quam græce ſcripſit Euſebius, & in latinam linguam vertit Ruffinus) martyrum corpora in Gallia canibus expoſita, canumque*

RVFFINVS INTERPRES EVSEBII.

A *reliquias atque oſſa mortuorum vſque ad extremam conſumptionem ignibus concremata, eoſdémque cineres fluuio Rhodano (ne quid ad memoriam qualemcumque relinqueretur) inſperſos. Quod non ob aliud credendum eſt diuinitus fuiſſe permiſſum, niſi vt diſcerent Chriſtiani, in confitendo Chriſtum, dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere ſepulturam. Hoc enim quod ingenti ſæuitia de corporibus martyrum factum eſt, ſi eis quic-*

B *quam noceret, quo minùs beatè requieſcerent eorum victorioſiſſimi ſpiritus; non vtique fieri ſineretur.* Hæc & plura ibi Auguſtinus.

Apparuiſſe autem SS. martyres Chriſtianis Lugdunenſibus, eóſque de recolligendis monuiſſe reliquijs, ex Adone ad ſecundam Iunij deſumpſimus.

AD CAPVT VII.

C

AGitur in hoc cap. de S. Irenæi legatione Romam, & inde in Aſiam ac Phrygiam: pòſt de dubio initi ab eo Epiſcopatus, ſeu factæ ordinationis initio. Cuius rei nonnihil illuſtrandæ gratiâ, breuis hic agitabitur quæſtio.

QVÆSTIO.

D *Quandónam S. IRENÆVS ordinatus ſit Epiſcopus? poſt mortémne S. Pothini, an verò antè ab ipſomet Pothino?*

PRIMA OPINIO.

Demum poſt mortem S. Pothini ordinatum fuiſſe, his probatur argumentis:

Primò, quòd poſt mortem S. Pothini in litteris ad Eleutherum Pontificem vocetur tantùm Presbyter, & vt talis commendetur. Non erat igitur antè Epiſcopus. Verba

E SS. Martyrum aut Confeſſorum in illis litteris ſunt hæc: *Ac ſi officij gradum cognouiſſemus conferre iuſtitiam; eum nos, cùm eccleſiæ ſit Presbyter, in primis appoſuiſſemus.* Ipſas autem litteras pertulit Romam ipſe Irenæus.

Secundò, Euſebius (à quo illa Martyrum Acta accepimus) cùm de Irenæi legatione Romam agit, tantùm appellat Presbyterum. Sic enim habet lib. 5. hiſt. eccl. cap. 4. Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύ-

F τερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας τῷ τε δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων, πλεῖστα τῷ ἀνδρὶ μαρτυροῦντες. *Iidem martyres etiam Irenæum eccleſiæ Lugdunenſis tunc Presbyterum iam dicto Romæ Epiſcopo* [Eleuthero] *commendabant, plurima de viro illo atteſtantes.*

Tertiò, S. Hieronymus clarè & expreſsè docet illum poſt beati Pothini martyrium ei ſubſtitutum fuiſſe. Nam in libro de illuſtribus eccleſiæ Scriptoribus, c. 35. ita de Irenæo: *Poſtea iam Pothino prope nonagenario ob*

ob Christum martyrio coronato, in locum eius substituitur.

Denique, quòd rationi & consuetudini aduersetur, aliquem ordinari eius loci Episcopum, in quo prior sit superstes.

Hæc sunt pro priori opinione argumenta præcipua.

SECVNDA OPINIO.

Irenæum ordinatum fuisse Episcopum ante B. Pothini mortem, & ab eo successorem designatum his rationibus adstruitur:

Primò, quia id exigebat Ecclesiæ Lugdunensis necessitas. Erat enim tempus persecutionis, quo, si vnquam aliàs, valido & vigilante Pastore peropus habebat. Erat etiam Pothinus admodum senex, atque infirmus, vti in vitâ dictum est, & qui magis auxilium requireret, quàm ferret. Igitur suadebat prudentia, & vrgebat caritas, vt Episcopum ordinaret, qui in proprijs Episcopi muneribus sibi opitularetur viuo, & succederet mortuo: ne scilicet ecclesia tali in re ac tempore vel à Gentilibus opprimeretur, vel ab hæreticis inficeretur.

Secundò, peridoneus ad id munus erat Irenæus, & visus ob hoc ipsum à S. Polycarpo ex Asia in Galliã missus, vt qua erat virtute & doctrina, mox ei muneri applicaretur, & senis inualidi partes quàm primùm obiret. Est ergo perquam probabile Pothinum, partim sua impellente infirmitate, partim illius virtute loco tali dignissimâ permotum, eius non distulisse promotionem, sed potiùs accelerasse.

Tertiò, ille commentarius SS. Martyrum vtriusque Ecclesiæ acta continens, Lugdunensis scilicet & Viennensis, & epistola vtriusque item nomine præfixa, & quæstiones ab Irenæo apud Pontificem Romanum pertractandæ, videntur non à priuatis hominibus, sed à publica auctoritate post aliquod habitum concilium Episcoporum ac sacerdotum, qui à Lugdunensi & Viennensi diœcesibus dependerent, & à quibus illæ quęstiones agitatę & examinatę essent, peracta esse, ac Irenæo, vt primati atque ob doctrinam & rerum tractãdarum peritiam aptissimo commissa esse. Hinc etiam ipsum Irenęũ eius epistolæ, quæ commẽtario pręfixa fuit, inscriptioni, honorẽ Viennensi ecclesiæ tribuisse, & ante Lugdunensem nominasse, cùm dixit: Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ ἐν Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ. &c. *Serui IESV Christi, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolunt.* &c. Nam ab eodem Irenæo græcè conscriptum fuisse illum commentarium, etiam antè indicauimus.

Quartò, in illis epistolis, aut Actis potiùs Martyrum, quæ tulit Irenæus, continebantur non solùm martyria Pothini Episcopi

A Lugdunensis, Blandinæ, Attali, & aliorum; sed etiam Confessorum, qui post persecutionem superstites erant, admiranda vitæ ratio, & incredibilis animi demissio: ita vt aliquamdiu post sedatam persecutionem missus sit demum Irenæus Romam atque in Asiam: ac proinde admodum probabile videatur illo ipso tempore Episcopus fuisse, non autem tantùm à suo ex tam longinqua peregrinatione, in Galliam reditu.

B *Ad argumenta porrò prioris sententiæ, hæc responderi possunt.*

Ad primum quidem, de voce Presbyteri, nihil noui esse, quòd Episcopi vocentur Presbyteri: cùm & ipsi Apostoli, nomine Presbyterorum sint appellati: vt Ioannes in duabus epistolis posterioribus, & Petrus in sua priore cap. 5. & cùm Paullus pluribus in locis per Presbyteros significet Episcopos, & ipse noster Irenæus per eosdem Presbyteros designet summos Pontifices, vti videre est suprà in Fragmento epistolæ ad Victorem Papam, & apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24. ita vt Presbyter nõ modò Episcopum, sed seniorem inter Episcopos nõnunquam significet, atque eo modo videntur accepisse ecclesię Viennensis & Lugdunensis laudantes Irenæum.

Ad 2. ex auctoritate Eusebij vocantis Irenæum tempore quo Romam missus est, D Presbyterũ parœciæ Lugdunensis, dici potest nihil hoc esse aliud, quàm Episcopum diœcesis Lugdunensis: cùm & apud ipsum Eusebium παροικία paræcia, passim ponatur pro diœcesi.

Ad 3. ex Hieronymo dicente, Irenæum substitutum esse Pothino propè nonagenario ob Christum martyrio coronato, respõderi potest non agere Hieronymum de consecratione Irenæi, sed de possessione ipsius sedis Lugdunensis, quam necdum possidebat Irenęus superstite Pothino, cùm esset quidem Episcopus, sed adiutor tantùm, vt sæpe olim atque etiamnum in multis fit ecclesijs. Itaque illo mortuo, tum demum dicitur substitutus. Ita B. Clemens viuente Petro erat Episcopus, non tamen illi, nisi mortuo, substitutus.

Ad 4. facillima est respõsio. Negatur enim, aduersari ecclesiæ consuetudini, ordinare F Episcopum adiutorem Episcopo seni & inualido, cùm id potiùs primis sæculis fieri solitum fuerit. Quod Possidius in vita S. Augustini apertè declarat, dum scribit sanctum Valeriũ Hipponẽsem Episcopũ egisse secretis litteris apud primatẽ Carthaginensem, & obsecrasse allegata corporis sui imbecillitate, ætatisque grauitate, *vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Et quæ optauit & rogauit,*

uit, rescripto impetrauit. Recusabat quidem primò Augustinus, & contra morem Ecclesiæ esse dicebat; *sed dum fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus acquieuit, & Episcopatus curam, & maioris loci ordinationem suscepit*. Sic ibi.

Hactenus igitur de responsionibus ad priorem sententiam. Quam siquis nihilominus tenere vellet, ac posteriorem refellere; id posset hac via: nempe, dicendo rationes pro posteriore allatas sententia, probare quidem conueniens fuisse, vt crearetur Irenæus a Pothino superstite Episcopus, sed non continuo ita factum esse: cùm ab ipsius Pothini id dependeret arbitrio, nec vtrum ipse fecerit, liquido constet: immo contrarium eo fit probabilius, quo nomen Presbyteri communiùs pro simplici Sacerdote, quàm pro Episcopo accipi soleat.

Ceterum tres cum sint Pôtifices, sub quorum aliquo consecratus fuisse Episcopus dici possit: nempe Anicetus, Soter, & Eleutherus (Nam sub Aniceto venit in Galliam, & sub alijs duobus perseuerauit in Gallia) tenet Martinus Polonus in Supputationibus Irenæum sub Pontifice Aniceto consecratum esse Episcopum. Agens enim de illius Pontificis têporibus, *Eodem tempore*, inquit, *Irenæus, doctor eximius, natione Græcus, Lugdunêsem gubernat ecclesiam*. Baronius autem ad annum Christi 180. existimat creatum esse Episcopum anno Eleutheri secûdo. Quæ sententia mihi probabilior videtur, quàm prima: sed quæ inter has media est, videri potest probabilissima, nempe sub Sotere Pontifice fuisse ordinatum, vt nec statim scilicet ab aduentu in Galliam, nec tam tardè post aduentû, sed medio têpore, cùm scilicet B. Pothinus ob grauem ætatem & infirmitatê (quippe octogenario maior) auxilio consortis, iuxta posteriorem sententiam, & rationes ibi propositas, indigeret. Inter Anicetum enim & Eleutherum Pontifices interfuit Soter, qui toti ecclesiæ annos octo præfuit, non verò ex Baronij sententia, quatuor dumtaxat, minùs diebus duodecim. Nam sine auctore, & nimis tenui fundamento id asseritur: cùm nullus Historicorum minùs octo, septémue annis Soteri tribuat. De quo vide Eusebij chronicon per Pontacum, & eius Notas ad paginam 172. Item eiusdem Eusebij chronicon per Aubertum Miræum, qui ad annû Christi 170. post illa Eusebij verba; *Romana ecclesia episcopatum suscipit vndecimus Soter annis octo*, notat è regione ad marginê: *Sic omnes mei MSS. & Marianus, anno Dom. 176*. Et ipse Eusebius disertis verbis in hist. eccl. lib. 5. idem testatur: quem librum sic

A incipit: Ὁ μὲν οὖν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ ἐπὶ ὄγδοον ἔτος ἡγησάμενος, τελευτᾷ τὸν βίον. *Soter ecclesiæ Romanæ Episcopus, cùm octo annos præfuisset, vita excedit*. S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chronologia Σωτὴρ ἔτη θ. *Soter*, inquit *annos 9*. Nicephorus autem Callistus lib. 3. c. 25 consentit cum Eusebio de annis octo Soteris. Interim Baronius tomo 2. ad annû Christi 179. ita scribit: *Hac item persecutione* B *sublatum fuisse Soterem Papam, litteræ martyrum Lugdunensium, quæ hoc eodem persecutionis tempore scriptæ sunt ad Eleutherum eius successorem, necessariò nos affirmare compellunt: licet alij annos nouem eidem tribuerint. Sed quod tres tâtùm ordinationes fecisse reperiatur, haud longiori tempore sedisse possumus opinari*. Et paullò pòst: *Defunctus igitur habetur Soter die vigesima secunda Aprilis, cum sedisset annos quatuor, minùs diebus duodecim*.

C Quod autem pro opinione sua adfert, Soterem tres tantùm ordinationes fecisse: certè si id argumentum valeret, valdè imminuendus esset in plurimis Pontificibus annorum numerus. Nam Eleutherus, Soteris successor, tres quoque tantùm ordinationes fecit: & tamen sedit annos 15. côque ampliùs. Victor item Eleutheri successor, duas dumtaxat iuxta ipsum Baronium fecit ordinationes, & tamen iuxta eundem D sedit annos nouem.

Quid igitur mirum, si is, qui tres fecit, sederit annos octo? quandoquidem eius duo proximi successores, non plures fecerint ordinationes (teste Anastasio Bibliothecario, in libro de Romanis Pontificibus, quo ferè solo in his ordinationibus vtitur Baronius) & tamen plures, quàm Soter, annos sederint.

Ad illud autem, quod dicit idem Baro- E nius litteras martyrum Lugdunensium côpellere, vt affirmet Soterem eadem persecutione sublatum, quandoquidem martyres è vinculis ad Eleutherum eius successorem scripserint: verum quidem est, vel tunc, vel paullò antè sublatum esse, sed nihil necesse est sublatum fuisse anno quarto aut quinto sui episcopatus, sed octauo tantùm vt plurimi volunt, aut nono, vt multi; aut saltem septimo, vt nonnulli. Nam quar- F to aut quinto, antiquorum nemo tenuit.

At enim pro Baronij opinione facit auctoritas Romani Breuiarij, in quo ad 22 Aprilis ita de S. Sotere scribitur: *Sedit in Pontificatu annos tres, menses vndecim, dies decem & octo*. Quod re idem est, cum illis Baronij verbis suprà allatis: *Defunctus igitur habetur Soter die 22. Aprilis, cum sedisset annos quatuor, minùs diebus duodecim*.

Respondeo omnia Breuiaria, quę sic habent, vt iam modò obiectum est, recentiora

esse Annalibus Baronij, atque ad illos fuisse accommodata, quemadmodum examinanti facile erit agnoscere. Vnde nihil mirum, si idẽ sit in hodiernis Breuiarijs, quod in Annalibus Baronij. Alioqui videantur omnia, quæ ante Baronium extiterunt Breuiaria; & si vel vnum reperiatur, in quo Soteri tantùm assignentur anni tres, menses vndecim, dies decem & octo, nihil recusabo, quin contra omnium auctoritatem Historicorum & Chronographorum in eius abeatur sententiam. Sin nullum reperiatur (vti repertum iri nullum credo) tum eam magis retinendam censero, quæ de octo, aut nouem annis multo est antiquior. Nam Romanum (vt alia omittam) Breuiarium ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, & Pij V. Pont. Max. iussu editum, ita de Sotere habet ad vicesimam secundam Aprilis: *Sedit in Pontificatu annos nouem, menses tres.* Quo etiam modo & totidem verbis scriptum habetur apud Anastasium Bibliothecarium. Consului equidem plures istius Breuiarij editiones, nec vllum in hoc puncto discrimen offendi. Vnum eiusmodi Breuiarium Venetijs apud Iũtas impressum anno 1569. (quo vsus est piæ recordationis P. Euerardus Mercurianus, Societatis nostræ quartus Generalis) penes me habeo, & ob viri nomen, thesauri quidem loco. Alterum item impressionis Plantinianę eodem anno, cum priore illo consentiens in nostra Duacensi bibliotheca asseruatur. Aliæ porrò atque aliæ editiones in ijsdem annis concordes passim in antiquis reperiuntur monasterijs.

Denique cùm diligens & laboriosus Scriptor Baronius non ignoraret, quàm opinio sua de tribus quatuórue annis Soteris futura esset paradoxa, sic ex insita animi modestia adiecit: *Si quis autem certiorem de annis Soteris inuenerit chronographiam (quâ tamen non reijciatur Cletus è numero Romanorum Pontificum, nec litterarum Martyrum Lugdunensium sincerum testimonium contemnatur) haud inuiti assentiemur.*

Tomo 2. Annal. anno Christi 179.

Ex quibus verbis, & ex alijs alibi, non vno loco, sed pluribus datur intelligi, ipsum ex eo quòd duos ex vno faceret Pontifices, Cletum scilicet & Anacletum, (qui idem & vnicus apud Antiquos fuit) à communibus sententijs recedere sæpius coactum fuisse. Quocirca operæ mihi precium hoc loco videtur eam paullo accuratiùs pertractare quæstionem, non tam asseuerandæ, quàm elucidandæ veritatis gratia. Sit igitur hæc quæstio ad multas in sacra chronologia difficultates exsoluendas proposita.

QVÆSTIO.

An Cletus & Anacletus sint diuersi Pontifices, an verò vnicus?

VNicum fuisse probat antiquissimorum SS. Patrum consentiens auctoritas.

Primò quidem S. Ignatij; qui in epistola Ad Mariam, quàm vulgò Cassoboliten vocant, scribit S. Clementem successisse Anacleto. Atqui omnes, qui aduersæ sunt sententiæ, dicunt eũ successisse Cleto. Igitur idem esse debet Cletus & Anacletus iuxta S. Ignatium. Cuius verba sunt hæc: Ἔτι ὄντος σου ἐν τῇ Ῥώμῃ παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα Ἀνακλήτου, ὃν διεδέξατο τὰ νῦν ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκουστής. *Cùm adhuc Romæ esses apud beatum Papam Anacletum, cui nunc successit longè beatissimus Clemens, Petri & Paulli auditor.* Dicit Baronius vitiatum esse hunc locum, & legi debere Cletum. Atqui omnia exemplaria Ignatij tam græca, quàm Latina; tam vetera, quàm noua (quæ quidem mihi permagna vndique diligentia perscrutato videre contigit) habent Ἀνακλήτῳ *Anacleto*, nullum Κλήτῳ *Cleto*. Deinde non hoc tantùm loco vocatur à S. Ignatio *Anacletus*, qui ab alijs *Cletus*, sed etiã in epistola ad Trallianos, vbi gradum laudans Diaconorum, ita sciscitatur: Τί δὲ διάκονοι; ἀλλ᾽ ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτουργοῦντες αὐτοῦ λειτουργίαν καθαρὰν τε καὶ ἄμωμον, ὡς Στέφανος ὁ ἅγιος Ἰακώβῳ τῷ μακαρίῳ, καὶ Τιμόθεος καὶ Λίνος Παύλῳ, καὶ Ἀνάκλητος καὶ Κλήμης Πέτρῳ. *Quid autem sunt Diaconi? nisi Virtutum Angelicarum imitatores, purum & immaculatum ei ministerium exhibentes, vt sanctus Stephanus beato Iacobo; & Timotheus ac Linus Paullo; & Anacletus ac Clemens Petro?* Vbi rursum Anacletus ante Clementem nominatur, & Cleti apud eundem nulla mentio.

DIACONORVM LAVS.

Secundò, S. Irenæi nostri. Hic enim est secundus ex antiquissimis, vnde colligi aliquid de his possit. Is igitur libro 3. aduersus hæreses cap. 3. hunc habet Pontificum Romanorum vsque ad sua tempora ordinem.

1.	Petrus & Paullus		
2.	Linus.	7.	Sixtus
3.	Anacletus	8.	Telesphorus
4.	Clemens	9.	Hyginus
5.	Euaristus	10.	Pius
6.	Alexander	11.	Anicetus.

Ibi mentio nulla Cleti: igitur idem debet esse cum Anacleto: qui *Anacletus*, nomine, vt fit, decurtato, dictus sit à quibusdam *Cletus*.

Tertiò

Tertiò S. Cypriani, qui in epistola 74. ad Pompeium numerat inter Pontifices Hyginum loco nono: vnde sequitur excludi Cletum, aut eundem esse cum Anacleto. Nam alioqui Hyginus esset decimus: vt patet ex serie Irenæi proximè antepositá. Verba S. Cypriani sunt hæc: *Et hoc, cùm nondum hæreticæ pestes acriores prorupissent; necdum quoque Marcion de Ponto emersisset: cuius magister Cerdon sub Hygino tunc Episcopo, qui in vrbe nonus fuit, Romam venit.* Ita ille, secutus, vt apparet, S. Irenæi, vt antiquioris, auctoritatem.

Quartò, Eusebij tam in Chronico quàm in historia ecclesiastica: vbi post Petrum, primus ponitur Linus, deinde Anacletus, pòst Clemens, inde Euaristus, & reliqui eadem serie, qua apud Irenæum supra positi sunt, nulla prorsus facta mentione Cleti.

Quintò, S. Optati Mileuitani, qui libro 2. De schismate Donatistarum, sub initium, cunctos vsque ad suam ætatem recenset Pontifices. *Ergo in cathedra vnica,* inquit, *quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Sixtus. &c.*

Licet autem ordo nonnihil in eo perturbatus sit, quòd Clementem Anacleto præferat, tamen solius Anacleti mentionem facit.

Sextò, S. Epiphanij, qui hæresi 27. sub finem in recensione Pontificum, loco Anacleti ponit Cletum, ita vt dicendus sit habuisse pro vno eodémque Cletum & Anacletum, quandoquidem vnius tantùm meminerit, ita scribens: Ἡ γὰρ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν· Πέτρος καὶ Παῦλος, Λίνος καὶ Κλῆτος, Κλήμης, Εὐάρεστος, Ἀλέξανδρος, Ξύστος. &c. *Episcoporum Romanorum successio hanc habet seriem: Petrus & Paullus, Linus, & Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Xystus,* &c.

Qui & hæresi XLI. sub initium attribuit Hygino nonum locum in Pontificiæ sedis successione: ex quo, vt suprà dixi, consequitur, quod volumus.

Septimò, S. Hieronymi, qui in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum cap. 15. *Clemens,* inquit, *(de quo Apostolus Paullus ad Philippenses scribens ait: Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ) quartus post Petrum Romanus Episcopus. Siquidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus: tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* Nec vsquam Cleti meminit. Posteriorem verò illam partem de Latinorum opinione addidit potissimè ob Tertullianum, qui eam è primis tenuit, vt suprà monstratum est.

A Octauò, Flauij Lucij Dextri, qui ad annum Christi Domini 96. liquido litem decidit. *Per idem tempus,* inquit, *S. Anacletus vel Cletus successerat Lino, Linus verò successerat in sede Romana Petro.* Igitur eius viri iudicio vnus idémque sunt Cletus & Anacletus. Et confirmatur e codice vno Vaticano MS. Chronici Eusebiani, in quo ad annum Domini 81. reperitur: *Cletus Anacletus* &c. quasi dicat: *Cletus siue Anacletus.* B Nisi dicatur scriptor corrigere voluisse, quod malè scripserat *Cletus.* Nam in 4. alijs exemplaribus MSS. Vaticanis habetur Anacletus, cum nulla vsquã mentione Cleti.

Nonò, S. Augustini, epistola 165. Generoso sic inter alia: *Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Hyginus, Hygino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri* C *Eleutherus, Eleuthero Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus* &c. vsque ad Anastasium Siricij successorem. Ex quibus patet illum non admittere Anacletũ & Cletum vt duos Pontifices, sed tanquam vnicum, licet Anacletum Cleměti postponat.

Decimò, S. Nicephori Episcopi Constantinopolitani & Confessoris, qui in suo Chronico, quod hodiéque græcè extat, recenset hoc ordine: Petrus, Linus, Ana- D cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus &c. nec vllius Cleti meminit. Recenset etiam annos singulorum, quos, vt hic non necessarios, prætérij.

Vndecimò, Photij in Bibliotheca, Codice 122. vbi sic de Clemente: Τοῦτόν φασιν, οἱ μὲν δεύτερον μετὰ Πέτρον ἐπισκοπῆσαι Ῥώμης, οἱ δὲ τέταρτον. Λίνον γὰρ καὶ Ἀνάκλητον μεταξὺ αὐτοῦ καὶ Πέτρου, Ῥώμης ἐπισκόπους διαγεγονέναι, τε- E λευτῆσαι δὲ αὐτὸν τρίτῳ ἔτει Τραϊανοῦ. *Hunc Clementem secundum à Petro vrbis Romæ Episcopum fuisse quidam autumant: alij verò quartum. Linum enim & Anacletum, inter ipsum & Petrum, Romanos Pontifices intercessisse: obijsse autem ipsum tertio Traiani anno.*

Probatur etiam hæc sententia è vetere Romano Martyrologio, quod vnicum agnoscit Anacletum, eúmque ponit 6. Kal. Martij, siue 26. Aprilis, hoc modo: *Romæ, Anacleti* F *Papæ & Martyris.* Et quòd vnus idẽque sit Cletus & Anacletus, inde manifestò colligitur; quòd hoc ipso die ponitur in vetere Romano martyrologio Anacletus; quo in recentioribus martyrologijs Romano, & Vsuardi, & Galesinij, ponitur Cletus. Quòd si Baronius illud Vetus Romanum martyrologium, (vt omnibus votis optabat) reperire potuisset, atque vnicum ibi Anacletum absque vlla Cleti memoria inuenisset, vix dubito, quin in omnium SS. Pa-

MARTYROLOGIVM VETVS ROMANVM.

SS. Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, qui ad quintum vsque sæculum & vlterius vixere, manibus pedibúsque iuisset sententiam.

Denique in antiquis plurimarum ecclesiarum manu scriptis Breuiarijs, seu Horis Canonicis, alterutrum dumtaxat nomen reperitur aut Cletus, aut Anacletus, non verò vtrumque: quod magno argumento est, fuisse vnicum. Et nuperrimè in monte S. Eligij apud Atrebates vidi duo antiqua MSS. Breuiaria, in quibus tantum erat Cletus; vidi & vnum alterum in nostro Atrebatensi collegio vbi solus erat Anacletus. In nobilissimâ autem Vedastina bibliotheca, (quæ in eadem vrbe à PHILIPPO CAVERELIO eiusdem Vedastini cœnobij Abbate sic omni librorũ genere instructa est, vt omnes Belgicas exsuperet) vnum exstat antiquissimum MS. Martyrologium, in quo ad 26. Aprilis sic inueni: *Romæ, natalis B. Anacleti Papæ, qui secundus post Apostolum Petrum cùm rexisset ecclesiam annis 12. persecutione Domitiani martyrio coronatus est.* Quo martyrologio, post illud vetus Romanum, non existimo aliud existere fidelius. Optimè enim cũ illo vetere Romano consentit, & simul cum Eusebij Chronico: neque in vllo à veritate aberrat, nec in annis Pontificatus Anacleti, nec in tempore persecutionis.

Sed non pauca contra hanc opinionem à doctissimo Baronio afferuntur argumenta, quorum præcipua sunt hæc:

Primò igitur, *In his, quæ sunt Romanæ ecclesiæ*, (inquit Baronius in suis ad martyrologium Notationibus, 26. Aprilis) *maior est adhibenda fides eius alumnis, quàm ceteris.*

Respondeo verum esse, & Romanis quidem multò plus quàm vllis alijs. Sed quid magis Romanum, quàm Vetus Romanum martyrologium, Romæ à Romanis conscriptum? quod tantò alijs omnibus præstat fide, quanto & præcellit antiquitate. Atqui martyrologium illud Cletum nescit, & vnicum agnoscit Anacletum, vt paullò antè monstratum est.

Secundò opponitur *nobis Liber de Romanis Pontificibus*, qui duos recenset, Cletum & Anacletum, & singulis diuersa tribuit.

Respondeo illum librum, quamdiu creditus fuit Damasi Papæ, in non mediocri fuisse auctoritate; sed postquam certo agnitus est Anastasij Bibliothecarij, qui multis post Damasum vixit sæculis, plurimum amisisse auctoritatis & fidei: præsertim vbi à viris doctis examinatus, & nominatim ab ipsomet Baronio, (qui in singulis propè Pontificibus circa nonnulla ei contradicit) scatere inuentus est erroribus & ea, quę ad rem historicam spectant, admodùm paruo

A scripsisse iudicio, stilo autem semper rustico, subinde etiam ridiculo.

Ab ipsius tamen pendet auctoritate pręcipuum quod nobis opponi potest argumentum, éstque huiusmodi:

Scribit Anastasius Bibliothecarius *Cletum fuisse natione Romanum, de regione Vico Patricij patre Æmiliano, & sedisse annos 12. mensem vnum, dies vndecim.* &c. *Anacletum autem fuisse natione Græcum, de Athenis, ex patre*

B *tre Antiocho, & sedisse annos 9. menses duos, dies* 10. &c. quæ cùm diuersa sint, & de vnico dici non possint, sequitur esse duos.

Responderi potest Anastasium è diuersis auctoribus, partim Græcis, partim Latinis librum suum conflasse: in Græcis autem perpetuò inuenisse Anacletum (nam omnes Græci sic vocant, vnico fortè excepto Epiphanio in exemplari corrupto) in Latinis autem Cletum: (quòd soliti fuerant

C Latini nomina lõgiora contrahere, quemadmodum notauit Plautus à Prænestinis *coniam* dici pro *ciconiam*) existimasse autem esse diuersos, quòd inuenerit illos Scriptores in patria & quibusdam alijs dissentire. Id enim satis frequens est, vt plures populi magnorum atque illustrium virorum origines sibi vindicent. Cùm igitur Græci suum Anacletum Atheniensem, patre Antiocho natum verè scripsissent (nam & La-

D tini eum agnoscũt) Latini, propterea quòd idem Anacletus apud Faustinum quendam in Cœlio monte habitasset, Faustini filium putarunt, ac proinde natione Romanum, & propter nominis contractionem (qua soli Latini in hoc vtebantur, vocando Cletũ) duos esse posteri Scriptores Latini crediderunt: nec ferè ante sæculum Anastasij Bibliothecarij, qui octingentesimo post Christum anno, vnà cum Vsuardo, A-

E done, & alijs quibusdam martyrologis vixit, eadem noua opinione imbutis.

Verùm enimuerò cùm Latini omnes tam noui quàm veteres perinde ac Græci Anacletum agnoscant: Cletum autem, vt ab Anacleto distinctum nulli prorsus Gręci, nec præcipui item Latinorũ, vti ex probatione prioris sententiæ constat, (Non enim vetus Romanum martyrologium, nõ Cyprianus, non Optatus Mileuitanus, non

F Hieronymus, non Augustinus, non L. Flauius Dexter) valde fit probabile vnicum fuisse Anacletum, atque adeo illos, qui eius nomen decurtarunt, errori de duobus diuersis Pontificibus occasionem præbuisse.

Sed enim, inquiet aliquis, non illa modo martyrologia, quæ citauimus, distinctos habent Cletum & Anacletum Pontifices, sed etiam martyrologium V. Bedæ, qui Anastasium Bibliothecarium, & Vsuardum, & Adonem vno fere præcessit sæculo.

Quare

Quare antiquior est hæc opinio, quàm vt A eius auctor dici possit Anastasius Bibliothecarius.

Respondeo nos non habere martyrologium Bedæ, vti ab eo conscriptum est, sed auctum & demutatum; sicut nec Romanum martyrologium ordinarium tale est, quale fuit ante V. Bedæ tempora, vti luce est clarius, & quemadmodum ex vtriusque, veteris & noui collatione (vtrumque enim modò extat) primo aspectu est dis- B cernere. Martyrologium porrò V. Bedæ non haberi purum, sed auctum & demutatũ, vnde certiùs euinci potest, quàm quod in illo quod nunc extat Bedæ martyrologio aliqui contineantur Sancti, qui centum eòque amplius annis post ipsius Bedæ mortem mortui sunt? Ac ne longè hinc ad id probandum abeamus, ecce Adonem Viennensem in ipsius Bedæ martyrologio, ad diem XVII. Decembris (quo die, & totidem fere verbis in Romano continetur) C ecce, inquam, his verbis: *Viennæ, beati Adonis Episcopi*. Romanum addit duntaxat, & *Confessoris*. Atqui Beda scripsisse hoc non potuit, qui amplius centum annis ante Adonem obierat: vti omnibus in confesso est.

Denique cùm Baronius in tractatu De martyrologio Romano cap. 9. dicat martyrologium Bedæ nihil fuisse aliud, quàm D Romanum vetus à Beda auctum, an non sequitur illud vetus, vt antiquitatis, sic & auctoritatis maioris esse quam Bedæ? Et quia illud Vetus totum à nobis est, ita etiam olim fuisse Bedæ, (cùm purum quidem esset, & posterioribus additamentis intactum) an non veri est simillimum?

Tertiò assumebatur à Baronio, in suprà dictis Notationibus, S. Hieronymum libro De scriptoribus ecclesiasticis in Clemen- E te, post Linum recensuisse Cletum.

Respondeo id minimè fecisse Hieronymum, sed certissimò recensuisse Anacletum, vti non modò antiquissima habent exemplaria, sed etiam recentissimum & optimum Suffridi Petri, quo plurimùm vtor. Nam editio tomorum Hieronymi, operâ Mariani Victorij, (quâ vsum esse Baronium credibile est) licet admodum alias bona sit, & antiquioribus præferenda, non F tamen vbique, hoc autem in loco minimè gentium.

Cùm enim antehac in loco citato, haberetur *Anacletus* & benè; ipse malè correxit *Cletus*: & in secundo suo scholio sic notauit: *Cletus legendum est, non Anacletus, vt Sophronius, & Hollandus legit interpres*. Immo, quia Sophronius S. Hieronymi interpres habeat τρίτος Ἀνέγκλητος, *tertius Anacletus*, sic omnino legendum est: quandoquidem ea Sophronij interpretatio probata sit ipsi Hieronymo, vt colligitur ex eiusdẽ Hieronymi extremo libro De Scriptoribus. Accedit, quòd Hieronymus in illo libro passim sequatur Eusebium, e cuius libris historiæ ecclesiasticæ, omnia propè desumpsit, quæ de antiquissimis Scriptoribus in suum librũ retulit: & nominatim de Clemente Anacleti successore. quę vt & quędã alia desumpsit è lib. 3. Eusebij, cap. 12. & 16. nonnulla item è cap. 32. eiusdem libri. Igitur pro eo, quod est apud Eusebium, lib. 3. cap. 16. Λῖνος δὲ ὁ πρῶτος ἦν, καὶ μετ' αὐτὸν Ἀνέγκλητος. *Linus primus fuit, & post eum Anacletus*. (Petrum enim honoris & excellentiæ gratia habet supra & extra numerum & dicit: *Post Petrum, primus erat Linus*. &c. sicut & in Chronico: vbi ipse Hieronymus vertit: *Post Petrum Romanam ecclesiam tenuit Linus annis XI*.) Pro eo, inquam, quòd Eusebius habet, *Linus primus fuit, & post eum Anacletus*, scripsit Hieronymus eodem sensu, sed connumerato Petro: *Clemens quartus post Petrum Romanus Episcopus. Siquidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus*.

Præterea Eusebij Chronicon interprete Hieronymo sic de Anacleto:

Romanæ Ecclesiæ II. constituitur Episcopus ANACLETVS annis XII.

Vbi Aubertus Miræus, antiquitatum harum studiosus inuestigator, ad marginem editionis suæ sic impressit: *Sic alij omnes mei MSS. Item Iosephus Scaliger ex libb. MSS.* Denique Arnaldus Pontacus in sua Chronici Eusebiani editione fatetur antiquam lectionem esse *Anacletus*, non *Cletus*, & in 4. item Vaticanis MSS. haberi sic: *Romanæ Ecclesiæ 2. constituitur Episcopus Anacletus annis 12.* hoc est, totidem verbis, quot in editione Miræi. & tamen audet idem Pontacus corrigere *Cletus*, pro *Anacletus*. licet tacitè fateatur longè plures MSS. codices habere *Anacletus*, quàm *Cletus*. Cùm enim codices MSS. habuerit 28. vt ipsemet initio suæ editionis prædicat, tantùm repetit pro se decem: reliqui ergo stant à nobis, atque ita octonis vincimus: & præterea omnibus illis, quos Miræus & Scaliger nacti sunt.

Adducit quidem pro se Pontacus Auctores impressos non paruo numero, sed adimemus ei præcipuos, Irenæum scilicet & Tertullianum. Nam de Hieronymo iam res confecta est, vti & de Epiphanio, cùm illi vnicum nominent, ac pro eodem habeant Cletum & Anacletum, alioqui in recensione Pontificum deberent vtrùmque nominare, si iudicarent esse duos. De alijs auctoribus, quòd notissima falsitatis proferant indicia, vix refutatu digni sunt.

Quòd

Quòd ergo Pontacus pro se Irenæum libro 3. cap. 3. citat, perperam facit. Nam Irenæus Anacletum habet, non Cletum. Ecce ipsissima eius græca verba: Τούτου τοῦ Λίνου Παῦλος ἐν ταῖς πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολαῖς μέμνηται. Διαδέχεται δ' αὐτὸν Ἀνέγκλητος· μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης. *Huius Lini meminit Paullus in epistolis ad Timotheum. Cui successit Anacletus. Post cuius mortem tertio loco ab Apostolis Clemens Pontificatum sortitò capit.* Ita vertit Ioannes Christophorsonus apud Eusebium lib. 5. cap. 6. Ruffinus etiam Presbyter eadem S. Irenæi verba, loco iam citato, ante mille ducentos annos sic reddebat: *Cuius Lini Paullus in epistola ad Timotheum meminit. Huic succedit Anacletus: post quem tertio loco episcopatum suscepit Clemens.*

Nec aliter habet antiquissima illa & passim vsitata librorum Irenæi latina interpretatio, quam edidit & illustrauit doctissimus Feuardentius, nempe sic: *Huius Lini Paullus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens.*

Vnde falsus est animi Pontacus, dum se *Cletum* legisse credidit pro *Anacleto*. Nam si aliquod Irenæi exemplar habuisset *Cletus*, vix ac ne vix quidem talium scrutatorem exemplarium effugere potuisset diligentissimum Feuardentium: nec is, qui minora annotauit, illud tanti momenti præterijsset.

Quartò violenter attrahitur contra nos Tertullianus etiam reluctans. Nam dicunt eius esse istos versus sordidissimos è libro cuiusdam inepti versificatoris tertio, contra Marcionem:

Ex quibus electum, magnum, plebique probatum
Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere iussit.
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis:
Huius Anacletus successor sede locatus.
Quem sequitur Clemens: is Apostolicis bene notus.
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile,
Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro; excellens hic erat, martyrque fidelis.

Hos, inquam, sordidissimos versus dicunt esse Tertulliani: ipse autem Tertullianus suos esse pernegat: immo dicit & asserit se illam Romanorum Episcoporum seriem non agnoscere, non probare: sed se tenere Clementem fuisse secundum inter Pontifices, idque se docuisse in libro De præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 32. his verbis: *Ceterùm, si quæ* [hæreses] *audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ab Apostolis vel Apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseuerauerint) habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit.* Sic ille.

Et certè, si Tertullianus tenuisset id, quod isti versus continent, maximè hîc locus erat eam seriem interserendi. Aptissimè enim conueniebat. Sed cùm sciret id temporis aliter Græcos texere Pontificum ordinem, aliter Latinos, maluit hos sequi, quàm illos. Plerique autem Latinorum, teste Hieronymo in Clemente, *secundum post Petrum Apostolum putabant fuisse Clementem.* Nam Linum & Cletum non agnoscebant, vt Pontifices.

Negat denique Tertullianus se tam abundantem & prodigum fuisse temporis, vt ter soluta oratione, & semel stricta hoc est, malis & ineptis versibus, ad scribēdum contra Marcionem accederet. Quod omnino sequeretur, si quidem libri quinque carminum aduersus Marcionem essent eius. Nam libro primo sui veri ac germani operis contra Marcionem, statim initio indicat se primum opusculum properanter contra illum scripsisse: deinde illud opusculum auxisse: tertio sic auctum cùm à quodam apostata mendosissimè descriptū & euulgatum fuisset, in manus resumpsisse, correxisse, amplificasse. Quem triplicem laborem satis constat circa idem opus cōscriptum prosa, impensum esse. Nec enim scriptum primò carmine, augeri seuplenius fieri dicitur prosa: sicut scriptum primò oratione soluta non solet augeri vel amplificari continuo carmine.

Verba porrò Tertulliani de suo aduersus Marcionem opere diuersis temporibus scripto, aucto, demùmque correcto & consummato sunt hæc:

Si quid rectè gestum est nobis aduersus Marcionem, iam hinc viderit. Nouam rem aggredimur ex vetere. Primum opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescidimus. Hanc quoque nondum exemplarijs suffectam fraude tunc fratris, dehinc apostatæ amisi, qui fortè descripserat quædam mendosissimè, & exhibuit frequentiæ. Emendationis necessitas facta est: innouationis eius occasio aliquid adijcere persuasit. Ita stilus iste nunc de secundo tertius, & de tertio iam hinc primus hunc opusculi sui exitum necessariò præfatur, ne quemquam varietas eius in disperso reperta confundat.

Quibus in verbis, nulla mentione facta librorum quinque contra Marcionem scriptorum

ptorum sordido carmine, tantùm opusculi meminit pleniore postea compositione rescissi, quod certò de simili compositione est intelligẽdum, sed pleniore, ac proinde prosâ scripti: quandoquidem secunda compositio, vt cunctis in confesso est, prosa fuerit. Nam tertia, quæ secundæ dumtaxat correctio & amplificatio fuit, & nunc in quinque iustis exstat libris, prosa est.

A Quòd si quis per *rescissi* intelligat *suppressi ac lacerati antequam prodiret*, tum neque illi, qui nunc extant libri carminum possunt esse illud opusculum, quandoquidem fuerit, antequam prodiret, laceratum. Nam lacerare, postquam in lucem prodierit, operam est perdere, ac nihil proficere. Nec verò ipse Tertullianus aliud opus suum contra Marcionem prodijsse indicat, aut queritur, quàm illud secundum fraude fratris, postea apostatæ, sublectum, & mendosissimè euulgatum. Nam locus hic maximè erat declarandi se tantùm duo ex operibus suis contra Marcionem euulgasse, vnum carmine, & alterum, idque vltimum, prosa: iam autem tantùm vnius vltimi mentionem facit, quod ex secundo factum sit tertium, & ex tertio primum, quia scilicet illud vnicum iam pro suo agnoscat.

B

C

Vnde igitur illi libri, inquiet aliquis, sub Tertulliani nomine editi? Nempe ab agresti aliquo Tertulliani simio, qui illius libros quinque aduersus Marcionem conscriptos prosâ, confragosa, Deus bone, ac difficili, totidem alijs carmine astrictis, sed faciliotibus, imitari ac quodammodò repræsentare, sed inuitâ Minuerâ, voluerit. Qui primus autem istos versus è latebris eruit, atque in lucem sub Tertulliani nomine emisit, creditur fuisse Georgius Fabricius Chẽnicensis, homo hæreticus, sub annum Domini millesimum quingentesimum sexagesimum secundum. Ab illo autem cùm accepisset Iacobus Pamelius vir in sanâ religione probus & doctus, atque in suam omnium Tertulliani operum editionem, omnium ante id tempus optimam immisisset, multi ex illius auctoritate, absque alio examine crediderunt verè esse Tertulliani, atque illius nomine citarunt, etiam Baronius, quippe cui in vasto historiæ ecclesiasticę pelago laboranti otium non fuerit talia exactiùs examinare. At noster Bellarminus, qui seriò hoc egit, illud opus in suo De Scriptoribus ecclesiasticis libro prætetijt. Sixtus item Senensis, (qui eodem propè tempore bibliothecam suam edidit, quo Pamelius Tertullianum) in recensione librorum Tertulliani, istos carminum aduersus Marcionem, aut ignorauit, aut neglexit. Certè prorsus indigni sunt Tertulno. Vnì autem cuique suum iudicium. Vtinam & indagandæ veritatis studium. Nam alij alios, fere vt oues, sequuntur: &, si priores aberrauerunt, ipsi se præcipitant.

D

E

F

Atque de hac quæstione hactenus. Plura enim, quę in vtramque partẽ disputari possunt, aut alijs relinquo, aut aliud intempus differo. Hoc autem, vti & mea omnia, sanctæ matri Ecclesiæ catholicæ lubens volens submitto. Sum enim filius Ecclesiæ.

Nunc ad aliorum quorundam in eodem cap. 7. vitæ S. Irenæi explicationem simul & confirmationem redeamus:

a *ALIÆ ENIM ATQVE ALIÆ NASCEBANTVR QVÆSTIONES.*] Harum quæstionum mentionem tangunt Eusebius lib. 5. historiæ, cap. 3. & 4. & Hieronymus libro De Scriptoribus, in Irenæo, vbi eum propter illas ipsas legatione functum indicat. *A martyribus eiusdem loci*, inquit, *ob quasdam ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum perfert litteras.* Quæstiones porrò illas fuisse easdem, quæ olim sub Aniceto inter ipsum & Polycarpum agitatæ & compositæ fuerant, videtur ex epistola S. Irenæi ad Victorem Pontificem cap. 11. vitæ citatâ colligi: recruduisse autem illas sub Sotere Aniceti, & Eleuthero Soteris, ac demum sub Victore Eleutheri successoribus, sed sub hoc maximè, satis constat.

b *AC IAM IN PHRYGIA MONTANVS ET ALCIBIADES* &c.] Hic est ille Montanus, à quo postea in hæreses deuolutò Montanistæ hæretici sunt appellati. De quo & de socijs eius Alcibiade & Theodoto, S. Irenæi tempore prophetantibus, ita Eusebius loco proximè citato: *Quum Montanus, & Alcibiades, & Theodotus tam tunc primùm in Phrygia prophetiæ opinionem apud complures obtinuissent; nam & alia plurima, quæ adhuc varijs in ecclesiis edebantur miracula, fidem apud multos faciebant, ipsos quoque donum prophetiæ esse consecutos) & cum de ijs orta iam esset dissensio, rursùm qui in Gallia erant fratres suum de illis prudens ac rectum omnino iudicium subiunxerunt: varias quoque martyrum, qui apud eos excesserant, epistolas proferentes, quas in vinculis etiam tum detenti ad fratres qui Asiam & Phrygiam incolebant, exararant. Nec ad illos modò, sed ad Eleutherum quoque Romanum tunc Pontificem pro ecclesiarum pace eum deprecantes.*

Ex his Eusebij verbis nonnulla ad rem, quam agimus, valde opportuna deducuntur. Primò quidem ex eo, quòd Martyres ex ipsis vinculis ad Eleutherum Pontificem scripserint, rectè colligitur durasse eam M. Aurelij Antonini persecutionem vsque ad Eleutherum Pontificem, hoc est, ad eiusdem Antonini 17. qui iuxta Eusebium

bium fuit Eleutheri secundus: ac proinde non erratum esse in Eusebij historia, vbi hæc Gallica persecutio tribuitur anno 17. dicti Imp. nec restituendum (quo modo aliqui perperam putarunt) anno 7. loco decimi septimi. Quòd enim Eusebius in Chronico è regione anni septimi ita notauerit: *Plurimi in Gallia gloriosè, ob nomen Christi, interfecti:* & contrà, in historia sua lib. 5. capit. scripserit ad annum 17. vehementiùs concitatam esse persecutionem, hoc, inquam, nihil designat aliud, quàm cœpisse illam persecutionem anno 7. & recruduisse 17. Secundò colligitur, Soteris & Eleutheri Pontificum temporibus aliquas fuisse in ecclesia dissensiones, quandoquidem Eleutherum initio sui Pontificatus ad pacem cohortati sunt.

De Montani porrò hæresi, commodior erit in S. Apollinare qui eã refutauit (nam in Irenæi operibus de illa nihil) plura disserendi locus. Hoc tantum dixisse hîc satis sit, illam in Asia & Phrygia sub hæc ferè tempora pullulasse.

AD CAPVT VIII.

a QVVM IRENÆVS SEDATA GRAVISSIMÆ PERSECVTIONIS TEMPESTATE &c.] Explicatur hoc cap. beatissimi Irenæi cura & sollicitudo in subditis recta fide imbuendis, atque aduersus alienas opiniones præmuniendis. Quę porrò afferuntur, ea sunt ex ipsiusmet scriptis deriuata.

b AD HOC IGITVR PERSVADENDVM &c.] Docet enim Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 1. & seqq. continuam doctrinæ catholicæ à Christo ad Apostolos, ab his ad Euangelistas, ab Euangelistis ad suos discipulos, & ab his ad alios atque alios emanationem.

c ET QVI VARIOS CONFINGENDO ÆONAS &c.] Valentiniani eum, quem nos vocamus Deum Patrem, dicebant esse summum Æonem, quem appellabant Proarchen, Propatora, Bythō seu Profundum. Quem nos Filium, & Verbum, & secundam sanctissimæ Trinitatis personam; illi Ennoeam, Charin, Sigen: deinde eorum progenies eò vsque propagabant, donec vniuersè triginta essent æones, quasi totidem Dij Deæque. Vide Irenæum lib. 1. cap. 1. Descripserunt horum æonum tabulas Feuardentius ante caput primum Irenęi, & Pamelius ad Tertullianum, in libri aduersus Valentinianos vestibulo.

d IN NOMINE IGNOTI PATRIS &c.] Forma est baptismi Valentiniana; quam Irenæus ita græcè descripsit apud S. Epiphanium, hæresi 34. Εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς

A τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Eadem & apud Eusebium reperiuntur lib. 4. historiæ, cap. 10. nisi quòd in impressis exemplaribus vna linea desideretur, tam in editione Stephani græca, quã in latina Ruffini, & Christophorsoni græcolatina. Finiunt enim illi in Ἰησοῦν, *IESVM*: nec habent ista: Εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. *In* B *adunationem, & redemptionem, & communionem virtutum.* vt habet vetus Irenæi interpres. Necessariam verò esse hanc additionem patet etiam è Theodoreto, lib. 1. hæreticarum fabularum, cap. de Marco. & è Niceta Choniate, in thesauro orthodoxæ fidei, lib. 4. hæresi 6. vbi ea reperitur. Proinde Feuardentius hoc loco Irenęi, meliùs græca ipsius ab Epiphanio desumpsisset, quam ab Eusebio. Latinus Nicetæ inter- C pres sic habet: *In nomine ignoti Patris omnium & veritatis matris omnium, & eius, qui descendit, IESV ad coniunctionem, & redemptionem, & communicationem virtutum.* Tam in græco, quàm in latino corrigendum est, εἰς Ἰησοῦν *in IESVM.* propterea quòd alij Auctores sic habeant, & baptismus Valentinianorum seu Marcosiorum fieret in nomine Spiritus, qui descendit in IESVM. Denique tota hæc interpretatio corrigenD da est ad normam interpretationis Petauianæ ad S. Epiphanium hęresi 34. num. 20.

e PEREGRINA ISTA VSVRPARENT NOMINA &c.] Vetus Irenæi interpres vocat hebraica. *Alij autem*, inquit, *& hebraica nomina superfantur, vt stupori sint, vel perterreant eos, qui sacrantur, sic: Basyma, cacabasa, eanaa, irraurista, dyarbada; caeotaba, fobor, camelanthi.* Et fuisse hebraica patet è textu græco, quem exhibet S. Epiphanius hæresi E 34. his verbis: Ἄλλοι δὲ ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι, πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελειουμένους, οὕτως· Βασεμὰ, Χαμοσσὴ, Βααιανορὰ, Μιστάδια, Ῥουάδα, Κουστὰ, Βαβοφώρ, Καλαχθεῖ. *Alij autē*, inquit, *hebraica quædam nomina, quò magis horrorem ijs, qui initiantur, incutiant, hoc modo pronuntiant: Basema, Chamosse, Baaanora, Mistadia, Rhuada, Kusta, Babophor, Kalachthi.* Deinde addit significationem his verbis: Τούτων δὲ ἡ ἑρμηνεία ἐστὶ F τοιαύτη· Ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἀγαθὸν, καὶ ζωήν· ὅτι ἐν σώματι ἐβασίλευσας. *Horum autem hec est interpretatio: Supra omnem virtutem Patris Lumen, quod vocatur, inuoco, & Spiritum bonum, & Vitam: quoniam in corpore regnasti.*

Ita S. Epiphanius homo Hebræus, & hebraicè sciens, cuius verba multùm quidem distant ab ijs, quæ suprà protulit vetus S. Irenæi interpres: sed nec ipsa tamen cum dictio-

dictionibus hebraicis, vt nunc quidem iacent, magnam habent affinitatem.

Paullò etiam diuersiùs refert illa Nicetas in thesauro orthodoxæ fidei, lib. 4. hæresi 6. hoc modo scribens: *Quóque maiorem ei, qui baptizatur, stuporem inyciant, hac hebraica nomina superaddunt: Chamosi, baë, anoora, mystadia; rhuda, custaba: phogor, calathi. Quorum interpretatio hæc est: O qui es super omnem virtutem patris, te inuocamus, qui lumen, & spiritus bonus, & vita nominaris: quoniam in corpore regnasti.* Ita Petrus Morellus Nicetæ interpres. Qui vtinam & græcè Nicetam edidisset! Nam videtur omisisse primum nomen hebraicum *Basema*, quod habent S. Epiphanius, & latinus Irenæi interpres.

Feuardentius in dictum caput Irenæi existimat illa vocabula à Valētinianis fuisse conficta, & Irenæum vocasse hebraica, non ex suo, sed ex Valentinianorum sensu, *cùm ad vnum*, inquit, *confidenter & verè possim affirmare, ea nempe nec à Græca, nec ab Hebræa, Chaldaica, Syra, aut Arabica lingua petita esse.*

Et sanè, (vti quidem ab Irenæi interprete referūtur) omnino patent fictitia; vti autem ab Epiphanio & Niceta; videri possunt hebraicæ linguæ nonnulla referre vestigia: quod in vocibus primâ & vltimâ licet præcipuè animaduertere. De his porrò quid sentiat noster Petauius in suis ad S. Epiphanium animaduersionibus, super hæresi 34. Marcosiorum, licet ibi videre.

f *DE SANCTISSIMA ITEM EVCHARISTIA* &c.] De Marci Valentiniani præstigijs circa Eucharistiæ consecrationem agit Irenæus lib. 1. cap. 9. *Pro calice enim*, inquit, *vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum facit apparere poculum.* &c. Græcè habebat idem Irenæus hoc modo: Ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα, προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ. *Pocula vino mixta, simulans se Eucharistiam conficere, & sermonem inuocationis in longum protrahens, purpurea & rubra apparere facit.* Ita refert ex eo S. Epiphanius hæresi 34. numero 2. Qui paullò antè de eodē Marco, eiúsque sectatoribus Marcosiis dixerat: Φασὶ γὰρ τρία ποτήρια λευκῆς ὑάλου παρ' αὐτοῖς ἑτοιμάζεσθαι κεκερασμένα λευκῷ οἴνῳ, καὶ ἐν τῇ ἐπιτελουμένῃ παρ' αὐτοῦ ἐπῳδῇ τῇ νομιζομένῃ Εὐχαριστίᾳ, μεταβάλλεσθαι εὐθὺς τὸ μὲν ἐρυθρὸν ὡς αἷμα, τὸ δὲ πορφύρεον, τὸ δὲ κυάνεον. *Aiunt enim tria pocula è candido vitro apud illos præparari albo vino mista, dúmque ab illo peragitur incantatio, quæ Eucharistia putatur, subitò mutari, & aliud quidem apparere rubrum instar sanguinis, aliud verò purpureū, aliud cæruleum.* Vide ibi plura.

g *SIMVL ET RECENTIA NOBILIVM FEMINARVM EXEMPLA* &c.] Solitos esse hæresiarchas, mulierum vti auxilio ad suas condendas dispergendásque hæreses, conglobatis probat exemplis S. Hieronymus in libro ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos: *Simon magus*, inquit, *hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio.* *Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philumenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas feminas primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit.* (Hieronymus tomo 2. in lib. aduersus Pelagianos.)

h *CETERA DENIQVE, QVÆ ISTI PLANI ET PRÆSTIGIATORES* &c.] De arte prophetandi, quam docebat Marcus, & quomodo mulieres præsertim opulentas ac speciosas amatorijs poculis in fraudem induceret, vide Irenæum lib. 1. c. 9. sub finē.

i *TRES IN CLASSES CVM GENVS OMNE HOMINVM DIVIDERENT* &c.] De tribus hominum generibus, quorum alij terrestres, alij animales, alij spirituales à Valentinianis fingebantur, vide Irenæum lib. 1. cap. 1. sub finem, & Epiphanium hæresi 31.

AD CAP. IX.

a *HAVD IGITVR SATIS HABVIT IRENÆVS* &c.] Agitur hoc capite de S. Irenæi aduersus hæreses susceptis in scribendo laboribus: quos inchoauit quidem superstite adhuc M. Aurelio Antonino, sed perfecit atque absoluit imperante Commodo. Hic enim in imperio patri successit, homo sæuus ac truculentus, & cui ad summum ferè improbitatis ac nequitiæ, præter persecutionem Christianorum, nihil defuit. Eos enim superbiâ & contemptu missos fecit. Itaque pax pijs sub tam impio Imperatore fuit: sed eius solius nutu atque voluntate, *qui post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymationem & fletum exultationem infundit.* (Tobiæ 3. ver. 22.) Vsus hac pacis commoditate Irenæus res ecclesię Gallicanæ composuit, & officientes ei hæresiarchas, eorúmque sectatores, voce & stilo, quanto potuit opere maximo, confecit.

b *QVI E VALENTINI ET MARCIONIS SCOLA EXIERANT*] De Marcione dictum abundè est in S. Iustino: hic locus & campus est de Valentino. Quis igitur ille, aut vnde domo? Et quid hæreseos, aut quando, & vbi profudit?

Valentinus hæresiarcha.

Primò, Ægyptius natione fuisse creditur, patria Pharbęthites.

Secundò, ab vrbe suâ Pharbætho (quæ est Ægypti maritima) Alexandriam eius-

 dem

dem Ægypti metropolim & artium magistram studiorum caussa immigrauit. Hic & alijs artibus, & Platonis philosophia imbutus fuit.

3. Fidem Catholicam exinde suscepit, Christianæque pietatis institutum Romæ aliquamdiu tenuit.

4. Ex ingenij postmodùm, eruditionisque varietate ac præstantia in superbiam elatus, & dignitatis appetentior, quàm repulsæ patientior, vt spe adipiscendi episcopatus motum se vidit, noua moliri cœpit, & in Cyprum profectus, zizania ibi serere propalam aggressus est, & errores antehac inauditos profiteri.

5. Initium porrò disseminandę hæreseos fecit idem Valentinus sub Antonini Pij principatu, siue sub annum Domini 145. qui erat Antonini sextus iuxta Eusebij & aliorum, itémque Baronij, chronologiam.

VALENTINIANÆ HÆRESEOS PVNCTA PRÆCIPVA.

6. Hæreseos puncta præcipua hæc habuit: Triginta esse Deos, quorũ summi sint Profundum & Silentium: qui velut coniuges procrearint Mentem & Veritatem: ex quibus alij nati sint Dij, quos æonas appellant (horum triginta æonum nomina Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Theodoretus, edidere) præterea Christum nihil ex Maria Virgine accepisse, sed aquæ tantùm instar, per illam quasi per tubum, aut fistulam, transisse: nõ esse eiusdem carnis, quæ interierit, resurrectionem, sed alterius: saluari suos solâ cognitione; nobis autem & fide opus esse, & bonis operibus: saluari porrò solam animam, non corpus.

Confirmantur verò ea, quæ hîc de Valentino protulimus è sanctis Patribus, tam græcis, quàm latinis.

Primum quidem ex Epiphanio hæresi 31. num. 2. vbi dicit Valentini quidem patriam intactam Scriptoribus; sed famâ ad se ditâ in Ægypto natum atque Pharbęti ciuem videri. Probo enim Petauij nostri coniecturam pro Phrebonite Pharbætitem suggerentis, Nam nulla Ægypti vrbs, vrbisue incola priori reperitur nomine; sed posteriori omnino. Ita enim Stephanus Byzantinus libro de vrbibus: Φάρβαιθος πόλις Αἰγύπτου. ὁ πολίτης, Φαρβαιθίτης. *Pharbæthus, Ægypti vrbs: ciuis autem, Pharbæthites appellatur*. Et apud Strabonem lib. 17. in Ægypti descriptione mentio fit Pharbeticæ præfecturæ. Cùm autem S. Epiphanius addat Valentinum fuisse παραλιώτην *maris accolam*, indicium est eam vrbem esse maritimam.

Secundum partim ex eodem Epiphanij loco, partim è Tertulliano asseritur. Illius verba sunt: Ἔφασαν γὰρ αὐτόν τινες γεγεννῆσθαι Φρεβωνίτην [aliter Φαρβαιτίτην] τῆς Αἰγύπτου παραλιώτην· ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ

A πεπαιδεῦσθαι τὴν τῶν ἑλλήνων παιδείαν.

Aiebant quidam eum Pharbati vrbe Ægypti maritima natum esse: Alexandria autem græcorum disciplinis informatum.

Tertulliani lib. De præscriptionibus cap. 30. *Vbi tunc Marcion Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus? vbi tunc Valentinus Platonicæ sectator?*

Quæri hîc potest[1], quò pacto inter se de Valentini philosophia consentiant Ter-

B tullianus & Philastrius, cùm ille Platonicum, hîc vocet Pythagoricum? Sic enim de Valentino Philastrius in libro de hæresibus: *Post istum* [Ebionem] *Valentinus quidam surrexit, Pythagoricus magis, quàm Christianus, vanam quandam ac perniciosam doctrinam eructans, & velut arithmeticam, id est, numerositatis nouam fallaciam prædicans, multorúmque animas ignorantium captiuauit.*

Respondetur Valentinum, quòd sciret

C Platonicos ex omnibus Philosophis summa esse in auctoritate & gloria, videri voluisse eorum sectatorem; cùm tamen re vera magis in Pythagoreos deflecteret: quandoquidem, vt illi, magnam in numeris vim poneret: quod etiam verba Philastrij indicant. Ac sicut illi quaternarium maximè celebrabant & per eum iurabant: sic Valẽtinum summa 4. principia velut summos Deos posuisse, *Profundum & Silentium*, *In-*

D *tellectum & Veritatem*. De quibus Tertullianus eorum ferè gręca vocabula retinens, *Ergo*, inquit, *Bythos & Sige, Nus & Veritas, prima quadriga defenditur Valentiniana factionis, matrix & origo cunctorum*. Et paullò postea de 2. quaternario, siue quadriga, siue tetrade: *Ecce enim*, inquit, *secunda tetras: Sermo & Vita, Homo & Ecclesia.*

Iam istos duos quaternarios iunctos vocabant Ogdoadem siue Octonarium. De

E qua Ogdoade librum contra ipsos scripsit (vt suprà indicatum est) Irenæus.

Primum autem quaternarium vocat idẽ Irenæus libro 1. cap. 1. Πυθαγορικὴν τετρακτὺν, *Pythagoricam quaternationem*, vt vetus loquitur interpres, vt autem Billius *quaternitatem*. Verba Irenæi sunt hæc: Καὶ εἶναι ταύτην πρῶτον καὶ ἀρχέγονον Πυθαγορικὴν τετρακτὺν, ἣν καὶ ῥίζαν τῶν πάντων καλοῦσιν. Ἔστι γὰρ Βυθὸς καὶ Σιγὴ, ἔπειτα Νοῦς καὶ Ἀλήθεια. *Et*

F *hanc esse primam & primogenitam Pythagoricam quaternationem, quam & radicem omniũ dicunt. Est enim Bythus & Sige, deinde Nus & Alethia.* Sic interpres vetus. Sed latina vocabula paullò antè vsurpaui.

Vide eundem Irenæum lib. 2. cap. 19.

3m. & 4m. quòd scilicet aliquãdo Catholicus fuerit, ac deinde defecerit; ex Tertulliani, & Philastrij, & Epiphanij testimonijs habetur: quorum primus libro *De Præscriptionibus*, c. 30. post verba de Valẽtino & Marcione iã laudata,

laudata addit de iisdẽ: *Nã constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini ferè principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti (Marcion quidem cum ducentis sestertijs suis, quæ Ecclesiæ intulerat) nouissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt.* Et libro aduersus Valentinianos cap. 4. *Sperauerat*, inquit, *episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio: sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (vt solent animi pro prioratu exciti præsumptione vltionis accendi) ad expugnandam conuersus veritatem ex cuiusdam veteris opinionis semine actus colubroso viam delineauit. Eam postmodum Ptolomæus intrauit.* Vbi nota obiter correctũm Tertulliãni locum. Legebatur enim hactenus: *& cuiusdam veteris opinionis semini actu colubroso viam delineauit.*

Atqui non delineauit viam semini veteris opinionis, cùm illa opinio iam sata esset, sed ex semine illius opinionis, actui suo colubroso, id est, hæresi suæ viam delineauit: quam viam & Ptolomæus & alij intrarunt. Fauet Irenæus huic interpretationi (nam eum imitatus videtur Tertullianus) cum lib. 1. aduersus hæreses, cap. 5. de Valentino, primo eius hæreseos (de qua nunc agimus) auctore sic scribit: *Qui enim est primus, ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus sic diffiniuit.* &c. Latinius Viterbiensis in suis ad Tertullianum coniecturis suggerebat hanc lectionem: *Veteris cuiusdam opinionis semen nactus Colobarso viam delineauit. Eam postmodum Ptolomæus instrauit.* Sed cùm nulli codices hanc lectionem præferãt, nec tam velit Tertullianus ostendere Valentinum alijs occasionẽ condendæ hæreseos dedisse, quàm ipsum conditorem primum fuisse; idcirco nostra videtur retinenda lectio, vt antiquiorum codicum verbis propinquior. Quamuis non prorsus reiiciam Latinij acutam & satis verisimilem coniecturam: quandoquidem Colorbasus (sic enim legendum ex Irenæo & Tertull. & Epiphanio, non autem *Colobarsus*) è discipulis fuerit Valentini, & nouam quoque ipse cuderit hæresim. Philastrius etiam, Brixiensis Episcopus, libro de hæresibus, in hæresi 20. eiusdem & fidei & postea perfidię mentionem facit. *Et in primis quidem*, inquit, *fuit in ecclesia, elatior autem factus postmodum, errore non paruo deceptus est, degénsque in Cypri prouincia cœpit hoc desinire: Nihil erat aliud antè*, inquit, *in mundo nisi Profundum maris & Silentium,*

A *quod Poëtæ Chaos asserunt.*

Epiphanius quoque hæresi XXXI. num. VII. postquam egit de Valentini prędicatione in Ægypto & Romæ, vbi & aliquos, (sub nomine scilicet Catholici) errores sparserat, tum subdit: Εἰς Κύπρον δ' ἐληλυθὼς τῆς πίστεως ἐξέστη, καὶ τὸν νοῦν διεστράφη. Ἐνομίζετο γὰρ πρὸ τούτου μέρος ἔχειν εὐσεβείας καὶ ὀρθῆς πίστεως ἐν τοῖς προειρημένοις τόποις. *Sed in Cyprum delatus fide excidit, & mente motus*
B *est. Nam existimabatur antehac in antè dictis locis aliquam habere partem pietatis, & rectæ fidei.*

5. De tempore ortúque huius hæreseos, communis ferè est & consentiens opinio, Antonini Pij Imp. temporibus ortam, propagatamque esse. Dedi suprà Tertulliani testimonium, è libro De Præscriptionibus. Sciendum est autem bis fuisse Romæ Valentinum, primò vt Catholicum, è Tertul-
C liano suprà; secundò vt hæreticum, post reuersionem è Cypro insula. Videtur signare vtrumque tempus in Chronico suo Eusebius; primum quidem, cùm ad annum Antonini 2^m. qui est Christi 141. sic notat: *Sub Hygino Romanæ vrbis Episcopo Valentinus hæresiarches, & Cerdon magister Marcionis Romam venerũt.* Vbi τὸ *hæresiarches* per Anticipationem dictũ est, ad declarandum, quòd de Valentino loquatur; cùm de illo antea
D nihil. Secundum autem tempus, cùm ad VII. eiusdem Imp. sic scribit: *Valentinus, hæreticus agnoscitur, & permanet vsque ad Anicetum.*

Ac sic intelligenda sunt Irenæi verba, lib. 3. aduersus hæreses, cap. 4. Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου, ἤκμασε δ' ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. *Valentinus venit Romam sub Hygino, floruit autem sub Pio, & permansit vsque ad Anice-*
E *tum.* ita vt primâ vice Romam venerit sub Hygino Pont. alterâ autem sub Pio Papa, quo tempore *floruit*, seu, vt vetus interpres Irenæi reddidit, *increuit.*

Accedit his Theodoretus libro 1. hæreticarum fabularum his verbis: Συνεστήσατο δὲ τὴν αἵρεσιν ἐπ' Ἀντωνίνου τοῦ πρώτου. *Condidit autem hæresim sub Antonino primo.* Is est Antoninus Pius.

6. De Valentini dogmatibus fusissimè a-
F gunt Irenæus, & Tertullianus, & Epiphanius, citatis suprà locis: breuiter autẽ & obiter Hilarius lib. 6. De Trinitate. Itẽ Philastrius, Augustinus, Theodoretus. De primo puncto, siue de Deorum genealogia, cùm res longissima sit, & constet ex istis auctoribus certissimè, nihil plus dicam, quàm in vitâ dictum sit.

De secũdo puncto autẽ, quo finxit, & summa impietate docuit, Christũ nihil ex Maria cepisse; habemus in promptu S. Irenæi

ipsissima verba, lib. 1. aduersus hæreses, cap. (A) 1. sic scribentis: Εἰσὶ δὲ οἳ λέγοντες προβαλέσθαι αὐτὸν καὶ Χριστὸν υἱὸν ἴδιον, ἀλλὰ ψυχικόν, καὶ περὶ τούτου διὰ τῶν Προφητῶν λελαληκέναι· εἶναι δὲ τοῦτον τὸν διὰ Μαρίας διοδεύσαντα, καθάπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ὁδεύει. Quæ sic reddit vetus interpres: *Sunt autem, qui dicunt emisisse eum* [id est, Demiurgum siue Creatorem] *Christum filium suum, sed animalem, & de hoc per Prophetas locutum esse. Esse autem hunc, qui per Mariam transierit, quemadmodum aqua* (B) *per tubum transit.* Exstant illa Irenæi græca, apud S. Epiphanium, hæresi 31. numero 22. cum noua nostri Dionysij Petauij interpretatione.

Habemus & Tertulliani duplex testimonium. Nā & in libro de præscriptionibus, cap. 49. dicit Valentinum de Christo sic docuisse: *Christum missum esse ab illo propatore, qui est Bythus: hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse: sed spiritale nescio quod* (C) *corpus de cælo deferētem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem.* Et in libro aduersus Valentinianos cap. 27. *Esse enim Demiurgo suum Christum, filium naturalem: denique animalem prolatum ab ipso, promulgatum Prophetis, in præpositionum quæstionibus positum, id est, per Virginem, non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem, transmeatorio potius quàm generatorio more proces-* (D) *serit per ipsam, non ex ipsa: non matrem, sed viam passus.*

Habemus & Philastrij libro de hæresibus, in hæc verba: *Dicit autem Christum à Patre, quem Profundum nomine appellat, ad totius mundi salutem fuisse dimissum, déque cælo eum carnem detulisse: nihil autem accepisse de sancta virgine, sed vt aquam per riuum, ita transisse per eam affirmat. Animam ergo solam saluari, corpus autem hominis non saluari* (E) *arbitratur.* Ita ille.

De alijs Valentini dogmatibus sic breuiter lib. de præscriptionibus, iam citato loco Tertullianus: *Resurrectionem huius carnis negat, sed alterius. Legis & Prophetarum quædam probat, quædam improbat; id est, omnia improbat, dum quædam reprobat. Euangelium habet etiam suum præter nostra.*

Quòd autem sola cognitione seu scientia (à qua Gnostici appellati sunt) saluari se (F) dicant, nos autem fide & operibus: nam aliter malè nobiscum agi, si his destituamur, non ita cum illis; ex Irenęo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Theodoreto discimus. Verba Irenæi exstāt libro eius primo, cap. 1. & eius vitæ inserui, cap. 8. Vide ibi. Item apud S. Epiphanium hæresi 31.

Perstringit autem breuiter Clemens lib. 2. Stromatum sub initium his verbis: Οἱ δὲ ἀπὸ Οὐαλεντίνου τὴν μὲν πίστιν τοῖς ἁπλοῖς ἀπονείμαντες ἡμῖν, αὐτοῖς δὲ τὴν γνῶσιν τοῖς φύσει σωζομένοις κατὰ τὴν τοῦ διαφέροντος πλεονεξίαν σπέρματος ἐνυπάρχειν βούλονται· μακρῷ δὲ κεχωρισμένην πίστεως, ἢ τὸ πνευματικὸν τοῦ ψυχικοῦ λέγοντες. *Valentiniani vero nobis vt simplicibus fidem attribuentes; sibi, tanquam qui natura salui fiant, cognitionem inesse volunt iuxta præcellentis seminis copiam: quam cognitionem magis à fide distare, quàm spiritale ab animali dictitant.*

Theodoretus item lib. 1. hæreticarum fabularum in Valentino: Φασὶ δὲ αὐτοὺς μὲν ἀπὸ μόνης τῆς γνώσεως σώζεσθαι· ἡμᾶς δὲ ἀπὸ πίστεως καὶ πράξεως ἀγαθῆς. αὐτοὺς δὲ μὴ χρήζειν ἔργων, ἀρκούσης εἰς σωτηρίαν τῆς γνώσεως· οὗ δὴ χάριν οἱ τελειότατοι παρ' αὐτοῖς πᾶν ὁτιοῦν τοῖς θείοις νόμοις ἀπηγορευμένον πράττουσιν ἀδεῶς. Καὶ γὰρ τὰς ἑλληνικὰς ἑορτὰς ἐπετέλουν, καὶ εἰδωλοθύτων μετελάμβανον, καὶ ταῖς φιληδονίαις δουλεύουσι, καὶ πᾶν ὁτιοῦν πονηρὸν ἀδιακρίτως τολμῶσιν. *Aiunt autem se quidem sola cognitione saluari; nos verò fide & operibus bonis: se enim non egere operibus, cùm ipsis ad salutem sufficiat cognitio. Qua de caussa perfectissimi inter ipsos omnia, quæcumque diuinis aduersantur legibus, committunt intrepidè. Nam & Gentiliū festos celebrant dies, & idolis immolata comedunt, & indulgent voluptatibus, & quicquid improbi est, indiscriminatim audent.*

Meritò proinde irridet eos Tertullianus libro aduersus ipsos conscripto, cap. 30. *Ideóque*, inquit, *nec operationes necessarias sibi existimant, nec vlla disciplina munia obseruant, martyrij quoque eludentes necessitatem, quâ volunt interpretatione. Hanc enim regulam animali semini præstitutam, vt salutem, quam non de priuilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus.* Et mox: *Sed nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ iugum: si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque iustitiæ: si confitendum alibi, nescio vbi, & non sub potestatibus istius sæculi, apud tribunalia præsidum optauerimus. Illi verò & de passiuitate vitæ, & diligentiâ delictorum, generositatem suam vindicent, blandiente suis Achamoth, quoniam & ipsa delinquendo profecit.*

Nota ibi, *Si confitendum alibi* &c. id est, væ nobis erit scilicet (ironicè enim dicta sunt) si cùm alibi & non sub tyrannis nomen Domini confitendum sit, optauerimus tamen apud tribunalia Præsidum confiteri, sicque martyrium pati. Quia nimirum docebant Valentiniani nullam esse necessitatem patiundi martyrij: & secus quàm oportebat interpretabantur ista aut similia verba Scripturæ: *Si quis confitebitur me coram hominibus &c.* & & de nobis Catholicis dicebant: *Sed nesciunt simplices animæ, quid, quomodo scriptum sit, vbi, & quando, & coram quibus confitendum:*

dum: nisi quòd nec simplicitas ista, sed vanitas, immo dementia pro Deo mori. &c. vt in Tertulliani Scorpiaco, cap. 1. vbi & eos refutat dicentes in cælo esse confitendum.

Nota item: *De passiuitate vitæ, & diligentia delictorum*, id est, de secura libertate in obsequendo passionibus, & de vitijs perinde sectandis, ac si delicta diligerent. Nam generositas ipsorum, (quòd scilicet spiritales nati essent) efficiebat scilicet, vt nullum ipsis peccatum, quamuis enorme ac insolens, nocere aut saluti officere posset.

c *IAMQVE ADEO IN GALLIAS NONNVLLI PENETRARANT*] Penetrasse Valentinianos in Gallias, ibique multis exitio mulieribus fuisse testis est ipse Irenæus lib. 1. cap. 9 his verbis: Τοιαῦτα δὲ λέγοντες καὶ πράττοντες, καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας πολλὰς ἐξηπατήκασι γυναῖκας. *Hæc dicentes & facientes, etiam in nostra Rhodanensi regione mulieres multas circumuenerunt.* Vide ibi plura.

Ijdem è Gallia in Hispaniam & Lusitaniam commigrarunt, siue non valentes resistere Spiritui, qui per os Irenæi loquebatur, siue vltro alia de caussa. Scribit ergo Hieronymus in cap. 64. Isaiæ, multas tam Hispanas quàm Lusitanas mulieres ab ijs deceptas, subditque hæc verba: *De quibus diligentissimè vir Apostolicus scribit Irenæus, Episcopus Lugdunensis & martyr, multarum origines explicans hæreseon, & maximè Gnosticorum, qui per Marcum Ægyptium, Galliarum primùm circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas deceperunt, miscentes fabulis voluptatem, & imperitiæ suæ nomen scientiæ vindicantes.* Simillima habet epistola 29. ad Theodoram.

d *CONATI ENIM FVERANT ANTE ILLVM NONNVLLI* &c.] Hæc è verbis illis Irenæi in præfatione ad librum 4. colliguntur, vbi dicit: *Eum autem, qui velit eos conuertere, oportet diligenter scire regulas siue argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam malè habentes, qui ignorat passionem eorum qui malè valent. Quapropter hi, qui ante nos fuerunt, & quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt à Valentino: quia ignorabant regulam ipsorum: quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradidimus: in quo & ostendimus doctrinam eorum, recapitulationem esse omnium hæreticorum.*

HVMILITAS IRENÆI.

e *ROGATVS PROINDE IRENÆVS* &c.] Patet hoc è Præfatione libri 3. *Tu quidem dilectissime præceperas nobis, vt eas, quæ à Valentino sunt, sententias absconditas, vt ipsi putant, in manifestum proderem* &c. Non dubito, quin græcè verbum fuerit, quod *tam rogare, hortari* significaret, quàm *præcipere.*

A Alioqui si ad eum scriberet, qui præcepisset, aut præcipiedi potestatem haberet, non vteretur adiectiuo *dilectissime*, aut *dilecte*, vt in libri primi præfatione (vbi græcè est vox ἀγαπητὲ, quod idem vetus interpres Irenæi vertit, *dilectissime*) sed aliquo honorabiliore titulo. Denique è præfatione libri primi, quę græcè exstat, liquet, non ad superiorem, sed ad inferiorem potiùs, aut summum ad æqualem scri-B bere. Nam dicit ab eo se rogatum, & illum hortatur, tanquam parem aut supparem, vt accepto iam libro quem efflagitauerat, ad refutationem vtatur hæreticorum. Vide etiam præfationem libri quinti: vbi sic inter alia: *Et omni modo elaboramus secundùm nostram virtutem plurima tibi quidem in subsidium præstare aduersum contradictiones hæreticorum.* &c.

f *AC NOMINATIM A TVRIBIO PRÆSVLE TOLETANO*] C Scribit Flauius Dexter ad annũ Christi 185. & Romę vrbis 936. hoc modo: *Patruino Toletano Episcopo Turibius Toletanus Præsul sufficitur, homo doctus & eruditus, qui multa incommoda ob fidei patrocinium ab Ethnicis patitur. Hic natus Romæ dicitur ad Hispanias peruenisse: ad quem S. Irenæus Lugdunensis Episcopus litteris eius prouocatus, tanquam ad familiarissimum, misit librum contra hæreses.*

D g *HINC ET IPSEMET SENTENTIÆ EORVM MANIFESTATIONEM* &c.] Vide ipsum Irenæum lib. 1. cap. 31. *Aduersus eos victoria est*, inquit, *sententiæ eorum manifestatio.* Adhibet ibidem ad confirmationem huius dicti, egregiam similitudinem, quam in vita repræsentaui.

Ad hunc locum respexit, vt videtur, Tertullianus libro *Aduersus Valentinianos*, cap. 3. *Denique hunc primum cuneum*, inquit, E *congressionis armauimus detectorem & designatorem totius conscientiæ illorum, primámque hanc victoriam auspicamur. Quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est.*

Sic & Hieronymus libro 1. aduersus Iouinianum, initio: *Proponam breuiter*, inquit, *aduersarij sententias, & de tenebrosis libris eius, quasi de foueis, serpentes protraham, neque sinam venenosum caput spiris maculosi corporis* F *protegi. Pateat quod noxium est: vt possit conteri, cum patuerit.*

h *HOS DVOS LIBROS CVM CONFECISSET* &c.] Discere hęc abunde licet è præfatione libri tertij: *Misimus tibi libros*, inquit, *ex quibus primus quidem omnium illorum sententias continet, & consuetudines, & characteres ostendit conuersationis eorum. In secundo verò destructa & euersa sunt, quæ ab ipsis malè docentur & nudata, & ostensa sunt talia, qualia sunt. In hoc autē tertio inferemus ostẽsiones* &c.

i *QVARTO DEMVM EA, QVÆ PRIORIBVS TRACTAVERAT* &c.] Certa hæc sunt è præfatione libri 4. *Hunc, inquit, quartum librum, dilectissime, transmittens tibi, operis quod est de detectione & euersione falsæ cognitionis, quemadmodum promisimus, per Domini sermones, ea, quæ prædiximus, confirmauimus. &c.*

K *QVINTO ITAQVE ET POSTREMO LIBRO PARTIM DICTA* &c.]Vide caput vltimum libri 4. & præfationem quinti. In hac quidem sic scribit inter alia: *In hoc libro quinto (qui est de traductione operis vniuersi & euersione falsò cognominatæ agnitionis) ex reliquis doctrinis Domini nostri, & ex Apostolicis epistolis conabimur ostensiones facere* &c.

l *ELEVTHERO PONTIFICE*] Testantur illa ipsius Irenæi verba lib. 3. cap. 3. Νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος. *Iam duodecimo loco ab Apostolis episcopatus sortem obtinet Eleutherus.*

m *FLORINVS ET BLASTVS ROMANI PRESBYTERI*] De his agit Eusebius lib. V. historiæ, cap. 14. & cap. 19. Nam inde sunt ea, quę in vita, & in fragmentis ab Irenæo de illis protuli. De iisdem ita B. Theodoretus lib. 1. hæret. fabularũ. Καὶ Φλωρῖνος δὲ, καὶ Βλάστος εἰς τὸν τῶν ἐν Ῥώμῃ πρεσβυτέρων συντελοῦντες κατάλογον εἰς τὴν Βαλεντίνου λώβην ἀπέκλιναν. Τούτων φασὶ τὴν νόσον τὸν θεσμακάριον Εἰρηναῖον ὀλοφυρόμενον τὴν κατὰ Βαλεντίνου πεποιῆσθαι συγγραφήν. *Florinus quoque & Blastus in Presbyterorum Romanorum catalogum cooptati, in Valentini sectam declinarunt. Aiunt ter-beatum Irenæum morbum eorum deplorantem aduersus Valentinum conscripsisse.*

n *IPSI CONTRA PRIMO OMNIVM PONVNT DVO PRINCIPIA*] Nota hęc sunt è libro 1. Irenæi, cap. 1. & è Tertulliano aduersus Valẽtinianos, cap 7. & ex Epiphanio, hæresi 31. & è Philastrio Brixiensi Episcopo, libro De hæresibus, & è Theodoreto, lib. 1 hæreticarum fabularum.

o *QVI PROINDE DATA AD EVM EPISTOLA*] Illam epistolam, seu potiùs membrum eius, vnum attuli suprà, inter Fragmenta scriptorum S. Irenæi.

p *VERVM VSQVE IN VALENTINI PRÆCIPITIA* &c.] Declinasse vtrumque Florinum & Blastum in hæresim Valentini iam proximè è Theodoreto comprobaui. Florianos siue Florinianos à Florino isto deriuatos appellat etiam Philastrius. Carpocratianos, eà potissimè, vt opinor, de caussa quòd vitiorum turpitudine Carpocratianis similes se reddidissent. De iisdem agit S. Augustinus libro De hæresibus, capite 62.

q *QVOS EVOCATVM ELEVTHERI PONT. FVLMEN AFFLAVERAT*] Florinum & Blastum ab Eleuthero eiectos esse ecclesia scribit doctissimus Baronius, tomo 2. Annalium, ad annum Eleutheri Põtificis 2. Cui etiam sine teste fidem facillimè adhibeo. Ecquis enim Episcopus Presbyteros in ecclesia sua ferat diuersa à se & à fide catholica sentientes?

AD CAP. X.

a Agitur cap. 10. de Lugdunensi synodo aduersus Valentinianos ab Irenæo congregata: tum etiam de cura bene instituendi atque in pace confouendi ordinis sacri.

b *NAM LVGDVNVM CONVENERE VICINI E GALLIA EPISCOPI.*] Fuit hæc prima Lugdunensis synodus ex iis quarum aliqua extet memoria. De quâ synodo repertæ sunt in bibliotheca Vaticana schedæ quædam MS. continentes breuiter numerum Episcoporum, qui conuenerunt; & caussam cur conuenerint; & locum, vbi conuenerint. Acta autem ipsa synodi non continebant: quæ tamen ad posteritatis memoriam & vtilitatem conseruari, saltem iusto compendio, haud parum intererat. Verùm Auctor quidam Grecus, qui synodos omnes breui compendio recensere magis, quàm exponere contendit, cùm paucissima de singulis, tũ de Lugdunensi aduersus Valentinum & alios veteres hæresiarchas tantùm hæc, quæ sequuntur, reliquit: SYNODVS I. LVGDVNENSIS.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ δύο καὶ δέκα ἐπισκόπων συναθροισθεῖσα ἐν Λουγδούνῳ μητροπόλει τῆς Γαλλίας, παρὰ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν ὑπὸ Εἰρηναίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς πόλεως κατὰ τῶν προγεγραμμένων αἱρετικῶν.

Synodus diuina & sancta prouincialis duodecim Episcoporum collecta Lugduni, metropoli Galliæ ad flumen Rhodanum, ab Irenæo sancto martyre, eiusdem vrbis Episcopo, contra antè scriptos hæreticos.

Antè scripti porrò hæretici erant Valentinus, Secundus, Marcion, Basilides, Saturninus, Carpocrates, Ebiõ, Hermogenes, Alexander ærarius, & eorum participes: de quibus auctor ille (qui ante septingentos scribebat annos) in suo Synodorum compendio, cap. 1. egerat. Suum autem illud compendium sic inscripsit: Συνοδικὸν περιέχον ἐν ἐπιτομῇ ἁπάσας τὰς ἀπὸ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων γεγονυίας ὀρθοδόξους καὶ αἱρετικὰς συνόδους μέχρι τῆς ὀγδόης τῆς ἐπὶ τοῦ Φωτίου καὶ Πάπα Ἰωάννου ἑνώσει.

Libellus Synodicus omnes synodos, tam orthodoxas, quàm hæreticas, quæ ab Apostolorum temporibus vsque ad octauam super Photij & Papæ LIBELLVS SYNODICVS.

Papa Ioannis concordia institutam celebrata sunt, breui compendio continens.

Huius primæ Lugdunensis Synodi (quã Eleuthero Pontifice, & Commodo Imperatore factam, vero est simillimum) strictim meminit noster Iacobus Sirmõdus in Pręfatione ad Concilia antiqua Galliæ: vti & alterius, quæ Victore Papa & Seuero Imp. super quæstione de die Paschatis celebrata est.

c *VT VRBIS EIVS SACRAS CONSVETVDINES* &c.] De studio B. Irenæi, dum Romæ esset, vere hæc scripsit Cæsar Baronius ad annum Eleutheri Pont. primum: *Romæ cùm ageret vir tam insignis (quem Tertullianus nominat omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem) haud moles ædificiorum, vrbem circumeundo, contemplatus est; nec otiosus domi resedit, sed Apostolicæ Ecclesiæ fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi tradidissent Petrus & Paullus Apostolorum principes, quàm diligentissimè perscrutatus est; nactusque ibi Apostolicas traditiones integras & illibatas, vt ab Apostolis ipsis traditæ fuerunt, vigilantissimè custoditas, & integerrimè conseruatas; ad eas, omnes, quos scriptis exagitat, exinde hæreticos prouocauit; quos sciret eo solo tam patenti testimonio, (si qua in eis reliqua esset ratio veritatis) conuinci posse.*

Ex hac igitur Ecclesiæ Romanæ cognitione, cùm ad inducendam in Gallias sacrorum institutorum conformitatem, non mediocri polleret auctoritate simul & facultate, haud difficulter ceteros Episcopos sibi consentientes habuit.

d *IN PRIMISQVE ZACHARIAM* &c.] Hic Zacharias S. Irenæi Presbyter fuit, & virtutum eiusdem Pręsulis sui egregius æmulator: ac proinde non humano solùm, sed etiam diuino suffragio eius successor designatus. De quo vide plura, cap. 12. vitæ suprà.

e *NEMPE PRIMO FERREOLVM PRESBYTERVM* &c.] De S. Ferreolo mart. & alijs S. Irenæi discipulis tracto latiùs cap. 13. vitæ eiusdem Irenæi, & in Notationibus ad idem caput: hic autem cùm speciatim de eorum missione ad sementem euangelij agam, non videtur prætereundum, ecquo tempore missi sint: num scilicet imperante etiam tum M. Aurelio Antonino cum filio Commodo, vt aliqui arbitrantur; an aliquanto posteriùs, exstincto scilicet M. Aurelio Antonino, & solo imperante Commodo; aut aliquo è Commodi successoribus, seu Ælio Pertinace, seu Septimio Seuero. Nam ad hunc vsque superstes fuit Irenæus, & eo regnante palmam est martyrij consecutus.

Equidem è quinque B. Irenæi discipulis, de quibus in præsenti agitur, nullum existimo superstite M. Aurelio Antonino, persecutionis illius (de qua antehac egimus) auctore, missum esse ab Irenæo aut Vesontionem, aut Valentiam: sed demum post illius Imperatoris mortem, nec cunctos simul, sed alios priùs, alios posteriùs: nempe SS. Ferreolum & Ferrutionem missos esse Vesontionem solo imperante Cõmodo, postquam scilicet Lugdunensis ecclesia primis eius annis (præteritâ, vt diximus, Aurelianæ persecutionis tempestate) respirauit, ac reuiguit: Sanctos autem Felicem, & Fortunatum, & Achilleum, Septimio Seuero imperãte, nec multò ante eam persecutionem, in qua ipse Irenæus gloriosa morte occubuit, ad vrbem Valentiam euangelij gratia allegatos.

Quod ex Actis martyrij sanctorum Ferreoli & Ferrucionis, (quæ recenset Laurentius Surius tomo septimo ad diem 16. Iunij) satis clarè datur intelligi. Cùm enim initio egisset Auctor de missione Ferreoli Presbyteri, & Ferrucionis Diaconi ad vrbem Vesontionem, & de eius missionis copioso fructu præclara nonnulla memorasset; postea subiecit: *Similiter sanctus Irenæus Felicem Presbyterum, Fortunatum, & Achilleum Diacones ex suo latere ante gloriosum martyrium suum Valentiam dirigit in vrbem.*

In quibus verbis, illud *antè gloriosum martyrium suum*, idem valet, quod *paullò antè gloriosum martyrium*. vt in simili aliàs aliquando ostendimus. Frustra enim alioqui verba illa apponerentur, si nullum determinatum tempus indicarent. Quis enim nescit illos ab Irenæo viuo & superstite missos esse, si ab eo missi dicantur; præsertim cùm addatur *ex suo latere*, hoc est, e numero sibi assistentium Ministrorum? Iam autem si paullo ante gloriosum Irenæi martyrium missi sunt, igitur Seuero Imp. sub quo Irenæus obijt, hoc est, annis minimũ viginti post M. Aurelij Antonini Imp. mortem. Vnde necessariò consequitur, multò minùs eosdem quinque sanctos potuisse pati martyrium M. Aurelio Antonino & Commodo imperantibus, sed potiùs (vt in Felicis, & Fortunati, & Achillei martyrio indicatur) post Seueri Imp. persecutionem, tempore M. Aurelij Antonini Caracalli, qui patri suo Septimio Seuero in imperio successit vnà cum fratre suo Geta. Fuit autem is Caracallus admodum impius & crudelis & fallax; quippe qui fratrem suum imperij consortem specie conciliandæ amicitiæ accersitum, collocatis in palatio insidijs, in ipso matris sinu occidit, ac deinde in optimos quosque grassatus est. Descripserunt eius exempla crudelitatis Dio Cassius lib. 77. Ælius Spartianus, & Herodianus, & alij in eius vita. Dio quidem

quidem his verbis: Τῶν δὲ δὴ Καισαρείων, καὶ τῶν στρατιωτῶν τῶν μετὰ τοῦ Γέτα γενομένων, εἰς δύο μυριάδας παραχρῆμα ἀπέκτεινεν. &c. *Casarianorum autem, & militum qui cum Geta fuerant, statim duo millia occidit.* Narrat deinde de Papiano illo insigni iurisconsulto, déque alijs clarissimis viris ab eodẽ nulla ex caussa iusta interemptis. Quæ & Spartianus persequitur, & hæc subdit inter alia: *His gestis Galliam petijt: atque vt primùm in eam venit, Narbonensem Proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis, qui in Gallia res gerebant, odium tyrannicum meruit, quamuis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus.* &c. Hunc ergo cùm Proconsules, Præfecti, Præsides, Duces timerent, atque illi placere, & videri amici vellent ac studerent, idque partim ipsi assentando, partim alios criminando, partim Christianos tanquam à Dijs, quos coleret Imperator, alienos, ac regiæ maiestatis minùs reuerentes deferendo, facile illis fuit superbum & sacros arrogantem honores Imperatorem aduersus nos ritúsque nostros inflammare. Nam, vt idem refert Spartianus, *damnati sunt eo tëmpore, qui vrinam in eo loco fecerunt, in quo statuæ aut imagines erãt Principis, & qui coronas imaginibus eius detraxerant, vt alias ponerent.* Igitur Cornelius dux exercitus eiusdem Aurelij Imp. Valentiam ingressus, cùm inibi audisset Christianorum cantus, intellexissétque nonnulla Deorum fana à sancto Felice & socijs fuisse destructa, (vt in ipsorum Actis describitur) minimè dubium est, quin ad Imperatorẽ tum in Gallia existentem de tali facinore retulerit, potestatemque ab eo acceperit in auctores animaduertendi: quemadmodum & perimmaniter fecit.

Cornelius autem ille non est, opinor, alius, quam Sextus Cornelius Anullinus, quem hoc ipso tempore, quo de agitur floruisse è fastis consularibus constat.

Quippe quem scribit Onuphrius ad annum huius ipsius Imp. M. Aurelij Antonini Caracalli sextum, fuisse Consulem vnà cum Quinto Aquillio Sabino. Sic enim ibi notat:

Anni vrbis	Anni imperij	
969.	6.	Q. Aquillius Sabinus II. Sex. Cornelius P. F. Anullinus.

Eosdem notat Consules Chronicum Alexandrinum, sed anno eiusdem Aurelij Antonini Caracalli quarto, ducentesimæ Olympiadis anno tertio, Indictione septima. Verùm Onuphrius consentientem habet Eusebium in Chronico canone. Denique hoc in confesso est floruisse his temporibus eum Cornelium: & quandoquidem in modò citatis Martyrum Actis idem Cornelius *diræ mentis furore succensus* (vt ibi

A habetur) dicat inter alia: *Numquid post Seueri Principis seueram, laudabilémque Lugdunensium trucidationem, in his locis Christianitatis aliqua indicia remanserunt, quæ & sacrilegè numina despiciant, & audacter Principum decreta contemnant?* inde, inquam, satis liquet hæc martyria post Seueri persecutionem accidisse. Per *Principum decreta* autem intelligit, decretum ipsius Seueri & filiorum eius Antonini Caracalli & Getæ, qui cùm

B ipso & post ipsum regnarunt. Nam facti sunt consortes imperij, anno sexto patris Seueri, persecutio autem minimùm anno vno posteriùs inchoata est. Aut etiam dici potest pluralis numerus, (vt sæpe fit) poni pro singulari, vt dicatur contemnere decreta Principum, qui vnius Principis decreta seu iussa contemnit. Et hæc ipsa confirmantur ex ijsdem Actis SS. MM. Felicis, Fortunati, & Achillei: in quibus cùm vnius

C tantùm principis mentionem antè fecisset, dicendo: *Igitur eo tempore, Aurelij principis persecutionis furore sæuiente, Dux Cornelius Valentinam ingreditur ciuitatem:* & aliquantò pòst: *Numquid post Seueri principis* &c. (vt hîc proximè) tum adiecit: *& audacter Principum decreta contemnant.*

Sed obijcere aliquis non sine caussa poterit, cùm *Aurelius Princeps* absolutè & sine addito ponitur, intelligi solere M. Au-

D relium Antoninum, collegam Lucij Veri, non verò aliquem eo posteriorem.

Respondeo primò verùm esse, nisi ex ipsius rei narratione certò aliud constet, seu ex priùs dictis, seu ex posteriùs illatis, vti paullò antè ostensum est: secundò in alijs quidem accuratis Scriptoribus id fieri solitum, sed in Actis Martyrum & vitis Sanctorum, seu græcis, seu latinis id sæpe neglectum reperiri, & ex duobus tribúsue no-

E minibus vnicum esse acceptum: vnde magna non rarò suboritur obscuritas.

Notandum autem est Seueri Imp. filios, antequam adsciscerentur à patre consortes imperij, vocatos esse, vnum quidẽ Bassianum, alterum autẽ Getam, sed illũ priorem participato imperio vocatum esse M. Aurelium Antoninum, nunquam deinceps Bassianum, nec in numismatibus, nec in antiquis inscriptionibus; in quibus vt pluri-

F mùm *M. Aurelius Antoninus* scribitur, aliquando tamen solummodò *M. Aurelius*, omisso Antonini nomine: vt minùs mirum videri debeat in Actis SS. Martyrum, nomine *Aurelij Principis* accipi M. Aurelium Antoninum Caracallum: cùm & in aliquibus inscriptionibus sic reperiatur. Tales habet duas Ianus Gruterus in corpore Inscriptionum Romanarum, vnam quidem Pag. CCLXVII. hoc modo:

Ma-

A

Malacæ Hispan.

IMP. CÆSAR.
M. AVRELIO.
DIVI. SEPTIMI. SEVERI. PII.
PERTINACIS. AVG.
PARTHICI. ARABICI. ADIABENICI.
PACATORIS. ORBIS. ET. FVNDATORIS. IMPERII. ROMANI. F.
RES. PVBLICA. MALAC.
D. D.

Gruterus ex Archiepiscopi eiusdem schedis.

Alteram habet Pag. CCLXXI. numero 1. quam, vti longiorem, hic omitto. Non potest autem per M. Aurelium Seueri Imp. filium alius intelligi, quàm M. Aurelius Antoninus Caracallus.

Denique si isti quinque Martyres, de quibus est quæstio, passi essent martyrium (vt quidam volunt) in illa priore persecutione Lugdunensi, sub M. Antonino & Commodo filio Impp. necessarium esset fateri res incredibiliter festinatas esse, ita vt statim Irenæus durante adhuc persecutione factus esset Episcopus, statim illos misisset, statim ipsi miras conuersiones fecissent, statim occisi essent. Atqui minimè illud erat à suo latere mittendi tempus, præsertim tot ac tantos, cùm ipsa Ecclesia Lugdunensis tam proximè antehac imminuta satis esset tot præclaris martyribus; sed potiùs permagna erat caussa & occasio & suos Ministros retinendi, & alios seniores in supplementum adaptandi: quod & fecit. Atque insigni etiam in eo prudentia est vsus, quòd non tam multos simul miserit: sed primò duos, vt diximus, Ferreolum & Ferrutionem: deinde satis multo pòst tempore, nec diu ante suum obitum, tres alios, imperante Septimio Seuero, sub cuius filio M. Aurelio Antonino in Galliam profecto, atque inibi res turbante, omnes vno ferè tempore, sed in duobus diuersis locis pro fide occisi sint. Nec refert, quòd nulla generalis persecutio ab Aurelio Antonino Principe legatur suscitata: cùm satis sit habuisse ipsum in Gallijs abũde occasionis & caussæ, ad perquirendos & puniendos eos, qui Deorum antiqua fana dicerentur demoliti. Immo nec requirenda erat talibus in temporibus auctoritas Imperatorum, cùm aduersus audentes talia, leges ab antiquo fixæ essent, ac robur suum retinerent.

AD CAP. XI.

a QVAS RES B. IRENÆVS &c.] Agitur in hoc capite de ecclesiarum, tempore S. Victoris Papæ, per beatum Irenæum pacificatione. Eas enim sententiarum de die celebrandi paschatis diuersitas variè distraxerat, ac propter Asianorum pertinaciam Pontificis mandato reluctan-B tium, eiúsque excommunicationem parui pendentium, ingens schisma imminebat. Hoc autem schisma impediuit Irenæi semper pacifici insignis cura & sollicitudo.

b LIS ERAT INTER CHRISTIANOS HAVD PARVA &c.] Non paruam fuisse litem, quonam die celebrandum esset Pascha, dominicóne, vt Romani, & omnes fermè Occidentales volebant; an quouis alio, C qui in decimam quartam lunam Martij incideret, vt contendebant Orientales; ex duobus probari potest: vno quidem, quòd Victor Pontifex Asianos in diem dominicum sibi consentire nolentes excommunicauerit: altero, quòd nonnullorum pertinacia, (qualis fuit Blasti & sociorum Romanam obseruationem damnantium) in hæresim tandem defluxerit.

Origo autem huius litigij, vt res tota meliùs cognoscatur, hîc aperienda est.

D c E duplici igitur hominum qui ad fidem conuertebantur genere, Iudæorum scilicet & Gentiliũ, orta videtur tota hæc quæstio. Nam Iudæi quidem tam legis suæ, (quam à Deo per Moysen se accepisse certò sciebant) æmulatores & retinentes erant; vt omnem obstructuri aditum verbo Fidei viderentur, si quis suas illis solemnitates & cærimonias vel adimeret, vel contemneret: immo & à Gentilibus, cùm ad legem E Christi accederent, easdem cupiebant & vrgebant obseruari. Vnde illis renuentibus, & vnà cum circumcisione iugum omne legis detrectantibus, concilium illud ab Apostolis celebrandum fuit, in quo sic decretum est: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos bene agetis.* Actor 15. ver 28.
F *Valete.*

Ita fratres qui ex Gentibus erant (ad hos enim solos decretum hoc mittebatur) gauisi sunt se à circumcisione, aliísque veteris instrumenti oneribus absolutos esse.

At verò qui ex Iudæis erant, simul cum cum Christi lege veterem quoque seruabant, & tam studiosè quidem, vt nullius audire doctrinam vellent, qui circumcisus non esset, & qui cum circumcisione legem nõ obseruaret. Hinc & Timotheus à Paulo

Actor. 16 ver. 3. lo est circumcisus: & ipse Paullus cùm esset circumcisus, in alijs quibusdam cęrimonijs non verbo solùm, sed & facto se legis obseruatorem præstare debuit. Vtrumque enim è Scriptura liquidum est: prius ex Actis Apost. cap. 16. posterius è capite 21. In priori enim loco ita de Timotheo: *Hunc voluit Paullus secum proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis.*

Ad quæ verba sic S. Ioannes Chrysostomus: *Hæc est caussa circumcidendi: non enim ferebant audire verbum ab incircumciso.* In posteriore autem loco monet Paullum S. Iacobus Hierosolymorum Episcopus, vt seruet & seruari iubeat legem, quę est de Nazaræis, Numerorum 6. ac deinde subijcit: Actor. 21. ver. 24. *Et scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas & ipse custodiens legem.* Itaque illo etiam tempore, hoc est, anno Christi 58. non tantùm permittebant Apostoli legem Moysis à Iudæis seruari, sed & ipsi vnà cum illis in spem maioris boni obseruabant: & quemadmodum alia, sic etiam Pascha, & Pentecosten. Vnde Actorum vigesimo, vbi describitur è Græcia per Asiam Paulli profectio Hierosolymam, hæc adfertur ratio celeritatis: Act. 20. versu 16. *Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis.* Loquitur autem de Pentecoste Iudæorum, quam & more Iudaico volebat obseruare, quò ostenderet se legem Moysi non cōtemnere, sed honorare. Quæ sententia cùm è scripturæ contextu clara sit, tum etiam hodie communiter tenetur. Sic & Baronius verba illa accipit, ad annū Christi 58. pag. 608. & Nicolaus Serarius, *De S. Paullo & Iuda proditore* quæstione LIV. & Lorinus in Acta, ad locū iam productum, & alij. Ac liquet etiam ex eo, quòd S Lucas in eo libro Actorum in designandis temporibus vtatur semper vocabulis Iudaicis, vt tunc notioribus: quemadmodum paullò antè, hoc ipso capite, & de eadem agens profectione, *Nos vero,* inquit, Ibid. versu 6. *nauigauimus post dies Azymorum à Philippis.* Et proximè ibidem: *Vna autem sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem.* id est, die Dominico, qui est primus à sabbato, cū ad mysteria celebranda congregati essemus, inquit Beda ibidem. Et huic quoque rationi insistit noster Gaspar Sanctius in caput 2. Act. numero 13. vbi illa verba: *Dum complerentur dies Pentecostes*, dicit intelligi de Pentecoste Iudęorum. *Quia Lucas,* inquit, *certum aliquem diem & notum designare voluit: at erat notissima antiqua Pentecoste, nostra verò obscura, quando Lucas scripsit, neque tunc fortasse celebrari cœpta.* Vide & alias inibi bonas rationes.

Sed omnium optimè, ac, propè dicam,

A diuinissimè id docet, probátque S. Ioannes Chrysostomus, sermone 63. de diuersis locis noui testamenti. Explicat enim quomodo Paullus, qui scribebat Galathis: *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine caussa laborauerim in vobis;* ipsemet tamen diem Pentecostes Iudæorum obseruaret: atque in hoc pulcherrimis vtitur similibus. *Ita quoque,* inquit, *faciunt medici: porrectos ægris cibos priùs degu-* Ad Galathas 4. ver. 10.

B *stant, quamuis ipsi minimè cibis indigeant, sed illorum studeant infirmitati mederi. Ita quoque Paullus egit: cùm obseruatione temporum nihil indigeret, tempora obseruauit, vt eos qui obseruabant, illa obseruandi imbecillitate liberaret.* Deinde dicit illum obseruasse Actorum 20. versu 16. producens illa verba: *Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis.* ac deinde subijciés: Actor. 20. ver. 16. *Vides, vt ille qui dicebat: Ne obseruetis dies, &*

C *menses, & tempora, diem Pentecostes obseruet?* Et infrà: *Neque enim dies tantùm obseruat Paullus; sed & alia legis præcepta custodit.* Et inferiùs: *Vides qua de caussa & Pentecosten, & circumcisionem Paullus obseruaret. Vultis & alia legitima vobis ostendam ab eo fuisse seruata?* Quod postquam ostendit, tum eius facti rationem sic persequitur: *Spiritualis erat piscator Paullus. FACIAM ENIM,* inquit, *VOS PISCATORES HOMINVM. idcirco* Matthæi 4. ver. 19.

D *& illa faciebat. Nam & piscatores cùm piscem viderint hamum deglutire, non statim retrahunt, sed cedentes ad multum spatium sequuntur, & exspectant, vt hamus rectè defigatur, atque ita prædam tutiùs extrahant: sic & Apostoli tum agebant: hamum doctrinæ Verbi Iudaicæ animæ inijciebant: at illi retrahebant temerè atque retinebant, & ipsos ad circumcisionem traducebant, ad festa, & temporum obseruationes, ad sacrificia, ad capita radenda, & ce-* APOSTOLORVM ERGA IVDÆOS PRVDENS INDVLGENTIA.

E *tera talia peragenda: verùm Apostoli sequebantur illos quocumque, nec retrahebant. Itaque siue circumcisionem quæras, inquit, non resisto, sed sequor: siue sacrificium requiras; sacrifico: siue radi velis me, qui à tua religione defeceram; adsum, & quod iusseris, facio: siue Pentecosten obseruare præcipias, ne hic quidem reluctor, sed quocumque circumduxeris, sequor, & cedo; expectans, vt hamus verbi defigatur sic, vt tutò possim totam nationem vestram à veteri cultu*

F *ac religione reuocare. Propterea namque Epheso Hierosolymam venit. Vides quantum obsequeretur capturæ piscium, verbo cedens? Vides rursus idcirco temporum obseruationem, & circumcisionis indulgentiam, ac sacrificiorum communionem initam esse, non vt ipsi ad veterem religionem redirent; sed vt illos, qui figuris adhærebant, ad veritatem proueherent? Qui enim in sublimi loco sedet, si perpetuo maneat in sublimi, nunquam poterit eum, qui deorsum iacet, euehere; sed illum priùs se demittere oportet, ac deinde*

istum

ipsum exudari. Propterea ex sublimitate religionis A *euangelicæ descenderunt Apostoli, ut à religionis Iudaicæ humilitate, ad sublimitatem illam Iudæos proueherent.* Ita Chrysostomus.

Adde Hieronymum, libro 1. aduersus Iouinianum, vbi de Paullo agit his verbis: *Multa compellitur Apostolus velle, quæ non vult. Circumcidit Timotheum: rasit in se caluitium: nudipedalia exercuit: comam nutriuit, & totondit in Cenchris. Et certè castigauerat Galathas, Petrúmque reprehenderat, quod se propter obser-* B *uationes Iudaicas à Gētibus separaret.* Ita ille.

Dum ergo in ijs prouincijs, vbi erat Iudæorum ad fidem conuersorum maior copia quàm Gentilium, permittitur ab Apostolis Pascha obseruari luna 14. Martij, iuxta ipsorum legem & consuetudinem: & contrà vbi Gentium longè maior frequentia quàm Iudæorum, facilè immò & cupide loco Paschatis sumitur dies Resurrectionis, & præ quouis alio die eligitur ad C eam celebrandam Dominica post æquinoctium; inde factum est, vt singulis partibus sua laudantibus, & aliena posthabentibus magna pedetentim exsurgeret contentio. Quæ tanto grauior exstitit, quanto partes vtrimque grauiores instituti sui proferebant auctores, nempe Apostolos & Apostolorum discipulos. Nam Orientales adserebant Apostolos, cùm apud se essent, celebrasse ipsorum more Pascha ad quartam- D decimam Lunam primi mensis, siue Martij: & verum erat, sed indulgentiâ, non statuto: & permissione potiùs quàm approbatione. Contrà Occidentales, ac Romani præsertim, asserebant Petrum & Paullum (Romæ cùm essent) cōstituisse, vt Pascha die dominico celebraretur. Et verùm quoque erat. Nam ratio indulgendi illic cessabat, vbi & Iudæi pauci, & Gentiles erant plurimi: & præsertim quòd illi his E valde contempti essent: quod è profanis quoque notum est Auctoribus. Atque alia quoque caussa longè maioris momenti accedebat: quòd scilicet periculi plena res esset Christianos eodem die cum Iudæis nō Christianis celebrare pascha. procliue enim erat ad participandam Iudæorum mensam, & ritus imitandos abduci, ac sensim à veritate ad vmbras relabi. Vnde grauibus, ne hoc accideret, opus erat apud Christia- F nos commonitionibus iuxtà & comminationibus. Quales proinde fuerunt eæ, quibus est vsus S. Ignatius martyr, vt pòst ostendemus.

Sed pro Orientalibus in sua opinione confirmandis faciebat; quòd S. Ioannes Apostolus & Euangelista multis annis post omnes alios Apostolos superstes, semper 14. luna pascha celebrasset: nec ille solùm, sed eius quoque, post illū, discipuli, & istorum quoque discipulorum alij discipuli, qui & illum morem è Syria atque Asia, in alias quoque prouincias ac regiones transuexerant. Vnde fiebat, vt non permissionem tantùm, sed etiam traditionem Apostolicam reputarent: ac propterea mordicus illi adhærerent. Nam & constitutionem inter Apostolicas reperiebant, quæ mandaret Gentilibus ad fidem conuersis, vt pascha celebrarent vnà cum ijs, qui è circumcisione crediderant. Quam constitutionem è S. Epiphanio pòst proferam.

Romanorum nihilominus caussa melior erat, atque (vt suprà ostendi) tutior. Quo enim longiùs à Iudæorum solemnitatibus recedebat Ecclesia, hoc purior reddebatur, & ab eorum illecebris securior. Hoc igitur erat, quod spectabat Victor: in eo sitæ cogitationes eius omnes erant & molitiones, vt infrà latiùs.

Sed dato, quòd nollent Orientales in voluntatem & iussum Pontificis descendere, fueritne iusta eos excōmunicandi caussa tali in re ac tempore, permagna est quæstio. Nam erat florentiorem ecclesiæ partem à cetero corpore sine absoluta necessitate abscindere.

Ostendemus tamen, quæcumque hac in caussa à S. Victore facta sunt, bonis de caussis ab eo facta esse, nec parum inde emolumenti emersisse.

Verùm priùs nobis ea firmanda sunt, quæ de vtraque parte diximus, & quoad eius fieri potest, ostendendum est, vtrobique satis exstitisse caussarum, cur suo vnaquæque stare vellet iudicio. Quamobrem enim, cùm vtraque pars suarum priscarum seu traditionum, seu obseruationum zelo teneretur, (quem zelum ad honorem pertinere maiorum suorum opinabantur) & cum vitæ integritas ac sanctimonia & hîc & illic magna elucerct; quamobrem, inquam, aut hanc, aut illam partem condemnemus? præsertim cùm & inter ipsos Apostolos visa sit nonnunquam similis opinionum, etsi non animorum, discordia.

Age igitur probemus, quod suprà dictum est de Orientalibus: nempe illos verè attulisse pro sua caussa exemplum Apostolorum: siue, quòd apud ipsos Apostoli Pascha celebrarint luna decimaquarta.

Primò igitur sic probari potest: S. Petrus, S. Paullus, S. Iacobus, S. Ioannes, S. Philippus, (& de alijs eadem valet ratio) pro lucrifaciendis ad fidem Iudæis, & ne ad eam conuersis caussam offensionis præberent; legem & cærimonias & solemnitates Iudaicas obseruarunt: ergo & Pascha eodem cum ipsis die, quamdiu apud illos quidem fuerunt. *1. argum. principale.*

De S. Petro constat ex epistola S. Paulli ad

ad Galathas, cap. 2. versu 11. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priusquam enim venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* &c.

Si ergo Petrus, & Barnabas, & alij, ne Iudæos Christianos offenderent, etiam in ciborum delectu videri volebant obseruatores legis; quãto magis Iudæos offendissent, si pascha cum illis non obseruassent? Nihil enim fere aliud quàm illud, vel studiosiùs obseruarunt, vel diutius retinuerunt. Quippe ad trecentos ferè annos, hoc est, ad Nicænum vsque cõcilium, lunæ decimęquartæ obseruationem in Asia, & Syria, & Mesopotamia, finitimísque gentibus prorogarunt.

De S. Paullo probatum est paullò superiùs festinasse eum Hierosolymam, vt ibi Pentecostê cum Iudæis & Iudæorum more obseruaret. De Paschate autem vel ęqua vel potior est ratio. Et cum de S. Iacobo Hierosolymorum Episcopo constet, eum Hierosolymis legem obseruasse (siquidem & ab alijs iubebat obseruari, nempe à Paullo licet Doctore Gentium) quis dubitare potest, quin & alij Apostoli, (dum in Iudæa aut inter Iudæos essent) eandem legem obseruarint? Et sanè S. Petrus Antiochiæ, cùm venirent fratres à Iacobo nequaquam studuisset coram illis videri legis obseruator, nisi sciisset & Iacobum cum illis solitum legem obseruare.

De omnibus etiam Apostolis testari videtur S. Hieronymus epistola 150. Hedibiæ, quæstione octaua: *Porrò,* inquit, *secundùm litteram nulli violentũ esse videatur mortuo Saluatore appellari Hierusalem, sanctam ciuitatem; cùm vsque ad destructionem eius semper Apostoli templum ingressi sint, & ob scandalum eorum, qui de Iudæis crediderant, legis exercuerint carimonias.* Ita ibi.

Non tamen dico Apostolos obseruasse legem tanquam necessariam ad salutem, aut vt obseruandam docerent, sed dico cũ Augustino Paullum & alios Apostolos sacramenta Iudæorum celebranda suscepisse, vt docerent non esse illo tempore perniciosa ijs, qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant, custodire. Nam postea (vti & nunc) perniciosum fuit. Et de Petro scribit Hieronymus epist. 89. Augustino. *Timebat autem Iudæos, quorum erat Apostolus, ne per occasionem Gentilium à fide Christi recederent, & imitator pastoris boni perderet gregem sibi creditum.* Quis autem dubitet, quin citius gregem perdidisset, Pascha

August. ep. 19 ad Hieronymum.

Hieronymus epist. 89.

A violando, quàm cibos lege vetitos cũ Gentibus manducando? Nam prius illud longè magis cordi habebant Iudęi, quàm posterius.

Quòd autem S. Ioannes in Asia semper pascha obseruauerit lunâ decimaquartâ, sic probatur:

S. IOANNES APOSTOLVS SEMPER PASCHA CELEBRAVIT LVNA 14. MARTII.

Primò, Testis est ipsiusmet S. Ioannis auditor S. Polycarpus, qui & morem ab eo acceptum retinuit, atque S. Aniceto Pon- B tifici seruandum proponere non dubitauit. De quo nos antehac fusiùs in vitâ S. Polycarpi, tomo 1. harum vitarum egimus.

Secundò, Testis est S. Irenæus, B. Polycarpi discipulus, qui eum non modò cum S. Ioanne, sed etiam cum alijs Apostolis, quibuscum versatus fuerat, semper pascha obseruasse decimaquartâ lunâ, in epistola ad Victorem indicauit. Verba Irenæi in vita ipsa, cap. 9. allegaui.

C Tertiò, Testis est epistola B. Polycratis synodica, hoc est, totius Asiæ, (cuius is Primas erat) qua in epistola isti omnes sancti eiusdem obseruatores consuetudinis nominantur: 1°. S. Philippus & Ioannes Apostoli. 2°. S. Polycarpus, & Thraseas, & Sagaris, episcopi & martyres, ijdémque Apostolorum discipuli: præterea beati illi viri Papyrius, & Melito, qui omnes pascha celebrasse luna 14. nullo recusante, prædican- D tur. Nam si qui sint recentes, qui post S. Victoris, & concilij Nicæni silentium, ausi sint contradicere, nullo modo sunt audiendi. Admiserunt certè Irenęi & Polycratis verba, non illi modò, quos diximus, sed etiam Eusebius & Hieronymus, qui illa nobis reseruarũt, & fermè probi Scriptores ad hoc vsque sæculum omnes. Neminem enim adhuc reperire potui, (qui quidem ante hanc meam ætatem vixerit) qui rem adeo E testatam negauerit.

Quartò, Cùm fuisset anno Christi sexcẽtesimo sexagesimo quarto apud Anglos & Scotos, de festo Paschatis quęstio (Nam Scoti profitebantur se morem tenere in celebrando Paschate, quem S. Ioannes euangelista tenuisset) atque Colmanus è Scotia in Angliam profectus, & Nordhumbrorum factus Episcopus, Scotorum consuetudinem introduceret, & in disputatione F cum Vuilfrido Presbytero postea Eboracensi Archiepiscopo (qui Romanum morem defendebat) S. Ioannis auctoritatem protulisset; haudquaquam negauit Vuilfridus Ioannem 14. lunâ obseruasse Pascha; sed fassus est illum, & alios Apostolos, vitandæ Iudęorum offensionis gratia, in hoc & in varijs ritibus se illis accommodasse. Ac de Ioanne quidem nominatim hæc dixit: *Itaque Ioannes secundùm legis consuetudinem decimaquarta die mensis primi ad vesperam*

ram incipiebat celebrationem festi paschalis, nil curans vtrum hæc sabbato, an alia qualibet feria prouenisset.

Hæc Vuilfridi verba refert Venerabilis Beda, libro 3. ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 25. Vide & Harpsfeldium in historia Anglicana ecclesiastica, sæculo septimo, capite vigesimo nono, quam historiam nuper in lucem emisit Richardus Gibbonus, noster Duaci contubernalis.

Quintò ipsiusmet Bedæ auctoritas accedit, non iam in aliena persona loquentis, sed in sua, & quidem in eo ipso libro, quem de hac materia conscripsit, hoc est, *De æquinoctio vernali*, titulo, *De ordinatione feriarum Paschalium. Post resurrectionem*, inquit, *vel ascensionem Domini Saluatoris, Apostoli quomodo pascha deberent obseruare, nihil ordinare potuerunt, quia dispersi erant per vniuersum mundum, & ad prædicandum occupati, sed quæcumque die decimaquarta luna mense martio fuisset, pascha celebrabant.*

2. argum. principale.

Quibus ex verbis Venerabilis Bedę conficitur secundum argumentum principalis propositionis: nempe omnes Apostolos aliquo saltem tempore celebrasse pascha lunâ decimaquartâ mẽsis Martij, in quemcumque ea diem incideret. Id enim ibi expressè tenet idem Beda, & eo quidem loco, vbi synodum Cæsareæ Palæstinæ iussu Victoris Pontificis à S. Theophilo habitam recitat.

Sextò, Admittit Bellarminus libro tertio, De cultu Sanctorum, capite duodecimo, S. Ioannem celebrasse Pascha XIV. die, *vt se*, inquit, *accommodaret in illis initijs Iudæis ad fidem conuersis*. Quam dicit esse responsionem Bedæ: quæ quidem ipsa apud Bedam est, sed est Vuilfridi Presbyteri, Bedâ antiquioris, non ipsius Bedæ: vt patet ex ipso loco, quem citat Bellarminus, & nos suprà retulimus.

Hoc igitur, tanquam certo & ferè hactenus indubitato, à nobis posito, nonnullis recentioribus Auctoribus faciendum est satis; & metus ille, quo timent, ne si credatur S. Polycarpo, S. Irenæo, & Polycrati (ecquibus tamen credetur, si non illis?) metus, inquam, ille quo timẽt, ne nutet liber Apocalypseos, procul dispellendus est.

Argumentum igitur istorum (vt breuiter illud contraham) est tale:

S. Ioannes in Apocalypsi mentionem facit diei dominicæ: ergo idem celebrauit pascha in Dominica, & non in alia die. Verùm (quod salua ipsorum pace dixerim) non est hæc necessaria consequentia. Tantùm enim hoc sequi potest: ergo illius tempore, seu cùm scripsit Apocalypsin, (hoc est, anno Christi Domini, iuxta Baronium, 97.) notum erat nomen diei Dominicæ, vel celebrabatur dies Dominica.

Sed assumunt vlteriùs, nullam esse potuisse aliam celebrandæ diei dominicæ rationem, nisi quòd esset Resurrectioni Dominicæ consecrata, siue, quòd illa die Christiani sacramentum resurrectionis Dominicæ religiosis studijs votisque recolerent. Ita esto. Est enim verum, nec vllus recusare potest. At nec inde sequitur Pascha id temporis celebratum esse die dominica, sed tantùm diem Resurrectionis.

Baron. anno Christi 159.

Aliud enim erat Pascha, aliud Resurrectio. Et Pascha ab Asianis celebrabatur in memoriam Paschatis, quod Christus celebrauerat, non autem in memoriam Resurrectionis: ac proinde celebrabant 14. luna mensis primi, siue Martij, eo scilicet die, quo ipse Christus obseruata Moysis lege celebrauerat. Sciebant enim alioqui Christum Dominũ nõ resurrexisse, nec potuisse resurgere 14. luna, sed decima septima, siue triduo post mortẽ. Itaque cũ illis eadem 14. luna celebrabant Apostoli Pascha κατὰ συγκατάβασιν vt loquitur S. Ioannes Chrysostomus *per condescensum* (si ita loqui liceat) hoc est, latinè loquendo, *per indulgentiam*, donec synagoga cum honore, (propagato scilicet sufficienter euangelio) sepeliretur. Nec est, quòd quispiam sequi hoc inde velit absurdum: quòd scilicet duo dies Dominici in vna eadémque hebdomada celebrarentur. Nam primò non sunt duo Dominici, cùm dies Paschatis non sit dominicus, sed luna 14. quicumque is dies sit. Secundò, etiamsi ab illis suũ Pascha in honorem Domini vocaretur Dominicus, nihil absurdum nasci, si in eadem septimana semel in anno sint duo dies, qui diuersis de caussis appellẽtur Dominici: sed tunc demum absurdum foret, si dies Dominicus acceptus pro certa die hebdomadis, verbi gratia, Saturni (vt olim vocabatur) bis in eadem esset hebdomade. Tum enim vel octo dies essent in vna hebdomade, vel vnus suo exclusus esset loco.

Præterea, vt exemplo aliquo ostendamus non nutare Apocalypsim, etiamsi ipsamet resurrectio ab illis, & à S. Ioanne culta fuisset annuatim alio die, quàm dominico; hoc sic attendi potest:

Christus resurrexit prima sabbati; hoc est, prima die hebdomadis, quæ vocabatur antiquitus Saturni, & in honorem resurrectionis Domini vocari cœpta est ab Apostolis & discipulis Dominica, & sin-

 gulis

gulis hebdomadibus in ecclesia celebrari: faciamus igitur Apostolos, vt fieri potuit, censuisse nihil opus esse quotannis vnum specialem diem Resurrectioni dominicæ assignari, quandoquidem eius memoria quot hebdomadis celebraretur; an tunc nutasset Apocalypsis? nequaquam.

Ioannes enim tantùm dicit se visum vidisse in dominica, quod bene stat, etiamsi nullus specialis sit dies, quo semel in anno celebretur Resurrectio. Nec enim Ioannes dicit se fuisse in spiritu die magno Resurrectionis, sed tantùm dominica die, hoc est nimirum, vnâ ex diebus dominicis anni.

Secundò faciamus ipsos Apostolos (nã & hoc fieri potuit) voluisse habere in honore illum ipsum diem, quo Christus resurrexit, ac propterea statuisse, vt quotannis solemniter celebraretur luna 17. (is enim est dies verus Resurrectionis, & non alius) an propterea sequeretur nutare Apocalypsim? minimè gentium. Nam relinquitur suo loco hebdomadaria dominica, in qua Ioannes fuit in spiritu, vt dicit. Et tamen annua Resurrectionis dominica celebraretur iam feriâ 2. iam feria 3. iam 4. iam 5. iam 6. iam sabbato, iam dominico. Si tum igitur minimè nutaret Apocalypsis, cùm S. Ioannes alio celebraret Resurrectionem quàm dominico die; cur iam potiùs, illa nutabit, postquam 14. luna obseruauit? Eadem enim prorsus est ratio decimæ quartæ lunæ, & 17. quantum ad dominicam attinet.

Ex his igitur patet, id quod omnes boni præoptare debent, aut de quo gaudere potiùs; (res enim iam peracta est) nec Apocalypsin ipsam nutare, quod nefas; nec Polycarpi, aut Irenæi, aut Polycratis, tam sanctorum virorum, & trium ecclesiæ Primatum vacillare fidem, quod cogitare aut dicere, si non impium, certè admodum irreuerens & irreligiosum est. Isti tres igitur de S. Ioanne testantur, quę vel oculis viderunt, vel à maioribus suis traditione acceperunt. Quidni credamus? Nihil enim prorsus hoc obest fidei, & tam multi hactenus viri crediderunt, tam clari eruditione, tam magni sanctitate.

Si quis iam quærat, quamdiu Apostoli, cùm inter Iudæos essent, legem & pascha cum illis seruarint; videtur responderi posse, tamdiu saltem, quamdiu in Syria & Asia fuerunt, & minimùm vsque ad annum Christi 58. quo Paullus, (teste Baronio ad eum annum) profectus est Hierosolymam, vt ibi Pentecosten Iudaicam obseruaret, atque ostenderet se legis non esse contemptorem. Tum autem omnes alij Apostoli è Syria, præter

A S. Iacobum Hierosolymorum Episcopum, migrauerant. Quare si ipse Paullus, tametsi Gentium Apostolus, tum adhuc seruauit legem, ne Iudæos offenderet; multò magis alij, qui Iudæis præcipuè intendebant, & ante illum Iudæâ excesserant.

Seruauerunt autem Apostoli, & Pascha, & Pentecosten, & alias legis solemnitates & cærimonias, vt antè dixi, non ex obligatione, sed ex indulgentia: nimirum ne Iudæos à fide abalienarent, atque vt synagogam cum honore sepelirent. B

Ecquando autem, vel vbi statuerunt Apostoli, & quinam illorum, ut pascha celebraretur in die Dominica?

Respondeo Petrum & Paullum temporibus Neronis, (nam de certo anno haud liquet) Romæ docuisse Pascha celebrandum esse in Dominica. C

Ad huius propositi probationem duas insignes S. Victoris Papæ nactus sum epistolas, quæ hactenus delituerunt, futuræ alioqui valde vtiles & Cardinali Baronio ad probandam de traditione Apostolica celebrationem Paschatis in Dominica, & nostro Christophoro Clauio ad ostendendum contra nonnullos recentiores Pascha celebrari posse luna 15. si in eam incideret Dominica. D

Hoc enim multis nititur probare idem Clauius in Calendarij Gregoriani explicatione, capite primo. Sed nihil nec antiquius, nec clarius, nec efficacius, quam hasce epistolas producere potuisset. Nam illæ, quæ habentur tomo primo conciliorum, non sunt tam probæ notę, etiam ipsius Baronij iudicio, qui nec illis vti voluit, cùm posset. E

Facient igitur hæ Victoris germanę epistolæ in præsentia, & pro illo, & pro nobis. Nam & Pascha assignant in Dominica, & tempus attribuunt decimam quintam lunam vsque ad vicesimam primam.

Prior ergo epistola, (iuuat enim hîc integram apponere) sic habet:

Victor Episcopus Dionysio Viennensi Episcopo salutem. F

Sicut sancta fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt erudita est, qui & ecclesiam vsque ad tua tempora rexerunt, non decimâ quartâ lunâ cum Iudais, sed decimâ quintâ vsque ad vigesimam primam Pascha catholica ecclesia celebrauit. Non enim iam vmbram, sed veritatem, quæ vmbrâ legis celabatur, quærit. Hanc doctrinam Romæ Petrus & Paullus instituerunt, vt in azymis sinceritatis & veritatis

A *veritatis Pascha ageretur. Qui enim cum Iudæis Pascha agere volunt, quid nisi vmbram diligunt, vt agni carnes non in veritate, sed in vmbra figurante manducent? Nec audiunt Ioannem Baptistam clamantem:* (Ioannis cap. 1. ver. 29.) *ECCE AGNVS DEI, ECCE QVI AVFERT PECCATA MVNDI. Scis frater beatissime opus totius pietatis sexta feria & decimaquarta luna perfectum, quando in Cruce clamauit is, per quem factus est mundus,* (Ioannis 19. ver. 30.) *CONSVMMATVM* B *EST, & vincente luce, vmbra mortis superata aufugerunt, & in spem nostræ salutis Centurio confessus est:* (Matthæi 27. ver. 54.) *FILIVS DEI ERAT ISTE. Nusquam Petrus cum Iudæis, (postquam illis dixit,* (Actor. 2. ver. 38.) *POENITENTIAM AGITE, QVIA SANGVINEM IVSTI FVDISTIS) nos Pascha celebrare docuit: nusquam Paullus, qui vt Christum lucrifaceret,* (Ad Philippenses 3. ver. 8.) *obseruationes illius legis arbitratus est, vt stercora. Collega beatissime, Christi ecclesiam non in vmbra, sed in veritate, supra solidam petram fundatam doceamus: vt audia-* C *mus cum Apostolo Petro:* (Matthæi 16. ver. 17.) *BEATVS ES SIMON FILIVS IOANNIS, QVIA CARO ET SANGVIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEVS, QVI IN CÆLIS EST. Per tuam ergo fraternitatem Presbyteris Galliarum litteræ mittantur, vt obseruent Pascha non cum Iudæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum prædicantibus veritatem Christi. Salutat te collegium fratrum. Saluta fratres, qui tecum versantur, in Domino.* D *Eubolus, qui epistolam fert Viennam de collegio nostro, tecum viuere & mori paratus est: quem suscipe in Domino Iesu Christo. Vale.*

Malè legebatur hæc epistola inscripta *Desiderio*, pro *Dionysio*. Nullus enim illo tempore fuit Desiderius Viennensis Episcopus, vt liquidò constat è serie Episcoporum à B. Adone itidem Viennensi Episcopo conscripta. nam in eius chronico, ætate 6. post Crescentem 1m. Viennæ Episcopum, E post Zachariam 2m. post Martinum 3m. post Verum 4m. post Iustum 5m. recensetur sexto loco Dionysius, qui tempore S. Irenæi & Victoris regebat Ecclesiam Viennensem. Sic enim scribit in Lucio Antonino Commodo: *Irenæus Episcopus Lugdunensis insignis habetur. Dionysius quoque discipulorum Christi auditor Viennensem tunc ecclesiam regebat.*

F Deinde probatur ex illo, quòd in posteriore S. Victoris epistola, quæ mox subijcietur, non *Desiderius* vocetur, sed *Dionysius*.

Præterea perperam de Paullo legebatur, *Nusquam Paullus, qui vt decem lucrifaceret*: pro quo restitui: *Qui vt Christũ lucrifaceret.* Respicit enim Victor ad ipsius Paulli verba, cap. 3. ad Philippenses: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt vt Christum lucrifaciam.* De lucro enim decem animarum nusquam in Paulli epistolis mentio. Erroris occasio esse potuerit Xm. quod tam decem, quàm Christũ significat.

Altera S. Victoris epistola est eiusmodi:

VICTOR EPISCOPVS PARACODÆ EPISCOPO SALVTEM.

Collega noster Dionysius dormiens te nobis socium in ecclesia Christi reliquit. Vides frater Orientalem ecclesiam propter celebrationem Paschæ ab Occidentali disiunctam esse. Placuit ergo nobis Apostolorum sectatoribus vestræ vnanimitati scribere, vt secundum quod scriptum est: (2. ad Cor. 5. ver. 17.) *VETERA TRANSIERVNT, ECCE NOVA FACTA SVNT OMNIA, non tenebras sequamur, sed lucem: vt aduertamus Prophetam:* (Isa. cap. 9. ver. 2.) *POPVLVS, QVI SEDEBAT IN TENEBRIS, VIDIT LVCEM MAGNAM. Propterea frater & collega in Domino doce per ecclesias tibi commissas à decimaquarta luna Pascha agendum, vt dicat nobis Apostolus:* (1. ad Cor. 5. ver. 7.) *PASCHA NOSTRVM IMMOLATVS EST CHRISTVS. &,* (Ad Ephes. 5. ver. 8.) *FVISTIS TENEBRÆ: NVNC AVTEM LVX IN DOMINO. Vnanimitas fraterna te in Domino salutat: Fratres, qui apud te Viennæ versantur, de nobis in Domino salutans Vale.*

Has epistolas S. Victoris acceptas referimus venerando Patri Ioanni à Bosco, qui illas primus (vti & alia multa præclara) nuperrimè euulgauit, eóque nomine (ô si & alia talia!) optimè de re Christiana meritus. Illi rependat Deus de cornu salutis copiam gratiarum.

Habet eius Bibliotheca Floriacensis inter illas 2. epistolas annotatum: istum Paracodam gessisse Præsulatum ætate Antonini Caracallæ, Aurelij, Alexandri, & Maximini Imperatorum. Vbi notandum ante illud *Antonini Caracallæ*, interserendum esse *Seueri*, quod fortassis vitio Typographi excidit. Nam si demum ætate Caracallæ gessisset præsulatum, non potuisset Victor illam ad eum scripsisse epistolam, qui annis minimùm octo aut nouem ante Caracallam excesserat: vti ex Eusebij, & aliorum constat chronologia. Nam Seueri Imp. tempore qui Antoninum Caracallam antecessit, scripta est.

Patet itaque ex epistolis suprà citatis, Apostolos Petrum & Paullum doctrinam de Dominica festi Paschalis Romæ demum instituisse.

Idem prorsus apud Bedam lib. 3. ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 25. docet Vulfridus Presbyter, his verbis: *At verò Petrus, cùm Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima sabbati resurrexit à mortuis, ac mundo spem resurrectionis contulit, ita Pascha facien-*

faciendum intellexit, vt secundùm consuetudinē ac præcepta legis, 14. lunam primi mensis, æquè sicut Ioannes, orientem ad vesperam semper exspectaret, & hac exorta, si Dominica dies (quæ tūc prima sabbati vocabatur) erat mane ventura, in ipsa vespera Pascha Dominicum celebrare incipiebat. &c. A

Ceolfridus item Abbas, apud eundē Bedam, lib. 5. hist. eccl. c. 22. *Decreuit,* inquit, *Apostolica traditio, quæ per beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum euāgelistam & interpretem ipsius, Alexandriæ confirmata est; vt primo mense, adueniente in eo vespera diei quartadecimæ, exspectetur etiam dies Dominica à quintadecima vsque ad vicesimam primam diem eiusdem mensis. In quacumque enim harum inuenta fuerit, meritò in ea Pascha celebrabitur.* B

Ipse item Beda, Retractationis in Acta Apostolorum cap. 20. *Constat tamen,* inquit, *Apostolum Petrum Romæ die Dominico, Resurrectionis Christi Pascha celebrasse. Constat hoc Euangelistam Marcum ab eo missum in Ægypto docuisse.* C

Vbi notandum omnes dicere institutionem illam Romę factam, eò quòd antehac, cùm Apostoli adhuc in Syria inter Iudæos versarentur, salutis ipsorum caussa se illis accommodarent. Quare locus Venerabilis Bedæ è libro de æquinoctio vernali, aliquātò antè citatus, vbi dicit Apostolos de Paschate nihil ordinasse, sic intelligēdus est, vt dicantur nihil communiter, & habito inter se concilio & conuentu ordinasse. Quod non impedit, quin postea Petrus & Paullus Romæ peculiariter id, quod iam dictum est, ordinarint. D

Huius porrò Apostolicę traditionis meminerunt etiam Eusebius & Socrates. Ille quidem lib. 5. historiæ ecclesiasticæ cap 22. vbi scribit Asiæ quidem omnes ecclesias ὡς ἐκ παραδόσεως ἀρχαιοτέρας *tanquam è vetustiore traditione* censuisse Pascha celebrandum luna decimaquarta: reliquas verò omnes ecclesias ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως *ex Apostolica traditione* Pascha seruasse eo die, quo Christus resurrexit, hoc est, dominico. E

Socrates autem hisce verbis vtitur libro 5. hist. eccl. cap. 22. iuxta editionem Græcā: Τεσσαρεσκαιδεκατῖται δέ φασιν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου τὴν παρατήρησιν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης παραδεδόσθαι αὐτοῖς· οἱ δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην καὶ τὰ ἑσπέρια μέρη τοὺς Ἀποστόλους Πέτρον καὶ Παῦλον τὴν ἐκεῖ παραδεδωκέναι συνήθειαν λέγουσιν. Ἀλλ' οὐδεὶς μὲν τούτων ἔγγραφον ἔχει παρασχεῖν τὴν περὶ τούτων ἀπόδειξιν. F *Quartadecimani quidem dicunt sibi à Ioanne Apostolo traditam esse lunæ decimaquartæ obseruationem: Romani verò & Occidentales Petrum & Paullum Apostolos vsurpatam ibi consuetudinem sibi tradidisse asserunt. Sed eorum nullus scriptum de his testimonium exhibere potest.*

Ad hunc locum, quem citauit ex parte Baronius ad annum Christi 159. & ex interpretatione Christophorsoni hoc modo: *Sanè quidem, inquit Socrates, qui Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paullum Apostolos, consuetudinem quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verum nemo istorum omnium de his rebus scriptis proditum proferre potest.*

Deest vox *testimonium,* quā habet Christophorsonus. Ad hunc, inquam, locum ita subiecit Baronius contra Socratem: *Hæc Socrates Nouatianus, cum Iudæis ipse quoque celebrans Pascha decimaquartâ lunâ: cuius institutionis Ioannem Euangelistam fuisse auctorem calumniatur.*

In quibus verbis, cuius culpâ haud scio, (nam similia frequenter errata in citandis aut interpretandis latinè græcis Auctoribus apud Baronium reperio, quæ suis locis ad cautelam annotabo) nonnulla secus quā oporteret dicta sunt. 1°. fuisse Socratem vnum è celebrantibus Pascha cum Iudæis. Id enim verum non est; quandoquidem ipse Socrates eos, qui cum illis celebrabant Pascha, & dicebant à Cōcilio Nicæno peruersum fuisse celebrandi Paschatis ordinē, aliquoties in illo citato capite reprehendat; dicátque non habuisse eos caussam, cur tantopere de Paschate digladiarentur; cùm nulla lex à Christo condita Christianis fecerit potestatem ritus Iudaicos obseruandi, & è contrario Apostolus illud planè vetuerit. Quod & pluribus ibi probat testimonijs. 2°. quòd Socrates calūnietur Ioannem Euangelistam fuisse auctorem institutionis celebrandi Pascha luna 14. Id quoque falsum est, nec quisquam hoc è verbis Socratis (superiùs enim ea fideliter posui, nec alia de Ioanne in toto Socrate reperiūtur) potest elicere. Nam & ego quidē dixi supra, & nunc dico, Quartadecimanos dicere suam obseruationem lunæ decimæquartæ habere se à S. Ioanne Euangelista, non tamen propterea vocari possum calūniator. Veritatem enim dico. Nam verè dicebant hoc, & iactabant Quartadecimani se ab illo traditionem habere. At hoc non dico: *Ioannes instituit, vt luna 14. celebraretur Pascha:* neque item Socrates id dicit. Aliud est enim dicere: *Quartadecimani habent institutionem à Ioanne:* aliud: *Quartadecimani dicunt se habere.* Hoc posterius & Socrates dixit, & ego itidem dico, & verum est: prius autem illud & ipse & ego abnuimus.

Et quòd Socrates dicitur Nouatianus, dupliciter capi potest; vno, quòd fauerit interdum Nouatianis: (quod etiam scribit Bellarminus in libro suo De Scriptoribus ecclesiasticis ad annū Domini 440. tam de illo, quàm de Sozomeno, idque nō sine doloris

loris indicio: altero, quòd fuerit hæreseos Nouatianorum. In citato quidem capite nec se esse ostendit, nec fauere. Nam & illos vituperat, & dissensiones ac vitia detegit: vt non amicus, sed hostis videatur, aut neutrum potiùs, sed veritatis enarrator: quod historici est munus.

Traditio igitur (vt ad propositū redeamus) erat Apostolica à Petro & Paullo Romanam fundantibus Ecclesiam descendens, celebrandum esse Pascha die Dominico, idque in Resurrectionis Domini memoriā.

Hinc Victor Pontifex Petri amator & æmulus æquum esse censebat; vt traditio illa, quæ à supremo capite emanasset, præceteris omnibus, seu traditionibus, seu obseruationibus, in reliqua ecclesiæ membra ab occasu solis ad exortum penetraret. Subibat etiam animo, magnopere ad decorem vniuersi corporis Ecclesiæ hoc spectare, vt in præcipua totius anni solemnitate vna esset Christianorum omnium facies, vna lætitia, vna exultatio, immo & vnus cum festo applausu, omnium concentus: *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea*. Hinc & aliarum regionum Episcopos sollicitauit, vti se Romano mori & traditioni studerēt accommodare: eámque in rem cōcilia in suis prouincijs vt haberent, commonuit. Qui omnes, tanti Pontificis ac supremi Pastoris reuerentiā, sunt obsecuti. Et in alijs quidem regionibus è voto res successit; sed Orientales ecclesiæ, & præsertim in minore Asia, cùm antehac semper 14. luna solemnitatem illam Paschalem obseruassent, communi consilio decreuêre, nihil apud se immutandum.

Psalmo 117. vers. 24.

Ægerrimè hoc tulit Victor, & aliter impetrare cùm nihil posset, excommunicationis minas adhibuit. Sed illæ Asianos nec fregerunt, nec mitigarunt: quin irritārunt potiùs. Dubitatur ergo à nonnullis, caussane interminationis iusta fuerit?

Victori sanè, & nonnullis Episcoporum satis iusta est visa. Res enim sat magna agebatur, totius scilicet ecclesiæ conformitas: & grande bonum ab Asianis impediri videbatur, nouorum scilicet quorundam hæreticorum supplātatio. Sperare item poterat excommunicatione nihil opus fore: minis enim eos esse cessuros.

Itaque nihil hactenus in Victore nisi ardens studium fidei, & conformitatis in omni ecclesia feruens zelus aduerti potest. Certè quàm procul à peccato fuerit, tametsi præceps consilium multis visum est, consecuta haud multò pòst celebris martyrij palma testata est.

At de facto ipso excommunicationis maior est difficultas.

Cupio equidem, quoad eius facere po- A tero, ostendere, in neutrā partium, (licet secus altera de altera existimarit) hæsisse crimen. Nec mirum, credo, videbitur, si in hominibus iusta vtrimque prodatur contentio, cùm & in bonis Angelis bellum repertum sit vtrimque iustum. Tuendo igitur Victorem, filij præstabo in patrem officium: Asianos autem excusando, fratris exercebo in fratres caritatem: immò in vtroque totius integritatem corporis Christi B contutabor. Neque enim sanè honori esset Ecclesię, vel dimidiatam eius partem, eámque primò Christianam, graui suā culpā, tam atrocem plagam meruisse: vel caput ipsum tam nobilia membra temerè rescindendo, velut orbem suum occiduum sole orbasse oriente.

VICTORIS FACTVM IN EXCOMMVNICATIONE ASIANORVM QVATENVS EXCVSARI POSSIT.

Itaque pro Victore, præter illa, quæ suprà attigimus, maximè omnium facit (quod etiam rectè Baronius annotauit) retunden- C dam fuisse nonnullorum hæreticorum impudentem insolentiam, qui cùm alijs in rebus, tum in hac maximè, Romanam errare ecclesiam, non iam in angulis, sed ipsa in vrbe Roma palàm iactitabant. Quorum sanè mirè depressa fuissent supercilia, si Romanum morem totus reliquus orbis (quémadmodum expediebat, ac multò satius erat) secutus fuisset. Verum quidem est, pluribus sanctis viris, iisque eminēti ob doctri- D nam auctoritate præditis, multo maius eo bono, quod sperari poterat, iudicatum esse præsens dispendium: sed nec pauci fortassis extiterunt, non modò intra Italiam, finitimósque populos, sed in exteris quoque ac remotioribus prouincijs, Africa, Gręcia, Ponto, Palæstina, qui Victori applauderent, & bonum factum prędicarent. Nam à verò longè aberrauit Christophorsonus, cùm in sua Eusebij versione, lib. 5. cap. 24. *Victoris acta ceteris omnibus parum placuisse Episcopis* E perscripsit. Non hoc habet Eusebius. Error est in hac versione Christophorsoni, & quidem magnus, quem si animaduertisset Baronius (animaduertisset autē, si græca examinasset) longe plus armorum pro Victore habuisset. Sed ratus fidelem hìc fuisse Christophorsoni versionem, eam secutus est ad annum Christi 198. in hisce verbis: *At subdit Eusebius: Verùm ista ceteris omnibus parū pla-* F *cebant Episcopis.* cùm tamen hoc non dicat Eusebius, sed græca eius verba longè aliter sonent: nempe sic: *At non omnibus hæc placebant Episcopis*: id est, aliquibus non placebant. Ecce enim ipsamet verba græca Eusebij: Οὐ πᾶσί γε τοῖς Ἐπισκόποις ταῦτ' ἠρέσκετο. *Non omnibus Episcopis hæc placebant.* Christophorsoni autem latina interpretatio sonat, quòd nullis placuerint Episcopis. Quæ proinde nōnulli hęretici pro se auidè arripuerunt, relictā Ruffini Presbyteri, quæ

verum & bonum hîc sensum habebat, versione. [A] Vertit enim sic: *Sed hoc non omnibus placebat Episcopis.*

Quo datur intelligi aliquibus placuisse, aliquibus displicuisse.

Ac ne fructus excommunicationis credatur extitisse nullus, hinc effectum est, vt & nonnulli eorum, qui aliter quàm Romæ celebrabant, suo relicto more, Romanum secuti sint (tametsi hoc magis per habita diuersis locis concilia, iussu tamen Victoris, [B] quàm per seclusionem ab ecclesia factum sit) & simul apparuerit, quàm multæ & quàm insignes ecclesiæ eiusdem cum Romana essent sententiæ. Recensentur ab Eusebio lib. 5. histor. eccl. cap. 22. aliquot præcipue, nimirum Cæsariensis in Palæstina, S. Theophilo præside; Hierosolymitana, S. Narcisso; Pontica, beato Palmâ; Gallicana, Irenæo; Corinthiaca, Bacchylo; Osroënensis, incerto Præside: post quos addit, [C] quàm plurimos quoque fuisse alios (de suo interpretatur Christophorsonus, *propè infinitos*. Græcè sic: Καὶ πλείστων ὅσων ἄλλων, οἱ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν δόξαν τε, καὶ κρίσιν ἐξενηνεγμένοι τὴν αὐτὴν τέθεινται ψῆφον. *Et aliorum quàm plurimorum* [Episcoporum concilia habita] *qui vnam eandémque sententiam ac iudicium proferentes, idem tulere suffragium.*

Nota porrò hîc taceri Antiochiam Syriæ [D] (magno enim posthac ad aliquam elucidandam veritatem vsui erit) ciuitatem totius Orientis amplissimam, vbi domicilium & sedem episcopalem tenuit S. Petrus Apostolus, ac post illum plurimi Sanctorũ, nẽpe Euodius, Ignatius, Heron, tres illustrissimi martyres, atque his ipsis temporibus illi duo sancti Scriptores, (quorum etiam breues vitas hic concinnauimus) Theophilus Antiochenus, & Serapiõ: [E] quorum hic ipsi Victoris ætate Antiochenam regebat ecclesiam, alter haud multò antè rexerat. Meminisset autem procul dubio, nisi sciuisset Antiochiæ à temporibus Apostolorum fuisse Pascha semper obseruatum luna 14. quod fusiùs & fortiùs infrà probabitur.

Nunc enim postquam Victor satis defensus est, ostendendum quoque pro altera parte nobis incumbit, non defuisse, nec Asianis, [F] nec Syris, nec Cilicibus, nec Mesopotamianis, &, si qui alij fuerint in eadem caussa orientales populi (nam de nominatis liquidò constat) non defuisse, inquam, illis bonas rationes, quamobrem in sua vellent antiqua consuetudine persistere. Quæ quidem rationes tantùm apud ipsos valere potuerunt, vti & excusabiles à peccato essent, & (quod inde consequitur) ab excommunicationis plaga starent illæsi.

Moniti igitur à beatissimo Victore Pontifice de concilijs super Paschatis festo cõmuniter habendis, lubenter obsecuti sunt, & conuentum habuerunt.

Propositâ deinde quæstione, expediréťne solemnitatem Paschalem hactenus decimaquartâ lunâ obseruatam, in diem trãsferre Dominicum, primò productæ & perpensæ sunt rationes Pontificiæ: cum eæ etiam allatæ, propter quas nihil in Asia (de alijs prouincijs idem cogitari ac præsumi potest) videretur immutandum. Nempe se maioribus suis tantum debere honoris & venerationis; vt quæ ab illis constituta & conseruata sint, nullo modo infringantur, nulla de caussa varientur. Nec enim qualescumque huius consuetudinis habere se auctores & fautores; sed primos Apostolos, sed Apostolorum præcipuos discipulos. Petrum enim Antiochiæ, & Ioannem Ephesi eo die Pascha obseruasse, & obseruandi auctores fuisse, quo ipsi nunc obseruarent: fautores verò eos, qui illorum fuere auditores & sectatores, in Syria Ignatium, in Asia Polycarpum: quos deinde nunquam interrupto ordine cuncti vtrobique successores, ad illũ vsque diẽ, quo hæc quæstio à Victore Pont. agitabatur, secuti essent. Et cùm toties illi beatissimi martyres, & coràm viua voce, & procul scriptis litteris eos ad custodiẽdas traditiones hortati fuissent; quasnam sibi esse, vel antiquiores, vel nobiliores, quàm eas, quæ de die Paschatis traditæ sint? Quòd Petrum & Paullum aliter Romæ tradidisse adferatur, ita, inquiebant, hoc esse faciamus, (possunt enim pro locorum varietatibus variæ dari traditiones) at S. Ioannes ille æternorum rimator, ille occultorum à sæculis & ante sæcula diuinus reuelator, nescire non potuit, quid super primâ solemnitate Petrus & Paullus collegæ sui Romæ statuissent: & tamen cùm plurimis post eos annis superstes fuerit, non obstante illorum traditione, semper diem suũ in Asia seruauit, quoad vixit; nec alium moriens discipulis suis commendauit. Illum ergo morem & Ignatius Antiochiæ, & Polycarpus in Asia, (quippe ambo eius discipuli) vti acceperant, suis successoribus tradiderunt, & illi nobis.

Quòd si Apostolorum facta alicuius indulgentiæ tantùm & permissionis fuisse dicantur, ac non traditionis; id quidem, quod ad ritus Iudaicos attinet, concedimus: sed de die solemnitatis (nam quilibet, modò tamen ritu Christiano, constitui potuit) si quidem ita res habeat, quomodo ignorauit Polycarpus? Immò verò satis iudicauit non ex indulgentia, sed ex vera esse traditione, cùm tam acriter pro illa propugnauit.

pugnauit. Denique idem ille tantus vir vel in profunda etiam senectute, ab Asia Romam vsque profectus est, vt morem hunc nostrum celebrandi decimaquartâ lunâ Paschatis, (quem oculis suis viderat à S. Ioanne perpetuò obseruari) aut Aniceto Pontifici obseruandum persuaderet, aut vt nobis saltem (si nihil amplius) retinendum impetraret. Et nos, quod ille tanti labore itineris obtinuit, tam facilè abijciemus? Et nos tāti laboris caussam cum habuisse nullam, facto ipso protestabimur? Liceat, liceat, nobis Victore Pontifice; quod maioribus nostris licuit Aniceto, Sotere, Eleuthero, Pontificibus. Centum sunt & quinquaginta anni, eóque ampliùs, cùm in huius diei pacifica possessione sumus: nec vllum exinde fecerunt ecclesiæ nostræ damnum. Quin potiùs tam florentes eæ sunt hodie, & fidei Christianæ, traditionúmque suarum adeo retinentes, vt alteri in orbe terrarum cedant nulli. Quomodo autem ausi simus, vel facere verbum de hac tollenda consuetudine coram multitudine ea, quæ tanti hanc consuetudinem, & auctores custodésque consuetudinis facit; vt quidlibet potiùs, quàm eius abrogationem passura videatur? Si hoc B. Anicetus à S. Polycarpo non obtinuit: ne Victor quidem à nobis. Aliud est enim statuta facere; aliud eos, quibus facias, cognoscere. Hinc sapienter Petrus & Paullus, id quod Romæ fieri posse viderunt, vt ibi fieret, statuerunt: Asiam verò, & Syriam, & alias Orientis regiones in suis consuetudinibus, quia mutandas ibi non censebant, reliquerunt. Nam discipulis suis non aliud, quàm id, quod bonum factu, cognitis locorum, & temporum, & ingeniorum conditionibus deprehensuri essent, statuendum commiserunt. Quòd si qui Romanis, seu hac, seu aliâ de caussâ insultent; illi iusta Pontificis censura comprimantur: nos certè alienum morem nō damnamus, sed tenemus nostrum. Excommunicatio autem, quam nobis Victor comminatur, in tuta & innocēte conscientia locum habere quem potest? Videat verò ipse, videat quantum à sancta maiorum suorum mansuetudine retrocedat: quorum nulli vnquam in mentem venit, talibus ad similia cogitata efficienda vti auxilijs: ac meminerit etiam, si qua illi præ alijs amplior potestas data sit, in ędificationem esse datam, & non in destructionem. Alia enim prorsus mens S. Aniceto fuit, qui S. Polycarpum, licet hac ipsa in caussa sibi aduersantem, vt amicum coluit, vt seniorem honorauit. Sic illi.

His igitur, alijsque de caussis inter sese iactatis existimare potuerunt Asiani, & quicumque antiquum de Paschate morem retinuerunt, se in maiorum suorum, tam multorum, & tam sanctorum, integra atque incolumi conscientia, stare posse vestigijs: ac prudenter etiam arbitrari, eam excommunicationem, quæ multùm alioqui in Asia, Syria, Mesopotamia, Cilicia concitatura esset turbarū (propterea scilicet quòd nimis debili iuxta mentē eorū, qui ita sentiebāt, niteretur fundamento) consistere nō posse. Prudenter, inquam, id arbitrari potuerunt: quandoquidem non ipsorum dūtaxat, quorum res agebatur; sed etiam sapientissimorum ac doctissimorum illius æui scriptorum, & quidem eorum, qui Victoris aliàs caussæ fauebant, esset idem iudicium. Quorum quidem nonnulli licet longè sanctissimi, ac supremæ sedis semper reuerentissimi, tamen tanto in negotio zelum S. Paulli aduersus beatissimum Petrū Apostolorum coryphęum sibi assumēdum esse iudicarunt, Victoremque ipsum acriùs pupugerunt. Nam cùm primò hortati illum essent, vt pacis & concordiæ maiorem curam assumeret; postea verbis quoque aculeatis reluctantem instigarunt.

Id videtur indicare Eusebius lib. 5. hist. cap. 24. & græcè 25. vbi ita scripsit: Παρακελεύονται δῆτα αὐτῷ τὰ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς πρὸς τοὺς πλησίον ἑνώσεως καὶ ἀγάπης φρονεῖν. Φέρονται δὲ καὶ αἱ τούτων φωναὶ πληκτικώτερον καθαπτομένων τοῦ Βίκτορος. *Illum igitur contrà magnopere adhortabantur, vt pacis, concordiæ, & caritatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, vtpote Victorem acriùs & acerbiùs coarguentium, scriptis prodita adhuc exstant.* Ita versio Christophorsoni.

Senserunt ergo pacifici Præsules quod sentire omnes bonos decet: nihil scilicet pace in ecclesia esse melius, nihil schismate tetrius: & fortè aliquid simile illi dicto pronuntiarunt, quod non dissimili in re, sed multò postea in dialogo aduersus Luciferianos vsurpauit S. Hieronymus: *Quid facimus? Ita & nobis maiores nostri & illis sui tradidere maiores.* Quasi dicat: suos quisque sequatur, & pax conseruetur, quâ nihil melius. Aut quòd S. Augustinus in epistola quinquagesima Bonifacio Comiti in bonum quoque pacis & coniunctionis Ecclesiæ protulit: *In huiusmodi caussis, vbi per graues dissensionum scissuras, non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis caritas sincera subueniat.*

Iam ergo tandem, (quæ Deo opt. max. sit laus) ea pro vtraque parte attulimus, quæ vtramque insontem præstare possint, aut debeant. Nā ad fidei & ecclesiæ bonū, tam Victor, quàm Polycrates, spectabat: sed ille omnium ecclesiarum conformitatem

tem, hic traditionum Apostolicarum inuiolatam obseruationem procurabat.

Ita duo Angeli Occidentis & Orientis, Victor & Polycrates inter se tantisper coram Deo depugnarunt: sed S. Irenęo, alijsque sanctis Antistitibus (Irenæo tamen potissimùm) interuenientibus, sublata excommunicatio, & simul omne diremptum est prælium.

In quo Victoris admiranda æquitas & moderatio animi est prędicanda: quippe qui aliorum Episcoporum, seu preces, seu admonitiones non despexit, & cùm intorto grauissimæ censuræ telo profici nihil vidit, sapienter illud subterduxit. Cuius tamen in excommunicando potestas (quam hęretici nequiter exagitant) neque ab vllo Episcoporum, neque ab ipso Polycrate (cuius maximè intererat) negata est; sed tantùm caussa ipsa reprobata. Vnde colligitur eũ probasse quidem ius excõmunicationis in Põtifice residere, sed hoc in negotio idoneam tantùm caussam deficere. Denique in ambobus sanctis, Irenæo, inquam, & Victore seges laudum haud parua emicuit, atque, vt alias taceam, generosæ libertatis in Irenæo; eximiæ (vt dixi) moderationis in Victore. Nempe hic Petrum, ille Paullum est imitatus. Ac proinde, quas in vtrumque Apostolum effundit laudes seu D. Augustinus, seu magnus ille Gregorius, has ipsas in Victorem & Irenæum licet transfundere. Sic ergo de principibus Apostolorum Augustinus, epistola 19. c. 2. ad Hieronymum: *Ipse vero Petrus*, inquit, *quod à Paullo fiebat vtiliter libertate caritatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quò non dedignarentur, (sicubi fortè recti tramitem reliquissent) etiam à posterioribus corrigi; quàm Paullus, quò confidenter auderent; etiam minores maioribus, pro defendenda euangelica veritate, salua fraterna caritate, resistere. Nam cum satius multo sit à tenendo itinere, in nullo, quàm in aliquo, declinare; multo est tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem. Est laus itaque iustæ libertatis in Paullo: & sanctæ humilitatis in Petro.* Ita ille.

Sic & ille magnus Gregorius Pontifex homilia 18. super Ezechielem de ijsdem Apostolis: *Amicus ergo veritatis*, inquit, *laudauit etiam, quòd reprehensus est, atque ei ad hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat, sensit: seque etiã minori fratri ad consensum dedit: atque in eadem re factus est sequens minoris sui, etiam vt in hoc præiret; quatenus, qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.*

Quæ verba Victori Pontifici, verè sui victori mirè congruunt. Nam magna illi opus A fuit, & humilitate erga Irenæum, & patientia aduersus Polycratem. Vtramque igitur virtutem dum in tempore suo fortiter tenuit, ac dum Irenæo meliora sentienti maior minori consensit, & Polycrati in re tam laudata consensum renuenti, oblitteratâ excommunicationis sententiâ, ignouit; verè seipsum vicit, & nunquam aliàs magis Victor fuit.

Existimauit quidem Alphonsus à Ca- B stro, lib. 12. aduersus hæreses in verbo *Pascha*, & Alphonsus itidem Ciaconus, in Victoris vitâ, ne latam quidem fuisse excommunicationem, sed Irenæi interuentu repressam: verùm satis ex antiquis Scriptoribus Eusebio, Epiphanio, Socrate, liquet contrarium. Nam Eusebij, loco iam citato, hæc sunt de Victore verba: Στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς. Ἀλλ' οὐ C πᾶσί γε τοῖς Ἐπισκόποις ταῦτ' ἠρέσκετο. *Denotat per litteras, excommunicatos penitus omnes denuntians fratres Asianos. Sed non omnibus Episcopis hæc placuerunt.*

Epiphanij autem, hæresi LXX. quæ est Audianorum, sunt hæc: Θόρυβος ἐκινεῖτο ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ κηρύγματι, περὶ τοῦ τῆς ἑορτῆς ταύτης ζητήματος, ἔν τε χρόνοις Πολυκράτους καὶ Βίκτορος, ὡς ἡ ἀνατολὴ πρὸς τὴν δύσιν διαφερομένη εἰρηνικὰ παρ' ἀλλήλων οὐκ ἐδέχοντο. D &c. *Turbatio ciebatur in euangelico præconio super festi illius quæstione, præsertim Polycratis & Victoris temporibus, ita vt Orientales ab Occidentalibus diuisi nullas inuicem pacificas reciperent litteras.*

Malè in Epiphanio legebatur Πολυκάρπου *Polycarpi*, pro Πολυκράτους *Polycratis*. Nihil enim Polycarpo cum Victore, sed cum Aniceto multis ante Victorem annis negotium fuit: nec desijt Polycarpi tempore lit- E terarum pacificarum inter partes communicatio.

Socratis denique, libro 5. ecclesiasticæ historiæ cap. 22. verba sunt ista: Ὁ τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπος Βίκτωρ ἄμετρα θερμανθεὶς ἀκοινωνησίαν ἐν τῇ Ἀσίᾳ τεσσαρεσκαιδεκατίταις ἀπέστειλεν. *Victor, Romæ Episcopus, supra modum excandescens, Quartadecimanis in Asia excommunicationem misit.*

Nicephorus tamen libro 4. histor. eccl. F cap. 38 & 39 videtur indicare litteras Pontificis de excommunicatione per Irenæi sollicitationem & interuentum fuisse ab eodem Pontifice suppressas: Id nimirum videri potuit ex eo, quòd pax inter ecclesias non multo pòst tempore, Episcoporum monitis, hortatibus, precationibus instaurata sit. Quod tam Eusebius libro 5. cap. 24. innuit, (à quo Irenęus non solùm Εἰρηναῖος τῇ προσηγορίᾳ *pacificus appellatione*, sed etiã αὐτῷ τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιός, *moribus ipsis pacificator*

ficator appellatur) quàm Nicephorus disertè scribit cap. vltimo libri iam citati.

Bar. t. 2. anno Domini 98. Nec enim hic possum Cæsari Baronio assentiri, qui putat sic auulsos ab ecclesia etiam post Nicænam synodum magna ex parte, atque in longum tempus permãsisse.

Nam aut breue admodum schisma fuit, aut nullum: quandoquidem vel non dirempta prorsus, vel citò pax sit ab eodem ipso Victore reddita: atque inde ad concilium vsque Nicænum res in integro, vti antè fuerat, relicta. Nam ratio certè, quam adfert ex Athanasio Baronius, dum ita scribit ad annum Christi 198. *Licet enim ingens eorum numerus Concilij Nicani tempore ad ecclesiam fuerit reuocatus, tamen etiam post eam synodum, Syros, Cilices, & Mesopotamios in eius festi obseruatione claudicasse (quippe qui cum Iudæis illud ipsum celebrarent) S. Athanasius tradit in libro, quem scripsit de Synodis*; ista, inquam, ratio nulla est, & ab ipsomet Athanasio, in isto eodem loco De Synodis destruitur. Aut enim malè lectus est Athanasius, aut perperam intellectus: cùm inde potiùs elici debuerit contrarium.

Nam verba S. Athanasij loco allegato sunt hæc: Ἡ μὲν γὰρ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος οὐχ ἁπλῶς γέγονεν, ἀλλ' ἔχει τὴν χρείαν κατεπείγουσαν, καὶ τὴν αἰτίαν εὔλογον. Οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τῆς Συρίας, καὶ Κιλικίας, καὶ Μεσοποταμίας, ἐχώλευον περὶ τὴν ἑορτὴν, καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐποίουν τὸ πάσχα· ἥ τε Ἀρειανὴ αἵρεσις ἐπαναστᾶσα ἦν κατὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· καὶ προστάτας εἶχεν τούς τε τὴν ὑπὲρ ἑαυτῶν σπουδὴν, καὶ εἰς τὴν κατὰ τῶν εὐσεβούντων ἐπιβουλὴν τοὺς περὶ Εὐσέβιον. Καὶ αὕτη αἰτία γέγονεν οἰκουμενικὴν συναχθῆναι σύνοδον, ἵνα πανταχοῦ μία τῆς ἑορτῆς ἐπιτελῆται ἡμέρα, καὶ ἡ παραφυεῖσα αἵρεσις ἀναθεματισθῇ. Γέγονε γοῦν. Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Συρίας ἐπείσθησαν. τὴν δὲ Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀπεφήναντο πρόδρομον τοῦ Ἀντιχρίστου. &c. *Nicæna synodus*, inquit, *non temere facta est, sed vrgentem habuit necessitatem, & caussam legitimam. Syri enim, Cilices, & Mesopotamiani circa festum claudicabant, & cum Iudæis pascha celebrabant: Ariana item hæresis contra ecclesiam catholicam insurrexerat, & protectores suos habebat tam ad ipsorum defensionem, quàm ad struendas pijs insidias Eusebianos. Atque hæc ipsa caussa fuit cogendi generalis concilij, tum vt vbique vna festi illius dies obseruaretur, tum vt pullulans hæresis anathemate feriretur. Quod & factum est. Nam & Syri paruerunt, & hæresim Arianam Antichristi præcursatricem demonstrarunt*. &c.

Non dicit ergo ibi Athanasius Syros post synodum claudicasse: sed ante synodum quidem claudicasse; post synodum autem paruisse, & plurimùm contra Arianos fecisse.

Ex his porrò Athanasij verbis patet Syros, & consequenter Antiochenos, (qui sunt in Syria præcipui) ex eorum fuisse numero, qui antiquitus & ab Apostolorum temporibus semper Pascha decimaquartâ lunâ obseruarunt. Quod etiam suprà indicaui ex eo, quòd Eusebius recensitis ecclesijs, quæ Pascha die dominico celebrabant, Antiochenam prætererit, non facturus alioquin, si & ipsa cũ celebrasset. Cùm enim ferè omnium prima, & quidem ante Romanam fundata fuerit; certè eius inter primas meminisset, nec Osroënensem penè incognitam, aut certè minùs notam prætulisset. Vnde & illud colligitur, non modò Petrum Antiochiæ Pascha obseruasse luna 14. vt suprà probatum est; sed etiam Euodium eius successorem, sed etiam Ignatiũ, sed etiam Heronem clarissimos martyres; sed etiam alios omnes Episcopos, istorum successores, vsque ad Nicænum concilium, per annos circiter trecentos.

Secundò probatur ipsius Nicæni concilij auctoritate. Nam in epistola sua synodica testatur hanc fuisse hactenus Orientalium consuetudinem, sed omnes in dicta synodo cum Occidentalibus consensisse, dum sic scribit: Εὐαγγελιζόμεθα δὲ ὑμᾶς, καὶ περὶ τῆς συμφωνίας τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πάσχα, ὅτι ταῖς ὑμετέραις εὐχαῖς κατωρθώθη καὶ τοῦτο τὸ μέρος, ὥστε πάντας τοὺς τῆς ἑῴας ἀδελφοὺς, τοὺς τὸ πρότερον μὴ ποιοῦντας σύμφωνα Ῥωμαίοις, καὶ ὑμῖν, καὶ πᾶσι τοῖς ἐξ ἀρχῆς φυλάττουσι τὸ πάσχα, ἐκ τοῦ δεῦρο μεθ' ἡμῶν ἄγειν.

Annuntiamus item vobis de sanctissimo nostro Paschate concordiam. Vestris enim precibus hæc quoque res emendata est; ita vt omnes Orientis fratres, qui priùs nec Romanis consentiebant, nec vobis, nec omnibus, qui ab initio hunc morem seruant, ex hoc iam tempore nobiscum celebrent.

Exstat epistola illa synodica apud Theodoretum, lib. 1. hist. eccl. cap. 9. Dicit ergo hoc Cõcilium omnes fratres Orientis, qui priùs ab alijs nationibus in festo Paschatis dissentiebant, iam cum illis consensisse. Quare non potest esse verum id quod adferebat Baronius, eos scilicet magna ex parte etiam post Nicænam synodum, atque in longum tempus in schismate permansisse. Et sanè, si vel ante concilium fuissent in schismate; vel post illud permansissent; quomodo in ipso concilio datus fuisset primus locus in dextro ordine Episcoporum, & primæ item partes loquendi & alloquendi Cõstantinum Imp. ibi præsentem, magno illi Eustathio Antiochenæ vrbis Episcopo, viro prorsus admirabili, & omnibus ferè SS. Patribus laudato?

Non erat is igitur in schismate, tametsi pascha aliter, quam Romani vsque ad illud concilium celebrasset, sicut omnes ante illum

lum Antiocheni Præsules fecerant. Pax enim, vt ante dixi, ab Irenæo lōge antè procurata, & à Victore data erat, ac propterea schisma nullum erat. Hinc & multi Antiochenorum Episcoporum à tempore S. Victoris vsque ad concilium Nicænum inter Sanctos relati sunt, & in Romano leguntur martyrologio (quod factum procul dubio non esset, si fuissent e Schismaticis) inter quos maximè illustris habetur S. Philogonius, de quo sic ad vicesimam decembris: *Antiochiæ, natalis S. Philogonij Episcopi, qui ex causidico ad eam ecclesiam regendam Dei nutu accersitus aduersus Arium vnà cum sancto Alexandro Episcopo, & socijs primum pro fide catholica certamen iniyt, clarusque meritis quieuit in Domino, cuius annuam festiuitatem sanctus Ioannes Chrysostomus præclaro encomio celebrauit.*

Et quando S. Chrysostomi incidit mentio, qui Antiochenus fuit & ciuis, & sacerdos, & concionator, & qui etiam, si quis alius, ciuitatis eius instituta, ritus, consuetudines, traditiones apprimè nouit, ex ipso probemus (erit enim inexpugnabile argumentum) omnes Episcopos Antiochenos à Petro vsque ad magnum illum Eustathium (sic appellari à Patribus solet) qui concilij Nicæni magnum columen fuit, omnes, inquam, istos celebrasse pascha lunâ 14.

Cum igitur Antiochiæ quidam restarent, lunæ 14. post Nicęnam synodum, obstinati obseruatores, orationem aduersus illos Chrysostomus habuit, quæ inscripta est: *In eos qui primo pascha ieiunant*, intelligens scilicet per primum pascha, illud quod cum Iudæis luna 14. obseruatur. In ea ergo oratione, obycientibus illis Ioanni Chrysostomo, aut ipsomet per occupationem figurā illis occurrente, etiam Antiochenos Episcopos olim sic ieiunasse, & sic Pascha obseruasse, hoc est, ante Nicænum concilium; respondet verum esse quidē, sed se & alios eum morem concordiæ caussa, (quam procurauit istud concilium) deseruisse, sicque illis faciendum esse, ne fratribus caussam offensionis prębeant. Καὶ ἡμεῖς οὕτως ἐνηστεύομεν πρότερον, ἀλλ' ὅμως προετιμήσαμεν τὴν συμφωνίαν τῆς τῶν χρόνων παρατηρήσεως. &c. *Et nos*, inquit, *prius sic ieiunabamus: sed tamen obseruationi temporum concordiam prætulimus.* F &c.

Et paullò inferiùs: Καὶ τί λέγω περὶ ἐμαυτοῦ; τριακόσιοι πατέρες ἢ καὶ πλείους εἰς τὴν Βιθυνῶν χώραν συνελθόντες ταῦτα ἐνομοθέτησαν, καὶ πάντας ἀτιμάζεις ἐκείνους; *Et quid de me ipso loquor?* inquit. *Trecenti Patres, aut etiam plures in Bithyniæ regione cùm conuenissent, hæc decreuerunt: & tu illos omnes probro afficis?*

Deinde postquam illos Patres multùm dilaudauit, & quæ persecutionis tempore A passi fuerant, breuiter percurrit, tum ita addit: Καὶ ἀπὸ τῶν ἀθλητῶν τούτων ἡ σύνοδος ἅπασα συγκεκρότητο τότε, καὶ μετὰ τὸ πίστεως καὶ τοῦτο ἐνομοθέτησαν, ὥστε κοινῇ καὶ συμφώνως τὴν ἑορτὴν ταύτην ἐπιτελεῖν. *Atque ex his athletis conflata tunc est tota synodus, & vnà cum ijs, quæ ad fidem spectabant, hoc quoque statuerunt; vt communiter & concorditer hoc festum celebraretur.*

Vult ibi dicere S. Chrysostomus duo sta- B tuta esse à SS. Patribus concilij, vnum quod spectabat ad fidem, alterum quod ad ecclesiarum concordiam: prius erat, Filium Dei esse Patri ὁμοούσιον. i. *consubstantialem*, siue *eiusdem naturæ & substantiæ*: alterum propter ecclesiarum concordiam & vniformitatem, Pascha ab omnibus celebrandum in die dominica, & non alia. Quod interpres Chrysostomi non attendens ita vertebat: *Atque ex his athletis collecta tum fuerat syno-* C *dus vniuersa, communique definitione fidei hoc quoque decreuerunt, vt simul vnóque consensu festum istud celebraretur.*

Hæc enim verba ita sonant, quasi factum sit decretum fidei, celebrandum Pascha die Dominico: cùm tamen aliter res se habeat, & nihil aliud, quàm præceptum datum sit, non verò canon fidei statutus. Quod etiam constare potest ex epistola Nicæni concilij superiùs citata, vbi de vtrisque agitur sepa- D ratim, & è S. Epiphanio hæresi 70. vbi duo maxima bona per Nicænam synodum pręstita docet: Vnum, fidei explicationem & confirmationem: Alterum, concordiam de Paschate. Sed clarissimè & breuissimè cognoscetur ex ipso magno Athanasio, quo nullus rem totam cognoscere potuit meliùs. Is ergo in libro siue epistola de synodis Arimini & Seleuciæ, factam esse docet distinctionem à SS. Patribus Nicæni con- E cilij, inter ea quæ erant fidei, & ea, quæ non erant. Nam de Paschate, inquit, sic locuti sunt Patres: *Visum est, vt omnes parerent.* De rebus autem fidei non sic; sed hoc modo: *Ita credit Ecclesia Catholica.*

Verba Athanasij græca sunt: Περὶ μὲν τοῦ πάσχα, ἔδοξε τὰ ὑποτεταγμένα. τότε γὰρ ἔδοξε πάντας πείθεσθαι· περὶ δὲ πίστεως ἔγραψαν, οὐκ ἔδοξεν, ἀλλ' οὕτως· Πιστεύει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· καὶ εὐθὺς ὡμολόγησαν, πῶς πιστεύουσιν· ἵνα F δείξωσιν, ὅτι μὴ νεώτερον, ἀλλ' ἀποστολικόν ἐστιν αὐτῶν τὸ φρόνημα. *De Paschate quidem scripserunt*, visa sunt, quæ subduntur. *Tum enim visum est, vt omnes parerent. De fide autem scripserunt, non*, Visa sunt. *sed sic:* Ita credit Ecclesia catholica: *& statim confessi sunt quomodo crederent.* [i. statim subiunxerunt confessionem seu formam fidei] *vt ostenderent sententiam suam non esse nouam, sed Apostolicam.* Ita ibi Athanasius.

Quare, vt ad S. Ioannem Chrysostomum reuer-

reuertamur, fassus est se ante concilium Nicænum obseruasse Pascha illo mense & die, quo Iudæi; sed post concilium non item: paruisse enim se trecentorum, eóque ampliùs, SS. Patrum mandato, cui & ab omnibus parendum sit.

Quid est autem, quod Chrysostomus 14. luna celebrabat Pascha Antiochiæ ante concilium Nicænum: nisi quia sic ecclesiæ illius Antistites colebant, & semper sic coluerant? Nam si S. Petrus & S. Ignatius ibi aliter coluissent, hoc est, sola die dominica; an aliquis posteriorum Præsulum aliter facere ausus esset? Lapidassent certè illum Antiocheni, vel dentibus lacerassent, qui id attentásset. Tanti Petrum, & Euodium, & Ignatium faciebant. Deinde S. Heron Ignatij successor & perinde Ignatium diligens & honorans, atque prophetam Eliam Elizæus (quod ex eius precatione intelligi licet, quam in S. Ignatij vita innexui) à vestigijs scilicet talis magistri sui recessisset? Quisnam ergo tandem primus recessit? Nam clarum est ex Athanasio, & è Chrysostomo, & è synodo Nicæna, Antiochenos ante concilium obseruasse Pascha, quâcumque luná 14. primi mensis. Certè ante concilium nemo, sed post conliũ magnus Eustathius, de quo supra. Nã in eo concilio (vt erat prudens & moderatus) libenter aliorum, qui plures erãt, cessit sententiæ. Atque vt hanc quæstionem finiã, S. Athanasius in epistola ad Africanos, duabus de caussis synodum habitam esse dicit, nempe vnâ fidei, & alterâ Paschatis, subditque hæc verba: Ἀλλὰ χάρις τῷ Κυρίῳ, ὡς περὶ τῆς πίστεως οὕτως, καὶ περὶ τῆς ἁγίας ἑορτῆς γέγονε συμφωνία. *Sed gratia Domino, quod & de fide, & de festo sancto sic inita est concordia.*

Quo statuto, & satis, vt mihi quidem videtur, stabilito, nonnullorum error super vna S. Ignatij sententia malè ab ipsis intellecta amoliendus est, & dandus istorum verborum tanti Patris in epistola Ad Philippenses, verus, germanúsque sensus:

Si quis, inquit, cum Iudæis celebrat Pascha, aut symbola festiuitatis eorum accipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius.

Sensus ergo est iste: Caueant Christiani, ne cum Iudæis agnum paschalem comedant, vnà cum illis Iudaicè conuiuantes, aut partes tosti agni ad se missas, velut Iudaismi symbola, recipientes; alioqui participes eorum futuri sunt, qui Christum & Apostolos occiderunt: quandóquidem isto esu profiteantur, se Iudæorum, qui id fecerunt, sectam & antiquatas cærimonias sequi. Atque hunc esse sensum patet, tam è secundo membro rei prohibitæ, quàm ex ipsius comminationis grauitate. Nam prohibetur, non modò ne cum Iudæis celebrẽt Pascha (quod satis fuisset, si actum esset de luna 14.) sed etiam ne symbola festiuitatis eorum recipiant, hoc est, agni tosti partes à Iudæis sibi oblatas. Quod magno argumẽto est, priora verba intelligi de non celebrãdo Paschate cum Iudæis, hoc est, in eorum societate: non autem de non celebrando eodem die, licet cum Christianis, & ritu Christiano. Deinde ista criminis exaggeratio: *particeps est eorum, qui dominum occiderunt, & Apostolos eius*, nullo modo cadere in eum potest, qui nulla in re alia communicat cum Iudæis, quàm quòd suum Pascha celebret cum Christianis, in ecclesia catholica, eodem die, quo Iudæi suum in synagoga.

Et sanè perabsurdum esset, tam grauiter denotare id, quod tam multi sancti viri eâ ipsa ætate, qua hoc proferebat Ignatius, (atque inter alios ipse S. Polycarpus) factitabant.

Neutiquam profectò istud fecit mitissimus Ignatius, neutiquam fecit, immo ne cogitauit, ne somniauit quidem. Ipse enim, ipsemet Ignatius ita Pascha celebrauit cum Iudæis, hoc est, eodem die; non autem cũ Iudæis, hoc est, in eorum societate, & ritu Iudaico. Et quia totus propè Oriens, aut certè pars eius potissima, eodem cum Iudæis die Pascha celebrabat, hinc caussa erat iustissima metuendi, ne quis vel cognationis, vel vicinitatis, vel amicitię quopiam colore & prætextu, in eorum se sineret societatem & communem agni esum pertrahi, aut certè ad participanda saltem eorum symbola abduci. Ac propterea meritò Ignatius, licet aliàs longè mitissimus, contra eos, qui talem Christo, vero Agno iniuriam facerent, tam acerba verba vsurpauit, & tam efficaces ad deterrendum minas intẽtauit. Quomodo enim aliter? Ignatius scilicet, ille intimus beati Polycarpi socius, & sub S. Ioannis disciplina contubernalis, & quasi alter ipse, & cui ad martyrium proficiscens præcipuè ex omnibus suam Antiochenam ecclesiam commendauit, ille, inquam, Ignatius, cùm non ignoraret, quo die S. Polycarpus, & alij Asiæ Episcopi (quos in epistolis suis plurimùm ab inculpata fide commendat) Pascha celebrarent; ipse tam graue in talem amicum, & tales fratres telum iaceret? & in illum quidem S. Ioannis Apostoli discipulum, qui certus esset nec ipsi Pontifici (quemadmodum pòst accidit) tali in re concedere, tam atrociter vulneraret, tam ingratijs à se abalienaret? Miror equidem, quomodo id in aliquorum Theologorum & quidem magnorum (nisi ex magnâ historiæ sacræ ignorantia) mentem potuerit, cogitationémue cadere.

cadere. Nam ego quidem magis credide-rim tam constanter Polycarpum aduersus Anicetum Pontificem pro decimaquarta luna decertasse, quòd sciret suum illum Ignatium etiam à se stare, & quòd à S. Ioanne Apostolo secum vnà didicerat, immo & à S. Petro Antiochiæ (vti antè docuimus) id eum semper retinuisse, certum exploratúmque haberet.

Ac pro eius sensus, quem protuli verborum Ignatij, confirmatione, hoc apponam è Beato Ioanne Chrysostomo, velut corollarium. Dicit igitur in illa ipsa superiùs laudata oratione, (quo scilicet nonnullos ab antiqua consuetudine ad Dominicam adducat) Christum quidem in iudicio puniturum eos, qui opera misericordiæ non exercuerint, aut expertes caritatis deprehensi fuerint; deinde subijcit: Ὅτι δὲ τῷ δεῖνι μηνὶ, ἢ τῷ δεῖνι οὐκ ἐποίησε τὸ πάσχα, οὐδεὶς ἐκολάσθη ποτὲ, οὐδὲ ἐνεκλήθη. *Quod autem*, inquit, *hoc vel illo mense Pascha non fecerit, nemo punitus est, nemo accusatus.* Quàm longè autem absunt ea verba ab illo sensu, quē ex Ignatij verbis aliqui perperam colligebant. Dicit enim Chrysostomus ante concilium Nicænum licuisse hoc aut illo modo celebrare pascha, (hoc est, vel luna 14. quemcunque in diem ea caderet, vel tantùm dominicâ) nec quicquam fuisse criminis, vtro quis modo tum faceret. Vnde primò colligitur ipsum Ignatij verba intellexisse, non de ijs, qui horum alterutro celebrarent: sed tantùm de ijs, qui celebrarēt more Iudaico. Secundò, colligitur Syros non fuisse in schismate vsque ad Nicænum concilium, multo minùs etiam post illud, nisi fortè priuatos quospiam, eósque paucos: vnde & in illos sanctus ille Pater meritò inuehitur, quòd se reliquo cœtui non accommodarent, cùm possent: nullum enim esse peccati periculum, si se accommodauerint; fore autem, propter scandalum & inobedientiam, si non accommodauerint: futuros autem hæreticos, nisi paruerint; aut aliquod editum esse fidei articulum de Paschate sic aut sic obseruando, minimè dicit. Ad quod tamen dicendum, & publicè declarandum, si quis canon talis exstitisset, ipse tanquam pastoris fungēs officio, obligatus fuisset. Tertiò, colligitur, quanta Polycrati, & alijs Asiæ & Syriæ Episcopis futura fuisset difficultas, si secundo sæculo, quo S. Ioannes, & Polycarpus, & Ignatius decimaquartâ lunâ Pascha obseruauerant, & obseruandum suis præscripserant, si illo ipso, inquam, sæculo & tam recenti tantorum virorum memoria, cogere ipsuos subditos ad inueteratæ consuetudinis mutationem attentassent: cùm & post generale totius orbis concilium satis fuerit,

A non tantùm admirando illi Eustathio, & magno Flauiano Antiochiæ Episcopis tantæ doctrinæ & sanctimoniæ viris, sed etiam Ioanni Chrysostomo, ori illi aureo, satis, inquam, fuerit laborandum, & sudandum; vt id ab omnibus impetrarent. Nec verò plebeis duntaxat, & rudibus, aut mediocri probitate præditis id inhærebat retinendę priscæ consuetudinis studium; sed nonnullis etiam scientia & sanctimonia prælustribus:

B quorum in numero erat Abraames ille, de quo beatus Theodoretus in Religiosa historia, cap. 3. sic narrat: *Erat*, inquit, *Abraames quidam senex in illa solitudine, vir canis quidem pilis, sed magis canâ prudentiâ; omni virtute clarus, & vberes semper profundens lachrymas compunctionis. Is in principio, à quadam inductus simplicitate, primum Pascha peragere sustinuerat, (ignorans quidem, vt est verisimile, quæ de eo Nicææ à Patribus constituta*

C *fuerant, antiqua autem seruire malens consuetudini. Multi autem alij laborabant eo tempore eadem quoque ignoratione. Sed magnus Marcianus multis quidem sæpe verbis vsus, conatus est senem Abraamem (ita enim eum appellabant, qui in ea habitabant regione) vt cum ecclesia consentiret, traducere: cùm eum autem vidisset non parere, apertè destitit cum ipso communicare. Sed procedente tempore ille quoque vir diuinus abiecta macula in festo celebrando*

D *amplexus consensum ecclesiæ, verè psallens cecinit: BEATI IMMACVLATI IN VIA, QVI AMBVLANT IN LEGE DOMINI. Hoc autem effectum est à magni Marciani doctrina.* Psal. 118. vers. 1.

Ita Theodoretus.

Quibus in verbis primum pascha, (quemadmodum & suprà in Chrysostomo annotaui) illud intelligitur, quod luna 14. eodem scilicet die, quo à Iudæis suum, seruabatur. Semper enim illud præcedebat nostrum:

E quia nostrum dominicam proximè sequentem exspectabat, nec vnquam fiebat ante lunam decimamquintam. Quod si dominica caderet in lunam decimamquartam, erat expectanda sequens Dominica, ita vt celebraretur eo anno pascha luna 21. neque vnquam tardiùs, nisi fortè per errorem, cùm cycli paschales vel non bene scriberentur, vel malè seruarentur. Acciderunt enim non rarò in Latina ecclesia eiusmodi

F errores, qui & miraculis subinde patefacti sunt, vt paullo inferiùs monstrabitur: dum nonnulla alia huius capitis, puncta peculiaria exponentur

Ad illa igitur, postquam præcipua difficultas enodata est, veniamus.

c *NIHIL FVISSET COMMVNITER AB APOSTOLIS* &c.] Apostolos ante ipsorum in varias terras diuisionem, nihil communiter statuisse de die, quo Pascha esset recursu anniuersario celebrandum,

inde

inde constat; quòd S. Ioannes Euangelista, (qui ad secundum Christi sæculum superstes fuit) diem illum procul dubio seruaturus fuisset, si quid communiter statutum esset; at non seruauit, vt suprà clarè & fusè probatum est: ergo nihil statutum fuit ab Apostolis communiter.

Probatum etiam suprà est è Venerabili Beda.

d *QVIPPE HIS IN PRINCIPIO, ET QVIDEM SOLIS.*] Tradita fuisse initio mysteria fidei solis Iudæis, saltem vulgò & passim, satis colligitur, tum ex Matthæi 10. versu 5. *Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate* &c. tum ex Actis Apost. cap. XI. versu 19. *Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.*

Matthæi 10. vers. 5.

Actor. 11. vers. 19.

e *ITA VIDELICET PROGREDIENTES IN PISCATV HOMINVM* &c.] Locum hunc mutuatus sum à S. Ioanne Chrysostomo, cuius ipsa verba in huius capitis Notationibus suprà recitaui.

f *PRÆTERQVAM ENIM QVOD ITA A SS. APOSTOLIS PETRO ET PAVLLO* &c.] Traditionem Apostolicam Romæ factam probaui suprà è S. Victore, Eusebio, & alijs. Transijt eadem traditio in Ægyptum, per S. Marcum B. Petri discipulum, Alexandriam missum. Transijt & in Palæstinam, vbi S. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & S. Theophilus Cæsareæ, & qui cum illis conuenerant, Cassius ecclesiæ Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi, & alij, in decreto suo de Paschate die dominica celebrando, docuerunt se ex Apostolica traditione id facere. Quod ipse Eusebius Cæsareæ in eadem Palæstinâ episcopus lib. 5. histor. eccl. cap. 25. testatur.

g *ACCEDEBAT ETIAM RECENS SVB PIO PONTIFICE* &c.] Baronius ad annum Christi 159. & Pij Pontificis 2. ita scribit: *Pius agens in Pontificatu annum secundum, decretum edidit de celebrãdo Paschate die Dominico, quod tradit Eusebius.*

Existimauit scilicet Baronius Eusebium id habere in Chronico (illud enim ad marginem citat) sed falsus est è vitioso, quo est vsus, Chronico. Neque enim illud in Græco Eusebij Chronico exstat, neque in latino ex interpretatione Hieronymi, nisi fortè in vno atque altero exemplari vitioso.

Nam Arnaldus Pontacus, Chronici Eusebiani recensitor & censor exactissimus, annotauit ad eundem secundum Pij annum, in viginti duobus diuersis exemplaribus Eusebij, illa verba non reperiri. Accedit, quòd Aubertus Miræus in sua eiusdem Chronici Eusebiani nuperâ editione, illa eadem verba in nullis, quibus est vsus manuscriptis codicibus inuenerit, hoc est, nec in Aquicinctino, nec in Amandino, nec in Lipsij, nec in Ortelij, nec in Iosephi Scaligeri, quæ ipsa diuersa sunt ab exemplaribus Pontaci: ita vt 27. exemplaria bonæ notæ, verba illa spuria non habeant. Quod Baronium scire haud parum intererat. Nec enim ei opus fuisset anxiâ & sollicitâ verborum Eusebij, quæ non sunt Eusebij, interpretatione.

Quam interpretationem sic applicuit: *Verum licet ipse Pius auctor dicatur ecclesiasticæ sanctionis, tamen quòd iam antea ab Apostolis esset traditum, ipse tantum ad corrigendas Iudaizantes ecclesias, quæ hactenus Iudæorum more, quartadecimâ lunâ Pascha agere solerent, voluit decreto firmasse.*

Verba porrò vitiosi chronici, ex editione Basileensi, anni M.D.L.IX. ad quæ videtur respexisse Baronius, sunt ista:

Sancitum est à Pio, vt Resurrectio Dominica die Dominicâ celebretur: quod à pluribus postea Pontificibus confirmatum est.

Verùm illa, vt dixi, non sunt ipsius Eusebij, sed intrusa in Eusebium. Vnde autem? An ex Anastasio Bibliothecario, De vitis Pontificum Rom. in Pio? de quo sic: *Sub huius Episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei, vt sanctum Pascha die Dominico celebraretur?* An potiùs ex ipsiusmet Pij Pontificis epistola, tomo 1. conciliorum. Binæ enim illic decretales eius referuntur, quarum in alterâ omnibus scriptâ ecclesijs, hæc leguntur: *Ceterùm nosse vos volumus, quod Pascha Domini die dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei & scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarant, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Vnde & vos Apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem seruare debere: quia & nos eadem seruamus: nec debetis à capite quoquo modo dissidere.*

Hinc est credibile sumptam esse illam sanctionem, & in Eusebij Chronicon immissam, non ab Hieronymo (si enim ab illo; tum vel in omnibus, vel saltem in pluribus reperiretur exemplaribus) sed à posteriore quopiam.

Ista autem reuelatio Hermeti facta, bene vocatur à Baronio *diuinum suffragium*, *Angeli ministerio collatum*. Valde enim suffragabatur ea apparitio traditioni Apostolicæ de Dominica Paschatis.

Baron. anno Christi 159

h *SICVT SANCTA FRATERNITAS TVA* &c.] Hanc epistolam posui integram suprà in hoc ipso cap. Notationum.

i *TVM ERGO ET IN PALÆSTINA CONCILIVM* &c.] Testis est Eusebius libro 5. hist. eccl. cap. 22. & cap. 25. In quo posteriore capite quid definitum in eo concilio fuerit indicat, & membrum aliquod epistolæ Synodicæ ab Episcopis ibi congregatis perscriptæ in medium proponit. Vbi etiam præter S. Narcissum & Theophilum eius concilij Præsides, duorum episcoporum (alijs silentio præteritis) nominatim fit mentio: nẽpe Cassij, qui Ecclesiæ Tyri erat Episcopus; & Clari, qui Ptolemaidis. Extrema porrò verba illius epistolæ ipsorum decreto adiunctæ sunt hæc: Τῆς δὲ ἐπιστολῆς ἡμῶν πειράθητε κατὰ πᾶσαν παροικίαν ἀντίγραφα διαπέμψασθαι· ὅπως μὴ ἔνοχοι ὦμεν τοῖς ῥᾳδίως πλανῶσιν ἑαυτῶν τὰς ψυχάς. Δηλοῦμεν δὲ ὑμῖν, ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἄγουσιν, ἥπερ καὶ ἡμεῖς. Παρ' ἡμῶν δὲ τὰ γράμματα κομίζεται αὐτοῖς, καὶ ἡμῖν παρ' αὐτῶν, ὥς τε συμφώνως καὶ ὁμοῦ ἄγειν ἡμᾶς τὴν ἁγίαν ἡμέραν. *Satagite autem, vt per omnem paroeciam huius nostræ epistolæ exempla dimittantur: ne eorum simus culpæ obnoxij, qui facilè animas suas in errores præcipitant. Vobis porrò significamus Alexandrinos quoque eadem ipsa die, quà nos, Pascha celebrare. Atque a nobis ad illos, atque ab illis ad nos mittuntur litteræ, vt simul & concorditer diem sanctam exigamus.* Denique Acta eius concilij exstant apud Bedam tomo 2. in extremo, in tractatu De æquinoctio vernali, quamuis partem illam: *De ordinatione feriarum Paschalium &c.* aliqui suspicentur alterius esse quàm Bedæ, quibus ego non assentior.

k *NAM ET SYROS ET CILICES* &c.] Id probatum est suprà ex Athanasio, & ex alijs Scriptoribus ecclesiasticis.

l *NOS IGITVR INVIOLABILEM SERVAMVS DIEM* &c.] Ipsa Polycratis græca verba exstant apud Eusebium l. 5. c. 24. Nã latina illa sunt Hieronymi, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 45. in Polycrate, eum ipsum Polycratem interpretantis.

m *AB EVANGELICA TRADITIONE IN NVLLAM PARTEM DECLINANTES, ET ECCLESIASTICVM SEQVENTES CANONEM.*] Tuetur suam cõsuetudinem Polycrates ab Euangelica & Apostolica traditione. Illam porrò se à S. Ioanne accepisse gloriabatur, qui illam successoribus reliquerit.

Quæritur ergo, an fieri potuerit, vt diuer-
A sæ diuersis locis circa eandem rem essent Apostolicæ traditiones? Nam eodem loco quidem & eodem tempore, liquidũ est esse non posse. Cui quæstioni vt aptè respondeatur; præmittenda est vera & simplex Traditionum distinctio. Sũt enim eæ in duplici genere: quædam de rebus fide Christiana credendis, aliæ de rebus faciendis.

Quod igitur attinet ad prioris generis Traditiones, eę nullo modo, nec vsquã, nec
B vnquam possunt esse cõtrariæ. Quod enim alicubi de fide est, vbique est, & semper est.

Huc spectat symbolum Apostolorum, & alia quęcumque tanquam puncta fidei, seu à Christo Domino, seu ab Apostolis, & summis Pontificibus, seu etiam à concilijs generalibus legitimè habitis proposita, & definita sunt.

Traditiones verò secundi generis nihil repugnat, quin ab Apostolis, aut ab Epi-
C scopis locorum potuerint, aut possint interdum, diuersis in regionibus diuersæ constitui: quemadmodum nonnunquam constitutæ sunt; præsertim in ijs, quæ ad certa ieiunia, vel dies festos attinent.

Sunt enim multiplices huius secundi generis Traditiones, de quibus fusè, & distinctè, & doctè scripsit noster Bellarminus. Nam quòd aliqui nomen Traditionis ad ea tantum applicari velint, quæ sunt fi-
D dei; obseruationis autem ad ea, quæ sint morum; hoc est & contra Scripturam & contra Sanctos Patres noua comminisci distinctionum genera. Illi enim nomen Traditionis ad omnes obseruationes sacras, seu vniuersales, seu particulares; seu perpetuas, seu temporales; seu necessarias, seu liberas, accommodarunt. Vide Tertullianum in libro *De corona militis*, cap. 3. vbi plurimæ traditiones referuntur
E temporariæ aut liberæ, quarum nunc aliquæ desierunt. Vide & Hieronymum libro aduersus Luciferianos. Et pro omnibus vide eum, quẽ iam nominaui Bellarminũ, libro 4. *de verbo Dei non scripto*, cap. 4. & seqq.

Hinc Asianorum consuetudo de obseruatione lunæ 14ᵃ. ad celebrationem diei Paschatis, licet tantùm à B. Polycarpo incepisset, vera esset traditio: si autem à S. Ioanne ita obseruari iubente, non tantùm
F simplex traditio ecclesiastica; sed etiam traditio Apostolica. Et hoc posterius prætendebant, & contendebant Asiani. Ac fieri quidem potuit, vt S. Ioannes initio, aliique item Apostoli in Syria, & Asia, cùm needũ esset synagoga supremum sepulturæ honorẽ assecuta, propter Iudęorum ad fidẽ conuersorũ multitudinem, Gentiliũ verò paucitatem, iusserint, vt Gentiles in Paschatis festo, quantum ad diem ipsum attinet, se Iudæis accommodarẽt. Quod præceptum illi

illi tanquam traditionem obseruarint, posterisque tradiderint. Nam Audiani hæretici Catholicis obijciebant exstare Apostolorum canonem, quo iubebantur fideles seruare Pascha eodem die cum Iudæis: S. Epiphanius autem contra eos disserens concessit quidem illis, talem exstare canonem, qui iuberet seruari Pascha cum Iudæis, sed cum Iudæis, inquit, ad fidem conuersis. Iam autem cùm illi post concilium Nicænum seruarent pascha die dominico, debere & ipsos ita seruare. Fuerunt enim Audiani hæretici post concilium Nicænum.

Verba S. Epiphanij, quia multùm ad dilucidandam hancce materiam faciunt, in medio ponam, non græcè quidem illa, (quòd nimis multa sint) sed latinè tantùm, ex fideli interpretatione noui interpretis, Dionysij Petauij. *Audiani vero*, inquit, *ad institutum suum quandam ex Apostolorum constitutione auctoritatem accommodant. Qui liber, tametsi dubiæ apud nonnullos sit fidei, non est tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad ecclesiæ disciplinam attinent, omnia comprehenduntur: neque quicquam aut in fide, ac catholica professione deprauatum, aut ecclesiæ administrationi, ac decretis contrarium continent. Sed quod ad locum illum attinet, vnde suam de Paschate sententiam affirmare conantur; hunc illi perperam interpretantur, & ad alienum sensum per inscitiam traducunt. Etenim Apostoli in illa constitutione ita definiunt:* Vos, *inquiunt* temporum rationes ne subducite: sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum ijs itaque Pascha peragite. *Non præcipiunt,* quo tempore fratres vestri qui in circumcisione sunt, *sed*, qui ex circumcisione prodierunt: *vt illos ipsos declarent, qui ad ecclesiam à circumcisione transierint, ex eo deinceps tempore duces & auctores futuros: vtque ad aliorum auctoritatem adiungerent sese, ne alij alio tempore obeundum sibi Pascha crederent. Hanc enim omnem illi curam ac diligentiam impendisse videntur, vt pacem ac concordiam adstringerent, neue dissidia atque opinionum dissensiones existerent. Audiani verò, cùm Apostolici illius decreti sensum minimè perciperent, ex eo sic apud se cogitarunt Pascha Iudæorum more celebrandum videri.*

APOSTOLICA CONSTITVTIO DE PASCHATE.

Porrò post constitutionem illam quindecim è circumcisione Episcopi fuerunt, idque Hierosolymis, quorum auctoritatem Christianus omnis orbis sequi, & cum illis celebrare Pascha debuit, vna vi omnium concordia, vna professio, vna celebritatis obeundæ ratio ac consuetudo firmaretur. Igitur ad hominum mentes in vnam ecclesiæ societatem, quam tanto temporis spatio nondùm obtineri potuerat, conciliandas, Patrum illorum cura, diligentiáque, non sine Dei nutu, Constantini temporibus inculcauit. Ita Epiphanius hæresi LXX. cap. X. Fatetur ergo S. Epiphanius Pascha olim celebratum in ecclesia ad lunam 14. idque ex Apostolica constitutione, sed pacis & concordiæ caussa: nimirum ne dissensio esset inter eos, qui ex Iudæis crediderant, & eos qui ex Gentibus: idque durasse, quamdiu Hierosolymis Episcopi ex circumcisione præsederunt. Præsederunt autem vsque ad annum Christi 137. Hadriani verò Imp. 19. quo tempore primus ex Gentibus constitutus est Marcus. vt in Chronico auctor est Eusebius.

Quin addit Epiphanius debuisse pro retinenda cócordia totum orbem illis quindecim Hierosolymorum ex ordine Episcopis, in Paschatis festo sese accommodare. Quod si rigidè acciperetur, rueret illa, quæ in contrarium à Victore Pont. afferebatur Apostolica traditio vsque à Petro & Paullo accersita. Verùm intelligenda sunt verba Epiphanij, non de toto terrarum orbe: quasi omnes prorsus regiones illorum Episcoporum morem sequerentur, aut sequi deberent, præsertim in tantum tempus, sed de reliquis, qui in Syria & Asia erant, Episcopis. Nec enim Romani, aliiue Occidentales ab illis dependebant, nec tanta abundabant multitudine Iudæorum ad fidem conuersorum, vt necesse haberent illis se accommodare. Quare illa Epiphanij locutio vel hyperbolen sonat, vel idiotismum, vt πᾶς κόσμος, *totus mundus* (quo modo & in nostrâ Gallica *tout le monde*) idem sit, quod plerique omnes illius regionis, aut, quàm plurimi. Sic apud Ioannem cap. 12. versu 19. Pharisæi de Christo dicunt: *Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abijt.* id est, plurimi è populo Hierosolymitano. Græcè tantùm est: Ἴδε, ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν. *Ecce mundus post illum abijt.* sed ea loquendi forma in idem recidit. Epiphanij autem græca verba, (vt nec illa negligamus) hæc sunt: Ἅμα δὲ καὶ πεντεκαίδεκα Ἐπίσκοποι γεγόνασιν ἐκ περιτομῆς· καὶ ἐχρῆν τότε τῶν Ἐπισκόπων ἐκ περιτομῆς ὄντων ἐν Ἱερουσαλὴμ καθεσταμένων, τὸν πάντα κόσμον τότε τοῖς συνέπεσθαι, καὶ μετ᾽ αὐτῶν ἐπιτελεῖν· ἵνα μία τις γένηται συμφωνία &c. *Simul autem* [.i. consequenter] *quindecim Episcopi fuerunt ex circumcisione: & tum oportebat, cum essent Hierosolymis ex circumcisione constituti Episcopi, totum mundum illos sequi, & cum illis pascha celebrare, vt vna esset concordia.* Vbi *totum mundum* .i reliquos (vt ante indicaui) in eadẽ regione Episcopos. Nec pigebit ipsam Apostolorũ constitutionem græcè, vt est apud eundẽ Epiphaniũ, exscribere. Est ergo eiusmodi: Ὑμεῖς μὴ ψηφίζετε,

ἀλλὰ ποιεῖτε, ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε. Vos ne temporum rationes subducite &c. vt suprà.

Quæ constitutio è libro Apostolicarum constitutionum quinto, cap. 18. nunc expuncta est, & pro illa planè cõtraria inserta. Quod rectè obseruauit Ioannes Carolus Bouius, Episcopus Ostunensis, vir lõge doctissimus, & qui vnus fuit è Concilij Tridentini Patribus. Hic est, qui libros Constitutionum Apostolicarum primus latinè interpretatus est, eósque sedis Apostolicæ in eodem concilio Legatis dedicauit. Cuius verba, vt proposito nostro valde opportuna, lubet hîc apponere. Sic igitur in suis ad dictum caput scholijs scribit:

In caput 18. libri quinti, in quo traditur seruãdi Pascha ratio, nihil, inquit, *iam annotandũ est; sed id totum potius delendum, vt nothum ac nouum, quod luce clariùs perspici potest ex ea Epiphanij disputatione, qua vtitur aduersus Audianos imitantes in Pascha obseruatione Iudæorum consuetudinem. Narrat enim Epiphanius Audianos sententiam suam defendisse auctoritate constitutionis Apostolorum: in qua cauebatur, ne alium calculum Pascha facerent ipsi; sed agerent Pascha, quando fratres sui de circumcisione agerent, atque id vnà cum eis celebrarent: agnoscitque Epiphanius huiusmodi constitutionem atque eam interpretatur, inquiẽs primùm, dici in constitutione Pascha agendum, quando id agerent fratres de circumcisione, non fratres qui sunt in circumcisione, hoc est, quando agerent ij Episcopi, qui de circumcisione & Iudæorum gente genus ducebant, quos scribit quindecim fuisse: deinde inquit id factum fuisse ab Apostolis ad tuendam consensionis vnitatem. Quare tantum abest, vt ea quæ in hoc capite legimus, Apostoli statuerint; vt etiam cõtraria horum ab ipsis præcepta videantur. Præterea Orientales illi Iudaicum morum retinentes nullam aliam excusationem (vt in Eusebio legimus) afferebant suæ obseruationis, nisi quòd Ioannem & Philippum Apostolos imitarentur, testabatúrque Polycarpus Ioannis discipulus se vnà cum Ioanne, eo die Pascha celebrasse. Neque mirum est Apostolos in illis ecclesiæ rudimentis eo die inter se egisse Pascha, quo ipsi cum Domino egissent. Sed quid opus est,* inquit, *aliunde argumenta petere? ipsa constitutio se prodit, & tantùm non vocem emittẽs clamat se nouam esse. Ait enim æquinoctium fieri vigesima secunda Dystri mensis, hoc est, Martij: perspicuum est autem Christi tempore æquinoctium fuisse vigesimaquinta Martij: tempore verò Anatolij Laodiceni Episcopi, qui vixit Probo imperante, anno Domini ducentesimo octogesimo, æquinoctij tẽpus retrocesserat tribus diebus, solque Arietem ingrediens faciebat æquinoctium vernum vndecimo Calendas Apriles, hoc est, vigesimâ secundâ Martij, quod narrat Eusebius in ecclesiastica historia libro septimo.*

A *Quare noua est constitutio fortasse edita post Cõcilium Nicænum, in quo Pascha obseruatio ad eam rationem redacta fuit, vt post æquinoctium vernum quartadecima luna obseruaretur, & die dominico qui post plenilunium primus esset, Pascha celebraretur. Quod factum est eâ præcipuè ratione, ne Iudæorum consuetudinem imitaremur, neque bis in eodem anno Pascha ageremus. Hoc enim accidere posset, si tantùm duodecim lunares menses obseruaremus, nulla æquinoctij ratione habita. Aliquando enim post æquinoctiũ*
B *itidem celebraretur. Initium enim anni ordiuntur ab introitu solis in signum Arietis. Existimo igitur, cùm verba Apostolicæ constitutionis viderentur antiqua illi & ab Ecclesia reiectæ Paschæ celebrationi quodammodo fauere; viros pios illa verba, (ne offensionis caussam præberent, & aliquos in errorem inducerent) deleuisse, repossuisséque receptam & probatam ab Ecclesia obseruandi Pascha rationem.* Ita doctissimus
C Bouius.

Quæri nunc posset, an Polycrates per *euangelicam traditionem, & canonem ecclesiasticum,* (vti eius verba vertit Hieronymus) intellexerit illam cõstitutionem Apostolicam modò citatam ex Epiphanio?

Ego quidem, quamuis non omnino improbabiliter ex Hieronymi versione id cuipiam videri possit, iudico tamen Polycratẽ magis ad euangelij verba, quæ sunt vera fi-
D dei regula, quàm ad vllam constitutionem inter Apostolicas contentam respexisse; & hoc è verbis ipsius Polycratis, si græcè attendantur, & expressiùs reddantur, colligi posse. Græca enim sic habent: Οὗτοι πάντες ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ πάσχα κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, μηδὲν παρεκβαίνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολουθοῦντες. Quæ sic reddo: *Isti omnes ad diem decimaquartæ lunæ Pascha obseruarunt iuxta euange-*
E *lium, in nullo deflectentes, sed fidei regulam sequentes.*

Vbi τὸ *iuxta euangelium,* id est, quemadmodum in Euangelio legitur, Christus scilicet Pascha celebrasse: nempe eodem die, quo Iudæi celebrabant, hoc est, luna 14. ad vesperam. Hoc enim ex euangelio Matthæi cap. 26. Marci 14. Lucæ 22. & Ioannis 13. colligitur, éstque communis fere SS. Patrum sententia.

F Eò respexisse Polycratem sentit & Ioannes Matthæus Caryophilus in opere, quod inscripsit: * Τῶν κατὰ τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν ἀποδεικτικὴ σύνοψις, vbi ex epistola Polycratis probat Christum nõ anticipasse Iudaici Paschatis tempus, sed eodem cum illis die celebrasse. Refert Caryophili verba Petrus Arcudius l. 3. de sacramento Ven. Eucharistiæ c. 5. quæ sunt ista: Μανθάνομεν δὲ ἐξ ὧν λέγει ὁ Πολυκράτης ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ὅτι ἅμα τοῖς Ἰουδαίοις ἑόρταζον τὸ πάσχα οἱ τῆς Ἀσίας

* *Eorum, quæ in Orientali ecclesia obseruantur, breuis demonstratio.*

Ἀσίας κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, ὡς λέγει ὁ Πολυκράτης. Ὅθεν δῆλον, ὅτι οὐκ ἀληθεύουσιν οἱ λέγοντες τὸν Χριστὸν προφθάσαι καὶ τελέσαι τὸ πάσχα μετὰ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν πρὸ τῆς κοινῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα τῶν Ἰουδαίων.

Ex his, quæ scribit in epistola Polycrates, intelligimus Asiaticos vnà cum Iudæis celebrasse Pascha, idque secundùm euangelium, vt ait Polycrates. Vnde perspicuum est minùs vera loqui eos, qui Christum anticipasse, atque ante communem festiuitatem Paschatis Iudæorum cum suis discipulis Pascha celebrasse docent. Ista sunt Caryophili verba.

Arcudius verò eadem ibi confirmans, ita paullò inferiùs: *Neque potest aliquis dicere Asiaticos in hoc errasse, atque deceptos fuisse. Nam præterquam, quòd exemplo Ioannis & Philippi Apostolorum, & quorundam aliorum Sanctorum istud confirmant (qui sanè in gratiam nonnullorum fidelium adhuc in primordijs ecclesiæ iudaizantium, ita peregisse Pascha existimandi sunt) ceteræ etiam ecclesiæ, ac in primis Nicænum concilium, si minùs vera dixissent; huius erroris eos redarguissent. Facilè enim erat respondere, neque Christum secundùm euangelium celebrasse Pascha 14. luna, sed anteuertisse, neque nominatos Apostolos, Iudæos in hoc imitatos fuisse. At illi supponunt illos duos Apostolos, cum non paucis Sanctis, ex aliqua caussa ita fecisse, & credunt secundùm euangelium Christum Dominum eo tempore celebrasse. Reprehendunt verò non ex isto capite Asiaticos, sed quòd, cum Christus Dominus Pascha Iudæorum abrogasset, & aliud nouum longè præstantius instituisset, ipsi nihilominus tot elapsis annis mallent in hoc celebrando vnà cum Iudæis præscriptum antiquæ legis obseruare, quàm cum reliqua ecclesia diem Resurrectionis honorare.* Ita verè & rectè Arcudius. Quare manifestum est Polycratē Victori Papę de dominica Paschę vrgenti respondisse, seruare se diem, quem Christus seruauerat: hoc est, 14. lunam. Christum enim illam seruasse, & non aliam: idque satis constare ex euangelio, à quo proinde neutram ipse in partem velit deflectere, vt scilicet aut citiùs, aut tardiùs illud celebret, quàm Christus celebrauerit. Quæ quidem vera & certa sunt; sed Christus illud celebrauerat, (quemadmodum & circumcisionem, aliáque legis decreta) non vt deinceps ita celebrandum approbaret; sed vt iam impletum abrogaret. Alioquin si idem deinceps celebrandum fuisset Pascha, melior procul dubio fuisset eius caussa, quàm Victoris. Nec enim Victor eodem die Pascha celebrabat, quo Christus celebrarat, sed semper posteriùs. Quippe qui de industria eum diem deuitabat, ne & cum Iudæis in celebratione eius festi cōcurreret, & quò veteris legis sacramenta, velut vmbras, præterijsse demonstraret; atque etiam, vt nouo electo die nouum Pascha, idque priori illo longè melius (nempe sacræ Resurrectionis, qua Dominus noster IESVS Christus à morte ad vitam, eámque beatam & immortalem transijt) appellatis nouo nomine Christianis celebrandum ostenderet. Ita nouus dies nouo paschati dominicus electus est. Quis enim potior? quippe cùm multis alijs nominibus (quæ in S. Theophili Cæsareæ Palæstinæ Episcopi synodica epistola continentur) tum & prima rerum creatione, & læta Domini Resurrectione, velut altera mundi instauratione nobilitatus.

Notandum porrò non duo tantùm fuisse genera eorum, qui diuersè Pascha celebrabant; Quartadecimanorum scilicet, & eorum qui die Dominica post æquinoctiū vernum; sed & tertium exstitisse genus eorum, qui festum stabile fecerant, ita vt semper octauo Kalendas Apriles Pascha celebrarent; quicumque demum is dies esset. In quibus erant, non Galli tantùm, teste V. Beda; sed etiam Cappadoces, teste Epiphanio, hæresi quinquagesima.

Crediderim autem illos certum ac stabilē diem celebrando paschati propterea destinasse, quòd in festi mobilitate plurimas viderent inesse difficultates. Tantæ enim ab initio ad nostram hanc ætatem fuerunt, vt cunctis propemodum sæculis in notando Paschatis die errores interuenerint. Quibus omnibus cura & vigilantia Gregorij 13. Pontificis in emendatione Kalendarij in longissimum aut potiùs in omne tempus subuenit planè diuinitus. Nam anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, ipsius Gregorij & nostro quoque tempore celebrabatur Pascha decimanona Aprilis, cū celebrari debuisset decimaquinta Martij. Quod & Bellarminus annotauit lib. 3 de cultu Sanctorum, cap. 12.

Verùm & multò ante, non obstante omni, & concilij Nicæni, & Pōtificum Romanorū diligentia & sollicitudine, graues in ecclesia occidentali errores varijs sæculis deprehensi sunt. Quorum aliquos annotarūt Paschasinus Lilybetanus Episcopus, Gregorius Turonensis, Venerabilis Beda, Sigebertus, & alij. Ac de illo quidem errore, qui vix vno post Nicænam synodum sæculo contigit, tempore Zozimi Papę, scribit Paschasinus ad Leonē magnum, (epistola est 63 inter epistolas S. Leonis) scribit, inquam, tempore Zozimi Papę ortam quæstionem de Paschate (vtar iam ijs verbis quibus rem longiorem contraxit Bellarminus) *quod Occidentales dicerent Pascha celebrandum illo anno, 25. die Martij, Orientales autem 22. Aprilis. Porrò in quadam ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons diuino miraculo per se repleri*

repleri ipsa nocte Paschatis, quâ Catechumeni baptizandi erant: illo autem anno, cùm ex præscripto Zozimi Pascha ageretur 25. Martij, fons inanis & aridus mansit: deinde 22. Aprilis fons repletus est. Atque ex eo intellectũ est errasse Occidentales in celebratione Pascha. Quale miraculum contigisse etiam anno Domini 573. scribit Sigebertus in Chronico. Siquidem annotauit eo anno fontem baptismalem in Hispania diuinitus impletum fuisse in sabbato veri Paschatis, quod tunc Galli rectè seruabant; Hispani autem male. Ita Bellarminus. Nos ad aliarum rerum notationes recurramus.

n *QVI LICET PARVITATEM MEAM NON IGNORARENT*] Verba illa Polycratis, quæ græcè apud Eusebium lib. 5. cap. 25. ita habent: Οἱ δὲ ἰδόντες τὸν μικρόν μου ἄνθρωπον. sic reddebat Ioannes Christophorsonus: *Qui licet me hominem, cùm persona humilem, tum ingenio pertenui animaduerterent.* Quæ sanè perquam inepta est interpretatio: cùm nulla in græco sit ingenij mentio; nihilque aliud græcè illa Polycratis sonet oratio, quàm latinè illa Hieronymi, epistola LV. ad Riparium: *Sancti Fratres, qui cum nostra sunt paruitate, plurimùm te salutant.* Vbi vox *paruitas*, nihil nisi modestiæ index est. Vnde rectiùs verterat Ruffinus Presbyter: *Qui omnes scientes paruitatem meam.*

o *LVGDVNI ENIM CONCILIVM HABVIT*] Habiti ab Irenæo concilij, super die Paschatis, meminit Eusebius lib. 5. hist. eccl. cap. 22. vbi in recensione conciliorum sic inter alia: Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. *Et ecclesiarum Galliæ* [concilium fuit] *quas Irenæus administrabat Episcopus.* Idem confirmatur è Synodico græco, cuius antea feci mentionem, vbi sic habetur cap. 12. Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ συναθροισθεῖσα ἐν Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας ὑπὸ Εἰρηναίου, τοῦ ταύτης ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου, καὶ ἑτέρων δέκα καὶ τριῶν Ἐπισκόπων, ὁρίσασα ὑπὲρ τοῦ θείου καὶ μυστικοῦ Πάσχα ὁμοίως.

Synodus diuina & sacra prouincialis, collecta Lugduni in Gallia ab Irenæo, sanctissimo eius Episcopo, aliisque tredecim Episcopis, quæ de diuino & mystico Paschate constituit similiter. atque, scilicet, constitutum diximus in concilio Cæsariensi, Palæstinæ à S. Theophilo. Nam de illo ibi proximè actum fuerat.

IEIVNIORVM MAXIMA OLIM IN ECCLESIIS VARIETAS

p *NAM SVNT, QVI VNICO DIE SIBI IEIVNANDVM PVTENT* &c.] Verba sunt S. Irenæi, in epistola ad Victorem Pontificem, quibus scribit non tantùm de die Paschatis fuisse in ecclesia controuersiam; sed etiam de diebus ieiunij ante Pascha. Vt enim in Paschate obseruando; sic & in illis ieiunijs fuisse diuersas diuersis in ecclesijs consuetudines certum est. Iuuat autem ipsa verba Irenæi græca, prout exstant apud Eusebium, libro 5. hist. eccl. cap. 24. in medium adducere. Sic igitur habent:

Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο· οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ καὶ τεσσαράκοντα· ὥρας δὲ ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον, ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν, συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Καὶ οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε, καὶ εἰρηνεύομεν νῦν, πρὸς ἀλλήλους. *Nam sunt, qui vnico die sibi ieiunandum putent: sunt, qui duobus: sunt, qui pluribus: sunt, qui etiam quadraginta.* &c. vt in Vita, cap. 9. suprà.

Diuersitatis ieiuniorum Quadragesimæ meminerunt & alij. De ieiunio quidem vnius diei ante Pascha strictim attigit Epiphanius, hæresi L. numero II. in editione Petauij. Socrates lib. V. cap. XXI. scribit Romæ ieiunium quadragesimæ fuisse triũ hebdomadarum, exceptis dominicis & sabbatis. In Illyrico autem, & tota Græcia, & Alexandriæ, ante sex hebdomadas Paschati præuias solita inchoari ieiunia. Alibi ante septem hebdomadas, licet in ijs tantùm dies quindecim per interualla ieiunarent.

Non placet quidem Baronio, quod de Roma scribit Socrates, tantùm ibi tribus hebdomadis ieiunari solitum: quanto igitur minùs placeret, quod scribit Venerabilis Beda, in libro De æquinoctio vernali, cap. vltimo? *In Italia verò*, inquit, *alij XX. dies ieiunabant: alij septem.*

Sed nimirum distinctio temporum distinxit ieiunia: & qui olim septem dies tantùm ieiunabant, tempore Socratis tres hebdomadas ieiunarunt: & ijdem tempore Gregorij magni (de quo loquitur Baronius) ad triginta sex dies ieiunium produxerunt. Duobus enim ferè sæculis posterior Socrate fuit Gregorius: & tanto tempore multùm potuit Romana pietas crescere. Nam Beda quidem, non de suis, sed de peruetustis loquitur temporibus, Socrates autem de medijs, Gregorius de suis. Ac post Gregorium quidem adhuc increuit non tantùm Romæ, sed toto penè orbe pietas, vt non modò triginta sex dies essent ieiunij, sed etiam quaternis è septima hebdomada adiunctis, solidi quadraginta dies essent ieiunij: quemadmodum hodie per totum ferè orbem obseruatur.

De diebus porrò triginta sex ieiunij quadragesimalis suo vsitatis tempore ita Gregorius homilia 16. in euangelia: *A præsenti etenim die vsque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet*

delicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum sex dies dominici abstinentia subtrahuntur, non plus in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Ita Gregorius.

Non pluribus diebus in Quadragesima ieiunasse Ægyptios temporibus S. Cyrilli Alexandrini Episcopi, hoc est, quinto Christi sæculo, ex eius vndetriginta (quæ hodie exstant) homilijs de festis Paschalibus licet recognoscere. Nam ad extremam quamque & initium Quadragesimæ futuræ prænuntiat, & diem quo finienda sit, declarat. Inter primum diem verò & vltimum ab eo assignatos, non plures quàm triginta sex dies ieiunij reperiuntur. Senas enim tantummodo hebdomadas, siue 42. dies connumeratis vnà dominicis comprehendit, vnde si sex demantur dominicæ, triginta sex dies ieiunij dumtaxat relinquentur. Quod si & dies sabbatorum demendi essent (Nam magna pars orbis non ieiunabat sabbatis, nisi vnico ante Dominicam Resurrectionis, & apud Ægyptios quid in more antiquitus fuerit, liquidum non habeo) tum eorum ieiunium Quadragesimæ tantùm triginta dierum exstitisset. Quale credibile est fuisse Mediolanensium, tempore S. Ambrosij. Nec enim in eius diœcesi ieiunabatur sabbatis, vti nec in toto Oriente: cùm tamen Romæ semper ieiunaretur sabbatis, vti & in Africa. Verba S. Ambrosij, libro *De Helia & ieiunio*, cap. 10. sunt ista: *Quadragesima totis præter sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus: hoc ieiunium, Domini Pascha concludit.*

Quare quod à Baronio ad Christi annum 57. citatur sermo Ambrosij 34. de quadragesima, vbi dicitur: *Quamuis enim abstineat quis certis diebus, quamuis ciborum dulciora alimenta non sumat, nõ tamen illi accepto fertur Quadragesimæ ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat*, illum ego sermonem non censeo esse Ambrosij; aut summum eodem loco habeo quo trigesimum primum, & trigesimum secundum, & trigesimum tertiũ, & complures ibidem alios habet Bellarminus, hoc est, inter dubios, sintne S. Ambrosij, an S. Maximi Taurinensis, in Italia Episcopi, qui vno sæculo posterior fuit S. Ambrosio, & ætate vixit Socratis. Nam videntur ea, quæ ex hoc sermone citata sunt, aduersari ijs, quæ certò constat esse Ambrosij, (nempe illis, quæ de libro *de Helia & ieiunio* superiùs prolata sunt) & fauere etiam aliquo modo ijs, quæ allata fuerunt à Socrate suprà, & à Venerabili Beda. Innuitur enim in eodem sermone 34 fuisse aliquos in Italia, qui alternis tantùm hebdomadis ieiunarent. *Audio*, inquit, *complures, (quod grauius est) fideles alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum*

A *numerum gula intemperanti violare, hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio ieiunare. Quibus hoc dico: cur etiam per illos septem dies fraudem sibi faciant ieiunando, cùm illis ieiunium tale non prosit?*

De his proinde Italis locus Socratis (nam id agebatur eius tempore) intelligi potuisset, vbi agit de trium hebdomadum ieiunio (nam Romam Græci non rarò vsurpant pro
B Italia, sicut aliàs ostendi; & quod in Italia fit, credunt fieri Romæ, & contrà) nisi addidisset Socrates coniunctas hebdomadas ieiunari. Nam illi, quos reprehendit S. Maximus, alternis ieiunabant. Verum & hoc fortasse dici potest, vt multæ in Italia erant diœceses; quemadmodum in aliqua erant, qui tres hebdomadas ieiunarent alternatim; sic fuisse in alia, qui coniunctim.

Verba Socratis libro quinto, cap. 22. in editione græca, sunt hæc:

C *Οἱ μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ, τρεῖς πρὸ τοῦ Πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν. Romani enim ante Pascha tres coniunctim hebdomadas, exceptis sabbato & Dominica, ieiunant.* Quæ verba de ipsa vrbe Roma capi non possunt. Nam S. Augustinus, qui eodem cum Socrate vixit sæculo, expressè scribit Romæ ieiunari solitum sabbatis, etiam extra Quadragesimã,

IEIVNIVM SABBATI ROMÆ.

D Mediolani verò non. Ita enim & de se, & de matre, & de Ambrosio; epistola 118. ad Ianuarium: *Mater mea Mediolanum me consecuta inuenit ecclesiam sabbato non ieiunantem: cœperat perturbari, & fluctuare, quid ageret; cùm ego talia non curabam; sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret; quia si melius nosset, id potius obseruaret. Cùmque ego putassem nulla reddita ratione, auctoritate sola sua nos voluisse admonere, ne sabbato ieiunaremus; subse-*
E *cutus est, & ait mihi: Cùm Romam venio, ieiuno sabbato: cum hic sum, non ieiuno: sic etiam tu, ad quam fortè ecclesiam veneris, eius morem serua; si cuiquam non vis esse scandalo, nec quẽquam tibi. Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cælesti oraculo susceperim.*

Addam & illud, quod ibidem proximè
F subiungit, licet hic nõ prorsus necessarium, tamen multis perutile. *Sensi enim*, inquit *sæpe, dolens & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quæ neque Scripturæ auctoritate, neque vniuersalis ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate, ad certum possunt terminum peruenire (tantùm, quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis; aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia*

ibi

ibi vidit, vbi peregrinationem suam, quo remotiorem à suis, eo doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones; vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. Ita rectissimè Augustinus. Qui & aliam ibidem refert quorundam locorum consuetudinem, vbi nō ieiunatur quintâ sabbati, tempore Quadragesimæ, indicátque eos, qui illuc veniūt, posse etiam, immo debere non ieiunare; & contrà, illos qui veniunt eò, vbi ieiunatur quintâ sabbati, siue quintâ feriâ; etiamsi in patria sua non ieiunaretur, tamen ieiunare debere: propterea quòd locorum consuetudo sequenda sit, nec altera alteri præferenda.

Quod autem suprà attuli de trium hebdomadum ieiunio alibi coniunctim, alibi alternatim, eius meminit quoque Sozomenus libro 7. hist. eccl. cap. 19. sed tacitis locorum nominibus, vbi de varietate in Quadragesima ieiunantium sic scribit: Οἱ μὲν τὶς ἓξ ἑβδομάδας ἡμερῶν λογίζονται, ὡς Ἰλλυριοὶ, καὶ οἱ πρὸς δύσιν, Λιβύη τε πᾶσα, καὶ ἡ Αἴγυπτος σὺν τοῖς Παλαιστινοῖς· οἱ δὲ ἑπτὰ, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τοῖς πέριξ ἔθνεσι μέχρι Φοινίκων. ἄλλοι δὲ τρεῖς σποράδην ἐν ταῖς ἓξ ἢ ἑπτὰ νηστεύουσιν. Οἱ δὲ ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἑορτῆς συνάπτουσιν. *Quidam sex hebdomadas dierum computant* [ieiunij Quadragesimalis] *vt Illyrici, & qui ad Occidentem siti sunt, & cuncta Libya, & Ægyptus cum Palæstinis: alij verò septem, vt Constantinopoli, & in finitimis ad Phœnices vsque nationibus: alij porrò tres sparsim hebdomadas ieiunant, inter illas sex aut septem: alij denique tres ante diem festum coniungunt.*

Ex his omnibus, quę de varietate ieiuniorum Quadragesimę à nobis hactenus allata sunt, clarè intelligitur tempore S. Irenæi nullam fuisse obligationem in ecclesia, quæ cunctos astringeret ad ieiuniorum quadraginta, (vti nūc est per omnem ferè orbem) strictam obseruationem, immo nec Augustini & Hieronymi temporibus, immo nec Gregorij magni ætate: sed potuisse vnumquemque, sectando ecclesiæ suæ consuetudinem intra illos quadraginta dies, vel triginta sex, vel triginta tantùm, vel paucioribus quoque ieiunium absoluere. Secundò, Apostolos non constituisse, nec imperasse certum dierum numerū, verbi gratia, quadraginta: sed tantùm commendasse promulgato vtcumque euangelio, vt fideles, Christi imitatione (qui quadraginta dies ieiunus peregerat) ipsi ante Paschale tempus pro suæ quisque pietatis affectu ieiunijs se dederent. Nam si certum dierum numerum imperassent, scriptóue aut dicto expresso tradidissent; tùm nec licuisset tali imperio, traditioniue contrauenire; nec tanta esse potuisset tam multis in eccle-

A sijs ieiuniorum diuersitas.

Hinc S. Augustinus agens de ieiunio sabbati, *Quibus autem diebus*, inquit, *nos oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum, non inuenio definitum.*

Christus proinde & Apostoli nouos Christianos non præcepto ad ieiunia adegerunt, sed exemplo tantùm præiuerunt: & hi quidem valde cauerunt sub ecclesiæ na-
B scentis initia, ne quid arduúm aut difficile Christianis imponerent; vt ne scilicet acerbum illis Christi iugum appareret, quod ipsemet Christus suaue esse prædicabat: & ne onus graue videretur, quod futurum leue asserebat, cùm diceret: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum*
C *enim meum suaue est, & onus meum leue.* Hinc & illa in Actis, cap. decimoquinto, versu 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis, valete.*

Matthæi cap. 11. vers. 29.

Et sanè si Gentibus carni & sanguini assuefactis Apostoli statim ab initio quadraginta dies imperassent ieiunij, & talem,
D qualis nunc est, à certis cibis abstinentiam præcepissent; an non ipsi satis graue onus, immo & longè grauissimum reputassent? Nam vel ex hodiernis Christianis, (quorum non pauci etiamnum gemunt sub onere) fieri potest huius rei coniectura. Faciunt quoque ad hoc propositum illa Hieronymi aduersus Iouinianum, libro primo, sub medium verba aptissima: *Denique*, inquit, *& Apostoli, & Seniores, de Hierosolymis litteras*
E *mittunt, vt non amplius imponatur oneris his, qui de Gentibus crediderunt, nisi vt abstineant se ab idololatria, & fornicatione, & à sanguine, & à suffocato: & quasi paruulis & infantibus lac potum dant, non solidum cibum: nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate significant, nec ad ieiunia prouocāt.* &c. Quare quod alibi Quadragesimam refert ad traditionem Apostolicam, nō ita accipiendum est, quasi Apostoli dies 40. præceperint, mini-
F mè gentium; sed quòd ipsorum tēpore ab aliquibus Christianis in memoriā & honorē Christi Domini, qui dies 40. ieiunauerat, ieiunari ex pietate voluntaria tot diebus cœptū sit. Quod autē pietas induxit, sensim consuetudo roborauit: serò præceptū constrinxit. De consuetudine sic S. Augustinus epist. 119. cap. 15. *Nam vt quadraginta illi dies ante Pascha obseruentur, Ecclesiæ consuetudo roborauit.* Huc etiam spectat illud eiusdem B. Augustini, epistola 118. ad Ianuarium, vbi ante-

antequam de ieiuniorum in ecclesia varietate, alijsque diuersis consuetudinibus disputationem inchoet, *Primò itaque*, inquit, *tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ leui. Vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit: sicuti est baptismus, Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* &c.

Fuisse autem aliquo in vsu Quadragesimam tempore S. Ignatij Theophori, nullum habemus, quàm ipsiusmet antiquius testimonium, quod quidem certum sit. Nã Canones & Constitutiones Apostolicas etiam ipse Baronius reijcit inter apocrypha, dum ait: *Esset & de his adducendus conscriptus Apostolicus Canon, & à Clemente recensita Apostolica Constitutio, quæ à Patribus magnæ æstimationis citata reperitur: sed ne inniti videamur apocryphis, satis superque sit, ac veluti instar omnium vnus Ignatius.*

Sic ergo S. Ignatius, in epistolo ad Philippenses: Τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε· μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ κυρίου πολιτείας. *Quadragesimam ne pro nihilo habeatis. Continet enim imitationem conuersationis Domini.*

Quæ verba non præceptionem sonant, sed cohortationem. Verùm exinde vsus inualuit in consuetudinem, consuetudo in legem, lex in obseruationem, obseruatio in gratiæ meritum, obseruationis cõtemptus in delicti supplicium.

Constat porrò illos, qui exemplo, hortatúque Ignatij ieiunium seruabant Quadragesimæ, non totos 40. dies continenter ieiunasse, sed tantùm aliquos intra illud spatium: siquidem ipse Ignatius (quod est ex suprà dictis certissimum) nec sabbatis, nec Dominicis ieiunabat. Quin & eos, qui id faciebant, maiorem in modum execrabatur, & Christicidis comparabat.

Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν. *Si quis* inquiebat, *Dominica die, vel sabbato ieiunat, vno excepto sabbato, hic est Christicida.*

De ijsdem duobus diebus, quibus non ieiunabatur, vide S. Chrysostomum, homilia XI. in Genesim, vbi dicit illos duos dies inter ieiunia Quadragesimæ, velut ad respirandum esse datos.

Nota autem illud sabbatum vnicum, quo licebat ieiunare, fuisse sabbatum Paschalis vigiliæ. Quod liquidò constat è verbis S. Augustini ad Hieronymum. *Vellem*, inquit, *me doceret benigna sinceritas tua, vtrũ simulatè quisquam sanctus Orientalis, cùm Romam venerit, ieiunet sabbato; excepto illo die*

A *paschalis vigiliæ*. Sic ille in epist. 97. inter epistolas S. Hieronymi.

Fuit eiusdem S. Augustini ætate non nemo nimis doctrina vanus, & linguâ præceps, & moribus arrogans, qui ieiuniorum se patronum faciens, valde eos contemnebat, qui sabbatis non ieiunarent, tametsi etiam omnibus alijs diebus præter sabbatum & dominicum ieiunarent: quem ipse Augustinus in epistola LXXXVI. Casulano, condignè meritis arguit, & sabbatum à ieiunio excipi non solùm in Orientalibus, sed etiam in Occidentalibus ecclesijs (Romanâ & paucis alijs exceptâ) cõdocet. *Ista dicens*, inquit, *& à frequentia ieiunandi solum diem dominicum excipiens, non tantùm Orientis & Occidentis populos Christianos (in quibus sabbato nemo ieiunat) verùm & ipsam Romanam ecclesiam improuidus & incautus accusat.* Et paullò post: *Videant ergo Romani, quid agant: quia etiam ipsi nimium contumeliosè huius disputatione tractantur, apud quos omnibus istis sex diebus (præter paucissimos clericos aut monachos) quotusquisque inuenitur, qui frequentet quotidiana ieiunia? maximè, quia ibi ieiunandum quinta sabbati non videtur.*

Et quod idem magnus ieiunator (vti ipse eum Augustinus irridens appellat) vellet inter sabbatum & Dominicum ponere discrimen quantum ad ieiunium, vt in illo seruaretur ieiunium, & in hoc non, *Præponitur*, inquit vir sanctus, *dies dominicus sabbato, fide resurrectionis, non consuetudine refectionis, aut etiam vinolentæ licentia cantionis.* id est, etiamsi excipiatur sabbatum à ieiunio, sicut & dies dominicus; non deerit tamen aliud, quo dies dominicus præferri possit sabbato, nempe fides resurrectionis, & læta eius memoria in hymnis & canticis spiritualibus.

Denique, vt hoc de Quadragesimæ ieiunio argumentum concludamus, quędam de illo certa sunt, quædam incerta.

Certa sunt hæc: primò, originem eius & exemplum à Christo esse, & ab Apostolis.

Secundò, nec à Christo, nec ab Apostolis præceptum esse, sed ab his commendatum, & eorum tempore citra vllam legem, pro cuiusque pietate ac deuotione cœptũ à Christianis variè obseruari: ab alijs vnum diem, ab alijs vnam hebdomadam, ab alijs plus, ab alijs minus, crescente sensim pietate obseruantibus.

Tertiò, Ieiunandi consuetudinem, processu temporis, vigorem legis assumpsisse, & lethalis peccati pœna obligasse, iuxta cuiusque diœceseos receptam, & ab Episcopis approbatam consuetudinem.

Quartò, Quadragesimam non à nostro, sed à Christi ieiunio denominatam: cùm nostra serò habere cœperit dies 40. ieiunij: sed

ſed tamen, quia noſtra ieiunia in illius quadragenarij honorem ſeruabantur; ideo ſic vocata ſunt, & vocantur.

Quintò, Quadrageſimæ ieiunium (vti ex dictis conſequitur) non diuini iuris eſſe, ſed humani.

Itaque ſemper fuit, éſtque etiamnum in poteſtate ſummi Pontificis, de hoc ieiunio, eiúſque more & obſeruantiâ, (quemadmodum & de alijs omnibus ieiunijs) pro ſuæ prudentiæ moderamine diſponere.

Incerta ſunt autem hæc:

Primò, Quandónam conſuetudo ieiunandi quadrageſimam, (ſiue eam, quæ 40. dies continet ieiunij, ſiue quæ 36. tantum, ſiue quæ pauciores) obligare cœperit generaliter, ita vt mortiferæ eſſet culpæ obnoxius, qui à recepto more citra cauſſam recederet.

Secundò, Quis ſummorum Pontificum, legem primus tulerit, de ſeruando quadrageſimæ ieiunio, ſaltem ſecundùm cuiuſque morem prouinciæ. Nam quòd fuerit Teleſphorus Papa, nimis leuis eſt Anaſtaſij bibliothecarij auctoritas; nec ſententia, quæ tribuitur Euſebio, eſt Euſebij; ſed ex Anaſtaſio potiùs deriuata in Euſebium, hoc eſt, in Chronici Euſebiani vitioſam editionem: quæ & ſæpe aliàs, & hîc quoque fraudi fuiſſe Baronio deprehenditur. Ea eſt editio Baſileenſis per Henricum Petri, anno M. D. LIX. vbi ad 17. annum Hadriani Imp. & Chriſti 136. ſic notatur: *Quadrageſimale ieiunium à Teleſphoro, per hoc tempus inſtitutum ac præceptum quidam ſcribunt*. Quæ verba nec in græcis ſunt exemplaribus, nec in latinis manuſcriptis optimè notæ plurimis. Vide Aubertum Miræum, apud quem illorum verborum nec vola, nec veſtigiũ. Vide etiam Arnaldum Pontacum, apud quem diſtincto charactere propterea conſignantur, vt tanquam adulterina eliminentur. Hunc Arnaldum Pontacum ſi cõſulueris ad annum Domini 135. plenè tibi faciet ſatis.

Quare non erat cauſſa, cur laboraret Baronius ad dictum Chriſti annum, pro interpretandis Euſebij verbis, cùm ipſa non ſint Euſebij.

Tertiò, Quandonam deſierit in vrbe Romana ieiunium quadrageſimæ eſſe 36. dierum quod erat (vti etiam ipſe notauit Baronius) tempore Gregorij magni Pontificis, hoc eſt, ſub annum Domini ſexcenteſimum.

Quartò, Quando cœperit, vt nunc eſt, toto penè orbe terrarum inchoari à feria 4. poſt quinquageſimam, & per continuos 40. dies, exceptis dominicis, ad paſcha vſque perduci.

Ex his autem fit manifeſtum matrem

A noſtram Eccleſiam à paruis & imperfectis cœpiſſe, ac ſenſim ad maiora ſemper atque perfectiora, (quantum quidem ad ordinem & vniformitatem attinet) tetendiſſe. In eo item humanam ac moderatam fuiſſe, quòd ſolum eos legibus obligare ieiunij intenderit, quos conſtaret ſine magna corporis, aut animi, aut fortunarum incommodo, aut etiam ſine maioris boni impedimento poſſe ieiunium obſeruare. Ita nec iuuenes vl-

B los ante 21. ætatis annum, nec ſenes poſt ſexageſimum adſtringit. Neque itidem infirmos, debiles, pauperes, prægnantes, lactentes, peregrinantes, arte valde laborioſa victitantes, operibus denique maioris momẽti, quibus officeret ieiunium, vacantes.

q HÆC QVE ADEO IEIVNII DISCORDIA, FIDEI COMMENDAT CONCORDIAM] Græcè: Καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. Planè

C eodem ſenſu.

Notanda eſt autem hæc ſententia, & à ieiunio ad alias in eccleſia ſimilium in feſtis diebus aut cærimonijs conſuetudinum diuerſitates extendenda. Valde enim fidei commendat veritatem, inter tot populorum mores diuerſiſſimos, & tantam conſuetudinum circa feſta & cærimonias varietatem, omnes in ijs, quæ ſunt fidei, tam conſentientes, támque vnanimes reperiri,

D quàm ſi vnius, eiuſdémque eſſent priuatæ domus, ac familiæ. Hinc S. Hieronymus à Lucinio interrogatus de ſabbatino ieiunio, & quotidiana communione, ita reſpondit: *De ſabbato, quod quæris, vtrum ieiunandum ſit? & de Euchariſtia, an accipienda quotidie? (quod Romana Eccleſia, & Hiſpania obſeruare perhibentur) ſcripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſimus, & carptim diuerſi Scriptores è varijs Auctoribus edidere: ſed ego illud te breuiter ad-* SABBATI IEIVNIVM. EVCHARISTIA AN QVOTIDIE SVMENDA?

E *monendum puto, traditiones eccleſiaſticas, (præſertim, quæ fidei non officiant) ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare poſſemus? quod in Actibus Apoſtolorum, diebus Pentecoſtes, & die Dominico, Apoſtolum Paullum, & cum eo credentes feciſſe legimus.* &c. Et paullò poſt: *Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiu-*

F *nandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam: ſed vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo; & præcepta maiorum, leges Apoſtolicas arbitretur.*

Quam poſtremam partem addidiſſe videtur Hieronymus propter eos, qui omnes ſuas conſuetudines eccleſiaſticas ad tempora referunt Apoſtolorum, & vocant traditiones Apoſtolicas. Multa quidem tradiderũt Apoſtoli, ſed multa quoque, ac multò etiam plura, Apoſtolorum diſcipuli, & Pontifices Romani. Quorum conſtitutiones

nes & traditiones etiam Apostolicæ appellantur, quòd à potestate veniant Apostolica.

Nota hîc obiter Marianum Victorium in suis scholijs, ad illa Hieronymi verba; *Atque vtinam omni tempore* &c. dum quærit, quando Paullus, aut alij Apostoli ieiunarint diebus Pentecostes, aut dominico; non rectè adferre exemplum Petri, ex Actis cap. 2. Tum enim necdum erat constituta Christianorum Pentecoste, de qua loquitur Hieronymus; deinde rationem, quā adfert ad probandum ieiunasse illo die S. Petrum, & alios credētes; quòd sub horam diei tertiam nondum comedissent, nihil prorsus valere. Nam illîc hora diei tertia, est hora tertia ab ortu solis; in qua si quis nihil adhuc comederit, non propterea dici potest ieiunasse: iam autem videtur Marianus accepisse horam tertiam, pro tertia pomeridiana, in qua acceptione nulla esset in verbis S. Petri vis aut defensio, dum dicit: *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.* Posset enim aliquis tertiâ pomeridianâ esse ebrius: sed horâ orti diei tertiâ, vt Petrus accipit, non solet hoc contingere.

MARIANI VICTORII QVÆDAM HALLVCINATIONES.

Actor. 2. ver. 15.

Exempla itē, quæ adfert de ieiunio Paulli, & aliorum fidelium, è cap. 13. Actorum, vbi iubet Spiritus sanctus segregari Paullum & Barnabam in opus, ad quod assumpsit eos, non sunt commoda; cùm non constet id accidisse, nec in diebus Pentecostes, nec in dominico: sed potiùs videtur Hieronymus respexisse ad caput 21. Actorum, vbi Paullus vnà cùm alijs 4. credentibus, propter votum Nazaræorum, intra dies Pentecostes, hoc est, inter Pascha & Pentecosten (tunc enim id fiebat) ex voto abstinuit, & caput rasit, & sacrificia obtulit.

CAPVT XII.

Hic Seueri Imp. persecutio, & S. Irenæi gloriosum martyrium describitur.

Duo Afri hoc tempore omnia dirigebāt, Victor ecclesiam, Seuerus orbem, ingenij vterque vehementis, & spiritus feruidi; sed Victor Dei honorem spectabat, Seuerus suum. Ille igitur voti potitus est, & potitur: hic suo in æternum excidit, & perijt.

De vita & moribus Seueri scripserunt è Græcis duo præcipuè, Dio & Herodianus; è Latinis autem Spartianus, Aurelius Victor, aliique complures.

a *ET SVB INITIA QVIDEM IMPERII*, &c.] Asperum in alios fuisse initio imperij, mitem verò in Christianos, indicat Tertullianus, in lib. Ad Scapulam, cap. 4. *Ipse etiam Seuerus*, inquit, *pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euodi procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisiuit, & in palatio suo habuit vsque ad mortem eius, quem Antoninus optimè nouerat lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas feminas, & clarissimos viros Seuerus sciens huius sectæ esse, non modò non læsit; verum & testimonio exornauit, & populo furenti palàm in os restitit.*

Bene intellexit & emendauit hunc locum Baronius ad annum Christi 195. cùm antea legeretur *Eubodea procuratorem*, pro *Euodi*.

b *ET CHRISTIANOS PERÆQVE ET IVDÆOS INFESTARE.*] De horum infestatione testis est Spartianus in Seuero, vbi ita de illo: *Iudæos fieri sub graui pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit.*

c *QVOD SVB ANNVM EIVS IMPERII DECIMVM.*] Tali anno assignat persecutionem Eusebius in Chronico, vbi sic græcè ad eum annum: Λεωνίδης Ὠριγένους πατὴρ ἐμαρτύρησεν διωγμοῦ γεγονότος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. *Leonides, Origenis pater, martyrium obijt orta Alexandriæ persecutione.* Hieronymus autem sic vertit: *Persecutione in Christianos facta Leonides Origenis pater gloriosa martyrij morte transfertur.*

d *SEXTA HÆC FVIT PERSECVTIO.*] Auctorem sequor Sulpitium Seuerum, lib. 2 sacræ historiæ, & ipsorum martyrum sub his sex Imperatoribus longe frequentiora, quam alias certamina, nempe sub Nerone, sub Domitiano, sub Traiano, sub Hadriano, sub M. Aurelio Antonino, sub Seuero. De quibus omnibus actum singillatim suis locis. Vocatur tamen quinta ab Orosio & Augustino, sed demunt illi è persecutoribus Hadrianum, qui tamen satis grauiter Christianos est persecutus; licet postea Christianorum apologijs emollitus destiterit. Contrà Sulpitius Seuerus, qui distinctè omnes numerat, & persequitur, *Sexta deinde*, inquit, *Seuero imperante, Christianorum vexatio fuit.*

e *VT ISTORVM SCRIPTOR TEMPORVM IVDAS CHRONOGRAPHVS.*] De illo vide Eusebium l. 6 hist. cap. 6. & Hieronymum *De illustribus ecclesiæ Scriptoribus*, cap. 52. *Iudas*, inquit, *de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissimè disputauit, & chronographiam superiorum temporum vsque ad decimum Seueri perduxit annum. In qua erroris arguitur: quòd aduentum Antichristi circa sua tempora futurum esse dixerit. Sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum præsentem mundi minabatur occasum.* Ita Hieron.

f *NAM ILLI ALIQVANDO SIMVL CVM ZACHARIA.*] Confirmantur hæc è Manuscripto vetere Lugdunensis ecclesiæ.

siæ. Vide Iacobum Seuertium De Lugdunensibus Archiepiscopis parte 1. cap.3.

ANNOS NATVS SALTEM OCTOGINTA QVATVOR] Nam ab Hadriani primo, (quo circiter tempore creditur natus) ad Seueri Imp. decimum vel vndecimum, hoc est, à Christi 120. ad 204. aut 205. (ad quem refertur à Baronio eius martyrium) tot circiter intercedunt anni.

Constat autem inter antiquos & probos Auctores, sub Seuero Imp. defunctum esse martyrio Irenæum.

Ado Viennensis ætate 6. de Seueri agens temporibus, & orta sub illo persecutione, in qua Leonidem patrem Origenis, & B. Clementem Alexandrinum fuisse coronatos scribit, (sed de Clemēte aliàs videbitur) subiungit hæc verba: *Tunc temporis & Irenaus Lugdunensis, cum maxima multitudine martyrium suum perfecit*. Idem canunt & martyrologia.

Itaque crassus Ioannis Vasæi error corrigendus est, qui in suo Hispaniæ chronico, Seueri persequens tempora, Irenæum sub M. Antonino Vero obijsse scribit, dicitque manifestum esse ex Hermanno Contracto. Verùm vterque proinde eadem opera corrigendus est. Non fuit enim hic credendum Hermanno, sed illic potiùs, vbi idem ipse Hermannus viginti vno post annis, hoc est, ad octauum Commodi Imp. annum, qui M. Antonino successit, ita notat: *Irenaus Lugdunensis Episcopus, & alij Doctores claruerunt.*

Hoc enim est verum & conforme Eusebio; sed mortuum esse viginti antè annis, eóque ampliùs, quàm claruisse dicatur (id quod à Contracto dictum est) simile est somnio. Corrigendus itidem est Adolphi Occonis ex illis iam nominatis fortè deriuatus error, in codice Numismatum, ad M. Aurelium Antoninum, pag. 274. editionis secundæ Augustanæ, dum scribit in persecutione M. Antonini & Lucij Veri Polycarpum in Asia, Irenæum in Gallia, alibi alios esse excruciatos. De Polycarpo enim & alijs verum est, de Irenæo autem nequaquam. Quippe qui non sub Vero Imp. sed sub Seuero mortem oppetijt.

h INTER DVOS COLLES, QVORVM IN VNO FIXA CRVX &c.] Idem refert Auctor libri de ætatibus mundi, in 6. ætate, folio CXVI. vbi sic: *Ireneus, Lugdunensis Episcopus, vir doctissimus, tam grandauus, apud eandem vrbem, pro Christi nomine martyr efficitur*. Et paullò post ita subiungit: *Demum vero sæuiente hac persecutione, à Seuero positus inter duos colles, cùm in vno Crucem, in alio idolum posuisset, vt mortem per Crucem, vel vitam per idolum eligeret, cum populo tamen ad Crucem venit: & omnes martyrio coronati sunt 4. cal. Iulij.* Campegius autem tenet in colle Foriuliano fuisse capite truncatum. Alij Latini Scriptores martyrij genus non exprimunt. Græci autem in Menæo, (quemadmodum præmisi suprà, cap. 16. vitæ) capite truncatum disertè asseuerant.

i IPSE NON VNO GENERE SVPPLICII &c.] De varijs Irenæi supplicijs ita speciatim Gregorius Turonensis, lib. 1. historiæ, cap. 29. *Beatum Irenæum, diuersis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicauit.*

Vetustissimus item manuscriptus ecclesiæ Lugdunensis apud Seuertium hæc depromit: *Cùm tempore gentilitatis, persecutio Seueri Imp. in dicta Lugdunensi ciuitate insaniendo debaccharetur, ac interfectis ibi decem & nouem virorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, longo atque gloriosissimo coronatus martyrio, tandem hostia Christi factus est. Sepultus à Zacharia Presbytero in crypta basilicæ beati Ioannis Euangelistæ sub altari, quæ in colle, antiquo musiui & auri puri opere extructa est: cui corpori ab vno latere Epipodius, ab altero Alexander est tumulatus.*

Sic hisce verbis nouo typo dignis (ita loquitur Seuertius) *habet vetustus manuscriptus ecclesiæ S. Irenæi in lucem non editus: quem hactenus superstitem & incolumem librum nos ipsi legimus ereptum ex basilicæ ruinis, & capta vrbe à Caluinistis hoc nostro sæculo. Ecclesiasticæ cuius historiæ partem dumtaxat exscripsere Gregorius, Episcopus Turonensis, Beda, ac Petrus citatus, absque vlla chronici ratione.* Hæc Seuertius.

Vtinam autem plena Acta martyrij S. Irenæi & sociorum nancisci potuissemus! & quod scripsit Baronius in Notis martyrologij, ad 28. Iunij, verum esset! Sic enim scripsit: *Habemus in nostra bibliotheca, tomo 9. Acta martyrij S. Irenæi ac sociorum eius. Est illorum exordium: Quanquam nonnullis inuicta &c. sed (quod non mediocriter dolemus) vnâ sublatâ paginâ sunt imperfecta.* Ita ibi.

Verùm in tomo 2. Annalium (qui tomus editus est post martyrologij Notas) dictum reuocat, cùm ita scribit ad annum Christi 205. *Exciderunt Acta passionis eius: hac tantùm de eo reperimus; nempe eiusmodi sub Seuero excitata persecutione, eiusdem Imp. iussu circumdatam militibus Lugdunensium ciuitatem, omnésque in ea repertos Christianos gladijs obtruncatos.* Hæc Baronius.

k CHRISTIANI FLVENTA SANGVINIS.] Gregorius Turon. loco suprà citato, de hac agens persecutione, *Sed veniente*, inquit, *persecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit: & tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem dominici nominis est iugulata; vt per plateas flumina currerent de sanguine Christiano: quorum nec numerum,*

rum, nec nomina colligere potuimus. Dominus A *enim eos in libro vitæ conscripsit.*

Ita vno fere pòst sæculo Antādrus, Phrygiæ ciuitas, cùm tota esset Christiana, (quasi Phryges ipsi antiquos imitari amicos Gallos vellēt) tota quoque Maximino imperante occidi, incendi, obrui maluit, quàm Christo derelicto victimas Dijs non Dijs indebitas immolare. Vide huius rei testem Eusebium lib. 8. hist. cap. 23.

l INTER SS. EPIPODII ATQVE ALEXANDRI &c.] Ibi sepultum fuisse Irenęum B à Zacharia Presbytero, hîc paullò antè è manuscripto deprompsimus. De ijsdem SS. Epipodio & Alexandro vide Surium, tomo 2. ad 22. Aprilis, & ad 24.

m *ILLIC AVTEM TANTA EIVS VENERATIO* &c.] De hac veneratione scripsit ad me ex ipsa vrbe Lugduno noster Antonius Grenu piæ memoriæ, æqualis & contubernalis olim meus, tunc autem sacræ C Theologiæ ibidem Professor, quam & hîc Duaci antea professus fuerat, vir optimus sane ac doctissimus. Magnam igitur partem eorum, quæ de beati Irenæi sacris reliquijs hîc adfero, eius acceptam diligentiæ refero: qui & præsens studiose perquisiuit, & de quibus cum viris primoribus cōtulit, ac præsertim cum Amplissimo D. Gaspare à Mornieu, Regio Consiliario in Curia præsidiali & præfectura Lugdunensi, cuius ô si meditatum opus in lucem & in nostras manus aliquando veniat! Audio enim ex eiusdem sodalis mei litteris, meditari eum historiam ecclesiasticam rerum in tota Gallia præclarè gestarum.

n *ANNVS ERAT A DOMINI NATALITIIS 1562* &c.] Hunc annum annotat Seuertius, parte 1. de Lugdunēsibus Archiepisc. num. 2. qui istam vrbis direptionem ita accidisse scribit, vti notauimus, adscripto etiā die. Sic enim retulit in marginem: *Die Iouis, penultima Aprilis, 1562. me Auctore tres annos ferè nato.* Ita Seuertius.

Quæ autem tunc designasse hæreticos scribo, liquent etiam tum ex historijs huius æui nō paucis, tū e Feuardentio in breui eiusdem S. Irenæi vitā ipsius libris præfixā.

o *EST IGITVR HODIEQVE ILLVD SACRVM CIMELIVM*] De hoc ita idem Seuertius loco suprà citato: *Caput ipsius S. Irenæi tandem repertum apud prophanum & abditum quendam locum honorificè nostris diebus allatum est in cathedralem basilicam S. Ioannis Baptistæ.*

Idem porrò (qui suprà) Antonius Grenu in litteris ad nostrum Ambrosium Siluium suum olim & meum Duaci superiore Lugduno datis 15. Ianuarij 1620. ita perscribit: *Interim et indices,* inquit [mihi scilicet indicatum id volebat] *exstare etiamnum integrum magni Irenæi cranium, quod hesterno die hisce oculis vidi, & eā, qua par est, deuotione complexus sui.* Sic ipse suam erga sacras tanti Episcopi ac Martyris Reliquias pietatem ac religionem, vti decebat, professus: ego autem ad mentem meam suaui talium Dei seruorum memoria reficiendam, (de me præsertim in re sancta bene meritorum) ista hîc adiuncta volui.

CAPVT XIII.

Agitur in eo de præcipuis S. Irenæi discipulis.

a FERREOLVS PRESBYTER ET FERRVTIO DIACONVS] Exstant Acta martyrij illorum apud Surium tomo 7. Iunij 16. & tomo 2. Aprilis 23. Vide etiam Rabani martyrologium. Horum non dies tantùm natalis ad 16. calendas Iulij, (vt in vitā notaui hoc capite) sed etiam inuentio celebratur ipsis Nonis Septembribus, vt in Vsuardo ibidem additum legimus his verbis: *In Gallijs ciuitate Vesontionum, inuentio beatorum martyrum Ferreoli & Ferrutionis à beato Aniano, tempore Iuliani Imper. vbi operante Domino multa virtutes facta sunt.* Ita ibi. Earum porrò virtutum meminit Gregorius Turonensis lib. 1. miraculorum c. 71. vbi sororis suæ virum deploratę valetudinis folio saluiæ, quod ad horum sanctorum sepulchra honoris ergô sparsū fuerat, aqua diluto & epotato mox reualuisse scribit. D Vide ibi fusiùs. Fuit in Viennensi diœcesi cœnobiū S. Ferreoli honori dedicatum, in quo eius ossa seruabantur, & magno in honore erant. S. Clarus Viēnensis presbyter, eius sancti allegato ad Deum nomine, periculo naufragij tum adhuc puer ereptus est. Vide S. Clari vitam apud Surium. tomo 1. Ianuarij 1.

b FELIX PRESBYTER, FORTVNATVS, ET ACHILLEVS DIACONI] De horum E S. Irenæi discipulorum missione ad vrbem Valentiam egi suprà cap. 10. vitæ, & in Notationibus ad idem caput.

c QVI A MAGISTRO PRÆSVLE VALENTIAM ALLOBROGVM] Istam Valētiam intelligi patet, tum ex Actis martyrij, tum ex Romano, alijsque martyrologijs. Quare errat Vasæus in Chronico, qui de Valentia Hispaniæ intelligit, cum ita scribit ad annum Domini ducentesimum. *Hoc* F *anno aut circiter mota est in Christianos quinta persecutio, in qua Felix Presbyter, Fortunatus, & Archilochus Diaconi, à beato Irenæo Lugdunensi Episcopo, ad prædicandum Valentinis in Hispaniam missi, sub Præside Cornelio, pro fide Christi & prædicatione euangelica, post nō æstimandos cruciatus, securi sunt percussi, quòd ciues essent Romani.* Corrige, vt dixi, *Achilleus.*

CAPVT XIV.

De libris & scriptis S. Irenæi.

SCriptorum S. Irenæi catalogus recensitus

ſitus eſt ſuprà & probatus: ſed nonnullorum hic de iiſdem iudicia ad maiorem ipſorum notitiam & confirmationem proferenda ſunt. Nullorum porrò quàm Euſebij Cæſarienſis & Photij Conſtantinopolitani, (cùm librorum quidem cenſura agitur) maior auctoritas & exactius eſt iudicium. Quorum proinde amborum ipſamet græca verba cum latina è vicino interpretatione proponenda cenſui. Ordiemur ab Euſebio.

Verba Euſebij lib. 5. hiſt. eccleſiaſticæ cap. 7. editionis græcæ, & 6. latinæ De quinque Irenæi libris aduerſus hæreſes.

Hæc Irenæus congruenter ijs, quas antè enarrauimus, hiſtorijs ſubſcribens, in ijs libris, quos quinque numero, *De falsò cognominatæ ſcientiæ refutatione & euerſione* inſcripſit.

Ταῦτα ὁ Εἰρηναῖος ἀκολούθως ταῖς προδιεξοδευθείσαις ἡμῖν ὑπογράψας ἱστορίαις, ἐν οἷς ἐπέγραψε πέντε οὖσι τὸν ἀριθμὸν, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

Ecce igitur teſtimonium de quinque libris qui etiamnum ſuperſunt, & de eorum inſcriptione: quamuis (vt aliàs dixi) à poſterioribus Auctoribus, ſpectato potiùs librorum argumento, quàm parentis ipſius appellatione, & inſcriptione, *Libri aduerſus hæreſes* ſint nominati. Sic enim ſæpe, & Euſebius ipſe, & alij vulgò appellarunt.

Quòd autem vera & prima ipſius Auctoris inſcriptio fuerit ea, quæ modò poſita eſt ab Euſebio; patet ex ipſis Irenæi verbis, non vno in loco, ſed pluribus; vti & ipſa veteris interpretis verſio indicat. Sic enim in præfatione libri ſecundi ait: *In primo quidem libro, qui ante hunc eſt, arguentes falſi nominis agnitionem* &c. haud dubium quin græcè fuerit: ἐλέγχοντες τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν. Et paullò pòſt ibidem: *Quapropter quòd ſit detectio & euerſio ſententiæ ipſorum, operis huius conſcriptionem ita titulauimus.* Et in præfatione libri 4. *Hunc quartum librum, dilectiſſime, tranſmittens tibi operis, quod eſt De detectione & euerſione falſæ cognitionis.* Et ad finem libri 4. extremo capite: *Integrum tibi opus,* inquit, *exprobrationis & euerſionis falsò cognominatæ agnitionis, præſtante Deo, præbebimus, & nos ipſos, & te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.* Sic ibi.

Vnde primò, & ex ſuperioribus quoque Euſebij verbis, patet quinque tantùm fuiſſe de eo argumento libros.

Secundò inſcriptionem ab Euſebio ſuprà poſitam eſſe veram. Quod enim in eo eſt: ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς, hoc vetus interpres vertit, *exprobrationis & euerſionis.* meliùs autem dixiſſet: *refutationis & euerſionis.* Et quod eſt in eodem τῆς ψευδωνύμου γνώσεως vertit, *falsò cognominatæ agnitionis.* Sicut & in præfatione libri V. *In hoc,* inquit, *libro quinto, qui eſt de traductione operis vniuerſi & euerſione falsò cognominatæ agnitionis,* &c.

Ex his quinque libris multa citat Theodoretus, & alij; plura Euſebius, plurima Epiphanius, nec multo pauciora S. Ioannes Damaſcenus, quæ idcirco ſuprà poſuimus, quia nunquam antehac græcè edita. Theodoretus quidem in tribus dialogis, & in libris hæreticarum fabularum, Euſebius autem libro 5. hiſtoriæ potiſſimùm, & his præcipuè tribus capitibus. 6. 7. 8. de quibus ſuprà: nunc tantùm ipſius Euſebij, de libris eiuſdem Irenæi teſtimonia proferam.

Verba Euſebij lib. 5. hiſt. eccleſiaſticę cap. 19. vbi mentionem facit.

Epiſtolę ad Blaſtum:
Epiſtolæ ad Florinum:
Libri de Ogdoade.

Ex aduerſo autem, inquit, multis, qui Romæ erant, ſanam eccleſiæ legē deprauantibus diuerſas Irenæus componit epiſtolas. Vnam quidem, quam inſcripſit *Ad Blaſtum de ſchiſmate.* Alteram autem, *Ad Florinum de monarchia,* ſiue, Quòd Deus non ſit malorum auctor.

Ἐξ ἐναντίας δὲ τῶν ἐπὶ Ῥώμης τὸν ὑγιῆ τῆς ἐκκλησίας θεσμὸν παραχαραττόντων Εἰρηναῖος διαφόρους ἐπιστολὰς συντάττει, τὴν μὲν ἐπιγράψας πρὸς Βλάστον περὶ σχίσματος, τὴν δὲ πρὸς Φλωρῖνον περὶ μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν θεὸν ποιητὴν κακῶν.

Huius enim ſententiæ videbatur hic eſſe propugnator: propter quem in Valentini errorem denuo ſubattractum, liber de Ogdoade eſt ab Irenęo conſcriptus: quo in libro & hoc ſignificat, ſe nimirum primā Apoſtolorum ſucceſſionē proximè attigiſſe. Ibi ad finem eius operis, cùm ipſius gratioſiſſimam inuenerimus conteſtationē, illā

Ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης οὗτος ἐδόκει προασπίζειν, δι' ὃν αὖθις ὑποσυρόμενον τῇ κατὰ Οὐαλεντῖνον πλάνῃ καὶ τὸ περὶ ὀγδοάδος συντάττεται τῷ Εἰρηναίῳ σπούδασμα· ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν Ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν. Ἔνθα πρὸς τῷ τέλει τοῦ συγγράμματος χαριεστάτην αὐτοῦ σημείωσιν εὑρόντες ἀναγκαίως καὶ ταύτην τῇδε κατα-

καταλέξομεν τῇ γραφῇ τοῦτον ἔχουσαν τὸν τρόπον.

Ὁρκίζω σε &c.

necessariò huic nostræ scriptioni inseremus hoc modo habentem:

Adiuro te &c. sicut suprà cap.14.

Vide illam inter fragmenta.

Eiusdem Eusebij verba, eodem libro 5. cap. 26. editionis græcæ, latinæ autem 24.

De epistolis ad Victorem Papam.

De epistolis ad plurimos Episcopos.

Καὶ ὁ μὲν Εἰρηναῖος φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιὸς, τοιαῦτα ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης παρεκάλει τε καὶ ἐπρέσβευεν.

Ὁ αὐτὸς δὲ οὐ μόνῳ τῷ Βίκτορι, ἀλλὰ καὶ διαφόροις πλείστοις ἄρχουσιν ἐκκλησιῶν τὰ κατάλληλα δι' ἐπιστολῶν περὶ τοῦ κεκινημένου ζητήματος ὡμίλει.

Et Irenæus quidem, tam nomine, quàm moribus verè Irenæus [hoc est, pacificus] talia super ecclesiæ pace consulebat & deprecabatur.

Idem verò non modò cum Victore, sed cum diuersis quoque & plurimis Ecclesiarum Præsidibus per epistolas, de ea, quæ agitabatur, controuersia alternis conferebat.

Hæc ibi de epistolis ad Victorem Papam, quarum omnes meminerunt, & de epistolis ad alios Episcopos, quas & Hieronymus, & alij eum secuti quadam perscrutandi non curantiâ indictas prætervolarunt.

Alia eiusdem Eusebij verba ibid. c. 25. vbi tres alij libri recensentur:

Liber de scientia.

Liber de Apostolicæ prædicationis demonstratione.

Liber diuersorum tractatuum.

Ἀλλὰ γὰρ πρὸς τοῖς ἀποδοθεῖσιν Εἰρηναίου συγγράμμασι, καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς, φέρεταί τις αὐτοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγος συντομώτατος, καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαιότατος, περὶ ἐπιστήμης ἐπιγεγραμμένος.

Καὶ ἄλλος, ὃν ἀνατέθειται ἀδελφῷ Μαρκιανῷ τοὔνομα, εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος.

Καὶ βιβλίον τι διαλέξεων διαφόρων, ἐν ᾧ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς καὶ τῆς λεγομένης Σολομῶντος Σοφίας μνημονεύει, ῥητά τινα ἐξ αὐτῶν παραθέμενος.

Καὶ τὰ μὲν εἰς ἡμετέραν ἐλθόντα γνῶσιν τῶν Εἰρηναίου τοσαῦτα.

Enimuerò, præter modò tradita Irenæi scripta, & præter epistolas, circumfertur & alius ad Gentiles eiusdem liber breuissimus, & maximè necessarius, *De scientia* inscriptus.

Et alius, quem fratri Marciano nomine dedicauit, *De Apostolica prædicationis demonstratione.*

Et quidam liber *diuersorum tractatuum*, in quo Epistolæ ad Hebræos, & Sapientiæ Salomonis appellatæ meminit, dictis quibusdam indidem appositis.

Atque tot quidem sunt Irenæi, quæ in cognitionem nostrã venerũt, monumenta.

Ex his igitur quatuor Eusebij locis collegerunt Hieronymus & alij libros Irenæi: alia eiusdem Eusebij loca, vbi strictim aliorum meminit librorum, absque respectu & examinatu transilierunt. Itaque de scripto Irenæi aduersus Marcionem nulla apud eos mentio, cùm tamen Eusebius, libro 5. cap 8. his verbis meminerit:

Ἐπήγγελται δὲ ὁ αὐτὸς ἐκ τῶν Μαρκίωνος συγγραμμάτων, ἀντιλέξειν αὐτῷ ἐν ἰδίῳ σπουδάσματι. *Promisit verò idem Irenæus, se ex ipsius Marcionis scriptis ipsi separato in opere responsurum.*

Verba autem ipsa Irenæi, quibus hoc promisit, vide cap. 12. vitæ ipsius suprà. Quod autem promissum impleuerit, idem testatus est Eusebius lib. 4. hist. eccles cap. 24. editionis latinæ, græcæ autem 25. & 26. vbi de S. Philippo Gortynæ Episcopo loquens sic ait: Πάνυ γε σπουδαιότατον πεποίηται καὶ αὐτὸς κατὰ Μαρκίωνος σύγγραμμα· Εἰρηναῖός τε ὡσαύτως, καὶ Μόδεστος. *Longè accuratissimum & ipse contra Marcionem opus composuit: Irenæus similiter, & Modestus.* Hactenus ex Eusebio: iam ad Photium.

Photij verba de libris Irenæi in bibliotheca sua numero CXX. sic habent:

Ἀνεγνώσθη βιβλίον Εἰρηναίου Ἐπισκόπου Λουγδούνου· Ἐν Κελτοῖς δὲ τὰ Λούγδουνα· λόγοι πέντε. Ἡ δὲ ἐπιγραφή· Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως· τοῦτο δέ ἐστι. Κατὰ αἱρέσεων. ὧν ὁ πρῶτος διαλαμβάνων περὶ Οὐαλεντίνου καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἀθέου πλάνης ἀπάρχεται, ὥσπερ ἀναποδίζων καὶ ἄνωθεν δεικνὺς ἀπὸ Σίμω-

Lecta sunt scripta Irenæi Episcopi Lugdunensis (est autem Lugdunum inter Celtas) libris quinque comprehensa: quorum hæc inscriptio: *Confutatio & euersio falso cognominatæ agnitionis*, hoc est: *Contra hæreses.*

Quorum primus de Valentino agẽs, & ab impio eius errore ducẽs initiũ, postea qua-

ſi relato pede altiùs repetens, à Simone mago decurrit vſque ad Tatianum, qui Iuſtini martyris primò diſcipulus, poſtmodum in errorem hæreſeos eſt deuolutus.

Diſſerit præterea de propriè dictis Gnoſticis, & de Cainis, execranda illorum exponens dogmata. Et hęc quidem I. libro.

Secundus autem euerſionem cōplectitur eorum, quæ impiè ab hæreticis edocentur.

Tertius verò varia aduerſus illos producit Scripturæ teſtimonia.

Quartus propoſitas ab hęreticis perplexas difficultates diſſoluit.

Quintus omnia, quæ per parabolas à Domino dicta, & facta ſunt, ex reliqua ſalutari eius doctrina, & ex epiſtolis Apoſtolicis, ad refutandas hæreticorum præſtigias, congruere perſuadet.

Plura verò magni Irenæi alia ſcripta omnimoda, & epiſtolæ circumferuntur.

Quamuis in eorum quibuſdam ipſa veritatis, circa dogmata eccleſiaſtica, certitudo ſpurijs rationibus infucetur. Quæ oporret annotare.

Hunc aiunt S. Polycarpi martyris, Smyrnæ Epiſcopi fuiſſe diſcipulum, Presbyterum verò Pothini: cuius & ſucceſſor epiſcopatus Lugdunenſium conſtitutus eſt. Victor porrò ſub id tempus Romanum adminiſtrabat Epiſcopatum: ad quem ſæpe ſcripſit, eum admonens, vt ne propter diſcordiam de paſchate, aliquos ab eccleſia abdicaret.

νος τοῦ μάγου ἄχρι Τατιανοῦ, ὃς τὰ πρῶτα μαθητὴς Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος χρηματίσας ὕστερον εἰς πλάνην μετεκυλίσθη αἱρέσεως.

Ἔτι δὲ διαλαμβάνει περὶ τῶν ἰδίως γνωστικῶν λεγομένων, καὶ τῶν Καϊνῶν, τὰ βδελυρὰ αὐτῶν ἐκτιθεὶς δόγματα, ἐν οἷς καὶ πρῶτος λόγος.

Ὁ δὲ δεύτερος ἀνατροπὴν περιέχει τοῖς αἱρεσιώταις ἀσεβῶς δογματιζομένοις.

Ὁ δὲ τρίτος καὶ γραφικὰς κατ᾽ αὐτῶν προσκομίζει παντοδαπὰς μαρτυρίας.

Ὁ δὲ τέταρτος τὰς παρὰ τῶν Αἱρετικῶν προτεινομένας ἀπορίας διαλύει.

Καὶ ὁ πέμπτος δὲ, ὅσα διὰ παραβολῶν ἐλέχθη τε, καὶ ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ κυρίου ἐκ τῆς ὑπολοίπου τῆς σωτηριώδους αὐτοῦ διδασκαλίας, καὶ ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν ἐπιστολῶν, ταῖς αἱρετικαῖς τερθρείαις εἰς ἔλεγχον ἁρμόζειν παρίστησι.

Πολλὰ δὲ τοῦ θεσπεσίου Εἰρηναίου καὶ παντοδαπὰ καὶ ἕτερα συγγράμματα, καὶ ἐπιστολαὶ φέρονται.

Εἰ καὶ ἔν τισιν αὐτῶν ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται, ἃ χρὴ παρασημαίνεσθαι.

Τοῦτόν φασι γενέσθαι Πολυκάρπου μὲν τοῦ ἱερομάρτυρος Σμύρνης Ἐπισκόπου μαθητὴν, Πρεσβύτερον δὲ Ποθεινοῦ· οὗ καὶ τῆς ἐπισκοπῆς τῶν Λουγδούνων διάδοχος κατέστη· Βίκτωρ δὲ ἄρα κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ Ῥώμης ἐπεσκόπει. πρὸς ὃν καὶ πολλάκις γράφει παραινῶν, μὴ ἕνεκα τῆς περὶ τοῦ πάσχα διαφωνίας τινὰς τῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύττειν.

Hactenus de B. Irenæo Photius antiquorum Scriptorum cenſor æquiſſimus ac ſinceriſſimus.

Non diſſimulauit proinde quædam in tanti viri ſcriptis annotanda, quæ cùm cognita ſint falſa, tamen varijs rationibus ſic probata olim ab Irenæo fuerint, vt vera viderentur: non quòd vir ſanctus aut adulterare veritatem voluerit, aut introducere tentarit falſitatem (abſit hoc opinari) ſed quòd ea, quæ docebat & aſſerebat, ipſam arbitraretur eſſe veritatem, ac proinde totis ſibi ſtabiliendam viribus exiſtimaret. Oblatam igitur hancce à doctiſſimo Photio paucula illa obſeruandi occaſionem non deſpiciens, caput vnum de beatiſſimi viri næuis ad lectorum cautelam ſtatui adiungere.

APPENDIX DE NÆVIS QVIBVSDAM S. IRENÆI.

PErpauci ſunt SS. Patrum, in quorum ſcriptis nullus omnino ſit næuus: ſola autē eſt ſacra Scriptura, in qua nec ſit, nec eſſe poſſit. S. Papiæ Hierapolitani Epiſopi, & S. Iuſtini Philoſophi pauculos nęuos notaui ad ipſorum vitas: cum his aliquis commune habuit S. Irenæus; nec omnis prorſus errati expers fuit. Igitur hi ſunt eius næui.

1. Næuus. Primus, Beatos, poſt generalem corporū reſurrectionem, mille annis cum Chriſto in terra regnaturos, antequam in cælum aſſumantur.

Id docuit Irenæus, & multis probauit, lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 32. 33. 34. 35. 36. & admodum probabilē ſuo ſuo fecit: at nunc contraria ſententia palmam obtinet, ac paſſim celebratur. De illa autem priore iam antiquata hîc pluribus non ago, quòd antehac in vita S. Papię de ipſa fuſiùs egerim.

Secundus, Non omnes beatos in cælo futuros, ſed aliquos in cælo, alios in paradiſo, alios in ciuitate noua Hieruſalē, tametſi Deum viſuri ſint, vbicumque ipſi fuerint. 2. Næuus.

Hoc docuit Irenęus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 36. *Et quemadmodum*, inquit, *Presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint calorum conuerſatione, illuc tranſibunt, id eſt, in celos: alij tutè paradiſi delicijs vtentur: alij autem ſpecioſitatē ciuitatū poßidebunt: vbique autē Deus videbitur, quemadmodū digni erunt videntes eū.*

Eſſe

Esse autem distantiam hanc habitationis eorum, qui centum fructificauerunt, & eorum qui quadraginta, & eorum qui triginta: quorum quidam in cælum assumentur: aly in paradiso conuersabuntur: aly in ciuitate inhabitabunt: & propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones. *Omnia enim Dei sunt, qui omnibus aptam habitationem præstat.* Sic ibi. Ioannis 14. ver. 2

Videtur ergo S. Irenæus posuisse diuersitatem gloriæ beatorum in diuersitate locorum, quasi clariùs visuri Deum essent ij, qui in cælo, quàm ij qui in Hierusalem, aut paradiso terrestri degerent. Atqui hoc non è locorum distantia, sed ex differentia luminis gloriæ pendet: adeo vt si in terra degens, maiori esset præditus lumine gloriæ, quàm qui in cælo, etiam clariùs esset visurus Deum, quàm qui in cęlo. Nec enim qui in cælo est, propior Deo est, quàm qui in terra, cùm Deus vbique sit, tam in terra, quàm in cælo, & omnia repleat: neque itē, licet proximus & intimus, videri potest Deus modo beatifico vel minimùm sine aliquo lumine gloriæ, nec amplius sine ampliori, nec plurimùm sine plurimo. In lumine enim tuo videbimus lumen Domine Deus meus, & non aliter. Da igitur, nobis, quò tandem aliquando beati simus, triplex lumen, nunc fidei, pòst gloriæ, tui denique ipsius, qui primum & antiquissimum es lumen, & omnium caussa, origoque luminum.

3°. Naeuus. 3. Angelos transgressores cùm hominibus commistos fuisse, connubijs scilicet, & Enochum legatione ad eos functum.

Docuit prius membrum Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 70. his verbis. *Et temporibus Noë iustè diluuium inducēs, vti exstingueret pessimum genus eorum, qui tunc erant hominum, qui iam fructificare Deo non poterant, cùm Angeli transgressores commisti fuissent eis.* &c.

Hanc opinionem videtur hausisse Irenæus partim à S. Papia, partim à S. Iustino, quorum verba citaui ad vitam S. Papiæ, cap. vltimo Notationum, vbi etiam ostendi, à quàm multis & quàm magnis viris eadem opinio celebrata sit, tā Latinis, quàm Græcis. Ex his enim præter Papiam & Iustinum, produxi quoque Athenagoram & Clementem Alexandrinum, citatis eorum verbis, quibus adde S. Methodium in libro De resurrectione, cuius verba exhibet Photius in bibliotheca, codice CXXXIV. Nam alios posteriores & inferioris notæ omitto. E Latinis autem protuli Tertullianū, Cyprianum, Lactantium: quibus adde S. Sulpitium Seuerum lib. 1. sacræ historiæ sub initium, vbi de ætate Noë agens, sic scribit: *Qua tempestate cum iam humanum genus abūdaret, Angeli quibus cælum sedes erat speciosarum forma virginum capti illicitas cupiditates appetierunt, ac naturæ suæ originisque degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimonys se mortalibus miscuerunt.* Sic ille.

At Græci PP. melius senserunt, aut saltem minùs male. Nec enim dixerunt Angelos cupidinis gratia è cælo descendisse, sed tantum post attributam ipsis mundi inferioris administrationem, tum demum in pulchras feminas exarsisse concupiscentia, atque à recto gubernationis tramite deerrasse.

Quòd autem S. Ambrosius lib. 1. De virginibus idem sensisse, quod Sulpitius videtur, cùm dixit: *Quàm præclarum est Angelos propter intemperantiam suam in seculum cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam suam in cælum transisse de seculo!* vel existimari potest, è communi, quæ tunc erat, sententia id dixisse, (maxime quòd plurimùm ad virginitatis laudem faceret, quā tractabat) vel certè aliquando ita cū alijs sensisse, postmodùm autem sententiam demutasse. Nam scribens in psalmum centesimum decimū octauum, sermone septimo non obscurè indicat primum diaboli peccatū, ob quod è cælo deciderit, fuisse superbiam, & hoc quidem ante primi hominis lapsum; ita vt nec ipse, nec eius participes, ex speciosarum conspectu & amore impermisso puellarum, (quæ in eorum lapsu nullæ dum erant) e cælo decidisse dici possint. Verba S. Ambrosij in eum psalmū sunt hæc: *Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam, naturæ suæ amisit gratiam. Denique dum dicit:* Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo, *consortys excidit Angelorum: cuius criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisiuit, in quem consortium suæ transfunderet offensæ.* Ita B. Ambrosius. Isaiæ 14. ver. 14.

Ex his porrò collige, quàm sit ille næuus excusabilis, qui tot magnis ingenijs olim inhæserit.

Posterius membrum docuit Irenæus eodem lib. 4. cap. 30. his verbis: *Sed & Enoch sine circumcisione placens Deo, cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur, & translatus est, & conseruatur vsque nunc testis iusti iudicy Dei: quoniam Angeli quidem transgressi deciderunt in iudicium, homo autem placens Deo translatus est in salutem.* Irenæum porrò per Angelos intellexisse naturas Angelicas, & non filios Seth, colligitur ex antithesibus, hominis & Angeli: placentis Deo, & transgressoris: decidentis in iudicium, & translati in salutem.

4. Næuus est: quòd scripserit Christum in Passione annum excessisse quadragesimum. Scripsit autem id cap. 39. & 40. libri 4°. Naeuus.

secundi aduersus hæreses. Nam cap. 39. de hominis agens ætatibus sic inter alia: *A quadragesimo aut quinquagesimo anno declinat iam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat.* Et cap. 40. sic: *Non ergo*, inquit, *multùm aberat à quinquaginta annis, & ideo dicebant ei*: Quinquaginta annorum nondum es, & Abraham vidisti? *Non ergo anno vno prædicauit, nec duodecimo mense anni passus est. Tempus enim à trigesimo anno vsque ad quinquagesimum nunquam erit vnus annus.* Ita Irenæus.

Constat autem ex euangelijs Christum Dominum in hac mortali vita nō ampliùs quàm annos triginta tres aut summum triginta quatuor exegisse: nequaquam autem quadragesimum attigisse. Sed B. Irenæus nimio aduersus hæreticos feruoris æstu, (quemadmodum & alij nōnulli SS. Patrū) abreptus, repertum illum S. Ioannis locū, c. 8. versu 57. *Quinquaginta annos nondū habes, & Abraham vidisti?* contra Valentinianos, qui dicebant Christum vnico anno prædicasse, & mense duodecimo passum esse, arripuit, indéque, & ex quadam rationum, (vt ipsi quidem videbatur) conuenientiâ nisus est probare à vero longè ipsos aberrare, qui tam absurda prędicarent. Decuisse enim Christum, tanquam orbis magistrum, perfectam habere magisterij ætatem, illam autem esse à trigesimo anno ad quinquagesimum: atque item omnes attingere & sanctificare ætates, ac proinde & senectutem, quæ ab vndequinquagesimo incipit, & maximè est honorabilis.

Ioannis 8. ver. 57.

Ac de næuis S. Iustini hactenus. Nam alia, quæ pro næuis quidam habent, & maximè hæretici, cùm bonam & commodam patiantur interpretationem, nihil est caussæ, quamobrem vitio tribui debeant. Certè Abrahamus Scultetus pestilentiore, quàm aranea, ingenio, non solùm mala siqua erant, exsuxit; sed etiam bona in mala conuertit, atque in illud Isaiæ incurrit: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nam dixit malum bonum, quando in Synthesi doctrinę Irenæi, cap. 8. peruersè eundem Irenæum interpretatus, asserere studuit hominem carere libero arbitrio, & opinionem, quæ id docet, vt bonam asseruit, cùm sit pessima. Ac rursus dixit bonum esse malum, cùm bonam Irenæi de libero arbitrio sententiam, dixit esse malam, & pro errore denotauit. Posuit etiam tenebras lucem, & lucem tenebras, dum illa verba. *Hoc est corpus meum*, quę dilucida sunt, & lux ipsa, dū intelliguntur de Christi corpore; ipse facit obscura & tenebrosa, adeóque tenebras ipsas, dum accipi vult pro figura corporis.

Isaie 5. ver 20.

A Denique posuit amarum in dulce, & dulce in amarum, quando & beatissimæ Virginis Mariæ laudes omnibus pijs animabus dulcissimas (quas S. Irenęus ex antithesi cum Eua, multis SS. Patrum sibi succinentibus, illi attribuit) ipse in amaritudinem vertit, eas improbando, & intolerandas esse blaterādo: & dum suam item opinionem longè amarissimam velut dulcem suscipi voluit, negando Virgini Mariæ conuenire, B quòd per obedientiam suam id reparasse dicatur, quod prima mater Eua per inobedientiam destruxerat; nonne amarum in dulce posuit? Verùm has Sculteti impias absurditates suprà refutauimus cap. 17. §. 1. & 11. & cap. 28. §. 7. & §. 10.

Ponit autem Scultetus inter eos Irenæi errores, *quos* (vt quidem ipse ait) *recensuisse, est refutasse*, etiam hos sequentes:

C Primò, *Diabolum ante aduentum Christi non ausum blasphemare, quia nondum sciuerit damnationem suam.*

Sed hoc, quo sensu rectè dictum sit, non solùm ab Irenæo, sed etiam à S. Iustino, & alijs SS. Patribus, iam antè disputaui ad vitam S. Iustini, cap. 27. pag. 319. formatâ super eo nodo iustâ quæstione. Docuit autem hoc B. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses, cap. 26.

D *Secundò, Hominem non esse perfectum à Deo conditum.* Lib. 4. aduersus hæreses cap. 73.

Scultetus hoc loco, aranei functus officio, prætenuem & ruptu facillimam contexuit telam. Nam quod dixit Irenæus, id verissimum est: quod autem illi attribuit Scultetus, obliquum & contortum est. Docuit enim Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 73. & 74. Deum potuisse, quantum ex parte sua est, cōdere hominem perfectum, & omni gratia, etiam perseuerantiæ, abso-E lutum; haud tamen ex parte hominis ita consummatum, vt nihil prorsus ei deesset ad perfectionem, cùm id Dei sit proprium: Scultetus autem ita rem capit & obtrudit, quasi dixisset Irenæus Adamum non esse conditum perfectum, vel secundùm hominis substantiam, vel secundùm conuenientem eius statui gratiam. Sic enim sonant eius verba antè posita. Nec aduertit homo ad veritatem cęcutiens, B. Irenæum cap. F 72. laudasse Dei sapientiam, qui hominem condiderit libero arbitrio præditum, vt posset in virtute proficere, & vsque ad Dei contemplationem cum eius gratia crescere: tum cap. 73. continenter illam formasse obiectionem: *Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem?* deinde respōdisse, (quemadmodum iam diximus) potuisse quidem ex parte sua; quòd autem non fecerit, ex parte hominis stetisse, cui non expediebat statim gratis dari, quod melius

melius ipsi erat mereri, & quòd de ratione hominis sit imperfectum esse, sicut Deo proprium est esse perfectum.

Tertiò, Artificem Deum in veteri plasmate quiddam prætermisisse, quod postea Verbum impleuerit.

Esto. Hoc docuerit Irenæus. Quid illic mali? quid vitiosi? An non & Verbum ipsum Christus Dominus aliquid prætermisit in Apostolis suis, quod Spiritus sanctus pòst impleuit? Age modò Sultete: reprehende, sodes, illa Christi verba, Ioannis 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed nō potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Dicit enim Christus se prætermissurum aliqua quæ Spiritus sanctus impleat. Quòd si hoc licet Verbo respectu Spiritus sancti; quidni & Patri respectu Filij? Ex his porrò & illa superior Irenæi doctrina confirmatur, qua dixit Deum ab initio plus perfectionis potuisse homini indere, sed eum capere non potuisse.

Ioannis 16. ver. 12. & 13.

Reprehendit præterea idē Sculterus alia quatuor, quæ vocat leuiora: sed in illis quatuor se partim ignarum, partim temerarium, partim malignum, partim impudentem probat. Nam pro quatuor leuioribus Irenæi, vt vocat, hæc reperio quatuor grauiora Sculteti, ignorantiam, temeritatem, malignitatem impudentiam. Quę quatuor illi inesse vt validè probem, ipsa eius verba in quibus illa insunt, proferam. Postquam igitur aliquos Irenæi næuos protulit, partim veros & ab alijs quoque notatos, partim falsos & à se excogitatos, tum de eodem Irenæo ita subiunxit, vt sequitur;

Verba Abrahami Sculteti Calumnia contra S. Irenæum.

Leuiora sunt, quòd putat:

1. *In vita æterna quoque nos aliquid addiscituros: in qua sola vigebit charitas, non fides, non spes, non in doctrina quotidiana accessio.* (Lib. 2. c. 47.)

2. *Sub quatuor animalium figura Ezechieli quatuor Euangelistas repræsentatos. Qua in re multi eum secuti sunt, non aduertentes ad Ezechielis scopum, sed ad Irenæi auctoritatem.* (Lib. 3. c. 11.)

3. *Hyperbaton esse in eo: Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium: vbi post vocabulum Deus, comma ponit κρεμαμένον siue pendulum.* (Lib. 3. c. 7.)

4. *Ex vitijs Patriarcharum mysteria esse cudenda.* (Lib. 4. c. 50.)

Ista sunt igitur verba Sculteti, ista puncta in quibus errasse Irenæum, sed leuiùs quàm alibi, denotat.

Iam autem meū est hîc ostendere, quot ibi sunt puncta, tot inhærere Sculteto vitia, nempe in primo ignorantiam, in secundo temeritatem, in tertio malignitatem, in quarto impudentiam, eadémque operâ nihil eum habuisse in illis punctis, in quo iustè Irenæum reprehenderet.

Dico igitur in primo puncto duplicem Sculteti, & quidem satis crassam conspici ignorantiam, Theologiæ vnam, Grammaticæ alteram. Si enim teneret Grammaticam, non diceret *addiscituros*: si Theologiā; non negaret fore, vt beati aliquid in cælo addiscerent. Pro priore ergo ignorantia mitto eum ad Despauterium, aut ad quēcumque volet alium Grammaticum: pro posteriore autem allego illum ad S. Dionysium Areopagitam, qui in libro De cælesti hierarchia, cap. 7. disertè docet inferiores Angelos à superioribus edoceri, superiores à supremis, supremos à solo Deo. Quòd si Angeli aliqua in cælo edoceātur; quid mirum si & homines? Nec enim hi vel illi omnia sciunt: soli Deo ea laus debetur. Ab eo cuncti discimus & homines & Angeli, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: non tamen cum labore, sed cum gaudio. Neque sanè dixit Ireneus fore, vt aliqua in cælo, cum labore disceremus, sed tantùm vt disceremus, hoc est, priùs nobis ignota, Deo manifestante cognosceremus. Verba S. Irenæi, lib. 2. aduersus hæreses, cap. 47. sunt hæc: *Si ergo & in rebus creaturæ, quædam quidem earum adiacent Deo: quædam autem & in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si & eorum quæ in Scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritalibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundum gratiam Dei: quædam autem commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo?* Hæc sanè S. Dionysio sunt conformia. S. Dionysij doctrinam approbat & confirmat S. Thomas 1. p. q. 106. art. 1°. vbi disputat: Vtrū vnus Angelus illuminet alium? Illuminare autem nihil est aliud, quàm agnitam veritatem alteri aperire. Quo etiam modo accepit S. Paullus scribens Ephesijs, cùm dixit cap. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit.*

Iren. l. 2. cap. 47.

Ad Ephesios cap. 3. ver. 8.

Verum quidem est, neminem in cęlo illuminare alios ad contuendum Deū (cuncti enim proximè & nullo, nisi Deo, adiuuante eum contuebuntur, ita vt valere hîc possit illud Ieremiæ 31. *Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicēs, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus*) rationes tamen diuinorum operum potest superior Angelus nonnullas inferiori demonstrare, quas nō cognoscebat. Plures enim ille cognoscit, quam hic, & tanto plures ille, quanto Deum perfectiùs, quàm hic, videt. Verum de his atque similibus vt magis ac magis illuminetur Sculterus, mitto

Ieremiæ 31. ver. 34.

to illum rursus ad S. Dionysium & S. Thomam; &, quia mirè nostros amat, mitto etiam ad nostrum Stephanum Bubalum in commentationibus Angelicis, super quæstione 14. D. Thomæ, art. 1. difficultate 1.

Atque hæc de primo puncto, & duplice Sculteti ignorantia: nunc ad secundum simul & ad eius temeritatem.

2 punctum. Secundum igitur punctum est: *sub quatuor animalium figura Ezechieli quatuor Euangelistas repræsentatos.*

Id docet S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. vndecimo, & cum illo omnis ferè SS. Patrum chorus. Quod cùm sciret, aut scire deberet Scultetus, nonne magna eius temeritas fuit, vnum se hominem nouum & impurum, & imperitum, tot se audere magnis viris & sanctis & eruditis opponere? Quibus autem? nēpe S. Irenæo, S. Theophilo Antiocheno, S. Athanasio, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, S. Germano Constantinopolitano, & pluribus alijs qui idē docent: & habētur apud nostrum Ioannē Seruium in Apparatu euangelico, c. 36. n. 17. & 18. Qui Seruius illā 4. animalium Ezechielis figuram ita probat conuenire 4. Euangelistis, vt nihil magis. Dabo in ipsius Sculteti gratiam, eius verba. Sic ergo scribit in dicto capite, numero 16. *Multis quidem in veteri testamento figuris, quatuor Euangelistas significatos fuisse veteres Auctores dixerunt, omnésque figuræ eleganter adaptatæ sunt & probabiles: hæc tamen 4. animalium non modò probabilis est, sed certa etiam ac necessaria, in hoc ipsum à Spiritu sancto instituta, vt quatuor futuros Euangelistas præmonstraret. Nec dubium est, quin quatuor hæc animalia idem in Ezechiele & Apocalypsi significent. Itaque non sine caussa, nec sine diuino afflatu, arbitror, factum est, vt quum Theologi veteres, alij alias quatuor Euangelistarum figuras inuenerint, in hac cuncti conuenerint. Siquidem rarò solent humana ingenia sine Dei Spiritu consentire.* Ita ille. A quibus omnibus cùm dissentiat Scultetus, quo spiritu agatur, ipse videat: & in reprehendenda communi SS. Patrum sententia quàm temerarius fuerit, recognoscat. Satis de isto puncto: nunc ad tertium.

Ioannis Seruij verba Sculteto contraria.

Tertium ergo punctum, in quo errasse dicit Irenæum est, quòd in istā Paulli sententia, secundæ ad Corinthios, cap. 4. ver. 4. *In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium,* Irenæus dixerit esse hyperbaton, & sententiam ita ordinandam: *In quibus Deus excæcauit mentes infidelium huius sæculi.* Dixit autem hoc Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 7. & bene dixit: ac si Scultetus tam benignè agere in Irenæum voluisset, quàm malignè egit, probasset Irenæi explicationem, idque exemplo ma-

2. ad Cor. cap. 4. ver. 4.

A gnorum Patrum fecisset, Tertulliani, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, Sedulij, Primasij, qui omnes cum alijs non paucis in B. Irenæi iuere sententiam, atque hyperbatō illud in Paulli verbis admiserunt. Et huic sententię plurimùm fauet, quòd *excæcatio* in Scriptura, sicut & *induratio* semper tribuatur Deo vero, nunquam autem dæmoni. Quo autem modo Deus dicatur excæcare, insigniter B explicant S. Chrysostomus in hunc Paulli locum, & S. Augustinus lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum, cap. 8. Nam in eo libro, postquam cap. 7. produxit illam explicationem, quæ à multis hodie tenetur, nempe vt Deus sæculi huius vocetur diabolus, tum subijcit: Sed cùm alter pateat intellectus; quid necesse est hîc diabolum putare significatum, ac non potiùs Deum verum, iustum, & bonum, qui excæcauit C mentes infidelium huius sæculi? vt non hîc distinguatur: *in quibus Deus sæculi huius,* ac deinde subinferatur, *excæcauit mentes infidelium*: sed ita potiùs: *in quibus Deus,* ac deinde subinferatur; *sæculi huius excæcauit mentes infidelium*, hoc est, infidelium sæculi huius mentes excæcauit. Ita ibi Augustinus: qui capite proximo consequenter & continēter refutat id, quod obijci posset, non spectare scilicet ad Dei bonitatem aliquos ex-D cæcare. *Sed istis non placet,* inquit, *vt Deus bonus mentes excæcet aliquorum. Non enim attendunt Saluatoris verba dicētis:* In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. *Ille igitur, qui secundùm Apostolicam sententiam,* cuius vult miseretur, & quem vult, obdurat: *procul dubio quem vult, illuminat; & quem vult, excæcat. Sed non est iniquitas apud Deū, cui dicit Ecclesia:* Misericordiam & iudicium E cantabo tibi Domine. *Illuminat ergo misericordiā, excæcat iudicio, vtique æquissimo, etsi occultissimo.* Inscrutabilia enim sunt iudicia eius. *Cui tamen dicitur*: Sedisti super thronum, qui iudicas æquitatem. &c.

Ioannis 9. ver. 39.

Roman 9. ver. 18.

Psal 100. ver. 1.

Roman 11. ver. 33.

Psal. 9 ver. 5.

Eandem tenet doctrinam idem Augustinus lib. 21. contra Faustum Manichęum, cap. secundo, vbi similiter ostendit & probat, quonam modo Deus dicatur excæcare mentes infidelium, allatis ex eodē Paul-F lo alijs locis idem confirmantibus, post quę subdit: *Nam & hîc satis apparet mentibus fidelium, quomodo Deus excæcet mentes infidelium. Præcedit enim aliquid occultum in occultis, vbi Deus agat iustissimum examen iudicij sui: vt quorundam mentes excæcentur, quorundam illuminentur, cui verissimè dictum est:* IVDICIA TVA ABYSSVS MVLTA. &c.

Psalmo 35. ver. 7.

Quandoquidem igitur Scultetus benignam S. Augustini, aliorúmque magnorum PP. su-

PP. suprà laudatorum interpretationem, (quæ eadem est atque S. Irenæi) non suscepit; an non apertè malignitatē suam ostendit? Prorsus ostendit. Ad quartum proinde punctum, quod insignitam eius prodit inuerecundiam, procedamus.

Quartum punctum fuit, scripsisse Irenæum *ex vitys Patriarcharum mysteria esse cudenda.*

Vbi autem hoc scripsit Irenæus? Libro 4. inquit, cap. 50. Videamus igitur, quæ sint ibi verba, quæ loquantur de cudendis mysterijs. Hoc enim ita iactum à Sculteto videtur, quasi dixisset de fabricandis mendacijs. Atqui verba B. Irenæi plena sunt pietatis & reuerentiæ erga Patriarchas & Prophetas. Dicit enim peccata Patriarcharum & Prophetarum, quæ à Scriptura reprehenduntur, non illis esse à nobis exprobrāda, ne fiamus similes Cham, qui patrem irrisit, & in maledictionem incidit; sed potiùs de illorum remissione in Christi aduentu, id est, per merita Christi pro nobis incarnati & passi, gratias Deo agendas esse: de eorundem verò factis quæ à Scriptura non accusantur, sed simpliciter posita sunt, non fingendas esse criminationes, sed quęrendum, an illa facta typum aliquem & figuram non contineant. Ponam ipsa verba Irenæi, quò res tota constet certiùs. Sic igitur habent:

Talia quadam enarrans de antiquis Presbyter, reficiebat nos, & dicebat: De his quidem delictis, de quibus ipsa Scriptura increpant Patriarchas & Prophetas, nos non oportere exprobrare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, & in maledictionem decidit: sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in aduentu Domini nostri remissa sunt eis peccata. Etenim illos dicebat gratias agere, & gloriari in nostra salute. De quibus autem Scriptura non increpant, sed simpliciter sunt posita, nos non debere fieri accusatores, (Non enim sumus diligentiores Deo, neque super magistrum possumus esse) sed typum quarere. Nihil enim otiosum est eorum, quacumque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. Ita in illo cap.

Ex quibus & hoc patet, illam doctrinam non fuisse Irenæi, sed alicuius illo antiquioris viri docti & sancti, à cuius ore narrantis pepēderit, & voluptatem ceperit Irenæus. Non itidem cepisset Scultetus, vt apparet: quandoquidem vtrumque eadem opera reprobet, & narrantem, & auscultantem. At non item magnus Augustinus, qui illis sanctis viris simillima sensit & perscripsit libro 22. contra Faustum Manichęum, hominem qui pari ac gemino fere sensu Patriarcharum & Prophetarum facta redarguebat, quo nunc Scultetus.

Quid ergo de Patriarcharum & Prophetarum factis contra Faustum illum scribit Augustinus? Nempe hęc, quę & nobis contra Scultetū valebunt: *Qua in re hoc*, inquit, *primum dico, illorum hominum non tantùm linguam, verumetiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum, magnum quendam (quia & magni cuiusdam) fuisse prophetam. Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in sapientia Dei, non solùm in ys, qua dicebant, sed etiam in ys, qua faciebant; quod autem ad cateros ac simul omnes illius gentis homines, in ys qua in illis vel de illis diuinitus fiebant, prophetia venturi Christi & Ecclesia perscrutanda est. Omnia enim illa, sicut dicit Apostolus, figura nostra fuerunt.* Hæc ibi Augustinus. August. lib. 22. contra Faustum Manichæ. cap. 24. 1 ad Cor. 10 vers. 6.

Qui & paullò post, siue cap. 25. eos arguit, qui eadem magnis viris tribuenda esse vitio putant, quæ plebeis. *Nihil enim*, inquit, *sapiunt, nec intelligunt in magnis animis quasdam virtutes vitys paruorum animorum esse simillimas, nonnullā specie, sed nulla aquitatis comparatione. Similes autem sunt, qui in magnis ista reprehendunt* [notet bene Scultetus] *pueris imperitis in schola: qui cùm pro magno didicerint, nomini numeri singularis verbum numeri singularis esse reddendum, reprehendunt Latina lingua doctissimum auctorem, quia dixit*: Pars in frusta secant. *Debuit enim*, *inquiunt, dicere*, secat. *Et quia nōrunt* religionē *dici, culpant eum, quia geminatā litterā dixit* Relligione patrum. Ita S. Augustinus: apud quem plura videri possunt. Faustus ergo Manichæus, & Abrahamus Scultetus illis pueris similes fuerunt; sed Scultetus etiam similis Cham (quod tamen cauendum prę monuerat Irenæus) aut etiam eo deterior. Nam ille tantum ostendit in patre, quod erat, hic etiam affinxit Irenæo, quod non erat: vti & iam in multis ostendi, & hîc rursus ostendam. Dicit enim scripsisse Irenæum, *ex vitys Patriarcharum cudenda esse mysteria*, hoc autem est falsum: scripsit enim dumtaxat, *in factis qua à Scriptura non culpantur, & qua* (vt post vocat) *inaccusabilia sunt, oportere typum quarere*: quæ verba longè distant à cusione mysteriorum ex vitijs Patriarcharum. Quanquam si & dixisset Irenæus, oportere scilicet in vitijs Patriarcharum quærere typum seu figuram: quid mali absurdiue dixisset? quid non potiùs pietatis & industriæ plenum? Nam & senior ille Apostolorum discipulus, quem laudat Irenæus, quæsiuit, & inuenit, & post illum alij permulti, intérque illos ipse magnus Augustinus libro iam indicato. Reprehendit tamen in eo B. Irenæum Scultetus: & quò pondus suæ reprehensioni addat, verbis vtitur non Irenæi, sed suis, ac proinde maiorem dignæ reprehensionis speciem præ se ferentibus. In quo quis eius inuere- Virgil. 1. Æneid.

inuerecundiam non videat? quis impudentiam erga SS. Patres non miretur? Annotare quidē SS. Patrum næuos, qui verè & ex omnium, aut plurimorum saltē doctorum consensu næui sunt, & eo fini annotare, vt ne aliqui in eos Scriptorum auctoritate tracti imprudentes incidāt, bonum & laudabile factum est: atque ego ipse nonnullos ea mente annotaui, sed simul etiam ex antiquitatis atque sanctitatis reuerētia, quidquid defendi, excusari, in meliorem duci partem potuit, duxi, excusaui, defendi: sed velle simul & magno atque improbo studio conari errorum ac næuorum aceruos ad diminuendam SS. Patrum auctoritatem colligere, id profectò maligni & nequam ingenij est. Absit, absit ab homine Christiano, vt hoc faciat. Certè nec ego, nec fratres mei hoc faciemus.

Eos autem qui id fecerunt, in præsenti relinquamus, atque ad id, quod agendum restat, nos referamus.

COROLLARIVM.

De veteri græcorum S. Irenæi librorum latino interprete emendando.

QVin beatissimus vir Irenæus græcè scripserit, nullus relinquitur post tot ac tanta eius græca fragmenta antehac in medio posita dubitationi locus. Quis porrò eos libros, quos nunc habemus, latinè verterit, hodie prorsus est ignotum. Mihi quidem (quod & antehac indicaui) eorum opinio probari neutiquam potest, qui putant Irenæum ipsum fuisse librorum suorū latinum interpretem. Præterquam enim, quòd nec grauiores eius in munere episcopali (præsertim in talibus ecclesiæ turbinibus) occupationes tantùm otij ad hoc permittebant, nec in eius prudētiam cadebat, in tanta linguæ latinæ ignoratione, quantam hic vulgatus prodit interpres, eiusmodi aggredi versionem; præter hæc, inquam, illud quoque obest, quòd in hac versione & in rebus ipsis interdum alieni sensus; & in capitum diuisione, ineptissima distributio, & rerum coniūctarum violenta distractio, pertenuis fuisse ingenij atque iudicij hunc, quisquis fuit, interpretem arguant, ac proinde ab Irenæo longè diuersissimum.

Quare hoc omnino tenendum est, primò S. Irenæum græcè scripsisse, deinde aut libros suos in capita non diuisisse, aut certè multò aliter, quàm nunc sint, diuisisse. Nam (vt exemplis quibusdam id ostendamus) intueri est libro 2. cap. 18. initium eius capitis spectare ad præcedens: quandoquidem inchoëtur à similitudine quæ probat & ex-

A plicat, quod in præsenti capite dictum fuit. Non igitur inde inchoandum fuit, sed paullò pòst, ab illis verbis: *Sed, quoniam reprobabilis & impossibilis prima noos, id est, sensus ipsorum emissio est, manifestè ostendimus; videamus & de reliquis.* &c. Sic & caput 27. eiusdem libri totum includi debebat capite 26. cùm sit tantùm similitudo, ad ea explicanda, quæ in cap. 26. dicta sunt.

Ita & multò deteriùs libro 4. vna periodus
B scinditur in duo capita. Nam vna pars continetur in capite 55. & altera capite 56. Agens enim de Iudæis Christi aduentum, nō cognoscentibus, neque intelligere volētibus duos eius aduentus &c. sic finit 55. caput: *& Christi aduentum, quem propter salutem hominum fecit, non cognoscentes,* deinde incipit sequens caput, continuando eandem periodum, hoc modo: *Neque intelligere volentes, quoniam duos aduentus eius om-*
C *nes annūtiauerunt Propheta* &c. Sic est in editione Desiderij: in editione autem Feuardentij, caput posterius non multò meliùs inchoatur ab istis verbis: *Non cognoscentes, neque intelligentes* &c. cùm æquè vnum referatur ad pręcedens caput, quàm alterum.

Ex duobus igitur capitibus vnicum fieri debuit, quandoquidem & titulus capitis 55. (qui est, *Quemadmodum iudicantur Iudæi.*) vtrumque comprehendat: & vicina capita
D idem suadeant: vti prima frōte, & vno aspectu fiet cuiuis lectori obuium. Magnū proinde is fecerit operæprecium, qui & capita librorum meliùs ordinarit, & libros ipsos è barbaris latinos fecerit. Quod optimè olim præstare potuisset, seu Iacobus Billius, qui bonā libri primi partem olim conuerterat; seu Fronto Ducæus, qui aliquas in Irenæū Notas pręparat: si eam sibi spartam adornandam suscepissent. Erant enim ambo lit-
E teris quà græcis, quà latinis egregiè exculti. Nec desunt etiamnum in vtraque lingua insigniter versati, qui possent vno eodémque stilo, quidquid est Irenæi operū, clarè, elegantérque, (si esset ipsis ad eum laborem animus) in publicum dare. Scienti enim græcè haud admodum difficile fuerit, vel ex hac ipsa, quæ nunc est in manibus, Irenęi versione colligere, non modò quibus græcis sententijs vsus fuerit Irenæus, sed ferè
F etiam quibus verbis. Quod ipsum in non paucis iam antehac ostendit doctissimus ille Billius, libro 1. Obseruationum sacrarum, cap. 33 & libro 2. cap. 5. & ego itidem in alijs pluribus locis facilè haberem ostendere. Sed nunc agimus alia, & hæc alteri post nos relinquimus. Qui autem nostra & omnium studia dirigit Deus, sit pro his & pro omnibus in æternum benedictus. Amen.

FINIS

VITA

SANCTI HEGESIPPI CONFESSORIS

EX HORVM POTISSIME AVCTORVM SCRIPTIS COLLECTA ET CONCINNATA.

IPsiusmet S. Hegesippi.
Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi.
S. Epiphanij Constantiæ in Cypro Episcopi.
S. Hieronymi Presbyteri & Ecclesiæ Doctoris.
Ruffini Aquileiensis Presbyteri.
Chronici Alexandrini.
Hermiæ Sozomeni.
Photij Patriarchę Constantinopolitani.
Nicephori Callisti.
Item è Martyrologio Romano tam vetere, quàm nouo.
Denique ex Venerabilis Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Maurolyci, & aliorum Latinorum martyrologijs.

SCRIPTO-

SCRIPTORVM
DE SANCTO HEGESIPPO
TESTIMONIA.

Eusebij Cæsariensis, *l. 4. historiæ, cap. 20.*

HΚμαζε δ' ἐν τούτοις ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας Ἡγήσιππός τε, ὃν ἴσμεν ἐκ τῶν προτέρων, καὶ Διονύσιος Κορινθίων Ἐπίσκοπος. &c.

Ruffini Presbyteri Eusebium interpretantis, *eodem lib. 4. cap. 22.*

TVnc etiam Hegesippus, de quo suprà memorauimus, insignis habebatur, & Dionysius Corinthiorum Episcopus. &c.

Hieronymi Presbyteri, *libro de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 2.*

HEgesippus vicinus Apostolicorum temporum, in quinto Commentariorum libro de Iacobo narrans ait: *Suscepit ecclesiam Hierosolymis post Apostolos frater Domini Iacobus, cognomento Iustus.*

Photij Patriarchæ Constantinopolitani, codice 232.

HΓήσιππος μὲν ὁ ἀρχαῖός τε ἀνὴρ, καὶ Ἀποστολικὸς ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν ὑπομνημάτων. &c.

Hegesippus vir antiquus & Apostolicus, in libro quinto commentariorum &c.

Hermiæ Sozomeni. *l. 1. hist. c. 1.*

KΛήμης τε καὶ Ἡγήσιππος ἄνδρες σοφώτατοι τῇ τῶν Ἀποστόλων διαδοχῇ παρακολουθήσαντες.

Clemens & Hegesippus viri sapientißimi, Apostolorum temporibus vicini.

Ioanni Tritthemij, libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

HEgesippus natione Iudæus, ad fidem Christi conuersus doctrina & sanctitate in ecclesia Dei admirabilis effulsit: cuius festum cum ceteris Sanctis in martyrologio locum obtinuit.

Cæsaris Baronij S.E.R. Cardinalis, ad annum Christi 167.

AT de his obiter dictis hactenus; in quæ, occasione historiæ ab Hegesippo conscriptæ, casu velut incidimus. Porrò illa magno damno deperdita cùm sit, perpaucis eius fragmentis perfruimur ab Eusebio recitatis.

VITA

VITA SANCTI HEGESIPPI.

PRÆFATIO.

HEGESIPPI, viri [b] sanctissimi iuxtà & sapientissimi vitam (deficientibus, præter paucula fragmenta, eius libris, nec multâ aliunde rerum ab ipso gestarum, seu ob temporum iniuriam, seu ob posteritatis incuriam, mihi suppetente materia) breuiorem dare cogor, quàm vellem: immo quàm hominis optimè de Ecclesia meriti profusa gratia postularet. Vindicare enim quidem ipse res Sanctorum ab obliuione studuerat: & ecce ipsemet vix vindicatus est. Quare hoc saltem, quod de ipso in præsenti restat, quamuis exiguum, per nos, quoad eius fieri potest, Deo opitulante vindicetur.

CAPVT PRIMVM.

Hegesippi genus, patria, ætas, studia.

HEgesippus [a] genere ac stirpe Iudæus fuit, [b] Neruæ Traiani Imp. temporibus, & proximè ab excessu Apostolorum natus. Qua verò vrbe aut patria, quibusue parentibus ac maioribus haud satis exploratum: sed proxima vero sententia habetur, in terra Syria editum esse & educatum. [c] Litterarum quidem sanè, ac meliorum artium disciplinis non mediocriter instructus fuit: ac tres minimùm linguas, Syriacam, Hebraicam, Græcam calluit. Quin & Latinā quoque ob diuturnum in vrbe Roma domicilium, (quippe [d] nouem decémue annos ibi exegit) etiam haud ignorasse meritò existimatur. Imbutus autem à puero, patrijs legibus, & institutis Iudaicis cùm esset, audita Christi IESV salutari doctrina, atque eius sanctissima lege adamata, cupidè ad ipsam, trahente intus Spiritu, transijt; totísque, quod aiunt, vlnis amplexus est. Igitur ad diligentem sacri euangelij lectionem tanquam sibi maximè necessariam, primò ac præcipuè animum applicauit. Didicerat enim à fratribus, ibi descriptam, ibi commendatam esse omnis Christianæ disciplinæ formam: ibi totam ipsius nouæ legis simul & legislatoris viuam effigiem ad amussim expressam: ibi lecturum se in Domini sui vita, quid seruus ipse aut præstare possit, aut debeat imitari: recogniturum itidem, quam bene antiqua lex nouam adumbrauerit, & noua antiquam (velut datâ vitâ) perfecerit. Et verò, postquam se illi lectioni penitus dedidit, miratus homo Iudæus tantam vtriusque instrumenti inter se consensionem, adeo æterni Verbi sermonibus viuificis captus est, vt extra hanc vnam omnis ferè alia lectio displiceret ac desiperet. Hic enim *hauriebat aquas in gaudio de fontibus Saluatoris:* hic diuina gustabat eloquia

LINGVARVM COGNITIO.

EVANGELII LECTIO COMMENDATA.

Isaiæ 12 ver. 3.

eloquia dulciora super mel & fauum: hìc sanctioris vitæ pręcepta cōdiscebat, hic denique gratiam & stimulos ad ea seruanda persentiebat. Quare cū ea Domini verba legisset, quæ de triplicibus eunuchis & de puritate castimoniæ disseruit, ea sibi dicta arbitratus, castam ac cælibem vitam elegit. Hæc illi & ad retinendum fidei semen, quod in se diuinitus iactum receperat, & ad eius vberes fructus proferendas, permagno adiumento fuit. Nam ab omnibus coniugij impedimentis liber, totus sibi, totus Christo, totus amplificandæ fidei vacare. Et quidem, seu huius respectu libertatis, seu modestiæ tenuiter de se sentientis instinctu, nullum inter honoratos Ecclesiæ gradus sacrum ordinem admisit; sed satis habuit Christiani philosophi more, omnem vbique & apud omnes serendorum de Christo sermonum ansam arripere, & quotquot posset, à multiplici & vana Deorum superstitione, ad veram vnius Dei religionem atque cultum traducere. Ita duplex illi studium ferè cordi fuit: vnum, ad discipulos Apostolorum, & ad alios magnæ sanctitatis viros se applicandi à quibus virtutem & præclara maiorum facta addisceret: alterum, ad rudes fidei, & legis nostrę ignaros ventitandi, quos è tenebris ignorantiæ ad lucem veritatis educeret, & quę didicerat, edoceret. Dignum sanè vtrumque studium, in quod deuoti alienę saluti homines toti incumbant. Nam ad prius quidem quod attinet, perquàm exactè mihi obseruasse Hegesippus illud præclarum Ecclesiastici pręceptum videtur, quo dixit: *In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere: vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant te.* Nam certè Apostolorum discipulis, & ecclesię Senioribus seu Presbyteris ita ex corde coniunctus fuit, vt non solùm narrationes Dei ab illis audiuerit, aut prouerbia laudis acceperit; sed ipsorum quoque eximium spiritum ac mores sanctissimos animo imbiberit, & tam vitę suę instituto, quàm doctrina & stilo repræsentarit. Hinc & S. Lucam in eo sibi imitandum proposuit: quòd vt ille eorum Apostolorum, quos viderat & sectatus fuerat, vel de quibus etiam certa miniméque dubia audierat, acta & prodigia litterarum monumentis prodidit; sic & ipse eorum, quos ille omisisset, aut de quibus pauca & paucis dixisset, virtutes & memoria dignos actus in commentarios referret. Quod quidem institutum facta clarorum virorum perquirendi ac perscribendi, cùm & olim quàm maximè, tum & nunc quoque ætatis, semper laudatum, & commendatum, & vsurpatum est, non à nostris modò hominibus, hoc est, Christianis, sed ab alienis quoque, tam Gentilibus, quā alijs, seu Grecis, seu Latinis, (sed tamē à nostris potissimè) sacrarū scilicet exemplo litterarum, quę in vitę humanę vsum tot nobis ac tantorū in vtramque partem, seu Patriarcharum & Prophetarum, seu aliorum illustrium virorum res præclarè gestas; seu quorundā itidem improba atque impia flagitia,

CÆLIBIS VITÆ ÆSTIMATIO.

CVM VIRIS SANCTIS CONSVETVDO.

Ecclesiastici 6. ver. 35.

HEGESIPPVS S. LVCÆ IMITATOR.

HISTORIÆ SACRÆ STVDIVM AD VITAM PROBE DEGENDAM PERVTILE.

flagitia, iisque dignos exitus, illas quidem ad amplexum atque imitationem, hęc verò ad detestationem atque fugam, oculis omnium exposuerunt. Hegesippus igitur per eorum vestigia publicas fratrum suorum commoditates quęrens, quamdiu quidem in Syria fuit, ea omnia studiosè perquisiuit, quæ illic à Domini discipulis facta memorabantur: qualis videlicet S. Iacobi, primi Hierosolymorum Episcopi vita, qualis excessus fuisset: quis illi successor, & quo pacto datus: quem viuendi morem inter Iudæos & Gentiles tam ipse, quàm consecuti illius ecclesiæ rectores tenuissent: quæ ad fidem confirmandam, augendámue salutaria prodigia designasset: quænam ipsorum & vbinam locorum gloriosa restarent, (si qua restarent) monumēta. Ex his enim, alijsque ad rem Ecclesiæ spectantibus, aliquam sacræ historiæ imaginem iam tum animo informabat, quam suo tempore ad posteritatis memoriam in lucem daret. Quod & postea fecit. Interim fratrum Iudæorum nimis à noua Christi lege abhorrentium maior quædam cura coquebat animum. Sic enim eorum sitiebat salutem, vt suam ipsius in illa agi existimaret. Cum illis igitur frequens erat, de fide disserebat, sacras litteras tractabat, Prophetarum vaticinia examinabat: denique veteris illius legis vmbras cum nouę ac recentis veritate perquam consentientes ostendebat. Pręter ceteros autem fructus, quos in eorum ad veram & vnicam fidem conuersione præcipuos percepit, illud etiam accessit, quòd illius gentis impedimenta ac retinacula, quibus à nostra amplectēda religione potissimùm abstraherentur, peruiderit: atque illius temporis principales inter ipsos sectas ad hoc didicerit, vt ex ijs aduersus se inuicem pugnantibus necessarium contra ipsorum venena antidotum conficeret.

Quænam porrò fuerint eæ sectæ, ipsiusmet beati Hegesippi verbis pòst referemus: nunc eius è Syria peregrinationes, & fructuosos labores persequamur.

CAPVT II.

Hegesippi, religionis ac fidei caussa, in terras exteras M. Aurelio Antonino & Lucio Vero Impp. sancta peregrinatio.

QVæ homines è terra sua ad peregrinandum vulgò moueant, variæ caussæ sunt; quę autem S. Hegesippum ex Oriente in Occidentem mouit, prima & fere vnica fuit, fidei, religionísque propugnatio & propagatio. Quæ & nonnullos alios eodem ęuo pręstantes Christi athletas ad idem præstandū permouit. Inerat enim in illo adolescētis Ecclesię statu magnis animis patrię & parentū & amicorū ac rerum denique omniū prę vnius Dei honore, & fidei amplificatione mira despiciētia, vt nec loco vlli per vilē atque ignobilē affectum affixi hærerent: nec aliter propinquos & consanguineos, quàm

PEREGRINATIONIS SANCTORVM CAVSSÆ, PIETAS ET FIDEI AMPLIFICATIO.

vt Christi Domini sui sanguine gratiáque respersos aspicerent: aut certè, si aliqui ex ijs in erroribus ac tenebris adhuc versarentur, eos non alio quàm fratrum loco haberent, sed graui morbo laborantiũ, quibus ad veram fidei lucem hauriendam, ac perfectam animæ sanitatem in salutis lauacro capessendã, totis animi corporísque viribus succurrerent. Neque verò vnum dumtaxat atque alterum Ecclesiæ membrum, sed totum ipsum Christi corpus ex cordis latitudine & exuberante Dei gratia (dignum factũ quod posteri Antistites, & quicumque doctrina & auctoritate multis præpollent, imitentur) sibi amplectendum, ac strennuè propugnandum existimabant. Hinc & illò sese promptissimi conferebant, quocumque ipsos Ecclesię necessitas, vel ex pastorum penuria, vel ex grassantium hęreticorũ, ceu luporum, multitudine, ad protegendum Christi gregem inuitabat. Iam ergo, cùm M. Aurelio Antonino & Lucio Vero Imp. illi à Cerdone, & Valentino, & Marcione perquam famosis hęresiarchis vrbem Romam, tanquam orbis & fidei caput ac munimentum, ad suos spargẽdos errores, & puras Ecclesiæ Virginis aquas conturbandas insedissent, ibidémque non minimam animarum stragem[c] Marcellina, audacior quàm pro suo sexu femina, Gnosticorum studens partibus, passim ederet (valent enim haud parum apud plurimos clararum illecebræ feminarum) tunc, inquam, singulari Dei prouidentia permoti quidam Ecclesiæ duces, & quà virtute, quà eruditione antesignani iter eodem arripuerunt, ac[d] præter magnum Polycarpum, qui Marcionem confudit; præter Iustinum Philosophum, qui Christianorum caussam apud Imperatores egit, præter hos, inquam, ac nonnullos alios, etiam Hegesippus Syrus ad Anicetum Põtificem itidem Syrum, non mediocri futurus ipsi auxilio, tam aduersus hæreticos, quàm pro cõfirmandis ecclesiæ institutis se cõtulit. Et quò à multarum cognitione Pontificiarum sedium, quas ipsi fundassent Apostoli, veniret instructior; statuit per hoc iter earum regionum, quas pertransibat, Episcopos ac Seniores ecclesiarum conuenire, & cum ijs de progressu Euangelij, de opinionum conformitate, de locorum consuetudinibus, de vagantium hæreseon dolis ac fraudibus, déque alijs eiusmodi rebus ad FIDEI confirmationem augmentúmque pertinẽtibus communicare: ac simul ea, quæ ex vsu veræ pietatis ac religionis esse cognosceret, pro condenda Ecclesiæ historia diligenter annotare. Ita igitur fecit: & quacumque transiuit, amicissima Episcoporum hospitalitate exceptus, vnam eandémque illorum omnium doctrinæ formam atque institutionem esse comperit. Qnod & in libris suis, quos postea in lucẽ edidit, testatum reliquit. Vnius porrò Episcopi, quem in eadem sua peregrinatione conuenerit, & cuius suauissima vsus cõsuetudine, complusculos dies summa vtriusque tam sua quàm illius voluptate commoratus sit, nominatim commeminit. Is autem erat

ecclesiæ

ecclesiæ Corinthiorum à Paullo Apostolo ad illud vsque tempus florentissimę Antistes, PRIMVS nomine, cuius memoria ob fidei rectitudinem, & doctrinę cum alijs sanctis Præsulibus conformitatem, ex hospitis sui S. Hegesippi scriptis, in benedictione perennauit. Cuius alioqui mentio apud Scriptores alios nulla reperitur: nisi si fortè is sit *Primus*, qui Alexandrinæ ecclesiæ quartus Antistes recensetur, & qui ab illa ad Corinthiorum (quod illis temporibus erat non infrequens) diœcesim transierit. Verùm hoc, vt nimis incertum, minimè assertũ velim. Hegesippus autem, vt Romam ad S. Anicetum Pontificem, popularem suum peruenit; tanto maiore ab illo beneuolentia & honore susceptus est, quanto plus eum itineris ac molestiarum pro communi Ecclesiæ bono suscepisse recognouit. Sed tum prę sertim sanctissimus Pontifex singulari perfusus est animi gaudio & consolatione, cùm lętos plurimarum ecclesiarum successus simul cum vnius & eiusdem doctrinæ cõformitate ex eiusdẽ ore, tanquam certi & oculati testis, verissimè intellexit. Denique latè diffuso eximiæ virtutis ac sapientiæ odore, anima Aniceti conglutinata est animæ Hegesippi, fuítque duorum velut cor vnum & anima vna: neque, quoad superstes Anicetus fuit, ab illo separatus est Hegesippus: immo & proximi duo Pontifices Soter & Eleutherus spectata eius viri integra fide ac prudentia, itémque morum facilitate, ipsum itidem Romę, tanquã sibi ad Ecclesiæ negotia (quorum erat scientissimus) perutilẽ detinuerunt. Sed quò illinc demigrarit, & vbi reliquam vitæ suę ætatem degerit, quídue rerum (excepta librorum, de quibus infrà agetur, conscriptione) gesserit, à penuria litterarum extra omnem nunc est memoriam. Eum porrò fuisse illo æuo [e] inter primos tuendæ veritatis antesignanos, ipsa ecclesię sacra historia disertè protestatur; cùm post recensitos falsorum atque impiorum dogmatum huius sęculi præcipuos duces, quos spiritus erroris in campum emiserat; dicitur ipsa quoque Veritas complures egregios fidei propugnatores in aciem eduxisse, qui nõ validis dumtaxat disputationum suarum aculeis, sed scriptis etiam libris, velut maioribus machinis, aduersus erumpentes hæreses depugnarent. Quorum in numero primus noster sanctus Hegesippus producitur, deinde beatus Iustinus Philosophus, & secundùm hos alij atque alij: quorum insignes de fusis fugatísque hostibus prostant victoriæ. Ac libri quidem & scripta Hegesippi, cùm ad Apostolicæ institutionis declarandam retinendámque puritatem haud mediocre momentum attulerint; tum verò ad pullulantium hęreseon errores detegendos, profligandósque plurimùm potuerunt. Nam prima ipsa cœnosorum riuulorum capita, & principes scaturigines, è quibus tot postea tam inter Iudęos, quàm inter Christianos dissentientes sectæ dimanarunt, clarè ac distinctè, si quis alius, aperuit. Quod ex ipsis quoque eius fragmentis, quæ bre-

ui pòst ſubijcientur, licebit quadam tenus cognoſcere. Quamuis autem, vt dixi, reliqua eius acta, poſtquam ex vrbe Roma egreſſus eſt, ignota ſint; minimè tamen eſt dubium, quin eius præclaram hactenus, & plenam ſaluberrimi exempli vitam, ac ſimul perquàm conducibilem, tam pro dilatatione fidei, quàm pro exſtirpatione hæreſeon, peregrinationem finis conſentaneus, & aureo dignus principio terminarit. Nam eius felicem exceſſum,[f] (qui in Commodi Imp. tempora incidit) & beatam inter Sanctos receptionem tabulę eccleſiaſticæ & latina martyrologia (quæ diem ipſius natalem ſeptimo Aprilis adſcriptum habent) liquidò conteſtantur. Romanum quidem ſanè tali eum proſequitur elogio:

Romæ, ſancti Hegeſippi, qui vicinus Apoſtolorum temporibus Romam venit ad Anicetum Pontificem, ibíque manſit vſque ad Eleutherum, & eccleſiaſticorum Actuum à Paßione Domini vſque ad ſuam ætatem ſermone ſimplici texuit hiſtoriam: vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem.

[h] His conſonant & alia Latinorum martyrologia. Nam in Græcorum Menæo & Menologio (qua id quidem ratione factum ſit, haud exploratum prorſus habeo) altiſſimum eſt de beato Hegeſippo ſilentium. Hac tamen potiſſimè de cauſſa id accidiſſe ſuſpicor: quòd longè ab illis peregrinatus, atque in terra aliena diutiſſimè commoratus, ac denique (incertum vbi) peregrè vita functus, omnem illis ſui exceſſus abſtulerit memoriam. Ita enim & cùm alijs non paucis, qui inter exteros vitam olim amiſere, factum eſſe prodit cùm ipſa apud populares ſuos ignoratio, tum apud alienigenas celebris memoria. Sed de beati Hegeſippi vita hactenus ſatis: nunc de ipſius ſcriptis aliquid attingendum eſt.

CAPVT III.

Scriptorum S. Hegeſippi recenſio, & eorum quædam Fragmenta.

[a] Libri, quos ſcripſit S. Hegeſippus (qui noti quidem iam ſint) quinque numero fuerunt,[b] inſcripti græcè Ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων, *Commentarij actuum eccleſiaſticorum.*

Quibus commentarijs ea accepta referimus, quæ de S. Iacobo Iuſto, fratre Domini, & primo Hieroſolymorum Epiſcopo à fratribus Apoſtolis conſtituto longè pulcherrima, ſedulo Euſebij Cæſarienſis ſtudio conſeruata ad nos vſque peruenerunt: quę alioqui magno Eccleſiæ damno (cui nunc ad exemplum proſunt) penitus interiſſent: nempe inter alia, tantæ hunc S. Iacobum fuiſſe abſtinentiæ; vt ſibi volens præſcripſerit, nec animalium carnibus veſci, nec vino ſiceráue vti: tantæ pietatis; vt ſua illi pro peccatis populi continua genuflexio, atque ad Dominum deprecatio genibus callum induxerit: tantę carita-

caritatis ac manſuetudinis; vt inter vulnera & mortem pro interfectoribus ſuis voces interceſſionis ad Deum Patrem, curuatis poplitibus, animo erecto allegarit: tantæ poſtremò æquitatis atque iuſtitię, vt paſſim ac cõmuniter modò *IVSTVS*, modò *POPVLI PRÆSIDIVM* à populo ipſo appellatus ſit.

Acceptam quoque iiſdem debemus commentarijs illam, licet perbreuem, tamen perilluſtrem de beato Symeone, Saluatoris noſtri propinquo, & ſecundo Hieroſolymorum Epiſcopo hiſtoriam, in qua illud egregium animi robur, & ſolida inuictæ mentis conſtantia deſcribitur, quâ eximius ille ſenex, & fidei veteranus athleta, ipſos centum & viginti annos natus, poſt grauiſſimos multorum dierum cruciatus, mortem quoque multò acerbiſſimam generoſo pertulit animo. Verùm & hæc & alia in ipſiuſmet ſancti viri fragmentis, quæ mox, velut immortalia tanti viri monumenta, ſubmittam, lucidiùs apparebunt. Ea ſunt quinque pręcipua.

FRAGMENTA S. HEGESIPPI.

I[m]. *De S. Iacobo Fratre Domini, è lib. 5. S. Hegeſippi.*

Quod ita laudat Euſebius libro 2. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 23. editionis græcæ, latinæ autem 22.

Τὸν δὲ τῆς τοῦ Ἰακώβου τελευτῆς τρόπον αἱ παρατεθεῖσαι τοῦ Κλήμεντος φωναὶ δεδηλώκασιν, ἀπὸ τοῦ πτερυγίου βεβλῆσθαι, ξύλῳ τε τὴν πρὸς θάνατον πεπλῆχθαι αὐτὸν ἱστορηκότος. ἀκριβέστατά γε μὴν τὰ κατ᾽ αὐτὸν ὁ Ἡγήσιππος ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν Ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς, ἐν τῷ πέμπτῳ αὐτοῦ ὑπομνήματι, τοῦτον λέγων ἱστορεῖ τὸν τρόπον.

Mortis Iacobi modum iam quidem priùs propoſita Clemẽtis verba demonſtrarunt, cum ſcilicet de pinnaculo deiectum, & ligno ad mortem percuſſum eſſe referentis: accuratiſſimè tamen ea, quæ ad eum ſpectant, Hegeſippus, qui Apoſtolorum ætatem proximè excepit, in quinto ſuorum commentariorum libro tradit ad hunc modum.

S. Hegeſippi verba:

Διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων Δίκαιος, ἀπὸ τῶν τοῦ κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν· ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο.

[b] Suſcipit eccleſiam [Hieroſolymitanam] ab Apoſtolis Iacobus, frater Domini, vſque ab ipſis Domini temporibus, Iuſti nomine paſſim appellatus: quoniam multi Iacobi appellabantur. VITÆ AVSTERITAS.

Οὗτος δὲ ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ἅγιος ἦν. Οἶνον καὶ σίκερα οὐκ ἔπιεν·

Hic autem ab vtero matris ſuę ſanctus fuit.[c] Vinum & ſiceram

non

non bibit: nec animatum comedit, nec nouacula caput totōdit, nec oleo est vnctus, nec balneo vsus.

οὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγε· ξυρὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐκ ἀνέβη. ἔλαιον οὐκ ἠλείψατο· καὶ βαλανείῳ οὐκ ἐχρήσατο.

[d] Huic soli in Sancta licebat introire. Nec enim laneo vtebatur indumento, sed sindone.

Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας.

GENVFLEXIO S. IACOBI ASSIDVA.

Et solus ingrediebatur in templum, & genibus humi flexis, pro peccatis populi veniam efflagitabat; ita vt illi continua geniculatio in Dei adoratione, & pro populo deprecatione, callum genibus, cameli instar, obduxerit.

Καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν· ηὑρίσκετό τε κείμενος ἐπὶ τοῖς γόνασι, καὶ αἰτούμενος ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἄφεσιν, ὡς ἀπεσκληκέναι τὰ γόνατα αὐτοῦ δίκην καμήλου, διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ γόνυ προσκυνοῦντα τῷ θεῷ, καὶ αἰτεῖσθαι ἄφεσιν τῷ λαῷ.

Propter suam porrò præcellentem iustitiam saddik & oz-liam appellitabatur, quod latinè *præsidium populi* & *iustitiam* denotat. Quemadmodū de illo Prophetæ significant.

Διά γέ τοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐκαλεῖτο Σαδδὶκ, καὶ Ὠς-λιάμ, ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ, περιοχὴ τοῦ λαοῦ, καὶ δικαιοσύνη. ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ.

Quidam igitur è septem hæreseon populi Iudaici à nobis priùs in commentarijs descriptarum sectatoribus, ex eo sciscitabantur; quódnam esset ostium Iesu? ille autem respondebat esse Saluatorem. Horum ergo nonnulli crediderunt Iesum esse Christum.

Τινὲς οὖν τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων, τῶν ἐν τῷ λαῷ, τῶν προγεγραμμένων μοι ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ἐπυνθάνοντο αὐτοῦ, τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ; Καὶ ἔλεγε τοῦτον εἶναι τὸν Σωτῆρα. ἐξ ὧν τινες ἐπίστευσαν, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός.

Hæreses porrò, de quibus antè scripsi, non credebant, neque resurrectionem, neque eum, qui venit, redditurum vnicuique secūdùm opera sua. Quotquot autem crediderunt, Iacobi operâ crediderunt.

Αἱ δὲ αἱρέσεις αἱ προγεγραμμέναι οὐκ ἐπίστευον, οὔτε ἀνάστασιν, οὔτε ἐρχόμενον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. ὅσοι δὲ καὶ ἐπίστευσαν, διὰ Ἰάκωβον ἐπίστευσαν.

Cùm igitur plerique etiam ex principibus crederent; tumultus concitatus est Iudæorum, & Scribarum, & Pharisæorum, dicentium perparum abesse, quin omnis populus Iesum credat esse Christum. Itaque Iacobum conuenientes dicebant:

Πολλῶν οὖν καὶ τῶν ἀρχόντων πιστευόντων, ἦν θόρυβος τῶν Ἰουδαίων, καὶ Γραμματέων, καὶ Φαρισαίων λεγόντων, ὅτι κινδυνεύει πᾶς ὁ λαὸς Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν προσδοκᾶν. Ἔλεγον οὖν συνελθόντες τῷ Ἰακώβῳ·

Πά-

Παρακαλοῦμέν σε, ἐπίσχες τὸν λαόν· ἐπεὶ ἐπλανήθη εἰς Ἰησοῦν, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Χριστοῦ. Παρακαλοῦμέν σε πεῖσαι πάντας τοὺς ἐλθόντας εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ Πάσχα, περὶ Ἰησοῦ. Σοὶ γὰρ πάντες πειθόμεθα. ἡμεῖς γὰρ μαρτυροῦμέν σοι, καὶ πᾶς ὁ λαός, ὅτι δίκαιος εἶ, καὶ ὅτι πρόσωπον οὐ λαμβάνεις. πεῖσον οὖν σὺ τὸν ὄχλον περὶ Ἰησοῦ μὴ πλανᾶσθαι. Καὶ γὰρ πᾶς ὁ λαός, καὶ πάντες πειθόμεθά σοι. Στῆθι οὖν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, ἵνα ἄνωθεν ῇς ἐπιφανής, καὶ ᾖ εὐάκουστά σου τὰ ῥήματα παντὶ τῷ λαῷ. Διὰ γὰρ τὸ πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν.

Rogamus te, inhibe populum, siquidem ad Iesum, quasi is verè sit Christus, aberrauit. Rogamus te, vt omnibus, qui ad diem Pascha conuenerunt, de Iesu persuadeas. Nam tibi omnes fidem habemus. Nos enim protestamur & omnis populus nobiscum vnà, te iustum esse, nec personam accipere. Persuade igitur multitudini de Iesu, vt ne erret: quandoquidem omnis populus, & vniuersi credimus tibi. Siste proinde te supra templi pinnaculum, vt ex alto sis conspicuus, & exaudiri poßint à toto populo verba tua. Nam propter pascha tribus omnes vnà cum Gentilibus conuenêre.

Ἔστησαν οὖν οἱ προειρημένοι Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι τὸν Ἰάκωβον ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, καὶ ἔκραξαν αὐτῷ, καὶ εἶπον· Δίκαιε, ᾧ πάντες πείθεσθαι ὀφείλομεν, ἐπεὶ ὁ λαὸς πλανᾶται, ὀπίσω Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος, ἀπάγγειλον ἡμῖν τίς ἡ θύρα Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος; καὶ ἀπεκρίνατο φωνῇ μεγάλῃ. Τί με ἐπερωτᾶτε περὶ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου; Καὶ αὐτὸς κάθηται ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐκ δεξιῶν τῆς μεγάλης δυνάμεως, καὶ μέλλει ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ πολλῶν πληροφορηθέντων καὶ δοξαζόντων, ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου καὶ λεγόντων· Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυίδ, τότε πάλιν οἱ αὐτοὶ Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον· Κακῶς ἐποιήσαμεν, τοιαύτην μαρτυρίαν παρασχόντες τῷ Ἰησοῦ· ἀλλὰ ἀναβάντες καταβάλωμεν αὐτόν, ἵνα φοβηθέντες μὴ πιστεύσωσιν αὐτῷ. Καὶ ἔκραξαν λέγοντες. Ὢ ὤ, καὶ ὁ Δίκαιος ἐπλανήθη.

Statuerunt ergo antè nominati Scribæ & Pharisæi Iacobum super templi pinnaculum, atque ad eum clamauerunt, & dixerunt: *Iuste, cui omnes credere debemus, quandoquidem populus hic errat, Iesum, qui fuit crucifixus, sequens: annuntia nobis, quod est ostium Iesu, qui crucifixus fuit?* Et respondit voce magnâ. *Quid me interrogatis de Iesu, filio hominis? Ipse enim sedet in cælo à dextris magnæ Virtutis, & venturus est in nubibus cæli.* Multis porrò id persuasum habẽtibus, & Deum propter Iacobi testimoniũ glorificãtibus, ac dicentibus: *Osanna Filio Dauid*, tũ exaduerso ijdẽ Scribæ & Pharisæi inter sese dicebãt: *Malè fecimus, qui tale Iesu testimoniũ tribuerimus: verùm ascendamus, & illũ præcipitemus: vt homines perterrefacti fidẽ illi non habeant:* tum & clamauerunt dicentes: *Heu, heu, etiam Iustus errauit.* Et

Isaia 3. ver. 10. iuxta 70.

Et Scripturam illam impleuerunt in Isaiâ descriptam: *Tollamus iustum, quoniam inutilis est nobis. Igitur fructus operum suorum comedent.*

καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφὴν τὴν ἐν τῷ Ἰσαΐᾳ γεγραμμένην. Ἄρωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. Τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται.

Precatio S. Iacobi pro inimicis.

Luca 23. ver. 34.

Ieremia 35. ver. 5 & seqq.

Ascenderunt igitur, & deiecerunt Iustum, & dixerũt inuicem. *Lapidemus Iacobum Iustum*: & inceperunt eum lapidare. Præcipitatus enim non interierat, sed cõuersus & geniculatus dicebat: *Precor te Domine Deus Pater, dimitte illis. Nõ enim sciunt, quid faciunt.* Sic ergo lapidibus cũ impeteretur, vnus Sacerdotũ è filijs Rechab filij illorum Rechabitarũ, qui Ieremię Prophetę testimonio commendantur acclamauit dicens: *Cessate, quid facitis? Iustus pro vobis precatur.* Et quidam ex illis, arte fullo arreptum lignum, quo vestes premebat, in caput Iusti impegit: atque ita martyrium obijt. Quem & eodem in loco sepeliuerunt, manétque etiamnum eius columna prope templum.

Ἀναβάντες οὖν κατέβαλον τὸν δίκαιον, καὶ ἔλεγον ἀλλήλοις· Λιθάσωμεν Ἰάκωβον τὸν δίκαιον· καὶ ἤρξαντο λιθάζειν αὐτόν· ἐπεὶ καταβληθεὶς οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ στραφεὶς ἔθηκε τὰ γόνατα λέγων· παρακαλῶ κύριε θεὲ πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσιν. οὕτω δὲ καταλιθοβολούντων αὐτὸν εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ υἱοῦ Ῥεχαβεὶμ τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου, ἔκραζε λέγων· Παύσασθε· Τί ποιεῖτε; εὔχεται ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Δίκαιος. καὶ λαβών τις ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν κναφέων τὸ ξύλον, ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια, ἤνεγκε κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ Δικαίου. καὶ οὕτως ἐμαρτύρησεν. Καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ. καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ.

Testis hic verus tam Iudæis, quàm Gentilibus fuit, Iesum esse Christum.

Μάρτυς οὗτος ἀληθὴς Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι γεγένηται, ὅτι Ἰησοῦς Χριστός ἐστι.

Statim exinde Vespasianus Iudæam cingit, & Iudæos in seruitutem redigit.

Καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν αἰχμαλωτίσας αὐτούς.

Hactenus de S. Iacobo fratre Domini, verba Hegesippi, valde ijs consentanea, quæ de eodem B. Clemens Alexandrinus postea perscripsit. Hoc enim & Eusebius ipse testatur, cùm verbis Hegesippi ita subdit: Ταῦτα διὰ πλάτους συνῳδὰ τῷ γε Κλήμεντι ὁ Ἡγήσιππος. *Hæc latè Hegesippus Clementi consona.*

Scripsit autem illa Clemens Alexandrinus libro 6. hypotyposeon, quæ proferemus cum Dei gratia, vbi illò venerimus: nunc ad alia fragmenta.

II. FRAG-

II. FRAGMENTVM.

De persecutione cognatorum Christi Domini sub Domitiano Imp.

EXstat id, quod mox subiungetur fragmentum, apud Eusebium libro 3. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15. & græcè 20. cum hoc eius testimonio: Ταῦτα δὲ δηλοῖ κατὰ λέξιν, ὧδέ πως λέγων ὁ Ἡγήσιππος. *Hæc ad verbum declarat Hegesippus ita dicens.* Tū ponit illius verba.

Verba Hegesippi.

Ἔτι δὲ περιῆσαν οἱ ἀπὸ γένους τοῦ κυρίου υἱωνοὶ Ἰούδα τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου αὐτοῦ ἀδελφοῦ. οὓς ἐδηλατόρευσαν, ὡς ἐκ γένους ὄντας Δαβίδ.

Adhuc quidam superstites erant ex genere Domini, nepotes Iudę, illius scilicet, qui secundùm carnem frater Domini vocabatur: quos maleuoli tanquàm è stirpe Dauidis ortos detulerunt.

Τούτους ὁ Ἰόκατος ἤγαγε πρὸς Δομετιανὸν Καίσαρα· ἐφοβεῖτο γὰρ τὴν παρουσίαν τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ, ὡς καὶ Ἡρώδης, καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς, εἰ ἐκ Δαβίδ εἰσι· καὶ ὡμολόγησαν. τότε ἠρώτησεν αὐτοὺς, πόσας κτήσεις ἔχουσιν, ἢ πόσων χρημάτων κυριεύουσιν· οἱ δὲ εἶπον ἀμφότεροι, ἐννακισχίλια δηνάρια ὑπάρχειν αὐτοῖς μόνα, ἑκάστῳ αὐτῶν ἀνήκοντος τοῦ ἡμίσεως. καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ἀργυρίοις ἔφασκον ἔχειν, ἀλλ' ἐν διατιμήσει γῆς πλέθρων τριάκοντα ἐννέα μόνων, ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν, καὶ αὐτοὺς αὐτουργοῦντας διατρέφεσθαι. εἶτα δὲ καὶ τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτῶν ἐπιδεικνύναι μαρτύριον τῆς αὐτουργίας τὴν τοῦ σώματος σκληρίαν, καὶ τοὺς ἀπὸ συνεχοῦς ἐργασίας ἐναποτυπωθέντας ἐπὶ τῶν ἰδίων χειρῶν τύλους παριστάντας. ἐρωτηθέντας δὲ περὶ τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὁποία τις εἴη, καὶ πότε, καὶ

Hosce Iocatus deduxit ad Domitianum Cæsarem. Metuebat enim hic Christi præsentiam, sicut & Herodes. Interrogauit porrò illos, si ex Dauide essent. Et ipsi cōfessi sunt. Tum ex ijsdem sciscitatus est, quantas possessiones haberent, & quàm multarum copiarum domini essent. Responderunt ambo, nouem duntaxat millia denarios sibi esse: cuius summæ partem dimidiatam singuli possiderēt: & has quidem facultates non in argento se habere dicebant, sed in agrorum censu, qui triginta nouem terræ iugera solummodò continerent: ex quibus & tributa sibi pendenda essent, & vita ijsdem agris colendis sustentanda. Tum verò, & manus suas ostenderūt, vt sui laboris testimonio esset ipsa durities corporis, & ex cōtinua operatione obductū suis manibus callum. Ferunt deinde interrogatos esse de CHRISTO, & de eius regno, qualénam illud esset, & quando, & vbi

vbi futurum: respōdisse autem ipsos, non mundanum esse illud, neque terrenū; sed cæleste & Angelicum, atque in sęculi consummatione futurum. quando & in gloria venturus esset iudicatum viuos & mortuos, atque redditū vnicuique iuxta sua promerita. Vnde & Domitianum nihil aduersus eos grauiùs statuisse; sed tāquam viles contempsisse, liberósque dimisisse, adeóque decreto suo Ecclesiæ persecutionem sedauisse. Hi verò absoluti ecclesias rexerunt, & tanquam martyres, & tanquam è Domini stirpe procreati, factáque pace ad Traianum vsque in vita permanserunt.

ποῖ φανησομένη, λόγον δοῦναι, ὡς οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδὲ ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει· ἐπὶ συντελείᾳ δὲ τοῦ αἰῶνος γενησομένη, ὁπηνίκα ἐλθὼν ἐν δόξῃ κρινεῖ ζῶντας καὶ νεκρούς, καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ· ἐφ' οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανὸν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλευθέρους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι δὲ διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμόν. τοὺς δὲ ἀπολυθέντας ἡγήσασθαι τῶν ἐκκλησιῶν, ὡς ἂν δὴ μάρτυρας ὁμοῦ καὶ ἀπὸ γένους ὄντας τοῦ κυρίου, γενομένης τε εἰρήνης μέχρι Τραϊανοῦ παραμεῖναι αὐτοὺς τῷ βίῳ.

Atque ista Hegesippus.

Ταῦτα μὲν ὁ Ἡγήσιππος.

Disce hinc nihil aduersus ecclesiæ persecutores & tyrannos humilitate, paupertate, laborum tolerantia fortius esse & tutius. Sic enim duobus Christi Domini cognatis furens comparsit Domitianus. Vnum porrò è duobus illis crediderim fuisse S. Symeonem illum, qui postea sub Traiano Imp. ad cælestem palmam illustri peruenit martyrio. Nam ex eiusdem Hegesippi verbis, licet alio in loco relatis ab Eusebio, videtur id certò colligi. Disiunxit enim re ita exigente Eusebius, quæ vno filo Hegesippus contexuerat. Et quia Symeon sub Domitiano captus fuit & liberatus: hoc in temporibus Domitiani perscripsit: quia verò demum sub Traiano decertauit, hinc ad Traiani tempora martyrium reseruauit. Quod quia ex verbis eiusdem Hegesippi profert, nos quoque illud pro tertio eiusdem sancti Patris fragmento proferemus.

III. FRAGMENTVM.

De S. Symeonis, Filij Cleophæ, martyrio.

Ante beati Hegesippi verba, quò ipsa clariora fiant, dabimus ea, quæ Eusebius illa citans præfatur. Sic ergo, dum Traiani persequitur tempora, lib. 3. historiæ, cap. 32. græcæ editionis, vel 26. latinę perscribit:

Post Neronem & Domitianū, sub illo cuius nunc tempora inquirimus [Traiano scilicet] perse-

Μετὰ Νέρωνα καὶ Δομετιανὸν, κατὰ τοῦτον, οὗ νῦν τοὺς χρόνους ἐξετάζομεν, μερικῶς καὶ κατὰ πόλεις ἐξ ἐπαναστά-

σεως δήμων τὸν καθ' ἡμῶν κατέχει λόγος ἀνακινηθῆναι διωγμόν. ἐν ᾧ Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ, ὃν δεύτερον καταστῆναι τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας Ἐπίσκοπον ἐδηλώσαμεν, μαρτυρίῳ τὸν βίον ἀναλῦσαι παρειλήφαμεν.

cutionem particulatim & singulas per ciuitates ex commotione populorum suscitatam esse fama perhibet. Qua in persecutione Symeonem Cleophæ filiũ, quem secundum ecclesię Hierosolymitanæ cõstitutum Episcopum declarauimus, martyrio vitam finiuisse accepimus.

Καὶ τούτου μάρτυς αὐτὸς ἐκεῖνος, οὗ διαφόροις ἔτι πρότερον ἐχρησάμεθα φωναῖς, Ἡγήσιππος.

Et huius rei testis est ille, cuius adhuc varijs iam priùs verbis vsi sumus, Hegesippus.

Περί τινων γοῦν αἱρετικῶν ἱστορῶν ἐπιφέρει δηλῶν, ὡς ἄρα ὑπὸ τούτων κατὰ τόνδε τὸν χρόνον ὑπομείνας κατηγορίαν πολυτρόπως ὁ δηλούμενος, ὡς ἂν Χριστιανὸς ἐπὶ πλείσταις αἰκισθεὶς ἡμέραις, αὐτόν τε τὸν δικαστὴν καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν εἰς τὰ μέγιστα καταπλήξας, τῷ τοῦ κυρίου πάθει παραπλήσιον τέλος ἀπηνέγκατο.

De certis igitur scribens hæreticis perspicuè adiungit, ab illis sub hoc idem tempus eum, quem multifariam indicauimus, accusatum fuisse, tanquam Christianum, & dies complures excruciatum, tam Iudici ipsi, quàm eius assessoribus maximam creasse admirationem, qui demum finem Christi passioni consimilem est consecutus.

Οὐδὲν δ' οἷον, καὶ τοῦ συγγραφέως ἐπακοῦσαι αὐτὰ δὴ ταῦτα κατὰ λέξιν ὧδέ πως ἱστοροῦντος.

Sed nihil melius, quàm ipsius Scriptoris *Hegesippi* ipsamet verba audire, rem eandem sic memorantis:

S. Hegesippi verba:

Ἀπὸ τούτων, δηλαδὴ τῶν αἱρετικῶν, κατηγοροῦσί τινες Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ, ὡς ὄντος ἀπὸ Δαβίδ, καὶ Χριστιανοῦ. καὶ οὕτως μαρτυρεῖ ἐτῶν ὢν ἑκατὸν εἴκοσι, ἐπὶ Τραιανοῦ Καίσαρος, καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ.

Ex his, nempe hæreticis, accusant quidam Symeonẽ Cleophæ, tanquam qui & ex genere Dauidis esset, & Christianus: atque ita martyrium obit annos natus cẽtum viginti, sub Traiano Imp. & Attico Consulari.

Posthæc adijcit de eodem Hegesippo Eusebius:

Φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς, ὡς ἄρα καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ, ζητουμένων τότε τῶν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς Ἰουδαίων φυλῆς, ὡς ἂν ἐξ αὐτῆς ὄντας, ἁλῶναι συνέβη.

Ait verò idem Hegesippus contigisse, vt cùm tunc inquirerentur ij, qui è regia Iudæorum tribu erant, ipsi Symeonis accusatores (vtpote qui ex ea essent) comprehenderentur.

Ita quonnunquam fit, vt impij retibus ijsdem capiantur, quæ tetenderunt alijs. Quod hîc factũ nesciremus, nisi noster hic scripto mandasset Hegesippus: & nisi verba Hegesippi nobis reseruasset Eusebius.

IV. FRAGMENTVM.

De eiusdem S. Symeonis martyrio.

Duobus locis scripserat de S. Symeone B. Hegesippus, aut bis potiùs in vno loco, semel breuiùs & generaliùs, vt in eo quem paullo superiùs produximus; semel latiùs & particulariùs, adeóque expressiùs, vt hoc quem iam cum Eusebij præfatione producemus.

Sic igitur proximè citato capite Eusebius:

Idem Scriptor [Hegesippus] alios quoque è genere vnius eorũ, qui Saluatoris fratres dicebantur, cui Iudas erat nomen, dicit ad hoc ipsum Traiani imperium superstites fuisse, post iam priùs narratum ipsorum de fide in Christum sub Domitiano testimonium.

Ὁ δ᾽ αὐτὸς συγγραφεὺς καὶ ἑτέρους ἀπὸ γένους ἑνὸς τῶν φερομένων ἀδελφῶν τοῦ σωτῆρος, ᾧ ὄνομα Ἰούδας, φησὶν εἰς τὴν αὐτὴν ἐπιβιῶναι βασιλείαν, μετὰ τὴν ἤδη πρότερον ἱστορηθεῖσαν αὐτῶν ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἐπὶ Δομετιανοῦ μαρτυρίαν.

Scribit verò sic:

Γράφει δὲ οὕτως.

Verba S. Hegesippi:

Veniunt igitur, & omni præsunt ecclesiæ, tanquam martyres, & tanquam è Domini progenie: & profundam pacẽ vniuersâ tenente ecclesiâ permanent vsque ad Traianum Imperatorem: cuius temporibus ille ex Domini stirpe iam dictus Symeon, filius Cleophæ, ab hęreticis appetitus calumnijs, similiter eâdem de caussa est accusatus sub Attico Consulari, atque ad dies multos supplicijs affectus martyriũ obijt: ita vt omnes, & Consularis ipse, supra modum mirarentur, quomodo vir centum viginti annos natus ista sustineret: qui & cruci iussus est suffigi.

Ἔρχονται οὖν καὶ προηγοῦνται πάσης ἐκκλησίας ὡς μάρτυρες, καὶ ὡς ἀπὸ γένους τοῦ κυρίου. Καὶ γενομένης εἰρήνης βαθείας ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ μένουσι μέχρι Τραϊανοῦ Καίσαρος· μέχρις οὗ ὁ ἐκ θείου τοῦ κυρίου ὁ προειρημένος Συμεὼν υἱὸς Κλωπᾶ συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν, ὡσαύτως κατηγορήθη, καὶ αὐτὸς ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ ἐπὶ Ἀττικοῦ τοῦ ὑπατικοῦ, καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αἰκιζόμενος ἐμαρτύρησεν· ὡς πάντας ὑπερθαυμάζειν, καὶ τὸν ὑπατικόν, πῶς ἑκατὸν εἴκοσι τυγχάνων ἐτῶν ὑπέμεινε, καὶ ἐκελεύσθη σταυρωθῆναι.

Hactenus Hegesippi verba: ex quibus disce vnâ eadémque operâ, & pium Christianorum affectum ac reuerentiam erga martyres, & simul erga Christi consanguineos: (nam eos propterea regimine honoraue-

norauerunt ecclesiarum) & exaduerso incredibile hostis diaboli erga eosdem, Christi caussa, odium; quippe quos à tyrannis perquirendos, vexandos, occidendos curauerit.

V. FRAGMENTVM.

De hæresibus post excessum Apostolorum aperta fronte prodeuntibus.

Ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ διηγούμενος τὰ κατὰ τοὺς δηλουμένους ἐπιλέγει.

Præter hæc, persequens idem vir [Hegesippus] ea, quæ ad dictos spectant hæreticos, addit: Apud Euseb. l. 3. c. 16.

Verba S. Hegesippi.

Ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία, ἐν ἀδήλῳ που σκότει φωλευόντων εἰσέτι τότε τῶν εἰ καί τινες ὑπῆρχον· παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τοῦ σωτηρίου κηρύγματος. ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων χορὸς διάφορον εἰλήφει τοῦ βίου τέλος, παρεληλύθει τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέου σοφίας ἐπακοῦσαι κατηξιωμένων, τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης, οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν Ἀποστόλων λειπομένου γυμνῇ λοιπὸν ἤδη κεφαλῇ τῷ τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν.

Ad illa vsque tempora, virgo integra & incorrupta permansit Ecclesia, tum adhuc latentibus in obscuris tenebris, (si qui tum fortè erant) hæreticis, sanam salutaris prædicationis regulam temerare aggredientibus. At postquam sacer Apostolorum chorus varium sortitus est vitę exitum, & ætas illa eorum præterijt, qui auribus suis Dei audire sapientiam digni facti fuerant; tum demum impij erroris conspiratio per alienorum magistrorum fraudē initium cepit, qui nullo iam Apostolorum superstite, nudo deinceps capite, prædicationi veritatis falsò cognominatam agnitionem opponere aggressi sunt.

Valētiniani scilicet, qui se Gnosticos id est, Cognoscētes siue peritos, quasi alijs eruditione & multarum rerum scientia præcellerent, appellitarunt.

Post quę verba Eusebius, vt ea Hegesippi esse confirmet, mox subdit: Καὶ ταῦτα μὲν οὕτος περὶ τούτων διαλαβὼν ὧδέ πως ἔλεξεν. *Et hæc ille quidem oratione complexus sic retulit.*

VI. FRAGMENTVM.

De ætate Hegesippi.

Adfert hoc fragmentum Eusebius, lib. 4. historiæ, cap. 8. vnà cum laude ipsius Hegesippi, ad ætatem eius, qua floruerit, ostendendam. Sic igitur scribit:

Ἐν τούτοις ἐγνωρίζετο Ἡγήσιππος οὗ πλείσταις ἤδη πρότερον κεχρήμεθα φωναῖς, ὡς ἂν ἐκ τῆς αὐτοῦ παραδόσεως τινα τῶν κατὰ τοὺς Ἀποστόλους παραθέμε-

Inter hos Scriptores claruit Hegesippus, cuius iā plurimis vsi sumus testimonijs, cū ex eius traditione, nonnulla quæ ad Apostolos spe-

 ctabant,

ctabāt, proferremus. Nā in quinque libris sincerā Apostolicę prędicationis traditionē simplicissimo scribendi genere commentatus, quo floruerit tempore indicat, de his qui ab initio idola erexerunt, ita scribens:

νοι. Ἐν πέντε δ' οὖν συγγράμμασιν οὗτος τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος, καθ' ὃν ἐγνωρίζετο σημαίνει χρόνον, περὶ τῶν ἀρχῆθεν ἱδρυσάντων τὰ εἴδωλα οὕτω πως γράφων.

Verba Hegesippi.

Quibus cenotaphia & templa ad hoc vsque temporis fecerūt. E quibus est & Antinous Hadriani Imp. seruus, cuius & certamina celebrantur Antinoia, quæ & nostro tempore fiunt. Nam vrbem quoque cōdidit Antinoo cognominem, & prophetas instituit.

Οἷς κενοτάφια καὶ ναοὺς ἐποίησαν ὡς μέχρι νῦν· ὧν ἐστι καὶ Ἀντίνοος δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος, ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος. Καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου, καὶ προφήτας.

Hæc ibi Hegesippus. Super quibus verbis aliquid infrà notabitur.

VII. FRAGMENTVM.

De Hegesippi profectione Romam, & de sectis tam inter Iudæos olim, quàm postea inter Christianos exortis, quas idem litteris prodidit: quemadmodum indicat Eusebius, libro 4. hist. cap. 21. his verbis:

Verba Eusebij:

Hegesippus igitur in illis quinque libris qui ad nos peruenerūt, plenissimum suę sentētiæ monumētum reliquit: vbi significat cū multis se Episcopis, dum Romam vsque peregrinationē institueret, vsum habuisse, eandémque ab omnibus doctrinam accepisse.

Ὁ μὲν οὖν Ἡγήσιππος ἐν πέντε τοῖς εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσιν ὑπομνήμασι τῆς ἰδίας γνώμης πληρεστάτην μνήμην καταλέλοιπεν, ἐν οἷς δηλοῖ, ὡς πλείστοις Ἐπισκόποις συμμίξειεν ἀποδημίαν στειλάμενος μέχρι Ῥώμης, καὶ ὅτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρείληφε διδασκαλίαν.

Magna porrò quædā ab eo dicta de Clementis ad Corinthios epistola audire licet, vbi sic ait:

Ἀκοῦσαι γέτοι πάρεστι μεγάλα τινὰ περὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῆς αὐτῷ εἰρημένα ἐπιλέγοντος ταῦτα.

Hegesippi verba:

Et perseuerauit ecclesia Corinthiorū in recta doctrina vsque ad Primum Corinthi episcopatū administrantem, quicum cōsuetudinem habui, cùm Romā nauigarē, & cum Corinthijs dies cōplures cōuersatus sum: quibuscū vnà ob rectā doctrinā recreabar. Romā verò cū venissem, apud Anice-

Καὶ ἐπέμενεν ἡ ἐκκλησία Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ, ᾧ συνέμιξα πλέων εἰς Ῥώμην, καὶ συνδιέτριψα τοῖς Κορινθίοις ἡμέρας ἱκανάς, ἐν αἷς συνανεπάημεν τῷ ὀρθῷ λόγῳ. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διατριβὴν ἐποιησάμην

παρὰ Ἀνικήτῳ· οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος· μέχρι Ἀνικήτου διεδέχετο Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος. Ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ κύριος.

tum (cuius Diaconus erat Eleutherus) versatus sum, donec Aniceto successit Soter, & Soteri Eleutherus. In vnaquaque porrò successione Episcoporum, & in vnaquaque ciuitate sic omnia se habebant, quemadmodum Lex, & Prophetæ, & Dominus prædicarunt.

His Hegesippi verbis hæc de eodem addit Eusebius continenter:

Ὁ δ' αὐτὸς καὶ τῶν κατ' αὐτὸν αἱρέσεων τὰς ἀρχὰς ὑποτίθεται διὰ τούτων.

Idem verò ipse Hegesippus hæreseon sui temporis initia his subijcit verbis:

Hegesippi verba:

Καὶ μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν δίκαιον, ὡς καὶ ὁ κύριος, ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάλιν ὁ ἐκ θείου αὐτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ καθίσταται Ἐπίσκοπος, ὃν προέθεντο πάντες ὄντα ἀνέψιον τοῦ κυρίου δεύτερον.

Ac postquam Iacobus Iustus, vti & Christus, martyrium pro eadē doctrina obierat, rursum Symeō Cleophæ, Domini consobrinus constituitur Episcopus, quem proposuerunt omnes secundum, propterea quòd esset Domini consobrinus.

Διὰ τοῦτο ἐκάλουν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον. οὔπω γὰρ ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις. Ἄρχεται δ' ὁ Θεβούτης, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν Ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν. Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ καὶ αὐτὸς ἦν· ἀφ' ὧν καὶ Σίμων, ὅθεν Σιμωνιανοί· καὶ Κλεόβιος, ὅθεν καὶ Κλεοβιηνοί· καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοσιθεανοί· καὶ Γορθαῖος, ὅθεν Γορθηανοί· καὶ Μασβωθαῖος, ὅθεν Μασβωθαῖοι· καὶ Μένανδρος, ὅθεν Μενανδριανισταί· καὶ ἀπὸ τούτων δὲ καὶ Μαρκιωνισταί, καὶ Καρποκρατιανοί, καὶ Βασιλειδιανοί, καὶ Σατορνιλιανοί. Ἕκαστος δὲ ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγον. Ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι, οἵτινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθορι-

Tunc ecclesiam appellabāt virginem: quia nondum doctrinis inanibus corrupta erat. Aggreditur verò eam Thebutes, quia non fuisset ipse Episcopus, clam corrumpere. Erat & hic è numero eorum qui septem hęreses in populo Iudaico sectabantur. E quibus & Simō, vnde Simoniani; & Cleobius, vnde Cleobiani; & Dositheus, vnde Dositheani; & Gorthæus, vnde Gorthæani; & Masbothęus, vnde Masbothęani; & Menāder, vnde Menandrianistę. Ab his autem & Marcionistæ, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani, & Saturniliani. Quorū vnusquisque propriè & diuersè suam induxit opinionem. Ab his ex-

exorti sunt pseudochristi, seudoprophetæ, pseudoapostoli, qui ecclesię vnitatem libris venenatis contra Deum & contra Christum eius diuiserunt.

μαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ.

His proximè subiungit Eusebius:

Præterea verò idem Hegesippus productas apud Iudæos hæreses memorat dicens:

Ἔτι δὲ ὁ αὐτὸς καὶ τὰς πάλαι γεγενημένας παρὰ Ἰουδαίοις αἱρέσεις ἱστορεῖ λέγων.

Hegesippi verba:

Fuerunt etiam in circumcisione inter filios Israël diuersæ opiniones contra tribum Iuda, & cōtra Christum eius, Essæi, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothęi, Samaritę, Sadducæi, Pharisæi.

Ἦσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, Ἐσσαῖοι, Γαληλαῖοι, Ἡμεροβαπτισταί, Μασβωθαῖοι, Σαμαρεῖται, Σαδδουκαῖοι, Φαρισαῖοι.

Post quæ de eodem Hegesippo sic addit Eusebius:

Verùm & alia scribit plurima, quorum iam priùs mentionem ex parte fecimus, suis temporibus historias opportunè singulas executi.

Καὶ ἕτερα δὲ πλεῖστα γράφει, ὧν ἐκ μέρους ἤδη πρότερον ἐμνημονεύσαμεν, οἰκείως τοῖς καιροῖς τὰς ἱστορίας παραθέμενοι.

EVANGELIVM SECVNDVM HEBRAEOS.

Iam verò & ex euangelio secundùm Hebręos, & ex Syriaco, & speciatim ex dialecto Hebraicâ quædam proponit, demonstrans se ex Hebræis ad fidem venisse.

Ἔκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ, καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν, ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι.

PROVERBIA SALOMONIS.

Alia item tanquam ex Iudaïca traditione non scriptâ memorat: nec solus ille, sed & Irenæus, & omnis antiquorum chorus Prouerbia Salomonis sapientiam omnimoda instructam virtute appellat.

Καὶ ἄλλα δὲ ὡς ἐξ Ἰουδαϊκῆς ἀγράφου παραδόσεως μνημονεύει· οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν.

De ijs quoque, quæ apocrypha nominantur sermonem assumēs, refert istorum quędam suis ipsius temporibus à nonnullis hæreticis esse conficta.

Καὶ περὶ τῶν λεγομένων δὲ ἀποκρύφων διαλαμβάνων, ἐπὶ τῶν αὐτοῦ χρόνων πρός τινων αἱρετικῶν ἀναπεπλάσθαι τινὰ τούτων ἱστορεῖ.

Hactenus quæ ex Hegesippo apud Eusebium reperi: nunc quæ de eodem sancto viro beatus Hieronymus summatim afferat, sed tamen ex Eusebio deducta, videamus.

Hiero-

Hieronymus igitur in libro de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 22. de eodem Hegesippo ita scribit:

Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum omnes à Passione Domini vsque ad suam ætatem Ecclesiasticorum Actuum texens historias, multáque ad vtilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici, vt quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Asserit se venisse sub Aniceto Romam, qui decimus post Petrum Episcopus fuit, & perseuerasse vsque ad Eleutherum eiusdem vrbis Episcopum, qui Aniceti quondam Diaconus fuerat. Præterea aduersum idola disputans, ex quo primùm errore creuissent, subtexit historiam, ex qua ostendit qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templáque fecerunt: sicut vsque hodie videmus. E quibus est & Antinous seruus Hadriani Cæsaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatem, quam ex eius nomine condidit, & statuit prophetas in templo. Antinoum autem in delicijs habuisse Cæsar Hadrianus scribitur.

Ista ibi Hieronymus de Hegesippo, de quo & partem aliquam vnius fragmenti habet eodem libro, cap. 2. de S. Iacobo, fratre Domini, sed integrum ex Eusebio suprà posui. Vide 1. Fragmentum. Si aliud præterea alibi habeat, quod me fugerit, haud scio. Iam ad Notationes transeo.

NOTATIONES

AD VITAM ET FRAGMENTA SANCTI HEGESIPPI.

AD PRÆFATIONEM.

a HEGESIPPI.] Hoc nostri Scriptoris nomen variè ab Auctoribus scriptum reperitur. Quidam enim *Egesippus* scribunt sine adspirationis notâ: alij *Hegesippus* cum adspiratione, & hi quidem melius, adstipulante scilicet græca origine. Ex ἡγέομαι enim, quod est, *duco, rego, præsum*, & nomine ἵππος *equus*, vox ea deducitur, ac propterea apud Græcos perpetuò adspiratur. Vnicus hoc nomine in Sanctorum catalogo, seu apud Græcos, seu apud Latinos reperitur, éstque hic noster, de quo in præsentia. Nam alter Hegesippus, qui libris *de excidio Hierosolymitano* præscribitur, (falsóue an verò haud liquet) is & nostro longè est iunior, & titulo caret sanctitatis. De quo postea quippiam, cum de nostri sancti scriptis agetur, subiungemus.

b VIRI SANCTISSIMI.] Hiscemet vocibus vtuntur in suis martyrologijs ad VII. Aprilis Vsuardus, Beda, Ado, Nockerus, Maurolycus.

c IVXTA ET SAPIENTISSIMI.] Sic vocatum habemus ab Hermia Sozomeno, vt notatum est inter Scriptorum de illo e-
B logia: & talem fuisse vita ipsa & scripta probant.

d DEFICIENTIBVS EXTRA PAVCVLA FRAGMENTA.] Illa fragmenta iam modò posui. Si quis alia fortè repererit, næ is magnam, à nobis, immo maximam ab omnibus

omnibus, sanctorum quidem Scriptorum A amantibus, inierit gratiam, si in lucem ea prodiderit, aut saltem vbi seruentur, aut lateant, indicarit.

c *VINDICARE QVIDEM IPSE RES SANCTORVM.*] Huius rei testimonium videre est, tam in Scriptorum eius reliquijs, quàm in ipsa librorum inscriptione, quæ tale eius studium videtur promittere. Attende nuper citata Hieronymi verba proximè ante has Notationes. B

AD CAPVT PRIMVM.

a GENERE IVDÆVS FVIT.] Id probant Eusebij verba post VII. Fragmentum hîc apposita. Quę proinde frustra non repeto. Fauet Maurolycus ad VII. Aprilis, vbi hæc verba: *Eodem die Hegesippi Iudæi, viri sanctissimi. &c.*

b *NERVÆ TRAIANI TEMPORIBVS*, C *ET PROXIME AB EXCESSV APOSTOLORVM.*] Excessit enim sub Traiano Imp. S. Ioannes Apostolus & Euangelista, isque Apostolorum vltimus, ceteris iam antè coronatis, nonagesimum transcendens vitæ annum, cura & auctoritate regebat ecclesias. Sub eodem igitur Traiano natum Hegesippum inde firmari videtur, quòd sub Hadriano eius successore dicatur innotuisse, & Iustino æqualis statuatur ab Eusebio. D Qui vno eodémque loco ætatem vtriusque simillimo comprobat argumento. Vide eum libro 4. hist. eccles. cap. 8. vbi postquam de ætate egit beati Hegesippi, proximè & continenter subdit: Κατὰ τοῦτον δὲ καὶ Ἰουστῖνος γνήσιος τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐραστής, ἔτι τοῖς παρ' Ἕλλησιν ἀσκούμενος ἐνδιέτριβε λόγοις. *Sub tempus illud & Iustinus veræ philosophiæ amator germanus adhuc apud Gentiles se exercens studijs insistebat.* Itaque pro- E bata ætate Iustini, (quod affatim in eius vita fecimus) probata est & Hegesippi, quippe contemporalis. Denique proximè Apostolorum ætati eum successisse, disertis verbis docet Eusebius, libro 2. histor. c. 23. quæ vide suprà ad Fragmentum primum.

c *LITTERARVM QVIDEM SANE.*] De studijs litterarum S. Hegesippi, testes sunt ipsiusmet commentarij, & Eusebius libro 4. cap. 21. editionis græcæ. 20. autem F latinæ.

d *NOVEM IBI, DECEMVE ANNOS.*] Tam diu cum Romæ habitasse fidem facit, quòd ab Aniceto Pont. vsque ad Eleutherum ibi remanserit, vti de se ipse perscripsit. Vide suprà VII. Fragmentum. Iam autem ab Aniceti Papæ extremis etiam tēporibus ad Eleutherum vsque Pontificem tot minimùm anni colliguntur: quandoquidem is, qui inter vtrumque intercessit, beatus Soter octo saltem annos (quidam enim ei nouem tribuunt) pontificatum gesserit. Nam Baronio, qui tātum annos quatuor eidem Soteri concedit, cùm id faciat contra omnes, qui ante ipsum fuerūt, Scriptores, ne vno quidem excepto, (citasset enim procul dubio pro sua sententia, si quis fuisset) assentiri nequaquam possum. Quid autem illum eò adegerit, cognoscere poterit lector ex ea disputatione, quam de annis eiusdem Soteris institui in Notationibus ad vitam S. Irenæi cap. 7. suprà.

AD CAPVT II.

a *AD PEREGRINANDVM.*] Quàm multæ ac variæ sint à patria peregrinandi caussæ, difficile & nō necessarium dictu est. Vt ergo malas & profanas (quæ maximo numero sunt) missas faciam: illas tantùm, quæ bonæ ac laudabiles sunt, atque adeo in diuinis litteris, aut sacris Ecclesiæ historijs commēdantur, vel propter huius maximè, quam noster suscepit Hegesippus, oblatam occasionem, lubet non penitus indictas transmittere. Hæ sunt igitur, quæ ad alterarum distinctionem, sacræ appellantur: quarum præcipuæ caussę sunt, fidei defensio aut propagatio; religio erga Deum & Sanctos, cuius impulsu loca ea visuntur, in quibus ipsi aliqua virtutum suarum vestigia reliquerunt: studium discendi à viris sanctis, quæ ad suam & aliorum salutem ac perfectionem iuuent: cultus denique sacrarum reliquiarum in honorem Dei, qui illas facultate curationum honorauit, redundans. Has quatuor caussas locum habuisse in S. Hegesippi peregrinatione è Syria in Græciam & Italiam, minimè quidem improbabile est, sed primam ex illis plurimùm potuisse, ex ipsius scriptis habetur exploratum. Haud probant hæretici Catholicorum peregrinationes: & hoc nobis fauet. Suspectæ enim bonis esse possent, quas approbarent mali. Sed tamen, quàm stultè, & imperitè, immo & impiè non probent; doctè ipsis probat noster Iacobus Gretserus, libris quatuor eam in rem exaratis. Ad illum peregrinationis studiosos allego: nec illos solùm, sed eos quoque, qui de iure bono Christianarum peregrinationum dubitant, & doceri amant. Oportet enim caudex sit & stipes, quisquis lecto illo volumine fraudes & nequitias hæreticorum illas improbantium non peruiderit; & Christianorum pietatem è contrario non recognorit.

PEREGRINATIONVM SACRARVM CAVSSÆ LAVDABILES.

b *ILLI A CERDONE ET VALENTINO &c.*] Valentinus, Cerdon, Marcion famosi hæresiarchæ (quorum sectatores M. Aurelio Antonino & Lucio Vero Impp. Roma-

HÆRESIARCHÆ IN VRBE ROMA NIDVLATI.

Romanæ insidiabatur ecclesiæ) in Vrbem venerant temporibus Antonini Pij Imp. & Hygini Papæ, testibus Irenæo & Eusebio, quorum ille lib. 3. aduersus hęreses, cap. 4. ita refert: *Valentinus venit Romam sub Hygino, increuit verò sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic sub Hygino, qui fuit octauus Episcopus, sæpe in ecclesiam veniens, & exhomologesin faciens sic consummauit, modò quidem latenter docens, modo vero, exhomologesin faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his, quæ docebat malè, & abstentus est à religiosorum hominum conuentu.* Sic B. Irenæi vetus interpres rudi & mendoso stilo. Ac proinde bonum factum, quòd Eusebius ipsa Irenæi græca verba reseruarit, lib. 4. historiæ, cap. 10. Et sunt hæc: Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ρ᾽ώμην ἐπὶ Υ᾽γίνου, ἤκμασε δ᾽ ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Α᾽νικήτου. Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς ἐπὶ Υ᾽γίνου, ὃς ἦν ἔνατος Ε᾽πίσκοπος, εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθὼν, καὶ ἐξομολογούμενος οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ᾽ οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. Quæ hunc habent sensum: *Valentinus enim Romam venit Hygino Pontifice, floruit autem sub Pio, & permansit vsque ad Anicetum. Cerdon verò, qui Marcione prior fuit, etiam ipse sub Hygino, qui nonus erat Episcopus, Romam venit, & confessionem faciens ita vitam peregit, vt modo latenter docens, modò rursus confessionem edens, modo propter ea, quæ perperam docebat, redargutus, & à fratrum cætu remotus excesserit.*

Ex quibus corrige, quod de Hygino vitiosè & falsò habet vetus Interpres: *qui fuit octauus Episcopus.* cùm fuerit nonus, vt habent græca illa: ὃς ἦν ἔνατος Ε᾽πίσκοπος. *Qui fuit nonus Episcopus.*

Quod erratum miror à Feuardētio diligēti alioquin & laborioso viro sine animaduersionis notâ esse præteritum. Nam quòd B. Irenæus eum verè nonum episcopum recensuerit, ex alijs eius locis ostendi potest. Nam libro 1. cap. 28. illum expressè computat nonum, cùm ita scribit: Κέρδων δέ τις ἀπὸ τῶν περὶ Σίμωνα τὰς ἀφορμὰς λαβὼν, καὶ ἐπιδημήσας ἐν τῇ Ρ᾽ώμῃ ἐπὶ Υ᾽γίνου ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν Α᾽ποστόλων ἔχοντος, ἐδίδαξε τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένον θεὸν μὴ εἶναι πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ι᾽ησοῦ Χριστοῦ. *Cerdon verò quidam, accepta à Simone ansa, & Romam sub Hygino (qui nonum episcopatus locum, per successionem ab Apostolis tenebat) profectus, docuit eum Deum, qui à lege & Prophetis prædicatus est, non esse patrem Domini nostri Iesu Christi.*

Qui proinde nonum episcopatus locum, siue sortem (est enim gręcè κλῆρον) tenebat, A nonus Episcopus dicitur, non octauus. Neque dissentit hoc loco vetus Interpres. Nā græca iam posita sic vertit: *Et Cerdon autem quidam ab ijs, qui sunt erga Simonem, occasionem accipiens, cum venisset Romam sub Hygino, qui nonum locum episcopatus per successionem ab Apostolis habuit, &c.*

Ex serie item Episcoporum ab eodem Irenæo posita, libro 3. c. 3. patet Hyginum esse nonum: si quidem Petrus addatur nu- B mero. Nam ibi honoris caussa excipitur, & primus ab Apostolis cōstitutus dicitur Linus, cui secundus successerit Anacletus, tertius Clemens. 4. Euaristus. 5. Alexander. 6. Sixtus, 7. Telesphorus. 8. Hyginus. 9. Pius 10. Anicetus. 11. Soter. 12. Eleutherus.

Ita ibi numerat, tametsi alijs verbis Irenæus: excipiendo scilicet Petrum qui non ab Apostolis est constitutus Romæ Episcopus, sed accepta à Christo potestate, C eam sibi sedem elegit & fundauit. Quare qui octauus est Episcopus cùm incipitur à Lino, absque dubio, cùm Petrus comprehenditur, & alijs annumeratur, fit nonus: vti & iam illum duobus locis nonum appellari ab eodem Irenæo ostendimus.

Quæ in numerando distinctio diligenter ad conciliandos inter se Patres, vbi aliter atque aliter numerant, obseruanda est. Nam quòd aliqui ad omissionem Cleti re- D ferant diuersitatis rationem, perperam id agunt. Ignotus est enim omnibus ad vnum Sanctis Patribus antiquis Cletus, vt distinctus ab Anacleto, quemadmodum alibi diximus, & probauimus. Vide tractatam illam quęstionem in Notationibus ad vitam S. Irenæi, cap. 7.

Notandum præterea sancti Irenæi verba, de Cerdone exhomologesin faciente, non esse intelligenda de confessione sacra- E mentali (de qua nusquam ab Irenęo in ijs, qui exstant, libris agitur) sed de confessione fidei, qua se Catholicis accenseri studebat. Nam modò illis se iungebat, tanquam Catholicus, modò ab illis absistebat, & fidei Catholicæ contraria clādestinò edocebat.

Iam, vt intermissa repetamus, de Valentino & Cerdone Romam profectis, & errores ibidem spargentibus mentionem facit etiam Eusebius in Chronico ad an- F num tertium Antonini Pij. Nam licet ibidem Pontacus, secutus exemplaria, Victorinum, Oisellinum, Lodonense, Fabricianum, Pithoeanum, & excusa, hęc ad secundum Antonini annotet: tamen quia græca exemplaria habent ad tertium, & hæc item Latina manuscripta, Petauinum, Fuxense, Aquicinctinum, Amandinum, Lipsianum, quibus accedunt Marianus Scotus, & Eusebij item per Scaligerum, & per Aubertum Myrçum rei chronologicæ studiosissimum

mum

mum exquisitorem, editiones, idcirco ad tertium malui annum adscribere; vbi sic Eusebius: Κατὰ Ὑγῖνον Ῥώμης Ἐπίσκοπον Οὐαλεντῖνος ἰδίας αἱρέσεως εἰσηγητὴς, καὶ Κέρδων τὸ κατὰ Μαρκίωνα, πλάνης ἀρχηγὸς, ἄμφω ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐγνωρίζοντο. Quæ sic latinè reddidit Hieronymus: *Sub Hygino Romanæ vrbis Episcopo, Valentinus hæresiarches, & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.*

Vide eundem Eusebium lib. 4. hist. c. 10.

Quòd autem & Marcion Romæ fuerit, & S. Polycarpo occurrerit, & quale sui elogium ab illo acceperit; satis est nos in vitâ dixisse Polycarpi. Vide si lubet, & vacat, nostrum priorem tomum illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, in eiusdem beati Polycarpi vita, cap. 10. Istorum igitur hæresiarcharum sectatores rem Christianam Romæ turbabant.

FEMINÆ HÆRESEOS PROPAGATRICES.

c *MARCELLINA*] De hac ipse S. Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 24. cum de Carpocratianis seu Gnosticis agit, sic inter alia: *Alij vero ex ipsis signant cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus extantiæ dextræ auris. Vnde & Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cùm esset huius doctrinæ, multos exterminauit. Gnosticos autem se vocant, & imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit IESVS cum hominibus: & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquam obseruationem circa eas, similiter vt Gentes faciunt.* Hæc ibi. Quibus simillima, & ex ijs (vt probabile est) deriuata describit S. Epiphanius hæresi 27. quæ iam positis lucem afferre possunt. Græcis omissis, licet ad manum sint, tantùm latina ex versione recentissima nostri Dionysij Petauij, breuitatis studio referam. Sic igitur in dicta hæresi 27. num. 5. & deinceps rem exponit: *Solent verò Carpocratiani, quos ad suam sectam fraudulenter pellexerint, ijs candente ferro, vel nouacula, vel acu notam quandam ad imam auriculam imprimere. Ex horum factione Marcellina quædam ad nos venit, quæ Aniceti, Romani Episcopi tempore plerosque labefactauit.* Et infrà: *Quamobrem Aniceti, vt dictum est, tempore Marcellina illa Romam veniens, & Carpocratianæ doctrinæ virus euomens, multos illic errore suo deprauatos in exitium impulit: indidémque Gnosticorum sunt excitata primordia. Habent porrò Carpocratiani depictas coloribus imagines: quidam etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse IESV effigies affirmant, easdémque à Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed eiusmodi imagines occultas habent, necnon & phi-*

Imaginum apud Gnosticos hæreticos abusus.

A *losophorum quorundam, ve Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorúmque, quibus eas, quas dixi, Christi effigies miscent, & erectas simul omnes adorant, ad eásque Gentilium ritus instituunt. Collocatis enim simulacris istis, quæ à Gentilibus fieri solent, deinceps perficiunt. Quinam verò sunt Gentiles ij ritus alij, quam sacrificia, ceteráque generis eiusdem?* Ita S. Epiphanius. Cuius extrema verba declarant vltimum membrum S. Irenæi suprà positum, dicẽtis Gno- B sticos obseruationem facere circa imagines more Gentilium, hoc est, facere sacrificia, & thus adolere: vti S. Augustinus de ijsdem hæreticis & nominatim de Marcellina explicatiùs dixit libro De hæresibus ad Quoduultdeū, his verbis: *Sectæ ipsius* [Carpocratis scilicet] *fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines IESV, & Paulli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensúmque ponendo.* Ista igitur Marcellina multos C in hæresim traxit, perinde Carpocrati auxiliata, atque Simoni mago sua Helena, & Apelli sua Philumenę, & Montano suo Prisca & Maximilla opulentæ ac nobiles feminæ, & aliæ alijs. Quàm autem potentes sint etiam aduersus sapiẽtissimos ac fortissimos viros istæ feminarum illecebræ, negant se nescire Salomon & Sampson nimis indigna & impia propter feminas passi. Nam per illas ambo amisere oculos, hic corporis D ille cordis.

d *PRÆTER MAGNVM POLYCARPVM*] De S. Polycarpi aduentu Romam tempore Aniceti, & occursu Marcionis, & de multorum ab hæresi reuocatione satis est à nobis actum in eiusdem S. Polycarpi vita, priore tomo: vti & de S. Iustino in sua, hoc ipso tomo suprà.

e *INTER PRIMOS TVENDÆ VERITATIS ANTESIGNANOS*] Talem sua æ- E tate fuisse S. Hegesippum testatur historia Eusebij ecclesiastica lib. 4. c. 8. Cùm enim capite præcedenti de præcipuis illius sæculi hæresiarchis mẽtionem fecisset, (quos mendacij pater aduersus veritatem obarmarat) de Menandro scilicet, de Saturnino, de Basilide, de Carpocrate, tum protulit capite proximo præcipuos Ecclesię duces, quos ipsa Veritas aduersus illos in aciẽ eduxit, primóque inter eos loco S. Hege- F sippũ nominauit: qui scilicet aduersus omnes hæreses generosè depugnarit. Contra Basilidem enim speciatim perquam fortiter pugnasse Agrippam Castorem superiori capite memorarat. A quo mutuatus est S. Hieronymus ea, quæ de eodem Agrippa perscripsit in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap 21. hisce verbis: *Agrippa cognomento Castor, vir valde doctus aduersum viginti quatuor Basilidis hæretici volumina, quæ in Euangelium confecerat, fortissimè disseruit,*

Agrippa Castor, insignis Ecclesiæ Scriptor.

ruit, prodens eius vniuersa mysteria, & prophetas enumerans Barcaban & Barcob, & ad terrorem audientium alia quadam barbara nomina figurans, & Deum eius maximum ABRAXAS, qui quasi annum continens iuxta Græcorum numerū supputetur. Ita de illo ipso Agrippa S. Hieronymus. Cuius Agrippæ librorum, nihil nunc (quod quidem sciam) restat: omnisque eius memoria è solo ferè Eusebio habetur. De nomine porrò quod S. Hieronymus ABRAXAS, & quidam similiter B alij scribunt, videnda est insignis doctissimi ac diligentissimi Baronij Appendix ad II. tomum Annaliū, vbi è manu scriptis Tertulliani codicibus, & è S. Epiphanio, & maximè è gemma ex amethysto vetustissima, in qua illud nomen repertum est inscriptum, magis probat, vt duarum transpositione litterarum legatur græcè ΑΒΡΑΞΑΣ, latinè ABRASAX. Quod tamen nomen vtrouis modo legatur, numerum eundem C efficit, nempe CCC.LXV. quot scilicet in anno dicebat esse dies, cum totidem cælis, & totidem præsidibus cælorum Dijs siue Angelis: qui omnes à summa quadam Virtute emanarent.

f *QVI IN COMMODI IMP. TEMPORA INCIDIT.*] Obijsse S. Hegesippum imperante Commodo auctor est Chronicum Alexandrinum. Nam anno 4. Olympiadis ducentesimæ trigesimæ nonæ, Indi- D ctione secunda, qui fuit Commodi Imperatoris primus, sic notat: Ἐπὶ τούτου Ἡγήσιππος τελευτᾷ, περὶ τῶν Ἀποστόλων μεγάλως συγγραψάμενος, ὡς ἱστορεῖ Εὐσέβιος Παμφίλου. *Sub hoc Hegesippus vitam finiit, postquam de Apostolis egregiè scripsisset, vt narrat Eusebius Pamphili.*

g *NAM ROMANVM QVIDEM* &c.] Intellige Romanum martyrologium ordinarium, & quod nunc vulgò in vsu. Nam E vetus illud nuper à nostro Heriberto Rosvveido repertum & editum, more suo longè breuiùs notat his verbis: *Hegesippi, qui vicinus Apostolicorum temporum exstitit.*

h *HIS CONSONANT ET ALIA LATINORVM MARTYROLOGIA.*] Nempe Vsuardi, Bedæ, Adonis, Notkeri, Maurolyci. Hoc mihi tantummodò in Bedæ & Adonis martyrologijs annotandum videtur, (quod omnes hactenus latuit, & Heriberti F quoque nostri in Notis ad Adonem fugit diligentiam) nempe illa verba, tam Adonis, quàm Bedæ, ad VII. Aprilis de Hegesippo: *Idem quoque Hegesippus in libris suis refert de conuersatione sua quam habuit in Gentili philosophia. Nam & ego ipse,* inquit, *sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & videns eos impauidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam quòd impossibile esset in malitia eos & in libidine conuersari.*

Ista, inquam, verba perperam illîc, cùm de beato Hegesippo agitur, superioribus adiecta esse dico. Nec enim Hegesippo cōueniunt, sed Iustino Philosopho & martyri. Habet enim illa ipsa verba Iustinus in apologia posteriore; & ea citat Eusebius lib. 4. hist. cap. 8. nempe eodem, vbi agitur & de Hegesippo. Atque hinc orta est erroris occasio. Nam cùm initio capitis agatur de Hegesippo, & sub medium de Iustino, rati auctores illi, (quorum in legendo celeritatem nomen illic effugit Iustini) omnia de Hegesippo dici, hęc aliena traduxerunt ad Hegesippū. Ac ne vlla esse queat, quin ita factum sit, recusatio; videri potest Ruffinus libro eodem, eodémque capite iam citato, vbi plura laudans Iustini loca, sic inter alia de eius libris: *In quibus libris etiam de conuersione sua, quam habuit à gentili philosophia, ad vera religionis fidem, quod non absque probabili ratione & examinato iudicio ad hāc conuersus sit, hoc modo scribit:* Nam & ego ipse, *inquit*, sectis Platonicis institutus audiens infamari Christianos, & videns eos impauidos ad suscipiendam mortem atque omne supplicium tolerandum, considerabam quòd impossibile esset in malitia eos & in libidine conuersari. Ita apud Ruffinum: ex quo totidem ferè verbis sumpserunt Beda & Ado, in quibus & hoc proinde corrigendum, quod habent: *conuersatione sua*, pro *conuersione sua*. Sic enim legendum docent verba & sensus Ruffini, hîc supra: & ipsa Eusebij verba ab eo versa, quæ sic græcè habent: Ἐν τούτῳ δὲ καὶ τὴν ἀπὸ τῆς ἑλληνικῆς φιλοσοφίας ἐπὶ τὴν θεοσέβειαν μεταβολὴν αὐτοῦ, ὅτι μὴ ἀλόγως, μετὰ κρίσεως δὲ αὐτῷ γεγόνει δηλῶν, ταῦτα γράφει. Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τοῖς Πλάτωνος χαίρων δόγμασι. &c. vbi τὸ μεταβολὴν E significat *conuersionem, mutationem*, non verò *conuersationem*.

Iam & ex his græcis patet, verba ista Ruffini modò posita, *non absque probabili ratione, & examinato iudicio*, rectiùs lectum iri sic: *non absque probabili ratione, sed examinato iudicio.* quia græce sit, μετὰ κρίσεως δὲ. *i. sed cum iudicio.*

Notandum præterea in Galesinij martyrologio, quādam è Bedæ verbis inconsiderata traductione, non tantùm errorem illum inhæsisse, quo tributa sunt Hegesippo, quæ propria Iustino erant: sed etiam illum quo attributum est Hygino, quod tribuendum erat Eleuthero.

Nec enim Hyginus fuit Diaconus Aniceti (quod tamē dicit Galesinius) sed Eleutherus. Verba venerabilis Bedæ de Hegesippo ad VII. Aprilis sunt hæc inter alia: *asseritque se venisse sub Aniceto Romam, qui decimus post beatum Petrum Episcopus fuit, & perseuerasse*

seueraße vsque ad Eleutherum eiusdem vrbis Episcopum, qui Aniceti quondam Diaconus fuerat. Idem quoque Hegesippus in libris suis refert. &c. Ex illis igitur verbis traxit Galesinius in suo martyrologio occasionem dicendi Hegesippum fuisse Diaconum Aniceti: cùm tamen manifestum sit tam apud Bedam, quàm apud Adonem illa verba: *qui Aniceti quondam Diaconus fuerat*, referri ad Eleutherum. Nam Hegesippus aliquem ordinem sacrum suscepisse nusquam legitur: neque, si fuisset Diaconus, ab Eusebio & Hieronymo præteritum fuisset, qui omittere talia non solent: vti nec martyrologia: in quibus perpetuò additur *Presbyter*, *Diaconus*, &c. cùm sancti quidem illis præditi ordinibus fuerint.

AD CAPVT III.

a LIBRI QVOS SCRIPSIT HEGESIPPVS.] Libros numero quinque scriptos ab Hegesippo iam patuit suprà ex Eusebio multis locis. Vide 6. & 7. Fragmẽtum, vbi posita sunt verba Eusebij ex lib. eius 4. cap. 8. & cap. 21.

Circa huius Hegesippi libros nonnihil hallucinati sunt Ioannes Tritthemius libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, & Sixtus Senensis libro 4. bibliothecæ sanctæ. Nam ambo existimarunt libros V. de excidio Hierosolymitano, qui nomen præferũt nescio cuius Egesippi, esse eosdem cum illis, de quibus Eusebius & Hieronymus, aliique veterum meminerunt.

Verba Tritthemij sunt: *Scripsit* [Hegesippus] *nonnulla excellentis ingenij opuscula. De quibus ego tantum reperi A tempore Dominicæ Passionis vsque ad suam ætatem opus insigne, Historiam ecclesiasticorum Actuũ libris V. Bello Parthico quod inter. Aliud operum eius nullum vidi. Claruit vicinus Apostolicorum temporum sub Antonino Pio anno Domini 160.* Ita ille.

Ioannis Tritthemij hallucinatio de S. Hegesippo.

Sed saluâ viri docti & laboriosi pace, *Historiam ecclesiasticorum Actuum* nunquam reperit, nunquam legit. Historia enim quã legit, cùm ipso teste incipiat: *Bello Parthico, quod inter.* &c. non est Historia ecclesiasticorum Actuum (quorum ibi nihil ferè attingitur) sed est *Historia de excidio vrbis Hierosolymitanæ*, libris V. comprehensa, quorum primus incipit:

Bello Parthico, quod inter Machabæos duces gentémque Medorum &c.

Et cùm aliud operum eius nullum viderit, vti profitetur, certè Historiam ecclesiasticorum actuum, in qua continebantur Fragmenta, quæ superiùs ex vero nostro Hegesippo posui, non vidit: quandoquidem illorum nihil in ea historia, quæ inci-A pit: *Bello Parthico*, reperiatur. Totum enim illud opus certitudinis caussâ percurri.

Iam autem Sixtus Senensis ita scribit: *Egesippus* (sine adspiratione enim vsurpat, vti & Tritthemius) *genere Iudæus, vita & sermone simplex, redegit ad formam græcæ historiæ breui ac simplici stilo omnes Hierosolymitani regni actiones quatuor libris Regum comprehensas vsque ad captiuitatem Iudæorum, murique excidium, & Babylonis triumphos. Cuius* B *ipse laboris meminit in Præfatione quinque librorum* De excidio Hierosolymitanę vrbis, *qui nunc exstant. Floruit vicinus Apostolicis temporibus, perueníique vsque ad Antoninum Pium, anno Domini 160.*

Sixti Senensis hallucinatio circa vitam & libros S. Hegesippi.

Ibi clarum est vtrumque Hegesippum ab eo in vnum confundi, cùm sit alioqui clarissimum ambos auctores & ætate & stilo & tractatu argumentorum longè inter se fuisse disiunctos. Quippe noster pro-C ximus ab Apostolis fuit; ille disiunctissimus: noster stilo simplici & inelaborato scripsit; ille eleganti & accurato: noster res sacras & Actus Apostolicos; ille profanas, & motus bellicos. Denique posterior Hegesippus post tempora Constantini magni fuisse conuincitur è libro suo tertio, cap. 5. vbi vrbis Constantinopolis mentionem facit his verbis, cùm de Antiochiæ dignitate loquitur: *Vrbs tertio loco antè ex omnibus*, in-D quit, *quæ in orbe Romano sunt, ciuitatibus æstimata, nunc quarto postquam Constantinopolis excreuit ciuitas Byzantiorum.* Ita ille. Excreuit autem quarto demum sæculo, quo Cõstantinus magnus vixit eius incrementi & appellationis primus auctor.

Peccauit secundò Sixtus Senensis, cùm dixit de S. Hegesippo: *perueníque ad Antoninum Pium anno Domini 160.* Immo verò tum florere incepit & inclarescere: perue-E nit autem vsque ad Commodum Imp. anno Domini 182. vt priùs ostensum est.

b INSCRIPTI, VT VIDETVR, ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ ΤΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΩΝ ΠΡΑΞΕΩΝ.] Talis fuisse inscriptio colligitur tum ex Eusebio, tum ex Hieronymo, tum ex alijs Scriptoribus aut interpretibus, apud quos græcè perpetuo ferè ὑπομνήματα, nempe apud Eusebium, apud Stephanum Gobarum in Photij bibliotheca, F apud Nicephorum Callistum: latinè *Commentarij* ab Hieronymo & Ruffino, sed ab illo etiam interdum, *ecclesiasticorum actuum historia*, appellantur. Sed nomen *commentarij magis respondet græco ὑπομνήματα*. Quare inscriptio latina vera & germana est: *Commentarij actuum ecclesiasticorum.*

DE FRAGMENTIS S. HEGESIPPI.

a *CLEMENTIS VERBA*] Alexandrini scilicet,

ſcilicet, quem vnà cum Ioſepho ita citat S. **A** Hieronymus, in libro De Scriptoribus, c. 2. vbi agit de S. Iacobo fratre Domini: *Sed & Ioſephus*, inquit, *in 20. libro Antiquitatum refert & Clemens in ſeptimo ὑποτυπώσεων: mortuo Feſto, qui Iudæam regebat, miſſum à Nerone eſſe ſucceſſorem eius Albinum, qui cùm necdum ad prouinciã perueniſſet, Ananus*, inquit, *Pontifex adoleſcens Anani filius, de genere ſacerdotali, accepta occaſione ἀναρχίας, concilium congregauit, & compellens publicè Iacobum, vt* **B** *Chriſtum Dei filium negaret, contradicentem lapidari iuſſit. Qui cùm & præcipitatus de pinnâ templi confractis cruribus adhuc ſemiuiuus, tendens ad cælum manus, diceret: Domine ignoſce eis: quod enim faciunt neſciunt, fullonis fuſte, quo rudia veſtimenta extorqueri ſolent, in cerebro percuſſus interyt.* Ita ibi Hieronymus. Notandũ hoc loco, *rudia veſtimenta*, in codice Gemblacenſi & Hildeſſemenſi M. S. legi, *vda veſtimenta*, immo & in Sigebergẽſi, **C** vt Suffridus Petrus ad dictum Hieronymi locum annotauit. Et melius videtur, quàm rudia. Eſt enim proprium fullonum ex aquis calidis vda veſtimenta extrahere, ſiue extorquere, vt loquitur Hieronymus. Neutrum græcè expreſſit Sophronius Hieronymi interpres, nec vda, nec rudia. Tãtùm enim habet: Τῷ τε κναφικῷ μοχλῷ, ᾧ τὰ ἱμάτια ἐκπιέζειν εἰώθασι, κατὰ τὸν ἐγκέφαλον κρουσθεὶς ἀνεπαύσατο. *Tum vecte fullonio, quo exprimere* **D** *veſtes ſolent, ſecũdum cerebrũ percuſſus interyt.*

b *SVSCIPIT ECCLESIAM* [*HIEROSOLYMITANAM*] *AB APOSTOLIS*.] Vertebat VVolfgangus Muſculus hæreticus: *Eccleſiam gubernandam poſt Apoſtolos Iacobus frater Domini accepit*. At profectò μετὰ τῶν Ἀποστόλων non eſt *poſt Apoſtolos*, ſed *cum Apoſtolis*. Nam iungendum eſſet μετὰ cum accuſatiuo ad ſignificandum *poſt Apoſtolos*. Quomodo autem potuit poſt Apoſtolos **E** ſuſcepiſſe eccleſiam Hieroſolymitanam, qui ab ipſiſmet Apoſtolis antequam in diuerſa diuiderentur, eam accepit?

Sed nimirũ non defuerunt qui hunc Iacobum fratrem Domini è numero excluderent Apoſtolorũ, cúmque & à Iacobo Zebedæi, & à Iacobo Alphæi Apoſtolis diſtinguerent, tréſque Iacobos pro duobus producerẽt. Atque iſtorum ſcilicet eſſe poteſt ſententia, Iacobum fratrem Domini poſt **F** Apoſtolos ſuſcepiſſe eccleſiam. Alioqui ſi Apoſtolus fuit, certè non poſt Apoſtolos, ſed cum Apoſtolis aut ab Apoſtolis ſuſcepit eccleſiam, nimirum antequam in diuerſas diuiderentur atque abirent regiones.

De ijs porrò, qui tres poſuêre Iacobos, vide Baronium, tom. 1. Annal. ad Chriſti 44. vbi eos refutat: tametſi eius originẽ ſententiæ ad Clementis Recognitiones & Conſtitutiones Apoſtolicas referat: ſed illarum **A** libros appellat reiectos, & harum vocat apocryphos, hoc eſt, ambos incertæ fidei.

Et ſane pro Apoſtolatu Iacobi fratris Domini, vox illa Paulli ad Galathas 1. nullum fert ſuffragium: *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini*. Quocirca Michael Glycas minime audiẽdus eſt, dum parte 3. Annalium ſic ſcribit: *Ceterum Iacobus hic Domini frater, non erat ille quidem vnus ex duodecim illis diſcipulis, ſed principe ta-* **B** *men apud eos loco habebatur.*

Glycæ error parte 3. Annalium

c *VINVM ET SICERAM NON BIBIT, NEC ANIMATVM COMEDIT*.] Ioſephus Scaliger magno vir ingenio, ſed maiore ſupercilio, multa in his & ſequentibus beati Hegeſippi verbis notat & carpit, quæ Euſebius & Hieronymus viri ſanè maximi minimè carpſerunt, ſed laudarunt. Et quãuis nonnulla ſint in ijs, quæ vellicantur, explicatu difficilia; exiſtimo tamen Scaligerum, **C** (ſi tam illi animus ad res ſacras defendendas, quàm ad morſicandas, fuiſſet) rationes inuenire potuiſſe, quibus ea probabilia redderet, quæ traduxit, vt abſurda. Quod quia non fecit (vtpote in alia omnia æſtu abreptus maledicentiæ) id ego amore Sanctorũ facere attentabo. Dicit ergo Scaliger: *Certè mira ſunt hæc: illum victu tam differente, & ab Apoſtolis collegis, & ab ipſo magiſtro Saluatore vſum, tum quotidie; tum in illa tanti momenti* **D** *cœna, quam vltimam cum diſcipulis Dominus habuit, vt ſolus neque agnum comederet; neque poculum ſalutare, vt reliqui condiſcipuli, biberet.* Ita ille.

Ioſephi Scaligeri cenſura examinantur.

Reſpondeo, nimis ſtrictè & ſummo in rigore ab Ioſepho accipi verba Hegeſippi, cùm poſſint benignè & commodè accipi, vt ſcilicet Iacobus in Chriſti comitatu & conuictu nihil ſingulare, nec in victu, nec in veſtitu ſectatus ſit; ſed ablato ſponſo tum demũ vitæ genus auſterum & carni inimicum, ſpiritui verò amicum & accommodatum inceperit, aut certè antea inchoatũ & intermiſſum reſumpſerit. Nam in vitis Sanctorum, dũ nonnulli ſemper abſtinuiſſe, verbigratia, à vino vel carnibus dicuntur, ij non ab infantia, vel pueritia id feciſſe reputantur; neque ita, vt nullo prorſus caſu ijs vſi ſint; ſed hoc vel à vitæ in melius mutatione, vel ex quo Chriſtiani, aut religioſi ordinis, aut Epiſcopi, aut alicuius perfectioris ſtatus, quam antea fuerint, eſſe cœperint, intelligi ſolet. Vidi ego ipſe etiam interdum aliquos abſtemios, penitúſque à vino abſtinentes, ſed ijdem tamen in ſacrificijs aut communione ſacramentali, vino vtebantur. Sic inter Iudæos, ſi qui erant, qui ex ſtudio abſtinentiæ, & ductu virtutis à vino & carnibus abſtinebant, tamen cum agni immolandi & manducandi tempus adueniſſet; tum ne contra expreſ-

sum Domini præceptum venirent, cum manducantes carnibus vescebantur. Quare viris sapientibus non tam verba in sermone, quàm vsus ipse sensúsque verborum ex communi & familiari cõsuetudine perpendi solent. Comedit ergo agnum Iacobus vnà cum Domino & condiscipulis in illa cenâ, & vinum bibit, immo & tribus fortè annis quibus cum illis conuixit, sed reliquo tempore vino abstinuit, & à carnibus quoque, excepto agno paschali, temperauit. Cedo autem, si Ioannes ille, de quo dixit Dominus, Luc. 7. versu 34. *Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque vinum bibens*, si Ioannes, inquam, ille, antequam iret in desertum, aliquando panem aut vinum in paternis degustauit ædibus, (quod vero est simillimum) vel etiam cùm in carcere detineretur, vtroque vitam tolerarit; idcircóne, si quis eum nec mancasse panem, nec vinum bibisse dixerit, falsi arguetur? Ac ne longè abeamus, Alcibiades vnus è martyribus Lugdunensibus (de quo nos in vita S. Irenæi egimus) hoc ipso Hegesippi sæculo, vitam huius S. Iacobi imitans, nec vinum bibebat, nec siceram, nec carnes edebat, nec quicquam animatum, sed solo pane & aqua ex abstinentiæ studio victitabat: proptereáne igitur dicẽdus erit, ne in pueritia quidem, ne in diebus quidẽ sacrificiorum, & sanctæ communionis, neque in vllo casu, aut tempore, carnibus & vino vsus esse? Et tamen de illo scribitur. Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν πάνυ αὐχμηρὸν βιοῦντος, καὶ μηδενὸς ὅλως τὸ πρότερον μεταλαμβάνοντος, ἀλλ᾽ ἢ ἄρτῳ μόνῳ καὶ ὕδατι χρωμένου. &c. *Cùm Alcibiades vnus ex illis omnino austerè viueret, ac nihil omnino antehac sumeret, sed solo pane & aqua vteretur.* &c.

Sensus orationis non ex rigore verborum, sed ex vsu loquentium capiendus est.

Luca 7. ver. 34.

S. ALCIBIADIS IN VICTV AVSTERITAS.

Vbi sanè illud *antehac* commodè accipiendum est, & non restrictè pro tota omnino vita, vt ne quidem lacte in infantia, ne quidem melle in pueritia, ne quidem vino in adolescentia &c. sed antehac, id est, ex quo fidem Christi grãdior amplexus est, vel ex quo virtutis asceta factus est. Denique verba Auctorum, quæ tam de huius, quàm de Iacobi, & de multorum aliorũ in deserto austeritate, vsurpata sunt, ea de priuata illorum vita, & quotidiano victu, non autem de omni prorsus cum hominibus consuetudine atque conuictu accipiẽda sunt. Nam si quando conuiuijs intererãt, si quando hospites excipiebant, caritatis gratia & hospitalitatis aliorum potiùs se accommodabant consuetudini, quàm inhærebant suæ. Ac de Iacobo quidem longe probabilissimam hanc eius austeritatem facit communis hominum, non Christianorum modo, sed & Iudæorum Christianis maxime aduersantium de illius sanctitate

A concepta opinio, quæ tanta fuit, vt illius immerentis cædi adscriptum à multis sit vrbis Hierosolymitanæ excidium, testante hoc ipsum Iosepho Iudæo: cuius hæc sunt verba.

Ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ· ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν. *Hæc autem contigerunt Iudæis in vltionem Iacobi Iusti, qui erat frater IESV, qui dicitur Christus.* B *Quippe illum, iustissimus cùm esset, Iudæi occiderant.* Referuntur hæc Iosephi verba ab Eusebio lib. 2. hist. eccl. cap. 22. Similia memorat & S. Hieronymus libro de Scriptoribus ecclesiasticis in Iacobo his verbis: *Tradit idem Iosephus tãtæ eum sanctitatis fuisse & celebritatis in populo, vt propter eius necẽ creditum sit subuersam esse Hierosolymam.* Sic ibi. Et rursus libro 1. aduersus Heluidium C post medium, *Transeamus*, inquit, *ad Iacobũ, qui frater Domini dicebatur, tantæ sanctitatis, tantæque iustitiæ, & perpetuæ virginitatis, vt Iosephus quoque historicus Iudæorum, propter huius necem Hierosolymam subuersam referat.* Transeamus ad alia.

d *HVIC SOLI IN SANCTA LICEBAT INTROIRE*] Non dicit Hegesippus *in Sancta Sanctorum*, sed *in Sancta* tantùm. Nam valde differunt *Sancta* simpliciter, & *Sancta* D *Sanctorum*. Nam *Sancta*, sine addito, erant templi locus, in quem intrabant quotidie Sacerdotes. *Sancta* autem *Sanctorum*, locus templi intimus, & reductum penetrale, in quod solus summus Põtifex, & semel quidem tantùm quotannis, intrabat. In hoc igitur posterius nunquam intrauit, nec intrasse ab Hesippo dicitur Iacobus, sed tantùm in Sancta: & hoc quidẽ priuilegio eius sanctitatis datum est, cùm non esset sacer- E dos Iudæorum, ac proinde non magis illi, quam cuiuis alteri Christiano Sacerdoti, istuc intrare licuisset. Sed tantam illi apud omnes etiam Pontifices & Sacerdotes auctoritatem conciliarat sanctitatis existimatio, vt intranti in *Sancta*, quæ quotidie patebant, nullus resisteret. *Sancta* verò *Sanctorum*, quæ semper clausa erant arctissimè, nec nisi semel & soli supremo patebant Pontifici intrare nequaquam poterat. Ec- F ce autem quasi Hegesippus de illis locutus esset, multus in refutatione non dicti quasi dicti exspatiatur Scaliger, & aërem pertinaciter verberat. Negamus enim ita dixisse Hegesippum, vt eum dixisse vult, & tanquam dixisset, reprehendit.

SANCTA ET SANCTA SANCTORVM QVI DIFFERANT.

Ad subiunctam verò rationem Hegesippi quod attinet: *Nec enim laneo vtebatur indumento, sed sindone.* vel, vt alij vertunt, *sed lineo*, dici potest illud γὰρ vacare, & expletiuam esse particulam, vt sæpe. Nec enim

IOSEPHI SCALIGERI REFVTATIO.

VERBORVM S. HEGESIPPI EXPLICATIO.

enim potest illa esse ratio, cur alicui pateat in *Sancta* aditus, cùm æquè liceret in ea ingredi cum laneis, quàm cùm lineis, immo non liceret ingredi cum lineis, nisi si functiones aliquæ Iudaici sacerdotij essent exercendæ, alioqui si caussa precationum duntaxat; nefas erat vti lineis. Atque hoc solùm crediderim Hegesippum significare voluisse, vti antè de victu ordinario, ita & nunc de vestitu: & sic legenda græca: Οὐδὲ ἐρεοῦν ἐφόρει. *Non verò vtebatur laneo indumento*, vt alij passim scilicet, *sed* (quod nouum & notabile) *lineo*: ita vt notare velit Hegesippus non extraordinario tantùm victu, sed etiam vestitu Iacobum esse vsum, nempe solâ sindone, absque vlla veste lanea.

Quòd si hæc non placent, & habet quisquam alius quod his melius afferat, lubens admittam. Quid mali autem, si idē & Iosephus Scaliger dixisset? An hoc non longè melius, quàm in scirpo nodos quærere? Vide enim, vt quærat. Nam ad illa S. Hegesippi verba: *Et solus ingrediebatur in templum*] *Sanè non mirum*, inquit, *cui licuerit ingredi τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, & templum quoque ingredi illi concessum fuisse*. Sic ille.

Quasi verò hoc velit Hegesippus illis verbis, & non potiùs, solitum esse Iacobum solum ingredi templum, hoc est, sine comitatu, licet esset Episcopus, nempe vt quietiùs & attentiùs absque arbitris precationi incumberet. Quid enim illis verbis clarius? *Et solus ingrediebatur in templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur*. vt vertit Hieronymus. Iste autem nodorum in scirpo quæsitor sic interpretatur: *& soli concessum erat ingredi in templum*, & ex sua absurda interpretatione aliam affingit viro sancto absurditatem: quasi ille dixerit primò, concessum fuisse Iacobo ingredi in Sancta Sāctorum, quod tamen non dixit; & postea subiecerit, concessum illi soli ingredi in tēplum, quod neque cogitauit. Eccui enim non licebat ingredi in templum? Nam templum patebat omnibus. Hic ergo sermonis plani & perspicui est sensus: Permittebatur Iacobo ingressus in Sancta: cùm autem ad templum veniret, solus & sine arbitris aut sine magno comitatu veniebat, ac flexis humi genibus pro populo deprecabatur, támque assidua illi erat geniculatio, *vt camelorum duritiem* (verba sunt Hieronymi) *traxisse eius genua crederentur*. Ita vocem *solus* accepit Dio Cassius libro 73. historiæ Rom. sub finem, aut potiùs ipse apud eum Iulianus Didius Imp. in allocutione ad Senatum, his verbis: *Quamobrem mihi non opus fuit militibus, solúsque ad vos veni: vt ea quæ mihi ab illis data sunt, cōfirmetis*. Solum enim se venisse dicebat is, qui & foris armatis militibus septus & munitus erat, & in ipso senatu complures habebat, inquit Dio. Nihil proinde aliud significare volebat dictus Iulianus, quàm se cum paruo comitatu venisse, & quasi solum.

Sed vt ad verba S. Hegesippi redeamus, verum quidem est in Hieronymi versione reperiri: *Hic solitus erat ingredi in Sancta Sāctorum*. Sed illa vox Sanctorum vel malè ab illo addita est, (si tamen ab illo) cùm non sit in Hegesippo, nec apud Eusebium; vel *Sancta Sanctorum* posuit, vt alij quidam, pro *Sāctis* simpliciter, vt rectè annotauit in suis ad S. Epiphanium animaduersionibus noster Dionysius Petauius in hæresi 78. quæ est Antidicomarianitarum: vbi & exempla istius acceptionis attulit. Nam ille Epiphanij locus lib. de 12. gemmis, cap. de Adamante est clarissimus: Τοῦτον δὲ ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς, ὅτι εἰσήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. τρεῖς δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰσήρχετο, τῇ ἑορτῇ τοῦ Πάσχα, τῆς Πεντηκοστῆς, καὶ τῆς σκηνοπηγίας. *Hūc adamantem ferebat summus Pontifex, cum ingrediebatur in Sancta Sanctorum: ter autem in anno ingrediebatur, in festo Paschatis, & Pentecostes, & Scenopegia*.

DIONYSII PETAVII BONA ANIMADVERSIO.

Vbi per *Sancta Sanctorum* intelligenda sunt *Sancta*, non autem illa quę propriè vocantur *Sancta Sanctorum*, cùm in hæc tantùm semel quotānis ingrederetur summus Pontifex: ter autem in *Sancta*. Facilius autē fuit S. Iacobo propter eximiam eius sanctitatem Iudæis peræquè & Christianis, ob miracula & vitæ austeritatem, cognitam, aditum in *Sancta*, quàm in *Sancta Sanctorum* permittere: cum alioqui neutrum illi absque hoc priuilegio permissum esset.

Quid prætereà vitio vertit Scaliger auctori nostro? Nempe locum eius errore librariorum aut typographorum malè corruptum, vbi de inditis B. Iacobo honorificis nominibus agit Hegesippus, quòd scilicet vocatus fuerit ob iustitiam & sanctitatem, *Iustus, & præsidium*, seu *fortitudo*, seu *munitio populi*. Vitia ergo librariorum attribuit libri ipsius auctori: quàm iniquè autem quis non videt? An enim ferret ipse ea omnia, quæ in suis libris vitio librariorum peccata sunt, caput in suum detorqueri. Haud opinor. Rectè proinde in tales aliorum reprehensores istud iecit Horatius:

Quàm temerè in nosmet legē sancimus iniquā!

Sic scribit Scaliger in Animaduersionibus ad Eusebij Chronicon, num. 2077. citans Hegesippi verba, vt sunt apud Eusebiū, aut potiùs, vt esse supponit: *Vocabatur ὠβλίας propter excellentem iustitiam. Sanè ponatur quauis ex quatuor gutturalibus prima, nunquam efficiet, vt Oblia iustum, aut Hebraicè, aut Ierosolymitanè significet. Verte súsque déque illud nomen, nunquam prodibit id*, quod

quod iste Hegesippus persuadere conatur.

Hæc ille tanquam ex oraculo. Quæ omnia non sunt flocci. Nam si restituatur vera lectio Hegesippi & Eusebij, quod facile & sine magna susque déque versione fieri potest, facilè prodibit, non dicam, quod Hegesippus persuadere conatur, sed quod re vera persuadet. Vult enim Hegesippus S. Iacobum propter excellentem iustitiá vocatum esse *Iustum*, & *munitionem* seu *præsidium populi*, hoc est, ab Hebræis צדיק Saddic, & עז-ליעם Oz-liam, quorum loco inscitia græcorum librariorum intrusit δίκαιος & ὠβλίας, iustus & Oblias. Ad hoc autem, vt quis propter eminentem iustitiá vocetur præsidium aut munitio populi, minimè necessarium est vocem, quæ *præsidiū populi* seu *fortitudinem* significat, etiá significare *iustū* sed satis est, vt qui iustus est, propter iustitiam suam, quâ lites & discordias confluentium ad se hominum tollit, verè populi præsidium appellari possit. Id quod re ipsa Iacobo accidit.

Adde iustitiam apud Hebræos complecti omnem virtutem & pietatem, ideóque S. Iacobum, cuius singularis vitæ sanctimonia, & in omni genere virtutis eximia perfectio cunctis erat notissima, meritò iustum esse cognominatum; & quia item continuis pro populi salute diu noctúque precationibus insistebat, optimo iure *munitionem populi* appellatum. Quanto igitur meliùs & modestiùs & sanctiùs amiciùs de huiusce loci lectione iudicauit Nicolaus Fallerus, quã Iosephus Scaliger? Sic enim ille, lib. 3. Miscellaneorum sacrorum, cap. 1.

Eusebius, inquit, lib. 2. historiæ cap. 23. sic legendus:

Διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο Σαδδὶκ, καὶ Ὠζλιὰμ, ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ Δίκαιος, καὶ Περιοχὴ τοῦ λαοῦ. id est: *Ob eximiam iustitiam suam dictus est Saddik & Ozliã: quod latinè est Iustus & Munitio populi.*

Græci autem descriptores ignari, quid esset Saddic, reposuerant δίκαιος, *cum Hebraicè* צדיק *esset scriptum, id est, iustus. Et pro Hebræo* עז-ליעם *Oz-liam, id est,* περιοχὴ λαοῦ, *& latinè munitio populi, intruserunt Oblias. Vox autem* περιοχὴ *accipitur pro munitione, psalmo 31. versu 22.* ἐν πόλει περιοχῆς. *vbi Latinus interpres vertit: in vrbe munitâ. Symmachus,* περιπεφραγμένη circumseptâ. Hesychius, περιτειχισμένη *mœnibus munita.* עם *id est, populus. Littera autẽ* ל *cum subscripto sceua, index est genitiui vel datiui.*

Litteræ ζ *&* β *sunt figuræ non multùm dissimilis & nonnunquam à librarijs inuicem permutantur. Exemplum*, inquit Fallerus, *luculentum offertur ex Biblijs græcis editionis Romanæ, Numerorum cap. 7. versu 3. in Anno-*

A *tationibus (quod à viris doctis non animaduersum fuisse miror) vbi Eusebij Emisseni ista citantur verba:* ἁμάξας λαμπηνικὰς τὰς διατρόχους λέγει, ἃς τινὲς ζηρόπια καλοῦσι. *Quibus certè verbis duplex inhæret mendum. Nam &* διτρόχους *pro* διατρόχους *omnino legendum contendo, &* βιρόπια *aut potiùs* βιρότια *pro* ζηρόπια. *Birotia verò vocabulum latinum esse constat à Græcis, vt alia plurima, vulgò vsurpatum, à birotis nominatiuo singulari com-*

B *posito ex bis & rota, vt bilibris ex bis & libra. Est autem plaustrum aut vehiculũ birote, quod duabus nititur rotis. Eusebius græcè* δίτροχον *nominat. Pollux* δίκυκλον. *Vox hæc apud Nonium reperitur. Cisium*, inquit, *genus vehiculi biroti. malim birotis aut birote, quod analogiæ magis congruit.* Hactenus Fallerus.

De quo, hac quidem in parte, componens cum Scaligero, illud Horatianum cum Falleri laude efferre possum:

C *Quanto rectiùs hic, qui nil molitur ineptè!*

Nam certè Scaliger tota in hac nostri Hegesippi cauillatione, non dicam ineptè, sed multo ineptissimè cuncta sua molitus est molimina. Et tamen post omnem ineptiam audet subijcere tanquam frontis suæ nimis sanè effrontis corollarium: *Scio esse* * κακοήθεις, μισαλήθεις, *ceruicosos, qui hæc tam crassa defendant. Propterea nos ea produximus, vt ab huiusmodi præposterorum patronorum maledica & virulenta contumacia caueatur: qui quum hæc legunt, si quidem intelligunt, lectores eorum non admonent: si non intelligunt, iniquè patiuntur ab alijs moneri.*

* *Homines male morati, osores veritatis.*

D

Sic ille. Itaque ego his eius scriptis cõtra ipsum vtens admoneo, vt à maledica & virulenta Scaligeri contumelia, quæ multis se prodit in locis, caueatur: & auctores sacri, quantum est in nostrûm vnoquoque virium, contra istum κακοήθη, καὶ μισαλήθη, & ceruicosum fortiter propugnentur.

E

Præter Falleri porrò coniecturam, quæ admodum est probabilis, & quæ poterat, aut certè debebat Scaligero (si quidem in eam incidisset) satis facere; potest & altera æquè probabilis, ac magis quidem obuia adduci, nempe vt secunda vox scribatur per א aleph non per ע aiin. Nã לאם Leom est *populus*, & etiam *populi* in genitiuo, nulla adiecta littera seruili (vt Scripturæ exemplis probari potest) vt non improbabile sit scriptũ fuisse hebraicè עז-לאם Oz-leom, *munimen populi*. Denique potest & tertia afferri coiectura, nimirum vt hebraicè fuerit עפלי-עם Ophliam, i. *arx* seu *munitio populi*. Ex quo facta sit vox Oblias. Munitionem verò populi idcirco eum appellarunt Hierosolymitæ, quòd vrbẽ suã & omnẽ populum, partim excellẽti sanctimonia,

F

partim

A partim continuis, vti diximus, pro illo deprecationibus incolumem, quoad vixit, cōseruarit. Denique satis constat neminem è posterioribus sæculis meliùs sciuisse, quomodo hebraicè agnominatus sit S. Iacobus frater Domini, & quid vox illa hebraica significauerit, quàm is qui proximè Apostolorum ætati vixit, & à vicina traditione accepit, & vtramque linguam, tam græcā, quàm hebraicam egregiè calluit. Is autem fuit S. Hegesippus, nō Epiphanius, non quilibet B alius ab Apostolorum æuo remotior, nedum Iosephus Scaliger. Cuius primum arietem postquam deiecimus, age, pergamus & reliqua ipsius machinamēta aduersus sanctum nostrum, seu contra eius dicta, quoad possumus, disturbare. Priùs tantùm monebo in transcursu locum vnum Iobij monachi lib.9. de hoc S. Iacobo (qui locus est apud Photiū in bibliotheca num.222.) C vbi legitur Ἰωβλίαν, è iam dictis corrigendum Ὠζλιὰμ. & totum locum sic legendū: Ὁ δὲ Ἰάκωβος ἐφ' ὅσον ἀρετῆς ὕψος ἀνῆλθε, καὶ τίνα παρεῖχεν ὑπόληψιν περὶ τῶν Ἰουδαίων λαῷ, καὶ ἡ κλῆσις ἀναβοᾷ. Ὀζ-λιὰμ γὰρ αὐτὸν τὸ πλῆθος διὰ τὸ τῆς ἀρετῆς μέγεθος, καὶ τὴν πρὸς τὸ θεῖον παῤῥησίαν, τουτέστι, περιοχὴν καὶ σκέπην τοῦ λαοῦ κατωνόμαζεν. *Iacobus autem in quantum virtutis fastigium ascenderit, & quam concitarit in populo Iudæorum sui opinionem, clamat ipsa appellatio. Illum enim multitudo propter virtutis* D *præstantiam & fiduciam erga Deum, Oz-liam, hoc est, populi præsidium & protectionem appellabat.* Iam ad nostra.

Sequitur ergo in Hegesippo, (postquam dixit eum appellatum Iustum, & munitionem populi) ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ. *Quemadmodum propheta de eo significant. Vellem,* (inquit hoc loco Iosephus) *testimonia ipsa prophetarum adduxisset!* Moderatè hoc quidem: & ego sanè vellē; si tamen de pro- E phetis, qui ante Christum, intellexit Hegesippus. Nam si de prophetis noui testamēti intellexit, qui scilicet in ecclesia primitiua & deinceps prophetabant, hoc est, Dei spiritu afflati Scripturas, & doctrinā Christianam explicabant, & Apostolorum facta dictáue memorabāt (sic enim accipit Paullus 1. ad Cor.14. versu 1. *Sectamini caritatem, æmulamini spiritalia, magis autē vt prophetetis.* Et versu 3. *Nam qui prophetat, hominibus lo-* F *quitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem*) tum nihil opus fuit Hegesippo verba proferre prophetarum. Sic enim iuxta vsitatū morem locutus fuerit, & perinde ac si dixisset: *Iacobus propter excellentem iustitiam suam cognominatus est Iustus, & vocatus est præsidium populi, quemadmodum nobis declarant præcipui doctores nostri.* Ac notandū non dixisse Hegesippum, *sicut Prophetæ prædixerunt* aut *præsignificarunt*, sed *sicut nobis significant de eo.* quod cōuenire potest ecclesiæ Doctoribus & euangelij prædicatoribus.

Reprehendit etiam Scaliger illa verba Hegesippi: *Nam propter Pascha tribus omnes vnà cum Gentilibus conuenère. Certè*, inquit, *duæ tantùm tribus erant; Beniamin in qua Ierusalem, & Iuda, vt & pueri sciunt: éstque idem commentum, quod in epistola Ptolemæi ad Pontificem Eleazarum. Præterea quis vnquam fando audiuit, aut legendo didicit Gentes die Azymorum Ierosolyma conuenire solitas? Gentiles sanè adorabant, immolabant, vota soluebant & suscipiebant in templo Ierosolymitano, non cateruatim, non condicta profectione: sed singuli, & vt quemque negotiatio sua aut casus Ierosolyma tulerat, non autem vt gentes sibi condicerent diē* * *θρησκείας in festo vllo Iudaico, nedum in Azymorum solemni, à quo omnis incircumcisus submouebatur.* * religionis.

Hactenus ille: & quidem tam asseueranter, & tam affirmatè, vt si res manu palpabiles & pueris notas, & quibus repugnare ausurus sit nemo, edicat. Contendo tamen contra Philisthæum hunc, rectè dictum ab Hegesippo omnes tribus vnà cum Gentilibus conuenisse: hoc est, ex omnibus tribus aliquos, & bono numero, (nec enim omnes potuerunt, nec vllus locus cepisset) atque hoc satis est, vt verba Hegesippi iuxta communem loquendi vsum veritatem habeāt. Quod enim de duabus tantùm tribubus, & pueros ipsos scire dicit, parum est quin hoc dicendo, S. Iacobum, (hunc scilicet ipsum de quo Hegesippus & nos tamdiu loquimur) infra pueros ponat. Nam ille quidem sanè epistolam suam ad duodecim tribus mittit, hácque vtitur inscriptione: *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sūt in dispersione, salutē.* Iac.1.vers.1.

Qui enim sciebat ex omnibus tribubus restare bono numero mortales, nec vllum ducebat ex omnibus negligendum, (licet duæ tribus, alijs in captiuitatem ductis & diminutis, integriores essent & maximo numero abundarent) iudicauit satis hoc esse, vt duodecim tribus appellaret. Quem secutus Hegesippus dixit ad Pascha omnes tribus conuenisse, & verum dixit: siquidem ex omnibus duodecim tribubus aliqui cōuenerant. Nam monstro simile fuisset, si cùm & Gentiles nonnulli Ierosolyma tum peterent, aliqua fuisset tribus, è qua nulli omnino aduenissent.

Sed ecce & Paullum, Actorum 26. versu 6. contra opinionem Scaligeri, & contra id, quod iuxta illum omnes pueri sciunt, de duodecim, etiam suo tempore, tribubus loquentem: *Et nunc in spe*, inquit, *quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus: in quam duodecim tribus nostræ nocte ac die deseruientes, sperant deuenire.* Act 26. vers.6.

Vide igitur, quisquis in verba iuras Scaligeri, corrigendúmne in Paullo sit, *duodecim tribus*, & eius loco, *duæ tribus*, reponendum: an spongia potiùs per Scaligerum deducenda, & tot eius errores, qui passim occurrunt, diluendi.

Ad illud verò, quod quasi manu apprehensa veritate, & sui certus teli inquirit: *Præterea quis vnquam fando audiuit, aut legendo didicit Gentes die Azymorum Ierosolyma conuenire solitas?*

Respondeo illos fando audiuisse, & legendo didicisse, quotquot Ioannis caput 12^m. vel oculis, vel auribus vsurparũt. Nam ibi versu 20. expressè dicitur (& agitur de die Paschæ) aliquos Gentiles in die festo ascēdisse Hierosolymam adorationis gratia. Nam paullo post narrationem triumphalis Christi ingressus in Ierusalem, & Pharizæorum indicatam ex eo facto inuidiam, subiungitur his verbis: *Erant autem quidam Gẽtiles ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo.*

Atque vt non esset in Ioannis Euangelio, Gentiles tum propter Pascha conuenisse Hierosolymam; nonne hoc vsus inter homines quotidianus docet, tum maximè homines extraneos ad magnas vrbes concurrere, cum in illis pręcipua agitur solemnitas, (quando & nundinæ eadem de caussâ celebrari sunt solitæ) tum studio noua spectandi, tum rerum gerendarum gratia? Nec enim Hegesippus dixit Gentiles conuenisse adorandi, aut immolandi, aut vota soluendi, suscipiendiue gratia, nec catervatim, nec condicta profectione, vt iste multis blaterat. Hoc enim solùm dixit: Διὰ τὸ πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ, μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. *Propter Pascha enim omnes tribus, cum ipsis etiam Gentilibus, conuenêre.* Non dicit quamobrẽ Gentiles conuenerint, religionísne ergô, an negotiationis, an recreationis, an rei cuiuslibet alterius: cur ergo fingit Scaliger, quasi diem *θρησκείας, religionis* sibi condixerint? cùm plurimæ aliæ esse potuerint, & esse solitæ sint, caussæ & occasiones tali potiùs tempore, quàm alio illuc proficiscendi, vt nunc Romam Iubilæi tempore, vt Parisios, aliásue ad magnas vrbes tum potissimè, cùm vel comitia, vel alia regni solemnia publicitus fiunt. Sed de hoc abunde hactenus.

Sequitur in Hegesippo: *Statuerunt ergo antè nominati Scribæ & Pharisæi Iacobum super templi pinnaculum.*

Quid hîc Scaliger? *Statutus est*, inquit, *in* * *πτερυγίῳ templi ab infinita turba: quasi illuc facilis ascensus esset.*

*FASTIGIO, PINNACVLO.

Sed vnde habet, quòd *ab infinita turba?* Nullus hoc dixit Hegesippus, nullus Eusebius, nullus Hieronymus, nullus omnino, nisi ipse. Satis est enim pro verborum Hegesippi veritate, Scribas & Pharisæos misisse eum istuc, aut duci iussisse, aut saltem aliquot ex ipsis conduxisse; omnes autem, vel infinitam turbam, nec necesse fuit, & inuerecundum est commentum. Neque tamen contentus ille hoc figmento, præter infinitam turbam, dicit multos præterea Scribas & Pharisæos ascendisse. Ecce eius verba, paullò post superiora. *Quomodo tanta turba*, inquit, *ibi pedem ponere potuit, vbi ne auibus quidem consistendi locus erat? Et tamen in πτερύγιον ascendit infinita turba, & post eam non exiguus numerus Pharisæorum, & Scribarum, vt Sanctum inde deorsum deijcerent. Quid? illi Scribæ non veriti sunt polluere sanctum templum, cædem humanam patrantes ex eius pterygio?* Ita ille.

Affingit itaque & assignat sua commenta Hegesippo. Nusquam enim de tanta turba locutus est Hegesippus, cùm eius verba græcolatina paullo superiùs à me producta consuli possint, nec ipse alia producat, nec possit producere.

Et quod Hegesippus πτερύγιον siue pinnaculum καταχρηστικῶς abusiuè posuit pro aliquo exterioris templi edito loco, publicam vrbis plateam spectante, quo in loco homines multi esse & ambulare possunt, quemadmodum & nunc videmus pro maioribus basilicis; Scaliger restrictissimè, & quasi rixantium more pro extrema & in acumen exeunte pinna templi interioris accepit. Verùm, si licet illi (vt iam vidimus) hyperbole auium abuti, liceat & Hegesippo catachresi, aut alio quouis tropo vti. Nusquam enim mendacium aut mendacij species, quàm in hyperbole, magis apparet. Nunquam verò fuit tam amens Hegesippus, vt de ista Iosephi Scaligeri pinna intutâ auibus loqueretur, cùm nec inde à consistente infrà populo (tanta pinnæ erat sublimitas) exaudiri vllatenus potuisset. Neque etiam eum ita locutum existimarunt, neque Eusebius, neque Hieronymus, neque quicumque Hegesippi dicta hactenus probarunt & probant; maledicta verò Iosephi improbant & respuunt. Nam vir in profanis litteris perquam eruditus, vel sacras attingere historias non debuit, vel certè accuratiùs, præsertim eas reprehensurus, examinare.

Reprehendit deinde idem Iosephus, quòd dicantur multi Iacobo concionante acclamasse: *Osanna filio Dauid. Quasi*, inquit, *osanna acclamaretur omni loco, & in omni plausu.*

Et ego contra: Quasi osanna non acclamaretur omni loco, & in omni plausu, si ita placeret acclamatoribus. Quis enim prohibuit, ne quis, cùm vellet, *osanna* acclamaret?

ret? Vox illa, *iò triumphe, iò, triumphe*, vox est propria triumphorum: quis tamen vetuit, ne pueri in suis gaudijs, aut populi in publicis lætitijs, eandem vocem vsurparent, cùm vellet? Sicut triumphanti Christo (nã bene contra se hoc admonuit, & in caput suum Iosephus vsurpauit, tametsi ignorari à nullo poterat,) extra scenopegię tempus acclamatum est: *Osanna filio Dauid*.

Sed *Apostoli*, inquit, *si ramos non defregissent ex palmis, non potuissent illud acclamare; neque si Christus non fuisset filius Dauid, potuissent dicere, υἱὲ Δαβίδ*.

Vtrumque autem est falsum. Prius quidem, quia licet demus *Osanna* ramos aliquando significasse, aut videri saltem significasse, eò quòd ramos in festo *σκηνοπηγίας*, scenopegiæ manibus prætenderent, dum hoc acclamarent; tamen nec illa vox è sua radice ramos significat, & quamuis significaret; tamẽ in lætæ acclamationis interiectionem transijt, vt siue cum ramis, siue sine ramis (quo modo & multa alia à sua deflexerunt primæ significationis origine) lætitiæ & applausus sit indicium & protestatio. Posterius autem, quia quãuis Christus secundùm carnem non fuisset filius Dauid (sic enim accipit ille Hegesippi obtrectator) tamen acclamare potuissent: *Osanna filio Dauid*, quia scilicet filio Dauid secũdùm imitationem & similitudinẽ: immo ad hoc potiùs respectum fuisse à Spiritu Sancto per ora clamantium insonante videri debet, quàm alterum. Multò enim minus est filium esse Dauid secundùm carnem, quàm secundùm spiritum: nec tam illi apud Deum sunt filij Dauid, qui secundùm carnem, quàm qui secundùm spiritum tales sunt. *Cognoscite ergo*, (inquit Paullus in epistola ad Galathas) *quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ*. [Ad Galathas cap. 3. vers. 7.]

Sed frustra cum homine, vti ex multis colligitur, plus nimio carnem sapiente, de spiritu agitur. Acclamarunt tamẽ Christiani Domino seu Christo, seu B. Iacobo, fratri Domini: *Osanna filio Dauid*, quia & hic secundùm fidem & pietatem verè filius erat Dauid. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, nõ qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimãtur in semine*, inquit Paullus. [Ad Rom. 9. v. 7.] Ita non omnes qui ex Dauide, ij sunt filij Dauid: sed qui Dauidis pietatem ac sanctimoniã imitantur, ij verè & sanctè filij Dauid. Et sanè qui ad Iesum in euangelio multis locis clamabãt: *Miserere nostri, fili Dauid*, ij non ad genus ipsum, sed ad virtutem eius & potentiam cum admiratione respectabant. Nec enim generi dantur prodigia, sed sanctitati.

Hæc præcipua reprehensionis Scaligerianæ fuerunt capita. Nam quòd Isaias citetur ad illum locum, qui reperitur Sapientiæ 2. versu 12. his verbis: *Ἐνεδρεύσωμεν τὸν δίκαιον, ἐπεὶ δύσχρηστος ἡμῖν ἐστί. Circumueniamus ergo iustum: quoniam inutilis est nobis*. & quòd aliquis filiorum Rechab annumeretur Sacerdotibus, qui fuerit Scribis annumerandus, leuiora sunt, quàm vt in his, aut refellendis, aut defendendis multa opera ponenda sit: cùm *μνημονικὰ* tantùm sint *σφάλματα*, seu humani memoriæ lapsus. Quamuis plus peccet reprehensor in male reprehendendo, quàm ille peccauerit (si peccauerit) memoria deerrando. Nam forma illa orationis Hegesippi, quæ ab eo reprehenditur, *vnus ex filys Rechab filij illorum Rechabitarum, qui Ieremia Propheta testimonio commendantur*, non est mala, nec reijcienda: cùm Rechab ibi non capiatur pro primo Rechab, vnde dicti Rechabitæ, sed pro aliquo longè posteriore, qui plures habuerit filios, quorum vnus fuerit is, qui cædem S. Iacobi impedire voluit. Quare quod dicit Scaliger: *neque rectè dixero: Filius Seleuci ex familia Seleucidarum*. immò verò rectè dixerit, si is qui dicitur filius Seleuci, patrem habuerit eodem nomine, quo qui primus appellatus est Seleucus. Sicut de filio Scipionis iunioris rectè dicetur, filius Scipionis, filij illorum Scipionum, qui rem Romanam egregie tutati sunt, & de quibus scriptum: *— duo fulmina belli, Scipiadæ*.

Et quod addit idem Scaliger: *Præterea isti Rechabitæ non potuerunt esse Sacerdotes, quod essent ex tribu Iuda. 1. Paralip. 11. in fine*. Falsum est fuisse ex tribu Iuda, nec id loco citato dicitur. Vide Cornelium Cornelij à lapide, in caput 10. Numerorum, & in cap. 35. Ieremiæ, vbi docet Rechabitas non fuisse Iudæos, sed Madianitas, qui inter Iudęos habitarent.

Hæc sunt omnia quæ illo in loco reprehendit circa B. Hegesippi dicta Iosephus Scaliger: nunc ad secundum eiusdem Hegesippi fragmentum progrediamur.

CIRCA II. FRAGMENTVM.

Ἐδηλατόρευσαν] Occurrit in prima verborum Hegesippi periodo vox ista semigræca, semilatina, origine latina, formatione græca, quæ vt me legentem primo aspectu retardauit, ita posset & alios. Itaque à latinà voce *Delator*, formarunt & vsurparunt Græci *Δηλάτωρ* eodem significatu, & inde verbum *Δηλατορεύω defero, accuso*, vnde *τὸ ἐδηλατόρευσαν, detulerunt*. Similia verba olim præcipuè in Syria, vt Antiochiæ, Beryti, & vicinis in locis efformata sunt, propter Romanos exercitus inibi diu versatos,

tos, & leges item latinâ linguâ edoctas. Hinc in B. Ignatij Antiochiæ Episcopi litteris, vt illic admonui, ista verba militaria reperiuntur Δεσέρτωρ: *desertor:* Δεπόσιτα, *deposita.* &c. Et hic rursus in eodem Hegesippo, paullò inferius δηνάρια, *denarios.* Quæ vox etiam in omnibus Euangelistis reperitur.

Tractatur in hoc fragmento de persecutione cognatorum Christi per Domitianũ excitatâ: qua de agit & Baronius ad annum Domitiani 14. vbi corrigendum est, quod legitur in Plantini editione: *Istos verò quidam nomine Locatus ad Cæsarem Domitianum deduxit.* Reponendum enim est *Iocatus.* vti & apud Ruffinum, vbi vitiosiùs habetur: *Reuocatus quidam nomine.* Patet ex verbis Hegesippi græcè suprà positis, & ex relatione Eusebij, apud quos est Ἰώκατος, *Iocatus.*

Circa hoc 2m. Hegesippi Fragmentum, perinde atque circa superius, prodit Scaliger suam simul inscitiam, simul inuerecundiam. Verba eius sunt: *Isti igitur* οἱ ἀπὸ γένους Δαβὶδ *deducebant genus à quodam Iuda, qui secundum carnem dicebatur frater Domini, & quia Dominus erat ex genere Dauid, propterea & ipsi quoque erant de stirpe Dauid. Duos autem eo tempore superfuisse de illis posteris Iudæ, fratris Domini, idem Hegesippus scribit:* Οἱ δ' ἦσαν ἀμφότεροι &c. *ecclesi. hist. III. cap. XX. & XXI. pag. 26. Mirum verò istius Iudæ fratris Domini Euangelistas nusquam meminisse. Sed omnem admirationem superat posteritatem Dauidis eo tempore ad duos tantum redactam fuisse, & (quod cum omni historia pugnat) nullam posteritatem Dauidis sub Domitiano fuisse, nisi eos qui à Iuda fratre Domini (si quidem vllus fuit) propagati erant. Nam numerosissima semper fuit posteritas Dauid* &c. Sic ille in Animaduersionibus ad Eusebium numero MM. CXII. *Domitianus cos.* &c.

Aggrediamur ad refutationem.

Mirum esse dicit istius Iudæ, fratris Domini, Euangelistas nusquam meminisse. Dico ego meminisse, & quidem in recensione Apostolorum. Fuit enim Apostolus, éstque is, qui vocatur Iudas Thaddæus, vel Iudas Iacobi, & frater fuit illius Iacobi, de quo egimus in primo fragmento, qui & *frater Domini* appellabatur. Et hic est quoque Iudas, qui epistolam scripsit canonicam, quæ sic incipit: *Iudas, Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis* &c.

Matthæus ergo cap. X. cùm inter Apostolorum recensionem dicit: *Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes,* per Thaddæum intelligit Iudam, Iacobi fratrem: vti & Marcus, cap. 3. dum sic recenset: *& Iacobũ Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Chananæum, & Iudam Iscariotem.*

Quod patet ex Luca cap. V. vbi loco Thaddæi ponit Iudam Iacobi, versu 16. sic recensens: *Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem.* nusquam autem ponit nomen Thaddæi. Quare quem alij *Thaddæum,* ipse *Iudam Iacobi* appellat, vt necessariò consequi fatendum est.

Sed nullus clarior locus quàm ille Matthæi 13. versu 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas?*

Et Marci 6. versu 3. *Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis?*

Ecce itaque Iudam in euangelio, cuius meminisse nusquam Euangelistas mirabatur Scaliger. Et ne dicat illum non esse fratrem Domini, conuincitur ex ipsa Iudæ epistola, vbi se vocat fratrem Iacobi, Iacobus autẽ erat frater Domini: igitur & hic. Nec ipse tantùm Iudas, sed Euangelista quoque Lucas vocat eum Iudam Iacobi, scilicet fratrem: propterea scilicet, quòd, cùm scriberet Lucas euangelium, nomen Iacobi fratris Domini, ob eximiam sanctimoniæ existimationem erat nominatissimum, ex quo ipse Iudas Thaddæus, si qua ex re alia, fiebat notissimus. Sed de hoc pũcto videtur iam satis dictum: quidnã aliud prætereà afferat, aut in S. Hegesippo reprehendat, nunc intuendum est.

Alterum igitur caput reprehensionis Scaligerianæ est in illis verbis: *Sed omnem,* inquit, *admirationem superat, posteritatem Dauidis eo tempore ad duos tantùm redactam fuisse.* &c.

Immo hoc omnem admirationem superat, inquam ego, tam inuerecundum esse Scaligerum, vt ea Hegesippo affingere non vereatur, quæ nunquam Hegesippus, nec dixit, nec cogitauit: & cùm ipsa Hegesippi dicta etiamnum exstent, non veritum esse illum, si quid de eo mentiretur, ad illa se protractum iri. Examinentur itaque omnia Hegesippi, quæ nunc supersunt scripta, & illa nominatim, quæ ille calũniator ex parte citat (posui enim integra in 2. fragmento) nusquam reperietur Hegesippus dicere *posteritatem Dauidis eo tempore ad duos tantùm redactam fuisse,* multò etiam minùs id quod idem illi affingit, & dicit cum omni historia pugnare, *nullam* scilicet *posteritatem Dauidis sub Domitiano fuisse, nisi eos qui à Iuda fratre Domini, si quidem vllus fuit, propagati erant.*

Neutrum enim dicit Hegesippus: sed hoc tantùm dicit, *tempore Domitiani aliquos ex*

genere

genere Domini, qui nepotes erant Iudæ fratris Domini fuisse superstites. Quod longissimè A distat ab isto: *tantùm duos ex genere Dauidis esse superstites.* Nam tanto latiùs patet genus Dauidis quàm genus Christi, quanto illud, quàm hoc est, altius. Innumeri esse poterant ex genere Dauidis, siquidem iam tot ante sæcula vixerat, & stirpem propagarat: pauci autem ex genere, siue cognatione Christi, cùm vno tantùm sæculo, aut non multò ampliùs extitisset. Cùm ergo dicit B Hegesippus aliquos superfuisse ex genere, siue cognatione Christi; non negat alios superfuisse ex genere Dauidis, immò potiùs contrarium esset colligendum, nempe si adhuc aliqui superessent ex cognatione Christi, multò magis, & multò plures ex cognatione Dauidis: sicut multo plures ex genere Abrahæ, quàm ex genere Dauidis, & longè item plures, ex genere Noë, quàm ex genere Abrahæ. C

Oportet itaque Scaligerum oculos miro superbiæ & cauilli fumo habuisse suffusos, qui ad tam clara caligarint, & alia pro alijs viderint.

Immo tantum abfuit Hegesippus, vt diceret posteritatem Dauidis ad duos tantùm redactam fuisse; vt ne quidem cognationem Christi dixerit ad duos redactam esse. Aliud est enim dicere duos ex Christi cognatione captos & comprehensos esse: D aliud duos tantùm fuisse superstites. Nam fieri potuit, & propè certum est, plures fuisse superstites, & duos tantùm captos esse, nempe eos, quos Christianos esse constabat. Nam Iudæi ex odio Christi illos detulerunt, non ex odio Dauidis, tametsi & hoc addiderint illos esse ex genere Dauidis. Alij autem ex eodem Dauidis genere, vel occultarunt se, vel diffugerunt, vel genus negauerunt: vel certè confitentes, ta- E men ob suam vilitatem, contempti sunt.

Adde non modò non dixisse Hegesippum, nullam fuisse sub Domitiano posteritatem Dauidis, nisi ex Iuda fratre Domini, (vt dixisse illum scribit Scaliger) sed potius dixisse contrarium: siquidem, Eusebio teste, scripsit ipsosmet B. Simeonis sub Traiano martyris accusatores Iudæos (nam odio fidei accusarant) etiam deinde comprehensos esse, vtpote qui essent ex regia F Iudæorum tribu. Vide Eusebij verba id de Hegesippo testantis, ad extremum tertij fragmenti suprà.

Idem porrò Iosephus eodem agitatus confidentissimæ audaciæ spiritu post refutatum à se suum ipsius figmentum, *Veri igitur*, inquit, *posteri Dauid, non à Iuda fratre Domini, quem Hegesippus somniauit; sed à Salathiel genus deducebant, quorum numerosissimæ supersunt reliquiæ in vrbe Bagded.*

Quem Hegesippus, inquit, *somniauit.* & suprà dixerat, *si quidem vllus fuit.* & postea dicet: *qui nunquam fuit*: citabo mox verba. An non hinc apparet istum hominem Euangelia & Scripturas sacras habere pro somnijs? Nam ex illis ostendi hunc ipsum Iudam, fratrem Iacobi, & fratrem Domini esse inter Apostolos.

Denique idem Scaliger, postquam nonnulla è Iudæorum triuio de propagatione generis Dauidici iactata protulit adagia, subijcit hanc impiam & mendacem clausulam: *Vides, qua fiducia, & intra duos homines tam numerosum genus cogere, & à Iuda fratre Domini, qui nunquam fuit, illud deducere voluerit Hegesippus iste, qui in istis posteris Dauid nihilo veracior fuit, quàm in passione Iacobi, fratris Domini.*

Atqui nos veracem in vtroque, per Dei gratiam, illum ostendimus: Iosephum autem Scaligerum in neutro veracé, in vtroque fallacem. Et cùm nihil ampliùs contra Hegesippum, aut de Hegesippo Iosephus habeat; illo misso ad alia nos conferemus.

Adeóque decreto suo ecclesiæ persecutionem sedauisse.

CHRISTOPHORSONI VERSIO CORRECTA.

Domitianum sedasse persecutionem habent Hegesippi verba, in textu fragmenti 2. posita. Quæ male vertit Christophorsonus hisce verbis: *Vnde Domitianum nihil mali contra eos decreuisse, sed tanquam abiectos & simplices aspernatum, liberos illos quidem dimisisse, atque adeo destitisse à persecutione, quam ex decreto contra ecclesiam instituerat*: cùm sic græcè: Ἐφ᾽ οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανόν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλευθέρους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι δὲ διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμόν. Vbi διὰ προστάγματος ex edicto, coniungitur cum καταπαῦσαι sedare, non autem cum διωγμὸν persecutionem: ita vt sensus sic ille, quem suprà græcis apposui: nempe edicto suo seu decreto sedasse persecutionem. Quod vt probet Eusebius, profert similem Tertulliani auctoritatem, his verbis: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὁ Τερτυλλιανὸς τοῦ Δομετιανοῦ τοιαύτην πεποίηται μνήμην· Ἐπεπειράκει ποτὲ καὶ Δομετιανὸς ταυτὸ ποιεῖν ἐκείνῳ, μέρος ὢν τῆς τοῦ Νέρωνος ὠμότητος· ἀλλ᾽ οἶμαι ἅτε ἔχων τι συνέσεως, τάχιστα ἐπαύσατο, ἀνακαλεσάμενος οὓς ἐξηλάκει. *Enimuero & Tertullianus de Domitiano sic mentionem facit. Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate: sed quà & homo, facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegauerat.*

Ille locus ita reperitur in Tertulliani Apologetico, cap. V. vnde illum accepit & vertit Eusebius, quippe latinæ linguæ haud ignarus. Tenuit igitur Tertullianus, (vti & ante illum Hegesippus) Domitianum cœptam

ptam persecutionem repressisse. Quod intelligēdum est, vel de persecutione eorum, qui ex cognatione Christi, aut ex genere Dauidis erant (quo modo facilè capi verba Hegesippi possunt) vel de persecutione quidem Christianorum vniuersali (quod videntur indicare verba Tertulliani) sed quæ ad tempus repressa, postmodùm recruduerit: vt vult Baronius ad annum Domini 97. circa finem, vbi verba Hegesippi citata ex versione Christophorsoni corrigenda sunt, vti paullo superiùs monui. Et vno verbo, omnes ferè errores Christophorsoni (qui sunt non pauci) adhærent etiam Baronio, cùm eius semper vtatur in citando Eusebio versione. Ita fit, vt alijs alios sequentibus, nec fontes græcos examinantibus, primi alicuius interpretis errores, ad quàm plurimos Scriptores, qui sola nituntur priorum auctoritate, in immensum diffundantur. Ex quo etiam, quanta sit cognitionis linguæ grçcæ necessitas, in promptu est cognoscere. Vnum atque alterum caput hac de re scripsit noster Ludouicus Cresollius in sua Mystagogia, quæ operæ precium sit ab illis legi, qui vel ad SS. Patres Orientalis ecclesiæ perlegendos, vel ad altiores scientias alijs tradendas, vel ad libros in lucem edendos, sese applicant. Certè indignum est reperiri aliquando in magnis Academijs nonnullos sacræ Scripturæ Professores, qui vix tria verba grçca norint, Hebraicam verò aut Chaldaicam, Syriacámue litteram ne vnam.

GRÆCÆ LINGVÆ NECESSITAS.

CIRCA V. FRAGMENTVM.

Transilio III. & IV. Fragmentum, quia nihil mihi occurrit notatu aut dignum aut necessarium. Circa V. occurrit, quòd Hegesippus dicat Ecclesiam permansisse Virginem vsque post tempora Apostolorum, quod intelligendum est, à corruptione hæreseon, (vti idem innuere videtur) aperta fronte prodeuntium, & simul inualescentium. Nam si quæ illorum tempore prodierint, vt Simonis Magi, & quorundam eius discipulorum, tamen non tum inualuerūt, sed statim ab Apostolis fusæ fugatæque sunt. Verùm post illorum è vita excessus, tum demum qui velut cuniculis proserpebant, in lucem erectis prosiliere cornibus, multósque sauciauere incautos.

Haud tamen ego hac in parte beato Hegesippo (salua eius pace & sanctimonia id dixerim) assentiri possum; vt vel post Apostolos viciatam Ecclesiam, vel eius desijsse virginitatem dicam. Non censetur enim domus corrupta, dum pater-familias & præcipua eius capita sunt in officio, licet aliqui è famulitio, aut nonnulli etiam è liberis, sed pauciores prę alijs, deprauato sint ingenio & moribus: neque ciuitas itē corrupta, dum magistratus est integer & præcipua populi pars sana est, & leges ac censura vigent, tametsi non desint, qui suis malefactis politiam dehonestent: neque natio item, aut prouincia, aut vniuersitas, peruersitatis induet nomen, dum eius potissima columina, & qui plus auctoritatis habent, persistunt immota & illabefacta, licet in ijs sint scelera, & magno quidem numero, & compesci interdum non possint. Nam & militia Christiana, & exercitus Catholicus appellatur, vbi summum caput, & copiarum duces Christianum nomen, & Catholicum cognomen præstant. Quare ab excessu Apostolorum, quando Pontifices sancti, quādo singularum ecclesiarum Prçsides incorrupti, quando magna in singulis ecclesijs vtriusque sexus portio, tam retinens erat fidei, quàm vitæ; immo quando huius erat prodiga, & istius retinentissima (quod vel ex hisce nostris vitis luce ipsa est clariùs) certè pura, certè incorrupta, certè virgo erat Ecclesia. Nam & pudica quæpiam puella, quamuis insultibus appetita lenonum ferocissimis, quamuis vno & altero truncata membro, tamen dum resistit, dum reclamat, dum ad mortem repugnat, adhuc virgo est, necdum viciata est. Sic Ecclesia variè tentata, & oppugnata, & mutilata, sanum tamen dum præstat caput, dum cor gestat illæsum, dum præcipuos artus seruat incolumes, nihil ei aduersus integritatem fraudi sunt, nec vis hçreticorum, nec plagæ Gentilium, nec vulnera Iudæorum.

Hinc alij fere omnes Patres, etiam diu postea, passim Ecclesiam vocauerunt virginem, Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagogi, cap. 6. post medium, Epiphanius in Ancorato sub finem, & in Anacephalæosi item sub extremum, S. Ioannes Chrysostomus homilia 23. in epist. ad Corinthios. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 5. Et è Latinis Ambrosius libro primo de Virginibus sub medium, Hieronymus in Apologia contra Iouinianum sub finem epist. 50. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 34. & ante vtrumque, Pacianus, Barcilonensis Episcopus, epist. prima & tertia, & hoc ipso etiam prior Nouatianus, Romanæ vrbis Presbyter, adhuc Catholicus, libro de Trinitate, cap. 29. licet in hæresim postea delapsus sit. Nec pigebit horum aliqua in medio ponere testimonia.

CLEMENTIS: Μία δὲ μόνη γίνεται μήτηρ παρθένος. Ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν. Et inferiùs: παρθένος δὲ ἅμα καὶ μήτηρ ἐστὶν, ἀκήρατος μὲν, ὡς παρθένος· ἀγαπητικὴ δὲ, ὡς μήτηρ, καὶ τὰ αὑτῆς παιδία προσκαλουμένη ἁγίῳ τιθηνεῖται γάλακτι τῷ βρεφώδει λόγῳ. Vna

verò

verò sola est mater virgo. mihi autem placet eam A *vocare Ecclesiam.* Et paucis interiectis verbulis: *Incorrupta quidem, vt virgo: amans autem, vt mater, & suos ipsius liberos aduocans sancto enutrit lacte, doctrina infantili:*

EPIPHANII: Καὶ παυσάσθωσαν οἱ κατὰ τῆς ἁγίας παρθένου τοῦ Χριστοῦ καὶ νύμφης ἁγνῆς, τουτέστι τῆς μητρὸς ἡμῶν· παρέλαβον γὰρ οἱ ταύτης παῖδες παρὰ ἁγίων πατέρων, τουτέστι, τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, πίστιν φυλάττειν. *Desinant proinde illi sanctam Christi virginem & castam sponsam* B *oppugnare, hoc est, matrem nostram Ecclesiam. Acceperunt enim eius filij à sanctis patribus, hoc est, à sanctis Apostolis, fidem custodiendam.* &c.

CHRYSOSTOMI: *Noua res*, inquit. *In mundo virgines manent ante nuptias: post nuptias non item: hic autem non sic.* [in ecclesia scilicet] *Nam licet non sint virgines ante nuptias: post nuptias tamen virgines sunt:* [dum scilicet per fidem Deo desponsantur, & ec- C clesiam intrant.] *Sic omnis Ecclesia virgo est.* Ita ille.

ISIDORI: Ἔχεται μὲν ἡ ἄμωμος καὶ παρθένος Ἐκκλησία ἡ ὀρθὴν περὶ τὸ θεῖον τὴν πίστιν ἔχουσα, τὰ πρωτεῖα. *Teneat igitur primas integra & virgo Ecclesia, quæ rectam in Deum fidem tenet.*

AMBROSII: *Sancta Ecclesia, immaculata coitu, fecunda partu, virgo est castitate, mater prole.* Et breui pòst: *Quæ igitur nupta plures* D *liberos habet, quàm sancta Ecclesia, quæ virgo est sacramentis, mater est populis?*

HIERONYMI: *Num vir egregius* [Damasus] *& eruditus in Scripturis, & virgo Ecclesiæ virginis doctor aliquid in illo sermone reprehendis?* Et in dialogo aduersus Luciferianos: *Sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresim transferas, & virginis integritatem per meretricum lupanaria patiaris spurcari?*

AVGVSTINI: *Ecclesia imitans Christi* E *matrem quotidie parit membra eius, & virgo est.*

Et in tractatu de symbolo ad Catechumenos agens de dracone &c.

Draconem, inquit, *diabolum esse vestrûm nullus ignorat: mulierem illam Virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se sancta Ecclesia demonstrauit: vt quomodo filium pariens virgo permansit, ita & hæc omni tempo-* F *re membra eius pariat, & virginitatem non amittat.* Ita ibi.

PACIANI: *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi. Virgo; verum est: sponsa; manifestum est: sed & vxor & coniunx de viro suo sumpta.* Ex epistola eius 3.

NOVATIANI: *Spiritus Sanctus Ecclesiam incorruptam & inuiolatam perpetua virginitatis & veritatis sanctitate custodit.*

TERTVLLIANI in libro De pudicitia, cap. 18. ad illud Paulli ad Ephesios 5. ver. 7. de ecclesia loquentis: *Vt exhiberet ipsam sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata*, sic addens & explicans scribit: *sine ruga veritatis, vt virgo; sine macula fornicationis, vt sponsa; sine probro vilitatis, vt emundata.*

CYPRIANI epist. 52. ad Antonianum: *Nam & mœchis*, inquit, *à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum gloriosum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat: nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur.* Sic ille.

Sicut igitur Ecclesia, propter mœchos, qui in ea reperiuntur, virginitatem non amittit; ita nec propter hæreticorum doctrinas mendaces, suam deperdit veritatem; nec propter improborum malitiam, suæ damnum facit innocentiæ.

CIRCA VI. FRAGMENTVM.

Quia Christophorsonus Eusebij interpres à Latinis græcè nescientibus passim pro Eusebij legitimo interprete habetur & citatur (& quidem sine controuersia melior est plerumque & accuratior Ruffino) propterea operæ duco precium, si quando aliqui in eo errores occurrant, ne quis cum illo aberret, eos obiter indicare.

Quare in illis eius verbis, lib. 4. histor. cap. 8., *tempus quo ipse floruit*, [Hegesippus] *apertè indicat, idque in ipso operis sui exordio.* totum illud membrum, *idque in ipso operis sui exordio*, adulterinum est, & præter aut contra Eusebij mentem. Nihil tale habent eius verba. vt videre est suprà proximè ante verba Hegesippi in VI. Fragmento: neque item habet versio Ruffini. Quare membrum illud eradendum. Item illud paullo pòst: *Quo illis*, inquit, *plus haberetur honoris.* quod apud eosdem non reperitur, sed tantùm id quod suprà indicaui in Fragmento. Citauit tamen cum vtroque additamento Baronius ad annum Hadriani 13. & fortè ex illo alij.

In eodem fragmento Hegesippi de Antinoo, vbi dicitur tantùm δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, *seruus Hadriani Cæsaris*, quo modo habent Ruffinus & Hieronymus, addidit è suo Christophorsonus, *Seruus atriensis.* Quem & hic errantem secutus est Baronius. Adeo iuuat non deductos à quolibet latinos riuulos sequi, sed ad Græcos vsque fontes procurrere.

De Antinoo Hadriani Imp. seruo, siue puero eximiæ pulchritudinis, & inde di-

le[...]ssimo,

lectissimo, adeóque in Deos propterea relato, & vrbe cognomine, & templo, & aris cum suis prophetis & sacerdotibus honorato plurimi scripserunt, & nostrorum, & externorum. E nostris quidem secundum Hegesippũ, (cuius verba in hoc Fragmento sunt) Iustinus martyr, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Chrysostomus, & alij: è Latinis Tertullianus, Prudentius, Hieronymus &c.

Externorum autem scripserunt hi, Dio Cassius, Pausanias, Spartianus, Aurelius Victor, & alij.

De eodem Antinoo scripsit hac nostra ætate melius, quàm alius quilibet, Isaacus Casaubonus in Notis ad Spartianum. Adiri is potest.

Caussa porrò, quamobrem à SS. Patribus toties Antinoi in Deos relati facta fuerit mentio, hæc est: quòd ad Gentiles suo iugulandos gladio nihil certius, nihil recentius, nihil efficacius adferri posse crederẽt, quam eos ipsos, qui Christianis ob Christũ hominem diuinis affectum honoribus tormenta & mortem inferrent, puerum cinædum Hadriani Imp. in Deos retulisse, & templo sacerdotibúsque ei facturis honorasse.

Frustra enim est Salmasij coniectura ex vno exemplari contra plurimorum auctoritatem, pro *cinædum Deum*, vti habet Tertullianus, volentis intrudere *synodi Deum*. Locus Tertulliani in Apologetico cap. 13. sic habet: *Cùm de pædagogijs aulicis nescio quẽ cinædum, Deum facitis*. vbi Heraldus, *Hæc dicuntur*, inquit, *multo contumeliosius, quàm si Deum nominasset*. Igitur eius codices habebant *cinædum*, non *synodi Deum*.

Confirmat Tertulliani locum & sensum Prudentius libro priore in Symmachum, cap. De cultu Hadriani & catamiti eius ita scribens:

Quid loquar Antinoum cælesti sede locatum?
Illum delicias nunc diui Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianíque Dei Ganymedem. &c.

At enim Salmasius homo arrogantissimus de suo libro dicit: *Optimus liber, cuius opera multa millia mendarum ex Tertulliani operibus sustulimus*. Adijcere debuisset ad dicti veritatem: *vel intulimus*. Sic enim multo propiorem veritati suam fecisset hyperbolen: cùm hæc posterior particula non paruum importet numerum.

Isaacum certè Casaubonum Tertulliani verba sic legisse & intellexisse, vt nos diximus, liquet ex eius Notis in Spartiani Hadrianum, vbi de Antinoo agit. Cùm enim attulisset aliquos Scriptores Græcos è pro-

A fanis, qui Antinoi consecrationem humanitati Hadriani attribuerent, & non impuro eius amori, tum subdit: *Aliter & Tertullianus, & ceteri omnes Patres, quibus nulla temperandi necessitas*. Sic ille.

Quare Origenes 3. contra Celsum, idem quod Tertullianus, & eodem propè cum illo tempore, de cinædo illo, & Hadriano perscripsit ad illa verba: Τί γὰρ κοινὸν ἔχει ὁ θρυλλόμενος ἐν τοῖς Ἀδριανοῦ παιδικοῖς βίος, οὐδὲ
B τὸν ἄρρενα ἀπαθῆ γυναικείας νόσου φυλάξαντος, πρὸς τὸν σεμνὸν ἡμῶν Ἰησοῦν; Vide & Hieronymum ad illud Isaiæ cap. 2. versu 6. *Et pueris alienis adhæserunt*. vbi de Græcis & Romanis isti olim vitio addictis, & nominatim de Hadriano agit, qui suum *Antinoum consecrauit in Deum, templúmque ei & victimas & sacerdotes instituit: & ex eo Ægypti ciuitas & regio nomen accepit*.

CVIVS ET CERTAMINA CELEBRAN-
C *TVR ANTINOIA*] In veteri inscriptione ANTINOEIA. appellantur, & quinto quoque anno celebrabantur, auctore Pausaniâ, dies autem festus quotannis. Sic enim ille in Arcadicis: Τούτῳ εἵνεκα ὁ βασιλεὺς καθεστήσατο αὐτῷ, καὶ ἐν Μαντινείᾳ τιμάς, καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον, καὶ ἀγὼν ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου. *Propterea Imperator constituit illi etiam in Mantinea honores, fitque illi quotannis solemnitas, & anno quinto certamina.*
D Vide ibi plura de eius origine, patria, imaginibus &c.

Vrbs Græcis vocata est Ἀντινόου πόλις, Ἀντίνοον, Ἀντινόεια, & Latinis *Antinoopolis, Antinoum, Antinoia*.

Ac ne hanc vrbem prætereamus sine aliquo gustu pietatis, en propè ab illâ vrbe virginem vnam cũ hydria è proximo fonte aquam petentem, in quam derepente sanctus insilit Spiritus, & illa mox relictâ hy-
E driâ quærit aquam viuam, & martyrium vltro appetit, atque pro Christo mortem oppetit. Iraïs erat illi nomen. Quam celebrat Menologium 22. Septembris, itémque Romanum martyrologium his verbis: *Antinoopoli in Ægypto sanctæ Iraidis, virginis Alexandrinæ, & sociorum martyrum: quæ ad hauriendam è proximo fonte aquam egressa cùm vidisset nauim Confessoribus Christi onustam, relictâ hydriâ protinus se illis adiunxit, ac simul*
F *cum ijs in vrbem ducta, prima omnium post multa supplicia capite cæsa est: deinde Presbyteri, Diaconi, & Virgines, aliíque omnes eodem mortis genere consumpti sunt.*

Vtra porrò duarum mulierum, (quibus consimilis vitæ beatioris apud fontem sors obtigit) credenda est fuisse felicior? hæcne Iraïs, an mulier illa Samaritana, quam Ioãnis euangelium celebrauit, & à qua Christus aquam fontanam, & quæ à Christo aquam viuam expetijt? Ibat vtraque ad fontem

fontem cum hydria: sed hæc Christum reperit; illa Christi martyres: hęc Christo credidit; illa se martyribus sociauit: hæc Christi fuit nuntia; illa eiusdem testis & martyr: hæc per Christum accepit vitam; illa pro Christo elegit mortem. Felicior proinde hæc & fortior, nisi & illa Samaritana (cui Photinæ nomen fuit) mortem quoque pro Christo tandem oppetisset. Oppetijt autẽ testibus Gręcis & Latinis, qui eius mortem in sacras suas tabulas immisere ad diem vigesimam Martij: de quâ & martyrij cõsortibus ita Romanum martyrologium: *Eodem die sanctorum Photinæ Samaritanæ, Ioseph & Victoris filiorum, itémque Sebastiani ducis, Anatolij, Photij, Photidis, Parasceues & Cyriacæ germanarum: qui omnes Christum confessi, martyrium sunt assecuti.*

Menologium Græcorum expresse collocutionis eius cum Christo ad puteũ meminit. *Eodem die*, inquit, *certamẽ sanctæ Martyris Photinæ Samaritanæ, cum qua Christus Dominus ad puteum locutus est.*

VRBEM QVOQVE CONDIDIT ANTINOO COGNOMINEM, ET PROPHETAS INSTITVIT.] Græcè est: Καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου, καὶ προφήτας. De vrbe cognomine ipsi Antinoo iam dictum: sed hoc mirũ, quando tẽpli non sit facta mentio, mentionem fieri prophetarum. Nisi fortè aliqua Hegesippi omisit Eusebius, vel aliqua Eusebij alius.

Ruffinus quidem lib. 4. historiæ Eusebianæ cap. 7. sic est interpretatus: *Nam & ciuitatem condidit eius nomine Antinoon, & templum ei, & sacerdotes instituit & prophetas.* Hieronymus autem de Scriptoribus ecclesiasticis in Hegesippo, sic: *Cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatem, quã ex eius nomine cõdidit, & statuit prophetas in tẽplo.*

Non est quidem improbabile aliquid in Hegesippo, aut certè in Eusebio citãte Hegesippum desiderari: nempe verbum ἵστησι *statuit*; tamen probabilius videri potest pro ἔκτισε *condidit*, scriptum fuisse ab Hegesippo ἵστησι, *statuit*. Nam illa vox græca, vti & latina *statuit*, potest ad vtrumque referri, tam ad *vrbem*, quàm ad *prophetas*. vt dicatur Hadrianus statuisse Antinoo vrbem, templum, & prophetas. Ita sola vox ναὸν, *templũ* desideraretur. Desiderari autem indicat Ruffini interpretatio. Hoc saltem constat Hadrianum Imp. catamito suo templa cõdidisse, & sacerdotes attribuisse: an verò & præter sacerdotes, Prophetas quoque addiderit, qui à sacerdotibus essent distincti, incertum est: probabile id videtur è verbis Ruffini, vbi nominat vtrosque. Et fieri potuit, vt aliqui istorum sacerdotum malo spiritu àfflati prophetarent, & vaticinarẽtur: alij non: & hi se sacerdotes tantùm vocarent, illi autem superbo spiritu tumidi prophetas se iactarent. In vetere nũmo hęc est inscriptio: ΟΣΤΙΛΙΟΣ. ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ, Ο ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ.

In saxo autem Romæ hæc:

ΑΝΤΙΝΟΩι
ΣΥΝΘΡΟΝΩι ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩι ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ.

Quod Latinè valet: *Antinoo consessori Deorũ Ægypti M. Vlpius Apollonius Propheta.*

Priùs autem: *Hostilius Marcellus Sacerdos Antinoi. Corinthiorum.*

Dici etiam potest omnes Ægyptiorum Sacerdotes indiscriminatum modò Prophetas, modò Sacerdotes appellari. Aut certè hos singulariter Antinoi Sacerdotes vocatos Prophetas ex vulgi opinione, credentis vim in illis esse prophetandi, vt rectè annotauit Casaubonus, cui & illas binas inscriptiones vtriusque appellationis testes, acceptas referimus.

CIRCA VII. FRAGMENTVM.

Agit in hoc fragmento Hegesippus de sua Romam profectione, & ibidem sub Aniceto, & Sotere, & Eleuthero habitatione: dicitque se in transitu Corinthum petijsse, vbi episcopatum tunc gerebat vir quidam magna præditus vitæ sanctimonia Primus nomine appellatus, quem & conuenerit, & à quo perbenignè exceptus sit.

PRIMVS, CORINTHIORVM EPISCOPVS.

De Corinthiorum tamen Episcopo, qui nomine *Primus* vocatus sit, alibi nusquam, nisi hîc, quicquam reperio. Nam si quid Nicephorus Callistus habet, hinc habet.

Eodem sæculo Corinthiorum Episcopus fuit Dionysius quidam, cuius mox vitam dabimus: sed *Primum* eo fuisse antiquiorem in ea ecclesia existimo. Et fortè idẽ est, qui inter Alexandrinos Antistites quartus ab Eusebio recẽsetur in Chronico, ad annum Traiani XI. Crebra enim tum fiebat transmigratio.

ROMAM VERO CVM VENISSEM &c.] Hic locus valde erat corruptus in græcis exemplaribus, partim ex dictionum transpositione, partim etiam ex commutatione. Nam legebatur διαδοχὴν ἐποιησάμην *successionem feci*, pro διατριβὴν, *moram*. Est enim διατριβὴν ἐποιησάμην, pro *versatus sum, commoratus sum*, vsitatissima locutio, non autẽ prior. Deinde habebatur μέχρι Ἀνικήτου *vsque ad Anicetum* pro παρὰ Ἀνικήτῳ *apud Anicetum*, quod paullò inferiùs extra locum suum positum erat, ex vitio vel librariorũ, vel typographorum. Ex quibus Christophorsonus hunc conficiebat sensum, in sua interpretatione, lib. 4. cap. 21.

 Cùm

Cùm essem Romæ, mansi ibi vsque ad Pontificis Aniceti tempora: cuius tum quidem Eleutherus Diaconus erat. Huic successit Soter: quo morte extincto Eleutherus munus episcopale capessit.

Atqui sensus ille est falsissimus. Non enim fuit Romæ ante Anicetum, nec ibi permãsit vsque ad eius tempora: sed sub illo venit Romam, & permansit vsque ad tempora Eleutheri, siue donec Aniceto Soter, & Soteri Eleutherus successit. Quod de eo disertè ac distinctè sine vlla errati suspicione declarat eodem libro Eusebius, cap. X. his verbis.

Κατὰ τὴν Ῥωμαίων δὲ πόλιν πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἐπισκοπῆς ἐνιαυτῷ Πίου μεταλλάξαντος, Ἀνίκητος τῆς ἐκεῖσε προΐσταται. καθ' ὃν Ἡγήσιππος ἱστορεῖ ἑαυτὸν ἐπιδημῆσαι τῇ Ῥώμῃ, παραμεῖναί τε αὐτόθι μέχρι τῆς ἐπισκοπῆς Ἐλευθέρου. Quæ ita reddit ipsemet Christophorsonus: *In vrbe Roma Pio ad decimumquintum Pontificatus sui annum mortem oppetente, Anicetus illius ecclesiæ ministerio præficitur: cuius temporibus se Romam contulisse narrat, ibidémque vsque eo mansisse, quoad Eleutherus Pontifex crearetur.*

Quæ cùm scripsisset Christophorsonus cap. 10. mirum est cap. 21. eiusdem libri scripsisse tam diuersa, quàm hic antè posui. Quare eum locum, restitutis verbis, quæ malè erant deformata, & instaurato verborum recto ordine, emendaui vt suprà.

QVEM PROPOSVERVNT OMNES SECVNDVM] Dicit totum populũ diœceseos Hierosolymitanæ post mortem S. Iacobi Apostoli, qui primus fuit Episcopus Hierosolymitanus, proposuisse S. Symeonem Cleophæ filium, vt ei succederet ac secũdus esset eiusdem ecclesiæ Episcopus.

AGGREDITVR VERO THEBVTES, QVIA NON FVISSET EPISCOPVS &c.] Hoc è primis est ambitionis exemplis circa Episcopatum, cuius repulsa in caussam secessionis & hæreseos à Thebute arrepta est. Post priores duos Hierosolymorum Episcopos, Iacobum & Symeonem sperabat tertium locum: sed prælatus est illi Iustus, qui episcopatum suscepit anno Traiani decimo, vt habet Eusebij Chronicon, Christi autem 109. cui Iusto successit Zachæus, & Zachæo Tobias. &c. de quibus vide dictum Chronicõ, & eundem Eusebium lib. 4. hist. cap. 5. Hunc autem ambitiosum, potius Thebuten appellatum fuisse, quam Thebulim. (vt quædam habent Eusebij exemplaria) colligitur partim è Ruffino Presbytero Eusebij primo interprete, qui habet *Theobuten*; partim è Nicephoro Callisto

Ambitio Episcopatus.

A Eusebij descriptore, qui habet Θεβοῦθιν Thebuthin, non Thebulin.

ERAT ET HIC E NVMERO EORVM, QVI VII. HÆRESES &c.] Fuerunt tẽpore Hegesippi, in populo Iudaico 7. hæreses, quarum sectatores paullò inferiùs in eodẽ 7. fragmento recensentur ab Hegesippo, nempe Essęi, Galilęi, Hemerobaptistę, Masbothæi, Samaritæ, Sadducæi, Pharisæi. Ita vocabantur, qui se in illo æuo Christianis
B opponebãt. Nota hîc per transennam, cùm apud veteres SS. PP. ponitur λαὸς, *populus*, absolutè sine addito, intelligi κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam*, populum Iudæorum. Ita hoc loco Hegesippus: Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ καὶ αὐτὸς ἦν. *Erat & ipse è septem hæresibus, quæ erant in populo.* id est, inter Iudæos. Sic & apud Irenæum quàm frequentissimè nomen λαὸς, *populus* per synecdochen generis significat populum Iu-
C daicum,

Meminit earundem 7. hæreseon Epiphanius hæresi 19. sub finem, siue num. 5. tametsi recenseat paullò diuersiùs, & ex vna interdum faciat duas. De quibus vide Petauium eiusdem Epiphanij interpretem; ac de omnibus Iudæorũ hæresibus ad tres reductis, vide Nicolaj Serrarij partim Trihæresium, partim Minerual, vbi perdoctæ sunt partim commentationes, partim cum
D Iosepho Scaligero, & Ioanne Drusio disceptationes.

Hactenus de 7. fragmentis Hegesippi ex historia Eusebij, nec ibi existimo plura inueniri: si autem vspiam alibi sint alia; erit suum ea indicanti operæprecium.

Nam quod Ruffinus lib. 3. historiæ Eusebianæ cap. 16. videtur nouum apportare, dum ita scribit: *Verùm de seditione facta apud Corinthios ac dissensione plebis, testis valde fi-*
E *delis Hegesippus indicat, hoc modo dicens:* &c. nihil noui adducit. Nam istæ tres voces: *hoc modo dicens:* delendæ sunt. Quod inde manifestissimum est; quia ea quæ ibi subduntur, nihil prorsus seditionis istius attingũt: & græca Eusebij verba sic tantùm habent: Καὶ ὅτι γε κατὰ τὸν δηλούμενον τὰ τῆς Κορινθίων κεκίνητο στάσεως, ἀξιόχρεως μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος. *Quod autem & sub indicatum tempus, Corinthiorum mota sit seditio, testis locuples*
F *Hegesippus.*

Quæ autem proximè insequuntur, non de Corinthijs, sed de Domitiani in Romanos crudelitate, & in Christianos persecutione sermonem inferunt.

Hic proinde ad Dei opt. max. gloriam, vitæ simul & monumentorum S. Hegesippi sit finis.

VITA

VITA
S. THEOPHILI
EPISCOPI ANTIOCHIÆ.

EX ipſiuſmet ſcriptis potiſſimè.
Lactantio Firmiano.
Euſebio Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo.
Hieronymo Presbytero.
B. Theodoreto Cyri Epiſcopo.
Ioanne Damaſceno.
Antonio Meliſſa.
Nicephoro Conſtantinopolitano Patriarcha.
Nicephoro Calliſto.
Ioanne Tritthemio.
Martyrologijs Romanis, Bedæ, Adonis, Vſuardi &c.

S. THEOPHILVS l. 1. ad Autolycum:

Ὥσπερ ἔσοπτρον ἐστιλβωμένον, οὕτω δεῖ τὸν ἄνθρωπον ἔχειν καθαρὰν ψυχήν.

Oportet hominem, ſplendicantis inſtar ſpeculi, puram gerere animam.

Et lib. 2. ad eundem.

Εἰ δὲ χρὴ τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσιν ὑποτάσσεσθαι, πόσῳ μᾶλλον τῷ θεῷ καὶ πατρὶ τῶν ὅλων;

Si liberos parentibus ſubdi oportet; quanto magis Deo & Patri vniuerſorum?

VITA
SANCTI THEOPHILI
ANTIOCHIÆ EPISCOPI.

PRÆFATIO.

TAMETSI secundum à Christi ortu sæculum permultos in Oriente protulerit Scriptores sacros, non minùs doctrina, quàm virtute claros; tres tamen dumtaxat ex omnibus ea fuisse felicitate reperio, vt aliqua eorum scripta ad nostram hanc ætatem integra perennarint. Ex his autem, post duos illos toti orbi notissimos, Iustinum Philosophum, & Irenæum Lugdunensem Antistitem, tertius est hic noster Theophilus magnę Antiochię Episcopus, vir iuxta nominis sui appellationem verè Dei amans, & Deo amabilis. Ipsius enim, perinde atque aliorum duorum, quædam habemus perfecta opera: ceterorum autem omnium eiusdem æui Scriptorum paucula tantummodò & paruula, præ illis, quæ perierunt, colligere potuimus fragmenta. Igitur ex illis beatissimi Theophili operibus studium mihi fuit præcipua quædam factorum eius atque virtutum puncta seligere, eáque ad describendam eius vitam, (quæ alioqui hactenus exstat nulla) coniunctis, quæ sacra suppeditauit historia, breuibus monumentis, in quoddam veluti corpus conformare. Atque hoc ipsum est, quod nunc diuina fretus gratia euestigio aggredior.

CAPVT I.

Theophili ætas, genus, educatio, studia, doctrinæ Christianæ exploratio.

a ÆTatem S. Theophili sunt qui ad primum Domini Saluatoris sæculum referant: neque etiam desunt, qui sancto Lucę Paulli discipulo & comiti æqualem illum faciant: rati scilicet illum ipsum esse, cui diuinus ille Scriptor tam sua Apostolorum Acta, quàm sanctissimum Euangelij opus, tanquam populari & ciui suo conscripserit, viro scilicet locupleti ac religioso, & qui ædes suas, quas Antiochiæ habebat, Christi ædem ac templum dedicatione fecerit. Hoc enim tanquam à maioribus sibi traditum Antiocheni ipsi ad posteros transmisisse crediti sunt: sed eo, vti quidem reor, affectu,

fectu,quo vnaquæque natio primas rerum suarum origines haberi studet quàm antiquissimas. Nam rationes ipsas temporum putanti attentiùs ea multùm vincere sententia reputabitur, quæ Theophili ortum haud altiùs quàm à secundi sæculi accersit primordijs, & natum credit sub Traiani imperantis initia, siue anno Christi circiter centesimo,regente Romanam Ecclesiam beato Clemente, Antiochenam autem (ex qua ortus creditur Theophilus) S. Ignatio martyre. Nam qui sibi in animum induxere,vnum eundémque esse Theophilum,quem beatus Lucas in sacris libris affatus est,& quem inclinante secundo sæculo superstitem fuisse scimus,ij necesse habent eadem opera confiteri hunc ipsum Theophilum [b] annos vitæ huius cētum quinquaginta,cóque ampliùs transegisse. Quod si ita esset, ecquinam de illo Scriptores, amabo, ætatem illam istis temporibus tam insolentem atque extraordinariam silentio præterissent? Quare ea est ætate natus,quam dixi,& parentibus quidem (vt colligi datur) fortuna honestis, sed Gentilium superstitionum errore etiam tum inuolutis. Emicuit autem in paruulo egregia mentis indoles, quæ cum annis crescens,& magis magísque idoneum ad litteras & meliores artes ingenium prodens, ad sollicitam filij educationem parentum curas prouocauit. Ita Magistris traditus,seriò in omnem profanæ eruditionis disciplinam incubuit: ac proinde eximios, nec suo minores imparésue ingenio progressus fecit. Verùm vt in cæca gentilitate,& à magistris FIDEI ignaris,immo & totis (rapiēte sensuum impetu) in terrena defluentibus haud facile dictu est,tantúmne bonæ eruditionis,quantum blandi veneni hauserit. Nam Poëticę quidem atque Rhetoricæ artibus insudans, dum ibi Deorum genealogias,amores,riualitates,aliáque eiusmodi in ętate lubrica perlegeret; hîc verò Oratorum, seu rabularum potiùs, suis vtilitatibus magis, quàm iuris æquitati velificantium,dolosas artes, & mordacia conuicia incautus audiret,vix ipse vtrobique aliud, quàm & blanda illic venena,& amaros hic calices imbibebat. Denique à Philosophis in suarum sublimitate cogitationum euanescentibus, & de principijs absque illo primo & summo principio (quod vnicè est necessarium) inuicem digladiantibus, non tam in desideratæ viam veritatis ducebatur, quàm in deuios variorum errorum flexus ac labyrinthos seducebatur. Totus igitur in vanis hisce studijs erat & deerrabat Theophilus, atque in superstitionis cursu trahentem turbam secutus,multos venerans Deos, Deum sciebat, colebátque nullum. At postquam supremo illi & vnico Numini visum est, miserum hunc erronem *de tenebris vocare* (vt S. Petrus loquitur) *in admirabile lumen suum*,tum ipse sensim aperire oculos,& quanta in errorum caligine versaretur,à pijs ac religiosis viris (in quos nonnunquam, dum doctos venaretur,diuina disponente prouidentia incidebat) paulla-

THEOPHILI NATIVITAS.

EIVSDEM PARENTES.

INGENIVM ET STVDIA.

CONVERSIONIS AD FIDEM PRIMORDIA.

1. Petri 2. vers. 9.

tim addiscere. Et quando illi quidem duo non parui laboris negotia incumberent; vnum in expugnandis sibi auitis & velut cum lacte expressis atque exsuctis de Deorum cultu opinionibus: alterum in noua & ab istis prorsus discrepante vnius Dei religione inserenda; habuit hoc posterius præ illo altero longè plus sudoris ac difficultatis.

DEORVM INANITAS.

Nam Deorum inanitas apud hominem emunctæ naris, firmíque iudicij haud adeo difficilis ostensu fuit. Quippe cùm ij ipsi, qui Deorum turbam induxerunt, natas inter eos graues contentiones atque turbas minimè tacuerint. Quòd si peccata atque flagitia, à quibus vel homines abhorrent, diuinitatem nequaquam deceant; qualésnam esse Deos, quorum impuri amores, & adulteria, & alij relatu indigniores actus apud omnes in confesso sint? Igitur homo philosophus, & cui hæc omnia maximè perspecta erant, nostris vnicum Deũ omnis vitij, perturbationísque expertem asserentibus haud grauatè manus dedit. At non perinde, vbi ad singularia fidei nostræ mysteria ventum est.

FIDEI CHRISTIANÆ DIFFICVLTAS.

Nam de vnico Deo, fuisse & Poëtas quosdam, & nonnullos philosophos, qui olim non obscurè idem, quod nostri, & senserint, & docuerint: de Christo autem homine à suis in crucem acto, & de doctrina eius planè omnibus antè sæculis insolenti atque ignota, quòd & ipse sit Deus, & quòd omnia ab illo prolata, tot sint diuina oracula; id verò credere, hoc opus, hunc laborem esse. In hanc proinde partem vt magis arduam omnes conuersę sunt machinæ: eóque tota vis rationum incubuit, vt ad istorum fidem quàm posset facillima aperiretur via. Et ingressus quidem aliquis per Sibyllas pro more factus est (harum enim vaticinijs non parum auctoritatis Gentiles tribuunt) haud tamen tantus, vt non difficilis in arcem fidei conscensus esset; verùm opportunè superueniens cuneus Prophetarum viam alioqui satis arctam dilatauit, & præcipua totiùs victoriæ caussa fuit.

PROPHETARVM ORACVLA POTENTISSIMVM AD FIDEM INCITAMENTVM.

Illi enim, quæ de Christo Deo difficillima creditu habebantur, ea sibi multis antè sæculis diuinitus indicata, atque certissimò à se prænuntiata, litterísque tradita, & conformi quidem in omnibus veritate, tametsi diuersis accepta temporibus, palam ostenderunt, sicque in ipsius Theophili oculis defixerunt; vt nullum relinquerent incredulitati subterfugium. Videbat enim omnia, quæ vix duobus ante sæculis in persona Christi Hierosolymis patrata essent, & de quibus minimè dubitari posset, illa ipsa in antiquissimis libris Iudæorum patriâ ipsorum linguâ, siue hebraicâ, & in vetustissima itẽ Regis Ptolemæi bibliotheca sermone græco prędicta contineri. Neque ambigere poterat, quin libri illi plurimis ante euangelium & Christi natiuitatem ætatibus partim à Moyse propheta & legislatore, partim à Dauide & Salomone notissimis toto orbe Regibus, partim à clarissimis alijs Prophetis conscripti essent. Ad hos ergo perlegendos, atque ad perscrutanda in primis Prophetarum de Christo oracula,

oracula commouente intus Dei Spiritu incitatus, multum ibi temporis, multum operæ consumpsit, nec antè destitit, quàm omnis sibi è mentis oculis caligo defflueret. Cum autem duo potissimè in Christiana religione (vt ferè omnibus Ethnicis vsu venit) perquam difficilia creditu ipsi viderentur, nempe illa generalis corporum resurrectio, & post resurrectionem æternitas seu suppliciorum, seu præmiorum; hæc quoque, cum ex diuturna diuinarum Scripturarum lectione, tum etiam deductis è philosophia rationibus, & nonnulla itidem è rebus naturalibus ad similitudinem resurrectionis sumpta experientia, sibi vt probabilia viderentur, effecit: donec tandem Deo opt. max. veritatis lucem cælitus adspirante, penitus sanctæ Christi doctrinæ atque intaminatæ fidei assensus est. Nam ad resurrectionis quidem mysterium quod attinet, quemadmodum ad eius fidem progressus sit, quásue ex ipsis naturæ visceribus credendi caussas meditando extuderit, ipsemet Autolyco viro Gentili & propter fidem aduersario, quadam in disputatione declarauit. Nēpe se in consilium adúocasse, atque impensè cum animo considerasse varias annorū ac temporum vicissitudines, dierum noctiúmque ortus & interitus, seminum fructuúmque multiplicem vitam atque mortem, arborum fruticúmque statis temporibus iam virorem, iam nuditatem, agrorum denique modò sterilitatem, modò fecunditatem: preterea mentis aciem in hoc se intendisse, quonam pacto vnus interdum passerculus, aliáue auicula deuorato ficus, aut mali, aut alterius cuiuslibet arboris certo semine in editum aliquem, præruptúmque locum volatu transuecta, illud ipsum semen naturali suo calore in ventriculo concoctum atque demutatum excerneret, & excretum renasciturae arbori etiam inter saxa rupésque initium faceret. Quin & hoc quoque secum reuoluebat, quemadmodum ipsæ corporis humani carnes, seu morbis exhaustæ, seu vi quapiam alia deperditæ, & cum illis vnà omne propemodum robur atque forma miserè exterminata, rursum in pristinam valetudinem atque statum Dei immortalis beneficio restitueretur. Quibus omnibus velut totidem gradibus ad credendi facilitatem promouisse, demúmque accessu Prophetarum plenam applicuisse fidem ita professus est: *Nec ego*, inquit, *futuram resurrectionem credebam: sed his, quæ iam dixi, cum animo meo perpensis, simúlque perlectis sanctorum Prophetarum libris, qui Dei Spiritu afflati, & præterita, quo modo facta fuerint; & præsentia quo pacto fiāt; & futura quo ordine futura sint, prænuntiarunt; non potui fidem non adhibere. Accepta igitur tam eorum quæ fiunt, quam eorum, quæ præsignificata sunt, demonstratione; haud persto incredulus, sed Deo obtemperans credo: cui & tu, si te submittens credas, ne tibi optimè consules: cùm alioqui futurum sit, vt si modo non credas, cogare postmodum, sed tuo ingenti malo, æternis in supplicijs ea credere. Quorum quidem suppliciorum*

ARGVMENTA ET INDICIA FVTVRÆ RESVRRECTIONIS.

S. Theophili verba lib. 1. ad Autolycum.

pliciorum à Prophetis prænuntiatorum, ij qui posteriores illis fuerunt Poëtæ ac Philosophi, nonnullam partem ad sua constabilienda dogmata de libris sacris sublegerunt. Quod ipsum tamen, vt de venturis aduersus impios atque incredulos supplicijs vaticinarentur, haud de nihilo factum est: siquidem ad hoc valitura sunt ista testimonia, vt nemo habeat deinceps dicere: Non audiuimus: non sciuimus. *Quocirca ipse tu, si lubet, illa Prophetarum scripta perquam sedulò perlege. Nam illa te tam ad æterna euitanda supplicia, quàm ad immortalia Dei bona adipiscenda velut manu ducent.* Hæc sapienter ac beneuolè in Autolici gratiam, de suæ ad fidem conuersionis origine obiter Theophilus; nunc ad ipsum Fidei amplexum & profectum, conuersásque ad Ecclesiæ protectionem profanas eius artes accedamus.

CAPVT II.

Theophili ad Ecclesiam accessus, virtutum incrementa, studiorum profanorum ad Fidei protectionem conuersio.

POstquam Theophilus, per varios animi æstus atque iactationes, cum errore & infidelitate, quasi secum ipse, bello intestino diu multúmque decertasset; tandem vincente, (quam vinci turpissimum fuisset) fidei veritate; & discussis, quæ mentem obnubilauerant, ignorantiæ tenebris, ad Christi castra cum incredibili totius ecclesię gaudio accessit. Sic enim notum erat hominis ingenium, sic explorata eruditio, perspectáque industria, vt iam tum animis prospicerent, quantum ipse fidei munimen, & quàm forte atque inuictum aduersus quosuis suos hostes futurus olim esset religionis propugnaculum. Ipse autem vitæ prioris admodum pertæsus, atque induere nouum gestiens, cùm exoptato & expetito æternæ salutis lauacro ritè ablutus veterem hominem exspoliasset, iam totus IESVM Christum indutus, omnia terrena, despicere, ad diuina & cęlestia adspirare, pluris ignominiam crucis, quàm omnes mundi laudes & honores & glorias æstimare: denique Christiani nomen, quàm Philosophi elogium (tametsi hoc vulgo admirandum, & illud mundo despectum) in maiori precio habere, atque vt de re perhonorifica gloriari. Tum igitur aduersus ipsum, vt nouę tironem militię, contrarię partes armari: tum qui prius amici erant, voluntarias suscipere inimicitias, & odisse infestius: tum philosophiæ desertorem, & quasi contempto ac propudioso nomine identidem Christianum appellare. Quos inter conuitiatores princeps & antesignanus eminebat ille, (cuius antehac facta est mentio) [a] Autolycus, vir (vt ne sua defraudetur laude: nam bona hominum dona sunt Dei) tam eruditus, vt propè omnes calleret tam nouas, quàm veteres historias; tam diligens ac sedulus; vt totas interdum noctes in bibliothecis transigeret. Hic ergo sibi ingratam

tam Theophili à sua Deorum secta defectionem summopere indignatus, non desistebat, quà Deos suos extollendo, quà Christũ crucifixum deprimendo, conuitijs ac maledictis illum vltro lacessere. Quę tamen ipsa noster Dei-amans, non vt conuitia, sed vt elogia, tanquam germanus Christi discipulus, non admittebat tantùm, sed volens & cupidus arripiebat. Hinc illi aliquando de Dijs suis cum veri Dei despicientia inaniter ac temere nimis elocuto ita Theophilus: *Tu me, ô amice,* inquit, *tua tantùm non obruisti vaniloquentia: cùm de* [Theophilus l. 1. ad Autolycum.] *Dijs tuis, & lapideis, & ligneis, & fusis, & fictis, & pictis immensùm gloriarere, qui neque vident, neque audiunt.* Simulacra enim sunt, & [Psal. 113. ver. 4.] opera manuum hominum. *Quod autem Christianum identidem me appellas, & quasi prauum gerẽtem nomen criminaris; ego sanè & Christianum me esse fateor, & hoc amabile Deo nomen, frugi seruus illi esse sperans, lubenter gero. Neque enim, quemadmodum arbitraris, odiosum est hoc Dei nomen; sed tu inutilis Deo cùm sis, ita de Deo sentis.*

Sic ille in duorum nominum, vnica tantùm littera differentium, annominatione alludens, non modò se Christum sequi profitetur, sed etiam eum sequendo sperare se χρηστὸν chrestum, id est, bonum ac [Χριστὸς, Christus. Χρηστὸς, bonus.] frugi seruum Deo fore: Autolycum autem ipsum, quia ἄχρηστος id est, inutilis Deo sit, etiam de Deo & Christo malè sentire. Cùm autem ab eo posceret idem Autolycus, vt suum ipsi Deum commonstraret, ipse vicissim ab eo expetijt, vt suum ipsi hominem, siue principem hominis partem, animam nimirum, ostenderet; tum se & Deum ipsi ostẽsurum: neutrum enim corporeis cerni oculis posse: verùm si mentis acie intueri Deum vellet, eam mundam purámque esse oportere. *Age,* inquiebat, *præsta oculos animæ tuæ ad intuendum aptos, & aures* [Theophilus ibid.] *cordis tui ad audiendum idoneas, & expedita nobis res erit. Quemadmodum enim, qui oculis corporeis pollent, ijs res corporeas & terrenas ita cernunt, vt simul etiam ea, quæ inter se distinguuntur, vti lumen & tenebras, album & nigrum, pulchrum & deforme, concinnum & inconcinnum, moderatum & immoderatum, discernant: & quo modo aures sonos ita percipiunt, vt vnà distinguant, acutíne sint, an graues; asperíne, an suaues; ita prorsus se habent ea, quæ vel ad aures cordis, vel ad animæ oculos attinent, quantũ ad Dei auditum spectat aut intuitum. Ab ijs enim cernitur solis, qui cernendi facultatem & oculos animæ apertos habent. Nam sunt quidem omnibus oculi, sed aliquibus suffusi & ferendo lumini solis impares. Neque sanè, quia cæci illud non videant, idcirco quasi ex se sit inaspectabile, incusandum est; sed ipsimet cæci potius & se & oculos suos meritò incusent. Ita igitur & tu, o bone vir, à peccatis & prauis tuis factis suffusos habes animæ oculos. Atqui oportet hominem, splendicantis instar speculi, puram gerere animam. Nam quod rubigo est in speculo, hoc est peccatum in homine: nec vnquam poterit, qui illo fœdatus est, Deum cernere.*

Hæc & plura his consimilia Autolyco Theophilus, quæ non illi solùm, sed & nobis, atque omnibus Deum quærentibus prodesse debeant. Ex ijs enim non modò quid Ethnicos ab haurienda luce veritatis prohibeat; sed etiam quid permultos Christianorum à Dei opt. max. & diuinarum eius perfectionum clariori inspectione & intelligentia remoretur, habemus euidēter cognoscere. Ad tantum enim bonum certè obex vnicus peccatum est: quod quidem nubis instar densissimæ, inter clarum illum solem & nostros hebetes oculos intercedens, diuinæ conspectum claritatis intercludit. Quisquis enim alioqui ab animo suo peccati contagium perfectè excluserit, is sanè nitidissimi instar speculi cælestium radiorum apprimè capax, totum (si fas est dicere) Deum in se attrahet, omnésque diuini amoris ignes in aperti pectoris medullis concipiet, conceptósque foras prodet, & in quàm plurimos, nihil ipse disperdens, disperget. Nam si vera requiratur caussa, quamobrem tam pauci hodie inter Christianos viri spirituales, & veri cælestium rerum contemplatores reperiantur, en crimen, en caussa: nimia scilicet cum peccatis, tametsi etiam leuibus, consuetudo; & nimius item inanium terræ quisquiliarum (quas omnium minimi facere deceat) amor & admiratio. Nam si quis diuino subleuatus auxilio & illa euaserit, & has contempserit; næ, is velut densas nubes aut spissam caliginem agilitate animi ac subtilitate transgressus, puro ac liquido perfruetur cælo, Deúmque ac res diuinas sincerà illimíque mentis intelligentia consequetur. Verùm, vt ad inceptam disputationem reuertamur, ille de quo suprà Autolycus, quemadmodum ad fidem & cultum vnius Dei Deum sibi ostendi poposcerat, ita ad resurrectionis persuasionem, aliquem ostendi deposcebat, qui à mortuis resurrexisset. Dicebat enim: *Vel vnicum saltem mihi ostende ad vitam reuocatum, vt illum intuens tibi credam.* Theophilus verò, vt hominem suis ipsius laqueis irretiret, atque à vana resurrectionis Deorum opinione, ad veram certæ ac testatæ resurrectionis mortuorum fidem deduceret, *Ecquid magnum*, inquit, *aut memorabile feceris, si id solum, quod videris, credas? Et verò cùm Herculem, qui se ipse flammis absumpsit, & Æsculapium, quem missum è cælo fulmen perussit, rediuiuos ac superstites credas; quænam ista dementia est, ijs quæ à Deo proferuntur nolle credere? Quin & si quempiam à mortuis excitatum & viuentem tibi coram exhibuero, credituRúsne etiam sis, haud scio. Ceterum multa habemus in ipsis rerum naturis futuræ resurrectionis à Deo indicia.* Hęc ipsa deinde indicia fusiùs persequitur; & sunt illa ipsa, quæ sibimet Theophilus eàdem olim laborans incredulitate in adiumentum fidei aduocauerat, & quæ suprà attigimus. Disputationis porrò istius labor non prorsus inanis fuit. Nam Autolycus, qui initio satis asper, acerbúsque in colloquium venerat, & Theophili dicta pro stultiloquijs habuerat, tandem

COGNITIONEM DEI QVÆNAM IMPEDIANT.

GENTILIVM AD FIDEM RESVRRECTIONIS STOLIDA POSTVLATIO.

Theophilus ipse lib. 2. ad Autolycum.

tandem cùm illi de Deo & pietate & religione differenti aures patientiùs accommodasset; adeo in lenitatem ac beneuolentiam inflexus est, vt & pleniorem eorundem tractationem vltro efflagitaret, & vale dicens maxima amicitiæ signa exhiberet. Ita domos suas ambo, & præsenti fructu læti, & futuri exspectatione hilares abiere. Sed Theophili animum (vtpote rei magnitudinem vel in vnius lucro animæ perpendentis) longè maius gaudium pertentabat. Hinc secum statim agitare, qua via in amici animum altiùs penetraret, quibúsue machinis atque artibus eum tandem peruinceret: sedit denique, accuratum opus super toto religionis negotio conscribere, in quo & Deorum generationes, fabulásque ex illis ipsis, quas tum legebat Autolycus, historijs, cum omni earum vanitate velut in oculis defigeret, & totius Christianæ doctrinæ fundamenta ab ipsis creati mundi initijs, producta Moysis & aliorum Prophetarum inuicta auctoritate declararet. Hoc igitur præstitit in eo libro, quem secundum eidem Autolyco inscripsit & obtulit. Ac doctrina quidem Theophili, perquam bonum semen erat, & optima manu satum; sed Autolyci terra admodum petrosa, & spinis ac sentibus oblita: vt semen nec humorem satis imbiberet, nec radicem firmam ageret. Tametsi enim auditis aut perlectis Theophili disceptationibus nonnihil percelleretur; tamen ex aliorum congressu, & anxijs rerum domesticarum curis, facilè in errores suos reuoluebatur. Theophilus autem ne sic quidem despondit animum, sed vt patiens in eiusmodi rebus erat & longanimis, non lusurum se operam sperauit, si opus ad Dei gloriam inchoatum perurgeret. Cùm iste igitur Scriptores sacros ab ipso laudatos leuiculè cauillaretur, & tanquam recentes ac nuperos reijceret; noster Dei amans, & vel vnius saluandæ animæ percupidus ipsum tertio labore aggressus, nouum opusculum illi misit, in quo nostros sacrarum litterarum Scriptores cum antiquissimis Gentilium composuit, & quanto isti interuallo hos vincerent, clarissima in luce exposuit. An illum tamen peruicerit, vt manus daret, & collum suaui Christi iugo & sarcinæ leui submitteret, quamuis bene sperare liceat, tamen compertum non est, nos ad comperta transeamus.

CAPVT III.

Theophili episcopatus, sacri in eo labores, doctrinæ catholicæ aduersus hæreses propugnatio.

THeophilum iam grandi natu, & virum quàm notæ passim eruditionis, tam testatæ apud omnes virtutis expetijt Antiochena Ecclesia, defuncto Erote, Episcopum. Iam enim fidei suæ, & ardentis in fratres caritatis præclara ediderat experimenta: nec decebat accẽsam à Deo lucernam abscondi sub modio; præsertim ea tempestate, quæ

quæ propter ingruentes tam hæreticorum, quàm Gentilium persecutiones, viros requirebat non minùs omnigena scientia, seu sacra, seu profana, quàm virtute & religione præstantes. Hanc igitur prouinciam propensis omnium ordinum in se studijs oblatam suscepit Theophilus [b] anno Domini circiter centesimo septuagesimo, M. Aurelij Antonini & L. Veri Impp. Romanorum octauo, fuitque in numero Antiochenorum Episcoporum sextus. Nam Apostolorum princeps Petrus extra hunc numerum à præcipuis historiæ ecclesiasticæ Scriptoribus, non quasi sedis illius exsors, sed vt præcellens & latiùs dominans, eximitur. Primum siquidem recensent Euodium, secundum Ignatium, tertium Heronem, quartum Cornelium, quintum Erotem, sextum Theophilum: [c] tametsi ab alijs nonnullis, qui eadem in serie Petrum includunt, septimus dumtaxat nominetur. Iam autem tantæ ecclesiæ, (quanta in toto Oriente alia erat nulla) suscepto gubernaculo, memórque eam à primis Apostolis Petro, Paullo, Barnaba fundatam, deinde à fortissimis martyribus Euodio, Ignatio, Herone firmatam esse atque ordinatam; statuit sibi tantorum virorum sectanda cominus vestigia, neutrámque in partem à sanctissimis eorum moribus factísque, quoad eius facere posset, deflectendũ. Quocirca super gregis sui custodia peruigil pastor assiduè excubauit, hócque sedulo curauit, vti & doctrinam à maioribus acceptam firmiter retinerent, & traditionibus Apostolicis mordicus adhærentes, nihil à quoquam ipsis contrarium vllatenus admitterent. Studium porrò suum ita diuisit, vt quicquid à necessarijs Pontificij muneris curis vacui superesset temporis, id omne partim reuellendis Gentilium erroribus, partim commentis hæreticorum refellendis, partim denique sacris explanandis litteris impenderet. Atque in tribus sanè hisce rebus, eorum quoque qui nunc sunt Episcoporum succisiuus labor, vtpote loco suo & gradu dignissimis, meritò etiamnum insumendus foret. Quippe quibus non modò Ecclesiæ dignitas, & fratrum salus, & Dei honos (quę tamen prima esse debent) sed etiam proprij nominis immortalitas, & æterna super hæc gloria comparentur. Quid enim par aut secundum habent, vel vsurpatę sensuum voluptates, vel requisitæ mundi diuitiæ aut honores, vel comparata iniquis sumptibus innumera terræ iugera, vel aucta denique aut multiplicata ædificiorum, hortorúmue superba molimina, quibus qui applicuerunt animum, suam ipsi animam perdiderunt? *Quid autem prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Certè Theophilus nullam omnino dari posse, aut dandam esse existimauit, qui etiam pro aliena, tantum, quantum antehac in Autolyci caussa visum est, insudauit. Qui, sicut priores eiusdem Ecclesiæ Episcopi, (quorum arctam semitam sibi ingrediendam duxit) sanctam

Eusib in chroni. co, & lib 4. hist. eccl. cap 19.

Matthæi 16 ver. 10.

ſanctam amplexus paupertatem, omnia arbitratus eſt, vt ſtercora, quò & multos Chriſto & Chriſtum ſibi lucrifaceret. Quēadmodum autem aduerſus hæreticos in hac ipſa ætate immaniter graſſantes bellum ſuſceperit, Marcion & Hermogenes (vt alij taceantur) ignorari non ſinunt. Nam ad illos, atque ad alios itidem huiuſmodi lupos ab Eccleſiæ ouili vel arcendos, vel depellendos, vel etiam debellandos, quantum noſter laborauerit Theophilus, perquam fideliter ab hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptoribus litteris eſt proditum. *Cùm enim* (inquit illorū Scriptorum dux & princeps Euſebius) *multi ea tempeſtate hæretici ſinceram Apoſtolicæ doctrinæ ſementem non minus quàm antea, zizaniorum inſtar, corrumpere niterentur; tum qui vbique erant eccleſiarum paſtores, illos perinde atque ſilueſtres feras arcebant ac propulſabant: & hoc quidem, nunc fratres commonendo & cohortando; nunc ipſos hoſtes cominus & aperto marte iactis quæſtionibus adoriendo & ſupplantando; nunc etiam opiniones ab ipſis perperam inuectas, exaratis contrà commentarijs, exactiſſimè refutando.*

Euſeb. l. 4. hiſt. cap. 21. Nicephor. l. 4. cap. 9.

Quos inter, inquit, *ſtrennuè ac fortiter contra eoſdem dimicaſſe Theophilum, è libro Contra Marcionem egregiè elaborato (qui cum alijs eius libris, quos diximus, ad hoc vſque tempus perennauit) manifeſtum eſt.* Hunc igitur Marcionem è Catholico hæreſiarcham, qui duos conſtituebat Deos; alterum iudicem, ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, & tantummodò bonum atque optimum: qui Ieſum dicebat deſtructorem legis & prophetarum, demolitorem operum Dei creatoris: qui euangelium Lucæ & epiſtolas Paulli mutilabat: qui ſe Apoſtolis veraciorem prædicabat: qui ſolarum animarum, (non item corporum) reſurrectionem aſſerebat, ſed earum dūtaxat, quæ eius doctrinam recepiſſent: hunc, inquam, Marcionem qui iſta & alia haud minùs abſurda & monſtroſa profitebatur, & tamen inter homines, ſed peccatis cæcos, inualeſcebat, Theophilus noſter dictis doctis obtriuit. Poſt Marcionem verò exſurrexit Hermogenes, eccleſiæ deſertor, & ad Stoicos transfuga, qui perinde, atque iſti, ęternam eſſe materiam docuit, è qua Deus creauerit omnia, & ſine qua creare nihil potuerit: præterea omne malum ſuam è materia trahere originem: Domini corpus in ſole eſſe repoſitum: diabolum & dæmonas in materiam refuſum iri. Illum ergo etiam tum ſuperſtitem, talia ac tam nefaria in vulgus ſpargentem Theophili vigilans & ſagax induſtria, libro in eum compoſito, repreſſit ac retudit. Vt autem ab iſtis laborioſarum curarum moleſtijs, quibus oppidò grauabatur, puſillum laxamenti animo ſuo daret; in vernantia ſacrarum Scripturarum prata ſecedebat, ibi meditabatur, ibi flores colligebat, ibi eorum varietatem, virtutem, fragrantiam mirabatur, ibi ab obuijs & facilè occurrentibus humilioris litterę ſenſibus ad altiora ſe & ſapidiora ſpiritalis intelligentiæ ſenſa ſuſtollebat. Inde enim exſtiterunt illæ

Tertull. libro aduerſus Hermogenem. Theodoretus lib. 1 hæreticarum fabularum.

ſuper euangelio inſignes eius allegoriæ, & præclari ſenſus, quorum aliquem guſtum paullò pòſt lectoribus noſtris offeremus. Nã cetera viri ſanctiſſimi ſimul & ſapientiſſimi acta, cum præclaris virtutum exemplis (quarum aliquæ dumtaxat ſcintillæ in ſcriptis emicant) ipſa nobis temporum multa pulchra ſuffurantium atque exedentium iniquitas abſtulit: certæ tamen ſanctimoniæ nomen auferre non potuit. Cuius illi luculentiſſimum teſtimonium pariter perhibuerunt ſui in primis Antiocheni & Presbyterorum illius æui ſacer chorus, qui ipſum in tantæ ſedis faſtigium, Petro, & Euodio, & Ignatio, & tribus alijs ordine & ſanctitate proximis ſucceſſorem extulerunt: deinde diuina eius ſcripta mirificum internę pietatis odorem atque ardorem ſpirantia; tum verò ac potiſſimè ipſa Eccleſiæ catholicæ (quæ illum in ſacros diuorum faſtos retulit) religioſa ac celebris anniuerſaria memoria. [f] Nam beatum eius natalem adſcribunt tam antiqua quàm recentiora martyrologia ad diem Octobris decimam tertiam. Vixit porrò in eccleſiæ Antiochenæ pontificatu annos circiter tredecim, in omni autem vita ſaltem octoginta duos: quorum curſu feliciter exacto, & relictis poſt ſe non paucis libris, velut totidem viuis ſui imaginibus (quorum nos recenſionem mox inſtituemus) ad æternas beatorum ſedes emigrauit.

CAPVT IV.

S. Theophili Scripta.

DE his ita in Chronico ſuo ad annum Chriſti centeſimum ſeptuageſimum notauit Euſebius interprete Hieronymo: *Antiochiæ ſextus Epiſcopus ordinatur Theophilus, cuius plurima ingenij opera exſtant*. Quorum autem facta ſit nominatim ab ijſdem mentio, hęc ſunt:

Ad Autolycum libri tres.
Contra hæreſin Hermogenis, liber vnus.
Libri aliquot catechetici.
Contra Marcionem volumen vnum.
Commentarij in Euangelium.
Commentarij in Prouerbia Salomonis.

Quatuor primorum ex his tractatuum meminit Euſebius, libro quarto hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 23. eorundem verò & reliquorum duorum Hieronymus, at neuter omnium, ſed eorum dumtaxat, quos videre ipſis contigit. Verba Euſebij:

Lib. 4. hiſt. cap. 23.

Theophili, quem eccleſię Antiochenę Epiſcopum ſignificauimus, tres ad Autolycum libri religionis continentes elementa circumferuntur.

Τοῦ δὲ Θεοφίλου, ὃν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Ἐπίσκοπον δεδηλώκαμεν, τρία πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη φέρεται συγγράμματα.

Καὶ

Καὶ ἄλλο πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον· ἐν ᾧ ἐκ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου κέχρηται μαρτυρίαις.

Et alius liber inscriptus: *Contra hæresim Hermogenis*, in quo testimonijs è Ioannis Apocalypsi vtitur.

Καὶ ἕτερα δέ τινα κατηχητικὰ αὐτοῦ βιβλία.

Et alij quidam libri primam fidei institutionem continentes.

Et paullo inferiùs ibidem:

Ὅτι γέ τοι Θεόφιλος σὺν τοῖς ἄλλοις κατὰ τούτων [αἱρετικῶν] στρατευσάμενος δῆλός ἐστιν ἀπό τινος οὐκ ἀγεννῶς αὐτῷ κατὰ Μαρκίωνος πεπονημένου λόγου· ὃς καὶ αὐτὸς μεθ' ὧν ἄλλων εἰρήκαμεν εἰσέτι νῦν διασέσωσται.

Theophilum vnà cum alijs contra hos [hæreticos] viriliter depugnasse manifestum est ex eo libro, quem magna industria contra Marcionem elaborauit. Qui etiam ipse cum alijs, quos diximus, ad hoc tempus est conseruatus.

Lactantius Firmianus Eusebio æqualis meminit etiam ipse librorum ad Autolycum libro 2. de falsa religione ad extremum, hisce verbis: *THEOPHILVS in libro de temporibus ad Autolycum scripto ait in historia sua Thallum dicere, quòd Belus, quem Babylonij & Assyrij colunt, antiquior Troiano bello fuisse, inuenitur CCCXXII. annis: Belum autem Saturno æqualem fuisse, & vtrumque vno tempore adoleuisse.*

Verba autem à Lactantio hìc citata reperiuntur libro 3. ad Autolycum sub finem, & sunt hæc: Κατὰ γὰρ τὴν Θάλλου ἱστορίαν ὁ Βῆλος προγενέστερος εὑρίσκεται τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου ἔτεσι τκβ. ὅτι δὲ πρὸς πυ ἔτεσι ή καὶ λ' προάγει ὁ Μωσῆς τῆς τοῦ Ἰλιακοῦ ἁλώσεως ἐν τοῖς ἐπάνω δεδηλώκαμεν. Τοῦ δὲ Κρόνου καὶ τοῦ Βήλου συνακμασάντων ὁμόσε, οἱ πλείους οὐκ ἐπίστανται, τίς ἐστιν ὁ Κρόνος, ἢ τίς ὁ Βῆλος. *Iuxta Thalli historiam Belus Troiano bello antiquior inuenitur annis* 322. *At Mosen præcedere Troianum bellum annis* 938. *suprà ostendimus. Cùm autem Saturnus & Belus simul floruerint, plures tamen nesciunt, nec quis Saturnus sit, nec quis Belus.*

Nota in numeris posterioribus græcis errorem irrepsisse, sed absque emendatis exemplaribus inemendabilem.

S. Hieronymi verba, in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum:

Theophilus, sextus Antiochensis ecclesiæ Episcopus, sub Imp. M. Antonino Vero librum contra Marcionem composuit, qui vsque hodie exstat.

Feruntur eius & ad Autolycum tria volumina.

Et contra hæresim Hermogenis liber vnus.

Et alij breues elegantésque tractatus ad ædificationem ecclesiæ pertinentes.

Legi sub nomine eius in Euangelium,

Et in Prouerbia Salomonis commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere.

Ne autem isto scribendi modo quibusdam videatur commentarios illos tam in Euangelium, quàm in Prouerbia Theophilo abiudicare; sciendum est Hieronymum alijs in locis commentarios in Euangelium (eadem porrò esse debebit & commentariorum in Prouerbia ratio) illi expresè attribuere. Nec mirum esse debet in diuersis ac longè dissimilibus argumentis, nõnihil diuersam ac dissimilem esse & phrasim & elegantiam. Alius enim est stilus orationis & disceptationis, alius commentarij: præterquam quòd eiusdem hominis diuersa ætas diuersum soleat sermonis colorem inducere.

Commentariorum quidem in Matthæum meminit S. Hieronymus in procemio suo ad Matthæum, his verbis: *Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem eius homilias, commaticúmque interpretationis genus: & Theophili Antiochenæ vrbis Episcopi commentarios, Hippolyti quoque martyris, & Theodori Heracleotæ, Apollinariique Laodiceni, ac Didymi Alexandrini; & Latinorum, Hilarij, Victorini, Fortunatiani opuscula: è quibus, etiamsi parua carperem, dignum aliquid memoria scriberetur.* Ita ille.

Carpsit autem ipse omnino, & præsertim è Theophili commentarijs pulchra quidem sanè, eáque non pauca, interdum addito, interdum & tacito nomine. Vnde factum, vt nonnulla, quæ de fonte beati Theophili manauerant, quia in suos Hieronymus riuulos ea deduxerat, ipsi potiùs Hieronymo, quàm Theophilo primæ scaturigini lectores tribuerint. Patebit porrò ex eius documentis, siue è subiecto hìc florilegio, quanti eum virum Hieronymus fecerit, & quæ ex ipso decerpserit.

CAPVT V.

Florilegium è Scriptis S. Theophili Antiochiæ Episcopi.

QVemadmodum ad gloriam SS. Martyrum spectat super eorum tumulos flores & corollas spargere: sic è contrario ad honorem Scriptorum ecclesiasticorum attinet ex ipsorum scriptis, velut amœnis pratis, doctrinæ flores decerpere. Hoc autem, vel ea etiam de caussa in Theophilo faciam lubentiùs, quò suæ illi res per imprudentiam alijs attributæ, prudenter & iustè restituantur.

Libro igitur primo commentariorum in Euangelia, sub initium,

ad

ad illa verba: *Christi autem generatio sic erat* &c. ita scribit noster hic Theophilus. Matthæi 1. vers. 18.

§. I.

Verba S. Theophili.

Cùm Ioseph non sit pater Domini Saluatoris, quid pertinet ad Dominum, generationis eius ordo deductus vsque ad Ioseph?

Sciendum est primùm, non esse consuetudinis Scripturarum, vt mulierum generatio describatur: deinde ex vna tribu fuisse Ioseph & Mariam. Vnde ex lege eam, vt propinquam, ducere cogebatur in vxorem: ideóque in Bethlehem simul censentur, quòd de vna stirpe sint generati.

Sunt optimæ istæ duæ rationes S. Theophili, quarum gustu captus Hieronymus, totidem ferè verbis in suos ad S. Matthæum commentarios transplantauit. Reperiuntur autem apud S. Theophilum libro primo dictorum commentariorum sub initium.

§. II.

Rursus ibidem Theophilus ad illa verba:

Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph. &c. Quare non ex simplici, inquit, *virgine, sed ex desponsata concipitur Christus?* Matthæi 1. vers. 18.

Primò, vt per generationem Ioseph origo Mariæ monstraretur. Secundò, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. Tertiò, vt in Ægyptum fugiens haberet solatium viri. Quartò, vt partus eius falleret diabolum, putantem Iesum de vxorata, non de virgine natum.

Hieronymus autem easdem 4. rationes vsurpauit loco suprà citato: & tres quidem priores totidem verbis: quartam autem sic commutauit: *Martyr Ignatius,* inquit, *etiam quartam addidit caussam, cur à desponsata conceptus sit: vt partus,* inquiens, *eius celaretur diabolo: dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum.*

Itaque in Breuiario ecclesiastico ea, quæ sunt S. Theophili, sub nomine leguntur S. Hieronymi. *Sic vos non vobis mellificatis apes.*

§. III.

Alia S. Theophili verba ibidem sic habent:

Vos estis sal terræ &c.] Sal, inquit, *appellantur Apostoli, quia per illos conditur vniuersum genus humanum. Si sal euanuerit, in quo salietur? Id est, si doctor errauerit, à quo alio doctore emendabitur?* Matthæi 5. vers. 13.

Hæc quoque vsurpauit B. Hieronymus verbis totidem.

§. IV.

Est & hic locus Theophili egregius de amore salutis suæ præ amore consanguineorum:

Matthæi 5. ver. 29.

CVNCTA, QVÆ CHRISTO ADVERSANTVR, RESECANDA SVNT.

QVOD SI OCVLVS TVVS DEXTER SCANDALIZAT TE &c.] *Dextero oculo,* inquit, *& dextera manu: fratrum, vxoris, liberorum, affinium, & propinquorum monstratur affectus: quem si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones, ne dum volumus lucere supra ceteros, ipsi pereamus in æternum.*

Eadem habet Hieronymus: nisi quòd pro *lucere supra ceteros,* habeat, *lucri ceteros facere.* Sed idem vtrimque exsurgit sensus. Nam *lucere supra ceteros,* accepit S Theophilus, pro *lucere ceteris, & lucendo lucri facere.* Addit ibidem hæc Hieronymus optimè ad propositum facientia: *Vnde & dicitur de sacerdote magno, cuius anima Dei cultui dedicata est: SVPER PATRE, ET MATRE, ET FILIIS NON POLLVETVR. id est, nullum affectum sciet, nisi eius, cuius cultui dedicatus est.*

Leuitici 21 ver. 11.

Sed in eo vacillauit Hieronymi memoria, quòd addiderit: *& filijs.* Nec enim id Scriptura habet, sed tantùm: *super patre quoque suo & matre non contaminabitur.* id est, ne ad ipsorum quidem funera accedet, siue, ad nullum omninò, sicut ibidem præcedit: *Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino.*

§. V.

Matthæi 6. ver. 22.

SI OCVLVS TVVS FVERIT SIMPLEX, TOTVM CORPVS TVVM LVCIDVM ERIT.

Lippientes oculi, inquit Theophilus, *solent lucernas videre numerosas: simplex autem oculus & purus simplicia intuetur & pura. Hoc est ergo, quod ait: Quomodo totum corpus in tenebris est, si oculus ei non fuerit: ita si anima principalem fulgorem sapientiæ perdiderit; vniuersus sensus in caligine commorabitur.*

Eadem in Hieronymo sunt, & totidem verbis.

§. VI.

Ad locum Matthæi, capite nono, versu quinto, vbi dicitur.

Matthæi 9. ver. 25.

ET CVM EIECTA ESSET TVRBA, INTRAVIT, ET TENVIT MANVM PVELLÆ.

Non enim erant digni, inquit S. Theophilus, *vt viderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem Dominum indignis cõtumelijs deridebãt.* Et tenuit manum eius, & surrexit puella] *Nisi priùs mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ sanguine plenæ sunt, synagoga eorum mortua non resurget.* Hæc Theophilus: hæc & sine variatione Hieronymus in cap. 9. Matthæi.

§. VII.

De Ecclesia cum naui comparata est illa insignis Theophili similitudo ad illa verba, Matt. 14.

Matthæi 14. ver. 13.

SECESSIT INDE IN NAVICVLA.

Nauis

ECCLESIA INSTAR NAVIS.

Nauis est Ecclesia, inquit, *quia vt illa de tabulis, sic & ista de animabus composita est fidelibus: vela extendit orando, anchoram fidei figit in cælo, habet arborem Crucis, funes caritatis extendit, & remigia sanctæ operationis habere cognoscitur.*

§. VIII.

Parabolam de grano sinapis aptè admodum Christo, & Ecclesiæ ex eo natæ, & super eo fundatæ idem Theophilus accommodat, dum illa verba Matthæi 13. explicat:

Matthæi 13. ver. 31.

SIMILE EST REGNVM CÆLORVM GRANO SINAPIS.

CHRISTVS GRANO SINAPIS COMPARATVS.

Granum sinapis, inquit, *missum in agrum, seipsum Saluator ostendit, qui missus est in hunc mundum à Patre, de cælis: quod minimum granum minus est quidem omnibus seminibus: scilicet quòd ipse deposito honore cælesti humilior sit factus omnibus hominibus, vt ait Apostolus*, qui cùm in forma Dei esset, *inquit*, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. *Ergo propter contumelias, quas ipse pertulit nostri caussa, humiliorem se omnibus demonstrauit: sed postquam creuit Christus, scilicet vel in Cruce, vel resurgens recepta iam potestate, maior factus est omnibus hominibus, vt sanctus Paullus ait*: Propter hoc exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.

Ad Philipp. 2. ver. 6. & 7.

Ibidem, ver 9.

Arborem autem fieri, ita vt volucres cæli habitent in ramis eius, Ecclesiam quæ post Passionem & Resurrectionem Domini nata est, ostendit: cuius ramos esse Apostolos constat ad superna tendentes.

Volucres autem cæli habitantes in ramis homines significat spiritales, qui in Apostolorum catholica doctrina requiescunt. Qui ideo volucres appellantur, quoniam sanctæ conuersationis studio volare videntur ad cælum, à terrenis operibus recedentes. Ita ibi Theophilus.

§. IX.

Sed longè pulcherrima est illa parabolæ de diuite & villico apud eundem S. Theophilum applicatio; quam ita adamauit, & tanti fecit Hieronymus, vt totam licet bene magnam, in epistola sua 151. ad Algasiam, quæstione sexta incluserit. Sunt enim ibi hæc eius verba confitentis auctorem atque fontem:

Verba S. Hieronymi.

Theophilus, inquit, *Antiochenæ ecclesiæ septimus post Petrum Apostolum Episcopus, qui quatuor Euangelistarum in vnum opus dicta compingens, ingenij sui nobis monimenta reliquit, hæc super hac parabola, in suis commentarijs est locutus:*

Verba S. Theophili lib. 3. commentariorum in euangelia.

Diues qui habebat villicum siue dispensatorem, Deus omnipotens est, quo nihil est ditius.

Huius dispensator est Paullus, qui ad pedes Gamalielis sacras litte-

ras didicit, & legem Dei susceperat dispensandam: qui cùm cœpisset credentes in Christum persequi, ligare, occidere, & omnem Domini sui dissipare substantiam, correptus à Domino est: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. *Dixítque in corde suo:* Quid faciam? *Quia qui magister fui & villicus, cogor esse discipulus & operarius.* Fodere non valeo. *Omnia enim mandata legis, quæ terræ incubabant, cerno destructa; & legem atque prophetas vsque ad Ioannem Baptistam esse finitos.* Mendicare erubesco. *Vt qui doctor fueram Iudæorum, cogar à Gentibus, & à Discipulo Anania salutis ac fidei mendicare doctrinam. Faciam igitur, quod mihi vtile esse intelligo: vt postquam proiectus fuero de villicatione mea, recipiant me Christiani in domos suas. Cœpítque eos, qui priùs versabantur in lege, & sic in Christum crediderant, vt arbitrarentur se in lege iustificandos; docere legem abolitam, prophetas præterisse, & quæ antea pro lucro fuerant, reputari in stercora. Vocauit itaque duos de pluribus debitoribus: primum, qui debebat centum batos olei; eos scilicet, qui fuerant ex Gentibus congregati, & magna indigebant misericordia Dei, & de centenario numero (qui plenus est atque perfectus) fecit eos scribere quinquagenarium, qui propriè pœnitentium est, iuxta iubileum, & illam in euangelio parabolam, in qua alteri quingenti, alteri quinquaginta denarij dimittuntur. Secundum autem vocauit populum Iudæorum, qui tritico mandatorum Dei nutritus erat, & debebat ei centenarium numerum; & coëgit, vt de centum, octoginta faceret; id est, crederet in Domini resurrectionem, quæ octauæ diei numero continetur, & octo completur decadibus, vt de sabbato legis transiret ad primam sabbati. Ob hāc caussam à Domino prædicatur, quòd bene fecerit, & pro salute sua in euangelij clementiam de legis austeritate mutatus sit. Quòd si quæsieris, quare vocetur villicus iniquitatis? In lege, quæ Dei est, iniquus erat villicus, qui bene quidem offerebat, sed non bene diuidebat, credens in Patrem, sed Filium persequens: habens Deum omnipotentem, sed Spiritum sanctum negans. Prudentior itaque fuit Paullus Apostolus in transgressione legis, filijs quondam lucis, qui in legis obseruatione versati, Christum (qui Dei Patris verum lumen est) perdiderunt.*

Actor. 9 ver. 4. & 5.

Lucæ 16 ver. 3.

Ibidem.

Hactenus ipsa S. Theophili verba, libro 3. commentariorum in euangelia, sub finem conscripta, & inde à S. Hieronymo excerpta, & quòd eadem pluribus in locis legi mererentur; in suos libros, pauculis tantùm verbis in alia eiusdem significati commutatis, traducta.

§. IX.

Libro 4. eorundem commentariorum est insignis & clara illius loci, *Pater maior me est*, Ioannis 14. versu 28. explicatio.

Verba S. Theophili:

Cur igitur alibi ait Iesus, EGO ET PATER VNVM SVMVS?

MVS? Sciendum eſt, inquit, *quòd Chriſtus Dominus noſter ita verus homo, & verus eſt Deus; vt de Patre Deo Deus, & de matre homine ſit homo. Illic igitur ſecundùm hominem; hîc ſecundùm Deum locutus creditur. Iuxta quam rationem etiam in reliquis, quæ aut æqualitatem cum Patre, aut humilitatem eius humanitatis ſonant, facilè intellectus patebit.* Ita ille.

Hanc porrò S. Theophili interpretationem, aduerſus Arianos, (qui duobus ferè pòſt ſæculis exorti loco illo Ioannis abutebantur) vſurparunt SS. Patres, tam Græci, quàm Latini.

§. X.

Eodem extremo libro pulchrè Eccleſia horto comparatur iſtis verbis:

Hortus Domini, inquit, *eccleſia eſt catholica: in qua ſunt roſæ martyrum, lilia virginum, violæ viduarum, hederæ coniugum. Nam illa, quæ exiſtimabat eum hortulanum eſſe, ſignificabat eum eſſe, qui diuerſis virtutibus conſereret credentium vitam.* Sic ibi.

ECCLESIA HORTVS EST DEI.

Hactenus è commentarijs S. Theophili in Euangelia, quæ nunc latinè dumtaxat exſtant, græcè autem vel perierunt, vel apud ignarum quempiam, aut inuidum, aut deſidem latent.

§. XI.

Iam nonnulla è libris eius ad Autolycum, hoc eſt, pauca è multis lectu digniora coronamenta iuuat decerpere.

Eſt igitur in primo libro ſub initium, de Deo, eiúſque nominibus & proprietatibus ſatis præclarus locus, quem poſteriores SS. Patres tam Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſiæ, videntur delibaſſe. Dabo paucula, tam græcè ipſiuſmet Theophili verbis, quàm latinè (vt licebit) noſtris.

De Deo, & eius attributis, variíſque nominibus.

S. Theophili verba:

Ἄκουε, ὦ ἄνθρωπε, τὸ μὲν εἶδος τοῦ θεοῦ ἄρρητον, καὶ ἀνέκφραστον, καὶ μὴ δυνάμενον ὀφθαλμοῖς σαρκίνοις ὁραθῆναι.

Δόξῃ γάρ ἐστιν ἀχώρητος, μεγέθει ἀκατάληπτος, ὕψει ἀπερινόητος, ἰσχύϊ ἀσύγκριτος, σοφίᾳ ἀσυμβίβαστος, ἀγαθωσύνῃ ἀμίμητος, καλοποιΐᾳ ἀνεκδιήγητος.

Εἰ γὰρ φῶς αὐτὸν εἴπω, ποίημα αὐτοῦ λέγω.

Audi, ô homo, Dei quidem forma ineffabilis, & inexplicabilis, & oculis carnalibus inaſpectabilis eſt.

DEI NATVRA.

Si enim gloriam ſpectes, immenſus eſt; ſi magnitudinem, incomprehenſibilis; ſi altitudinem, inconceptibilis; ſi fortitudinem, incomparabilis; ſi ſapientiam, inacceſſus; ſi bonitatem inimitabilis; ſi beneficentiã, inenarrabilis.

Nam ſi lucem eum appello, opus eius dico.

Si

Si ſermonem nuncupo, principatum eius nomino.&c.

Εἰ λόγον εἴπω, ἀρχὴν αὐτοῦ λέγω.

Vide ibi multa ſimilia: poſt quæ, iſta:

Bonus autem, & benignus, & miſericors eſt erga diligentes & timentes ſe.

Ἀγαθὸς δὲ, καὶ χρηστὸς, καὶ οἰκτίρμων ἐστὶν ἐπὶ τοὺς ἀγαπῶντας καὶ φοβουμένους αὐτόν.

Eruditor enim eſt piorum, & pater iuſtorum: iudex verò & punitor impiorum.

Παιδευτὴς γάρ ἐστι τῶν θεοσεβῶν, καὶ πατὴρ τῶν δικαίων· κριτὴς δὲ καὶ κολαστὴς τῶν ἀσεβῶν.

Principij-expers verò, quia infectus eſt; immutabilis autem, quà immortalis eſt.

Ἄναρχος δέ ἐστιν, ὅτι ἀγέννητός ἐστιν· ἀναλλοίωτος δὲ, καθότι ἀθάνατός ἐστι.

VNDE DICATVR ΘΕΟΣ, DEVS.

Deus porrò dicitur, quòd omnia in ſui ipſius ſecuritate conſtituat: atque etiam à θέειν, quod eſt currere, & mouere, & efficere, & nutrire, & proſpicere, & gubernare, & viuificare omnia.

Θεὸς δὲ λέγεται, διὰ τὸ τεθεικέναι τὰ πάντα ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ ἀσφαλείᾳ, καὶ διὰ τὸ θέειν. τὸ δὲ θέειν, ἐστὶ τὸ τρέχειν, καὶ κινεῖν, καὶ ἐνεργεῖν, καὶ τρέφειν, καὶ προνοεῖν, καὶ κυβερνᾷν, καὶ ζωοποιεῖν τὰ πάντα.

VNDE ΚΥΡΙΟΣ DOMINVS.

Dominus autem eſt; quòd ipſe cunctis dominetur.

Κύριος δέ ἐστι διὰ τὸ κυριεύειν αὐτὸν τῶν ὅλων.

Pater verò eſt; quòd ipſe ſit ante omnia.

Πατὴρ δὲ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν πρὸ τῶν ὅλων.

Creator item & conditor, quòd ipſe creauerit, & condiderit vniuerſa.

Δημιουργὸς δὲ καὶ ποιητὴς, διὰ τὸ αὐτὸν εἶναι κτιστὴν καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων.

Altiſſimus quoque, quia ipſe ſit ſupra omnia.

Ὕψιστος δὲ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἀνώτερον τῶν πάντων.

Omnitenens denique, quod ipſe cuncta ſuo imperio contineat, & complectatur. Nam alta cælorum, & profunda abyſſorũ, & fines terræ in manu eius ſunt: nec eſt locus termini eius.

Παντοκράτωρ δὲ, ὅτι αὐτὸς τὰ πάντα κρατεῖ, καὶ ἐμπεριέχει. Τὰ γὰρ ὕψη τῶν οὐρανῶν, καὶ τὰ βάθη τῶν ἀβύσσων, καὶ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἐστιν. Καὶ οὐκ ἔστι τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ.

Alia de Deo vbique præſente, & quòd loco non circumſcribatur, ſed ſit ipſemet omnium locus, vide ſub initium libri 2. ad Autolycum. Et rurſum quòd nullo indigens, & ante ſæcula ſubſiſtens hominem creauerit, à quo cognoſceretur, vide ibidem, ſed longiùs ab initio.

§. XII.

De trinitate diuinarum perſonarum verba S. Theophili lib. 2. ad Autolycum ante medium:

Quum dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimili-*

Ἐν τῷ εἰπεῖν τὸν θεόν· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν

σιν τὴν ἡμετέραν, πρῶτον μηνύει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἀνθρώπου. Πάντα γὰρ λόγῳ ποιήσας ὁ θεὸς, καὶ τὰ πάντα πάρεργα ἡγησάμενος, μόνον ἴδιον ἔργον χειρῶν ἄξιον ἡγεῖται τὴν ποίησιν ἀνθρώπου. Ἔτι μὴν καὶ ὡς βοηθείας χρήζων ὁ θεὸς εὑρίσκεται λέγων· Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν· οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε, ποιήσωμεν, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ.

tudinem nostram, primam significat hominis dignitatem. Omnia enim verbo cùm fecisset Deus, & quasi adiectitia existimasset, solum opus dignum manibus suis reputat hominis molitionem. Quin & quasi auxilio indigens Deus videtur, dum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*, sed non vlli alteri dixit. *Faciamus*, quàm suo ipsius Verbo, & suæ ipsius Sapientiæ.

Nota per Patris Sapientiam intelligi Spiritum sanctum, sicut per Verbum seu Sermonem intelligi Filium. Item per manus Patris paullò superiùs, easdem duas personas Filium & Spiritum sanctum indicari, cùm hominis creationem dicit à Deo reputari solum opus dignum manibus suis. Ita Patris manus, ita Sapientiam Patris accepit S. Irenæus suprà. Vide eius Documenta cap. 19. Ita & Tertullianus libro *Aduersus Hermogenem* extremo, accepisse manus Patris videtur, dum ait: *Denique sermone eius cæli confirmati sunt, & spiritu ipsius vniuersa virtutes eorum. Hic est Dei dextera & manus* Psal. 101. ver. 26.
amba, per quas operatus est ea, qua molitus est. Opera enim manuum tuarum, *inquit*, cæli: *per quas & mensus est terram, & palmo cælum.*

Alia eiusdem S. Theophili verba, ibidem:

Αἱ τρεῖς ἡμέραι πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶ τῆς τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς Σοφίας αὐτοῦ.

Tres dies, qui luminaria præcessere, typi sunt Trinitatis, Dei, & Verbi eius, & Sapientiæ eius.

Per luminaria intelligit vir sanctus solem, lunam, & stellas, quæ quarto die generationis mundi facta sunt, Geneseos 1. cap. ver. 16.

Idem B. Theophilus lib. 1. commentariorum in Euangelia ante medium ad illud Matthæi cap. 13. ver. 46. *Inuenta autem vna precio-* Matthæi 13. ver. 46.
sa margarita abijt &c. *Margarita preciosa*, inquit, *est Trinitas sancta, qua diuidi non potest, quia in vnitate consistit.*

Huius autem Trinitatis in vnitate, & vnitatis in Trinitate mysterium minimè euulgandum Ethnicis in luto infidelitatis & peccatorum hærentibus innuerat paullò antè ad illud: *Neque miseritis margaritas ante porcos*, vbi sic scribit: *Per porcos, illos vult intelligi, qui necdum euangelio crediderunt, & in luto incredulitatis sua vitiisque versantur: quibus ait margaritas, id est, mystica sacramenta fidei non debere committi.* Sic ille.

Non est autem maius fidei sacramentum, quam sanctissimæ Trinitatis mysterium.

§. XIII.

§. XIII.

Similitudines quædam S. Theophili, monſtrantes Deum è creatis rebus cognoſci:

S. Theophil. l. 1. ad Autolycum.

Quemadmodum anima in homine non cernitur, cùm hominibus ſit inaſpectabilis: ſed tamen per motum corporis cognoſcitur: ſic in Deo res habet; videri quidem oculis corporeis nequit, ex ſua tamen prouidentia, & operibus, & videtur, & intelligitur.

Καθάπερ γὰρ ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ οὐ βλέπεται ἀόρατος οὖσα ἀνθρώποις· διὰ δὲ τῆς κινήσεως τοῦ σώματος νοεῖται ἡ ψυχή· οὕτως ἔχοι ἂν καὶ τὸν θεὸν μὴ δύνασθαι ὁραθῆναι ὑπὸ ὀφθαλμῶν ἀνθρωπίνων· διὰ δὲ τῆς προνοίας καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ βλέπεται καὶ νοεῖται.

Sicut & conſpecto quis in mari nauigio armamētis inſtructo, & currente, atque in portum tendente; haud dubiè exiſtimabit in eo eſſe gubernatorem illud gubernantem: ſic cogitare oportet & Deum eſſe omnium gubernatorem, tametſi oculis carnalibus, (propterea quòd ſit incomprehenſus) cerni non poſſit.

Ὃν τρόπον γὰρ καὶ πλοῖον θεασάμενός τις ἐν θαλάσσῃ κατηρτισμένον καὶ τρέχον καὶ κατερχόμενον εἰς λιμένα, δῆλον ὅτι ἡγήσεται εἶναι ἐν αὐτῷ κυβερνήτην τὸν κυβερνῶντα αὐτό· οὕτω δεῖ νοεῖν εἶναι τὸν θεὸν κυβερνήτην τῶν ὅλων, εἰ καὶ οὐ θεωρεῖται ὀφθαλμοῖς σαρκίνοις· διὰ τὸ αὐτὸν ἀχώρητον εἶναι.

Deinde poſt binas alias ſimilitudines à ſole, & à malo punico deſumptas, tertiam hanc ab eiuſdem mali grano ſubijcit, & quartam ab Imperatore.

Ac velut granum mali punici intus manſitans non poteſt ea, quæ extra ſuum corticem ſunt, cernere, cùm intus ſit: ita homo, vnà cum omni re alia creata, manu Dei concluſus, Deum conſpicere non poteſt.

Ὥσπερ οὖν ὁ κόκκος τῆς ῥοᾶς ἔνδον κατοικῶν οὐ δύναται ὁρᾷν τὰ ἔξω τοῦ λέπους αὐτὸς ὢν ἔνδον· οὕτως οὐδὲ ἄνθρωπος ἐμπεριεχόμενος, μετὰ πάσης τῆς κτίσεως, ὑπὸ χειρὸς θεοῦ, οὐ δύναται θεωρεῖν τὸν θεόν.

Deinde rex aliquis terrenus, tametſi non cernatur ab omnibus, tamen eſſe creditur: & per leges ſuas, & ordinationes, & licētiam, & poteſtatem, & effigiem agnoſcitur. Deum autem non vis cognoſcere per opera & virtutes?

Εἶτα βασιλεὺς μὲν ἐπίγειος πιστεύεται εἶναι καίπερ μὴ πᾶσι βλεπόμενος· διὰ δὲ νόμων καὶ διατάξεων αὐτοῦ καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων καὶ εἰκόνων νοεῖται, τὸν δὲ θεὸν οὐ βούλει σὺ νοεῖσθαι διὰ ἔργων, καὶ δυνάμεων;

Iſta Theophilus; qui & plura ſuper eodem ibi argumento perſequitur: ſed illud vltimum ſimilitudinis iam iam poſitæ epicherema etiam totidem verbis retulit Antonius Meliſſa, lib. 1. ſer. 2.

§. XIV.

§. XIV.

Ad veram Dei cognitionem primò & maximè necessaria sunt Fides & Timor Domini.

Hoc S. Theophilus docet Autolycum, primo ad eundem libro, sub medium; vbi & pulchra inductione ostendit fidem cunctis ferè actionibus præmittendam. Περὶ παντὸς δὲ, inquit, προηγείσθω σου ἐν τῇ καρδίᾳ πίστις καὶ φόβος ὁ τοῦ θεοῦ. *Ante omnia antegrediatur in corde tuo fides & timor Dei.* Et infrà:

Πρὸς τί δὲ καὶ ἀπιστεῖς; ἢ οὐκ οἶδας, ὅτι ἁπάντων πραγμάτων ἡ πίστις προηγεῖται;

Τίς γὰρ δύναται θερίσαι γεωργὸς, ἐὰν μὴ πρῶτον πιστεύσῃ τὸ σπέρμα τῇ γῇ;

Ἢ τίς δύναται διαπεράσαι τὴν θάλασσαν, ἐὰν μὴ πρῶτον ἑαυτὸν πιστεύσῃ τῷ πλοίῳ καὶ τῷ κυβερνήτῃ;

Τίς δὲ κάμνων δύναται θεραπευθῆναι, ἐὰν μὴ πρῶτον ἑαυτὸν πιστεύσῃ τῷ ἰατρῷ;

Ποίαν δὲ τέχνην ἢ ἐπιστήμην δύναταί τις μαθεῖν, ἐὰν μὴ πρῶτον ἐπιδῷ ἑαυτὸν καὶ πιστεύσῃ τῷ διδασκάλῳ;

Εἰ οὖν γεωργὸς πιστεύει τῇ γῇ, καὶ ὁ πλέων τῷ πλοίῳ, καὶ ὁ κάμνων τῷ ἰατρῷ· σὺ οὐ βούλει σεαυτὸν πιστεῦσαι τῷ θεῷ τοσούτους ἀρραβῶνας ἔχων παρ' αὐτοῦ; Πρῶτον μὲν γὰρ, ὅτι ἐποίησέ σε ἐξ οὐκ ὄντος εἰς τὸ εἶναι. Εἰ γὰρ ὁ πατήρ σου οὐκ ἦν, οὐδὲ ἡ μήτηρ, πολὺ μᾶλλον οὐδὲ σὺ ἦς ποτε. Καὶ ἔπλασέ σε ἐξ ὑγρᾶς οὐσίας μικρᾶς, καὶ ἐλαχίστης ῥανίδος, ἥτις οὐδὲ αὐτὴ ἦν ποτε.

Quid verò est, quòd diffidis? An nescis fidem opera omnia antegredi?

Quis enim metere potest agricola, nisi primò semen terræ credat?

Aut mare quis transmeare potest, nisi se priùs nauigio & gubernatori committat?

Quis itē infirmus curari queat, nisi antè seipsum medico tradat?

Quam porrò artem aut scientiã ediscere quis valeat, ni se primùm magistro dedat credátque?

Si ergo & agricola terræ credit, & vector nauigio, & infirmus medico: tu Deo credere te noles, tot ab illo arrhas habens? primò quidem, quòd te, cùm non esses, produxerit. Si enim pater tuus non fuisset, neque mater; multò tu minùs vnquam extitisses. Et te formauit ex pusilla humente substantia, & minima guttula, quæ ipsa quoque aliquãdo non erat. &c.

§. XV.

Mirifica laus Hexaëmeri, seu operis sex dierum.

Τῆς μὲν οὖν Ἑξαημέρου οὐδεὶς ἀνθρώπων δυνατὸς κατ' ἀξίαν τὴν ἐξήγησιν καὶ τὴν οἰκονομίαν πᾶσαν ἐξειπεῖν, οὐδὲ εἰ μυρία στόματα ἔχοι, καὶ μυρίας γλώσσας· ἀλλ' οὐδὲ εἰ μυρίοις ἔτεσι βιώσῃ τις ἐπιδημῶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ, οὐδὲ οὕτως ἔσται ἱκανὸς πρὸς ταῦτα

Operis quidem sex dierum enarrationē & vniuersam dispositionem nullus exequi homo pro dignitate potest, ne quidem si decē millia ora, & linguas totidem habeat: immo nec, si decem millibus annorum viuat quispiam in hac

Theophilus lib. 2. ad Autolycum ante medium.

hac vita peregrinans, aliquid de illis dignè poterit eloqui propter eminentem magnitudinem, & opulentiam ſapientiæ Dei in pręſcripto hoc hexaëmero contẽtæ.

ἀξίως τι εἰπεῖν διὰ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθ☉, καὶ τὸν πλοῦτον τῆς σοφίας τοῦ θεοῦ τῆς οὔσης ἐν ταυτῇ τῇ προγεγραμμένῃ ἑξαημέρῳ.

In Hexaëmeron pulcherrimè ſcripſit è Græcis S. Baſilius magnus, è Latinis S. Ambroſius. Sed hic fere interpres potiùs operis S. Baſilij fuit, quàm auctor & ſcriptor ſui.

Nihil porrò eſt aliud ἑξαήμερ☉, quàm ſexdialis (ſi ita loqui licet) .i. ſex dierum; ſicut nouemdialis, nouem dierum, Tito Liuio: qui ſicut nouemdiale ſacrum vocauit, quod continuis diebus nouem fiebat, ita S. Theophilus noſter & eum ſecuti, ποίησιν ἑξαήμερον *creationem ſexdialem* appellauerunt, quâ Deus ſex diebus continenter totum creauit mundum. Et quia hoc totum vno continetur Geneſeos primo capite, ſcribere in hexaëmeron nihil eſt aliud, quàm ſcribere in cap. 1. Geneſeos.

§. XV.

Gentilium ſcripta de mundi fabricatione & hominis naturâ quo loco habenda?

Lib. 1. Ad Autolycum ante medium.

Videntur ea, quæ à Philoſophis, & Hiſtoricis, & Poëtis dicta ſunt, fide quidem eſſe digna propter orationis ornatum: verũtamen fatuus & inanis eorum ſermo oſtẽditur: quòd multa ſit in ijs nugarum profuſio, veritatis autem ne minimum quidem reperiatur.

Δοκεῖ δὲ τὰ ὑπὸ τῶν φιλοσόφων, ἢ συγγραφέων, καὶ ποιητῶν εἰρημένα, ἀξιόπιστα μὲν εἶναι διὰ τὸ φράσει κεκαλλωπίσθαι, μωρὸς δὲ καὶ κενὸς ὁ λόγ☉ αὐτῶν δείκνυται. ὅτι πολλὴ μὲν πληθὺς τῆς φλυαρίας αὐτῶν ἐστι· τὸ τυχὸν δὲ τῆς ἀληθείας ἐν αὐτοῖς οὐχ εὑρίσκεται.

Nã ſi quid veri ab ijs dictũ videtur, id ipſum errori permiſtũ eſt.

Καὶ γὰρ εἴ τι δοκεῖ ἀληθὲς δι' αὐτῶν ἐκπεφωνῆσθαι, σύγκρασιν ἔχει τῇ πλάνῃ.

Quemadmodum enim pharmacũ aliquod exitiale, melli, aut vino, aut alteri cuipiã rei commiſtũ, totum efficit inutile & noxiũ: ita & quę in illis eſt grandiloquẽtia, nihil aliud, quàm vanus eſſe labor, & ijs, qui illi parent, maximè pernicioſus deprehenditur.

Καθάπερ γὰρ φάρμακόν τι δηλητήριον συγκραθὲν μέλιτι, ἢ οἴνῳ, ἢ ἑτέρῳ τινὶ, τὸ πᾶν ποιεῖ βλαβερὸν καὶ ἄχρηστον· οὕτως καὶ ἡ ἐν αὐτοῖς πολυλογία εὑρίσκεται ματαιοπονία, καὶ βλάβη μᾶλλον τοῖς πειθομένοις αὐτῇ.

Sic loco ſuprà citato S. Theophilus.

§. XVI.

Lib. 1. Ad Autolycum.

Mundus & eccleſia mari & inſulis quâdam tenus ſimilia.

MVNDVS MARI COMPARATVS.

Mundum enimuero nobis inſtar maris eſſe dicimus.

Τὸν δὲ κόσμον ἐν ὁμοιώματι ἡμῖν λέγομεν εἶναι τῆς θαλάσσης.

Vt enim mare, niſi ex fluuiorũ ac fontium influxu alimẽtum

Ὥσπερ γὰρ θάλασσα, εἰ μὴ εἶχε τὴν τῶν ποταμῶν καὶ πηγῶν ἐπίρρυσιν καὶ ἐπιχορηγίαν

χορηγίαν εἰς τροφὴν, διὰ τὴν ἁλμυρότητα αὐτῆς πάλαι ἂν ἐκπεφευγμένη ἦν· οὕτω καὶ ὁ κόσμος, εἰ μὴ ἐσχήκει τὸν τοῦ θεοῦ νόμον καὶ τοὺς προφήτας ῥέοντας καὶ πηγάζοντας τὴν γλυκύτητα καὶ εὐσπλαγχνίαν καὶ δικαιοσύνην καὶ διδαχὴν τῶν ἁγίων ἐντολῶν τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν κακίαν καὶ ἁμαρτίαν τὴν πληθύουσαν ἐν αὐτῷ, ἤδη ἂν ἐκλελοίπει.

Καὶ καθάπερ ἐν θαλάσσῃ νῆσοί εἰσιν, αἱ μὲν οἰκηταὶ καὶ εὔυδροι καὶ καρποφόροι, ἔχουσαι ὅρμους καὶ λιμένας πρὸς τὸ τοὺς χειμαζομένους ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς καταφυγάς· οὕτω δέδωκεν ὁ θεὸς τῷ κόσμῳ κυμαινομένῳ καὶ χειμαζομένῳ ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων τὰς συναγωγὰς, λεγομένας ἐκκλησίας ἁγίας, ἐν αἷς καθάπερ λιμέσιν εὐόρμοις ἐν νήσοις αἱ διδασκαλίαι τῆς ἀληθείας εἰσί· πρὸς ἃς καταφεύγουσιν οἱ θέλοντες σώζεσθαι ἐρασταὶ γινόμενοι τῆς ἀληθείας, καὶ βουλόμενοι ἐκφυγεῖν τὴν ὀργὴν καὶ κρίσιν τοῦ θεοῦ.

Καὶ ὥσπερ αὖ νῆσοί εἰσιν ἕτεραι πετρώδεις, καὶ ἄνυδροι, καὶ ἄκαρποι, καὶ θηριώδεις, καὶ ἀοίκητοι, ἐπὶ βλάβῃ τῶν πλεόντων καὶ χειμαζομένων, ἐν αἷς τείρεται τὰ πλοῖα, καὶ ἐξαπόλλυνται ἐν αὐταῖς οἱ κατερχόμενοι· οὕτως εἰσὶν αἱ διδασκαλίαι τῆς πλάνης, λέγω δὲ τῶν αἱρέσεων, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς. Οὐ γὰρ ὁδηγοῦνται ὑπὸ τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας, ἀλλὰ καθάπερ πειραταὶ, ἐπὰν πληρώσωσι τὰς ναῦς, ἐπὶ τοὺς προειρημένους τόπους περιπείρουσιν, ὅπως ἐξαπολέσωσιν αὐτάς· οὕτω συμβαίνει καὶ τοῖς πλανωμένοις ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἐξαπόλλυσθαι ὑπὸ τῆς πλάνης.

ei suppeditaretur, iam olim præ sua salsugine exaruisset: ita & mundus, nisi legem Dei & Prophetas, (ex quibus & dulcedo, & miseratio, & iustitia, & sanctorũ Dei mandatorum doctrina iugiter profluunt) habuisset; certè per suam malitiam, & abundans in se peccatum, longo iam interuallo defecisset.

ECCLESIÆ CATHOLICORVM INSVLIS IN MARI FELICIBVS COMPARATÆ.

Ac sicut in mari insulæ sunt quædam habitabiles, & aquosæ, & frugiferæ, ac portubus & littoribus, (quæ fluctuantibus sint refugia) opportunæ: ita mũdo peccatis, velut vndis ac tempestatibus, agitato dedit Deus cõgregationes quasdam, quas nos sanctas ecclesias appellamus; in quibus, tanquam in portuosis insularum littoribus, doctrinæ exstant veritatis: ad quas confugiunt quicũque veritatis amatores saluari volunt, & iram ac iudicium Dei euadere.

HÆRETICORVM SYNAGOGÆ INSVLIS INHABITABILIBVS ET NOXIIS COMPARATÆ.

Quemadmodum rursus & aliæ sunt insulæ saxosæ, & inaquosę, & infructuosæ, & belluis refertę, atque inhabitabiles, ob nauigantiũ & fluctuantium nocumẽta; dum in illis & nauigia atteruntur, & vectores illuc delati depereunt: ita sunt & doctrinæ erroris, (hæresum inquam) quæ ad se accedentes exitio tradunt. Nec enim ducuntur à verbo veritatis; sed quemadmodum piratæ, postquã naues impleuerint, in prædicta loca traducunt, vt eas perdant: ita & illis contingit, qui à veritate aberrant; nempe vt per errorem, seu hæresim pereant.

hac vita peregrinans, aliquid de illis dignè poterit eloqui propter eminentem magnitudinem, & opulentiam sapientiæ Dei in prę-scripto hoc hexaëmero contẽtæ.

ἀξίως τι εἰπεῖν διὰ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, καὶ τὸν πλοῦτον τῆς σοφίας τοῦ θεοῦ τῆς οὔσης ἐν ταύτῃ τῇ προγεγραμμένῃ ἑξαημέρῳ.

In Hexaëmeron pulcherrimè scripsit è Græcis S. Basilius magnus, è Latinis S. Ambrosius. Sed hic fere interpres potiùs operis S. Basilij fuit, quàm auctor & scriptor sui.

Nihil porrò est aliud ἑξαήμερος, quàm sexdialis (si ita loqui licet) .i. sex dierum; sicut nouemdialis, nouem dierum, Tito Liuio: qui sicut nouemdiale sacrum vocauit, quod continuis diebus nouem fiebat, ita S. Theophilus noster & eum secuti, ποίησιν ἑξαήμερον *creationem sexdialem* appellauerunt, quâ Deus sex diebus continenter totum creauit mundum. Et quia hoc totum vno continetur Geneseos primo capite, scribere in hexaëmeron nihil est aliud, quàm scribere in cap. 1. Geneseos.

§. XV.

Gentilium scripta de mundi fabricatione & hominis naturâ quo loco habenda?

Lib 2. Ad Autolycum ante medium.

Videntur ea, quæ à Philosophis, & Historicis, & Poëtis dicta sunt, fide quidem esse digna propter orationis ornatum: verũtamen fatuus & inanis eorum sermo ostẽditur: quòd multa sit in ijs nugarum profusio, veritatis autem ne minimum quidem reperiatur.

Δοκεῖ δὲ τὰ ὑπὸ τῶν φιλοσόφων, ἢ συγγραφέων, καὶ ποιητῶν εἰρημένα, ἀξιόπιστα μὲν εἶναι παρὰ τὸ φράσει κεκαλλωπίσθαι, μωρὸς δὲ καὶ κενὸς ὁ λόγος αὐτῶν δείκνυται. ὅτι πολλὴ μὲν πληθὺς τῆς φλυαρίας αὐτῶν ἐστι· τὸ τυχὸν δὲ τῆς ἀληθείας ἐν αὐτοῖς οὐχ εὑρίσκεται.

Nã si quid veri ab ijs dictũ videtur, id ipsum errori permistũ est.

Καὶ γὰρ εἴ τι δοκεῖ ἀληθὲς δι' αὐτῶν ἐκπεφωνῆσθαι, σύγκρασιν ἔχει τῇ πλάνῃ.

Quemadmodum enim pharmacũ aliquod exitiale, melli, aut vino, aut alteri cuipiã rei commistũ, totum efficit inutile & noxiũ: ita & quę in illis est grandiloquẽtia, nihil aliud, quàm vanus esse labor, & ijs, qui illi parent, maximè perniciosus deprehenditur.

Καθάπερ γὰρ φάρμακόν τι δηλητήριον συγκραθὲν μέλιτι, ἢ οἴνῳ, ἢ ἑτέρῳ τινὶ, τὸ πᾶν ποιεῖ βλαβερὸν καὶ ἄχρηστον· οὕτως καὶ ἡ ἐν αὐτοῖς πολυλογία εὑρίσκεται ματαιοπονία, καὶ βλάβη μᾶλλον τοῖς πειθομένοις αὐτῇ.

Sic loco suprà citato S. Theophilus.

§. XVI.

Lib 2. Ad Autolycum.

Mundus & ecclesia mari & insulis quâdam tenus similia.

MVNDVS MARI COMPARATVS.

Mundum enimuero nobis instar maris esse dicimus.

Τὸν δὲ κόσμον ἐν ὁμοιώματι ἡμῖν λέγομεν εἶναι τῆς θαλάσσης.

Vt enim mare, nisi ex fluuiorũ ac fontium influxu alimẽtum

Ὥσπερ γὰρ θάλασσα, εἰ μὴ εἶχε τὴν τῶν ποταμῶν καὶ πηγῶν ἐπίρρυσιν καὶ ἐπιχορηγίαν

χορηγίαν εἰς τροφὴν, διὰ τὴν ἁλμυρότητα αὐτῆς πάλαι ἂν ἐκπεφευγμένη ἦν· οὕτω καὶ ὁ κόσμος, εἰ μὴ ἐσχήκει τὸν τοῦ θεοῦ νόμον καὶ τοὺς προφήτας ῥέοντας καὶ πηγάζοντας τὴν γλυκύτητα καὶ εὐσπλαγχνίαν καὶ δικαιοσύνην καὶ διδαχὴν τῶν ἁγίων ἐντολῶν τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν κακίαν καὶ ἁμαρτίαν τὴν πληθύουσαν ἐν αὐτῷ, ἤδη ἂν ἐκλελοίπει.

Καὶ καθάπερ ἐν θαλάσσῃ νῆσοί εἰσιν, αἱ μὲν οἰκηταὶ καὶ εὔυδροι καὶ καρποφόροι, ἔχουσαι ὅρμους καὶ λιμένας πρὸς τὸ τοὺς χειμαζομένους ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς καταφυγάς· οὕτω δέδωκεν ὁ θεὸς τῷ κόσμῳ κυμαινομένῳ καὶ χειμαζομένῳ ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων τὰς συναγωγὰς, λεγομένας ἐκκλησίας ἁγίας, ἐν αἷς καθάπερ λιμέσιν εὐόρμοις ἐν νήσοις αἱ διδασκαλίαι τῆς ἀληθείας εἰσί· πρὸς ἃς καταφεύγωσιν οἱ θέλοντες σώζεσθαι ἐρασταὶ γινόμενοι τῆς ἀληθείας, καὶ βουλόμενοι ἐκφυγεῖν τὴν ὀργὴν καὶ κρίσιν τοῦ θεοῦ.

Καὶ ὥσπερ αὖ νῆσοί εἰσιν ἕτεραι πετρώδεις, καὶ ἄνυδροι, καὶ ἄκαρποι, καὶ θηριώδεις, καὶ ἀοίκητοι, ἐπὶ βλάβῃ τῶν πλεόντων καὶ χειμαζομένων, ἐν αἷς τείρεται τὰ πλοῖα, καὶ ἐξαπόλλυνται ἐν αὐταῖς οἱ κατερχόμενοι· οὕτως εἰσὶν αἱ διδασκαλίαι τῆς πλάνης, λέγω δὲ τῶν αἱρέσεων, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς. Οὐ γὰρ ὁδηγοῦνται ὑπὸ τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας, ἀλλὰ καθάπερ πειραταὶ, ἐπὰν πληρώσωσι τὰς ναῦς, ἐπὶ τοὺς προειρημένους τόπους προσπείρουσιν, ὅπως ἐξαπολέσωσιν αὐτάς· οὕτω συμβαίνει καὶ τοῖς πλανωμένοις ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἐξαπόλλυσθαι ὑπὸ τῆς πλάνης.

ei ſuppeditaretur, iam olim præ ſua ſalſugine exaruiſſet: ita & mundus, niſi legem Dei & Prophetas, (ex quibus & dulcedo, & miſeratio, & iuſtitia, & ſanctorũ Dei mandatorum doctrina iugiter profluunt) habuiſſet; certè per ſuam malitiam, & abundans in ſe peccatum, longo iam interuallo defeciſſet.

ECCLESIÆ CATHOLICORVM INSVLIS IN MARI FELICIBVS COMPARATÆ.

Ac ſicut in mari inſulæ ſunt quædam habitabiles, & aquoſæ, & frugiferæ, ac portubus & littoribus, (quæ fluctuantibus ſint refugia) opportunæ: ita mũdo peccatis, velut vndis ac tempeſtatibus, agitato dedit Deus cõgregationes quaſdam, quas nos ſanctas eccleſias appellamus; in quibus, tanquam in portuoſis inſularum littoribus, doctrinæ exſtant veritatis: ad quas confugiunt quicũque veritatis amatores ſaluari volunt, & iram ac iudicium Dei euadere.

HÆRETICORVM SYNAGOGÆ INSVLIS INHABITABILIBVS ET NOXIIS COMPARATÆ.

Quemadmodum rurſus & aliæ ſunt inſulæ ſaxoſæ, & inaquoſę, & infructuoſæ, & belluis refertę, atque inhabitabiles, ob nauigantiũ & fluctuantium nocumẽta; dum in illis & nauigia atteruntur, & vectores illuc delati depereunt: ita ſunt & doctrinæ erroris, (hæreſum inquam) quæ ad ſe accedentes exitio tradunt. Nec enim ducuntur à verbo veritatis; ſed quemadmodum piratæ, poſtquã naues impleuerint, in prædicta loca traducunt, vt eas perdant: ita & illis contingit, qui à veritate aberrant; nempe vt per errorem, ſeu hæreſim pereant.

§. XVII.

Deus Soli, homo Lunæ, Prophetæ astris, hæretici planetis comparati.

Lib. 1. ad Autolycum.

Hæc quidem documentum & figuram continent magni mysterij.

Ταῦτα δὲ δεῖγμα καὶ τύπον ἐπέχει μεγάλου μυστηρίου.

Nam sol figura quædam est Dei.

Ὁ γὰρ ἥλιος ἐν τύπῳ θεοῦ ἐστιν.

Luna verò hominis.

Ἡ δὲ σελήνη ἀνθρώπου.

DEVS SOLI COMPARATVS.

Atque vt sol longè à luna differt, & potentià, & gloria: ita longè distat Deus ab humana natura.

Καὶ ὥσπερ ὁ ἥλιος πολὺ διαφέρει τῆς σελήνης δυνάμει καὶ δόξῃ· οὕτω πολὺ διαφέρει ὁ θεὸς τῆς ἀνθρωπότητος.

Et quemadmodum sol plenus semper manet, nec vnquam diminuitur; ita semper Deus manet perfectus, cùm plenus sit omni potentia, & intelligentia, & sapientia, & immortalitate, & bonis omnibus.

Καὶ καθάπερ ὁ ἥλιος πλήρης πάντοτε διαμένει μὴ ἐλάσσων γινόμενος. οὕτω πάντοτε ὁ θεὸς τέλειος διαμένει, πλήρης ὢν πάσης δυνάμεως, καὶ συνέσεως, καὶ σοφίας, καὶ ἀθανασίας, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν.

HOMO LVNÆ COMPARATVS.

Luna autem quot mensibus occumbit, & virtute emoritur, velut figura hominis existens: deinde regeneratur, & crescit, in documentum futurę resurrectionis.

Ἡ δὲ σελήνη κατὰ μῆνα φθίνει, καὶ δυνάμει ἀποθνήσκει, ἐν τύπῳ οὖσα ἀνθρώπου· ἔπειτα ἀναγεννᾶται, καὶ αὔξει εἰς δεῖγμα τῆς μελλούσης ἔσεσθαι ἀναστάσεως.

Et paullò inferiùs:

IVSTI ET PII ASTRIS COMPARATI.

Astrorum autem compositio dispositionem & ordinem iustorum ac piorum, & legem ac mandata Dei custodientium denotat.

Ἡ δὲ τῶν ἄστρων θέσις οἰκονομίαν καὶ τάξιν ἔχει τῶν δικαίων καὶ εὐσεβῶν, καὶ τηρούντων τὸν νόμον καὶ τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ.

PROPHETÆ ASTRIS PRÆLVSTRIBVS COMPARATI.

Nam prælustria & clara astra instar gerunt prophetarum: quapropter & manent immota, nec è loco in locum demigrant.

Οἱ γὰρ ἐπιφανεῖς ἀστέρες καὶ λαμπροί εἰσιν εἰς μίμησιν τῶν προφητῶν· διὰ τοῦτο καὶ μένουσιν ἀκλινεῖς, μὴ μεταβαίνοντες εἰς τόπον ἐκ τόπου.

At qui secundum claritatis tenent ordinem, ij figuræ sunt populi iustorum.

Οἱ δὲ ἑτέραν ἔχοντες τάξιν τῆς λαμπρότητος, τύπος εἰσὶ τοῦ λαοῦ τῶν δικαίων.

HOMINES VAGABVNDI ET A DEO DEFICIENTES PLANETIS COMPARATI.

Contrà verò, transmigrantes, & de loco in locum fugientes, (qui & planetę appellantur) sunt ipsi quoque figura hominum à Deo deficientium, ac legem & mandata eius deserentium.

Οἱ δ᾽ αὖ μεταβαίνοντες, καὶ φεύγοντες τόπον ἐκ τόπου· οἳ καὶ πλάνητες καλούμενοι· καὶ αὐτοὶ τύπος τυγχάνουσι τῶν ἀφισταμένων ἀνθρώπων ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καταλιπόντων τὸν νόμον, καὶ τὰ προστάγματα αὐτοῦ.

Vide

Vide ibidem homines terrena sapientes quadrupedibus & reptilibus comparatos: homines autem pios & cælestia cogitantes, auibus; & auibus quidem superna petentibus. Nam sunt aues quædam pennis quidem præditæ, sed facultatis volandi expertes, quibus comparantur homines peccatorum sarcinis onusti. Sed ecce ipsissima (nam scio lectorem illa desiderare) S. Theophili verba:

Ἅμα καὶ εἰς τύπον ἐγένοντο τά τε τετράποδα, καὶ θηρία, ἐνίων ἀνθρώπων τῶν τὸν θεὸν ἀγνοούντων, καὶ ἀσεβούντων, καὶ τὰ ἐπίγεια φρονούντων, καὶ μὴ μετανοούντων.

Adhæc quadrupedes, & aliæ quædam bestię in typum fuerunt quorundam hominum Deum ignorantium, & impiè viuentiū, ac terrena sapientium, nec pœnitentium.

HOMINES IMPII QVADRVPEDIBVS ET FERIS COMPARATI.

Οἱ γὰρ ἐπιστρέφοντες ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν, καὶ δικαίως ζῶντες, ὥσπερ πετεινὰ ἀνίπτανται, τῇ ψυχῇ τὰ ἄνω φρονοῦντες, καὶ εὐαρεστοῦντες τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ.

Resipiscentes enim ab iniquitatibus, & iustè viuentes, tāquam aues volant, animo superna sapientes, Deíque voluntati obsequentes.

HOMINES PROBI AVIBVS COMPARATI.

Οἱ δὲ τὸν θεὸν ἀγνοοῦντες, καὶ ἀσεβοῦντες, ὅμοιοί εἰσιν ὀρνέοις τοῖς πτερὰ μὲν ἔχουσι, μὴ δυναμένοις δὲ ἀνίπτασθαι, καὶ τὰ ἄνω τρέχειν τῆς θεότητος·

Deum verò ignorantes, & impiè agentes similes sunt auibus, pennas quidem habentibus; sed volare non valentibus, neque ad superna diuinitatis tendere.

οὕτω καὶ οἱ τοιοῦτοι, ἄνθρωποι μὲν λέγονται, τὰ δὲ χαμαιφερῆ, καὶ τὰ ἐπίγεια φρονοῦσι, καταβαρούμενοι ὑπὸ τῶν ἁμαρτιῶν.

Ita qui sunt eiusmodi, appellantur quidem homines, sed peccatis degrauati, humilia tantùm & terrena sapiunt.

IMPII AVIBVS PENNATIS, SED VOLARE NESCIIS COMPARATI.

Docet ibidem consequenter, nihil noxium aut venenatum initio creationis à Deo conditum; sed venena, & ferarum furores, & immanes in homines impetus ex hominum peccatis prouenisse. Tum enim demum animantes legem naturæ de non nocendo transgressas esse, postquam homo legem Dei transgressus est. Quam in rem tali vtitur similitudine:

Ὥσπερ γὰρ δεσπότης οἰκίας ἐὰν αὐτὸς εὐπραγήσῃ, ἀναγκαίως καὶ οἱ οἰκέται εὐτάκτως ζῶσιν· ἐὰν δὲ ὁ κύριος ἁμαρτάνῃ, καὶ οἱ δοῦλοι συναμαρτάνουσι· τῷ αὐτῷ τρόπῳ γέγονεν καὶ τὰ περὶ τὸν ἄνθρωπον κύριον ὄντα ἁμαρτῆσαι, καὶ τὰ δοῦλα συνήμαρτεν.

Vt enim si paterfamilias sapienter se gerat, etiam domestici rectè viuunt: sin dominus peccet, simul peccant & serui: ita circa hominem vsu venit. Illo enim, cùm esset dominus, peccante, etiā quę serua erant, peccauerunt.

FERARVM IN HOMINES FVROR EX PECCATO ADAMI MANAT.

Ὁπόταν οὖν πάλιν ὁ ἄνθρωπος ἀναδράμῃ εἰς τὸ κατὰ φύσιν, μηκέτι κακοποιῶν, κἀκεῖνα ἀποκαταστα-

Quum igitur homo rursum ad id, quod secundùm naturam est, recurrerit, non delinquens am-

pliùs; tum & feræ ad primigeniã suam mansuetudinẽ reuertentur. θήσεται εἰς τὴν ἀρχῆθεν ἡμερότητα.

§. XVIII.

Christianorum vita integra & innocens, atque à Gentilium calumnijs remotissima.

Nec verò & illa reticeri fas est, quibus & Christianæ fidei integritas, & Gentilium in eâ calumniandâ improbitas in clara luce exponitur. Dum ergo beatus Theophilus peruulgatis illis de promiscua venere, & de humanarum carnium infando pabulo respondet calumnijs, ita de Christianorum integritate, eâdem operâ differit:

Verba S. Theophili:

Lib 3. ad Autolycum.

Perpende igitur mihi, inquit, *si talia discentes*, [qualia scilicet à Christo edoceri productis ex euangelio testimonijs ostendimus] *indifferenter & pecorum more viuant, aut illegitimis commisceantur thalamis, aut (quod omnium est impijssimum) humanis vescantur carnibus; cùm & duella nobis adspectare vetitum sit, ne scilicet eorum participes consciiue efficiamur: immò cùm nec ceteris liceat interesse spectaculis, ne vel oculi nostri polluantur, vel aures decantata inibi carmina imbibant; illa scilicet, quæ tragica Thyestæ facinora, & deuoratos Terei liberos, & Deorum quoque, non hominum modò, adulteria personant: quæ homines impuri, seu præmijs allecti, seu honoribus inducti voce maxima commemorant. Sed absit, absit à Christianis, venisse illis vnquam in mentem talia facere, apud quos habitat temperantia, exercetur continentia, vnius matrimonij seruatur pudicitia, castitas custoditur, iniustitia supplantatur, peccatum exstirpatur, iustitia colitur, lex regit, pietas viget, Deus celebratur, veritas vincit, gratia conseruat, pax prospicit, sermo diuinus ducit, sapientia docet, vita ordinat, Deus regnat.* Ita ibi Theophilus.

DVELLORVM ASPECTVS CHRISTIANIS ILLICITVS.

CHRISTIANORVM VIRTVTES.

Simillima porrò de innocenti & accurata Christianorum vita me afferre memini in documentis S. Iustini, ad eius vitam suprà. Hîc denique documentis S. Theophili (quæ plura apud ipsummet videri possunt) finem facio. Gustum enim dumtaxat, non satietatem afferre statui. Quare ad pauculas Notationes hinc me confero.

NOTA-

NOTATIONES
AD VITAM
SANCTI THEOPHILI
EPISCOPI ANTIOCHENI.

THEOPHILI] Tres hoc nomine inter Scriptores ecclesiasticos recensentur: quorum primus, & ætate, & sanctitate, & eruditione, & scriptis, est hic noster Antiochenus.

S. THEOPHILVS CÆSAREÆ PALÆSTINÆ EPISCOPVS.

Secundus est S. Theophilus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, ætate Antiocheno suppar, & huius secundi sæculi scriptor. De quo ita Hieronymus in libro de illustribus ecclesiæ Scriptoribus: THEOPHILVS *Cæsareæ Palæstinæ, quæ olim Turris Stratonis vocabatur, Episcopus, sub Seuero Principe aduersus eos, qui decima quarta luna cum Iudæis pascha faciebant, cum ceteris Episcopis Synodicam & valde vtilem composuit epistolam*. Sic ibi. Eius omisi vitam deficiente materia.

ANASTASII BIBLIOTHECARII HALLVCINATIO.

Fallitur autem animi Anastasius bibliothecarius, in libro de vitis Pontificum Roman. in Victore, cùm pro hoc Theophilo Cæsareæ Antistite vsurpat Theophilum Alexandriæ Episcopum, qui duobus sæculis Victore posterior fuit: & denuo hallucinatur, dum scribit accersitum Theophilum facta congregatione ad constituẽdum de die Paschatis. Non enim Victor accersiuit Theophilum, sed ad eum scripsit (vti ad alios quoque principes Episcopos) vt synodum in sua prouincia haberet super die celebrationis Paschæ: quemadmodum ex Eusebio patet, atque in vita S. Irenæi indicauimus.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS EPISCOPVS SCRIPTOR.

Tertius est THEOPHILVS Alexandriæ Ægypti Episcopus sub Theodosio iuniore Imp. cuius tres Paschales epistolas vertit Hieronymus.

Verùm hic Theophilus à priorum duorum sanctitate longe abfuit, & S. Ioannem Chrysostomum acerbè est persecutus, magnáque eius exilij caussa fuit. De quo satis multus sermo, (si Deus vitam dederit) in ipsius S. Chrysostomi vitâ nobis erat necessariò instituendus.

AD CAPVT PRIMVM.

B. THEOPHILI ÆTAS.

a ÆTATEM S. THEOPHILI &c.] Guilielmus Tyri Archiepiscopus, qui vixit duodecimo sæculo, (quo & S. Bernardus) & qui historiam de bello sacro, tantâ fide scripsit, quantâ nullus alius, is, inquam, in ea est sententia, quæ S. Theophilum adscribit primo sæculo, & eundem facit cum eo Theophilo, cui sanctus Lucas Euangeliũm & Acta Apostolorum dedicauit. Exstant eius verba libro 4. historiæ ipsius, cap. 9. *Antiochia*, inquit, *Apostolorum princeps cathedram sacerdotalem obtinuit, & pontificali primùm functus est dignitate, viro venerabili Theophilo, qui erat in eadem ciuitate potentissimus, in proprio domate basilicam dedicante. Cui Lucas ex eadem vrbe originem trahens tam Euangelium suum, quàm Actus Apostolorum scripsit: qui B. Petro septimus in ordine Pontificum in eadem ecclesia successit.*

Hæc ille: quæ nullo modo posse consistere, & in vitæ ipsius contextu probatum est, atque ex ijs, quę hîc sequuntur, ampliùs comprobatur.

b ANNOS VITÆ HVIVS CENTVM QVINQVAGINTA &c.] Tot vixisse annos dicendus esset noster S. Theophilus, si esset ille, quem beatus Lucas affatus est. Faciamus enim anno Christi 58. (quo ipso anno fertur Lucas euangelium conscripsisse) illum Theophilum, cui illud dedicauit, triginta saltem fuisse annorum (nec enim existimandus est librum talem, nisi viro graui, & ætate maturo dedicasse) nonne si idem peruenit ad annum Christi 182. (vti certum est peruenisse) necessariò consequitur illum plùs centum quinquaginta annis vixisse? Nostrum autem Theophilum peruenisse ad annum Christi 182. (qui fuit primus Commodi Imp.) inde liquet manifestissimè, quòd mundi chronologiam scripserit vsque ad obitum M. Aurelij Antonini Veri, qui proximè antecessit Commodum, & cum illo in imperij societatem al-

lecto,

lecto, duobus tribúsue annis regnauit. Habetur ea chronologia in libro eius 3. ad Autolycum sub extremum, vbi sic inter alia: *Verus imperauit annis 19. diebus decem.* Loquitur autem de M. Aurelio Antonino Vero, non de Lucio Vero eius consorte imperij, cùm hunc nullus ad duodecim annos, nedum ad nouemdecim prorogasse imperium admittat. Deinde subdit ibidem consequenter: *Tempus igitur Cæsarum vsque ad mortem Veri Imp. continet annos 237. & 5. dies.* Scribebat igitur Theophilus post mortem M. Aurelij Antonini Veri, sub Commodo eius filio, cuius Commodi annus primus in Eusebiano chronico Pontaci concurrit cum anno Christi 182. Nullum autem est chronicon Eusebianum isto certius & accuratius, vt sæpe aliàs indicaui. Atque hinc satis constat nostrum Theophilum non esse illum, cui libros suos Lucas dedicarit, cùm ille natus sit trigesimo circiter Christi anno, noster autem fere centesimo, hoc est, sub initia imperij Traiani, vt notaui in vita. Recensetur enim ab Eusebio inter eos auctores, qui proximi ab Apostolis fuerunt, & medio secundo sæculo floruerunt, cùm eius initio nati essent.

c *IN OMNEM PROFANÆ ERVDITIONIS DISCIPLINAM* &c.] Huius eruditionis testes sunt locupletissimi, tres illi ad Autolycum libri omni doctrina humaniore plenissimi, vt capite 2. vitæ ostensum est.

IN CAPVT II.

a AVTOLYCVS, VIR, VT NE SVA DEFRAVDETVR LAVDE &c.] Laudat in Autolyco studium ac diligentiam beatus Theophilus libro 3. sub initium, hisce verbis:

Ἐγὼ μὲν οὖν θαυμάζω μάλιστα ἐπί σοι, ὃς ἐν μὲν τοῖς λοιποῖς γινόμενος σπουδαῖός τε καὶ ἐκζητητὴς ἁπάντων πραγμάτων, ἀμελέστερον τὰ ἡμῶν ἀκούεις. Εἰ γάρ σοι δυνατὸν, καὶ νύκτωρ οὐκ ὀκνεῖς διατρίβειν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις. Ἐπειδὰν οὖν πολλὰ ἀνέγνως. &c. *Ego quidem summopere te admiror, qui cum in ceteris studiosus sis, & rerum omnium perscrutator, negligentiùs tamen nostra audias. Nam si tibi facultas detur, haud pigritaris vel noctes in bibliothecis transigere. Quandoquidem igitur multa legisti* &c.

b *TV ME*, inquit, *O AMICE* &c.] Exstant græca initio libri primi ad Autolycum, ab illo loco: Ἐπειδὰν οὖν, ὦ ἑταῖρε, κατέπληξάς με λόγοις κενοῖς &c. *Quoniam igitur, mi amice, vaniloquis sermonibus tuis attonitum me reddidisti* &c. vt in vitæ contextu.

c *CVM IGITVR ISTE SCRIPTORES SACROS* &c.] Autolycum nostros Scriptores sacros, quasi recentes contempsisse, eorúmque dicta pro nugis habuisse liquet è libri tertij ad eundem Autolycum exordio, vbi sic inter alia: Ἡμῶν δὲ συμβαλὼν ἔτι λῆρον ἡγῇ τυγχάνειν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, οἰόμενος προσφάτους καὶ νεωτερικὰς εἶναι τὰς παρ' ἡμῖν γραφάς. Διὸ δὴ κἀγὼ οὐκ ὀκνήσω ἀνακεφαλαιώσασθαί σοι, παρέχοντος Θεοῦ, τὴν ἀρχαιότητα τῶν παρ' ἡμῖν γραμμάτων, ὑπόμνημά σοι ποιούμενος δι' ὀλίγων, ὅπως μὴ ὀκνήσῃς ἐντυγχάνειν αὐτῷ. *Nobiscum verò congressus nugas adhuc esse putas sermonem veritatis, existimans recentes ac nuperas esse nostras Scripturas. Quocirca nec ego grauabor summatim colligere, Deo dante, nostrarum Scripturarum antiquitatem, breuem tibi commentarium conficiens, vt ne illum pigreris perlegere.*

IN CAPVT III.

a THEOPHILVM IAM GRANDI NATV &c.] Colligitur senem fuisse, cùm suscepit episcopatum, partim ex anno natiuitatis ad Traiani tempora reducto; partim ex annis quos in ea dignitate exegit, & ex temporibus, ad quæ superfuit. Nam à Traiano ad Commodum Imp. (sub hoc enim adhuc viuebat & scribebat) facilè octoginta duo anni reperientur: quorum si tredecim tantùm in episcopatu vixit, (vt pòst docebitur) excedebat sexagesimum, cùm eam in dignitatem euectus est. Successisse autem Eroti patet ex Eusebio, lib. 4. hist. eccl. cap. 19. & è S. Nicephoro Constantinopolitano in catalogo Episcoporum illius ecclesiæ. Vnde corrigendum quod legitur apud Baronium tomo 2. annalium, in Christi 170. his verbis: *Hoc eodem anno octauo Imperatorum post Heronem Antiochenum Episcopum, qui 26. annos in episcopali functione expleuit, eligitur Theophilus.* Dicendum enim: *post Erotem*. Nam Heroni successit Cornelius, & Cornelio Eros.

b *ANNO DOMINI CIRCITER 170.* &c.] Huic anno adscribit Theophili episcopatum Eusebius in chronico his verbis è regione eius anni notatis: *Theophilus Antiochiæ 6. episcopus ordinatur, cuius plurima ingenij opera exstant.* Is autem annus est octauus M. Aurelij Antonini & Lucij Veri. Dissentit ab Eusebio Tritthemius libro de Scriptoribus ecclesiasticis, vbi sic de S. Theophili ordinatione: *Ordinatus autem fuit in Episcopum anno Domini 173. Indictione 2.* Sed verum est assentiri Eusebio, vt longè antiquiori & chronologiæ sacræ scientiori.

c *TAMETSI AB ALIIS NONNVLLIS* &c.] Septimus enim inter Antiochenos Episcopos recensetur Theophilus ab Hieronymo in epistola 151. ad Algasiam, quæstione 6. nescio an immemori se in ca-

catalogo

talogo Scriptorum ecclesiasticorum po- A suisse sextum: item à S. Nicephoro Constantinopolitano in recensione Episcoporum Antiochenorum, & à Guilielmo Tyrio, cuius verba suprà protulimus.

d *MARCION ET HERMOGENES*] Scripsisse S. Theophilum contra vtrumque ipsorum liquet ex indice scriptorum S. Theophili suprà. Tota autem Marcionis hæresis a nobis explicata est in S. Iustino, & alibi. De Hermogenis hæresi dissero ad B vitam S. Pantæni infrà subsequentem.

e *CVM ENIM MVLTI EA TEMPESTATE HÆRETICI.*] Reperiuntur hæc græcè apud Eusebium libro 4. historiæ, cap. 23. & apud Nicephorum Callistum lib. 4. cap. 9.

f *NAM BEATVM EIVS NATALEM* &c.] Vetus martyrologium Rom. ad decimam tertiam Octobris S. Theophili natalem sic notat: *Antiochiæ, Theophili Episcopi, qui sextus ab Apostolis fuit.* Dicit autem *Ab Apostolis*, quia primus eam fundauit S. Barnabas, deinde Paullus, deinde Petrus, sed hic annis pluribus. De qua fundatione ago pluribus in commentario ad epistolas S. Ignatij Theophori martyris, epist. ad Magnesianos, vbi sanctus martyr dicit Christi discipulos primùm Antiochiæ Christianos esse appellatos, *cùm Petrus & Paullus*, inquit, *fundarent ecclesiam.* D

e *VIXIT PORRO IN EPISCOPATV ANNOS CIRCITER XIII.*] Nam cùm episcopatum inierit anno octauo (vt antè ostensum est) M. Aurelij Antonini & L. Veri Impp. inde vsque ad primum Commodi Imp. qui illis successit, numerantur anni tredecim: viuebat autem, vt dixi, & scribebat adhuc imperante Commodo. Totidem porrò annos illi tribuit S. Nicephorus Constantinopolitanus in sua serie E Episcoporum, vbi sic habet: ζ Θεόφιλος ἔτη ιγ. *Septimus Theophilus annos* 13. hoc est, septimus inter Antiochenos Episcopos Theophilus ecclesiam suam annos tredecim gubernauit.

Quomodo igitur Eusebius, (inquiet aliquis,) in Chronico ponit Maximum Theophilo successisse annis 4. ante imperium Commodi? Nam ad decimum sextum M. Aurelij Antonini (is imperauit annos 19. & dies decem) sic notauit: *Antiochiæ VII. episcopus constituitur Maximinus.* Responderi potest Maximinum constitutum fuisse Episcopum, (vt in quibusdam alijs factum est) superstite etiam tum Theophilo, & quidem ab ipso vires impares ad tantam Christianorum multitudinem regendam habēte, & hæreticis ab ecclesia amoliendis plurimùm occupato. Nam de multitudine quidem, si id sanctorum Euodij & Ignatij ibidem administrantium temporibus locum habere potuit: quanto magis tot pòst annis præsidente S. Theophilo?

g *IN OMNI AVTEM VITA SALTEM OCTOGINTA DVOS.*] Tot annos circiter vixisse sanctum Theophilum colligitur ex annis, qui inter Traiani imperium & Commodi intercedunt. Nam antehac ostensum est natum fuisse sub initia imperij Traiani. Sed cùm constet ex suprà dictis eundem Theophilum tempore Commodi Imp. adhuc scriptioni vacasse; non perinde constat illum pluribus sub illo aut post illum annis non vixisse: cùm nemo anni mortis eius meminerit. Immo probabilius videri potest eum, quem in confesso sit primo Commodi Imp. anno dedisse operam scriptioni, & in scriptis suis meminisse mortis illius Imperatoris, qui proximè Commodum antecessit; probabilius, inquam, videri potest aliquot annis ampliùs postea vixisse quàm eodem, aut proximo, postquam scripserit, anno obijsse: atque idcirco tot saltem vixisse indicaui: vt nec plures excluderem, & id quod certum est, tenerē. Cùm autem nihil aliud ad has Notationes necessarium addito videam, hîc finio. Sit Deus opt. max. propter hæc & alia, semper & in æternum benedictus. Ad alium nunc eius æquè fidelem seruum me confero S. Dionysium Corinthiorum Episcopum.

VITA

VITA
SANCTI DIONYSII
CORINTHIORVM EPISCOPI, ET QVÆDAM EIVS FRAGMENTA.

Collecta est vitæ materia.

EX ipsiusmet scriptis.
Ex Eusebij Cæsariensis historia & Chronico.
E S. Hieronymo Presbytero.
S. Maximo martyre.
Simeone Metaphraste.
Georgio Cedreno.
Michaële Glyca.
Menæo Græcorum.
Martyrologio Rom. & alijs.

Auctorum de DIONYSIO CORINTHIO testimonia.

Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi, *lib. 4. historiæ eccles. cap. 22.*

Καὶ πρῶτόν γε περὶ Διονυσίου φατέον· ὅτι τε τῆς ἐν Κορίνθῳ παροικίας τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἐγκεχείριστο θρόνον, καὶ ὡς τῆς ἐνθέου φιλοπονίας οὐ μόνον τοῖς ὑπ' αὐτὸν, ἀλλ' ἤδη καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς ἀλλοδαπῆς ἀφθόνως ἐκοινώνει, χρησιμώτατον ἅπασιν ἑαυτὸν καθιστὰς, ἐν αἷς ὑπετυποῦτο καθολικαῖς πρὸς τὰς ἐκκλησίας ἐπιστολαῖς.

Ac primum de Dionysio dicendum, tam quòd in Corinthiorum diœcesi sedem episcopalem adeptus sit, quàm quod diuinas suas lucubrationes non modo cùm subditis, sed etiam cum extraneis citra inuidiam communicauerit: sese omnibus per epistolas catholicas diuersis missas ecclesijs vtilissimum præstans.

S. Hieronymi Presbyteri, *libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 27.*

Dionysius Corinthiorum ecclesiæ Episcopus tantæ eloquentiæ & industriæ fuit; vt non solùm suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarum vrbium & prouinciarum, epistolis suis erudiret.

Georgij Cedreni, *in compendio historiarum, vbi de M. Antonino Philosopho Imp.*

Ἐπὶ τούτου Πολύκαρπος ὁ μαθητὴς Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, καὶ Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος, καὶ Διονύσιος ὁ Ἐπίσκοπος Κορίνθου ἐμαρτύρησαν.

Sub hoc [M. Antonino] *Polycarpus Ioannis Euangelista discipulus, & Iustinus Philosophus, & Dionysius Corinthi Episcopus martyrium obierunt.*

VITA

VITA SANCTI DIONYSII CORINTHIORVM EPISCOPI.

PRÆFATIO.

VTi pauca admodum de beatissimo hoc Dionysio apud priscos Auctores mihi reperta sunt: ita paucis eius vita, vel vitæ potiùs memoria, cum suis insignium virtutum indicijs, & quasi vmbris tantummodò, in medium adducetur. Nam rerum ab eo præclarè gestarum supellex propè vniuersa, & viui meritorum eius colores ac lineamenta, maligni iniuriâ temporis ita non modò obscurata, sed etiam disperdita sunt; sola vt iam restent scriptorum eius, (quamuis aliàs valde inuidendorum) tenuia, ídque dispersim notata vestigia. Quæ tamen, quãtula demum cumque sint, è magnis quondam diuitijs, age, vnà cum vitę eius breui serie posteritati, quoad licet, consecremus.

CAPVT PRIMVM.

Vitæ Series.

FVit beatus hic Dionysius sancto [a] Theophilo Antiocheno ætate & studijs par; Hegesippo autem & Iustino Philosopho suppar: eodem scilicet, quo illi, hoc est, secundo Christi sæculo natus & cognitus. E [b] Græcia oriundum, & in vrbe clarissima Corintho natum, magis coniectura est, quàm certitudo. Sed parentes, maioresque prorsus ignoti. Nam tacitâ clarorum virorum progenie, sola olim virtus litterarum memoriâ celebrabatur. Artes liberales adolescens perdidicit: quibus egregiè excultus ad altiora vtriusque Philosophiæ studia seriò animum applicuit, sed virtutem ac sanctimoniam, velut solidissima nobilioris partis ornamenta, cunctis anteposuit. Hinc Apostolorum discipulis, (nam aliqui æuo illo supererant, viri sanè eximij, & suorum olim magistrorum quàm studiosissimi sectatores) in paucis carus, suámque ob egregiam indolem pergratus, pérque acceptus fuit. Quare ab ijsdem post datum virtutis suæ dignum

gnum ſpecimen in ſacrorum ordinem Miniſtrorum cooptatus, cùm ſe commiſſo in munere fidelem myſteriorum Dei diſpenſatorem exhibuiſſet; tandem in ſedem epiſcopalem bonis meritis euehitur, & nobiliſſimæ Corinthiorum eccleſiæ iuxtà & antiquiſſimæ (quippe à ſummis Apoſtolis Petro & Paullo fundatæ primitus, atque confirmatæ) rector pręficitur. [c] Nam eorundem antehac Corinthiorum Præſul, PRIMVS nomine (quem beatus Hegeſippus, vt in eius vitâ meminimus, Romam petens inuiſiſſe & conueniſſe dictus eſt) iam aut vitam finierat, aut aliò immigrarat. Quippe hoc etiam ſæculo celeberrimi quique eccleſiarum Antiſtites, ſuorum exempla magiſtrorum ſecuti, nulliſque adſtricti locorum ſpatijs, huc illuc Sancti Spiritus impellente afflatu, vt nubes, volabant. Quod multis quoque pòſt ætatibus, in optimis durauit Epiſcopis, ſemper verò poſtea atque etiamnum in pijs ac religioſis perdurauit perdurátque ordinibus. Ac licet de huius noſtri Dionyſij peregrinationibus nihil certis expreſſum habeamus litteris; varia tamen in loca peregrinatum, (prout illorum exigebat neceſſitas temporum, & quemadmodum de alijs eiuſdem æui Epiſcopis ac principibus viris accepimus & tradidimus) tam certa ſunt indicia, vt vix vllus dubitationi relinquatur locus. Et de hoc pręſertim, ſi de quoquam alio, id dicendum meritò videtur: quippe qui totam penè eccleſiam incenſo caritatis ſtudio complexus, & ſancto propagandę fidei ardore ſuccenſus cùm eſſet; quò corporis non quibat paſſibus, eò ſcriptis litteris, & profuſis cohortationibus peruolabat. Teſtes enim habētur eius quàm plurimę, eæque ad diuerſiſſimas, lociſque diſiunctiſſimas eccleſias miſſę epiſtolę, quibus illas partim rectę fidei documentis imbuit: partim antehac imbutas, ſed nunc, vt fit, nonnihil tepentes refouit: partim feruidas & currentes laudibus aluit: partim infirmas & periclitantes aduerſus lethalia ſubnaſcentium errorum venena pręmuniuit, partim denique conſilio, auxilio, ſolatio, vel dubias confirmauit, vel inopes & egenas adiuuit, vel mœſtas iacentéſque erexit. [d] Illarum porrò epiſtolarum alias in Pontum, alias in Cretam, alias Nicomediam, alias Lacedæmonem, alias Romam (& notum fuiſſe his omnibus locis, & aliquamdiu item in illis verſatum ambigere quis poſſit?) alias denique aliò, prout rerum poſtulabat vſus, dimiſſas fuiſſe cognoſcimus. Tanta ſcilicet erat in Epiſcopis ea tempeſtate latitudo cordis, vt nullus eſſet tam remotus, támque inuius locus, quem ipſi (ſi quidem honos Dei, & proximorum ſalus ageretur) nō ad ſuam exiſtimarent curam ſollicitudinémque pertinere: non quò ſibi illum vſurparent, arrogando aliena; ſed quò fratres religione, ſpirituali ope, ſeu docendo, ſeu conſulendo adiuuarent. Tam larga item, támque expanſa Chriſtianæ caritatis erant illis brachia, vt alienas calamitates ac miſerias & apprehenderent vt domeſticas, & curarent

vt suas. Tanta postremò inter ipsos & inter ecclesias vigebat coniunctio, consensióque animorum, vt in commune omnes bonum, sine inuidia, & citra ullam æmulationem, solo diuinæ gloriæ respectu prouiderent. Quare in illis beati Dionysij epistolis aliud sanè nihil, nisi nostræ fidei incrementa, nisi fratrum salus atque vtilitas, nisi pietatis progressus, perfectióque virtutum (quod in argumentis à primario sacræ historiæ Scriptore reseruatis licet animaduertere) curabatur & quærebatur. Quo magis earum iactura (quando resarciri quidem non potest) nobis deploranda est. Nam ea quidem, quæ ad Lacedæmonios scripta erat, cùm rectam nostræ fidei instructionem, tum pacis & concordiæ monita saluberrima continebat. Quæ verò ad Athenienses, ea sinceram incorruptámque fidem, & vitam è præscripto euangelij conformatam exhibebat: de cuius eos neglectu paternè quidem, sed fortiter ac seuerè arguebat: quasi scilicet parum abfuissent, quin à Christi doctrina post Publij Antistitis sui mortem, (qui inflammata per id tempus persecutione martyrium obierat) deficerent: ni S. Quadratus Publij successor eos quasi oues dispersas labore suo atque industria in vnum recollegisset, pristinúmque in ipsis fidei ardorem resuscitasset. In eadem quoque ipsa epistola, Dionysij Areopagitæ primi ipsorum Episcopi, à Paullo Apostolo, (vt Apostolorum Acta referunt) conuersi memoriam refricabat: nempe arbitratus non minimum ipsis ad retinendam in Christum fidem momenti allaturum, si tantorum virorum, à quibus eam accepissent, haud ingratâ memoriâ percellerentur. Iam in ijs, quas ad Nicomedienses exararat, non modò religionis nostræ veritatem generosè propugnabat, sed Marcionis quoque hæretici insana machinamenta validè disturbabat. Longè enim latéque hydra illa venenum suum diffuderat, nec Italiam modò, sed Asiam quoque, & alias, quacumque transierat, regiones miserandum in modum infecerat. In quam proinde cùm ab alijs ferè omnibus huius æui Scriptoribus, tum etiam ab hoc beatissimo Dionysio arma sumpta, & bellum irreconciliabile indictum est. Neque verò hos intra fines eius studiorum ardor zelíque magnitudo se constrinxit, sed Gortynensem præterea, ceterásque cum illa simul Cretæ ecclesias epistolis suis iuuit ac recreauit: in quibus & Philippus Gortynæ vrbis Antistes mirificè collaudatus reperitur, quòd eius scilicet ecclesia (in pastoris enim laudem, & coronam gloriæ, bona suarum ouium resultat constitutio) egregiarum adoreis virtutum insignita promicaret: cuiquā (vti & in futurum prouideret) [e] de cauenda hæreticorum impietate, & societate deuitanda sedulò commonuit. Quæ quidem commonitio, vt erat illis potissimè temporibus maximè necessaria,

S. Dionysij epist. ad Lacedæmonios.

Eiusdem ad Athenienses.

S. Quadrati Atheniensium Episcopi laus.

Epistola S. Dionysij ad Nicomedienses argumentum.

S. Philippi Gortynæ Episcopi laus.

ſic ferè communis omnium epiſcoporum fuit. Maximè enim tum inualeſcebant hæretici, & compoſitis ad gratiam ſermonibus multos à recta in Chriſtum fide auertebant: tum quòd faciliorem ac planiorem viderentur viam ad cælum oſtendere: tum quòd noua quædam & curioſis hominibus placentia, ſeu in Scripturarum explanatione, ſeu in priſcorum dictorum factorúmue commemoratione in medium proferendo, aures primùm, deinde & mentes velut quibuſdam lenocinijs deuincirent. Quo igitur maiora tum erant pericula, tanto ſibi ſolicitiùs vigilandum boni paſtores arbitrabantur, vt commiſſæ ſibi plebes nullum eiuſmodi hominibus, quorum ſermo, vt cancer, ſerpit, ad ſe aditum darent. Ad Cnoſſios item perſcripſit nominatim, quorum Antiſtitem Pinytum, raræ virtutis & exquiſitę ſanctimoniæ virum, ſed in caſtitate extollenda, nimíſque, (vt ei quidem videbatur,) exaggeranda, ſtrictiúſque commēdanda plus ſatis profuſum amicè commonefecit; vt ne grauius, quàm æquitas flagitaret, onus caſtimoniæ ſubditis ſuis tanquam neceſſarium imponeret; verùm ad humanæ infirmitatis imbecillitatem prudenter attenderet. Cui quidem à beato Pinyto quid reſponſum ſit, proximè in eius vita, Deo dante, referetur. [f] Scripſit & ad Chryſophoram ſororem, magnæ fidei feminam, cuius virtuti & conſentanea ſuggeſſit documenta, & animæ ad perfectionem adſpiranti opportuna ſimul alimenta ſuppeditauit. Quàm porrò nunc iuuarent, & quàm tenellas matris Eccleſiæ propagines ea reficerent alimenta, Deus bone, ſi exſtarent! Sed modò deſiderantur, nec haberi poſſunt. Ea denique Dionyſij ſanctitatis olim fama fuit, ea paſſim eruditionis opinio, ea hiſcemet animi ornamentis parta apud omnes auctoritas, vt multi cunctas eius epiſtolas ardenter requirerent, multi ipſum ad ſcribendum hortarentur, multi ad ſua, quæ ſcribebant, confirmanda, eius ſcriptis vterentur: immo & hæretici ipſi ijſdem à ſe corruptis (tanti eum, licet hoſtem, faciebant) abuterentur. Id quod ipſe adhuc viuus & ſuperſtes vidit & deplorauit. Qua ſuper malitia, eiuſmet in ſubijciendo paullò pòſt fragmento dabitur teſtimonium. Ex ijs verò, qui illum olim ad ſcribendum hortati ſunt, Bacchylidem & Elpiſtum nominatim accepimus, quorū ipſe ea in epiſtola meminit, [g] quam Amaſtrianę & alijs in Ponto eccleſijs (quibus præſediſſe eoſdem Elpiſtum & Bacchylidem autumo) quondam miſit. Quę epiſtola, vt amiſſę damnum intelligatur, tria potiſſimum continebat: primò quidem certas diuinarum Scripturarū expoſitiones: deinde multa de matrimonio & caſtimonia: poſtremò pręceptū [h] de ijs, qui in grauia peccata, adeóque in hæreſim prolapſi fuiſſent, ſi modò pœnitentia tangerentur, in gratiam recipiēdis. Alias quoque litteras imperante M. Aurelio Antonino hoc eſt, ſub annum Domini centeſimū ſeptuageſimum octauum, gubernante tum Eccleſiam beato Sotere, (cui & dedicatę ſunt) ad

S. Pinyti Cnoſſiorum Epiſcopi laus.

LIBRI S. DIONYSII AB HÆRETICIS CORRVPTI.

Epiſtola S. Dionyſij ad Amaſtrianos argumentum.

Eiuſdem ad Romanos.

ad Romanos perscripsit: in quibus tum martyrij ipsorum Apostolorum Petri & Paulli, quos Romæ vno eodémque passos tempore contestatur; tum laudatissimæ Romanorum consuetudinis commeminit; quâ nimirum Christianis exulibus, atque ad metalla damnatis, alijsque egentibus non tantùm suis, sed etiam extraneis liberaliter suppetias submittebant: tum verò & epistolarum à sanctis Clemente & Sotere Pontificibus ad Corinthios missarum, quas in ecclesia sua legi solitas, vt infrà declarabitur, indicauit. Nunc autem, cùm in eo versemur tempore, quo præclarum euenisse in quadam baptismi extrema necessitate, & nouo eius conferendi modo miraculum à nonnullis memoratur, nempe iam dicto M. Aurelio Antonino Imperatore, & S. Dionysio Corinthiorum Antistite: cuius etiam Dionysij super valore eiusdem sacramenti exquisitum sit iudicium; ne rem hanc sanè perquàm admirabilem, & diuinæ plenam benignitatis ac misericordiæ ingratijs & cum aliquorum querimonia transilijsse videamur (nam de tempore pòst disputabitur) hìc mihi referre visum est. Hebreus igitur quidam, illa, vt nonnulli aiunt, tempestate, vnà cum Christianis per desertum iter faciens, grauissima correptus infirmitate, de vita periclitabatur. Hic salutari timore perculsus socios Christianos deprecatur, adiurátque, vt se in Dei nomine baptismo expient. Deerat Sacerdos, qui ex officio id faceret: non suppetebat aqua, vt ablui posset. Quid igitur consilij? quid opus facto? Ceteris in hoc dubijs, vnus è numero Christianorum, arenâ illic obuiâ manus implens, térque in Hebræi caput fundens, *Baptizatur*, inquit, *Theodorus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Talis enim erat inter Græcos, & nunc quoque est, forma baptismatis. Post quę verba, (mirum & insolens dictu) ecce ille Theodorus omni discussa infirmitate in pedes confestim exsilit: ecce omnino sanus & incolumis stat, ambulat, currit, comites itineris non assequitur modò, sed etiam antecedit. Ventum inde Alexandriam cùm esset, consultum ferunt hunc nostrum Dionysium, quid de isto censeret baptismate; ipsum autem respondisse, videri eum hominem insuper aqua baptizandum esse, & ea quæ sacramenti ritibus defuisse noscantur, ex antiquo more sarcienda. Sic habet historia: quæ quidem quantum ad rem spectat, & miraculi veritatem; satis certa est & explorata; sed quantum ad temporis & personæ circumstantias attinet, nonnihil dubia est & controuersa. De quibus proinde fusiorem disputationem in subijciendas breui postea notationes differo. Cetera autem, quæ de S. Dionysio paucula superstant, paucis prosequar. Fuisse igitur illum è clarioribus Clementis Alexandrini magistris (quæ res non paruæ laudis est argumentum) nonnullorum est haud improbabilis coniectura.

BAPTISMVS ARENÆ.

BAPTISMI FORMA APVD GRÆCOS.

S. DIONYSIVS CORINTHIVS D. CLEMENTIS ALEXANDRINI MAGISTER.

Nec desunt etiam qui inter martyres ipsum censeant. Menæum certè Grecorum ad diem Nouembris vicesimam nonam hoc eum celebrat elogio.

Eadem die sanctus Dionysius Corinthi Episcopus gladio percussus occubuit.

Nam quòd apud Eusebium nomen taceatur martyris, hoc inde accidisse creditur, quòd Dionysij à patria longè peregrinati, & in alieno solo violenter exstincti mors, (vti de S. Dionysio Areopagita, & de quibusdam alijs liquet) priores Græcos latuerit, ac proinde etiam id, quod ignorabant, tacuerint : quod tamen posteriores (vt tempus est sapientissimum & multa in dies aperit) ex obscuris antehac monumentis in lucem eduxerint.

Nam & de B. Hippolyto Portuensi Episcopo, Scriptore nobilissimo, res est iam recepta. Quòd enim è Græcia in Italiam demigrarit, ibíque episcopatum gerens inhæserit, ac martyrium obierit ; tam ignotum Eusebio idem martyrium, licet nobilissimum, exstitit, quã eiusdem sedes Episcopatus: quæ vtraque Italis multò iam sunt notissima: à quibus & Græci posteriores, quæ & Hieronymum latebant, (vti dicetur in ipso Hippolyto fusiùs) didicere.

TEMPVS MORTIS S. DIONYSII.

Quæ porrò ad tempora peruenerit, vbi vitam finiuerit, quos ardente studio suo dignos labores exantlauerit, à nullo speciatim, quòd sciam, est explicatum. Proxima autem vero est ea sententia, quę beatum eius finem sub Eleuthero Papa, qui medius inter Soterem & Victorem Pontifices fuit, asignat. Nam & ipsum ad Soteris superfuisse tempora ex ipsiusmet cõstat litteris; & ante Victorem quoque excessisse ex duobus liquere videtur indicijs : vno quidem, quòd sub initia Pontificatus Victoris, Episcopus ecclesiæ Corinthiorum nominetur Bacchylus: altero, quòd cùm eadem tempestate concilia in singulis propè prouincijs, de ratione celebrandi Paschatis fierent, eorundémque Præsides conciliorum laudarentur nominatim; nequaquam is tacitus fuisset, qui præcipua ferè inter omnes

S. DIONYSII MARTYRIVM.

auctoritate polleret, si viueret. Eum igitur ense percussum, martyrij obtinuisse palmam fasti testantur Græcorum: quibus & Georgius Cedrenus, & Michael Glycas consentiunt, quamuis horum posterior aliquid cernatur in tempore hallucinatus. Nec enim sub Antonino Pio, sed sub M. Antonino Philosopho eius filio id accidit: vti rectè scriptum à Cedreno. Latinorum porrò sacræ tabulæ, eius immemores, ignaræúe martyrij, his tantùm verbis ipsius consecrauere felicem memoriam ad sextam idus Aprilis: *Apud Corinthum, beati Dionysij Episcopi, qui eruditione & gratia, quam habuit in verbo Dei, non solum suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarum prouinciarum & vrbium Episcopos epistolis erudiuit, Romanósque Pontifices adeo coluit, vt eorum epistolas publicè le-*

gere

gere in ecclesia diebus dominicis consueuerit. Claruit autem temporibus M. Antonini Veri, & L. Aurelij Commodi. Ita Romanum martyrologium ad octauam Aprilis. Ad sacrum autem eiusdem beati Dionysij corpus quod attinet, in vrbe S. Dionysij apud Parisios, & in eiusdem nominis celeberrimo & antiquissimo cœnobio, tanquam preciosissimum cimelium, asseruatur & ostenditur. Bina enim corpora sub S. Dionysij nomine se habere haud immeritò gloriantur: quorum vnum S. Dionysij Areopagitæ (à quo nomen vrbi & cœnobio) alterum S. Dionysij Corinthij esse prædicant: quod & populi venerationi publicè exponunt, ab Innocentio tertio, vt in eorundem vidi tabulis, dono missum. Et sanè, si quæ secundùm Apostolos & Domini discipulos habendæ in precio & honore sunt reliquiæ; istorum in primis sanctorum pignoribus magna & singularis quædam debetur veneratio, qui vita, morte, scriptis publico profuerunt. Ac si fortè procul à nobis sunt ea pignora, cælestes saltem animæ Dei sui intimæ contemplatrices, & bonorum quæcumque voluerint compotes, adeóque ad miseris opitulandum faciles, quibus licet votis & honoribus ab vnoquoque nostrûm piè ritéque cumulentur.

Eiusdem S. Dionysij martyrium.

Hactenus de sanctitate, nunc de scriptis, sed breuiter, & per indiculum.

CAPVT II.

Scripta S. Dionysij Corinthiorum Episcopi.

Breuiter ea collegit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum cap. 28. desumpta ex Eusebij libro 4. historiæ cap. 22.

Dionysius, inquit, *Corinthiorum ecclesiæ episcopus tantæ eloquentiæ & industriæ fuit, vt non solum suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarum vrbium & prouinciarum, epistolis erudiret. E quibus est.*

Vna ad Lacedæmonios.
Alia ad Athenienses.
Tertia ad Nicomedienses.
Quarta ad Cretenses,
Quinta ad ecclesiam Amastrianam & ad reliquas Ponti ecclesias.
Sexta ad Cnossianos, & ad Pinytum eiusdem vrbis Episcopum.
Septima ad Romanos, quam scripsit ad Soterem Episcopum eorum.
Octaua ad Chrysophoram, sanctam feminam.

Claruit sub Imp. M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo.

Ita S. Hieronymus breuissimè, quę multò fusiùs, cum singularum scilicet epistolarum argumentis, persecutus fuerat Eusebius loco suprà laudato.

Ex Hieronymo autem desumpsere Honorius Augustodunensis & Ioannes Tritthemius, sed horum exemplaria mendis quibusdam (vnde quidem venerint, seu ab illis, seu à descriptoribus, haud scio) nonnihil vitiosa sunt. At de illis & de illorum correctione alibi. Nam ad ipsius B. Dionysij Fragmenta propero.

CAPVT III.

Fragmenta quædam Scriptorum S. Dionysij.

Primum Fragmentum. *ex epistola eius ad Romanos.*

PRoducit illud Eusebius libro 2. historiæ ecclesiasticæ, capite 24. dum probare nititur beatos Apostolos Petrum & Paullum eodem tempore Romæ esse passos, ita scribens: Ὡς δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν ἄμφω καιρὸν ἐμαρτύρησαν, Κορινθίων Ἐπίσκοπος Διονύσιος ἐγγράφως Ῥωμαίοις ὁμιλῶν ὧδέ πως παρίστησι. *Ambos sanè eodem tempore martyrium passos, Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Romanos scribens, sic adstruit:*

S. Dionysij verba:

Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τοσαύτης νουθεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε. Καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ὑμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν. *Hæc & vos propter tantam Romanorum & Corinthiorum institutionis sationem à Petro & Paullo factam coniunxistis. Etenim ambo cùm in nostra Corintho verbum seminassent, vos similiter docuerunt: similitérque in Italia simul eodem tempore martyrium passi sunt.* Eadem & verbis totidem habet Nicephorus Callistus lib. 2. hist. cap. 37.

I I. Fragmentum. *ex eadem epistola.*

Hoc sic ab eodem inducitur Eusebio libro 4. historiæ, capite 22. Ἔτι τε τοῦ Διονυσίου καὶ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολὴ φέρεται Ἐπισκόπῳ τῷ τότε Σωτῆρι προσφωνοῦσα. ἐξ ἧς οὐδὲν ἄτοπον καὶ παραθέσθαι λέξεις, δι' ὧν τὸ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς διωγμοῦ φυλαχθὲν Ῥωμαίων ἔθος ἀποδεχόμενος ταῦτα γράφει.

Adhuc & Dionysij epistola ad Romanos circumfertur Soteri tum Episcopo dedicata; cuius verba hîc apponere minimè est alienum, quibus Romanorum consuetudinem ad hoc vsque persecutionis tempus obseruatam commendans hæc scribit:

S. Dionysij verba:

Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμῖν ἔθος ἐστὶ τοῦτο πάντας μὲν ἀδελφοὺς ποικίλως εὐεργετεῖν, ἐκκλησίαις τε πολλαῖς ταῖς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐφόδια πέμπειν, ὧδε μὲν τὴν τῶν δεομένων πενίαν ἀναψύχοντας, ἐν μετάλλοις δὲ ἀδελφοῖς ὑπάρχουσιν ἐπιχορηγοῦντας, δι' ὧν πέμπετε ἀρχῆθεν ἐφοδίων πατροπαράδοτον ἔθος Ῥωμαίων Ῥωμαῖοι διαφυλάττοντες· ὃ οὐ μόνον διατετήρηκεν ὁ

μακάριος ὑμῶν Ἐπίσκοπος Σωτὴρ, ἀλλὰ καὶ ηὔξηκεν, διαχορηγῶν μὲν τὴν διαπεμπομένην δαψίλειαν τὴν εἰς τοὺς ἁγίους, λόγοις δὲ μακαρίοις τοὺς ἀνιόντας ἀδελφοὺς, ὡς τέκνα πατὴρ φιλόστοργος, παρακαλῶν.

Primitus enim hæc apud vos est consuetudo cunctis fratribus multifariam benefacere, compluribúsque ecclesijs in quaque vrbe vitæ subsidia mittere: atque hoc pacto non indigentium modo penuriam subleuare, sed fratribus quoque ad metalla damnatis per ea, quæ ex antiquo more submittitis adiumenta, opitulari. Nempe traditam à maioribus consuetudinem Romanorum Romani custoditis. Quam beatus vester Episcopus Soter non obseruauit modò, sed etiam auxit. Nam præterquam quod rerum necessariarum copiam ad sanctos misit, beatis insuper sermonibus aduenientes fratres, tanquam liberos pius ac beneuolus pater, solatus est.

Hæc de beneficentia Soteris & Romanorum Dionysius. Quam beneficentiam & consecuti Pontifices æmulati sunt: sed Gregorius decimustertius sanctæ memoriæ (quo quidem haud scio an munificentius quicquam in pauperes, aut in extraneorum necessitates largius, ab orbe condito sol vnquam viderit) lõgissimè antecessit. Nam & ad remotissimas nationes, & ad ipsos quamuis maximè diuisos Antipodas eius euagata est liberalitas, eáque nec locis arctata, nec constricta temporibus. Multarum siquidem nationum fundata in perpetuum & bonis munita copijs seminaria immortalem eam fecere & interminatam. Cuius ad omnem posteritatem memorabilis munificentiæ, ex publicis rationibus accuratè collecta summa *meruit ex Senatusconsulto*, inquit Baronius, *præclaro gloriæ monumento, in Capitolio vna cum statua omnium votis publicè consecrari, digno planè omnium patris atque pastoris elogio: quod inter alia, hæc verba in marmore habet incisa:* Baronius anno Christi 175.

SESTERTIVM OCTINGENTIES SINGVLARI BENEFICENTIA DISTRIBVTVM.

Est horum summa vicies centena millia aureorum.

Origo autem istius in extraneos fratres beneficentiæ ab ipsis deducta est Apostolorum temporibus.

Nam cùm primam omnium persecutionem ea passa sit ecclesia, quæ Hierosolymis erat congregata, multíque Christianorum, inibi suis exuti bonis alieno indigerent subsidio; vrsit coëgitque Apostolos insita eorum visceribus caritas, vt stipe aliunde conquisita fraternis subuenirent necessitatibus. Antiochiæ igitur cùm essent Paullus & Barnabas, fratrum qui in Iudæa erant paupertatem & penuriam Antiochenis exposuerunt: hi autem viscera misericordiæ aperuerunt, & collectam pecuniæ summam ad eos qui rapinam bonorum suorum passi propter Christum fuerant, & *cum gaudio*, vt testis est Paullus *susceperant*, per eosdem Apostolos miserunt. De Hebr. 10 v. 34.

qua

Act. Apost. cap 11 ver. 29.

qua ſtipe eſt in Actis: *Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.*

Antiochenos igitur, qui principes in hoc iuuandorum extraneorum officio caritatis fuerunt, Romani deinceps æmulati ſunt, multíſque commodarunt.

Quid de ijs iam dicetur vrbibus, quæ cùm ſint diuites ac opulentæ, tantum abſunt tamen, vt ad externos Chriſtianos mittant ſubſidia, vt aduenientes quoque vel à ſuis arceant mœnibus, vel intus mendicare deprehenſos foras expellant? Non eſt, non eſt illa lex politiæ, ſed ſæuitiæ. Neque eſt, vt ſemper dici poſſit, *Qui non laborat, non manducet.* Quot ſunt, qui nec omnibus ſuis laboribus totum poſſint ſuorum gregem alere liberorum? Quot ſunt, qui membris capti, aut morbis fracti, nullis ſint idonei laboribus? Et erit felicitas nullos in vrbe quapiam videre mendicantes? non eſt hæc, mihi crede, felicitas, non eſt, ſed certiſſima calamitas & præſens vel imminens acerbiſſima miſeria. Sicut enim clauſiſtis veſtra pauperibus oſtia; ſic claudent illi vobis diuinæ miſericordiæ viſcera.

Sit hoc amoris in fratres Chriſtianos, immo in fratres omnes eiuſdem patris & creatoris, Dei opt. max. quibus omnibus caritatis debitores ſumus: nunc redeo ad Fragmenta S. Dionyſij: cuius, ne hoc taceam, non minimum eſt ſanctimoniæ argumentum, quòd & pauperes amauerit, & amantes laudauerit, & priſci teſtimonium amoris ad poſteros tranſmiſerit.

III. FRAGMENTVM.

De quo ſic Euſebius libro 4. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 22. de eadem Dionyſij epiſtola ad Romanos ſcribit: Ἐν αὐτῇ δὲ ταύτῃ καὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους μέμνηται ἐπιστολῆς, δηλῶν ἀνέκαθεν ἐξ ἀρχαίου ἔθους ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας τὴν ἀνάγνωσιν αὐτῆς ποιεῖσθαι. Λέγει γοῦν. *In eadem ipſa* [epiſtola ad Romanos] *etiam Clementis ad Corinthios epiſtolæ meminit, ſignificans iam olim ex antiqua conſuetudine eam in eccleſia legi ſolitam. Dicit igitur:*

Verba S. Dionyſij.

Τὴν σήμερον κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολήν, ἣν ἕξομεν ἀεί ποτε ἀναγινώσκοντες νουθετεῖσθαι, ὡς καὶ τὴν προτέραν ἡμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν.

Hodie ſanctam diem dominicam celebrauimus, in qua veſtram legimus epiſtolam, (qua poterimus ſemper, eam legentes, inſtitui) quemadmodum & priorem à Clemente ad nos ſcriptam.

Indicat hic Dionyſius duas in eccleſia Corinthiorum lectas tum epiſtolas ſummorum Pontificum, vnam Clementis, eámque priorem ad ipſos miſſam (duas enim miſit, vt hinc colligitur, & ex alijs auctoribus) alteram Soteris, quam dicit inſtitutionis loco in commune lectum iri.

Sole-

Solebant, igitur, (vt vel hinc apparet) Episcopi, cùm aliquas à summis Pontificibus, aut ab alijs ecclesiarum Præsidibus magna doctrina & sanctitate præditis (quales in paucis Ignatius & Polycarpus inter alios fuêre) epistolas recenter accepissent, eas ad populi institutionem & consolationem dominicis diebus publicè in ecclesia legere: nonnullas autem non semel tantùm, sed sępiùs, idque diebus, vt credibile est, ipsorum natalibus, si quidem excessissent, aut si superstites forent, diebus quibus primò lectæ fuissent anniuersarijs.

De priore illa Clementis ad Corinthios epistola sic Hieronymus, in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, cap. 15. vbi agit de Clemente:

Scripsit ex persona Romanæ ecclesiæ ad ecclesiam Corinthiorum valde vtilem epistolam, quæ & nonnullis locis etiam publicè legitur: quæ mihi videtur characteri epistolæ, quæ sub Paulli nomine ad Hebræos fertur, conuenire. Sed & multis de eadem epistola non solùm sensibus, sed iuxta verborum quoque ordinem abutitur.

Iam epistola illa interijt, & ipsius Clementis ac Soteris (quod quidem ipsorum certò dici posit) iam restat prorsus nihil.

IV. FRAGMENTVM.

Illud sic introducit, loco sæpius citato, Eusebius:

Ἔτι δ᾽ ὁ αὐτὸς καὶ περὶ τῶν ἰδίων ἐπιστολῶν, ὡς ῥᾳδιουργηθεισῶν, ταῦτά φησιν.

Præterea idem & de suis epistolis, tanquam deprauatis, hæc ait:

Verba S. Dionysij:

Ἐπιστολὰς ἀδελφῶν ἀξιωσάντων με γράψαι, ἔγραψα. καὶ ταύτας οἱ τοῦ διαβόλου ἀπόστολοι ζιζανίων γεγέμικαν, ἃ μὲν ἐξαιροῦντες, ἃ δὲ προστιθέντες· οἷς τὸ οὐαὶ κεῖται. Οὐ θαυμαστὸν ἄρα, εἰ καὶ τῶν κυριακῶν ῥᾳδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβληνται γραφῶν, ὁπότε καὶ ταῖς οὐ τοιαύταις ἐπιβεβλήκασι.

Epistolas rogantibus me fratribus vt scriberem, scripsi. Eas autem à diabolo emißitij, lolio referserunt: quippe nonnulla ademerunt, nonnulla adiecerunt. Quos quidem væ manet. Neque iam mirum, si Dominicas Scripturas deprauare quidam aggreßi sunt, quando & nostras minimè illis similes attentarunt.

Ita nimirum semper aliqui exstiterunt, vt nummorum legitimorum; sic pulchrorum scriptorum corruptores & adulteri. Quod quidam SS. Patrum prouidentes, terribilibus in eiusmodi homines duce beato Irenæo vsi sunt adiurationibus.

Atque de S. Dionysij Fragmentis, quæ nancisci quidem potui, hactenus ista sint: iam ad Notationes.

NOTATIONES
IN VITAM
SANCTI DIONYSII
CORINTHIORVM EPISCOPI.

AD CAPVT PRIMVM.

THEOPHILO ANTIOCHENO PAR ÆTATE &c.] S. Dionysij ætas par S. Theophilo, & suppar SS. Hegesippo & & Iustino colligitur ex Eusebio lib. 4. historiæ eccles. cap. 19. & 20. & seqq. & eiusdem Eusebij Chronico ad annum 8. M. Aurelij Imp. (vel 9. ob varietatem exemplarium) vbi de Theophilo; & XI. eiusdem Imp. vbi de Dionysio; qui ambo illis ijsdem temporibus floruisse in episcopatu memorantur.

Flauius Lucius Dexter anno Christi 174. & Romæ 925. scribit eo tempore claruisse Dionysium Corinthiorum Episcopum.

S. Maximus in præfatione Scholiorum ad libros Areopagitæ eum vocat ἀρχαῖον Κορινθίων Ἐπίσκοπον, *priscum Corinthiorum Episcopum.*

b *E GRÆCIA ORIVNDVM, ET VRBE CLARISSIMA CORINTHO* &c.] Probabilissimum est Græcum fuisse Dionysium: fueritne tamen Corinthius, licet sic frequenter appelletur, haud liquidò constat, cùm propter sedem Episcopatus sic appellari potuerit.

Corinthus vrbs est Græciæ notissima in isthmo Peloponnesi, Horatio & Prudentio bimaris appellata, quòd ex arce eius, D quæ Acrocorinthus vocatur, duo spectentur maria, hinc Ægeum, inde Ionium. Priùs dicebatur Ephyra, cuius cōditor Sisyphus. Auctor Apollodorus his verbis: Σίσυφος δὲ Αἰόλου κτίσας Ἐφύραν τὴν νῦν λεγομένην Κόρινθον γαμεῖ Μερόπην τὴν Ἄτλαντος. *Sisyphus Æoli, condità Ephyrà, quæ nunc Corinthus dicitur, duxit Meropem Atlantis.*

Plinius l. 4. natur. historiæ cap. 4. vbi de Peloponneso tractat, hæc scribit: *Medio hoc interuallo, quod Isthmon appellauimus, applicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, sexagenis ab vtroque littore stadijs; è summa sua arce, quæ vocatur Acrocorinthus,*

A *in quâ fons Pyrena, diuersa duo maria prospectans.*

De Corintho plura & pulchra vide apud Strabonem libro 8. Geographiæ, longè post medium, vbi interpres locis aliquot est vitiatus: vt in eo loco, vnde tractatus de Corintho inchoatur: *Distant autem Cleonæ, ab Argo quidem stadijs centum & viginti, à Corintho verò stadijs octoginta. Nos verò ab Acrocorintho ædificium expectauimus.* Corrige, *structuram despectauimus*, oppiduli Cleo- STRABONIS VETVS INTERPRES CORRECTVS.

B narum scilicet, elegantibus ædificijs visendarum: propter quas Homerus eas appellauit.

— ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς.

— *pulchrè structásque Cleonas.*

Hoc enim ipsum citat hemistichium Strabo, & mox subiungit hæc, vnde nostra correctio dilucescat: Διέχουσι δ' αἱ Κλεωναὶ τοῦ μὲν Ἄργους σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, Κορίνθου

C δὲ ὀγδοήκοντα. Καὶ ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ Ἀκροκορίνθου κατωπτεύσαμεν τὸ κτίσμα. Sensus est, qui suprà indicatus. Dicit enim Strabo se ex summa arce Cleonas infrà egregiè structas nec longe distantes despectasse.

Agit ibidem de duplici portu, vnde Corinthi emporium fuerit ditissimum, vno ad excipiendas ex Asia merces, altero ex Italia. Et tangit illud periculum, quod ex Italia venientibus per mare Siculum immi-

D nebat, nisi à Malea deflecterent, quæ contrarijs infestata ventis frequentia creabat naufragia. Sic enim scribit: Ἀφ' οὗ καὶ παροιμιάζονται. Μαλέαν δὲ κάμψας, ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. *Ex quo & natum prouerbium: Ad Maleam si deflexeris, domesticos obliuiscere*, quasi dicat, *Perijsti*. Transfertur adagium ad quęuis itinera periculosissima. *Asiaticis igitur* (inquit idem Strabo) *Italisque mercatoribus gratissimum erat omisso ad Maleam cursu Co-*

E *rinthum diuertere, aduectis eò mercibus.*

Paullo inferiùs profert originem & veram caussam illius tritissimi prouerbij:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

tracti ex illo græco senario:

Οὐ

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς. A
Non est Corinthum nauigare cuilibet.

Malè in exemplaribus erat ἔστω pro ἐσθ' ὁ respuente versu.

VOLVPTATIS LIBIDINOSÆ PERNICIES.

Ratio nempe dicti fuit, quòd abundante ibi quæstu turpi (siquidem illius Deæ impudicissimæ templum plus mille feminas habebat lenonibus expositas) etiam ipsi nautæ, qui maris euaserant naufragium, ad illos infames intemperantiæ scopulos aliud patiebantur longè miserius & fortunarum B simul & corporum: poterantque illud cum Plautino Argyripo in amicas illas inimicissimas eiaculari:

Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium.
Nam mare haud est mare: vos mare acerrimũ.
Nam in mari reperi: hîc elaui bonis.

Et sanè nec charybdis, nec scylla tam exitiosa est nautis & vectoribus, quàm procax & lasciua mulier hominibus incautis & vecordibus. C

STRABONIS INTERPRES DVOBVS LOCIS EMENDATVS.

Medicina hîc per transennam & alijs duabus in Strabone vitiatis sententijs mihi facienda est. Sic enim eius interpres: *Nautæ etiam leuiter sumptus factitantes assumebantur. Hinc vulgatur veteri sermone prouerbium: Non omnium est virorum Corinthum nauigare. Cuiusdam quoque meretricis facetum illud posteris vulgatum est responsum. Nam cùm altera illi exprobraret inertiam: quòd nullâ operis teneretur industriâ, nec lanas attingeret, Ego, inquit,* D *talis in hoc breui tempore ternas depsui telas.* Sic ille.

Prima igitur & postrema sententia (quod etiam ex suprà dictis liquere potest) alium ex græcis habent sensum. Nam prima sic habet: Οἱ γὰρ ναύκληροι ῥᾳδίως ἐξανηλίσκοντο. *Nautæ enim facilè fortunis exhauriebantur.* Vel, vt Plautinus ille, elauebant bonis, i. nudabantur.

Postrema verò sic: Ἐγὼ μέν τοι ἡ τοιαύτη E τρεῖς ἤδη καθεῖλον ἱστοὺς ἐν βραχεῖ χρόνῳ τούτῳ. *Ego quidem sanè, talis cùm sim, tres iam in breui hoc tempore telas sustuli.* Intelligit telas seu vela nauium, quæ nautæ viuendo luxuriosè apud ipsam prodegerant. Et quia ἱστὸς significat etiam malum nauis, cui appenduntur vela, posset aliter hoc modo verti, *tres iam malos velis exarmaui.*

Denique indicare voluit se tres magnas telas, qualia sunt vela nauium, inertiâ suâ F & delicijs lucrifecisse.

IMPVDICITIA GENTILIVM.

Vt ex his autem omnibus fructum faciamus, hinc est intelligere, quanta Gentilium fuerit, quámque libera impudicitia, qui & templa Veneri struxerint & prostituendas ei publicè addixerint, deuouerintque filias: & quanta ex aduerso Christianorum castimonia, qui templa Virgini & cœnobia Virginibus innumera consecrarint. Quæ dum hæretici improbant, se in Gentilium deflectere probant prostibula, & in barathri ire præcipitia.

Ab eadem Corintho discitur, ex diuitijs magnis magnas oriri delicias, è delicijs ingentem petulantiam, insolentiam, iniuriam, iniustitiam, atque ex his postremò ruinam miserabilissimam. Nam dulci fortuna ebrij, & sui exinde impotentes Corinthij, cùm tam insolentes fuissent, vt transeuntes Romanorum Legatos sordibus inquinarent, missus contra eos L. Mummius vrbem Corinthum solo adæquauit, & cuncta illic pretiosa Romam abstulit, victoriæ spolia, fortunæ ludibria, domitæ insolentiæ monumenta. Narrat hæc & alia ibidem Strabo.

INSOLENTIÆ ACERBISSIMA VINDICTA.

A Iulio Cæsare postmodùm reædificata refloruit, & insignem Apostolorum tempore ecclesiam habuit S. Paulli epistolis nobilitatam. Hinc igitur Dionysius noster, vti è loco ad vtramque plagam Orientalem & Occidentalem opportuno plenas sanctæ eruditionis litteras huc illuc dimittebat, & crebrò, (vt est credibile) nunc has, nunc illas ecclesias inuisebat.

c NAM EORVNDEM CORINTHIORVM PRÆSVL] De Episcopo Corinthiorum, cui fuit nomen Primus, egi in Notationibus ad Fragmentum VII. S. Hegesippi suprà.

d ILLARVM SANE EPISTOLARVM ALIAS IN PONTVM &c.] Quæ de epistolis referuntur, omnia ex Eusebij historia lib. 4. cap. 22. deducta sunt.

e DE CAVENDA HÆRETICORVM IMPIETATE, ET SOCIETATE DEVITANDA.] Eusebius l. 4. histor. cap. 23 græcè sic attingit: Τῶν τε τῆς αἱρετικῶν διαστροφῶν ὑπομιμνήσκει φυλάττεσθαι. *Hæreticorum cauendam peruersitatem admonet.* Ruffinus autem vertit: *Ab hæreticorum connubijs abstinendum.* Debuit ergo legisse διατροφῶν, *alimentum.* Sed priorem lectionem esse meliorem patet e Nicephoro lib. 4. hist. eccl. cap 8.

f SCRIPSIT ET AD CHRYSOPHORAM SORORE M] Non germanam sororem, sed sororem Christianam, siue sororem fide, non sanguine. Mos enim antiquis Christianis fuit viros omnes, fratres: feminas autem, sorores appellare.

Nota hinc etiam minimè indignum esse Episcopis ad feminas scribere. Sic B. Ignatius ad Mariam, sic Ioannes Chrysostomus ad Olympiadem, sic Hieronymus ad multas, Augustinus ad non paucas scripsit, alijque ad nonnullas plurimi. Quas enim affari verbo dignum est præsentes, non indignum esse potest epistolâ (sed tamen graui & sancta) conuenire, atque etiam docere absentes.

Hanc

Hanc Chrysophoram appellat Eusebius ex inscriptione ipsius, (vt opinor) Dionysij, πιστοτάτην ἀδελφήν. *fidelissimam sororem*, siue, *fidei plenissimam*. Proprium hoc & peculiare fuit Christianis feminis virtute præstantibus epitheton. Quo & magnus Ignatius ad Mariam quandam scribens (quam Cassobolitem quidam vocant) vsus esse reperitur.

g *QVAM AMASTRIANÆ, ET ALIIS IN PONTO ECCLESIIS.*] Strabo libro 12. Geographiæ, Amastrim videtur Ponto attribuere, vti & partem Paphlagoniæ, eam scilicet quæ ad Septemtrionem vergebat, & Mithridati parebat. Stephanus Byzantinus de Amastri sic scribit: Ἄμαστρις, πόλις Παφλαγονίας, ἡ πρότερον Κρῶμνα. Κρῶμναν τ' Αἰγιαλόν τε, καὶ ὑψηλὴν Ἐρύθειαν. ἀπὸ γυναικὸς Περσίδος, Ἀμάστριδος θυγατρὸς Ὀξυάθρου τοῦ ἀδελφοῦ Δαρείου. &c. *Amastris vrbs Paphlagonia, quæ prius Cromna dicta est.* [iuxta illud Homericum in Catalogo nauium]

Cromnámque, Ægyalúmque simul, celsámque Erythiam.

appellata vero Amastris ab Amastride Persica femina, Oxyathris filia, fratris Darij. &c. Et paullò pòst:

Ἀμάστρεως δὲ κλίνει Στράβων· ἄλλοι δὲ Ἀμάστριδος. τὸ ἐθνικὸν, Ἀμαστριανός. *Strabo declinat Amastreos: sed alij Amastridos. Gentile nomen, Amastrianus.* Quod infrà dicit formari, sicut Sardianus, Bactrianus: sed iam ex mala consuetudine perperam vocari Amastranos. Sed vide Strabonem libro citato, vbi nonnulla diuersitas circa versum Homericum, quem bis eodem libro 12 sub initium ita scribit:

Κρῶμναν τ' Αἰγιαλόν τε, καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους.
Cromnámque, Ægialúmque simul, celsósque Erythinos.

& loco quidem posteriore addit: Γράφουσι δέ τινες.

Κρῶμναν, Κωβιαλόν τε -- *Scribunt autem aliqui Cromnam, Cobialúmque.* Vide Eustatij commentarium grecum ad lib. Iliados β'. vbi & Homerus ex Strabone, & Strabo ex Homero illustrantur.

h *DE IIS, QVI IN GRAVIA PECCATA.*] Ex his colligi videtur hac ipsa ætate fuisse nonnullos, qui censerent in grauissima lapsos peccata (vt in hæresim, vel fidei abnegationem) ecclesia eijciendos, nec recipiendos esse. Quę fuit postea hęresis Nouati: quam proinde noster hic Dionysius needum ortam suo præfocauit, prædamnauitque præiudicio.

NOVATIANA HÆRESIS A S. DIONYSIO PRÆDAMNATA.

i *NOSTRVM HVNC DIONYSIVM VIRI DOCTI ARBITRANTVR.*] In his Baronius ad annum Christi 181. & M. Aurelij Imp. 19. *Hic*, inquit, *vltimis nimirum Marci temporibus prætermisisse nolumus, quæ sub eius* A *imperio à Nicephoro contigisse narratur historia. At quoniam in ea mentio habetur de Dionysio Alexandrino Episcopo, loco eius restituendum putamus Dionysium Corinthiorum, qui his ipsis, vt vidimus, temporibus claruit: ille autem Alexandrinus longe postea. Vtcumque res se habuerit, fides sit apud auctorem, qui ait:*

Adhuc autem M. Aurelio Antonino imperium administrante &c.

Videtur quidem Baronius nonnihil du- B bitare de hac historia: verùm nihil prorsus dubitandum esse mox ostẽdemus. Ad verba autem Nicephori quod attinet, ea in circumstantijs personę & temporis non cõgruere idem Baronius rectè obseruauit. Nec enim simul vixerunt M. Aurelius Antoninus Imp. & Dionysius Alexandrinus Episcopus. Quare pro Alexandrino reddidit Corinthium, qui vnà vixit cùm Antonino. Meliùs hoc quidem, sed optimè C fecisset, si potiùs à Georgio Cedreno (qui antiquior Nicephoro fuit) eãdem desumpsisset historiam. Nulla enim tum correctione in Dionysio fuisset opus, cùm nec Alexandrinum nominet, nec Corinthium, sed Dionysium duntaxat Papam, siue Episcopum; tametsi dicat quæstionem super eo baptismate motam Alexandriæ: sed cùm sub Aurelio nullus esset tum Alexandriæ Episcopus nomine Dionysius, intelligi po- D tuisset eo nomine aduena aut peregrinus noster Dionysius, ad quem vt maximi nominis, licet extraneum, ea esset relata difficultas.

Verba Cedreni græca, cùm ea sint in promptu, hîc videntur ob historiæ admirabilitatem inserenda. Sic igitur habent ad imperium M. Antonini Philosophi:

Ἐπὶ τούτου Ἑβραῖός τις συνοδοιπορῶν χριστιανοῖς κατὰ τὴν ἔρημον, καὶ ἀῤῥωστίᾳ συσχεθεὶς βα- E ρυτάτῃ, κινδυνεύειν ἤδη μέλλων παρεκάλει τοὺς χριστιανοὺς, ἐνορκῶν εἰς τὸ τοῦ θεοῦ ὄνομα βαπτίσαι αὐτόν. ὕδατος δὲ μὴ ὄντος, μήτε ἱερέως, τῶν χριστιανῶν ἀποδυσάντων αὐτὸν, εἷς ἐξ αὐτῶν πλήσας τὰς χεῖρας ψάμμου, ἐκ τρίτου ἐπέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, τρίτον λέγων· Βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. καὶ παραχρῆμα ἀνεῤῥώσθη ὁ ἄνθρωπος, τελείαν ἀπαλλαγὴν τῆς νόσου εὑράμενος. Ἐλθόντων δὲ αὐτῶν ἐν Ἀλε- F ξανδρείᾳ, καὶ συζητήσεως παρὰ τῷ πάπᾳ Διονυσίῳ γινομένης περὶ τούτου, πάλιν ἐβαπτίσθη δι' ὕδατος. τὸν δὲ προβαπτίσαντα αὐτὸν διὰ τῆς ψάμμου, ἄξιον ὑπάρχοντα Διάκονον ἐχειροτονήσατο. *Sub hoc* [M. Antonino] *Hebræus quidam iter cum Christianis per eremum faciens, & grauissima detentus infirmitate, cùm iam periclitaturus videretur, Christianos hortabatur adiurans, vt ipsum in Dei nomine baptizarent. Non suppetente autem aqua, nec Sacerdote, cùm eum Christiani exuissent, ex ijs quidam impletis*

tis arena manibus tertiò in caput eius infudit, tertiò dicens: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et homo confestim reualuit, perfectè à morbo liberatus. Alexandriam igitur cùm venissent, motáque esset super hoc baptismate quæstio apud Dionysium Papam, rursus aqua baptizatus est. Eum verò, qui arenâ infusâ antè baptizauerat, cùm dignus existeret, Diaconum idem Pontifex ordinauit. &c. Hæc Georgius Cedrenus. Nunc vt ipsam veritatem, tanquam vinum optimum vsque adhuc reseruatum depromamus, & illam magni Dionysij Areopagitæ de regio numismate pulcherrimam similitudinem, quâ adulterina omnia producto vero ac legitimo facillimè redargui falsitatis indicauit, hoc præsenti exemplo confirmemus; dico eas opiniones, quas attulerunt Nicephorus, Cedrenus, Baronius, adductâ è Ioanne Moscho verâ sententiâ, similiter redargui. Nam idem Ioannes Moschus quadringentis minimùm annis Cedreno antiquior plenam historiam fusè & distinctè & sine vlla oppositarum inter se circumstantiarum specie ad amussim veritatis commemorat. Nec enim M. Aurelium malè cum Dionysio Alexandrino comparat, vt Nicephorus; nec ad aliena refert tempora, vt Baronius; nec aliqua inducit, quæ stare non possunt, vt Cedrenus: nempe qui dicat Dionysium illum, (quisquis fuerit) citasse auctoritatem S. Gregorij Nazianzeni de diuersis baptismatibus: quod videri potest in ipso Cedreno. Nam eius verba breuitatis studio hîc omittam. Quomodo autem poterat is, qui sub M. Antonino Philosopho viuebat, (quemadmodum ipse refert) vti eius auctoritate, qui ducentis tantùm pòst annis erat victurus? Sed singulas huius historiæ certas & quibus contradici non possit adfert circumstantias is, de quo loquimur, Moschus. Descripsit enim rem totam in suo Prato spirituali, c. 176. narratam ab Andrea Abbate, oculato teste, hisce verbis:

Narratio Andreæ Abbatis de baptismo arenæ, apud Ioannem Moschum in Prato spirituali, cap. 176. in bibliotheca SS. PP. græcolatina.

Διηγήσατο ἡμῖν ὁ Ἀββᾶς Παλλάδιος, ὅτι ἀκήκοε διηγουμένου τινὸς τῶν πατέρων ὀνόματι Ἀνδρέα· ᾧ καὶ ἡμεῖς συνετύχομεν. *Ὅτι ὡς ὑπῆρχον νεώτερος, γέγονα ἄτακτος πάνυ. καὶ πολέμου καὶ ἀταξίας γινομένης, ἐγὼ καὶ ἄλλοι ἐννέα ἐφύγομεν ἐπὶ Παλαιστίνην· ὧν ὁ εἷς μὲν Φιλόπονος ἦν, καὶ ὁ ἕτερος Ἑβραῖος. Ἐλθόντων δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὴν ἔρημον, ἠσθένησεν ὁ Ἑβραῖος μέχρι θανάτου, καὶ ἐν ἀθυμίᾳ ἦμεν πολλῇ, μὴ εἰδότες τί ποιῆσαι αὐτῷ. πλὴν οὐκ εἰάσαμεν αὐτὸν, ἀλλ' ἕκαστος ἡμῶν κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἐβάσταζεν αὐτὸν, θέλοντες διαγαγεῖν αὐτὸν εἰς πόλιν, ἢ εἰς ἐμπορεῖον, ἵνα μὴ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἀποθάνῃ. Ἐπειδὰν δὲ ὁ νεώτερος ἐκ τῆς ἀσιτίας καὶ τοῦ σφοδροτάτου πυρετοῦ, καὶ τοῦ ἀμέτρου κόπου, καὶ τῆς ἐκ τοῦ καύματος δίψης, ὅλος διελύθη, καὶ ἤμελλεν ἐκλείπειν· λοιπὸν γὰρ καὶ πρὸς τὴν ἔξοδον ἦν, καὶ οὐδὲ βαστάχθῆναι ἴσχυεν· ἐβουλευσάμεθα μετὰ πολλῶν δακρύων ἐάσαι αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον, καὶ ἀπελθεῖν, ὑφορώμενοι τὸν ἐκ τῆς δίψης θάνατον καὶ εἰς ἡμᾶς γινησόμενον. Ὡς οὖν ἐθήκαμεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄμμον κλαίοντες, καὶ εἶδεν ἡμᾶς ἀπιέναι μέλλοντας, ἤρξατο ὁρκοῦν ἡμᾶς λέγων· νὴ τὸν θεὸν τὸν μέλλοντα κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς, μὴ ἐάσατέ με Ἰουδαῖον ἀποθανεῖν, ἀλλ' ὡς Χριστιανόν. ποιήσατε οὖν ἔλεος μετ' ἐμοῦ, καὶ βαπτίσατέ με· ἵνα κἀγὼ χριστιανὸς ὑπεξέλθω τοῦ βίου τούτου, καὶ πρὸς Κύριον ἀπέλθω.

*Narratio Andreæ hic incipit.

Narrauit nobis Abbas Palladius se audiuisse narrantem quendam Patrem, Andream nomine (in cuius congressum & nos venimus) & dicentem: *Cùm essem iuuenis, indisciplinatus valde & inquietus fui. Die ergo quadam persecutionem passi, pro nostra inquietudine fugimus in Palæstinam ego & nouem alij, inter quos vnus quidem erat Philoponus, alius autem Hebræus. Cùm ergo venissemus in eremum, infirmatus est Hebræus vsque ad mortem, &* [*Deo teste*] in magno mœrore constituti eramus, nescientes quid illi faceremus. Verumtamen, (*vt est consuetudo socialis caritatis*) non illum deseruimus, sed vnusquisque nostrûm pro viribus ferebat eum, volentes vel in ciuitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cùm verò adolescens ex inedia & vehementissima febre, immoderatóque labore & siti præ Solis æstu totus iam fere resolutus esset, atque deficeret, propinquans ad exitum, neque portari posset; decreuimus cum multis lachrymis illũ dimittere in eremo, & abscedere, metuentes, ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cùm igitur illum in arena plorantes posuissemus, videretque nos abire velle, cœpit nos adiurare dicens: * *Per Deum qui inclinauit cælos & descendit pro salute humani generis*, per Deum qui iudicaturus est viuos & mortuos, nolite pati, vt Hebræus moriar, sed tanquam Christiani facite mecum misericordiam, & baptizate me: vt Christianus

* Desunt in græco.
* Desunt in græco.
* Hæc non sunt in græco.

de hac vita exeam, & ad Dominum pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè, frater, non licet nobis hoc facere: sæculares enim sumus: hoc autem Episcoporũ & Presbyterorum opus est. Sed neque aqua hîc est. Ille verò persistebat similiter adiurans nos, & plura etiam cum lachrymis adijciens ac dicens: Nolite Christiani me priuare hoc diuinitus indulto munere.

Cùm ergo in magna hæsitatione essemus, Philoponus diuinitus inspiratus ait nobis: Erigite illum & exuite. Ereximus itaque cum magno labore illum, erectúmque tenentes exuimus. Philoponus autem implens ambas manus suas arenâ, tertiò effudit super caput eius dicens ita: Baptizatur Theodorus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nobis verò per singula nomina sanctæ & consubstantialis & adorandæ Trinitatis respondentibus: Amẽ (Dominus Deus testis est fratres,) ita continuò sanauit & corroborauit eũ Christus Deus noster, vt nullum iam in eo pristinæ infirmitatis remaneret indicium, *vel qualiscumque passionis*, sed sanus & valens cum omni alacritate *& florido adspectu*, quod reliquum erat itineris per eremum ambulauit semper nos præcedens: *ita vt admirantes talem & tam subitam mutationem omnes laudauerimus & glorificauerimus ineffabilem maiestatem & benignitatem Christi Dei nostri.* Venientes autem Ascalonem adduximus eum ad beatum ac sanctum Dionysiũ eius vrbis Episcopum, narrantes quæ fratri in via contigissent. Quibus auditis sanctus admirandúsque Dionysius stupens ad tam nouum inauditúmque miraculum, conuocato clero exposuit ei totum negotium, vt decernerent, vtrum effusio illa arenæ reputanda esset fratri in baptismum, an non? Et alij quidem dicebant debere reputari illi in baptismum, propter inauditam miraculi magnitudinem: alij verò dicebant, non. Theologus quippe Gregorius omnia baptismata dinumerat, *Baptizabat*, inquiens, *Moyses, sed in aqua; & antea in nube & in mari. Baptizauit & Ioannes, non iam quidem Iudaicè: non enim in aqua solùm, sed & in pænitentia. Baptizat autem & IESVS, sed in Spiritu sancto: istud perfectio est. Scio & quartum baptismum per martyrium & sanguinem: scio & quintum, lachrymarum scilicet.* Hæc ille. Quo igitur horum, inquiebant illi, iste baptizatus est? vt etiam ipsius baptisma roboremus: maximè cùm Dominus ad Nicodemum dicat:

Baptismi forma apud Græcos.

Nisi quis natus fuerit denuo ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei. His alij contradicebant sic: Quid ergo? Quia scriptum de Apostolis non est, quod

A Ἡμεῖς δὲ ἐλέγομεν αὐτῷ· ὄντως, ἀδελφέ, οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν τι τοιοῦτον ποιῆσαι· κοσμικοὶ γάρ ἐσμεν, τὸ δὲ ἔργον ἐπισκόπων ἐστὶ καὶ πρεσβυτέρων· πλὴν οὐδὲ ὕδατά εἰσιν ὧδε. Ὁ δὲ ἐπέμενε τοῖς αὐτοῖς ἡμᾶς ὅρκοις μετὰ δακρύων ἐνορκῶν καὶ λέγων. Μὴ στερήσητέ με τῆς τοιαύτης δωρεᾶς Χριστιανοί.

Ἐν πλείστῃ οὖν ἀπορίᾳ ὄντων ἡμῶν θεόθεν ὁ B Φιλόπονος κινηθεὶς λέγει ἡμῖν· ἐγείρατε αὐτὸν, καὶ ἐκδύσατε. Καὶ μετὰ πολλοῦ κόπου ὄρθον αὐτὸν στήσαντες ἐξεδύσαμεν. Ὁ δὲ Φιλόπονος πληρώσας ψάμμου τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐπὶ τρεῖς κατέχεεν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ λέγων. Βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἡμῶν ἐπηχησάντων, τὸ Ἀμὴν, καθ' ἕκαστον ὄνομα τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς Τριάδος· καὶ ὡς ἐπὶ τοῦ Κυρίου, ἀδελφοί, οὕτως αὐτὸν ἰάσατο, καὶ ἐνίσχυ- C σεν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὡς μηκέτι φανῆναι ἐν αὐτῷ λείψανον ἀρρωστίας· ἀλλ' ὑγιῶς καὶ ἐρρωμένως ἐν πάσῃ προθυμίᾳ τὸ λοιπὸν τῆς ἐρήμου προέτρεχεν ἡμῶν. Ἐλθόντες δὲ ἐν Ἀσκαλῶνι ἀνηγάγομεν τὰ περὶ τούτου τῷ μακαρίῳ καὶ ἐν ἁγίοις Διονυσίῳ τῷ ταύτης Ἐπισκόπῳ, τὸ ὅπως συνέβη τῷ ἀδελφῷ κατὰ τὴν ὁδόν. Ὁ δὲ ὅσιος ὄντως Διονύσιος τοῦτον ἀκούσας, ἐκνεὸς ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τούτῳ γέγονε θαύματι, καὶ τὸν κλῆρον D ἅπαντα συγκαλεσάμενος ἀνατίθεται αὐτῷ τὸ πρᾶγμα, καὶ εἰ ἄρα ὤφειλεν αὐτῷ λογισθῆναι εἰς βάπτισμα ἡ τῆς ψάμμου ἐπίχυσις, ἢ οὔ; Καὶ οἱ μὲν ἔλεγον, ὅτι ὤφειλεν αὐτῷ λογισθῆναι διὰ τὸ παράδοξον τοῦ θαύματος· οἱ δὲ ἔφασκον, οὔ. Καὶ γὰρ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος πάντα ἐξαριθμεῖται τὰ βαπτίσματα, Βάπτισμα λέγων Μωσαϊκὸν, ἀλλ' ἐν ὕδατι· καὶ πρὸ τούτου δὲ ἐν νεφέλῃ καὶ θαλάσσῃ βάπτισμα· καὶ τοῦ Ἰωάννου οὐκέτι μὲν Ἰουδαϊκόν. Οὐ γὰρ ἐν ὕδατι μόνον, E ἀλλὰ καὶ εἰς μετάνοιαν. Βαπτίζει δὲ Ἰησοῦς, ἀλλ' ἐν πνεύματι. Τοῦτο ἡ τελειότης. Οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος. οἶδα δὲ πέμπτον ἔτι τὸ τῶν δακρύων. Ποῖον οὖν τούτων ἐβαπτίσατο, ἵνα καὶ κυρώσωμεν αὐτό; καὶ μάλιστα τοῦ Κυρίου πρὸς Νικόδημον λέγοντος.

F

Ἐὰν μή τι γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Οἷς καὶ ἀντέλεγον ἕτεροι. Τί οὖν; Ἐπειδὰν οὐ γέγραπται περὶ τῶν Ἀποστόλων, ὅτι ἐβαπτίσθησαν,

οὐκ

οὐκ εἰσέρχονται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν; Πάλιν δὲ τούτοις ἄλλοι ἀντιφέροντο λέγοντες· Ναὶ, ἀληθῶς ἐβαπτίσθησαν, καθὼς Κλήμης ὁ Στρωματεὺς ἐν τῷ πέμπτῳ τόμῳ τῶν ὑποτυπώσεων μέμνηται. φησὶ γὰρ τὸ ἀποστολικὸν ῥητὸν ἐξηγούμενος τὸ λέγον· Εὐχαριστῶ, ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα· Ὁ Χριστὸς λέγεται Πέτρον μόνον βεβαπτικέναι, Πέτρος δὲ Ἀνδρέαν, Ἀνδρέας Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην· ἐκεῖνοι δὲ τοὺς λοιπούς. Τούτων δὲ καὶ ἑτέρων πλειόνων λαληθέντων, ἔδοξε τῷ μακαρίῳ Διονυσίῳ τῷ Ἐπισκόπῳ ἀποστεῖλαι τὸν ἀδελφὸν εἰς τὸν ἅγιον Ἰορδάνην, κἀκεῖσε βαπτίζεσθαι· τὸν δὲ Φιλόπονον ἐκεῖνον Διάκονον ἐχειροτόνησε.

A baptizati sunt idcirco non intrant in regnum Dei? Alij rursus contrà inferebant dicentes: Ita sanè illi baptizati sunt: sicut & Clemens Stromateus meminit in quinto Hypotyposeon. Apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur: *Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizaui*, Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem: illi autem reliquos. Hæc (1. Cor. 1. vv. 14.)
B igitur & alia plurima cùm dicta essent; visum est beato Dionysio Episcopo mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, illicque baptizari. Philoponum autem illum ordinauit Diaconum.

Hactenus verba ipsa Andreæ Abbatis, qui quondam iuuenis rem omnem suis spectauit oculis, ac postea narrauit Palladio Abbati, Palladius autem Ioanni Moscho, Moschus autem omnibus. Latina interpretatio est Ambrosij Camaldulensis ab illo loco: Cũ essem iuuenis &c. in qua hoc ferè vnicum mihi displicuit, quòd Φιλόπονον *Philoponum*, latinè reddiderit *Industrium*. Est enim Philoponus nomen proprium. Insolens est autem Latinis propria Græcorum nomina commutare in sua significata. Malunt enim ipsa græca vocabula in latinam dumtaxat terminationem deflexa retinere, & Athanasium, Anastasium, Anicetum, Philoponum, & alia eiusdem generis quàm ipsorum significata, vsurpare. Quæ caussa fuit, cur loco *Industrij* (vt Camaldulẽsis verterat) restituerim *Philoponi*, intactis ceteris, licet nonnulla sit alia diuersitas in græcis & in latinis, propter quædam ab eodem Camaldulensi adiecta: nisi si alio ipse exemplari græco vsus fortasse fuerit. Nam quæcumque (exceptis Scripturę locis) charactere impressa sunt Italico, ea non sunt in græcis. Ex hac porrò narratione colligitur 1°. post tempora S. Gregorij Nazianzeni rem eam contigisse, ac proinde illum Dionysium, quo de hîc agitur, non potuisse esse nec Alexandrinum, qui vno sæculo ante Nazianzenum excesserat; nec Corinthiũ, qui duobus; sed bene, vt hic notatur, Dionysium Ascalonę in Palæstina Episcopum. 2°. Hebræum illum fuisse catechumenũ: vt vel ex ipsius adiuratione innotescit, pręcipuè in illis verbis: *Per Deum qui inclinauit cælos, & descendit pro salute humani generis.* &c. atque item ex eo, quòd sine vlla de fide interrogatione baptizatus sit.
3°. Nonnullum, quòd ad verba attinet, esse discrimen in forma baptismatis Græcorum & nostra: & quòd illi post singula personarum SS. Trinitatis nomina respondeant *Amen.* vt *In nomine Patris, Amen. & Filij, Amen, & Spiritus Sancti, Amen.*

4°. Tunc eam fuisse inter quosdam Græcorum opinionem, vt ne in periculo quidem alteri liceret, quàm Episcopo aut Sacerdoti baptizare. Cuius opinionis meminit, & rationem proposuit Michaël Glycas, parte 3. Annalium sub finem, agens de Philippo Imp. *Sub Philippo*, inquit, *Sabellius vixit, eodémque imperante Iudæus quidam morbo laborans in via publica cùm iaceret, à Christiano, & laico quidem, baptizatus mox conualuit. Quapropter ad Dionysium Antistitem deductus secunda vice lustrationem diuinam accepit. Quippe de canonum Apostolicorum præscripto, nemini laico fas est, vt quidquam earum rerum peragat, quæ res ad Sacerdotum munus pertinent, etiamsi maximè casus aliquis & necessitas vrgeat. Hoc nimirum sic illi constituerunt & decreuerunt, vt ne qua in parte contra ordinem delinquatur.* (BAPTISMI VIS SALVTIFERA.)
Ita Glycas. Verùm vnicuique iam licet (qui ratione quidam vtatur, & tingendi modum ac formam sciat, cuiuscumque sexus aut ætatis & conditionis sit) in suprema necessitate baptismum conferre indigenti, & capaci. Quę est Doctorum hodie communis sententia.
k *E B. CLEMENTIS ALEXANDRINI MAGISTRIS*] Baronius ad annum Christi 185. agens de magistris Clementis, *Quòd si*, inquit, *augurari licet de ceteris, putamus per eum quem in Græcia nactus est, intelligi Dionysium Corinthiorum Episcopum, vel Caium.* Ego de priore assentior.
l *MENÆVM ENIM GRÆCORVM* &c.] Verba Menæi ad vicesimam nonam Nouembris sunt hæc:

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Διονύσιος Ἐπίσκοπος Κορίνθου ξίφει πληγεὶς τελευτᾷ.
Διονύσιος εἷς τελῶν θυηπόλων,
Ξίφος μετελθὼν εἷς τελεῖ καὶ μαρτύρων.
Eadem die sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus gladio percussus occumbit.
Episcoporum de choro Dionysius
Subiectus ensi de choro fit martyrum.

Huic de Dionysij martyrio sentẽtiæ suffra-

gatur etiam Glycas, sed in tempore nonnihil aberrat. *Post Hadrianum*, inquit, *Antoninus cognomento Pius ob morum benignitatem annos XXII. imperauit: sub quo Iustinus Philosophus & Dionysius Corinthi Antistes, vt doctrinæ Christianæ testimonio essent, vitam amiserunt.* Sic ille.

Atqui constat vtrumque non sub Antonino Pio, sed sub M. Aurelio Antonino eius filio terras reliquisse; vt in vita attigimus.

m *QVOD ET POPVLI VENERATIONI PVBLICE EXPONVNT.*] Vidi ipse publicè expositum anno Domini CIↃ.IↃC.XXII. mense octobri, intra octauam SS. Dionysij Areopagitę & sociorum, cùm per ipsam Dionysiopolim reuertens in Belgium pertransirem.

n *INNOCENTIO TERTIO* &c.] Sic legi in M. S. eiusdem cœnobij Dionysiani: *Cuius siquidem* [Corinthiorum Episcopi] *venerabile corpus, quod bonæ memoriæ Petrus Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus de Græcia in Vrbem transtulerat, Innocentius Papa tertius apud venerabile cœnobium B. Areopagitæ Dionysij per Haymericum Priorem, quosdamque alios monasterij eiusdem nuntios ab Abbate tunc temporis Henrico ad generale concilium destinatos transferri fecit.* &c. De hac donatione simul & translatione suffragatur Iacobus du Breul in Theatro Antiquitatum Parisiensium, libro 4.

AD CAPVT II.

PRoponitur eo capite catalogus librorũ S. Dionysij ab Hieronymo desumptus. Sunt & alij qui hunc indidem desumpserunt, vt Honorius Augustodunensis & Ioannes Tritthemius, sed ambo vitiosè, vt nunc quidem ostendunt eorum exemplaria. Nam prior quidem in Suffridi editione, ad recensionem epistolarum Dionysij, *In quibus est vna*, inquit, *ad Laodicenses*, corrige, *Lacedæmonios*. Item: *Sexta ad Ignosianos*, corrige *Cnosianos*. De his agetur in vita proxima. Deest etiam 7ª. ad Romanos.

Tritthemius etiam *Ignosianos* scribit pro *Cnosianos*, & *Amasdrinẽses* pro *Amastrianos*.

Notandi fuerunt hi errores ob eos qui recentioribus contenti Scriptoribus ab antiquiorum abstinent lectione.

AD CAPVT III.

De Fragmentis S. Dionysij.

FRagmeutum primum, Ταῦτα καὶ ὑμεῖς &c. valde infeliciter & miserè conuertit & peruertit Christophorsonus in hæc verba:

A *Petrum & Paullum, qui Romanos & Corinthios primùm in ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi in vnum locum conclusistis.* Atqui nihil tale sonant græca: neque est hoc vero consentaneum, scripsisse Dionysium ad Soterem Papam, siue ad Romanos (integro scilicet post Apostolorum Petri & Paulli mortem sæculo) scripsisse; inquam, ipsos prudenti quadam admonitione impulsos B conclusisse Petrum & Paullum in vnum locum.

Ecquando enim Romani Christiani concluserunt Petrum & Paullum in vnum locum? non Soteris tempore, quo illa epistola Dionysij scribebatur. (Iam enim ab vno sæculo in cælis triumphabant.) Neque item ante. Quorsum enim? Aut vbi tenue huius rei vestigium?

Neque verbum συνεκεράσατε significat, C *in vnum locum conclusistis*. sed potiùs, (vt vertit Ruffinus) *coniunx stis*. & propriè *commiscuistis* à κεράννυμι *misceo*. Itaque aut est sensus ille quem posui; vt scilicet dicere velit Dionysius Romanos aliqua commiscuisse aut coniunxisse (siue Apostolorum ad vtramque ecclesiam monita, siue epistolas Paulli ad Corinthios proximè post epistolam ad Romanos, siue quælibet alia nunc ignota) idque fecisse propterea quòd D vterque Apostolus vtramque docuerit ecclesiam: aut certe est alius sensus illi proximus, de amicitię inter vtramque ecclesiam coniũctione ob eosdem vtrobique primos doctores ac magistros. Ruffinus sic vertebat: *Sed & vos habentes commonitionem à Petro & Paullo, plantationem Romanæ & Corinthiorum ecclesiæ coniunxistis.*

Melius sanè quàm Christophorsonus. Sed pro ταῦτα videtur legisse ἀλλὰ, vti & E Langus apud Nicephorum libro 2. hist. ecclesiast. cap. 37. vbi eadem Dionysij verba sic interpretatur: *Sed & vos per talem doctrinam & cohortationem, plantationem Romana & Corinthia ecclesia à Petro & Paullo consitam contemperastis.*

Quæ interpretatio propiùs ad græcæ dictionis accedit sententiam. Nam Ruffinus vocem τοιαύτης omisit: & ista *à Petro & Paullo* iunxit cum voce *commonitionem*, F quæ tamen in græco ad *plantationem*, vt ibi videre est, referuntur. Dicit enim τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν. *plantationem à Petro & Paullo factam.*

Quod autem dicit Dionysius in eodem Fragmẽto Principes Apostolorum eodem tẽpore affectos martyrio, hoc est, eodẽ die & anno, non solus dicit, sed cum Zephyrino Papa, & Caio nobili Scriptore, qui sub annum Christi ducentesimum florebant. De quibus ita Simeon Metaphrastes in com-

commentario, *De certaminibus & peregrinationibus SS. Apostolorum Petri & Paulli*: *Caius verò quidam*, inquit, *vir ecclesiasticus, & Zephyrinus Romanorum Episcopus, & Dionysius Corinthius scribunt vno tempore & simul Petrum & Paullum subiisse martyrium tertiodecimo anno imperij Neronis.*

Exstat ille commentarius apud Surium tomo 3.

Horum porrò sententiam de eodem anno & die martyrij secuti sunt quàm plurimi, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus &c. Alioqui Aurelius Prudentius in περὶ στεφάνων hymno 12 de die consentit quidem, sed de anno secus, vt testes hi versus:

Prudentius in libro De coronis.

Vnus vtrúque dies, pleno tamē innouatus anno,
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quæ flumine labitur propinquo,
Binis dicatum cespitem trophæis.

Item Augustinus serm. 28. de Sanctis: *Currunt itaque vterque ad palmam martyrij, & vterque perueniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed anni vertentis occursu.*

Et horum exemplo Arator Subdiaconus lib. 2. historiæ Apostolicæ hisce extremis versibus:

His etiam germanus amor, quibus amplius Actor,
Quàm natura dedit, geminos quos edidit astris.
Non eadem, tamen vna dies, annique voluto
Tempore sacrauit repetitam passio lucem,
Et tenet æternam socialis gloria palmam.

Ibi Actoris nomine vel Nero, vel accusator, vel iudex vel carnifex intelligitur: qui scilicet Apostolos necando à vita mortali, quam dedit natura, ad immortalem eos transmisit.

Circa II. Fragmentum.

NON INDIGENTIVM MODO PENVRIAM SVBLEVARE, SED FRATRIBVS QVOQVE AD METALLA DAMNATIS &c.] Propterea fiebant collecta in ecclesijs, vt semper esset in promptu, vnde & egenis fratribus subueniretur præsentibus, & mitteretur absentibus, seu coniectis in vincula, seu ad metalla damnatis, seu quauis alia in necessitate pro Christi amore detentis. Meminit talium subsidiorum Tertullianus in libro Ad martyras, quem sic orditur:

Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de vberibus suis, & singuli fratres de operibus proprijs in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest.

Sic planè legendus & corrigendus est locus ille. Nam male à quibusdam ponitur *singula* pro *singuli*, & inepte inter voces *operibus proprijs* immittitur *suis* contra orationis concinnitatem.

Indicat autem Tertullianus & Ecclesiam matrem de vberibus suis, id est, de gazophylacijs, quæ sunt velut vbera ecclesię, pecunias & alimenta misisse: singulos autem fratres de operibus proprijs, pistorem scilicet panes, sutorem calceos, textorem telam, sicque ceteros egentibus prouidisse.

Huc etiam facit locus S. Cypriani epist. 4 his verbis:

Quantum autem ad sumptus suggerendos, siue illis qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, siue ijs qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perseuerant, peto nihil desit, cum summa omnis quæ redacta est, illic sit apud Clericos distributa propter eiusmodi casus, vt habeant plures, vnde ad necessitates & pressuras singulorum operari possint.

Notandum fuisse duplicis generis collectas, ordinarias scilicet, & extraordinarias. Ordinariæ erant quæ singulis dominicis, aut singulis mensibus fiebant.

Extraordinariæ verò, quæ ob aliquam extraordinariam necessitatem liberaliùs fiebant, seu ad captiuos redimendos, seu ad alendos qui ad metalla, vel qui alibi detinebantur damnati.

De collectis prioris generis egi ad vitam S. Iustini ex eius & ex Tertulliani verbis: quarum origo è Paulli ad Corinthios litteris, epist. 1. cap. 16. deducitur. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos* &c.

De posterioris autem generis pulcherrimus est locus in S. Cypriano, epist. 60. vbi pro redimendis Christianis captiuis mittit ipse ad Episcopos Numidas ingentem summam cum nominibus eorum, qui contulerunt, additis etiam singulorum summis: quò Numidarum Ecclesiæ, & præsertim e captiuitate barbarica redempti suorum in precibus benefactorum recordarentur.

Hæc de S. Dionysio Corinthiorum Episcopo dicta sint.

Ad gloriam Dei opt. max. & eiusdem S. Dionysij honorem.

VITA
SANCTI PINYTI
CNOSSIORVM EPISCOPI.

PRÆFATIO.

TAmetsi perexigua S. Pinyti, viri alioquin, vt eloquentissimi, sic & sanctissimi, restet memoria; tamen cùm inter secundi sæculi Scriptores ab Eusebio, & eum secutis Scriptoribus sacris numeretur, locúsque illi proximè S. Dionysio Corinthiorum Episcopo tribuatur; nos quoque illi eundem hic reseruauimus. Quæ autem suppetunt paucissima, scriptis eius & Actis vitæ deperditis, hæc sunt:

VITÆ SERIES.

CLaruit S. Pinytus M. Aurelio Antonino Imperatore, sub annum Christi centesimum septuagesimum tertium, administrante summum ecclesiæ Pontificatum Sotere: fuitque magni vir ingenij, & eloquentiæ quidem laude, si quis alius, ea ætate præstans ac celebris. Qui insignibus virtutis ac doctrinæ meritis inter præcipuos Ecclesiæ duces ac magistros assumptus, creditam sibi Cnossiorum ecclesiam (hæc in Cretà insulà fuit multò florentissima) non modò stare eam in maiorum vestigijs, & auitam pietatem retinere, tam verbo, quàm exemplo docuit; sed etiam ad maioris in dies perfectionis incrementa, & excellentioris castimoniæ fastigia, magnâ dicendi vi, (quam vitæ integritas roborabat) incitauit. Hinc opinio fuit, isque rumor passim & longè peruasit, nimis eum graue onus subditis imponere, & extraordinariæ puritatis iugum non necessarium imprudenter inijcere. Ita enim solet callidus ille solidæ virtutis & veræ gloriæ hostis satanas, aduersus magna & præclara facinora inuidiam & obtrectationem subornare. Peruenit ergo is rumor Corinthum, permouerúntque nonnullæ, etiam piorum, querimoniæ, eius vrbis sanctissimum Antistitem Dionysium, vti ad eum commonitoriam super hoc negotio epistolam perscriberet. Nempe cùm in castimoniæ & virginitatis laude plurimus esset beatus Pinytus, multique (vt credibile est) vtriusque sexus, virtutis eius conseruandæ voto se voluntarij obstrinxissent; vrgebat, cogebátque idem diuini honoris æmulator, vt ne violatis, quæ Deo fecissent, votis in

viam

viam latam ac decliuem declinarent. Et quia rumor non solùm in maius, sed etiam in deterius cuncta fere spargit, tollitque; hinc piam iustámque sancti Antistitis curam impulsionémque nonnulli sinisterius interpretantes, Dionysium ipsum, si non vt fidem prorsus accommodaret, saltem vt ne rem tantam negligeret, sed aliquas ea de caussa ad eundem Pinytum litteras exararet, induxerunt. Quas litteras æquissimo quidem, amicissimóque animo (erant enim beneuolentiæ & officij plenæ) Pinyti prudentia sinceritásque excepit; sed tamen ita rescripsit, vt Dionysium vicissim exhortaretur, vti tandem aliquando solidiorem suis escam apponeret, doctrináque perfectiore commissum sibi gregem deinceps pasceret; ne quasi infantes molli illa & delicata institutione, velut lacte, semper educati, ad finem vsque in puerili quadam disciplina sensim taciteque consenescerent. Qua quidem in epistola, (vti rectè admonet ecclesiasticæ scriptor historiæ, sed vtinam ad nos totam transmisisset!) non modò recta Pinyti de fide sententia, & de subiectæ plebis fructu cura & sollicitudo; sed eloquentia quoque & diuinarum rerum intelligentia, velut in viua quadam spirantíque imagine, oculis subijcitur. Atque ex his quidem (nec enim mihi plura Scriptores suppeditant) aliquà saltem tenus colligi potest, quanta in beato Pinyto fuerit tam purioris castimoniæ, quàm aliarum solidarum virtutum excellentia: quippe qui tam studiosus exstiterit populi sui præclarioribus, quàm vt omnes promiscuè caperent, documentis, tanquam validioribus cibis, nutriendi: cùm nemo ferè vir bonus, ad eum perfectionis gradum, quò prior ipse non ascenderit, inferiores suos (ingenua scilicet retinente verecundia) inuitare, nedum vrgere & sollicitare ausus sit. Accedit, quòd tam in nouo, quàm in vetere Romano martyrologio, atque adeo in cunctis ferè sacris tabulis, non Episcopus modò, vti in alijs assolet, sed inter Episcopos nobilissimus appelletur. Nam in vetere quidem illo, (vbi vix aliud ferè quàm nomen, & locus, & laurea denotantur) sic de illo ad decimam Octobris cum haud mediocri laude signatum est:

In Creta, Pinyti inter Episcopos nobilißimi.

Cum eodem elogio eius indicauere Natalem Ado & Vsuardus. Ita & Romanum nouum, sed cum alio insuper additamento. Sic enim habet:

In Creta insula, beati Pinyti inter Episcopos nobilißimi. Hic Cnossiæ vrbis Episcopus sub M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruit: & in scriptis suis, velut in quodam speculo, viuentem sui reliquit imaginem.

Eiusdem Pinyti meminit in historia duobus locis Eusebius, nempe libri quarti capite vicesimo, & vicesimo secundo. Ac in priore quidem (postquam in capitibus superioribus, de Sanctis Iustino Philo-

Philosopho & Theophilo Antiocheno egit) ita memorat:

Florebat illis temporibus in Ecclesia Hegesippus (quem ex priùs dictis nouimus) & Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Pinytus Cretæ Episcopus, Philippus præterea, & Melito, & Musanus, & Modestus, ac denique Irenæus.

Ibi coniunctim leguntur S. Dionysius & S. Pinytus: vti & apud Hieronymum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis: qui post Dionysium ita de Pinyto: *Pinytus Cretensis, Cnossiæ vrbis Episcopus scripsit ad Dionysium Corinthiorum Episcopum valde elegantem epistolam, in qua docet non semper lacte populos nutriendos, ne quasi paruuli ab vltimo occupentur die: sed & solido vesci debere cibo, vt in spiritualem proficiant senectutem. Et hic sub M. Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo floruit.* Ita Hieronymus: qui & in Chronico Eusebiano eosdem coniungit. Nam ad annum M. Antonini vndecimum sic notauit: *Dionysius episcopus Corinthiorum clarus habetur, & Pinytus Cretensis, vir eloquentissimus.*

De S. PINYTO, quod ad vitam eius spectet, nihil plus reperi: nunc paucula dumtaxat circa iam dicta annotabo.

NOTATIONES

a CLARVIT S. PINYTVS &c.] Ætas, A qua claruit S. Pinytus, patet ex Eusebio, lib. 4 hist. cap. 20. & 22. & ex dictis in superiore vita de S. Dionysio Corinthiorum Episcopo, cui fuit æqualis: nempe secundo Christi sæculo, circa annum Domini 173. imperante M. Aurelio Antonino Philosopho.

De varia vocis Pinytus scriptione agit Arnaldus Pontacus ad Eusebij chronicon anno M. Aurelij XI. sed omnes aliæ scri- B ptiones præter eam, quâ hîc vtimur, sunt vitiosæ. Eodem enim modo scribendum hoc nomen, quo græcis appellatiuum πινυτὸς id est, *prudens*. non autem *Pynetus*, non *Pynnitus*, nec his corruptiora. Eiusdem meminit Flauius Lucius Dexter in Chronico suo ad annum Domini 174. & Romæ 925. sub voce *Pynetus Cretensis*, proximè post Dionysium Corinthiorum Episcopum.

b CREDITAM SIBI CNOSSIORVM EC- C CLESIAM] Vrbs, cui Episcopus præfuit Pinytus, vir iuxta nomen suum prudens, & in lege Dei circumspectus, græcè Κνωσὸς, latine Cnossus, non autem, Gnossus per litteram g. multò minùs Ignossus appellatur: & populares, Cnossij; non verò Cnosij, nec Gnossij, nedum Ignossij (vt malè ab Honorio & Tritthemio scribitur) appellãdi sunt. Nam græcum κ. in c. mutatur, non in g. Itaque doctissimi litteratorum per C. scribunt *Cnossus* & *Cnosij*.

Est autem Cnossus, vrbs Cretæ insulæ antiquissima, cuius mẽtio apud Platonem, libro 1. *de legibus*, (vbi inter alios inducitur Clinias Cnossius interlocutor) & apud Ennium in Euhemero, vbi sic de Iouis sepulchro: *Et sepulchrum eius est in Creta, in oppido Cnosso. Et dicitur Vesta hanc vrbem creauisse.* & apud Ciceronem lib. 1. *de legibus*, vbi ad Platonis imitationem scribens, Atticum sic affatur: *Visne igitur, vt ille Creta cum Clinia & cum Lacedæmonio Megillo, æstiuo quemadmodum describit die, in cupressetis Cnossiorum & spatijs siluestribus crebrò insistens, interdum acquiescens, de institutis rerump. ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos in viridi opacáque ripa inambulantes, tum autem residentes, quæramus ijsdem de rebus aliquid vberiùs, quàm forensis vsus desiderat?* CNOSSI VRBIS CRETÆ LAVS.

De Cnosso doctè, vt semper, Strabo lib. X. geographiæ, post medium: (quorum aliqua, ne nimis longus sum, quia multa sunt, dabo tantùm latinè) *Complures quidem*, inquit, *in Creta ciuitates sunt: tres tamen & maxima, & illustrissima, Cnossus, Gortyna, Cydonia. Eximiè verò Cnossum celebrat & Homerus, (qui magnam appellat, & Minois regiã) & eo posteriores. Nam diu admodum primas ferẽs perdurauit: postmodum autem attenuata & multis legitimis spoliata est, dignitate Gortynam & Lyctum translatá: verùm postea antiquum rursus colorẽ & metropoleos auctoritatẽ recuperauit.* Sita

Sita est Cnossus in plano, continens in antiquo circuitu stadia triginta, inter Lyctiam terram & Gortyniam stadia ducenta.&c.

Cnossus olim appellabatur Ceratus ex praterlabentis fluuij nomine. Memoratur autem Minos insignis fuisse legislator, primusque maris tenuisse imperium, & cum trifariam diuisisset insulam, in vnaquaque parte vrbem condidisse, Cnossum quidem è regione Peloponnesi ad septemtrionem.&c.

Ex his nonnulla corrigi possunt in vetere interprete: vt in primis illa: *Eximiè verò Cnossum praconijs extollit Homerus, quam ingentem & Minois regiam vocat, & atate posteriore diutius perdurat primas dignitatis partes reportans.*

Nam & malè intellecta, & malè distincta sunt, cùm pro *atate posteriore*, fuerit dicendum, *atate posteriores*. scilicet *Cnossum celebrant, perinde atque Homerus*. Et ibi finienda erat periodus. Nam quod sequitur est ratio: vt liquet è Græcis, quæ sic habent: Διαφερόντως δὲ τὴν Κνωσσὸν καὶ Ὅμηρος ὑμνεῖ μεγάλην καλῶν, καὶ βασίλειον τοῦ Μίνω, καὶ οἱ ὕστερον. Καὶ δὴ καὶ διετέλευσε μέχρι πολλοῦ φερομένη τὰ πρῶτα, εἶτα ἐταπεινώθη καὶ πολλὰ τῶν νομίμων ἀφῃρέθη. &c. Quæ sensum à me suprà productum referunt. Nihil enim opus repetitione.

c *SED TAMEN ITA RESCRIPSIT* &c.] De hac beati Pinyti ad S. Dionysium rescriptione ita Eusebius lib. 4. historię cap. 23. iuxta exemplar græcum:

Πρὸς ἣν [ἐπιστολὴν] ὁ Πινυτὸς ἀντιγράφων θαυμάζει μὲν καὶ ἀποδέχεται τὸν Διονύσιον, ἀντιπαρακαλεῖ δὲ στερροτέρας ἤδη ποτὲ μεταδιδόναι τροφῆς, τελειοτέροις γράμμασιν εἰσαῦθις τὸν παρ' αὐτῷ λαὸν ὑποτρέψαντα, ὡς μὴ διὰ τέλους τοῖς γαλακτώδεσιν ἐνδιατρίβοντες λόγοις, τῇ νηπιώδει ἀγωγῇ λάθοιεν καταγηράσαντες. *Ad quam* [epistolam] *rescribens Pinytus admiratur quidem & amplectitur Dionysium, sed*

A *tamen vicissim hortatur* &c. vt suprà in vitæ contextu.

d *VTI RECTE ADMONET EVSEBIVS* &c] Verba Eusebij loco iam citato sunt: Δι' ἧς ἐπιστολῆς καὶ ἡ τοῦ Πινυτοῦ περὶ τὴν πίστιν ὀρθοδοξία τε, καὶ φροντὶς τῆς τῶν ὑπηκόων ὠφελείας, τό τε λόγιον καὶ ἡ περὶ τὰ θεῖα σύνεσις, ὡς δι' ἀκριβεστάτης ἀναδείκνυται εἰκόνος. *Quam per epistolam non modo recta Pinyti de fide sententia* &c. vt in vita.

B *HIC CNOSSIÆ VRBIS EPISCOPVS.*] Non est hîc exillimandum nomen vrbis fuisse Cnossia (cùm dixerimus suprà Cnossum vocari) sed adiectiuè hæc enunciari, sicut Romanæ vrbis Episcopus, ab Hieronymo & alijs.

Quòd autem Eusebius lib. 4. cap. 20. sic loquatur:

Πινυτός τε ἄλλος τῶν ἐπὶ Κρήτης Ἐπίσκοπος. *Et alius Pinytus Cretensium Episcopus*, non C vult propterea vnicum illum fuisse in Creta Episcopum, (nam erat & Gortynæ Episcopus eodem tempore in eadem Creta, nempe S. Philippus, de quo proximè dicemus) sed tantùm vult indicare, in qua regione fuerit Episcopus, nempe in Creta.

Sic Hieronymus in Catalogo suprà vocat Cretensem, eo scilicet modo, quo apud Platonem libro primo. *De legibus* Clinias in fronte dialogi vocatur Cretensis, D in decursu autem Cnossius, sub his verbis: Ἤδη οὖν τυγχάνομεν ἐγώ τε, καὶ ὅδε, καὶ Κλεινίας ὁ Κνώσιος οὑτοσὶ ξυμφερόμενοί σοι περὶ τούτου σφόδρα, ὡς δοκοῦμεν. *Iam ergo tibi hac de re & ego, & hic, & Clinias iste Cnossius valde assentimur, vti videmur.*

Nam qui est Cnossius, est & Cretensis, non autem semper exaduerso. De Creta nonnihil ad proximam S. Philippi vitam, qui & ipse est Cretensis fuit, breui pòst dicitur. Ad eam enim vitam, quæ perbreuicula est, iam nunc accedimus.

VITA

VITA
SANCTI PHILIPPI
GORTYNÆ EPISCOPI.

PRÆFATIO.

EOdem prorſus iure locum hîc inter illuſtres viros ſibi vindicat S. Philippus, quo S. Pinytus; nempe quia ſanctus, quia ſcriptor huius æui: quamuis etiam pauciora de illo, quàm de beato Pinyto habeamus in promptu. Quæ autem habemus, ecce illa in medio ad qualemcumque eius memoriam hîc proponimus.

CAPVT PRIMVM.

Vitæ breuis ſeries.

NAtus eſt beatus [a] Philippus ſecundo Chriſti ſæculo, eâdémque prorſus ætate [b] Gortynenſem in Creta inſula eccleſiam gubernauit, quâ Cnoſſiam in eadem Creta S. Pinytus, quâ Corinthiam in Græcia S. Dionyſius, quâ Antiochenam in Syria S. Theophilus. Quo autem ſtudio, diligentia, prudentia rexerit; quàm præclaris eam documentis imbuerit; quâ cura & ſollicitudine ab omni hæreticæ prauitatis infectione defenderit; partim è ſancti Dionyſij Corinthij ad illam eccleſiam epiſtola; partim ex eo, quo aduerſus hæreticos flagraſſe idem Philippus odio cognoſcitur, haud obſcurè conijci poteſt. Laudauit enim S. Dionyſius ea in epiſtola, ſummóque opere commendauit tum ipſam Gortynenſem eccleſiam, vt eximijs ac teſtatis virtutibus notam; tum eius Antiſtitem Philippum, velut illius (quæcumque fuit) gloriæ ac ſplendoris, ſecundùm Deum, auctorem atque conſeruatorem. Nec verò ſatis habuit idem Philippus ſubditis ſuis ad iuſtam nefariarum hæreſeon deteſtationem, aut verbo præire, aut prælucere exemplo; ſed eaſdem quoque ſcriptis libris, velut acutis & inhærentibus telis, inuaſit, perfodítque. Quod dum Epiſcopi, & prælustres in eccleſia viri hodie imitantur, næ illi non modò greges ſuos à pernicioſis luporum tutantur inſidijs; neque eo dumtaxat, quo ſuperſtites ſunt, tempore (quod ſanè perexiguum eſt vitæ huius fluxæ & caducæ) ſuis commodant, proſúntque ſubditis, ſed illis etiam, ad quoſcumque ſuorum monumenta ſcriptorum permanarint,

manarint, adeóque in omne æuum, quo perennare eadem contigerit, opitulantur vniuersis. Et quidem quid in alios hæreticos Philippus designarit; magis è facti coniectura, quàm è librorum memoria æstimandum est: sed aduersus Marcionem, *satanæ*, (vt beatus Polycarpus vocitabat) *primogenitum*, tanquam vnum è præcipuis ad ecclesiam diuexandam diaboli instrumentis, qui dispersos ea tempestate per diuersa terrarum discipulos reliquerat, opus longè accuratissimum sacra teste historia composuit. Denique à Scriptoribus sacris inter eos recensetur, quorum studio atque industria, traditionis Apostolicæ, & sanæ fidei doctrina atque institutio litteris prodita ad nos peruenerit. Iam igitur (quando nihil aliud de illo nobis dicendum modò suppetit) laborum suorum fructu immortali perfruitur, beatissimæ æternitati consecratus, atque inter Sanctos, quorum est in benedictione memoria, olim relatus, & nobis (ni ingrati esse volumus) perinde posthac atque fuit antea, vel voto referendus. Haud enim scio, quo pacto, quóue errore, tanti viri nomen, (quod in vetustissimis fuit, locúmque iure possedit martyrologijs) de nouo Romano, incertum quando, exciderit. Nam in vetere quidem Romano, itémque in Venerabilis Bedæ, & beati Adonis etiamnum perseuerat. Sic enim vetus Romanum ad diem octauam Octobris consignauit: GORTYNÆ, PHILIPPI EPISCOPI. Ac breuissimè quidem martyrologiũ illud ex more: Venerabilis autem Bedæ eadem die his verbis: Apud Cretam, vrbe Gortynæ B. Philippi Episcopi. Adonis porrò cum digna sancti laude & elogio sic notat: *Apud Cretam, vrbe Gortynæ, beati Philippi Episcopi, magnis virtutibus & optimis studijs præditi viri.*

Euseb. l. 4. hist. c. 24.
Idem l. b. 4. c. 20.

CAPVT II.

Scripta eiusdem.

TAmetsi admodum probabile videri possit complures libros, & epistolas item non paucas à beato Philippo compositas, euulgatásque olim fuisse, de quo tamen certam exploratámque fidem habeamus, nihil aliud in præsenti est, quàm eius contra Marcionem opus accuratissimum. De quo ita locuples testis Eusebius, lib. 4. hist. ecclesi. cap. 24. *Philippus quidem sanè, quem ex Dionysij verbis ecclesiæ Gortynensis Episcopum fuisse cognouimus, multò accuratissimum ipse quoque aduersus Marcionem opus elaborauit.* Hieronymus autẽ lib. De Scriptoribus ecclesiasticis eiusdem sic meminit: *Philippus Episcopus Cretensis, hoc est, vrbis Gortynæ (cuius Dionysius in epistola sua meminit, quam scripsit ad eiusdem ciuitatis ecclesiam) præclarum aduersum Marcionem edidit librum, temporibúsque M. Antonini Veri & L. Aurelij Commodi claruit.*

Tritthemius porrò largior quàm Eusebius, & audentior quàm Hieronymus, aliorũ opusculorũ (quorum isti ne verbo meminerunt) tanquam

tanquam certorum, mentionem vnà cum eiusdem B. Philippi laude facit. Nam post quædam ex Hieronymo propè de verbo citata sic progreditur: *vir nobilis & doctus edidit ad vtilitatem credentium, satis, vt ferunt, instructa volumina, quæ ad manus nostras minimè venerunt. Exstat eius contra Marcionem liber vnus. Scripsit etiam quasdam ad diuersos epistolas, variósque tractatus, qui ad nostras manus adhuc minimè venerunt. Claruit anno Domini 170. temporibus M. Antonini Veri Imp.*

Sic ille. Verùm de epistolis & tractatibus, quo ex auditu lectúue acceperit (nec enim ipsius auctoris vidit aut tractauit opera) haud est mihi diuinare. Quin autem eo, quod assignat, tempore claruerit, minimè dubitandum.

NOTATIONES.

a B. *PHILIPPVS*] Multi hoc nomine in sacris visuntur martyrologijs: sed hic temporis antiquitate est quartus. Nam primum locum sibi vindicat S. Philippus Apostolus, calendis Maij vnà cũ S. Iacobo collega celebratus: secundum B. Philippus Diaconus, è septem primis vnus, de quo ad sextam Iunij sic notatur: *Cæsareæ in Palæstina natalis B. Philippi, qui fuit vnus de septem primis Diaconis. Hic signis & prodigijs clarus Samariam ad fidem Christi conuertit, & Candacis Æthiopum reginæ eunuchum baptizauit, ac demum apud Cæsaream requieuit: iuxta quẽ tres virgines eius filiæ prophetissæ tumulatæ iacent. Nam quarta filia eius plena Spiritu Sancto Ephesi quieuit.*

Tertius est S. Philippus martyr, beatæ Felicitatis itidem Martyris filius, de quo ad 23. Nouembris, memoria in Adonis est martyrologio: qui Publio Vrbis Præfecto se ad dijs immolandum impellenti respondit: *Isti de quibus dicis, nec Dij sunt, nec omnipotentes; sed sunt simulacra vana, & misera, & insensibilia: & qui eis sacrificare voluerit, in æternum peribit.*

Quartus est noster, de quo hîc agimus. Quem & alij plures secuti sunt, de quibus martyrologia meminere, & Menæa. Quibus insigne additamentum paucis antè annis accessit S. Philippus Nerius à Gregorio XV. inter Sanctos relatus. Lusit olim in huius laudem nominis Philippus Beroaldus, & quoscunque ista appellatione nancisci potuit insignes viros, in suæ laudationis partem innexuit. Vide illam, si quid tibi ad hoc otij, aut studij.

b *GORTINENSEM IN CRETA* &c.] De Gortina vrbe Cretę iam ex parte in vita superiore diximus, cùm de Cnosso ageremus: nempe ex maximis esse illius insulæ vrbibus. *Creta* porrò insula, quæ nunc vulgò *Candia* appellatur, in mari est mediterraneo, credita olim centum in suo ambitu vrbes cõtinere. Hinc Virgilius 3. Æneidos:

Creta Iouis magni medio iacet insula ponto:
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ:
Centũ vrbes habitant magnas, vberrima regna.

Quod ex Homero elicuit, qui eam insulam ἑκατόμπολιν nominauit. De qua vidédus Strabo l. X. qui optimè de illa scripsit in ea natus. & Plinius lib. 4. cap. 12. & Solinus cap. 17. & Stephanus Byzantinus lib. de vrbibus. Verba Solini breuiter situm eius insulæ exponentis sunt hæc:

Inter ortum porrigitur & occasum tractu longissimo, hinc Græciâ, illinc Cyrenis obiacentibus: à septemtrione Ægæis, & suis, id est, Creticis æstibus verberatur: ab austro Libycis vndis perfunditur & Ægyptijs: non stipata centum vrbibus, sicut perhibent qui prodigè lingua largiti sunt: sed magnis & ambitiosis oppidis: quorum principatus est penes Gortynam, Cydonem, Cnosson, Therapnas, Dium, Lyctum.

Accepit autem Creta fidem Christianam à primis euangelicæ prædicationis tẽporibus, adeóque ab ipsis Apostolis: vti ex Paulli ad Titum epistola, cap. 1. colligitur, vbi eum sic affatur: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

Hinc in martyrologio ad quartam Ianuarij dicitur ab Apostolo Paullo Cretensium Episcopus ordinatus.

Multiplicati sunt exinde per ciuitates episcopatus, quorum antiquissimi fuere Cnossius & Gortynensis, vt è scriptis modò duorum Antistitum vitis liquet. Notat porrò in sua geographia ecclesiastica Aubertus Miræus, tempore Leonis Imp. Metropolitano Cretensi subiectos fuisse XI. episcopatus.

VITA
S. CLAVDII APOLLINARIS
HIERAPOLEOS IN PHRYGIA EPISCOPI.

PRÆFATIO.

INTER eos, quibus à varia & multiformi scriptione præcipua laus & honos accessit, haud infimus sanè B. Apollinari locus debetur. Quippe qui præter tractatus ad pietatem & ecclesiæ disciplinam spectantes, in quo scribendi genere plures versati sunt; illas quoque difficiliores aggressus est compositiones, quibus pro Dei honore aduersus fidei perduelles, seu Iudæos, seu Gentiles, seu hæreticos bellum suscipitur. Quin & tertium, eúmque vt difficillimum, sic & gloriosissimum laborem vltro amplexus est, quo totam religionis caussam oblato Imperatori libro disceptaret. Quem librum (ab Hieronymo insigne pro fide Christianorum volumen est appellatum) si vnà cum alijs eiusdem operibus superstitem haberemus, pleniorem ipsius vitam, (quam nunc ijs deficientibus admodum breuem dare cogimur) in lucem ederemus. Ita non quod volumus, sed quod possumus, ad tanti viri honorem, Deo adiuuante, præstabimus.

CAPVT PRIMVM.

S. Apollinaris ætas, patria, studia, pontificatus, & primi in eo labores.

NATVS est [a] Claudius [b] Apollinaris [c] Hierapoli vrbe Phrygiæ, [d] secundo à Christi ortu sæculo, idque sub prima Hadriani Imp. tempora: sed quibus parentibus, quáue è progenie, Gentilíne, an Christiana, hodiéque est incognitum. Ingenij porrò claritudinem, quo eximiè pollebat, haud passus est ignobili otio inertiúe situ obsolescere. Nam illud [e] primò quidem ingenuis artibus, externísque scientijs egregiè excoluit: tum verò ad altiora diuinioráque sacræ Theologiæ studia cum insigni fructu transtulit. Vnde præclaram vtrarumque litterarum notitiam assecutus, ad gerenda Domini bella, velut ambidexter, magno ecclesiæ bono prosilijt, necessarius suis, formidabilis alienis. Quum enim ad eas litteras virtus quoque & studium ardens religionis, digna homine Christiano ornamenta, cumulatim accessissent;

NASCITVR APOLLINARIS IMPERANTE HADRIANO.

ac iam inter minora lumina fax eius ardentior, velut principali radio emicaret; viſum eſt ſanctis illius æui Epiſcopis in altiori eum gradu ad lumen ſanæ doctrinæ longiùs latiúſque diſpergendum collocare.

CREATVR EPISCOPVS.

Illum proinde Hierapoleos, vrbis ſuæ natalis Antiſtitem populi voto & felicibus eccleſiæ auſpicijs conſecrarunt. Quam vrbem primùm quidem [f] S. Philippi Apoſtoli ſanguine fundatam, deinde [g] ſanctiſſimorum Epiſcoporum Papiæ atque Abercij euangelicis riuulis irrigatam, magnopere ſtuduit non modò in auita fide & antiquis moribus retinere; ſed nouorum quoque tironum numero exaugere, & inſigni virtutum ſolidarum incremento cumulare.

LABORES PONTIFICII.

Quam in rem pręter efficaces viuæ vocis cohortationes, & his validiora ſuorum bene factorum exempla; ſcribendorum inſuper librorum laborem multò fructuoſiſſimum ſuſcepit; ratus ſcilicet horum emolumenta & diutius perennare, & ad lõgè plures, quàm alia omnia emanare. Quippe cùm non ad eos tantùm, qui pręſentem ſpectent, vel audiant; nec ad illos ſolùm, qui nunc ſint ac viuant; ſed ad procul etiam remotos, atque ad eos item qui multò pòſt futuri ſint, ea quæ bene vtilitérque ſcripta ſint, magno compendio tranſmigrent. Pro ſuis igitur ad pietatem, quæ ad omnia vtilis eſt, identidem incitandis, aliiſque eàdem operâ, ſeu propè ſeu longè abeſſent, erudiendis librum *De pietate* exarauit.

VERITAS NVNQVAM VIOLANDA.

Cui & alios duos *De veritate* ſubmiſit: fortè vt edoceret falſam eſſe Gentilium, atque nonnullorum itidem hęreticorum perſuaſionem; quorum iſti quidem, cùm vſus poſtularet, [h] mendacio vtendum eſſe dicebant, vt helleboro: hi verò aut nihil, aut parum penſi ducebant, [i] fidem ſuam in tempore perſecutionis, externo quopiam, ſeu ſono, ſeu ſigno, prodere & violare. Quod ne facerent, qui veri ac germani audire volebant Chriſtiani, mortes ſępe immaniſſimas quamuis ingentibus vitę fortunarúmque commodis prętulerunt. Si enim ſacroſancta veritas vllo vnquam tempore ſigillo mortis obſignanda eſt; ecquandónam potiùs, quàm in hoc aſſeuerandæ fidei negotio? A qua fide ſeu ſteteris, ſeu excideris, non in mercede pœnáue temporali res ſita eſt; ſed in alterutra vel præmij æternitate, vel ſupplicij. Pro deducendis porrò veram ad religionem Gentilibus, próque ſuorum vanitate idolorum ipſis demonſtranda, quinque alia perſcripſit volumina, in quibus quidem quanta in ſe ineſſet non ſacrarum modò, ſed etiam profanarum rerum cognitio, velut certis lineamentis commonſtrauit. Quin & Paulli Doctoris gentium exemplo, cunctis ſe reputans debitorem Iudęis ęquè & Gręcis, binos quoque in iſtorum gratiam libros compoſuit. Adeo ſe in omnem partem verſabat ac dilatabat verus ille, ardénſque in iſta anima ſpiritus caritatis.

M. AVRELII ANTONINI PERSECVTIO.

Cui & nouam ſubinde materiem illorum ſubiecit temporum calamitas, quibus imperante M. Aurelio Antonino acerbæ in Chriſtianos perſecutionis procella detonuit. Nam ab anno circiter imperij ipſius ſeptimo

mo exorta, ad quartum vsque decimum (si non & vltra) perseuerauit: ac duabus quidem potissimè in regionibus, nempe in Asia, vbi beatus Polycarpus martyrij laurea donatus est; & in Gallijs, vbi pro Christo innumeri occubuêre, vehementiùs deflagrauit. Quare qui multùm ea tempestate eloquentia pręollebat Apollinaris, is (vt ecclesiæ decebat ducem) palam in campum exijt, & pro Christiani nominis defensione calamum strinxit. Nam pro auertendis ab innocentium Christianorum turba diris infestationibus, & repellendis à nostræ religionis puritate ac sinceritate iniquis maleuolorum calumnijs scriptam orationem Imperatori obtulit. [k] Quod & beatus Melito, Sardianus in Asia Episcopus, & alij complures eàdem in calamitate sedulò, fortitérque pręstiterunt. Nec enim viris tali loco & sanctimonia claris, Imperatorum gratia aut promissa, præ amore & cura ecclesiarum erant: nec periculorum metus aut minæ tyrannorum, ante bonorum Pastorum vigilantiam & officium stabat.

CAPVT SECVNDVM.

S. Apollinaris pugna aduersus hæreses.

[a] ACcessit verò hisce ijsdem M. Antonini temporibus, hoc est, anno eius imperij circiter vndecimo, Christi autem nati centesimo, septuagesimo tertio, Soteris Papæ quarto, aliud ecclesiæ vulnus, idque multò perniciosissimum: nempe noua hæresis, eáque admodum fallax & insidiosa, Montano auctore, in partibus Phrygiæ (à qua & nomen inditum, vt hæresis κατὰ Φρύγας, seu *secundùm Phrygas* diceretur) quæ ignota primùm, & robustioris speciè virtutis adamata, multos pellexit, tenuítque, & admiratores sui, & defensores. Magnæ enim ad eam illecebræ feruidioribus quibusque Christianis erant, quòd eius auctores, cultorésque vltra totius Christianæ legis exactam professionem, & parem cum cœtu Catholicorum in sacris Scripturis consensum atque vnanimitatem, illud quoque altiùs impressum animis habere viderētur, quod à Christo pręedicatum inculcatúmque fuerat: *Intrate per angustam portam. Quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam!* Nam velut ecclesiasticam professi seueritatem, & arctâ incedere semitâ diuinitus persuasi, ceteris erant & austeriores in ieiunijs, & in coniugij legibus strictiores, & in miraculis ac prophetijs, tanquam veræ fidei notis, admittendis laudandísque, si non superiores nobis, certè nihilo inferiores. Ter enim quotannis quadragenarij rigorem ieiunij obseruabant: post vnum matrimonij fœdus, alterum nesciebant: à coniugis morte viduitatem, vt fideliorem sponsam, strictè amplectebantur: prophetiæ dona etiam tum perseuerare in ecclesia non docebant tantùm, sed &

MONTANISTARVM IN PRIMIS INITIIS VITÆ RIGOR ET SANCTITAS.

Matt. 7. v. 13.

IEIVNIORVM FREQVENTIA.

re ipsa præstabant: aut certè (si quando secus) præstare imprudentioribus videbantur: de martyrum quoque ampliori è suis numero, in ea quæ tum erat persecutionis probatione, gloriabantur. Vnde annis labentibus tandem inualuit, vt idem Montanus à sectatoribus suis paracletus: vt nobiles duæ feminæ ei propiùs adhærentes, Priscilla

TERTVLLIANI AD MONTANVM DEFECTIO.

scilicet, & Maximilla, prophetides appellarentur. Ita res eò sensim euasit, vt non vulgarium modò greges, sed viri etiam magni, [b] atque in his ipse Tertullianus ([c] quantus vir, Deus bone, & quanto fidei ardore præditus!) hæreticorum ipsius quondam hostis & persecutor acerrimus, illis se adiungeret. Vt enim rigidus erat omnium, quæ ad veram Christi perfectámque militiam spectare opinabatur, obseruator; ratus hæc eadem à Montano, quàm à nobis prædicari & obseruari sanctiùs atque accuratiùs; in partes eius, neglectâ quam toties defenderat ecclesiæ obseruantiâ, demigrauit. Istæ igitur erant veluti

MONTANISTARVM IN SVPERBIAM DEVIANTIVM ERRORES.

spirituales, miniméque carnem sapientes illecebræ: venenum autem quod? nempe quòd ex inanis affectatione gloriæ, & tumore superbiæ elati præcellere alijs hac induti maioris perfectionis persona se volebant: quòd plus aliquanto à suis sectatoribus, quàm lex aut consuetudo ecclesiæ flagitaret, ac priuata quidem auctoritate, exigebant: quòd intra suorum regulas atque instituta Episcoporum contineri dedignabantur: quòd prophetiæ donum, tanquam sibi singulariter impertitum, iactitabant: quòd nescio quas Phrygiæ ignobiles ciuita-

EORVNDEM ECCLESIA HIERVSALEM VOCITATA.

tes, Pepuzam ac Tymium, (vbi primam suorum zizaniorum sementem fecerant) omnium illò pelliciendorum gratiâ, Hierusalem vocitabant: quòd secundas, (quanto magis tertias, quartásue?) nuptias reprobabant: quòd tres in anno quadragesimas, tanquam ex lege, inducebant. Nam si in duobus quidem postremis consilium ab illis dumtaxat datum, non pręceptum fuisset impositum; videri potuisset, non tam nouæ & insolentis introductio consuetudinis; quàm laudata & licita perfectioris, tam abstinentiæ, quàm castimoniæ commendatio: cùm ij etiamnum, qui motu pietatis ea obseruant, de singulari nota probitatis prędicentur. Sunt & alia complura, quæ his vulgò attribuantur; sed quæ magis in sectatores eius hęreseos, quàm in primos auctores quadrent. Primæ igitur erroris huius scaturigini primus aut inter primos obstruxit sanctus hic Apollinaris: quippe in eadem Phrygia, & eodem tempore habitans, & quàm vicinus loco, tam studijs à Montano alienus. Cui proinde pręcipuam aduersus eum, eiúsque errores laudem attribuit historia ecclesiastica, quæ complures quidem contra dictam hęresim insurrexisse viros doctos nar-

Euseb. l. 5 c. 15.

rat, sed Apollinarem Hierapoleos Episcopum, principem nominat, ac tanquam firmum & inexpugnabile munimentum contrà stetisse commemorat. Effecit nimirum vir ille sanctus, vt quamuis ortum ea hęresis in Phrygia habuerit, nullibi tamen ferè, quàm in

Phrygia

Phrygia minùs radices egerit. Nam in primis eius initijs, consilio cum vicinis Antistitibus habito, nouitiam hanc sectam cùm examinasset accuratiùs, deprehensos tandem errores ad maturam ecclesiæ cautelam euulgauit, proscripsitque. Tametsi haud facile fuit quàm plurimis, præsertim externorum, ob præconceptam de eorum virtute, qui nunc infamabantur, opinionem, (vti & in vita Irenæi attigimus) talia de illis, qualia spargebantur, credere. Persuasit tamen tempus, veritatis parens; & ab ecclesiæ seclusum communione iustis sanctorum suffragijs ostendit. Nam Apollinaris totius Phrygiæ facilè tum princeps, litteras super Montani excommunicatione quoquoversum, ex instituto moréque maiorum, dimisit. Ex quo euenit, vt ab vniuersis, quæ sub cælo sunt, ecclesijs ea doctrina, vt adulterina, cognita sit & reiecta, auctorúmque eius congressus societásque deuitata. Quarum beati Apollinaris circularium epistolarum & beatus Serapion Antiochiæ, post Maximinum, Episcopus, (cuius verba, cùm de eo seorsum agetur, Deo dante referemus) honorificè commeminit. Non destitit tamen idem Montanus, tametsi ab Episcopis commonitus, tametsi à pio & fideli grege Christi resectus ac reiectus, tametsi per omnes synodos, vt talis declaratus & cognitus, non destitit, inquam, varias peragrando orbis plagas suam, vbicumque pedem poneret, hæresim disseminare, & ijs, quascumque adiret, prouincijs velut Ægyptiacam plagam importare. Apollinaris igitur vt intellexit hanc pestem, postquam è Phrygia decessisset, grassari in dies longiùs, & exitiali contagio sanas ecclesiæ partes, non tantùm in Asia, Pontóue, sed in Africa quoque ipsa inficere; tum verò, seu sua sponte, seu aliorum rogatu, totam ingenij aciem ad eam scriptis confodiendam intendit, aliísque ad idem præstandum, & gliscenti medendum malo auctor fuit. Itaque & Miltiades ecclesiæ sophista (sic enim illum non ex vitio, sed ex laude Tertullianus appellabat) & Apollonius, & Serapion, & alij, (quorum exstant nonnulla in sacris historijs fragmenta) stilum suum contra eandem hydram exacuerunt. Fuit denique beatus Apollinaris, egregius fidei nostræ athleta, qui ad mortem vsque tam in specula ecclesiæ peruigil, quàm in acie strennuus, semper in exercitio virtutum, semper in exemplis bene factorum stetit. Cuius proinde, tanquam lucidissimæ stellæ, benignum splendorem memoribus intuita oculis Ecclesia, æternum illi in tabulis ecclesiasticis nomen & beatum inter Sanctos statuit monumentum. Quod succinctè quidem, sed gemina cum laude, eruditionis & sanctimoniæ, ita Romanum martyrologium ad octauam Ianuarij consignauit: *Hierapoli in Asia, S. Apollinaris Episcopi, qui sub M. Antonino Vero sanctitate atque doctrina floruit.*

Concilium Hierapolitanum.

CAPVT TERTIVM.

Scripta S. Apollinaris.

DE libris S. Apollinaris Auctores ſcripſere complures, ſed ex antiquioribus tres potiſſimè, Euſebius, Hieronymus, Photius (vnde & alij ſua deſumpſere) verùm Euſebius quidem ſatis habuit libros recenſere, Hieronymus autem Euſebium interpretari, Photius verò rectam de illis cenſuram (legit enim & expendit) more ſuo ſtatuit adijcere. Nullus tamen horum, quantum ex ipſo Euſebio colligitur, vniuerſa eius ſcripta nec legit, nec vidit. Singulorum verba hoc loco (nam ſinguli aliquid notandum offerunt) producere non grauabor.

Verba Euſebij lib. 4. hiſtoriæ eccleſ. cap. 26.

E multis Apollinaris ſcriptis quæ apud multos ſeruantur, hæc ad nos peruenerunt.	Τοῦ δὲ Ἀπολιναρίου πολλῶν παρὰ πολλοῖς σωζομένων τὰ εἰς ἡμᾶς ἐλθόντα ἐστὶ τάδε.
Liber ad prædictum Imperatorem.	Λόγος ὁ πρὸς τὸν προειρημένον βασιλέα.
Et aduerſus Gentiles volumina quinque.	Καὶ πρὸς Ἕλληνας συγγράμματα πέντε.
Et de veritate liber vnus & alter.	Καὶ περὶ ἀληθείας πρῶτον καὶ δεύτερον.
Et contra Iudæos libri duo.	Καὶ πρὸς Ἰουδαίους πρῶτον καὶ δεύτερον.
Et quæ poſt hæc conſcripſit aduerſus hæreſim Phrygum, quæ haud multo pòſt tempore res nouas molita eſt, tum autem quaſi cœpta eſt enaſci, Montano vnà cum ſuis falſis prophetiſſis initia ſeceſſionis faciente.	Καὶ ἃ μετὰ ταῦτα συνέγραψε κατὰ τῆς Φρυγῶν αἱρέσεως μετ' οὐ πολὺν καινοτομηθείσης χρόνον· τότε γε μὴν ὥσπερ ἐκφύειν ἀρχομένης ἔτι τοῦ Μοντάνου ἅμα ταῖς αὐτοῦ ψευδοπροφήτισιν ἀρχὰς τῆς παρεκτροπῆς ποιουμένου.
Ac de illo hęc dicenda nobis viſa ſunt.	Τοσαῦτα καὶ περὶ τοῦδε λεκτέον.

Ita Euſebius, innuens plura ab Apollinare compoſita quàm in eius manus venerint.

Verba Hieronymi in Catalogo Scriptorum eccl. cap. 26.

Apollinaris, Aſiæ Hierapolitanus Epiſcopus ſub Imperatore M. Antonino Vero floruit: cui & inſigne volumen pro fide Chriſtianorum dedit. Exſtant eius & alij quinque aduerſum Gentes libri. Et de veritate duo. Et aduerſum Cataphrygas tunc primum exortos cum Priſcilla & Maximilla inſanis vatibus incipiente Montano.

Præ-

Pręterijt ergo Hieronymus duos S. Apollinaris libros, vt patet è catalogo Eusebij, nempe quos scripsit *Contra Iudæos*.

Sic riui semper deteriores fontibus. Nam & Honorius Augustodunensis eum secutus eosdem pręterijt, & longè plus peccauit. Nam pro duobus *De veritate* posuit tres: & vbi nec Eusebius, nec Hieronymus numerum librorum contra Phrygas seu Cataphrygas determinarunt, duos posuit: cùm plures fortassis fuerint, aut certè vnicus esse potuerit. Itaque duos sine auctore vllo ponere, est confidentissimè diuinare.

Omnia porrò errata Honorij amplexus est Tritthemius in libro de Scriptoribus: atque hoc insuper de suo adiecit, quòd dixerit B. Apollinarem in suis opusculis se virum non tam eruditum, quàm zelosum ostendisse. Quod gratis & temere ab eius ignaro scriptorum est dictum, atque, (si Photij hominis hoc in genere exactissimi censura spectetur) etiam falsò. Ecce enim eius de illo testimonium.

Verba Photij in bibliotheca sua, cod. XIIII.

Ἀνεγνώσθη Ἀπολιναρίου πρὸς Ἕλληνας· καὶ περὶ Εὐσεβείας· καὶ περὶ ἀληθείας.	Legi scripta Apollinaris aduersus Gentiles. Et de pietate: & de veritate.
Ἔστι δὲ Ἱεραπολίτης ὁ συγγραφεὺς, τῆς ἐν Ἀσίᾳ Ἱεραπόλεως γεγονὼς Ἐπίσκοπος.	Est autem hic Scriptor Hierapolitanus, creatus Hierapoleos in Asia Episcopus.
Ἤκμασε δὲ ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου Βήρου βασιλέως Ῥωμαίων.	Floruit verò sub M. Antonino Vero Imperatore Romanorum.
Ἀξιόλογος δὲ ὁ ἀνὴρ καὶ φράσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος.	Est porrò hic vir doctrinâ pręstans, & stilo pręstanti vsus.
Λέγεται δὲ αὐτοῦ καὶ ἕτερα συγγράμματα ἀξιομνημόνευτα εἶναι· οἷς οὔπω ἡμεῖς ἐνετύχομεν.	Dicuntur & alia eius scripta memoratu digna exstare, quorum nobis necdum fuit copia.

Hactenus verba Photij, hominis litteratissimi & in ferenda de libris censura propè incomparabilis: vbi tres tantùm diuersos tractatus se legisse profitetur: nempe Scripta aduersus Gentiles. Et de pietate. Et de veritate. Nam eius loquendi modus innuit hos duos posteriores tractatus esse diuersos. Quare adiungendum esset opus *De pietate* libris ab Eusebio recensitis. Nec enim illius meminit. Verùm nec is se omnia legisse, vt suprà dixi, satis indicat. Pauciora verò Photius: cùm nec aduersus Iudęos, nec aduersus Phrygas, nec apologiam ad Imperatorem legerit.

Nunc quędam contra hęresim Cataphrygum fragmenta à quibusdam attributa Apollinari proferenda sunt.

Scri-

Scriptorum S. Apollinaris quædam fragmenta ex probabili quorundam opinione.

Reſeruauit quędam eorum, qui aduerſus Cataphrygas ſcripſerunt, fragmenta (integri enim libri reſtant nulli) Euſebius Cæſarienſis, lib. 5. hiſtoriæ, cap. 15. & ſequentibus: quorum prima adſcribunt Ruffinus Presbyter, Nicephorus Calliſtus, aliíque, S. Apollinari, quamuis non expreſsè ac dilucidè ea illi adſcribat Euſebius. Qua de cauſſa tam ipſius verba Euſebij, quàm ea quæ feruntur Apollinaris, diſtinctè hîc edere conſtitui, cùm & ad eius hęreſeos intelligentiam non parum faciant. Ita ergo Euſebius cap. 15.

Contra hæreſim igitur *ſecundùm Phrygas* dictam, Apollinarem Hierapoleos Epiſcopum (cuius & antè noſtra mentionem fecit oratio) firmum & inexpugnabile præſidium, & cum illo vnà plures alios eius ætatis diſertos viros ſuſcitauit vis veritatis propugnatrix, è quorum libris & plurima nobis ad hanc hiſtoriam materies deſumpta eſt.

Πρὸς μὲν οὖν τὴν λεγομένην κατὰ Φρύγας αἵρεσιν ὅπλον ἰσχυρὸν καὶ ἀκαταγώνιστον ἐπὶ τῆς Ἱεραπόλεως τὸν Ἀπολινάριον, οὗ καὶ πρόσθεν μνήμην ὁ λόγος πεποίητο, ἄλλους τε σὺν αὐτῷ πλείους τῶν τηνικάδε λογίων ἀνδρῶν ἡ τῆς ἀληθείας ὑπέρμαχος ἀνέστη δύναμις· ἐξ ὧν καὶ ἡμῖν ἱστορίας πλείστη τις ὑπόθεσις καταλέλειπται.

Quidam igitur ex ijs, quos diximus, ſuum contra illos opus exordiens oſtendit primò ſe aduerſus ipſos redargutionibus non ſcriptis decertaſſe. Hoc itaque modo exorditur:

Ἀρχόμενος γοῦν τῆς κατ' αὐτῶν γραφῆς τῶν εἰρημένων δή τις πρῶτον ἐπισημαίνεται ὡς καὶ ἀγράφοις κατ' αὐτῶν ἐπεξέλθοι ἐλέγχοις. προοιμιάζεται γοῦν τοῦτον τὸν τρόπον·

Verba S. Apollinaris, ἢ μᾶλλον ἀνωνύμου. aut potiùs anonymi.

Ex plurimo quidem, longiſſimóque tempore, dilecte Aberci Marcelle, ad aliquid conſcribendum contra hæreſim eorum, qui *ſecundùm Phrygas* dicuntur, incitatus ſum: hactenus tamen ab eo me inſtituto cohibui, non quòd dubitarem, poſſémne & coarguere mendacium, & veritati teſtimonium perhibere; ſed quòd timerem ac vererer, ne quoquo modo viderer verbis noui teſtamenti euangelicis aliquid ad-

Ἐκ πλείστου ὅσου καὶ ἱκανοτάτου χρόνου ἀγαπητὲ Ἀβέρκιε Μάρκελλε ἐπιταχθεὶς ὑπὸ σοῦ συγγράψαι τινὰ λόγον εἰς τὴν τῶν κατὰ Φρύγας λεγομένων αἵρεσιν, ἐφεκτικώτερόν πως μέχρι νῦν διεκείμην, οὐκ ἀπορίᾳ τοῦ δύνασθαι ἐλέγχειν μὲν τὸ ψεῦδος, μαρτυρεῖν δὲ τῇ ἀληθείᾳ· δεδιὼς δὲ καὶ ἐξευλαβούμενος, μή πῃ δόξω τισὶν ἐπισυγγράφειν, ἢ ἐπιδιατάσσεσθαι τῷ τῆς τοῦ εὐαγγελίου καινῆς διαθήκης λόγῳ, ᾧ μήτε προσθεῖναι, μήτ' ἀφελεῖν δυνατὸν τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέ-

λιον

λιον αὐτὸ πολιτεύεσθαι προῃρημένῳ· προσφάτως δὲ γενόμενος ἐν Ἀγκύρᾳ τῆς Γαλατίας, καὶ καταλαβὼν τὴν κατὰ Πόντον ἐκκλησίαν ὑπὸ τῆς νέας ταύτης οὐχ ὥς αὐτοί φασι προφητείας, πολὺ δὲ μᾶλλον, ὡς δειχθήσεται, ψευδοπροφητείας, διατεθρυλλημένην, καθ' ὅσον δυνατὸν τοῦ κυρίου παρέχοντος, περὶ αὐτῶν τε τούτων καὶ τῶν προτεινομένων ὑπ' αὐτῶν, ἑκάστοτε διελέχθημεν ἡμέραις πλείοσιν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς τὴν μὲν ἐκκλησίαν ἀγαλλιαθῆναι, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐπιρρωσθῆναι· τοὺς δὲ ἐξ ἐναντίας πρὸς τὸ παρὸν ἀποκρουσθῆναι καὶ τοὺς ἀντιθέτους λυπηθῆναι.

ſcribere, aut inſuper ordinare: quibus nec addere, nec adimere quicquam is poteſt, qui ad ipſius euangelij normam propoſuerit vitam ſuam conformare. Verùm cùm nuper eſſem Ancyræ vrbe Galatię, atque intellexiſſem Ponti eccleſiam à nouitia iſta, non vt iſti dicunt, prophetia; ſed potiùs, (vt demonſtrabitur) pſeudoprophetia exagitatam eſſe; quantum quidem Deo opitulante potui, & de illis ipſis, & ſuper iјs, quæ ab iјſdem proponebantur, aſſiduè per dies complures in eccleſia diſceptaui: adeo vt eadem eccleſia & gaudio exhilarata, & ad veritatem fuerit corroborata: exaduerſo autem ſtantes, & in prǽſens repulſi, & ceteri aduerſarij dolore affecti.

Ἀξιούντων οὖν τῶν κατὰ τόπον πρεσβυτέρων, ὅπως τῶν λεχθέντων κατὰ τῶν ἀντιδιατιθεμένων τῷ τῆς ἀληθείας λόγῳ ὑπόμνημά τι καταλίπωμεν, παρόντος καὶ τοῦ συμπρεσβυτέρου ἡμῶν Ζωτικοῦ τοῦ Ὀτρηνοῦ, τοῦτο μὲν οὐκ ἐπράξαμεν· ἐπηγγειλάμεθα δὲ ἐνθάδε γράψαντες τοῦ κυρίου διδόντος διὰ σπουδῆς πέμπειν αὐτοῖς.

Poſtulantibus igitur eius loci Presbyteris, vt eorum quę contrà aduerſantes doctrinę veritatis dicta erant, commentarium aliquod relinqueremus, præſente etiam tum Zotico Otreno conſacerdote noſtro; id quidem ibi nō prǽſtitimus, ſed promiſimus quæ hîc Domino dante ſcripſiſſemus, ea diligenter ipſis miſſuros.

Poſt illa Apollinaris ſic ſubdit de eodem Euſebius: ταῦτα καὶ ἑξῆς τούτοις ἕτερα κατ' ἀρχὰς εἰπὼν τοῦ λόγου, τὸν αἴτιον τῆς δηλουμένης αἱρέσεως προϊὼν τοῦτον ἀνιστορεῖ τὸν τρόπον. *Hæc & alia deinceps in ſermonis præfatus exordio, auctorem indicatæ hæreſeos ſic in progreſſu manifeſtat.*

Verba S. Apollinaris:

Ἡ τοίνυν ἔνστασις αὐτῶν καὶ ἡ πρόσφατος τοῦ ἀποσχίσματος αἵρεσις πρὸς τὴν ἐκκλησίαν τὴν αἰτίαν ἔσχε τοιαύτην·

Iſtorum igitur inſtitutum, & noua, qua ſe ab eccleſia diſciderunt, hęreſis cauſſam habuit eiuſmodi:

Κώμη τις εἶναι λέγεται ἐν τῇ κατὰ τὴν Φρυγίαν Μυσίᾳ καλουμένη Ἀρδαβὰν τοὔνομα.

Pagus quidam eſſe dicitur in Myſia iuxta Phrygiam, Ardaban appellatus.

Ibi

Ibi ferunt quendam, qui nuper ad fidem venerat, Montanum nomine, Grato Asiæ Proconsule, immensa quadam primatus cupiditate incensum cùm dæmoni ad se accessum præbuisset, spiritu maligno correptum fuisse, ac derepente instar fanatici ac mente moti furere cœpisse, & loqui noua quædam & insolentia, præter ecclesiæ consuetudinem traditione & successione antiquitus firmatam, prophetando.

Ἔνθα φασί τινα τῶν νεοπίστων πρώτως, Μοντανὸν τοὔνομα, κατὰ Γρᾶτον Ἀσίας ἀνθύπατον, ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας, δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ πνευματοφορηθῆναί τε καὶ αἰφνιδίως ἐν κατοχῇ τινι καὶ παρεκστάσει γενόμενον ἐνθουσιᾶν, ἄρξασθαί τε λαλεῖν καὶ ξενοφωνεῖν παρὰ τὸ κατὰ παράδοσιν καὶ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος δῆθεν προφητεύοντα.

Eorum porrò nonnulli, qui id temporis adulterinas istas voces audiebant, illi tanquam à dęmonibus obsesso & insanienti atque erroris spiritu agitato, & turbas cienti stomachantes increpabant eum & loqui prohibebant, memores præcepti & interminationis Domini super studiosè ac vigilanter cauendo falsorum prophetarum aduentu: alij autem tanquam spiritu sancto & gratia prophetica elati, nec mediocriter inde gloriantes, pręceptique Domini immemores pernicioso & assentatorio & populi seductori adeo indulgebant spiritui; vt demulsi & decepti ad vaticinãdum eum prouocarent, neque imponi illi silentium permitterent. Arte igitur quadam, seu potiùs certis maleficij præstigijs cùm perniciẽ immorigeris machinatus esset diabolus, ac pręter meritum ab ijs cultus esset; exsuscitauit accenditque consopitam eorum mentem & à fidei veritate deuiam, vti duas quasdam mulieres meretrices eodem sceleris impellerent, & adulterino spiritu implerent: ita

Τῶν δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ ἐν τῇ τῶν νόθων ἐκφωνημάτων ἀκροάσει γενομένων, οἱ μὲν ὡς ἐπὶ ἐνεργουμένῳ καὶ δαιμονῶντι καὶ ἐν πλάνης πνεύματι ὑπάρχοντι, καὶ τοὺς ὄχλους ταράττοντι ἀχθόμενοι, ἐπετίμων καὶ λαλεῖν ἐκώλυον μεμνημένοι τῆς τοῦ κυρίου διαστολῆς τε καὶ ἀπειλῆς, πρὸς τὸ φυλάττεσθαι τὴν τῶν ψευδοπροφητῶν ἐγρηγορότως παρουσίαν· οἱ δὲ ὡς ἁγίῳ πνεύματι καὶ προφητικῷ χαρίσματι ἐπαιρόμενοι καὶ οὐχ ἥκιστα χαυνούμενοι, καὶ τῆς διαστολῆς τοῦ κυρίου ἐπιλανθανόμενοι τὸ βλαψίφρον καὶ ὑποκοριστικὸν καὶ λαοπλάνον πνεῦμα, προὐκαλοῦντο θελγόμενοι καὶ πλανώμενοι ὑπ᾽ αὐτοῦ, εἰς τὸ μηκέτι κωλύεσθαι σιωπᾶν· τέχνῃ δέ τινι, μᾶλλον δὲ τοιαύτῃ μεθόδῳ κακοτεχνίας ὁ διάβολος τὴν κατὰ τῶν παρηκόων ἀπώλειαν μηχανησάμενος, καὶ παρ᾽ ἀξίαν ὑπ᾽ αὐτῶν τιμώμενος ὑπεξήγειρέ τε καὶ προσεξέκαυσεν αὐτῶν τὴν ἀποκεκοιμημένην ἀπὸ τῆς κατ᾽ ἀλήθειαν πίστεως διάνοιαν, ὡς καὶ ἑταίρας δύο γυναῖκας ἐπεγεῖραι καὶ τοῦ νόθου πνεύματος πληρῶσαι, ὡς καὶ λαλεῖν ἐκφρόνως καὶ ἀκαίρως καὶ ἀλλοτριοτρόπως, ὁμοίως τῷ προειρημένῳ, καὶ τοὺς μὲν χαίροντας καὶ καυ-

καυχωμένους ἐπ' αὐτῷ μακαρίζοντος τοῦ πνεύματος, καὶ διὰ τοῦ μεγέθους τῶν ἐπαγγελμάτων ἐκφυσῶντος· ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καταικρίνοντος στοχαστικῶς καὶ ἀξιοπίστως αὐτοὺς ἄντικρυς, ἵνα καὶ ἐλεγκτικὸν εἶναι δοκῇ.

vt stolidè & ineptè & peregrino more haud aliter quàm ille iam dictus deblaterarent. Ac veterator quidem ille spiritus gaudentes istos & de his gloriantes prædicabat beatos, & promissorum magnitudine tumefaciebat: quin & subinde eos dextrè & ad fidem appositè palam arguebat, vt corrector esse videretur.

Ὀλίγοι δ' ἦσαν οὗτοι τῶν Φρυγῶν ἐξηπατημένοι· τὴν δὲ καθόλου καὶ πᾶσαν τὴν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίαν βλασφημεῖν διδάσκοντος τοῦ ἀπηυθαδισμένου πνεύματος, ὅτι μήτε τιμὴν, μήτε πάροδον εἰς αὐτὴν τὸ ψευδοπροφητικὸν ἐλάμβανε πνεῦμα. Τῶν γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν πιστῶν πολλάκις καὶ πολλαχῇ τῆς Ἀσίας εἰς τοῦτο συνελθόντων καὶ τοὺς προσφάτους λόγους ἐξετασάντων, καὶ βεβήλους ἀποφηνάντων, καὶ ἀποδοκιμασάντων τὴν αἵρεσιν, οὕτω δὴ τῆς τε ἐκκλησίας ἐξεώσθησαν καὶ τῆς κοινωνίας εἴρχθησαν.

Pauci tamen ex Phrygibus decepti fuerunt, tametsi vniuersè omnem sub cęlo ecclesiam præfractus ille spiritus doceret blasphemare, quòd nec honorem, nec aditum quidem ad eam pseudoprophetia sua reperiret. Fidelibus enim in Asia sæpe & multis in Asia locis cœtus agentibus, & recentem doctrinam examinantibus, ac profanam demonstrantibus, heresímque reprobantibus, fiebat vt ecclesia pellerentur, & à communione arcerentur.

Hactenus excerpta è primo contra Cataphrygas libro: dein è secundo, vti significat Eusebius hæc interijciens: Ταῦτα ἐν πρώτοις ἱστορήσας, καὶ δι' ὅλου τοῦ συγγράμματος τὸν ἔλεγχον τῆς κατ' αὐτοὺς πλάνης ἐπαγαγὼν, ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς τελευτῆς τῶν προδεδηλωμένων ταῦτά φησιν. *Hæc postquam in primo libro memorauit, & per totum opus errorem illorum coarguit: tum in secundo de morte illorum quos antè significauimus, hæc ait:*

Verba S. Apollinaris:

Ἐπειδὰν τοίνυν καὶ προφητοφόντας ἡμᾶς ἀπεκάλουν, ὅτι μὴ τοὺς ἀμετροφώνους αὐτῶν προφήτας ἐδεξάμεθα· τούτους γὰρ εἶναί φασιν, οὕς περ ἐπηγγείλατο τῷ λαῷ πέμψειν ὁ κύριος· ἀποκρινάσθωσαν ἡμῖν πρὸς θεοῦ· Ἔστι τις, ὦ βέλτιστοι, τούτων τῶν ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ γυναικῶν λαλεῖν ἀρξαμένων, ὅς τις ὑπὸ Ἰουδαίων ἐδιώχθη, ἢ ὑπὸ παρανόμων ἀπεκτάνθη; οὐδείς·

Quandoquidem igitur & propheticidas nos appellant, quòd immane-loquaces eorum prophetas non recipiamus (hos enim esse aiunt, quos se populo missurum promisit Dominus) respondeant nobis coram Deo: Estne aliquis, heus optimi, éstne aliquis eorum, qui à Montano & feminis garrire occœperunt, qui à Iudeis

à Iudęis perſecutionem paſſus ſit, aut ab impijs interemptus? Nemo. Nec enim quiſquam eorum pro Domini comprehenſus nomine crucifixus eſt. Nec in Iudęorum ſynagogis vlla iſtarum mulierum aut flagellata aut lapidata eſt. Nuſquam hoc & nequaquam factum. Verùm alio lethi genere & Montanus & Maximilla feruntur interiſſe. Hos enim fama eſt maligno ſpiritu ambos impellente ſibi laqueo mortem conſciuiſſe, non ſimul quidem: ſed tamē eo tempore, quo eorum quiſque interijt, frequens ſermo fuit ita finiuiſſe, & Iudæ proditoris inſtar vitam commutaſſe.

οὐδέ γε τις αὐτῶν κρατηθεὶς ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος κυρίου ἀνεσταυρώθη. Οὐ γὰρ οὖν, οὐδὲ μὴν οὐδ' ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων τῶν γυναικῶν τις ἐμαστιγώθη ποτὲ, ἢ ἐλιθοβολήθη, οὐδαμόσε οὐδαμῶς· ἄλλῳ δὲ θανάτῳ τελευτῆσαι λέγονται Μοντανός τε καὶ Μαξιμίλλα. τούτους γὰρ ὑπὸ πνεύματος βλαψίφρονος ἑκατέρους ὑποκινήσαντος λόγος ἀναρτῆσαι ἑαυτοὺς, οὐχ ὁμοῦ· κατὰ δὲ τὸν τῆς ἑκάστου τελευτῆς καιρὸν φήμη πολλὴ καὶ οὕτω δὲ τελευτῆσαι καὶ τὸν βίον καταστρέψαι Ἰούδα προδότου δίκην.

Quemadmodum & admirabilem illum Theodotum, qui primus commentitiæ iſtius prophetiæ quaſi protector habebatur, multi tradiderunt velut in ſublime elatum atque in cęlos receptum, mente motum fuiſſe, ac ſeipſum erroris ſpiritui crediſiſſe, demúmque præcipitatum malè perijſſe. Dicunt ipſi quidem haud ita factum eſſe. Nos autem cùm non viderimus, quid iſtorum, ô beate, ſcire nos arbitremur? Fortè enim ſic, fortè etiam non ſic tam Montanus quàm Theodotus & antè dicta mulier obière.

Καθάπερ καὶ τὸν θαυμαστὸν ἐκεῖνον, τὸν πρῶτον τῆς κατ' αὐτοὺς λεγομένης προφητείας οἷον ἐπίτροπόν τινα Θεόδοτον πολὺς αἱρεῖ λόγος, ὡς αἰρόμενόν ποτε καὶ ἀναλαμβανόμενον εἰς οὐρανοὺς παρεκστῆναί τε καὶ καταπιστεῦσαι ἑαυτὸν τῷ τῆς ἀπάτης πνεύματι, καὶ δισκευθέντα κακῶς τελευτῆσαι. φασὶ γοῦν τοῦτο οὐχ οὕτω γεγονέναι. ἀλλὰ μὴν ἄνευ τοῦ ἰδεῖν ἡμᾶς, ἐπίστασθαι τί τῶν τοιούτων νομίζομεν ὦ μακάριε; ἴσως μὲν γὰρ οὕτως, ἴσως δὲ γὰρ οὐχ οὕτω τετελευτήκασι Μοντανός τε καὶ Θεόδοτος καὶ ἡ προειρημένη γυνή.

Interijcit hîc Euſebius paucula his verbis: Αὖθις δ' ἐν τῷ αὐτῷ φησι λόγῳ τοὺς τότε ἱεροὺς Ἐπισκόπους πεπειρᾶσθαι μὲν τὸ ἐν τῇ Μαξιμίλλῃ πνεῦμα διελέγξαι, κεκωλῦσθαι δὲ πρὸς ἑτέρων συνεργούντων δηλαδὴ τῷ πνεύματι. γράφει δὲ οὕτως· Ait vero rurſus in eodem libro ſanctos id temporis Epiſcopos conatos eſſe Maximillæ ſpiritum redarguere, ſed ab alijs ſpiritui illi patrocinantibus prohibitos eſſe. Scribit enim ſic:

Verba S. Apollinaris:

Ac ne dicat Maximillæ ſpiritus (quemadmodum in eodem

Καὶ μὴ λεγέτω, ὡς ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ τῷ κατὰ Ἀστέριον Οὐρβανὸν, τὸ

διὰ

διὰ Μαξιμίλλης πνεῦμα, Διώκομαι ὡς λύκος ἐκ προβάτων· οὐκ εἰμὶ λύκος· ῥῆμα εἰμὶ καὶ πνεῦμα καὶ δύναμις· ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ πνεύματι δύναμιν ἐναργῶς δειξάτω καὶ ἐλεγξάτω, καὶ ἐξομολογεῖσθαι διὰ τοῦ πνεύματος καταναγκαζάτω τοὺς τότε παρόντας εἰς τὸ δοκιμάσαι καὶ διαλεχθῆναι τῷ πνεύματι λαλοῦντι ἄνδρας δοκίμους καὶ ἐπισκόπους, Ζωτικὸν ἀπὸ Κουμάνης κώμης, καὶ Ἰουλιανὸν ἀπὸ Ἀπαμείας, ὧν οἱ περὶ Θεμίζωνα τὰ στόματα φιμώσαντες οὐκ εἴασαν τὸ ψευδὲς καὶ λαοπλάνον πνεῦμα ὑπ᾽ αὐτῶν ἐλεγχθῆναι.

libro iuxta Asterium Vrbanum scribitur) *Aspellor tanquam lupus ab ouibus: non sum lupus: verbum equidem sum & spiritus & virtus:* verùm virtutem in spiritu efficaciter demonstret, ac coarguat & confiteri per spiritum cogat eos, qui tum præsentes erant, ad probandum & disceptandũ cum garriente spiritu, viros spectatos & Episcopos Zoticum è vico Comana, & Iulianum ab Apamea, quorum ora obturantes Themizon & eius socij non permiserunt mendacem ac deceptorem spiritum ab ijs redargui.

Post hæc rursum Eusebius ista interponit: Ἐν ταὐτῷ δὲ πάλιν ἕτερα μεταξὺ πρὸς ἔλεγχον τῶν τῆς Μαξιμίλλης ψευδοπροφητειῶν εἰπών, ὁμοῦ τόν τε χρόνον καθ᾽ ὃν ταῦτ᾽ ἔγραφε σημαίνει, καὶ τῶν προῤῥήσεων αὐτῆς μέμνηται. *In eodem libro alijs rursus interiectis ad falsarum Maximillæ prophetiarum redargutionem, simul & tempus quo hæc scribebat, patefacit; & quarundam eius vaticinationum meminit, quibus bella & seditiones fore prænunciabat, quas & falsitatis conuincit ita dicens:*

Verba S. Apollinaris:

Καὶ πῶς οὐ καταφανὲς ἤδη γέγονε καὶ τοῦτο τὸ ψεῦδος; Πλείω γὰρ ἢ τρεισκαίδεκα ἔτη εἰς ταύτην τὴν ἡμέραν, ἐξ οὗ τετελεύτηκεν ἡ γυνή, καὶ οὔτε μερικός, οὔτε καθολικὸς κόσμῳ γέγονε πόλεμος· ἀλλὰ χριστιανοῖς μᾶλλον εἰρήνη διάμονος ἐξ ἐλέους θεοῦ.

Ecquomodo non manifestum iam factum est & hoc mendacium? Plures enim quàm tredecim anni ad hanc diem transierunt, ex quo mulier illa obijt, & bellum in mundo seu particulare seu vniuersale fuit nullum: sed pax potiùs ex Dei miseratione Christianis constans fuit.

Deinde iterum idem historicus à secundo Apollinaris libro ad tertium sic transit: Καὶ ταῦτα δ᾽ ἐκ τοῦ δευτέρου συγγράμματος· καὶ ἀπὸ τοῦ τρίτου δὲ σμικρὰς παραθήσομαι λέξεις, δι᾽ ὧν πρὸς τοὺς αὐχοῦντας ὡς ἄρα πλείους καὶ αὐτῶν μεμαρτυρηκότες εἰσί, ταῦτά φησιν. *Atque hæc è secundo libro: è tertio autem paucula verba proferam; quibus contra gloriantes, quòd ex ipsis plures martyrium subijssent, hæc infit:*

Verba S. Apollinaris:

Ὅταν τοίνυν ἐν πᾶσι τοῖς εἰρη-

Postquam igitur in omnibus iam

iam dictis redarguti hærent: ad martyres conantur confugere, dicentes multos se habere martyres, atque hoc firmum esse signum virtutis eius qui apud eos sit spiritus prophetici appellati.

μένοις ἐλεγχθέντες ἀπορήσωσιν, ἐπὶ τοὺς μάρτυρας καταφεύγειν πειρῶνται λέγοντες πολλοὺς ἔχειν μάρτυρας· καὶ τοῦτο εἶναι τεκμήριον πιστὸν τῆς δυνάμεως τοῦ παρ᾽ αὐτοῖς λεγομένου προφητικοῦ πνεύματος.

Atqui hoc, vt liquet, multò magis falsum est. Etenim aliarum hæreseon quędam plurimos habent martyres, neque propterea cum illis sentiemus, neque penes illos veritatem esse fatebimur.

Τόδ᾽ ἐστὶν ἄρα, ὡς ἔοικε, παντὸς μᾶλλον οὐκ ἀληθές. Καὶ γὰρ τῶν ἄλλων αἱρέσεων τινὲς πλείστους ὅσους ἔχουσι μάρτυρας, καὶ οὐ παρὰ τοῦτο δήπου συγκαταθησόμεθα, οὐδὲ ἀλήθειαν ἔχειν αὐτοὺς ὁμολογήσομεν.

Nam & primi illi qui à Marcionis hæresi Marcionistæ sunt appellati plurimos se habere Christi martyres dicunt: at Christum ipsum iuxta veritatem non confitentur.

Καὶ πρῶτοί γε οἱ ἀπὸ τῆς Μαρκίωνος αἱρέσεως Μαρκιωνισταὶ καλούμενοι πλείστους ὅσους ἔχειν Χριστοῦ μάρτυρας λέγουσιν· ἀλλὰ τόν τε Χριστὸν αὐτὸν κατὰ ἀλήθειαν οὐχ ὁμολογοῦσι.

Et paullò pòst:

Vnde cum Christianos acciderit ab ecclesia ad martyrium pro fidei veritate euocari vnà cum eis martyribus qui dicuntur è Phrygum hæresi, ipsi se ab his secernunt, & cum ijs communicare recusantes moriuntur: proptérea scilicet quòd nolint cum Montani & mulierum spiritu consentire.

Ὅθεν τοι καὶ ἐπειδὰν οἱ ἐπὶ τὸ τῆς κατὰ ἀλήθειαν πίστεως μαρτύριον κληθέντες ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τύχωσι μετά τινων τῶν ἀπὸ τῆς τῶν Φρυγῶν αἱρέσεως λεγομένων μαρτύρων, διαφέρονταί τε πρὸς αὐτοὺς καὶ μὴ κοινωνήσαντες τελειοῦνται, διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συγκατατίθεσθαι τῷ διὰ Μοντανοῦ καὶ τῶν γυναικῶν πνεύματι.

Atque hoc verum esse, vel ex his quæ nostris temporibus Apameæ ad Męandrum circa Caium & Alexandrum acciderũt, qui ex Eumenia martyrium passi sunt, est manifestum.

Καὶ ὅτι τοῦτο ἀληθές, καὶ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων ἐν Ἀπαμείᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ τυγχάνει γεγενημένων ἐν τοῖς περὶ Γάϊον καὶ Ἀλέξανδρον ἀπὸ Εὐμενείας μαρτυρήσασι πρόδηλον.

Post quæ verba citati auctoris adijcit rursum Eusebius: Ἐν τούτῳ δὲ τῷ συγγράμματι καὶ Μιλτιάδου συγγραφέως μέμνηται, ὡς λόγον τινὰ καὶ αὐτοῦ κατὰ τῆς προειρημένης αἱρέσεως γεγραφότος. Παραθέμενος οὖν αὐτοῦ λέξεις τινὰς ἐπιφέρει λέγων. *In eodem porrò volumine meminit & Miltiada scriptoris, vt qui contra antè dictam hæresim ipse librum quoque conscripserit. Productis enim quibusdam eius verbis ita subijcit:*

Verba

Verba S. Apollinaris:

Ταῦτα εὑρὼν ἔν τινι συγγράμματι Μιλτιάδου τοῦ ἀδελφοῦ, ἐν ᾧ ἀποδείκνυσι περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν ἐπιτεμόμην.

Hęc cùm inuenissem in quodam Miltiadis fratris opere, vbi demonstrat non debere prophetam in ecstasi loqui, in compendium redegi.

His proximè ista subnectit Eusebius: Ὑποκαταβὰς δ' ἐν ταὐτῷ τοὺς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην προπεφητευκότας καταλέγει· ἐν οἷς καταριθμεῖ Ἀμμίαν τινὰ καὶ Κοδρᾶτον, λέγων οὕτως. *Longius verò in eodem libro progressus, eos qui in nouo testamento prophetarunt recenset: in quibus numerat Ammiam quandam & Quadratum, sic dicens:*

Verba S. Apollinaris:

Ἀλλ' ὅ γε ψευδοπροφήτης ἐν παρεκστάσει, ᾧ ἕπεται ἄδεια καὶ ἀφοβία, ἀρχόμενος μὲν ἐξ ἑκουσίου ἀμαθίας, καταστρέφων δὲ εἰς ἀκούσιον μανίαν ψυχῆς, ὡς προείρηται.

At hic pseudopropheta quem in externatione prophetantem comitatur licentia & audacia, à voluntaria quidem inscitia exorsus, in animæ insaniam non voluntariam pessum ijt, vt antè dictum est.

Τοῦτον δὲ τὸν τρόπον οὔτε τινὰ τῶν κατὰ τὴν παλαιὰν οὔτε τῶν κατὰ τὴν καινὴν πνευματοφορηθέντα προφήτην δεῖξαι δυνήσονται, οὔτε Ἄγαβον, οὔτε Ἰούδαν, οὔτε Σίλαν, οὔτε τὰς Φιλίππου θυγατέρας, οὔτε τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, οὔτε Κοδρᾶτον· οὔτε ἤδη τινὰς ἄλλους μηδὲν αὐτοῖς προσήκοντας καυχήσονται.

Prophetam enim eo pacto à spiritu concitatum, neque in veteri, neque in nouo testamento ostendere poterunt: non Agabum, non Iudam, non Silam, non Philippi filias, nō Ammiam Philadelphiensem, non Quadratum. Neque vllos denique alios, qui ex suo non sint numero, sic prophetasse gloriabuntur.

Hìc Eusebius: Αὖθις δὲ μετὰ βραχέα, ταῦτά φησιν. *Rursus autem post pauca, hæc dicit:*

Verba S. Apollinaris:

Εἰ γὰρ μετὰ Κοδρᾶτον, καὶ τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, ὥς φασιν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τοὺς ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ τῶν γυναικῶν τίνες παρ' αὐτοῖς διεδέξαντο, δειξάτωσαν.

Si enim post Quadratum & Ammiam Philadelphiēsem, mulieres illæ Montani, quemadmodum aiunt, prophetiæ gratiam exceperunt: demonstrent quinam apud ipsos Montano & mulieribus successerint.

Δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χά-

Oportere enim prophetiæ do-

num in omni ecclesia vsque ad postremum Christi aduentum perseuerare censet Apostolus. At neque nunc, qui est ab excessu Maximillæ annus decimus tertius, ostendere id habent.

ισμα ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας ὁ Ἀπόστολος ἀξιοῖ. Ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοιεν δεῖξαι τεσσαρεσκαιδέκατον ἤδη που τοῦτο ἔτος ἀπὸ τῆς Μαξιμίλλης τελευτῆς.

Post hæc subiungit mox Eusebius ea, quæ sequuntur:

Atque hæc quidem ille Scriptor. Miltiades autem ab eo laudatus, alia quoque nobis sui in diuinis eloquijs studij monumenta dereliquit: tam in ijs quos aduersus Gentes scripsit libris, quàm in ijs quos aduersus Iudæos, vtroque separatim in argumento duobus voluminibus redarguens. Sed ad orbis item Imperatores pro eâ, quam sequebatur, philosophia, apologiam texuit.

Οὕτως μὲν δὴ τοσαῦτα. Ὅ γέ τοι πρὸς αὐτοῦ δεδηλωμένος Μιλτιάδης καὶ ἄλλας ἡμῖν τῆς ἰδίας περὶ τὰ θεῖα λόγια σπουδῆς μνήμας καταλέλοιπεν, ἔν τε οἷς πρὸς Ἕλληνας συνέταξε λόγοις καὶ τοῖς πρὸς Ἰουδαίους ἑκατέρᾳ ἰδίως ὑποθέσει ἐν δυσὶν ὑπαντήσας συγγράμμασιν. Ἔτι δὲ καὶ πρὸς τοὺς κοσμικοὺς Ἄρχοντας ὑπὲρ ἧς μετῄει φιλοσοφίας πεποίηται ἀπολογίαν.

Hactenus ex Eusebij historia, libro quinto, cap. 15. & 16. de ijs, quæ S. Apollinari attribuuntur, quamuis re vera mihi non videantur saltem certò esse Apollinaris. Ideo tamen posui, vt ex contextu verborum habeant lectores, eiúsne sint, an alterius, internoscere, ac me, quod certius repererint, edocere; tum etiam ne videar, si forte illi adiudicentur, imprudenter omisisse. Nam ei adscribunt Ruffinus, Nicephorus, Baronius.

Ego autem quamobrem ab illis dissentiam, pluribus ad extremas huius vitæ notationes annotabo.

NOTA-

NOTATIONES AD VITAM S. CLAVDII APOLLINARIS.

AD CAPVT PRIMVM.

a CLAVDIVS] Sic appellatur à B. Serapione, eiusdem sæculi Scriptore in epistola ad Coricum & Ponticum, vt infrà ad eius vitam in fragmentis notabitur.

APOLLINARIS NOMEN PLVRIVM SANCTORVM FVIT.

b *APOLLINARIS*] Complures hoc nomine inter Sanctos recensiti reperiuntur.

Primus & omnium longè celebratissimus est Apollinaris S. Petri Apostoli discipulus, Antiochia Romam eum comitatus, & ab eodem primus Rauennatum Antistites constitutus. Preciosissimas eius Reliquias ingentis instar thesauri custodit, colitque Cysoniense monasterium Ordinis S. Augustini, Tornacum inter & Insulas Flandriæ situm, & æqualiter ferè ab vtraque vrbe trium circiter leucarum spatio distans. Quas Reliquias ERASMVS D'AVTEL eiusdem cœnobij Præsul, & instaurator magnificus, insigni honorauit argentea statua inaurata, quæ ipsum S. Apollinarem vmbilico tenus super base itidem argentea inaurata affabrè factum, & capite tiaram gemmis illustribus distinctam, gestantem refert: manibus autem, alterâ palmam, alterâ pedum, (martyrij scilicet & Pontificatus insignia) protendentem exhibet.

Secundus Apollinaris est martyr ille, qui Rhemis in Gallia spectato S. Timothei glorioso certamine (non illius Timothei, qui S. Paulli auditor & comes fuit, sed alterius) mox factus è Gentili Christianus vnà cum illo martyrij palmam obtinuit. De quo Apollinare in Romano agitur martyrologio ad 23. Augusti. Passus est autem sub Nerone Imp. atque ita prior est quidem tempore quàm alter, sed non prior fide in Christum, nec susceptis pro Christo laboribus par. De hoc scribit Flodoardus lib. 1. historiæ Rhemensis cap. 4. Quam historiam haud ita pridem edidit vnà cum Notis Iacobus Sirmondus no- A ster. Hi duo Apollinares primi sunt sęculi: sed non è numero Scriptorum.

Tertius autem, noster est Scriptor, & ad secundum spectat sęculum, cuius proinde vitam hoc tomo inclusimus.

Quartus est ille, qui fuit Valentiæ in Gallia Episcopus, *cuius & vita virtutibus fuit illustris, & mors signis ac prodigijs decorata*, teste totidem verbis martyrologio, ad diem V. Octobris. Viuebat circa annum Domini 492. temporibus Gelasij Papæ.

B Quintus sub idem fere tempus fuit S. Apollinaris Episcopus Alexandrinus, cuius fit beatissima mentio in Actis Cyri & Ioannis Abbatum, tomo 1. Laurentij Surij ad 31. Ianuarij. Hic aliquando sororis suæ filio coniugium appetenti curam certæ ecclesiæ tradidit dicens, *En tibi vxor: sed eius, vt par est, curam gere.* Quod & fecit. Nam egregiè illam ecclesiam gubernauit.

Est & alius Apollinaris in Africa martyr, cuius mihi ætas ignota est. Nam in C martyrologiis simplicissima est eius mentio ad 21. Iunij his verbis: *In Africa, sanctorum martyrum Cyriaci & Apollinaris.* Est & virgo quædam, quinta Ianuarij in Romano martyrologio celebrata, nomine Apollinaris, Anthemij viri Consularis filia, cuius vitam licet apud Metaphrasten perlegere.

c *HIERAPOLI VRBE PHRYGIÆ.*] Hinc Photius suprà vocauit Hierapolitam: Ἔστι δὲ Ἱεραπολίτης ὁ συγγραφεύς. *Est* D *autem hic Scriptor Hierapolitanus.* Additur autem *vrbe Phrygiæ*, ad distinctionem aliarum Hierapoleon, quæ sunt extra Phrygiam. Sunt enim eiusdem illius nominis plures vrbes in diuersis regionibus. Sed hæc, qua de agimus, modò Hierapolis Phrygiæ, modò Hierapolis Asiæ (quòd Phrygia intra fines Asiæ contineatur) ab Auctoribus appellatur. Alioqui quatuor Hierapoles enumerat Stephanus Byzantinus lib. *De vrbibus.* hisce verbis: Ἱερὰ πόλις μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας πόλις, θερμῶν ὑδά-

HIERAPOLES MVLTÆ.

των πολλῶν πλήθουσα. ἀπὸ τοῦ πολλὰ ἱερὰ ἔχειν. β. Κρήτης. γ. Συρίας· ἣ καὶ Ἱερόπολις διὰ τοῦ ο. τετάρτη Καρίας. *Hierapolis vrbs est inter Phrygiam & Lydiam multis aquis calidis scatens: dicta ex eo quòd multa sacra habeat. 2.ª est Cretæ. 3.ª Syriæ, quæ & Hieropolis per o paruum scribitur. 4.ª Cariæ.* Sic ille,

Nota verò, dum primam Hierapolim ponit inter Phrygiam & Lydiam, ita accipiendum esse, vt sit vrbs Phrygiæ, sed vicina Lydiæ. Nam omnes eam in Phrygia ponunt. Strabo lib. 13. Geogr. sub finem: *Contra Laodiceam*, inquit, *Hierapolis, vbi calidæ aquæ, & vbi Plutonium: quæ vtraque non mediocrem habent admirabilitatem. Nam delabens aqua tam faciliter in tophum mutatur, vt aquæductus curatores sepimenta integra ex vnico lapide faciant. Plutonium autem sub paruo imminentis montis supercilio est os quoddam tantum, quantum capiendo homini par sit, sed immani profunditate.* &c.

AQVÆ LAPIDESCENTES.

Est quasi os inferni, in quod si animal aliquod caput immittat, statim emoritur. *Nos ipsi*, inquit Strabo, *passeres immisimus, qui statim mortui ceciderunt. Tantùm galli exsecti manent illæsi.* Et infrà: *Quòd autem aquæ lapidescant, dicunt & in fluminibus Laodiceæ id accidere, licèt potabilia sint. Apud Hierapolim verò aqua tingendis lanis tam idonea est, vt è radicibus tinctæ cum his decertent, quæ ex vermiculo purpuráque tinguntur.* Sic Strabo. Ad aquas autem lapidescentes & potabiles quod attinet, vidi ego in tractu Turotiensi, dum ex Hungaria transirem in Transsiluaniam, aquas tales & bibi, sed parcè ac timidè, veritus ne in me Petro mutarentur in petram, atque ego non volens lapidescerem.

AQVÆ TINGENDIS LANIS PERIDONEÆ HIERAPOLI.

d *SECVNDO A CHRISTI ORTV SÆCVLO*] Nam Eusebius in Chronico floruisse scribit anno M. Aurelij Antonini XI. Seuero & Herenniano Coss. Ad quem annum sic notat: Ἀπολινάειος Ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως τῆς ἐν Ἀσίᾳ, ἱερὸς ἀνὴρ ἤκμαζεν. *Apollinaris Hierapoleos in Asia Episcopus, vir sanctus florebat.* Hic autem annus concurrit apud Pontacum & Mirçum cum anno Domini 173. quod est intra secundum Christi sęculum.

e *PRIMO QVIDEM INGENVIS ARTIBVS*] Vtraque Apollinarem excelluisse litteraturâ indicat B. Theodoretus, lib. 3. hæreticarum fabularum, cap. 3. vbi aliquos recensens, qui aduersus Cataphrygas scripserunt, hæc ait: Κατὰ τούτων συνέγραψεν Ἀπολινάειος, ὁ τῆς κατὰ Φρυγίαν ἱερᾶς πόλεως Ἐπίσκοπος γεγονώς, ἀνὴρ ἀξιέπαινος, καὶ πρὸς τῇ γνώσει τῶν θείων καὶ τὴν ἔξωθεν παιδείαν προσειληφώς, ὡσαύτως δὲ καὶ Μιλτιάδης, καὶ Ἀπολλώνιος, ἕτεροι συγγραφεῖς. *Contra hos scripsit Apollinaris, Hierapoleos in Asia Episcopus, vir præclarus, qui ad diuinarum cognitionem rerum externam quoque adiunxerat disciplinam: similiter & Milsiades, & Apollonius, aliique Scriptores.*

Quinam autem isti alij Scriptores ante Eusebium? Nempe Rhodon Tatiani discipulus, S. Serapion, & Caius: vti ex eodem Eusebio & Hieronymo variis in locis liquet.

f *SANCTI PHILIPPI APOSTOLI SANGVINE FVNDATAM*] Martyrologium Rom. Kalendis Maij: *Philippus, postquam omnem penè Scythiam ad fidem Christi conuertisset, apud Hierapolim Asiæ ciuitatem, cruci affixus, & lapidibus obrutus glorioso fine quieuit.*

g *SANCTISSIMORVM EPISCOPORVM PAPIÆ ATQVE ABERCII*] Vtriusque vitam antè posui, illius quidem in tomo vitarum primi sęculi, huius autem in hocce tomo suprà.

h *MENDACIO VTENDVM ESSE DICEBANT, VT HELLEBORO*] Hic antiquorum Philosophorum, adeóque ipsius Platonis sensus & error fuit; Diis quidem nunquam, sed hominibus nonnunquam congruere & licitum esse mendacium. Ita enim docet libro 2. & 3. De republica. Et in hoc quidem ita sub initium: Εἰ γὰρ ὀρθῶς ἐλέγομεν ἄρτι καὶ τῷ ὄντι θεοῖς μὲν ἄχρηστον ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, δῆλον ὅτι τό γε τοιοῦτον ἰατροῖς δοτέον, ἰδιώταις δὲ οὐχ ἁπτέον. Δῆλον ἔφη· τοῖς ἄρχουσι δὴ τῆς πόλεως, εἴπερ τισὶν ἄλλοις, προσήκει ψεύδεσθαι, ἢ πολεμίων, ἢ πολιτῶν ἕνεκα, ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως· τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν οὐχ ἁπτέον τοῦ τοιούτου. *Si enim rectè iam dicebamus, & re vera Dijs quidem inutile mendacium, & hominibus vtile, tanquam in medicamenti forma, manifestum sanè est medicis concedendum; priuatis autem minimè attingendum. Manifestum, inquit. Itaque vrbis rectoribus, si vllis alijs, mentiri conuenit, seu hostium, seu ciuium caussa, ad vrbis vtilitatem: alijs autem omnibus à mendacio abstinendum.* Vide ibi plura.

Multi in Platonis transiere sententiam, & longiùs quidem nonnulli, quàm ille, abierunt. Nam eius vsum priuatis peræquè ac magistratibus; immo cunctis, si grauis quidem mali fuga, aut magni boni adeptio ageretur, permiserunt. Ioseph Abbas apud Cassianum collatione XVII. cap. XVII. *Itaque taliter*, inquit, *de mendacio sentiendum, atque ita eo vtendum est, quasi natura ei insit hellebori.* &c. Sed hanc opinionem S. Augustinus in libro *Contra mendacium* fortiter expugnauit: ita vt nec vlli, nec vnquam licitum esse aut fuisse mendacium communis iam sit Doctorum sententia. Leonardus Lessius magister quondam meus in libro de iustitia & iure, cap. 47.

dubit.

dubit. 6. præ omnibus breuiter, & distinctè hanc quæstionem pertractauit. Quem vt consulas, suadeo.

i *FIDEM SEV SIGNO, SEV SONO PRODERE, ET VIOLARE*] Ita Machabæorum libro 2. cap. 6. amici Eleazari martyris, cùm non liceret illi secundùm legem Dei carnes manducare porcinas, suadebant ad declinandam mortem vt simularet saltem se eis vesci, cùm re vera aliis clandestino allatis vesceretur: ille autem recusauit, & mori quàm simulare aut signo fidem violare maluit.

S. Polycarpo, vt in eius vita scriptum est, dicebant quidam: *Quid habet mali, dicere, Domine Cæsar, & immolare ac seruari?* At Polycarpus mori maluit.

Refutauit & S. Iustinus Philosophus eos, qui existimabant licere fidem ore tenus abnegare, dum corde retineretur. Vide vitam eius, cap. 14. & nostras in idem caput Notationes.

Apud Prudentium in libro περὶ στεφάνων, siue *De coronis*, hymno 3. Prætor fidei Christianæ hostis, post intentata & ostentata S. Eulaliæ Virgini, nisi Diis adoleret, grauissima tormenta atque supplicia, hæc subdebat verba:

Prudentius in libro De coronis. hymno 3.

Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum, digitis
Tangere virgo benigna velis;
Pœna grauis procul abfuerit.

Quid verò respondit Eulalia?

Martyr ad ista nihil. Sed enim
Infremit, ínque tyranni oculos
Sputa iacit: simulacra dehinc
Dissipat, impositámque molam
Thuribulis pede proßubigit.

PRISCILLIANISTÆ DIFFERVNT A PRISCILLIANIS.

Priscillianistæ in Hispania à Priscilliano dicti, propter occultandas contaminationes & turpitudines suas, (inquit Augustinus) habent in suis dogmatibus & hæc verba:

Iura: periura: secretum prodere noli.

Hi hæretici longè diuersi sunt à Priscillianis, qui à Priscilla Montani prophetide sunt appellati. Multum enim distant & locis & temporibus & erroribus. Vide Augustinum libro De hæresibus, ad Quodvult Deum.

k *QVOD ET BEATVS MELITO &c.*] Huius Melitonis vitam huic subdemus.

AD CAP. II.

a *ACCESSIT VERO HISCE IISDEM M. ANTONINI TEMPORIBVS &c. NOVA HÆRESIS*] Locus hic de nouâ hæresi κατὰ Φρύγας appellatâ dicendi ac disserendi est proprius: quandoquidem

A hoc primùm emersit sensimque inualuit tempore: id est, anno Christi circiter 173. M. Aurelij Antonini vndecimo, Soteris Papæ quarto. Sic habent Eusebius Pontaci, & Marianus Scotus. Quod ad priores annos attinet, cum illis consentit Baronius, sed de Sotere dissentit, cuius loco habet Anicetum: verùm frustrà contra torrentem antiquiorum. Nam & Methodius apud Marianum totus sentit cum Eusebio, & quicunque priores Baronio. B

Sic igitur ad dictum annum Eusebius: *Pseudoprophetia, quæ κατὰ Φρύγας nominatur, accepit exordium, auctore Montano, Priscilla, Maximillaque insanis vatibus.*

De tempore & primo auctore huius hæreseos Montano cùm iam hinc liqueat, nunc tantùm de eiusdem appellatione & errorum qualitate indicandum mihi erit.

Itaque *pseudoprophetia* appellatur, propterea quòd sectæ huius principes donum se prophetiæ abundantiùs recepisse, quàm Apostolos ipsos gloriarentur, cùm falsa interim prædicerent: κατὰ Φρύγας autem siue *secundùm Phrygas*, barbarè *Cataphryges* vel *Cataphrygæ* dicti sunt hi hæretici, quod in Phrygia hic error cœperit. C

Iidem postmodum & Montanistæ ab ipso auctore, & Pepuziani à loco sunt appellati. Est enim Pepuza Phrygiæ paruula ciuitas, Hierusalem ab ipsis pro felici scilicet nominis auspicio nuncupata. D

MONTANISTARVM HÆRETICORVM QVI FVERINT ERRORES.

Errores præcipui & certi (nam quidam falsò illis attributi sunt) hi fuerunt:

1.° Penes se donum prophetiæ copiosiùs reperiri, & quidem maiore mensura sibi quàm Apostolis collatum; siue Spiritum sanctum venisse in Montano & Priscilla, vt per eos veritas fidei manifestaretur.

E 2.° Nuptias secundas esse illicitas.

3.° Tres quotannis quadragesimas inducere & suis indicere.

Credibile porrò est initio fuisse illos in catholicâ Ecclesia sanctioris, seuerioris que disciplinæ, & integrioris item castimoniæ, & veris prophetiæ donis ditiores quàm plerósque alios: nec damnasse secundas nuptias, sed dissuasisse: itémque abstinentiæ studio, non gloriæ, elegisse tres quadragesimas. Quæ omnia proinde maioris atque singularis erant perfectionis, minimeque vituperanda: vti nec vituperantur hodie, qui certis in ordinibus religiosis eadem præstant, atque etiam maiora. Nam sunt qui longè austeriorem, quàm illi, vitam ducant, & in continua quadam abstinentia à carnibus, aliisque certis cibis, & quidem ex instituto & voti obligatione ad mortem vsque perseuerent: nec à secundis tantùm nuptiis, sed à primis quoque F

inuio-

inuiolabili lege temperent. Itaque habuerunt primi Cataphryges multos probos ac sanctos viros sui defensores, qui & summo Pontifici persuasere, pacem vt illis daret, & sanctorum frui communione concederet: vti & fecit. Verumenimuerò cùm processu temporis de Dei donis ingrati, & superbiæ atque ambitionis vento inflati in peiora declinassent, tum prophetia vacillare, & ipsi falsa pro veris subinde eloqui, tum alteras nuptias damnare, tum suas consuetudines contra ecclesiæ arbitrium defendere, tum denique in præceps labi atque erroribus inuolui: in quos profectò numquam incidissent, si se suáque omnia vnius summi Pontificis arbitrio semper submisissent.

ERRORES QVIDAM HÆRETICIS AFFICTI.

Porrò pręter suprà positos errores, attribuerunt illis nonnulli (sed ex odio magis, vt fit, hæreseos, quàm ex veritate) nefanda quædam mysteria & meras fabulas: cùm antiquissimi Patrum, iique multi, vt noster hic Apollinaris, vt Miltiades, vt Apollonius, vt Caius, vt alij, (quorum scripta legit & citauit Eusebius lib. 5. hist. ecclesiasticæ) licet diligentissimè eorum mysteria, & consuetudines, & facta, & dicta perscrutati sint; tamen nihil talium facinorum, qualia ipsis affinguntur (vt de pueri nece loco Eucharistiæ, & alia similia) vel verbo attigerint.

8 Quare Philastrius libro De hæresibus ista de illis, vt nimiùm credulus, perscripsit: *Hi mortuos baptizant: publicè mysteria celebrant: Pepuzam villam suam, quæ sic dicitur in Phrygia, Ierusalem appellant, vbi Maximilla & Priscilla & ipse Montanus vitæ tempus vanum & infructuosum habuisse dignoscuntur. Vbi & mysterium Cynicorum, & infantis execranda celebratur impietas. Dicunt enim eos de infantis sanguine in pascha miscere in suum sacrificium, suisque ita vbique emittere perniciosis & falsis satellitibus.*

Quod ergo hic auctor (qui B. Ambrosio æqualis fuit & apud eum notus S. Augustino) de baptismo adfert mortuorum, & de cruento cæsi infantis sacrificio (vnde & alij desumpsêre) certum est in Montanum & priores Montanistas ob allatam suprà caussam non cadere, sed antiquam esse fabellam ab Ethnicis in Christianos primo & secundo Christi sæculo coniectam, à Catholicis verò in hæreticos reiectam: quod tamen S. Iustinus easdem refutans calumnias haud facere ausus est.

Hieronymus sanè tametsi in Montanistas, vt in omnes hæreticos, peracerbus, & interdum satis credulus, hæc tamen immania & cruenta non credit. Ita enim scribit: *Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactente puero, & de victuro martyre* A *confarrata. Malo, inquam, non credere. Sit falsum omne, quod sanguinis est.*

Ista Hieronymus: quę cùm obscura sint, clariora fient ex Augustino, sine quo quis intelligat quid ista velint, *& de victuro martyre confarrata?* Sic igitur Augustinus libro de hæresibus ad Quod-vult Deum, cap. 26. breuiter Cataphrygum errores enuntians: *Aduentum Spiritus sancti à Domino promissum, in se potiùs quàm in Apostolis eius* B *fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt permisisse Apostolum Paullum, quia ex parte sciebat & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum & in eius prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam* C *conficere perhibentur, miscentes eum farina, panémque inde facientes: qui puer, si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: si autem vixerit, pro magno sacerdote.* Ita S. Augustinus: qui dum loquendi formam mutat in puncto tertio, & vocem *perhibentur* bis vsurpat metu assertionis incertæ, quod in prioribus non fecit; satis innuit se priora duo pro veritate attulisse: sed tertium pro fabula; hoc est, pro re vulgo iactata, & à D nullo probata. Quare tantùm duos illis errores attribuit Augustinus, tertium de tribus quadragesimis non magni faciens. Quippe qui existimauerit non tres tantùm, sed quatuor & plures quadragesimas in abstinentia & ieiunio duci posse, si quidem non vi & necessitate, sed liberè & carni edomandę studio assumantur: neque ad opponendum se aut resistendum ecclesiæ, sed ad meliùs ac perfectiùs ei seruien-E dum. Nam & Hieronymus toto anno excepta Pentecoste licere docuit ieiunare.

De Cataphrygum enim seu Montanistarum, suo tempore, reliquiis ita scribit epistola 54. *Primùm in fidei regula discrepamus. Nos Patrem & Filium & Spiritum sanctum in sua vnumquemque persona ponimus, licet substantia copulemus: illi Sabellij dogma sectantes, Trinitatem in vnius personæ angustias cogunt. Nos secundas nuptias non tam ap-* F *petimus, quàm concedimus, Paullo iubente, vt viduæ adolescentulæ nubant: illi in tantum putant scelerata coniugia iterata, vt quicumque hoc fecerit, adulter habeatur. Nos vnam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores. Non quòd & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat: sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Apud nos Apostolorum locum*

locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ, Patriarchas: ſecundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id eſt, penè vltimum locum Epiſcopi deuoluuntur: quaſi exinde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum ſit. Illi ad omne penè delictum eccleſiæ obſerant fores: nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem. Hactenus verba Hieronymi.

Vbi notandum 1.° quod dicit Montaniſtas Sabellij dogma ſectantes intelligendum de poſterioribus Montaniſtis. Nam Sabellius integro ſæculo poſt Montanum fuit. Quare non fuit error ille ipſius Montani, nec illi quiſquam attribuit: ſed fuit hæreticorum qui poſt Sabellium fuerunt, diuerſas hereſes miſcentium.

2.° *Quaſi tres paſſi ſint Saluatores.* Nullus hoc dixit hæreticorum: ſed quia vna quadrageſima in honorem vnius Saluatoris Chriſti ieiunatur, propterea dicit Hieronymus non eſſe tres ieiunandas quadrageſimas, ne videamur tres ponere Saluatores.

3.° Excepta Pentecoſte, hoc eſt, omni illo tempore quod inter Paſcha & Pentecoſten interfluit. Vnde & nunc nulla ſunt intra tempus totum paſchale ieiunia, niſi in vigilia Pentecoſtes, & illud quidem non ex præcepto, ſed ex conſuetudine poſt tempora Hieronymi (incertum quando) introductum. Probabile eſt feruidiores Catholicos de præparatione ad tantam ſolemnitatem (quanta eſt Pentecoſte & Spiritus ſancti receptio) ſollicitos, voluntaria deuotione ſibi ieiunium imperaſſe: quorum alij exemplum ſecuti, & ſuo item exemplo aliis præeuntes, paullatim inceptum priuatim ieiunium ad communem protenderunt conſuetudinem. Nam præceptum eccleſiæ, quod exſtet, nullum ſcio.

De ieiunio Pentecoſtes ſimilia Hieronymo refert Epiphanius in Expoſitione fidei ſub finem ſiue cap. 22. his verbis: Ἔτι δὲ ἐν ταῖς ν ἡμέραις, αἷς προεῖπον, τῆς Πεντηκοστῆς οὐκ ἔστιν οὔτε νηστεία, οὔτε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ Κύριος, ἔξεστι νηστεῦσαι, κἂν τε περιτύχῃ τετρὰς ἢ προσάββατον. *Neque etiam in diebus 50. vt antè dixi, Pentecoſtes ſunt ieiunia: ſed neque in die Epiphaniorum, quando in carne natus eſt Dominus, ieiunare licet, tametſi feria quarta occurrat vel proſabbatum.* Deinde ſubdit: Προαιρέσει δὲ ἀγαθῇ οἱ αὐτῆς ἀσκηταὶ διαπαντὸς χωρὶς Κυριακῆς καὶ Πεντηκοστῆς νηστεύουσι καὶ ἀγρυπνίας διαπαντὸς ἐπιτελοῦσι. *At aſceta pietatis, ſua bona voluntate ſemper ieiunant, & ſemper vigilant excepta Dominica & Pentecoſte.*

Sed lucem de Cataphrygibus non paruam dabunt Theodoreti verba, è libro 3. hæreticarum fabularum, cap. 2. quæ ſic habent:

Verba Theodoreti Epiſcopi:

Περὶ Μοντανιστῶν.

Τῆς δὲ κατὰ Φρύγας καλουμένης αἱρέσεως ἤρξατο Μοντανὸς, ἀπὸ κώμης τινὸς ἐκεῖ διακειμένης ὁρμώμενος, Ἀρδαβὰν καλουμένης.

Οὗτος οἰστρηθεὶς ἔρωτι φιλαρχίας παράκλητον ἑαυτὸν προσηγόρευσε, καὶ προφήτιδας ἐποιήσατο δύο Πρίσκιλλαν καὶ Μαξιμίλλαν· καὶ τὰ τούτων συγγράμματα προφητικὰς προσηγόρευσε βίβλους.

Πέπυζαν δὲ τὴν κώμην ὠνόμασεν Ἱερουσαλήμ.

Οὗτος καὶ γάμον διαλύειν ἐνομοθέτησε, καὶ νηστείας καινὰς παρὰ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπεισήγαγεν ἔθος.

Τὸν δὲ περὶ τῆς θείας τριάδος οὐκ ἐλυμήνατο λόγον· καὶ τὰ περὶ τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας ὁμοίως ἡμῖν ἐδογμάτισεν.

Οἱ δὲ τῆς τούτου διδασκαλίας ἐξηρτημένοι καλοῦνται μὲν ἀπὸ τούτου Μοντανισταὶ, καλοῦνται δὲ κατὰ Φρύγας ἀπὸ τοῦ ἔθνους.

Πεπυζιανοὶ δὲ ἀπὸ τῆς κώμης ἣν Ἱερουσαλὴμ ἐκεῖνος ὠνόμασε.

Αἱ δὲ τῆς Πρισκίλλης καὶ Μαξιμίλλης προφητεῖαι ὑπὲρ τὸ θεῖον εὐαγγέλιον τετίμηνται παρ᾽ αὐτοῖς.

De Montaniſtis.

Hæreſeos, quæ appellatur ſecundùm Phrygas, auctor primus fuit Montanus, è quodam pago illic ſito oriundus, Ardaban appellato.

Hic præſidendi cupidine percitus ſe paracletum nominauit, & propheciſſas creauit duas Priſcillam & Maximillam: & illarum ſcripta appellauit libros propheticos.

Pepuzam verò pagum nominauit Ieruſalem.

Hic & nuptias diſſoluendas ſanxit, & ieiunia præter Eccleſiæ conſuetudinem noua introduxit.

Doctrinam tamen de diuina Trinitate non labefactauit: & de mundi creatione eadem quæ nos edocuit.

Qui verò doctrinam eius ſectati ſunt, *Montaniſtæ* ab eo vocati ſunt: à gente autem, *ſecundùm Phrygas* appellati.

Pepuziani denique à pago, quem ille Ieruſalem nominauit.

Priſcillæ porrò & Maximillæ prophetiæ præ diuino Euangelio apud illos honorantur.

De

De ipsorum autem mysteriis quædam nonnulli iactitant: sed ipsi non fatentur, verùm eam accusationem appellant calumniam.

Περὶ δὲ τῶν μυστηρίων τινὲς μὲν θρυλλοῦσί τινα: ἐκεῖνοι δὲ οὐ συνομολογοῦσιν, ἀλλὰ συκοφαντίαν τὴν κατηγορίαν καλοῦσι.

Quidam verò eorum tres personas diuinitatis conformiter Sabellio inficiantur, eundem dicentes esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum: vti Noëtus ille Asianus.

Τινὲς δὲ αὐτῶν τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τῆς θεότητος Σαβελλίῳ παραπλησίως ἠρνήσαντο, τὸν αὐτὸν εἶναι λέγοντες καὶ πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, παραπλησίως τῷ Ἀσιανῷ Νοητῷ.

Contra hos scripsit Apollinaris, qui Hierapoleos in Phrygia fuit Episcopus, atque ad diuinarum rerum cognitionem externas quoq; adiunxit disciplinas. Scripsit item Miltiades, & Apollonius, & alij Scriptores.

Κατὰ τούτων συνέγραψεν Ἀπολινάριος ὁ τῆς κατὰ Φρυγίαν ἱερᾶς πόλεως Ἐπίσκοπος γεγονώς, ἀνὴρ ἀξιέπαινος, καὶ πρὸς τῇ γνώσει τῶν θείων καὶ τὴν ἔξωθεν παιδείαν προσειληφώς· ὡσαύτως δὲ καὶ Μιλτιάδης καὶ Ἀπολλώνιος, ἕτεροι συγγραφεῖς.

Contra Proclum autem huius hæreseos patrocinatorem scripsit Caius, cuius & antè meminimus.

Κατὰ δὲ Πρόκλου τῆς αὐτῆς αἱρέσεως προστατεύσαντος συνέγραψε Γάϊος, οὗ καὶ πρόσθεν ἐμνήσθημεν.

Hæc Theodoretus apud quem in græcis exemplaribus malè legitur Πατρόκλου loco Πρόκλου.

Nulla enim Patrocli Montanistarum hæresi patrocinantis vsquam mentio: sed Procli bene multa.

Tertullianus libro De præscriptionibus, cap. 52. *Accesserunt*, inquit, *alij heretici, qui dicuntur secundùm Phrygas; sed horum non vna doctrina est. Sunt enim qui* κατὰ Πρόκλον *dicuntur. Sunt qui secundùm Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem & suam: & communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quàm Christum in euangelium protulisse; nec tantùm plura, sed etiam meliora atque maiora. Priuatam autem blasphemiam illi, qui sunt* κατὰ *Æschinem, hanc habent, quâ adijciunt etiam hoc, vt dicant Christum ipsum esse Filium & Patrem*. Ita ibi Tertullianus contra Montanistas, ad quos tamen à Catholicis postea defecit. Contra eandem hęresim multa disputat Epiphanius hæresi 48. vbi tamen illos, (sicut initio dicebamus) sacras omnes admisisse Scripturas confitetur. Ita enim scribit: Οὗτοι γὰρ οἱ κατὰ Φρύγας καλούμενοι δέχονται καὶ αὐτοὶ πᾶσαν γραφήν, παλαιὰν καὶ νέαν διαθήκην. Καὶ νεκρῶν ἀνάστασιν ὁμοίως λέγουσι. *Hi enim, qui secundùm Phrygas appellantur, recipiunt & ipsi omnem Scripturam, antiquum & nouum testamentum. Mortuorum similiter resurrectionem profitentur.*

TERTVLLIANI LAPSVS. b *ATQVE IN HIS TERTVLLIANVS*] De Tertulliani in Cataphrygum hæresim lapsu ita Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis cap. LIII. *Hic cùm vsque ad mediam ætatem Presbyter ecclesiæ permansisset, inuidiâ postea & contumelijs clericorum Romanæ ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ prophetiæ meminit.*

De eodem ita Augustinus in libro De hæresibus ad Quod-vult Deum hæresi 86. *Ideo factus est hæreticus, quia deficiens ad Cataphryges, quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias, contra Apostolicam doctrinam, tanquam stupra damnare: & postmodùm etiam ab ipsis diuisus sua conuenticula propagauit.*

c *QVANTVS VIR DEVS BONE!* &c.] Quantus fuerit Tertullianus, indicat eius cum Origene apud Vincentium Lerinensem facta comparatio. *Nam sicut ille apud Græcos*, inquit, *ita hic apud Latinos nostrorum omnium facilè princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam & cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Iam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat? quæ tantâ, nescio quâ rationum necessitate conserta est; vt ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cuius quot penè verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus euertit.* Ita ille in libro aduersus hęreses cap. 24. vbi & prolapsionem eius in hæresim Montani deplorat.

Vincentio autem ad tale iudicium præierat, pauculis licet verbis, Hieronymus in epistola ad Magnum, vbi sic: *Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? Apologeticus eius & Contra Gentes libri cunctam sæculi obtinent disciplinam*. Caussam prolapsionis

eius

eius varias varij adferunt: sed verissima fuit A in duro atque austero homine, & nullam circa pietatis ac religionis statuta moderationem admittente, sed rigorem in omnibus sectante & secundùm vsurpatam auctoritatem prędicante, nimia sui ipsius apud se existimatio, & præ sacris Pontificibus atque Episcopis iudicij sui atque priuatæ sententiæ prolatio atque obstinata defensio. Vna enim ferè semper in omnibus à regia via deerrantibus ruinæ ac præ- B cipitij caussa est, inconsiderata à suis in ecclesia rectoribus atque præsidibus ad suos sensus & selecta arbitria defectio. Si enim Tertullianus, eorum more qui nouos ordines religiosos in ecclesia meditantur, suum vitæ perfectioris atque austerioris institutum supremo Pontifici proposuisset approbandum, déque eius consilio illud tenuisset, & si hoc quoque ante illum Montanus, & eius sectator Proclus, aliique C fecissent; næ ipsi incomparabiles, iunctâ præsertim tantæ eruditioni & tam exactæ disciplinæ Christianâ modestiâ, extitissent.

d *SVNT ET ALIA, QVÆ HIS VVLGO AFFINGANTVR*] Quæ sint illa, quæ falsò Cataphrygibus afficta sunt, notaui superiùs, vbi multa de hac hæresi.

e *PRIMVS AVT INTER PRIMOS OBSTRVXIT S. APOLLINARIS*] Liquet D ex Eusebio, Hieronymo, Theodoreto suprà citatis, qui semper primum nominant S. Apollinarem, cùm de Scriptoribus contra Montani hæresim agunt.

f *NVLLIBI FERE MINVS QVAM IN PHRYGIA RADICES FECERIT*] Patet è fragmento sub nomine Apollinaris suprà posito haud multos in Phrygia à Montano & asseclis peruersos fuisse: propter Episcoporum scilicet, (pręcipuè verò E S. Apollinaris) vigilantiam, qui sæpè ea de caussa cœtus habuerunt: vt ibidem indicatur. Adeo nihil melius contra hæreses, quàm Episcoporum vigilantia. Et nihil è contrario deterius, quàm eorundem veternus & negligentia.

g *LITTERAS SVPER MONTANI EXCOMMVNICATIONE*] Earum litterarum mentionem facit B. Serapion apud Eusebium libro V. hist. eccl. cap. 18. Cita- F bo verba ipsius Serapionis, cùm post eiusdem vitam fragmenta illi sua adscribam.

h *CIRCVLARIVM EPISTOLARVM*] Litteræ quæ ad omnes ecclesias eædem mittebantur, gręcè ἐγκύκλιοι vel καθολικαί, Latinè circulares, & nonnunquam retentis vocibus Græcorum, encyclicæ, & catholicæ appellabantur. Tales fuerunt litteræ S. Apollinaris super Montani excommunicatione ad omnes ecclesias, vt tunc fieri solitum, missæ. De hoc genere litterarum, aliisque antiquitati vsurpatis vtilem librum edidit Franciscus Bernardinus, quem inscripsit. *De antiquo ecclesiasticarum epistolarum genere*. Vide illum.

i *NON TANTVM IN ASIA VEL IN PONTO*] Latè vagatam hanc hęresim tum alia, tum hic S. Epiphanij locus arguit, in quo & Cappadociam, & Galatiam, & Ciliciam, & alias regiones infectas docet his verbis: Ἔστι γὰρ καὶ τὸ γένος ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ ἐν τῇ προειρημένῃ Φρυγίᾳ· ὅθεν κατὰ Φρύγας ἡ αἵρεσις καλεῖται· ἀλλὰ καὶ ἐν Κιλικίᾳ, καὶ ἐν Κωνσταντίνου πόλει τὸ πλεῖστον. *Est enim & hoc genus in Cappadocia, & Galatia, & in priùs dicta Phrygia (vnde hæresis secundùm Phrygas appellatur) sed & in Cilicia, & Constantinopoli plurimùm.*

Vide etiam Hieronymum lib. 2. in epistolam ad Galatas in præfatione.

Quòd autem & per Africam grassata sit ea pernicies, pro testibus sunt Proculus & Tertullianus ea infecti.

k *ITAQVE ET MILTIADES ECCLESIÆ SOPHISTA*] Sic appellat Tertullianus libro *Aduersus Valentinianos*, cap. V. TERTVLLIANI LOCVS EMENDATVS. *Vt Miltiades*, inquit, *ecclesiarum sophista, vt Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator: vt Proculus nostræ virginis sectæ & Christianæ eloquentiæ dignitas.*

Sic enim legendus ille Tertulliani locus, circa quem multum laborauit Pamelius, nec profecit; alij autem cùm aqua ipsis hæreret, saltu transiêre. Legebatur enim hactenus nullo emendante *nostræ virginis senectæ*, nec poterat τὸ *senectæ* nisi incommodissimè explicari. At verò *sectæ* proprium hic est & vsitatissimum Tertulliano verbum, non dico in malam, sed in bonam partem. Erat autem iam Tertullianus sectæ Montanistarum ab ipso Proculo, magno in ea hæresi viro (si quid tamen in malo magnum) à fide in errorem pertractus. Suam ergo sectam, (in qua tantus inerat virginitatis amor & castitatis, vt secundæ nuptiæ pro adulteriis censerentur) præ Ecclesia catholica, in qua & tertiæ & quartæ permittebantur nuptiæ, appellat *sectam virginem*. Idem enim apud eum est *secta & religio*. Sic accipit in libro *De pallio*, cap. vltimo. *At ego*, inquit, *iam me illi etiam diuinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero.* Et in Apologetico, cap. 46. *Interim incredulitas dum de bono sectæ huius obducitur* .i. conuincitur, vt apud eundem aliquoties. Et libro *Ad Scapulam* cap. 1.° *Nos quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur: cùm ad hanc sectam vtique suscepta conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus.* Animas auctorati .i. obligatis

obligatis animabus. Sic alibi sæpius in bonam partem capitur ab eodem Tertulliano. Pontius item in Cypriani vita aliquoties in dextro significatu vsurpauit: *Hanc*, inquit, *toto honore atque omni obseruantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non iam vt amicum coæqualis secta, sed vt nouæ vitæ parentem*. Sic Cicero & Cæsar, aliique latini auctores (quorum exempla sunt in promptu) acceperant.

De secta satis. Non minùs in bonam partem apud Græcos & Latinos σοφιςής, sophistes seu sophista olim accipiebatur, nempe pro eo, in quo singularis aliqua esset doctrina, seu Philosophiæ, seu eloquentiæ, seu alia. Nam sic Plato, Aristoteles, Cicero vsurparunt.

Hic ergo Miltiades, qui se Cataphrygibus opposuit, sophista fuit, id est, clarus philosophia & eloquentia: non autem fuit (quod perabsurdè atque ineptè scripserunt Gabriel Prateolus & Bernardus Lutzemburgus in suis libris de hęresibus) Melchiades Papa, qui vno minimùm sæculo pòst vixit, & scripsit nihil.

AD CAP. III.

Quæstio hîc vna tractanda est: An fragmenta antehac posita sub nomine S. Apollinaris, sint eius, an alterius.

ESse eius tenent Ruffinus Presbyter, Nicephorus Callistus, Cæsar Baronius: qui omnes sub eius citant nomine, nullâ tamen, quamobrem id faciant, allatâ ratione. Nam Eusebius, (vnde illi verba ista hauserunt) non indicat illa esse S. Apollinaris, sed potiùs contrarium. Quod videre licet in verbis Eusebij, quæ idcirco suprà posui omnia, cap. 3. ante hasce notationes. Dicit enim Eusebius S. Apollinarem & multos alios scripsisse contra hęresim Cataphrygum, deinde subdit: *Quidam igitur ex ijs quos diximus, suum contra illos opus exordiens ostendit primò* &c. Ergo per illa verba: *Quidam ex ijs*, intelligunt isti S. Apollinarem: ego verò magis existimauerim ab Eusebio significari aliquem, cuius nomen ignorauerit. 1.° Nam alioqui more suo nominasset, dixissetque: *E quibus Apollinaris:* aut saltem, cùm octies & sæpius citet eiusdem auctoris verba, semel Apollinarem nominasset, vsurpassetque illud, quod semper in aliis solet: *Hæc Apollinaris;* sicut ferè continenter: *Hæc Hegesippus*. aut *Ista Meliton*. vel *Hactenus Irenæus*. & alia eiusmodi. Verùm hîc nihil horum fecit. Quare non videntur scripta illa toties sine nomine Apollinaris citata, esse Apollinaris.

NON SVNT APOLLINARIS.

2.° Ex verbis Eusebij suprà cap. 2. citatis videtur Apollinaris contra tunc primùm exorientem hęresim scripsisse: Auctor verò ille, qui absque nomine citatur, scripsit post mortem Montani & Maximillæ annis tredecim, eóque ampliùs, vt in ipsis videre est fragmentis.

3.° Auctor horum fragmentorum agens de huius sectæ origine, eâ scribendi formâ vtitur: *Pagus quidam esse dicitur in Mysia iuxta Phrygiam, Ardaban appellatus. Ibi ferunt quendam qui nuper ad fidem venerat, Montanum nomine* &c. Quæ verba non videntur hominis nati in Phrygia, aut episcopatum in ea gerentis. Nam Apollinaris Phrygiæ popularis & Episcopus, ac Montano ęqualis sic potiùs dixisset: *Est pagus in Phrygia* &c. *Ibi Montanus quidam* &c.

4.° Dum Eusebius alios recenset Apollinaris libros, semper addit & numerum: vt duos De veritate: duos aduersus Iudæos: quinque aduersus Gentes &c. cùm autem venit ad scripta contra hanc hæresim, tacet librorum numerum. Et tamen, si quidem hæc fragmenta fuissent Apollinaris, non ignorasset, nec tacuisset numerum: cùm singula ista fragmenta suis assignet libris, dicatque: *Hæc è principio libri primi; Hæc è secundo libro: Hæc è tertio*, prout res vnaquæque exigit.

5.° Fragmentorum istorum auctor dicit se redegisse quædam Miltiadis contra eam hæresim in compendium. Atqui hoc non est eius, qui Miltiade maior fuit, & ætate, & dignitate, & scientia, & auctoritate.

Quare non videntur illa fragmenta esse Apollinaris: vti neque Miltiadis illud quod ipsi attribuit Baronius tomo 2. ad annum Christi Domini 173. nempe hoc: *Hic pseudopropheta Montanus* &c. quod suprà græcè latinéque posui inter fragmenta: Α'λλ' ὅγε ψευδοπροφήτης &c. *At hic pseudopropheta* &c. Est enim istud fragmentum eiusdem incerti & ἀνωνύμου auctoris, cuius cetera perperam Apollinari adscripta. Quod patet ex verbis Eusebij toti fragmēto subiectis, quæ sunt ista: Οὗτος μὲν δὴ τοιαῦτα· ὅγε τοι πρὸς αὐτοὺς διηλεγμένος Μιλτιάδης &c. *Atque hæc quidem ille* [scriptor scilicet incertus] *Miltiades autem ab eo indicatus* &c. Videntur ergo diuersi, ille Scriptor scilicet, & is qui ab illo Scriptore citatus est Miltiades.

Hactenus de quæstione: nunc de illis nouis Montanistis qui tempore S. Hieronymi exstiterunt, ipsius verba Hieronymi hîc subdam pro corollario.

Sic igitur de illis, epistolâ LIIII. ad Marcellam extremâ: *Aperta est conuincenda blasphemia dicentium Deum primùm voluisse in veteri testamento per Moysen & Prophetas saluare*

saluare mundum; sed quia non potuerit explere; corpus sumpsisse de Virgine, & in Christo sub specie filij prædicantem, mortem obijsse pro nobis: & quia per duos gradus mundum saluare nequiuerit, ad extremum per Spiritum sanctum in Montanum, Priscam, & Maximillam (insanas feminas) descendisse, & plenitudinem
1. Cor. 13. *(quam Paullus non habuerit dicens: EX PARTE COGNOSCIMVS ET EX PARTE PROPHETAMVS: &, NVNC VIDEMVS PER SPECVLVM IN ÆNIGMATE) abscissum & semiuirum habuisse Montanum. Hæc sunt, quæ coargutione non indigent. Perfidiam eorum exposuisse, superasse est.*

Ita Hieronymus. Qui Montanum vocat *abscissum & semiuirum*, non quòd talis fuerit, sed quòd in terra Phrygia natus sit, vbi antiquitus tempore Gentilitatis, sacrifici Cybeles exsecari soliti erant. Perstringit hunc morem Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, cap. 25. Vide ibi.

F I N I S.

Ad maiorem Dei Opt. Max. gloriam, & S. Apollinaris felicem memoriam.

S. MELITONIS SARDIVM IN ASIA EPISCOPI VITA ET SCRIPTA

EX HIS POTISSIME AVCTORIBVS COLLECTA:

Ipsomet S. MELITONE.
S. Polycrate eiusdem sæculi Scriptore.
B. Clemente Alexandrino.
Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo.
S. Hieronymo Ecclesiæ Doctore.
Flauio LVCIO DEXTRO.
Nicephoro Callisto.
Petro de Natalibus, Equilino Episcopo.
Francisco Maurolyco, Abbate Messanensi.
Cæsare Baronio E. R. Cardinale.
Roberto Bellarmino item Cardinale.

AVCTORVM DE S. MELITONE ELOGIA.

Polycrates Ephesi Episcopus & primas Asiæ, *in epistola ad Victorem Papam.*

Τί δὲ δεῖ λέγειν Σάγαριν Ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, ὃς ἐν Λαοδικείᾳ κεκοίμηται; ἔτι δὲ καὶ Παπείριον τὸν μακάριον, καὶ ΜΕΛΙΤΩΝΑ τὸν εὐνοῦχον τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον, ὃς κεῖται ἐν Σάρδεσι.

S. Hieronymus interpres verborum Polycratis, *lib. de illustribus ecclesiæ Scriptoribus.*

Quid necesse est Sagaris Episcopi & martyris recordari, qui in Laodiceâ soporatur, & Papyrij beati, & Melitonis in sancto Spiritu eunuchi, qui semper Domino seruiens positus est in Sardis? &c.

Eusebius Cæsariensis, *lib. 4. hist. eccl. cap. 25.*

Ἐπὶ τῶνδε καὶ Μελίτων τῆς ἐν Σάρδεσι παροικίας ἐπίσκοπος, Ἀπολινάριός τε τῆς ἐν ἱεραπόλει διαπρεπῶς ἤκμαζον. *Inter eos Melito quoque ecclesiæ Sardium Episcopus, & Apollinaris Hierapoleos eximiè floruerunt.*

Robertus Bellarminus, *lib. de Scriptoribus ecclesiasticis.*

Sanctus Melito Sardiensis Episcopus, M. Aurelij Imp. tempore floruit: cui etiam apologiam pro Christianis dedit. &c.

VITA
S. MELITONIS
SARDIVM IN ASIA EPISCOPI.

PRÆFATIO.

E Claris sanctæ Ecclesiæ Scriptoribus ij potißimè perennem ad posteros memoriam laudémque promereri videntur, qui scriptis suis non modò in pace & tranquillitate fidem firmare ac propagare studuerunt; sed etiam in bello & persecutionibus, exaratis ad Imperatores apologijs, eam ipsam cum vitæ suæ periculo propugnare laborarunt. Quorum in numero se recenseri beatus Melito, (vt vita ipsa patefaciet) haud immeritò gloriatur. Atque hac ego quidem de caussa, eius celebrandi nominis, & vitæ diuulgandæ studio incensus, cuncta quæ de illo diligenter ac studiosè perquisita reperire habui, (quamuis ea quidem perpauca, virtutum tamen eius nec paucarum nec paruarum insignia specimina) in vnum congeßi, atque in publicum edere constitui. Tantùm inceptis nostris ille adsit, qui illi ingenium, doctrinam, sanctitatem, animos, vires pro fidei defensione contulit: atque id, quod nunc est pertenue laboris nostri & vitæ eius, vel per alios deinceps in maius promoueat.

CAPVT PRIMVM.

S.[a] Melitonis patria, genus, ætas.

TVLIT hunc palmitem terra [b] Asia, & (quod veri est simillimum) vrbs Sardis: sed qui parentes extulerint ac educarint, atque an Christiani illi fuerint, an Gentiles, an Iudæi, manet hodiéque

hodiéque incompertum. [c] Secundo autem floruisse sæculo, sed ferè medio (ita vt eodem ineunte in lucem editus sit, nempe sub prima Traiani Imp. tempora, & Domini Saluatoris annum circiter centesimum) perquam probabilis est in re haud prorsus certâ coniectura. [d] Fuerunt tamen qui eius natalem aliquanto superiùs, atque ad ipsum vsque Domitiani imperium, immo & Neronis retro traherent: nimirum illi, qui eum esse existimarũt, ad quem iam Sardibus Episcopum beatus Ioannes Apostolus illa suæ Apocalypseos verba destinarit: *Angelo ecclesiæ Sardis scribe. Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei,* Apocal. 3. ver. 1. *& septem stellas. Scio opera tua: quia nomen habes quòd viuas; & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris, & serua & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo & coram Angelis eius.* Quæ verba si in Melitonem quadrent, & ipse re vera ille sit Episcopus, ad quem S. Ioannes è Patmo insula (vbi exsul degebat) imperante Domitiano illa perscripserit; necesse est iam tum ætatem ipsum attigisse Pontificiam, ac proinde annis circiter triginta ante vltimum Domitiani esse natum, quod tempus vsque ad Neronis principatum se protendit. Quæ quidem opinio, vt solidè probari non potest, ita nec prorsus validè aut certò reprobari: cùm & S. Polycarpus Apostolorum discipulus ad paria tempora vtrumque suum natalem produxerit. Natus enim sub Nerone, coronam martyrij sub M. Aurelio Antonino meruit, nempe illo ipso, cui apologiam pro Christianis (vt pòst memorabitur) Melito noster affecta ętate obtulit. Neque enim illa Apostoli siue etiam Christi Domini verba, quibus ei dicitur: *Scio opera tua: quia nomẽ habes quòd viuas: & mortuus es* (quibus verbis indicari videtur illius Episcopi, quisquis fuerit, miserrimus status, & exitiali oppressa peccato conscientia) neque illa, inquam, verba quamuis terribilia, quamuis horrenda, de alio euinci potest, quàm de Melitone esse conscripta: cùm nec primus, nec solus ille sit, qui è sanctis peccauerit, & à peccatis resipuerit. Quis enim in noua lege S. Petro Apostolorum coryphæo aut fide in Dominum illustrior, aut caritate erga magistrum ardentior? Atqui post clarissimam & laudatissimã diuinitatis magistri sui confessionem, non modò eiusdem magistri amicitiam & societatem, sed etiam (quod plus est) notitiam pernegauit. Neque minùs tamen postea resipuit. Auctores igitur huius sentẽtiæ ita ferè disputant: Esto. Mortuus aliquando fuerit Melito: at reuixit. Mortuus fuit à nimio somno & negligentia gregis sui lupis expositi: sed propterea dor-

mientem ſupremus ille paſtor excitauit, vt ad vitam gratiámq; reſuſcitaret. Propterea enim dixit: *Eſto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant:* vt nimirum & ſibi primùm vigilaret expergefactus, & cùm ſe confirmaſſet, alios itidem, qui morituri erant, confirmaret. Ita & Petro dixerat aliquando Dominus: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Nec enim ſemper ad exitium tendunt minæ: ſępius etiam vt ab exitio auocent, atque vt ad ſalutem reducant. Valida proinde & efficacia fuerunt illa Domini partim comminantis partim commonentis verba, & ſomnum illum vt Epiſcopis, ſic & gregibus ſemper admodum perniciabilem diſcuſſerunt: atque adeo ad curam vigilantiámque ſingularem impulerunt. Quemadmodum enim generoſis equis non rarò accidere ſolet, vt poſt aliquam pedum in itineribus offenſionem celeriùs currant; ita magnis ac pręſtantibus animis vſu venit, vt à graui quapiam in officio ac moribus prolapſione ad maiorem virtutem ac ſanctimoniam ardentiùs ac vehementiùs cum diuina gratia ſe referant. Atque hęc illi quidem ita diſputant: ſed aliud certè ex ijs conficere non valent, quàm opinionẽ ſuam aut ſummùm probabilem eſſe, aut ſaltem non reiectaneam. Tametſi enim omnia quæ afferunt, demus accidere potuiſſe; tamen accidiſſe, nec ratio vlla obtinet, nec veterum Scriptorum auctoritas ſuffragatur. [c] Quin ipſi, cùm æqualem dumtaxat Hegeſippo, Theophilo, Apollinari, atq; alijs huius ſæculi Scriptoribus (qui Apoſtolos non viderunt, ſed proximè ſecuti ſunt) eum faciant; longè probabiliorem eam ſtatuunt ſententiam, quæ Melitonis natiuitatem (vti & ceterorum eius æui) ad proxima Apoſtolis atque ipſorum diſcipulis refert tempora. Quam quidem ſententiam eò procliuiùs ſequimur, quòd cùm certiſſimum ſit fuiſſe Sardibus primo ſęculo, & ipſius Ioannis in Patmo exſulantis tempore, aliquem Epiſcopum; è contrario Melitonem (cuius talis dignitas illo ęuo à nullis Scriptoribus agnoſcitur) vel natum tunc fuiſſe ſit incertiſſimum. Quare illo, quod minùs compertum eſt, relicto, ad ea quæ comperta habemus & explorata, tranſeamus.

Apocal. 3. ver. 2.

Lucæ 22. ver. 32.

Euſebius lib. 4. hiſt. eccl. cap. 20.

CAPVT SECVNDVM.

S. Melitonis ingenium, eruditio, dignitas Pontificia, ſtudiorum fructus.

FVit Melito ſuaui ac benigna indole, prompto facilíque ingenio, animi vigore laborum patiente: quibus ad artes capeſſendas liberales condignè vſus, non mediocres in ijs progreſſus fecit. Nam eius quidem eloquentiam, vel ex vnius orationis, quam pro fidei noſtræ defenſione compoſuit, ſuperſtite fragmento (ſic enim ſolemus & ex limbo pannum) habemus cognitam. Quantus autem in philoſophia fuerit, quàm varia rerum & hiſtoriarum cognitione abundarit; relicta Eccleſiæ ſtudiorum eius monumenta, quæ ſæculis melio-

melioribus perdurarunt,& magnó æſtimata ſunt,liquidò conteſtantur. Sed in diuina prę̨ſertim ſcientia & Scripturis ſacris illi animus fuit. Nam cetera pro terrenis & leuibus alimentis, has pro ſolidis cibis & cę̨leſtibus animæ delicijs (vti re verâ erant) reputabat. Quare cùm his egregiè inſtructo diſciplinis, morum quoque integritas, & vitæ innocentia comites acceſſiſſent; eum ſacri Antiſtites bonum ab omni eccleſia teſtimonium habentem in ſuum ordinem cooptarunt, & Sardibus magna vrbe & copioſa, atque ditiſſimi illius Crœſi olim regia, rem adminiſtrare Chriſtianam iuſſerunt. Quam ille ita adminiſtrauit, vt & adiectis infidelium ad Chriſti fidem conuerſorum turbis non paucis auctiorē reddiderit, & detectis ac diſcuſſis inſidiantium hę̨reticorum dolis,tutiorem.Sapientię̨ enim eius & Spiritui qui per ipſum loquebatur, non poterant neq; philoſophi reſiſtere, neq; hę̨retici repugnare.Atque ad philoſophos quidem quod attinet, cùm ſatis intelligeret quàm noxia fidei noſtræ eſſent quę̨dam eorum ſcita,& quantam ea vim haberent (niſi ſi prima ipſorum fundamenta ſuffoderentur) ad religionis Chriſtianæ vel retardandum progreſſum,vel ſtructuram labefactandam; hoc ſibi vltro ſuſcepit negotij,& ſanè perquam fructuoſi, vt ea philoſophiæ capita, quæ maximi ad fidem momenti ſunt, & ſine quibus non poteſt veræ in Deum pietatis moles ſurgere aut conſiſtere, ſedulò pertractaret, atque omni rationum genere, prout facultas erat,ſuffulciret. Hanc igitur in rem & de huius vniuerſi creatione, & de hominis natura, & de ſenſibus, & de anima & corpore, non quidem de omnibus generatim atque coniunctim, ſed de ſingulis illorum (vno tamen excepto, qui de anima & corpore coniunctim agit) ſingulos ac diuiſos tractatus in lucem edidit. Quippe in quorum plana perfectáque notitia latam ad fidei ingreſſum viam diuinâ adſpirante gratiâ ſterni non ignorabat. Nam certè, niſi conſtitutum ſit ac perſuaſum, quiſnam hunc mundum architectus fabricarit; quis omnia, quæ vaſto illius ſinu continentur, condiderit; quis ſolem, lunam, ſtellas cælis à ſe factis atque ad volubilitatem rotundatis affixerit; quis ipſum denique primum hominem efformarit; quam ei naturam indolémque indiderit; quo fini corpus,qua perpetuitate animam,quo vtrumque vinculo nunc ſolubili, pòſt indiſſolubili, donauerit, aſtrinxerit,relaxarit;niſi de his, inquam, conſtitutum ſit; nihil effici apud Philoſophos, nihil obtineri apud harum rerum rudes atque ignaros (quod quidem ad fidem & vitam æternam ſpectet) vllâ ratione poterit: ſed animus hominis incertus atque inſtabilis,modò ad infinitos mundos eóſque æternos, modò ad fortuitos atomorum quaquauerſum concurſus, modò ad alia atque alia his abſurdiora (ſiqua tamen eſſe poſſint) commenta, pro cuiuſque genio & ingenio rapietur. Quibus vt obuiàm iret beatus Melito,ac ſolida veræ ac ſinceræ fidei fundamenta iaceret,docuit

 è Moyſis

è Moysis sapientissimi libris tempus, modúmque totius creationis; nec docuit solùm, sed validissimis quoque argumentis partim doctrinam suam stabiliuit, partim alienas opiniones infirmauit, subuertítque. Tum verò & hominis naturam diuersissimis è partibus à primo illo & incomparabili artifice conflatam exposuit, cuius scilicet corpus fragile & è limo fictum, anima verò de nihilo condita & sempiterna, diuino ęternæ sapientiæ consilio sic connexa sint, vt factâ semel dissolutione illud quidem, eò vnde ortum est, redeat; hęc autem pro suis in vita meritis, vel inferna damnatorum loca subeat, vel ad beatorum suprema palatia conscendat. Hæc enim Philosophis, & propè omnibus Ethnicis, aut penitus ignota erant, aut ex parte tantùm & perobscurè cognita. Vnde & multorum ecclesiæ doctorum in eodem scripti genere, in primis pręsertim sęculis, versata est industria. Nec verò istis contentus Melito fuit; sed cùm probè sciret parum esse, fidei amouere atque amoliri impedimenta; nisi & ipsammet fidem & omnia ex eius præscripto ad salutem necessaria claris ac illustribus documentis in luce exponeret, ad alios tractatus eam in rem concinnandos vertit animum. Ergo libros complures in publicum emisit: quorum vnus fuit *De fide*, alius *De veritate*, tertius *De obedientia fidei*, quartus, qui *Clauis* est appellatus. Et hos quidem potissimè in Gentilium gratiam editos esse ipsa præ se ferunt nomina & argumenta. Nam alij, quos ętiam multos exarauit, magis ad eos spectant qui vel iam in Christi castris versantur, vel certè dato eius militiæ nomine admissionem exspectantes, interim ecclesiæ limen terunt. Tales sunt libri *De Baptismate*, *De Ecclesia*, *De Christi generatione*, *De Verbo incarnato*, & alij qui in subiecto parebunt indiculo. Qui omnes & miram hominis diligentiam ostendunt, & Episcopis nostris clamant, quàm ipsi abhorrere ab inerti otio, & quibus distineri occupationibus debeant: nempe vt si quod vacuum à sacris officij sui negotijs tempus suppetat, id vel sacrarum litterarum lectioni, vnde spiritum vitæ hauriant; vel edendis publico vsui libris, vnde vitam & alimentum alijs suppeditent, largè ac sine parsimonia impendant. Et Melito quidem noster, quàm diuinarum Scripturarum mel amauerit, obscurum esse non sinunt sex illi egregij codices, in quos pręclaras sententias & selecta documenta, (quæ velut sedula atque officiosa apis ex omni sacrarum litterarum vetere instrumento messuerat) deportauit, & Excerptorum libros nuncupauit. Quin etiam, quò de veteris testamenti codicibus, eorúmque numero & auctoritate fieret certior, ac partim etiam (vt opinor) quò terram illam sanctam & Christi sanguine irrigatam inuiseret, colerétque, in Palęstinam se contulit: ratus nimirum se ibi accuratiùs & exploratiùs cuncta illarum litterarum monumenta reperturum, vbi ea quæ in ipsis continentur, gesta & scripta essent. De his porrò integram

gram

gram ipsius epistolam ad Onesimum fratrem missam infrà subijciam: in qua velut in speculo omnes antiqui instrumenti codices, qui ea quidem ętate primam & indubitatam certæ veritatis auctoritatem obtinebant, recognoscentur. Tales autem sacræ Scripturæ codices libri canonici vulgò appellantur. Verùm de illis alias. Nam in præsenti ad singularem sancti viri castimoniam, & familiarem castimoniæ sociam comitémque prophetiam auocamur.

CAPVT TERTIVM.

Beati Melitonis eximia castimonia & prophetiæ donum.

QVi solent è sacrarum litterarum lectione in pias animas fructus emanare, ij tanto vberiùs in pientissimam Melitonis animam emanarunt, quanto maiore in ijs diligentia cum fratrum suorum emolumento (vt antè indicatum est) coniuncta dies noctésque insudauit. Inde igitur illa exstitit eius animæ puritas morum innocentia, vitæ integritas, absoluta denique totius hominis castimonia. Propter quam castimoniam meruit à viris sanctissimis illo diuino elogio *Eunuchi in Spiritu sancto* honorari. Quia scilicet ex illo eunuchorum laudatissimo genere fuerit, de quibus ipse Dominus in euangelio ad castitatis commendationem dixit: *Et sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum:* id est, qui sua voluntate ab omnibus coniugij quamuis liciti voluptatibus, propter illas incomparabiles, quæ beatos in cælo manent, delicias sese abstinuerunt, & quodam modo absciderunt. Hi ergo sunt eunuchi in Spiritu sancto. Nam alij eunuchi, vel à natura, vel ab hominibus tales sunt: hi autem soli à gratia & à Spiritu sancto. Hic enim est Spiritus, qui cor mundum amat: qui virgines diligit & facit: qui nullum nec preciosius, templum habet, nec speciosius quàm intaminatarum corda cælibum ac virginum. Quid est enim caussæ quamobrem cum illo Melitonis sæculo tam multi exstiterunt alij viri sancti, & Episcopi casti, seu in Orientali, seu in Occidentali ecclesia; hoc tamen peculiare Melitoni tribuatur, vt *Eunuchus in Spiritu sancto* appelletur? Debuit certè rarum aliquod ab eo vel exemplum singularis castimoniæ exhibitum esse, vel illustre de illo testimonium obseruatæ virginitatis cælitus ostensum. Virgo igitur cùm esset, totúsque vni Deo intentus Sapientiam illam inuocauit, *quæ, cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.* Venit ergo in eum Sapientia, & quæ illum pridem amicum habebat, prophetam quoque constituit, non modò domesticis fidei, sed etiam Gentibus atque alijs à fide alienis reuerendum. Abdita enim hominibus mysteria diuino afflatus Spiritu hauriebat, atque ad alios (si quando Dei honos

S. Hieronymus lib. De Script. eccl. in Polycrate.

Matt. 19. ver. 12.

Sapientiæ 7. ver. 27.

è Moyſis ſapientiſſimi libris tempus, modúmque totius creationis; nec docuit ſolùm, ſed validiſſimis quoque argumentis partim doctrinam ſuam ſtabiliuit, partim alienas opiniones infirmauit, ſubuertítque. Tum verò & hominis naturam diuerſiſſimis è partibus à primo illo & incomparabili artifice conflatam expoſuit, cuius ſcilicet corpus fragile & è limo fictum, anima verò de nihilo condita & ſempiterna, diuino ęternæ ſapientiæ conſilio ſic connexa ſint, vt factâ ſemel diſſolutione illud quidem, eò vnde ortum eſt, redeat; hęc autem pro ſuis in vita meritis, vel inferna damnatorum loca ſubeat, vel ad beatorum ſuprema palatia conſcendat. Hæc enim Philoſophis, & propè omnibus Ethnicis, aut penitus ignota erant, aut ex parte tantùm & perobſcurè cognita. Vnde & multorum eccleſiæ doctorum in eodem ſcripti genere, in primis pręſertim ſęculis, verſata eſt induſtria. Nec verò iſtis contentus Melito fuit; ſed cùm probè ſciret parum eſſe, fidei amouere atque amoliri impedimenta; niſi & ipſammet fidem & omnia ex eius præſcripto ad ſalutem neceſſaria claris ac illuſtribus documentis in luce exponeret, ad alios tractatus eam in rem concinnandos vertit animum. Ergo libros complures in publicum emiſit: quorum vnus fuit *De fide*, alius *De veritate*, tertius *De obedientia fidei*, quartus, qui *Clauis* eſt appellatus. Et hos quidem potiſſimè in Gentilium gratiam editos eſſe ipſa præ ſe ferunt nomina & argumenta. Nam alij, quos ętiam multos exarauit, magis ad eos ſpectant qui vel iam in Chriſti caſtris verſantur, vel certè dato eius militiæ nomine admiſſionem exſpectantes, interim eccleſiæ limen terunt. Tales ſunt libri *De Baptiſmate*, *De Eccleſia*, *De Chriſti generatione*, *De Verbo incarnato*, & alij qui in ſubiecto patebunt indiculo. Qui omnes & miram hominis diligentiam oſtendunt, & Epiſcopis noſtris clamant, quàm ipſi abhorrere ab inerti otio, & quibus diſtineri occupationibus debeant: nempe vt ſi quod vacuum à ſacris officij ſui negotijs tempus ſuppetat, id vel ſacrarum litterarum lectioni, vnde ſpiritum vitæ hauriant; vel edendis publico vſui libris, vnde vitam & alimentum alijs ſuppeditent, largè ac ſine parſimonia impendant. Et Melito quidem noſter, quàm diuinarum Scripturarum mel amauerit, obſcurum eſſe non ſinunt ſex illi egregij codices, in quos pręclaras ſententias & ſelecta documenta, (quæ velut ſedula atque officioſa apis ex omni ſacrarum litterarum vetere inſtrumento meſſuerat) deportauit, & Excerptorum libros nuncupauit. Quin etiam, quò de veteris teſtamenti codicibus, eorúmque numero & auctoritate fieret certior, ac partim etiam (vt opinor) quò terram illam ſanctam & Chriſti ſanguine irrigatam inuiſeret, colerétque, in Palęſtinam ſe contulit: ratus nimirum ſe ibi accuratiùs & exploratiùs cuncta illarum litterarum monumenta repęrturum, vbi ea quæ in ipſis continentur, geſta & ſcripta eſſent. De his porrò integram

gram

gram ipsius epistolam ad Onesimum fratrem missam infrà subijciam: in qua velut in speculo omnes antiqui instrumenti codices; qui ea quidem ętate primam & indubitatam certæ veritatis auctoritatem obtinebant, recognoscentur. Tales autem sacræ Scripturæ codices libri canonici vulgò appellantur. Verùm de illis alias. Nam in præsenti ad singularem sancti viri castimoniam, & familiarem castimoniæ sociam comitémque prophetiam àuocamur.

CAPVT TERTIVM.

Beati Melitonis eximia castimonia & prophetiæ donum.

QVi solent è sacrarum litterarum lectione in pias animas fructus emanare, ij tanto vberiùs in pientissimam Melitonis animam emanarunt, quanto maiore in ijs diligentia cum fratrum suorum emolumento (vt antè indicatum est) coniuncta dies noctésque insudauit. Inde igitur illa exstitit eius animæ puritas morum innocentia, vitæ integritas, absoluta denique totius hominis castimonia. Propter quam castimoniam meruit à viris sanctissimis illo diuino elogio *Eunuchi in Spiritu sancto* honorari. Quia scilicet ex illo eunuchorum laudatissimo genere fuerit, de quibus ipse Dominus in euangelio ad castitatis commendationem dixit: *Et sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum*: id est, qui sua voluntate ab omnibus coniugij quamuis liciti voluptatibus, propter illas incomparabiles, quæ beatos in cælo manent, delicias sese abstinuerunt, & quodam modo absciderunt. Hi ergo sunt eunuchi in Spiritu sancto. Nam alij eunuchi, vel à natura, vel ab hominibus tales sunt: hi autem soli à gratia & à Spiritu sancto. Hic enim est Spiritus, qui cor mundum amat: qui virgines diligit & facit: qui nullum nec preciosius, templum habet, nec speciosius quàm intaminatarum corda cælibum ac virginum. Quid est enim caussæ quamobrem cum illo Melitonis sæculo tam multi exstiterunt alij viri sancti, & Episcopi casti, seu in Orientali, seu in Occidentali ecclesia; hoc tamen peculiare Melitoni tribuatur, vt *Eunuchus in Spiritu sancto* appelletur? Debuit certè rarum aliquod ab eo vel exemplum singularis castimoniæ exhibitum esse, vel illustre de illo testimonium obseruatæ virginitatis cælitus ostensum. Virgo igitur cùm esset, totúsque vni Deo intentus Sapientiam illam inuocauit, *quæ, cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.* Venit ergo in eum Sapientia, & quæ illum pridem amicum habebat, prophetam quoque constituit, non modò domesticis fidei, sed etiam Gentibus atque alijs à fide alienis reuerendum. Abdita enim hominibus mysteria diuino afflatus Spiritu hauriebat, atque ad alios (si quando Dei honos

S. Hieronymus lib. De Script. eccl. in Polycrate.

Matt. 19. ver. 12.

Sapientia 7. ver. 27.

honos fratrúmque vtilitas exigeret) benignè depromebat. Hinc & verè ac meritò propheta à ſuis habitus eſt & dictus. Et factum bene, quòd vir tali apud homines in exiſtimatione ad libros quoſdam, pro illo Eccleſiæ ſtatu perquam vtiles conſcribendos animum applicauit. Tum enim duos apprimè neceſſarios in lucem edidit: vnum *De politia*, ſiue de recta vitæ inſtitutione: alterum *De prophetia:* vt in illo quidem qualis eſſe deberet veri Chriſtiani vita, non in moribus tantùm ſuis ad præſentium exemplum; ſed etiam in ſcriptis ad poſterorum imitationem exprimeret: in altero autem, vt quænam eſſet vera ac diuina prophetia, quibúſue ſignis & coloribus à fucatis & ementitis vaticinijs diſcerni poſſet, certis ac viuis lineamentis depingeret. Nec enim ita felix vnquam fuit Eccleſia, quin aliquas à pſeudoprophetis & falſis doctoribus, (quos & Chriſtus venturos prædixerat, & cauendos atque fugiendos prȩmonuerat) inſidias pateretur. Quin hac ipſa ætate, nec multis quidem pòſt annis, pſeudopropheta & pſeudoparacletus Montanus cum ſua inſanarum vatum biga (Priſcillam & Maximillam eius erroris ſocias & adiutrices ſic lubet denotare) in ore ac ſermone hominum verſari cœpit, & multos mortales ſub prophetiæ & magnarum virtutum ſpecie ad ſui ſequelam trahere: vt videatur S. Melito planè diuinitus ad ſcribendum *De prophetia* illo tempore incitatus, quo aduerſum venenata iſta animalia breui emerſura antidotum ſalutare prȩmitteret. Librum item alium, *De vitis prophetarum*, eadem percommodum tempeſtate emiſit. Nam malæ horumce nouorum prophetarum nec prophetarum tenebræ, & vitiorum cæcæ caligines, ad iſtorum aliorum verè prophetarum clariſſimam lucem & virtutum ſplendorem comparatæ, haud difficulter internoſci, diſſiparíque, vt à ſole nubes, quàm facillimè poterant. Sed de his hactenus: nunc ad ea quæ ſequuntur, feſtinemus. Nam in his immorari diutius, imminens in Eccleſiam grauiſſima tempeſtas vetat.

CAPVT QVARTVM.

Eccleſiæ à Præfectis & Præſidibus prouinciarum ſub M. Aurelio & L. Vero Impp. peracerba vexatio, & in ea ſedanda Melitonis virtus.

QVemadmodum nunquam meliùs, quàm inter frementes vndas & fluctus maris decumanos, boni ac periti gubernatoris ars ſe prodit; ita non aliàs magis beati Melitonis virtus, quàm in medijs perſecutionum turbinibus ac procellis emicuit. Nam cùm duobus Auguſtis fratribus M. Aurelio Antonino & L. Vero imperantibus, atrox in Aſiam tempeſtas incubuiſſet, quæ eccleſiæ nauim diſiectis, diſperditíſque non paucis gubernatoribus miſerandum in

modum

modum dilacerabat, ipse haud fractus animo, haud mente debilitatus, sed Deo confisus & spe meliorum erectus, semper ad clauum stetit, animum suis addidit, aduersus eos, qui præcipitatam nauem & totum sanctæ religionis corpus naufragio demersum dolebant, generosè depugnauit. Nam contra iniquorum magistratuum, seu Proconsulum, seu Præfectorum, seu Præsidum, velut immanium piratarum insanos insultus, & importunam immanitatem, doctæ atque elegantis orationis præsidio, viam sibi ad Imperatoris aures fecit, suámque & insontium fratrum caussam fortiter peregit: iniurias, tormenta, neces (tametsi contra superiorum Imperatorum edicta) in suæ sortis homines exprompta exposuit: tantum denique flexanima sua eloquentia & sapientibus dictis apud M. Antoninum Imp. effecit, vt is & Christianorum rebus animum aduerteret, & magistratuum satellitúmque diaboli sæuitiam & impunè grassantia latrocinia inhiberet. Reuocauit enim illi Melito in memoriam, quinam superiorum Imperatorum res Christianas potissimè afflixissent, quinam afflictas releuassent: nempe afflictionem atque vexationem à Nerone & Domitiano exstitisse: releuationem verò ac restitutionem, potissimùm ab Hadriano & Antonino Pio emanasse: quorum hic pater eius esset, alter auus. Quorum proinde pietatis ac clementiæ exempla potiùs illi sectanda esse, tanquam virtutum auitarum, non imperij tantùm, vero heredi & ęmulatori tacitè innuebat, quàm istorum aliorum infanda flagitia: qui scilicet imperij dignitatem impijs suis ac crudelibus factis contaminassent, quorum & ipsa acta à senatu rescissa essent, & ipsi hostes iudicati. Quæ tamen vitia & supplicia vir sapientissimus, velut imperij maiestatem etiam in malis Principibus reuerens, prudenter reticuit: quippe satis intelligens vel auditis tantùm Neronis & Domitiani nominibus, mox eorundem grauissima scelera & detestanda flagitia in memoriam sua sponte recursura, ac mentem mitioris Imperatoris, pręsertim philosophi, quodam horrore verberatura. Igitur hoc tantùm dixit, istorum inscitiam atque ignorantiam à pijs & religiosis Imperatoribus fuisse correctam. Deinde eidem Imperatori beneuolentiam ac fauorem maiorum suorum erga Christianos memorauit, & quæ pro illis edicta generatim, & quas epistolas speciatim, & ad quos populos misissent, nominauit: vt non posset Imperator, (nisi si planè degenerem se fateretur) non paternam auitámque in Christianum genus humanitatem imitari. Verùm ipsissima Melitonis mellita verba eodem, quo scripsit, gręco charactere pòst subijciam. Dederunt & alij duo eàdem in persecutione scriptas ab se apologias eidem M. Antonino Imp. Iustinus scilicet Philosophus, & Claudius Apollinaris, (quemadmodũ in vitis vtriusque hoc ipso in volumine à nobis perscriptum est) eóque caritatis & ardentis studij pro fratribus suis perfuncti officio, præclarum cunctis

ecclesiæ

ecclesiæ Christianæ Antistitibus, atque eloquentiæ facultate pollentibus exemplum præbuerunt, nec quærendas ipsis esse in acerbæ persecutionis tempestate inertes latebras; nec tenendum suâ periclitante matre ecclesia intempestiuum silentium; sed omnes ingenij vires neruósque, (procul habito etiam omni tyrannorum ac tormentorum metu) sibi pro salute communi contendendos. Qua enim in re alia, vel fructuosiùs possit, vel gloriosiùs velit; siue dicendi facultas, siue parta virtute auctoritas, quàm in fratrum periculis, quàm in Christi obsequio, quàm in fidei religionísque patrocinio impendi? Iam enim Smyrnæ S. Polycarpus, Ioannis & aliorum Apostolorum auditor; iam Laodiceæ sanctus Sagaris, Pauli vasis electionis olim discipulus; iam alibi alij atque alij ecclesiæ principales duces, sęuiente nefariorum hominum vesana rabie & impunita nequitia magno rei Christianæ damno occubuerant; pluré sque omnino occubituri erant, nisi trium istorum heroum intrepida libertas, & pro insontibus certa pugnandi fiducia interuenisset. Quibus proinde victoriæ compotibus & debitus in libris honos, & incomparabilis in cælo gloria ad omnem æternitatem repensa est. Hactenus de sedata externa persecutione: nunc de sublato, inter domesticos fidei, dissidio breuiter exequendum.

CAPVT QVINTVM.

Ecclesiæ Laodicenæ pacificatio, & felix ad vitam excessus.

DE SOLEMNITATE PASCHATIS CONTROVERSIA.

AD dictam porrò persecutionis tempestatem aliud accessit intestinum malum, grauis nimirum apud Laodiceam super die festo Paschatis controuersia. Amisso enim suo Antistite dissentiebant inter se Laodiceni, nec quo die celebranda esset ea solemnitas satis concordare poterant. Interposuit igitur beatus Melito auctoritatem suam, & duobus de Paschate libris festinatò exaratis (instabat enim solemnitatis tempus) controuersiam diremit. Credibile est enim aliquos ibi exortos fuisse, qui bonam quidem, sed Asię ignotam & insolentem consuetudinem (quam vel Romę, vel in Ægypto, vel alibi viderant) introducere conarentur: Asianos autem aliter à pueris assuetos eis restitisse, atque ex his natam esse de ecclesiarum consuetudinibus & maiorum traditionibus dissensionem: quam vir sanctus vt sopiret, docuerit suam vnicuique ecclesiæ obseruandam & retinendam consuetudinem, nec facilè ab eo abscedendum, quod ipsi à sancto suo Antistite Sagari, iam glorioso martyre, acceperint: nec enim æquum esse, vt extranei nouos, quocumque venerint, inuehant mores; sed potiùs ipsimet ibi inuentos, velut incolæ aut inquilini, custodiant. Erat enim S. Melito ex ijs, qui traditum sibi antiquitus morem obseruandi Paschatis lunâ 14.[a] (quod in Asia, & Syria,

ria,

tia, aliisque Orientis prouincijs, eo tempore in vsu erat) mordicus retinebant. Quod & Synodica Polycratis Ephesini Pontificis epistola ad S. Victorem Papam professa est: vbi inter alios Sanctos eiusdem consuetudinis obseruatores eum recensens ita scribit: *Quid necesse est Sagaris Episcopi & Martyris, facere mentionem qui Laodiceæ mortem oppetijt, & Papyrij illius beati, & Melitonis Eunuchi, qui cùm omnem vitam in Spiritu sancto transegisset, Sardibus est sepultus, Christi è cælis expectans aduentum, in quo resurrecturus est à mortuis?* Ita Polycrates: è cuius verbis clarè datur intelligi, eundem Melitonem & magnæ sanctitatis virum fuisse, & suis pro ecclesia laboribus dignum finem esse consecutum. Quare & dies eius natalis in sacros ecclesiæ fastos relatus fuit, & nunc quibusdam in martyrologijs ad Kalendas Aprilis adscriptus reperitur. Ex eius porrò vita, hæc tria potissimè omnibus Episcopis, & quibuscumque aliqua ecclesiarum Dei cura commissa fuerit, proponuntur imitanda: primò quidem singularis animæ corporisque castimonia, quæ mentes ipsorum cælestibus excipiendis luminibus reddat quàm aptissimas: secundò amor singularis & studium ardens sacrarum litterarum: quo studio nullum in hac vita neç dulcius, nec salubrius, nec prę̀stantius, mentis quidem pię & eruditę, reperiri potest pabulum: tertiò denique incensum quoddam desiderium Christiani populi præceptis fidei, & magnarum virtutum documentis instruendi; atque adeo, si opus sit, aduersus lupos & leones & vrsos, siue aduersus quascunque insidias & quamcunque potentiam, vel cum vitæ periculo protegendi: ex quo maxima ferè, tam apud Deum, quàm apud homines enasci solet ac comitari gloria: ac proinde magnis viris, si quid in terris aliud, præcipuè profectò appetenda. Verùm ab his virtutibus satis per se commendatis, ad librorum eiusdem beati viri recensionem transeamus.

Apud Eusebium lib. V. hist. c. 23.

Maurolyci martyrol. 1. April.

IMITATIO S. MELITONIS IN TRIBVS PRÆCIPVE CONSISTIT.

CAPVT SEXTVM.

Recensio librorum S. Melitonis.

MVlti quidem Latinorum S. Melitonis libros recensuerunt; sed illi ferè ex Hieronymo, Hieronymus autem ex Eusebio, Eusebius verò ex ipsis, vt credibile est, Melitonis libris, quos in illustri Cæsareç Palæstinæ bibliotheca habuit, indiculum contexuit. Hunc proinde, vt antiquissimum sequemur, & quid in posterioribus peccatum sit, indicabimus.

Ad maiorem porrò certitudinem & perspicuitatem, ipsa Eusebij græca verba, latinis è vicino respondentibus, statui proferenda. Sic igitur habent libro quarto historiæ ecclesiasticæ cap. 27. In latinis est 25.

1. Μελί-

1. Μελίτωνος τὰ περὶ τοῦ Πάσχα, δύο.	Melitonis, inquit, sunt libri duo de Paschate.
2. Καὶ τὸ περὶ πολιτείας.	Et de recta vitæ institutione vnus.
3. Καὶ τὸ περὶ Προφητῶν.	Et de Prophetis vnus.
4. Καὶ τὸ περὶ ἐκκλησίας.	Et de ecclesia vnus.
5. Καὶ ὁ περὶ κυριακῆς λόγος.	Et de Dominica liber vnus.
6. Ἔτι δὲ ὁ περὶ φύσεως ἀνθρώπου.	Preterea de hominis natura vnus.
7. Καὶ ὁ περὶ πλάσεως.	Et de creatione vnus.
8. Καὶ ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως.	Et de obedientiâ fidei vnus.
9. Καὶ ὁ περὶ αἰσθητηρίων.	Et de sensibus vnus.
10. Καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἕν.	Et præter hos liber de anima & corpore.
11. Ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λουτροῦ.	Inter illos etiam de lauacro vnus.
12. Καὶ ὁ περὶ ἀληθείας.	Et de veritate item vnus.
13. Καὶ περὶ πίστεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ.	Et alius de fide & generatione Christi.
14. Καὶ λόγος αὐτοῦ περὶ προφητείας.	Et liber eius de prophetia.
15. Καὶ ὁ περὶ φιλοξενίας.	Et vnus de hospitalitate.
16. Καὶ ἡ κλείς.	Et alius Clauis appellatus.
17. Καὶ τὰ περὶ τοῦ διαβόλου.	Et alia scripta de diabolo.
18. Καὶ περὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου.	Et de Apocalypsi Ioannis.
19. Καὶ ὁ περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ.	Et de Deo corporato.
20. Ἐπὶ πᾶσι καὶ τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον.	Postremo & libellus ad Antoninum.

Hac serie & ordine eius libros continuo stilo persecutus est Eusebius, sed extremo capite nonnullis eiusdem sancti fragmentis interiectis (quæ mox edemus) aliud quoque eius opus memorat, quod proinde hic adijcimus.

21. Ἐκλογῶν ἓξ βιβλία.	Excerptorum è litteris sacris libri sex.

Quos excerptorum libros ea re fortassis in aliorum serie non comprehendit, quòd non tam ingenij opus censuerit, quàm laboris.

Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum nonnihil ab hac Eusebij serie discessit, & primum recensuit, quem Eusebius vltimum: deinde quem Eusebius secundum posuit περὶ πολιτείας, *De recta vitæ institutione*, aut iuxta Ruffini Presbyteri versionem, *De optima conuersatione*, penitus omisit. Itaque ibi supplendus est, quemadmodum & in sexto, qui est *De natura hominis*; quem similiter præterijt. Decimumtertium diuidit Ruffinus in duos, vt vnus sit *De fide*, alter *De generatione Christi & de prophetia eius*. Sed forma græci sermonis

ſermonis videtur vnicum facere *De fide & generatione Chriſti*, & ab eo diſtinguere eum, qui eſt *De prophetia:* quem etiam diſtinguit Hieronymus: licet aliquantulum deſciſcat à verbis Euſebij, partim omittendo iſtud *De fide*, & tantùm dicendo: *De generatione Chriſti librum vnum:* partim etiam in eo, quod ſcribit: *De prophetia ſua librum vnum*. Nec enim verba Euſebij, nec interpretatio Ruffini quicquam ſonant Melitonem de ſua prophetia ſcripſiſſe, ſed tantùm de prophetia generatim.

Sed quia futurum video, vt aliqui verba ipſa Hieronymi deſiderent; ecce illa:

Melito Aſianus, Sardenſis Epiſcopus librum Imperatori Marco Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris diſcipulus fuit, pro Chriſtiano dogmate dedit. Scripſit quoque & alia, de quibus iſta ſunt quæ ſubiecimus:

De Paſcha libros duos.
De vita Prophetarum librum vnum.
De eccleſia librum vnum.
De die Dominica librum vnum.
De ſenſibus librum vnum.
De fide librum vnum.
De plaſmate librum vnum.
De anima & corpore librum vnum.
De baptiſmate librum vnum.
De veritate librum vnum.
De generatione Chriſti librum vnum.
De prophetia ſua librum vnum.
De philoxenia librum vnum.
Et alium librum, qui Clauis inſcribitur.
De diabolo librum vnum.
De Apocalypſi Ioannis librum vnum.
Καὶ περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ *librum vnum.*
Ἐκλογῶν *libros ſex.*

Huius elegans & declamatorium ingenium laudans Tertullianus in ſeptem libris, quos ſcripſit aduerſus eccleſiam pro Montano, dicit eum à pleriſque noſtrorum prophetam putari. Ita Hieronymus.

Honorius autem Auguſtodunenſis Presbyter, non eos ſolùm omiſit, quos Hieronymus; ſed Hieronymo etiam ipſi vnum ſuſtulit, nempe illum: Καὶ περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ librum vnum: quod cur latinè Hieronymus non dederit, haud ſcio: reddidit autem Ruffinus *De Deo corpore induto*. Chriſtophorſonus, *De Deo incarnato*. Verùm de hoc in Notationibus. Eadem quæ Honorius, prætermiſit Tritthemius, & in hoc etiam plus peccauit, quòd pro *De plaſmate vnum*, ſcripſerit: *De lapſis lib. 1.*

Sunt qui & librum *De tranſitu Mariæ*, illi olim attribuerint, & ſub nomine eius ediderint. Vnde & illum alijs libris accenſuit idem Tritthemius, ſed meliùs inter apocrypha reputatur. *Liber De tranſitu Mariæ apocryphus.*

Contexuit & Sixtus Senenſis catalogum librorum S. Melitonis, ſed valde mancum, & in quo multum requiras diligentiæ. Quippe qui ne quartam quidem eorum partem attigerit: cùm tamen ita re-

 cenſeat,

censeat, quasi nihil omiserit. Meminit autem tantummodò *Excerptorum*, & libri *De vita Prophetarum*, & *De Apocalypsi*, & duorum aliorum in quibus recensendis etiam est hallucinatus. Nam pro libro *De Deo corporato* dicit illum scripsisse *in illud Genesis* 1.° *Faciamus hominem*, *De Deo incorporeo librum vnum*: non scripsit autem *De Deo incorporeo*. sed vt Eusebius & Hieronymus suprà notarunt: περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ. quod planè diuersum sonat, vt antè indicaui. Deinde in eo errat, quòd ait eum scripsisse *De catalogo diuinorum vtriusque testamenti voluminum ad Onesimum epistolam vnam*. Cùm enim illa epistola nihil sit aliud, quàm procemium operis *Excerptorum è veteri testamento*, non debuit illam à suo opere disiungere, & tanquam nouum aliquod scripti genus seorsum recensere, sed cum Eusebio, Hieronymo, Honorio, Tritthemio sub nomine ἐκλογῶν siue sub sex libris Exceptorum comprehendere: nec etiam debuit dicere, *vtriusque testamenti*, sed *veteris testamenti*. Ex illo enim solo confectus est catalogus, vt pòst in ipsis nostri Auctoris, quæ mox subdam, fragmentis cognoscetur.

CAPVT SEPTIMVM.

Fragmenta librorum S. Melitonis.

E Multis beati viri scriptis, quæ suprà recensuimus, paucula nunc supersunt, & trium dumtaxat quatuórue librorum fragmenta, quæ ne pereant, hîc collegi: cetera verò temporis edacis & omnium consumptoris iniuriâ vel perierunt, vel delitescunt. Atque vt linguæ ipsius sancti Melitonis vernaculæ honos habeatur, etiam græcè, quemadmodum ipse effatus est, coniunctâ interpretatione latinâ subijciam. Sunt autem ferè omnia ex historia Eusebij Cæsariensis deducta: quorum primum desumpsit idem Eusebius è libris S. Melitonis *De Paschate*, aliquot autem sequentia ex eiusdem *Apologia ad M. Antoninum Imp.* vltimum verò è libris *Excerptorum*, siue ex eorundem procemio.

Primum fragmentum.

De illo fragmento ita Eusebius lib. 4. cap. 25. *In libris, inquit, quos de Paschate confecit, tempus quo illos scripserit, in ipso illorum exordio his verbis refert:*

§. I. S. Melitonis verba:

Seruilio Paullo Procõsule Asię (quo tẽpore Sagaris martyrium obijt) magna apud Laodiceam orta est controuersia de Paschate; quod quidem festum iuxta tempus in diebus illis inciderat, & hæc conscripsi.

Ἐπὶ Σερουιλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας· ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν· ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ πάσχατος ἐμπεσόντος κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, καὶ ἐγράφην ταῦτα.

His

His verbis ita subdit Eusebius: τούτου δὲ τοῦ λόγου μέμνηται Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ἰδίῳ περὶ τοῦ πάσχα λόγῳ· ὃν ἐξ αἰτίας τῆς τοῦ Μελίτωνος γραφῆς φησιν ἑαυτὸν συντάξαι. *Huius operis meminit Clemens Alexandrinus in libro suo De paschate, quem se composuisse ait occasione è Melitonis scripto accepta.* Clemens Alexandrinus libro de Paschate.

Secundum fragmentum.

De hoc ita præloquitur Eusebius: Ἐν δὲ τῷ πρὸς τὸν αὐτοκράτορα βιβλίῳ τοιαῦτά τινα καθ' ἡμῶν ἐπ' αὐτοῦ γεγονέναι ἱστορεῖ. *In libro autem ad Imperatorem talia quædam aduersus nos sub illo facta esse memorat:*

§. II. S. Melitonis verba ex Apologia ad M. Antoninium Imp.

Τὸ γὰρ οὐδεπώποτε γενόμενον, νῦν διώκεται τὸ πᾶν τῶν θεοσεβῶν γένος καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι κατὰ τὴν Ἀσίαν. Οἱ γὰρ ἀναιδεῖς συκοφάνται, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταί, τὴν ἐκ τῶν διαταγμάτων ἔχοντες ἀφορμὴν φανερῶς λῃστεύουσι, νύκτωρ τε καὶ μεθημέραν διαρπάζοντες τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας.

Iam (quod antehac nunquam accidit) totum genus piorum hominum persecutione affligitur, nouis per omnem Asiam edictis exagitatum. Nam impudentes calumniatores; & rerum alienarum appetentes, occasionem ex his edictis nacti, palàm & noctu & interdiu furantur, eósque qui nihil cuiquam iniurię intulerunt, despoliant.

§. III. Et post alia, inquit:

Καὶ εἰ μὲν σοῦ κελεύσαντος τοῦτο πράττεται, ἔστω καλῶς γενόμενον.

Ac si tuo quidem iussu id fiat, sit rectè factum.

Δίκαιος γὰρ βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιτο πώποτε· καὶ ἡμεῖς ἡδέως φέρομεν τὸ τοιούτου θανάτου τὸ γέρας.

Iustus enim Imperator nihil vnquam iniustè statuerit: & nos lubenti animo talis mortis præmium perferemus.

Ταύτην δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν, ἵνα αὐτὸς πρότερον ἐπιγνοὺς τοὺς τῆς τοιαύτης φιλονεικίας ἐργάτας, δικαίως κρίνειας, εἰ ἄξιοι θανάτου καὶ τιμωρίας, ἢ σωτηρίας καὶ ἡσυχίας εἰσίν.

Sed hanc tibi solam supplicationem offerimus, vt tu ipse priùs talium turbarum auctores cognoscas, atque ita iustè iudices, sintne supplicio & morte digni, an verò salute & securitate.

Εἰ δὲ καὶ παρὰ σοῦ μὴ εἴη ἡ βουλὴ αὕτη καὶ τὸ καινὸν τοῦτο διάταγμα· ὃ μηδὲ κατὰ βαρβάρων πρέπει πολεμίων· πολὺ μᾶλλον δεόμεθά σου μὴ περιϊδεῖν ἡμᾶς ἐν τοιαύτῃ δημώδει λεηλασίᾳ.

Sin autem istud consilium & hoc nouum decretum à te non est (quod sanè nec contra hostes barbaros proferri deceat) multo magis te deprecamur, vt ne tali in publica despoliatione nos despicias.

§. IV. His rurſus alia inducit dicens:

Noſtra enim religio priùs quidem inter barbaros viguit: ſed cùm & inter ſubditas tibi gentes ſub magno Auguſti (cuius tu ex ſtirpe es) imperio effloruiſſet, etiam principatui tuo vel maximè commodauit.

Ἡ γὰρ καθ' ἡμᾶς φιλοσοφία πρότερον μὲν ἐν βαρβάροις ἤκμασεν· ἐπανθήσασα δὲ τοῖς σοῖς ἔθνεσι κατὰ τὴν Αὐγούστου τοῦ σοῦ προγόνου μεγάλην ἀρχήν, ἐγενήθη μάλιστα τῇ σῇ βασιλείᾳ αἴσιον ἀγαθόν.

Ex illo enim tempore in magnam amplitudinem ac ſplendorem Romana excreuit potentia: cuius tu felix heres fuiſti & eris cum filio tuo, dum hanc religionem quę cum imperio educta eſt, & cum Auguſto aucta, conſeruabis; quam & progenitores tui præter alias religiones honorarunt. Et hoc eſt maximum probitatis ſignũ, doctrinam noſtram ſimul cùm proſperis imperij auſpicijs vigere cœpiſſe, quòd nihil ab Auguſti principatu calamitatis occurrerit, ſed è contrario cuncta ſplendida & glorioſa ex omnium voto ſucceſſerint.

Ἐκτοτε γὰρ εἰς μέγα καὶ λαμπρὸν τὸ Ῥωμαίων ηὐξήθη κράτος· οὗ σὺ διάδοχος εὐκταῖος γέγονάς τε καὶ ἔσῃ μετὰ σοῦ παιδός, φυλάσσων τῇ βασιλείᾳ τὴν σύντροφον καὶ συναυξαμένην Αὐγούστῳ φιλοσοφίαν· ἣν καὶ οἱ πρόγονοί σου πρὸς ταῖς ἄλλαις θρησκείαις ἐτίμησαν. Καὶ τοῦτο μέγιστον τεκμήριον τοῦ καλοκαγαθοῦ τὸν καθ' ἡμᾶς λόγον συνακμάσαι τῇ καλῶς ἀρξαμένῃ βασιλείᾳ, ἐκ τοῦ μηδὲν φαῦλον ἀπὸ τῆς Αὐγούστου ἀρχῆς ἀπαντῆσαι, ἀλλὰ τοὐναντίον ἅπαντα λαμπρὰ καὶ ἔνδοξα κατὰ τὰς πάντων εὐχάς.

Soli verò ex omnibus Nero & Domitianus à quibuſdam inuidis hominibus inducti, doctrinam noſtram calumniæ & obtrectationi obijcere voluerunt: à quibus etiam calũnioſum mendacium, propter improbam & à ratione alienam cõſuetudinem, inter eiuſmodi homines contigit propagari. Sed hanc eorum ignorantiam pij patres tui correxerunt, multis ſæpe reſcriptis eos obiurgantes, qui ſuper his noua moliri auſi eſſent. Inter quos auus tuus Hadrianus, cùm ad alios complures, tum etiam ad Fundanum Proconſulem Aſiæ, de hoc negotio perſcripſit.

Μόνοι δὲ πάντων ἀναπεισθέντες ὑπό τινων βασκάνων ἀνθρώπων τὸν καθ' ἡμᾶς ἐν διαβολῇ καταστῆσαι λόγον ἠθέλησαν ΝΕΡΩΝ καὶ ΔΟΜΕΤΙΑΝΟϹ, ἀφ' ὧν καὶ τὸ τῆς συκοφαντίας ἀλόγῳ συνηθείᾳ περὶ τοὺς τοιούτους ῥυῆναι συμβέβηκε ψεῦδος· ἀλλὰ τὴν ἐκείνων ἄγνοιαν οἱ σοὶ εὐσεβεῖς πατέρες ἐπανωρθώσαντο, πολλάκις πολλοῖς ἐπιπλήξαντες ἐγγράφως, ὅσοι περὶ τούτων νεωτερίσαι ἐτόλμησαν. Ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Ἀδριανὸς πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ δὲ τῷ ἀνθυπάτῳ ἡγουμένῳ τῆς Ἀσίας γράφων φαίνεται.

Ὁ δὲ

Ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῷ, ταῖς πόλεσι περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν ἔγραψεν· ἐν αἷς καὶ πρὸς Λαρισσαίους καὶ πρὸς Θεσσαλονικεῖς καὶ Ἀθηναίους καὶ πάντας Ἕλληνας.

Pater verò tuus, quicum & tu ſimul cuncta adminiſtrabas, vrbibus litteras miſit, vt ne quid rerum nouarum aduerſus nos attentarent,& inter eas nominatim ad Lariſſæos,& ad Theſſalonicenſes,& ad Athenienſes, & ad omnes Græcos.

Σὲ δὲ καὶ μᾶλλον περὶ τούτων τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἔχοντα γνώμην, καὶ πολύ γε φιλανθρωποτέραν καὶ φιλοσοφωτέραν, πεπείσμεθα πάντα πράσσειν, ὅσα σου δεόμεθα.

Te verò etiam magis, qui eandem cum illis hac de re mentem geris, immo & longè humaniorem & philoſophiæ conformiorem, perſuaſum habemus omnia facturum, quæ à te poſtulamus.

Hactenus è S. Melitonis libro apologetico ad M. Aurelium Antoninum Imp. in quibus obſeruanda eſt viri ſancti præclara modeſtia & prudentia, tam in iudicio ſuo illius maieſtati ſubmittendo, & benignè rogando; quàm in amolienda tantæ in Chriſtianos acerbitatis ab eo inuidia, atque in alios nimio auaritiæ morbo infectos transferenda.

Tranſit dehinc Euſebius ad aliud eiuſdem Melitonis fragmentum ductum è prooemio ἐκλογῶν ſiue *Excerptorum* è vetere teſtamento, recitátque ipſius Auctoris ad fratrem ſuum Oneſimum epiſtolam, & catalogum ſimul librorum canonicorum eiuſdem veteris teſtamenti ab eo confectum in medio ponit. Primò verba Euſebij, deinde & Melitonis producam. Sic igitur Euſebius: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν τῷ δηλωθέντι τέθειται λόγῳ· ἐν δὲ ταῖς γραφείσαις αὐτῷ ἐκλογαῖς ὁ αὐτὸς κατὰ τὸ προοίμιον ἀρχόμενος, τῶν ὁμολογουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γραφῶν ποιεῖται κατάλογον· ὃν καὶ ἀναγκαῖον ἐνταῦθα καταλέξαι ἡγούμεθα, ἔχοντα ἐπὶ λέξεως οὕτως. *Sed hæc quidem in libro antè dicto poſita ſunt: in ijs autem, quæ ſcripſit, Excerptis à prooemio inchoans, Scripturarum veteris teſtamenti, quæ in confeſſo ſunt, catalogum texit: quem duxi neceſſarium hoc loco recenſere. Habet autem è verbo ſic:*

Tertium fragmentum è prooemio Excerptorum

§. V. S. MELITONIS VERBA:

Μελίτων Ὀνησίμῳ τῷ ἀδελφῷ
Χαίρειν.

Melito Oneſimo fratri
Salutem.

Ἐπειδὴ πολλάκις ἠξίωσας σπουδῇ τῇ πρὸς λόγον χρώμενος γενέσθαι σοι ἐκλογὰς ἔκ τε τοῦ νόμου, καὶ τῶν προ-

Quandoquidem pro tuo erga Dei verbum ſtudio frequenter poſtulaſti, vt ſelectas è lege &

Prophetis, de Saluatore & omni fide nostra sententias tibi excerperem, insupérque de veteris testamenti libris exactè cognoscere cupiuisti, quot sint numero, & quis eorum ordo, studui id ipsum præstare, perspectum habens tuum erga fidem studium, & in Scripturam amorem: maximè autem, quòd omnibus ex pio in Deum affectu hæc præponas, de salute æterna decertans.

φητῶν, περὶ τοῦ σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως ἡμῶν, ἔτι δὲ καὶ μαθεῖν τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἐβουλήθης ἀκρίβειαν, πόσα τὸν ἀριθμὸν, καὶ ὁποῖα τὴν τάξιν εἶεν, ἐσπούδασα τὸ τοιοῦτο πρᾶξαι, ἐπιστάμενός σου τὸ σπουδαῖον περὶ τὴν πίστιν, καὶ φιλομαθὲς περὶ τὸν λόγον· ὅτι τε μάλιστα πάντων πόθῳ τῷ πρὸς θεὸν ταῦτα προκρίνεις, περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας ἀγωνιζόμενος.

In orientem igitur cùm ascenderim, atque eò vsque loci profectus sim, vbi prædicata & gesta sunt quæ petis, & veteris testamenti libros exactè didicerim, illos hîc subiectos ad te misi, quorum hæc sunt nomina:

Ἀνελθὼν οὖν εἰς τὴν ἀνατολὴν, καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος, ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς μαθὼν τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία, ὑποτάξας ἔπεμψά σοι, ὧν ἐστι τὰ ὀνόματα.

§. VI. Catalogus librorum veteris testamenti iuxta S. Melitonem:

Mosis quinque, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Iesus Naue, Iudices, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Dauidis, Prouerbia Salomonis, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Iob, Prophetarum, Isaiæ, Ieremiæ: deinde 12. prophetarum in vno codice, Daniel, Ezechiel, Esdras. è quibus Excerpta confeci, & in sex libros diuisi.

Μωσέως πέντε, Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον. Ἰησοῦς Ναυῆ, Κριταὶ, Ῥοὺθ, Βασιλειῶν τέσσαρα, Παραλειπομένων δύο, Ψαλμῶν Δαβίδ, Σολομῶντος Παροιμίαι, ἡ Σοφία, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ἀσμάτων, Ἰὼβ, Προφητῶν, Ἡσαΐου, Ἱερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιὴλ, Ἰεζεκιὴλ, Ἔσδρας. ἐξ ὧν καὶ τὰς ἐκλογὰς ἐποιησάμην εἰς ἓξ βιβλία διελών.

Hæc Melito: quibus continenter subdit Eusebius: Καὶ τὰ μὲν Μελίτωνος τοσαῦτα. *Et libri quidem Melitonis tot sunt*; indicans se omnes enumerasse, quos nouerat.

Quartum fragmentum è Chronico Alexandrino.

Huius Chronici auctor ad Olympiadis ducentesimæ tricesimæ sextæ, annum secundum, indictione tertia, duorum Augustorum, M. Aurelij Antonini & L. Veri anno VI. Orphito & Pudente Coss. inter alia, hæc notat: Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος μὲν πολλὰ τῶν ἐπιδοθέντων

δοθέντων παρὰ τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου φησίν. *Melito Sardianorum Episcopus, post multa ab eodem Iustino tradita* [intelligit S. Iustinum Philosophum & martyrem, de quo proximè egerat] *sic ait:*

S. Melitonis verba:

Οὐκ ἐσμὲν λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταί, ἀλλὰ μόνου θεοῦ τοῦ πρὸ πάντων καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ὄντως θεοῦ Λόγου πρὸ αἰώνων ἐσμὲν θρησκευταί.

Non ſumus lapidum ſenſu carentium cultores; ſed ſolius Dei, qui eſt ante omnia & in omnibus, & præterea Chriſti eius, qui verè eſt Deus Verbum ante ſæcula, adoratores ſumus.

Aliud è S. Melitonis operibus fragmentum reperio nullum: & illud Chronici iam poſitum, è quo ſancti viri libro ſit, incertum habeo. Si quis præter hæc nanciſci aliquid nouum poſſit, det, amabo, in publicum, & bene de Eccleſia merebitur. Talium enim virorum ſcripta, ſanctarum inſtar reliquiarum ſunt. Et ecce, poſtquam hæc ſcripſi, venit præter exſpectationem à meorum antiſtite amicorum Iacobo Sirmondo planè aurea cum aliquot nouis S. Melitonis fragmentis epiſtola. Nimis autem ingratus ſim, & in ſanctum ipſum, & in benefactorem meum, & in publicum bonum; niſi illa, vt recepi, ſic reponam. Hæc igitur habe, quæ ſic habent:

E Catena in Geneſim:

ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ ΣΑΡΔΕΩΝ.

Ὑπὲρ Ἰσαὰκ τοῦ δικαίου ἐφάνη κριὸς εἰς σφαγήν, ἵνα δεσμῶν Ἰσαὰκ λυθῇ· ἐκεῖνος σφαγεὶς ἐλυτρώσατο τὸν Ἰσαάκ· οὕτως καὶ ὁ Κύριος σφαγεὶς ἔσωσεν ἡμᾶς, καὶ δεθεὶς ἔλυσε, καὶ τυθεὶς ἐλυτρώσατο.

Καὶ μετ᾽ ὀλίγα·

Ἦν γὰρ ὁ Κύριος ἀμνός, ὡς κριός, ὃν εἶδεν Ἀβραὰμ κατεχόμενον ἐν φυτῷ Σαβέκ, ἀλλὰ τὸ φυτὸν ἀπέφαινε τὸν σταυρόν, καὶ ὁ τόπος ἐκεῖνος τὴν Ἱερουσαλήμ, καὶ ὁ ἀμνὸς τὸν Κύριον ἐμπεπεδημένον εἰς σφαγήν.

MELITONIS SARDIANI.

Pro Iſaac iuſto apparuit aries in occiſionem, vt Iſaac vinculis exſolueretur. Ille mactatus redemit Iſaac: ita & Dominus occiſus nos ſaluauit, & vinctus abſoluit, & immolatus redemit.

Et poſt pauca:

Dominus enim erat agnus, ſicut aries, quem vidit Abraham detentum in planta Sabec. Nam planta deſignabat crucem, & locus ille Ieroſolymam, & aries Dominum ad occiſionem colligatum. Symmach. Gen. 22. ver. 13.

Τοῦ μακαρίου Μελίτωνος Σάρδεων·

Beati Melitonis Sardium Epiſcopi:

Ὡς γὰρ κριὸς ἐδέθη, φησί, περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὡς ἀμνὸς

Sicut enim aries vinctus eſt, inquit, de Domino noſtro IESV Chriſto,

Christo, & sicut agnus tonsus est, & sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus crucifixus est, & portauit lignum humeris, abductus vt immolaretur, sicut Isaac à patre suo: sed Christus passus est: Isaac autem non est passus. Typus enim erat Christi. Attamen & typus ipse Christi stuporem & timorem creauit hominibus.

ἐκάρη, καὶ ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐσαυρώθη, καὶ ἐβάστασε τὸ ξύλον ἐπὶ τοῖς ὤμοις ἀναγόμενος σφαγῆναι, ὡς Ἰσαὰκ ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ· ἀλλὰ Χριστὸς ἔπαθεν· Ἰσαὰκ δὲ οὐκ ἔπαθεν. Τύπος γὰρ ἦν τοῦ μέλλοντος πάσχειν. Ἀλλὰ καὶ ὁ τύπος τοῦ Χριστοῦ γινόμενος ἔκπληξιν καὶ φόβον παρεῖχεν ἀνθρώποις.

NOTATIONES
IN VITAM ET SCRIPTA
S. MELITONIS.
AD CAPVT PRIMVM.

a PRIVS de nomine & patria, (quandoquidem nonnullos in iis reperiam hallucinatos) tum de aliis, vbi nodus aliquis fuerit, persequemur.

Nomen græcè est Μελίτων, latinè *Melito*, non autem *Melitus*, vt Petro Equilino appellatur; neque Mileto aut Miletus, vt Philippo Bergomensi. Neque item (quod à multis negligitur) tam bene *Meliton* latinis dicitur, quàm *Melito*: quemadmodum nec *Platon*, nec *Pluton* latinè dicitur, sed *Plato* & *Pluto*, vti & in ceteris in των syllabam græcè desinentibus.

Duos duntaxat hoc nomine in Sanctis reperio, nostrum hunc Scriptorem, & vnum è Quadraginta martyribus Sebastæ in Armenia frigore enectis, quem sua mater timens ne in cruciatibus deficeret, viriliter animabat dicens: *Fili, modicum sustine: ecce Christus ad ianuam stat adiuuans te*: & cùm impij ministri sæuitiæ aliorum iam mortuorum corpora plaustris imposita ad comburendum deportarent, illum propè exanimem derelictum; in humeros suos extulit, cursúmque quantâ potuit celeritate prosecuta, in eum iniecit; vt quorum fuerat particeps pœnæ, socius esset & co-

S. MELITON ARMENVS MARTYR.

A ronæ. Exstant de his martyribus perinsignes duorum fratrum Basilij magni & Gregorij Nysseni orationes: & eorundem martyrum memoria in veteri Romano martyrologio, & in Adone ad XI. Martij, in aliis autem ad IX. eiusdem mensis annotata est.

b Ad patriam verò S. Melitonis quod attinet, gente Asianum fuisse; & habitatione (an & natiuitate, haud perinde liquet)

B Sardianum, satis in confesso est.

Hieronymus in libro De Scriptoribus ecclesiasticis ita de illo: *MELITO Asianus, Sardensis Episcopus &c.* Impropriè tamen appellatur *Sardensis*, cùm hæc vox magis eum significet, qui è Sardinia est, quàm qui è Sardibus. Sardinia porrò est in Africa, Sardis verò in Asia. Cùm igitur Sardus is sit qui è Sardinia, etiam Sardensis ex co-

C gnatione formationum recepta Sardiniensem designabit.

Dicitur porrò græcè Sardinia Σαρδὼ καὶ Σαρδὼν, vt auctor est Stephanus Byzantius in Vrbibus. Hinc & is qui eam inhabitat Σάρδος, Σαρδῷος, Σαρδόνιος, Σαρδονικός. & latinè Sardus, Sardoüs, Sardonius, Sardonicus dicitur.

Ab his sunt vsitata illa adagia *Sardi venales*

nales de vilibus & contemptis. *Sardonius risus*, de risu ficto, aut de risu ei qui ridet exitiali. De quorum priore ita Tullius lib. 7. epist. 24. Fabio Gallo.

Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Et de altero epistola 25. ibidem & eidem: *Videris enim mihi vereri, ne nisi illum caueri-mus, rideamus γέλωτα Σαρδώνιον.*

S. Saluianus lib. 7. *Sardonicis quodammodo herbis*, ait, *omnem Romanorum populum putes saturatum: moritur, & ridet.*

De prouerbio autem: *Sardi venales*, hæc Aurelius Victor in libro De viris illustribus, cap. 57. agens de Tiberio Sempronio Graccho: *Prætor*, inquit, *Galliam domuit: Consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam: tantúmq; captiuorum abduxit, vt longa venditione res in prouerbiū veniret:* Sardi venales.

Iam autem Sardis Sardium, plurali tantùm numero vrbs est Lydię caput, & Crœsi olim Regia. Vnde Horatius epist. 1.

Quid cõcinna Samos; quid Crœsi Regia, Sardis.

Hæ sunt ergo Sardis, de quibus hîc agitur, & vbi fuit vna è septem ecclesiis Asiæ, ad quas S. Ioannes in Apocalypsi scripsit, & vbi S. Melito Episcopus fuit. De qua vrbe ita Stephanus: ΣΑΡΔΙΣ, πόλις Λυδίας. ὁ πολίτης, Σαρδιανὸς καὶ Σαρδιανή· τὸ κτητικὸν, Σαρδιανικὸς, καὶ Σαρδιανική. *Sardis vrbs Lydiæ. Ciuis dicitur Sardianus & Sardiana. Possessiuum est Sardianicus & Sardianica.*

Itaque Tullio, Plinio, & aliis latinè loquentibus Sardianus est qui à Sardibus: Sardus verò & Sardensis & Sardoüs, qui è Sardinia. De eadem vrbe sic Strabo lib. 13. Geographiæ: Αἱ δὲ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη, νεωτέρα μὲν τῶν Τρωϊκῶν, ἀρχαία δὲ ὅμως, ἄκραν ἔχουσα εὐερκῆ, βασίλειον δὲ ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν. *Sardis vrbs est magna, posterior quidem vrbibus Troianis, vetusta tamen, arces habens munitissimas, fuítque olim Lydorum Regia.*

Et paullò inferiùs: Ὑπέρκειται δὲ τῶν Σάρδεων ὁ Τμῶλος εὐδαίμων ὄρος. *Sardibus autem superimminet Tmolus mons fortunatus.*

Et mox: Ῥεῖ δὲ ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου καταφέρων τὸ παλαιὸν χρυσοῦ ψῆγμα πολύ, ἀφ' οὗ τὸν Κροίσου λεγόμενον πλοῦτον καὶ τῶν προγόνων αὐτοῦ διονομασθῆναί φασι &c. *A Tmolo autem defluit Pactolus olim multa auri ramenta deferens, vnde Crœsi opes & maiorum eius celebratas ferunt.* Hinc & adagium innotescit: *Crœso ditior.* Fuit Midas rex Lydiæ. Hinc *Midæ opes.*

Plinius lib. 5. cap. 29. *Lydia*, inquit, *celebratur maximè Sardibus in latere Tmoli montis, qui antè Timolus appellabatur, vitibus consitus, & ex eo profluente Pactolo, eodémque chrysorrhoâ, ac fonte Tarne: à Mæonijs ciuitas ipsa Hyde vocitata est clara stagno Gygæo: Sardiana nunc appellatur ea iurisdictio.* &c.

Solinus in descriptione Phrygiæ, *à par-*

A *te qua dies medius est*, inquit, *mons Lydiæ Tmolus croco florentissimus, amnis Pactolus, quem aurato fluore incitum aliter Χρυσοῤῥόαν vocant.* Meritò proinde Tmolus mons à Strabone εὐδαίμων siue *fortunatus* appellatus est: quippe qui & vitibus & croco abundaret, & auriferum fluuium ex se emitteret. Quis & vbi talis?

Notandum etiam vitandæ confusionis & erroris gratia vocem *Sardicensis* nec à

B Sardibus, nec à Sardinia deriuatam esse, sed à Sardica quæ à Claudio Ptolemæo lib. 3. Geographiæ cap. XI. inter Thraciæ ciuitates mediterraneas numeratur. Itaque Sardicensis est è Thracia, Sardus & Sardensis è Sardinia, Sardianus ex Asia.

Vnde corrigendus Chronici Alexandrini interpres ad CCXXXVI. Olympiadem, vbi illud Auctoris Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος, vertit, *Melito Sardicensium*

C *Pontifex*. Dicendum enim *Sardianorum*. Eusebius in Chronico Canone ad eandem olympiadem Claro II. & Cethego Coss. sic notat: Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας βιβλίον ἀπολογίας Ἀντωνίνῳ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπιδέδωκεν. *Melito Sardianorum Episcopus in Lydia librum defensionis pro Christianis Antonino tradidit.*

Quod autem in Apocalypsi legitur cap. 3. *Et Angelo ecclesiæ Sardis scribe.* Et iterum:

D *Sed habeo pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua*, indeclinabiliter ponitur vox *Sardis.* pro *ecclesiæ Sardium*, vel *in Sardibus*, quemadmodum vtrobique in græco est ἐν Σάρδεσιν. *Sardibus.*

c SECVNDO AVTEM FLORVISSE SÆCVLO, SED MEDIO.] Id ex Eusebij chronico colligitur, vbi ad annum M. Aurelij Antonini 10. qui fuit Christi 172. dicitur Apologeticum tradidisse Imperato-

E ri. Fuit autem illud opus ex vltimis. Quare cùm alia plurima priùs ediderit, & ab Eusebio ante SS. Apollinarem & Dionysium Corinthium, & alios huius sæculi recenseatur, necessariò consequitur maximè floruisse medio illo sæculo.

Flauius Lucius Dexter in Chronico suo ad annum Domini 173. & Romæ 924. sic de illo notat: *Asianus Sardicensis offert Antonino Apologeticum.* Desideratur initio vox

F *Melito*, librarij, opinor, aut typographi oscitantiâ: & *Sardicensis* perperam dicitur. Pro quo scribendum, vt è superioribus liquet, *Sardianus.*

d FVERVNT TAMEN, QVI EIVS NATALEM &c.] Vsque ad Domitianum aut etiam Vespasianum referunt eius natalem, quotquot S. Ioannis Apostoli ętate illum fuisse Sardianum Episcopum scribunt. E quibus sunt Petrus Aureolus, Æneas Siluius, Philippus Bergomas, & alij: sed

ſed confidentiſſimè omnium Antiochus Brondus in caput 3. Apocalypſeos, diſput. 1. q. vnica. *S. Melitonem*, inquit, *eccleſiæ Sardenſi præfuiſſe tempore, quo Archipropheta Ioannes hæc ſcribebat, liquidò conſtat (quicquid dicat Lyranus) ex hiſtoria eccleſiaſtica. Quoniam Euſebius Cæſarienſis lib. 4. cap. 13. de Melitone ſic ſcribit: De his itaque geſtis teſtatur etiam Melito Sardenſis parochiæ Epiſcopus.* &c. Atqui verba Euſebij nihil ſonant tale, quale illi adſcribit Antiochus. Tantùm enim dicit ea, quæ ipſe ſcripſerit de ſuperiorum Impp. in Chriſtianos beneuolentia, Hadriani ſcilicet & Antonini Pij, ex ipſius S. Melitonis ad M. Aurelium Antoninum Verum apologia confirmari, qui Melito eadem, qua S. Iuſtinus, ætate viueret & floreret: at verò iam tum fuiſſe Sardianum Epiſcopum, cùm Apocalypſin S. Ioannes ſcriberet, ne verbum quidem. Verba eius ſunt hæc: τούτοις ἔτι χωρήσωσιν ἐπιμαρτυρῶν Μελίτων, ὁ ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος, κατ' αὐτὸ γνωριζόμενος τοῦ χρόνου, δῆλός ἐστιν ἐκ τῶν εἰρημένων αὐτῷ, ἐν ᾗ πεποίηται πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Οὐῆρον ὑπὲρ τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος χρησιμωτάτῃ ἀπολογίᾳ· *Hæc ita accidiſſe Melito Sardianæ eccleſiæ Epiſcopus, qui eodem illo florebat tempore, manifeſtè teſtatur ijs dictis, quæ in ſua pro religionis noſtræ dogmate ad Imp. Verum vtiliſſima apologia poſuit.*

Neque item cap. 26. (quod idem citat Antiochus) plus aliquid quod illi faueat, quàm in dicto iam loco adfertur; ſed tantùm vtrobique nominatur Sardium Epiſcopus, annis ſcilicet plus ſexaginta poſt mortem S. Ioannis, ita vt potuerint ante eundem Melitonem plures fuiſſe Epiſcopi: cùm præſertim, (quod etiam rectè Lyranus annotauit) frequenter illis temporibus Epiſcoporum fieret mutatio, ſiue de regionibus in regiones, (eccleſiæ ſtatu ita exigente) tranſmigratio. Quare ſatius eſt, mea quidem ſententia, & abunde ſatis, dicere eſſe probabile S. Melitonem in Apocalypſi ſub nomine Angeli eccleſiæ Sardianæ deſignatum: aſſerere enim liquidò conſtare, nimia ſanè eſt confidentia.

Sed error ille multo eſt grauior, quo tenet beatum Melitonem Frontonis, ſeu (vt deteriùs vocat) Frontonij fuiſſe diſcipulum. Qui error à negligentibus aliquot acceptus Chronographis, in alios atque alios eſt deriuatus. Legerunt illi in Hieronymo *De Scriptoribus eccleſiaſticis* hæc verba: *Melito Aſianus, Sardenſis Epiſcopus librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris diſcipulus fuit, pro Chriſtiano dogmate dedit.* & quod attribuendum erat Antonino, tribuerunt Melitoni. Nam verè Antoninus Frontonis Oratoris diſcipulus fuit:

A quod non tantùm è Chronico Euſebij ad annum eiuſdem Antonini quartum diſci poterat, vbi ſic Hieronymus: *Fronto Orator inſignis habetur, qui M. Antoninum Verum Latinis litteris erudiuit:* ſed etiam è Iulio Capitolino in ipſius Imp. vita, vbi in recenſione magiſtrorum, quos varia in facultate varios habuit, ſic inter alia: *Oratoribus vſus eſt, Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cor-*

B *nelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & ſtatuam in Senatu petijt.* Ita ille. Quin & Conſulem fecit, vt teſtis Auſonius in Gratiarum actione. Hæc enim de ſe & de Frontone ad conſulatum pari de cauſſa, licet diuerſo tempore, prouectis (nempe ab Imperatoribus quorum fuerant magiſtri) eleganter & argutè ſcribit: *Vnica mihi amplectenda eſt Frontonis imitatio: quem tamen Auguſti magiſtrum ſic conſulatus ornauit, vt*

C *præfectura non cingeret. Sed conſulatus ille cuiuſmodi? ordinario ſuffectus, bimeſtri ſpatio interpoſitus, in ſexta anni parte conſumptus. Quærendum vt reliquerit tantus orator: quibus conſulibus geſſerit conſulatum. Ecce aliud, quod aliquis opponat. In tanti ergo te oratoris faſtigium glorioſus attollis? Cui talia requirenti reſpondebo breuiter: Non ego me contendo Frontoni, ſed Antonino præfero Gratianum.* Sic ille.

Indicat itaque Frontonem Cornelium,

D ſeu (vt alij malunt) Cornelium Frontonem ab Antonino Imp. diſcipulo ſuo factum Conſulem, vt ſe à Gratiano Imp. ſuo itidem diſcipulo.

Mirum verò eſt Frontonis conſulatum à Capitolino prętеritum. Nec enim minùs ad magiſtri laudem facit, ornaſſe diſcipulum honore conſulatus, quàm gloria ſtatuæ: immo multò magis. Quia ille paucis datus, hæc erecta multis. Niſi fortè pro-

E pterea omiſit, quòd eius conſulatus non fuerit ordinarius, ſed ordinario ſuffectus & bimeſtris dumtaxat, vt ſuprà perſtrinxit Auſonius. De quo tamen conſulatu exſtat veteris inſcriptionis teſtimonium è fano fortunæ in littore Hadriatico, quam ita producit Gruterus in libro Inſcriptionum Rom. pag. CCCLXIX.

Fani Fortunæ in littore Hadriatico.

F
M. AVFIDIO. FRONTONI.
PRONEPOTI.
M. CORNELI. FRONTONIS.
ORATORIS. COS.
MAGISTRI. IMPERATORVM.
LVCI. ET. ANTONINI.
NEPOTI. AVFIDI. VICTORINI.
PRÆFECTI. VRBIS. II. COS.
FRONTO. COS.
FILIO. DVLCISSIMO.

Ex Panuinio & Apiano.

e *QVIN IPSI CVM ÆQVALEM HEGESIPPO &c.*] Eusebius lib. 4. hist. eccl. cap. 20. recensens eos qui medio floruerunt secundo sæculo, inter alios ponit Melitonem, cui tamen in ipsa recensione præponit Hegesippum, Dionysium Corinthiorum, Pinytum Cretæ, Philippum Gortynæ, Apollinarem Hierapoleos Antistites: & ante hos quoque posuerat Iustinum Philosophum & martyrem, & Theophilum Antiochenum: quos omnes non fuisse Apostolorum temporibus, satis apud antiquos in confesso est: ac proinde nec Melitonem. Eosdem illi præfert Nicephorus Callistus lib. 4. hist. cap. 7. & sequentibus. itémque alij. Nihil in aliis capitibus necessariam requirit annotationis operam. Sit igitur hîc finis ad gloriam Dei Opt. Max. & felicem S. Melitonis memoriam.

VITA S. PANTÆNI.

Collecta ex his potissimè Scriptoribus.

B. Clemente Alexandrino, eius discipulo.

S. Alexandro Hierosolymorum Episcopo.

Origene Adamantio.

Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo.

S. Hieronymo Presbytero.

Photio Episcopo Constantinopolitano.

Nicephoro Callisto.

Martyrologijs, vetere Romano, & ordinario, & alijs.

VITA

S. PANTÆNI

GYMNASIARCHÆ ALEXANDRINI.

PRÆFATIO.

Quamuis exaratorum à S. Pantæno librorum nulla iam (quantum ego quidem vel audiendo intelligere, vel quærendo inuenire potui) extent reliquiæ, ac ne tenuia quidem fragmenta, & quamlibet breues sententiæ; non tamen si fortuna temporum sua illi scripta abstulit, idcirco & Scriptoris nomen locúmque debet illi posteritas adimere. Ac leuiùs quidem doctrinæ iactura ferri posset, si vitæ eius atque virtutum, pro gradu sanctimoniæ, copiosa itidem restarent exempla. Sed vix paucula actorum eius supersunt vmbra, tametsi vel ex illis istorum colligi magnitudo quadamtenus possit. Eas proinde (quod vnum iam possumus) suo hic loco, ad Dei gloriam, apud quem viuit, breuiter repræsentabimus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Pantæni ætas, genus, studia, in Indiam profectio.

[a] ÆTAS, qua natus est & floruit Pantænus, ad hoc secundum spectat ab ortu Christi sæculum. Siquidem eo circiter medio in lucem exijt, & eodem ferè extremo maximè floruit: quamuis & vltra hoc sæculum, sicut ætatis, sic & claritatis suæ annos aliquantum protulit. [b] Genere Hebræus fuit, ductâ ex alto (vt doctissimus Clemens Alexandrinus loquitur) origine. Ex quo eius stirpis & maiorum, vt opinari licet, nobilitas indicatur. Studia bonarum ac liberalium artium puer generosè amplexus est, séque illis iam adolescens ita dedidit; vt in omni humanioris litteraturæ genere apprimè, atque, vt pauci alij, versatus inclitum eruditionis nomen paullò grandior gesserit. E diuersis porrò Philosophorum scholis, seueram [c] Stoicorum sectam potissimè elegit atque vnicè adamauit: quòd hi fortassis præ omnibus alijs rigidi custodes virtutis, exactíque innocentis vitæ cultores haberentur. Inter quos adeo ingenij bonitate & studij instantiâ profecit, vt Philosophi Stoici nomen illi adhæserit. Sed ab his tamen percepto veræ pietatis ac religionis gustu, ad doctrinæ sacratioris magistros atque interpretes cupidè transijt, in tantúmque præ suis promouit æqualibus, vt ei tandem prima

SCHOLA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ ALEXANDRINA VETVSTISSIMA.

[d] scholæ Alexandrinæ cura, & litterarum inibi tam sacrarum, quàm profanarum publica lectio, magnum ad nominis famam præsidium, vt maximè tum idoneo commissa fuerit. Quippe ab ipsis S. Marci euangelistæ temporibus semper stetisse idem gymnasium, præclarísque instructum fuisse doctoribus prædicatur. Ac Pantænus quidem (quò viri noscatur antiquitas, & doctrinæ colligatur integritas) nonnullos è magistris suis habuisse creditur, qui Apostolos ipsos viderint. Eius porrò gymnasij regimen [e] sub Commodi Imp. primordia (nisi fortè & aliquanto prius) hoc est, sub annum Christi circiter centesimum octogesimum secundum suscepit. Quo eodem anno in episcopatum Alexandrinum Agrippino succedebat Iulianus. [f] Quanto autem Pantænus eidem gymnasio præfuerit tempore, haud litteris est, quòd sciam, proditum: sed cùm inibi magnam sibi laudem & gloriam adeptus docendo esset; longè tamen adeptus est maiorem, cùm ludo ipso (in quo & auditorum numero florebat & æstimatione) sponte derelicto, & vrbe item Alexandrina totius Ægypti longè florentissima, adeoque [g] totius propè orbis deliciosissima, [h] & ferè doctissima (vbi gratia & auctoritate apud omnes pollebat) va-

PANTÆNI PROFECTIO IN INDIAM.

lere vltro iussa, [i] in Indiam, ac remotas Orientis plagas, (propterea quòd amplior ibi appareret, non suæ, sed diuinæ gloriæ seges) ad gentem scilicet incognitam & barbaram, studio plantandæ ac dissemi-

nandæ

nandæ fidei profectus eſt. Nempe in eo feruebat ęſtuabátque ille ſpiritus Apoſtolici calor, quo generoſi Chriſti athletæ de ſua gente ac natione ſecuri, vbi commodè ipſis & lautè & honorificè vitam degere licebat, in longinquas oras (vbi plùs alijs quàm ſibi commodare poſſent) ferebantur. Nam Dei honos & ſalus animarum carni & ſanguini apud eos longè anteſtabant. Miſſum porrò Pantænum ad illas gentes à Demetrio Alexandriæ Epiſcopo, Iuliani ſucceſſore, ídque [k] earundem gentium efflagitantibus legatis, auctor eſt ipſe Hieronymus. Quare quæ laus aditarum Indiarum debita eſt in primo ſæculo Apoſtolis, eadem in ſecundo ſæculo accepta referenda eſt Pantæno. Nec defuère conſequentibus ſæculis (nam de S. Frumentio, qui à magno miſſus Athanaſio frumentum melioris vitæ eodem detulit, alias Deo dante dicetur) non defuère, inquam, conſequentibus ſæculis, qui talium ſanctorum veſtigia ſectati, tam beata exempla imitarentur, atque etiam ad vlteriora haud parum progreſſi antecederent. Profectus igitur Alexandria ſecundis cæli auibus, id eſt, comitantibus Angelis, & Chriſtianorum pijs proſequentibus votis, tandem in Indiam ſaluus & incolumis peruenit: [l] vbi Brachmanas indigenas, hoc eſt, eius gentis ſapientes & quaſi deos, ſuper veræ fidei ſacris myſterijs conuenit. Quorum myſteriorum nonnulla adhuc illic reperta ſunt nondum penitus exoleta veſtigia. [m] Ibi ſiquidem S. Bartholomæus Apoſtolus ſuam olim ſementem euangelij fecerat: ibi ſcriptum hebraicè à B. Matthæo euangelium, omnibus ſcilicet diuitijs anteponendum cimelium, illis reliquerat. Quod ipſe Pantænus in quorundam, qui eandem fidei normam profitebantur, manibus cùm inueniſſet, ſibíque vt munus daretur, impetraſſet; certo dehinc circumuoluto temporis ſpatio Alexandriam reuerſus, ſecum vnà detulit, ac tanquam ſanctiſſimum & verè precioſiſſimum theſaurum ibidem depoſuit, decus ingens pręſentibus, & nobile poſteris monumentum. Quod proinde multis ſæculis (vtinam & omnibus! plurimi enim nodi inde exſoluerentur) diligenter ac religiosè fuit cuſtoditum. Quamdiu autem inter Barbaros vixerit; quæ operæprecia fecerit, quos labores moleſtiáſue ſuſtinuerit, ſi quibus fortè olim proditum litteris fuerit, iam certè illarum nihil eſt ſuper: ſed apud Deum plena benefactorum eius ſemper viget, vigebítque & gratia & gloria. Atque illam nos omnes, ac nihil aliud præter illam, dum viuimus, dum ſpiramus, quærere profectò addecet. Quanta enim illa foret, Deus bone! dementia, & quàm deploranda miſeria, neſcio quos leues auolantis famę ventos, & inanes tenuis gloriolæ auras, ac turpes fumos, (quos haurire & bibere affatim in tua terra poſſes) ab vſque India & regionibus peregrinis, cum ſudoribus multis, & pluribus ęrumnis, ac maioribus quoque periculis velle quęrere! Non alio igitur, non alio Pantænus, quàm amplificandæ religionis

Brachmanes Indorum sapientes.

Evangelium Matthaei hebraicum.

studio (quo perquam vehementer, tametsi nullo præditus nec sacerdotio, nec ordine ecclesiastico, incendebatur) tam longinquam, & tam difficilem ac periculosam suscepit peregrinationem. Qua gloriosè perfunctus, tandem siue morbo eum remittente, siue Episcopo Alexandrino reuocante ([n] eius enim ditioni illa suberat prouincia) siue quauis alia ex caussa, in Ægyptum postliminiò redijt, solitósque labores & disputationes, auctoritatis & doctrinæ plenus, vt dictum iam imus, repetijt.

CAPVT SECVNDVM.

Pantæni ex India reuersi in Alexandrino gymnasio claritas & doctrinæ gloria.

TVm igitur, vti & ante peregrinationem, Pantæni domus patere omnibus; & auditorum, in quibus multa præclara ingenia, copioso numero frequentari, sed omnium tamen, qui priùs posteriúsue eum sectati sunt, [a] facilè primus fuit Clemens Alexandrinus, vir ingenij iudiciíque admirabilis, qui cùm multos ac præstantes magistros varijs in terræ partibus audiuisset, tandem in Ægyptum profectus, degustata illic doctissimi Pantæni in ludo Alexandrino disciplina & incredibili facultate dicendi, qua suos auditores velut secundo ac placido flumine, in prata diuinarum scripturarum, & in amœnum veræ fidei ac religionis paradisum deducebat, vlterioris dehinc peregrinationis voluntatem se deposuisse confessus est; ratus scilicet Alexandrię in vno se inuenisse Pantęno, quicquid vbique & in omnibus quęsiuisset. Adhęsit igitur illi, & haustam ex eius ore, velut fonte limpidissimo, puram sincerámque Christianę vitę doctrinam largè combibit. Cui & Pantęnus in Orientem abiens tanquam discipulorum suorum principi, & tam virtutis quàm eruditionis heredi, palęstrę derelictę curam administrationémque commisit. Exstat enim etiamnum ipsius Clementis de magistro suo Pantęno perillustre testimonium, quod ex eius libro Stromatum primo, ad vtriusque tam magistri quàm discipuli honorem ([b] amborum enim virtutis atque pręstantiæ monimentum est) iuuat hîc apponere. Sic igitur habet: [c] *Iam verò,* inquit, *hoc opus non ad ingenij ostentationem mihi elaboratum est, sed ad senectutis præsidium, velut aliquis scilicet aduersus obliuionem commentarius; aut certè vt imago quædam inartificiosa, rudísue adumbratio, tam efficacium atque animatorum illorum sermonum, quos olim mihi audire datum est, quàm ipsorum beatorum & verè prædicandorum virorum:* [d] *quorum alius in Græcia Ionicus, alius in magna Græcia, alius in Cœlesyria, alius ex Ægypto erat: alij item ex oriente, quorum alter Assyrius, alter in Palæstina*

CLEMENTIS ALEXANDRINI MODESTIA.

EIVSDEM PRÆCEPTORES, QVORVM PRINCEPS PANTÆNVS.

Palæstina Hebræus erat origine. Atque huic postremo, sed virtute & doctrina primo, cùm eum in Ægypto latentem quærendo inuenissem, deinceps adhæsi, atque apud eum acquieui. Erat enim re vera apis Sicula, quæ decerptis prophetici & apostolici prati floribus sinceram auditorum animis ingenerabat scientiam. Ac illi quidem omnes veram sanctæ doctrinæ traditionem conseruantes, quam à Petro & Ioanne & Paullo recta quadam filiorum à parentibus serie acceperant, pauci licet numero (patribus enim pauci sunt similes) ad nostram vsque ætatem Deo fauente peruenerunt: quò auita illa & Apostolica semina in animas nostras demitterent. Ita Clemens cùm de alijs magistris, tum de beato Pantæno, vti omnium coryphæo, potissimè prædicabat. De quo & illa ibidem pauculis interiectis: [c] *Scio,* inquit, *quàm hæc commentariorum meorum conscriptio tenuis atque imbecilla sit, si cum spiritu illo gratiæ pleno comparetur, quem vt audiremus, digni sumus habiti. Verùm imago hæc tantùm fuerit archetypum ei in memoriam reuocans,* [f] *qui thyrso ictus fuerit.* Per quæ verba hoc in sui demissionem æquè & in magistri Pantæni laudem, verè Pantæni, id est, omni laude dignissimi, intendere videtur Clemens, vt scripta sua, quibus magistrum imitabatur, essent quædam dumtaxat eloquentiæ eius atque doctrinæ adumbratio, quâ si quipiam velut thyrso & imbelli telo tacti essent, in memoriam eius redire possent, qui orationis suæ aculeis ac penetrantibus argumentorum spiculis animos percellendi vim maiorem obtineret. Fertur enim Pantænus singulari quadam orationis gratiâ excelluisse, seu priuatim publicéue conserendi sermones essent, seu Gentiles, hæreticíue, quà voce, quà scripto reuincendi. [g] Plus tamen viua voce quàm scriptis elucubrationibus ecclesijs profuit. Et tamen istæ illius lucubrationes, vti ecclesiastica refert historia, diuinorum dogmatum thesauros, haud minùs quàm ipsa viua vox proferebant. Et verè hic fuit *scriba doctus in regno cælorum, ac similis homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Expromebat enim è fecundo pectore, velut è sacro quodam penu, iam quod in Patriarcharum tabernaculis, aut in reliquo vetere instrumento legerat; iam quod in noua lege & Christi Domini apothecis hauserat: nec è sacris tantùm promptuarijs, sed subinde quoque de Gentilium pratis ad medendum ipsis Gentilibus idoneas herbas aut flores accommodos decerpebat, magnáque arte & industria in salutem & Gentium & Christianorum, ea quæ in vtrorumque libris sacra & profana, noua & vetera lectitarat, vt peritus animarum medicus, vsurpabat. Fuerat enim sanè quàm diligens, vt tempora illa exigebant, in Auctorum profanorum, seu Philosophorum, seu Oratorum, seu Historicorum libris peruoluendis; multáque ex ijs desumpta tam ad fidei nostræ confirmationem, quàm ad errorum & idolorum destructionem voluminibus suis

VIVA VOCE PLVS PROFVIT PANTÆNVS QVAM SCRIPTIS.

Matthæi 13. v. 52.

PROFANORVM LIBRORVM LECTIO DOCTORIBVS ECCLESIÆ PERVTILIS.

magno ecclesiæ bono, insperserat. Eum proinde Clemens Alexandrinus discipulorum eius flos primarius, [b] & beatus Heraclas, & Ori- ORIGENIS LAVS ET DEFENSIO. genes, & alij deinceps sibi imitandum esse duxerunt. Et Origenes quidem, cùm ei tanta in extraneis institutis atque doctrinis exquirendis diligentia vitio verteretur; præterquam quod facti sui rationem optimis rationibus comprobabat, etiam beatorum Pantæni & Heraclæ auctoritate inexpugnabili contra homines rerum ignaros sese defendebat. His enim ferè verbis certa in epistola, quam ad sui Euseb. l. 6. c. 20. græci. reprehensores misit, vsus reperitur: *Postquam me*, inquit, *doctrinæ sacræ dedidissem, déque profectu nostro discurrens fama multorum aures verberasset, ac nonnulli inter alios hæretici, nonnulli etiam Gentiles profanis instructi disciplinis, atque ij potissimè, qui philosophiæ vacabant studijs, domum meam celebrarent; mihi bonum factum visum est, vt & hæreticorum examinarem dogmata, & Philosophorum promissa de veritate documenta perscrutarer. Quod nos quidem fecimus, tam Pantænum illum imitati, qui ijsdem hisce armis egregiè instructus multis an-* S. HERACLÆ LAVS. *te nos auxilio fuit, quàm & Heraclam presbyterij gradum Alexandriæ iam tenentem, quem apud philosophiæ magistrum inueni. Nam eius in ludo quinquennium constanter iam exegerat, priusquam illi me doctrinæ applicuissem. Vnde & communi veste vsus antehac cùm fuisset, ex eo tempore illâ dimissâ philosophicam induit, quam etiamnum retinet: neque desistit, quoad potest, Ethnicorum libros peruoluere.* Ita pro se Origenes, qui duos sanctissimos viros imitatus, plurima & ipse magna ingenia (de quibus pòst erit sermo) ecclesiæ peperit. Sed ad Pantænum nostrum vt redeamus, is post multos demum in prædicando euangelio, in dilucidandis Scripturis, in Gentilibus à superstitione abstrahendis, in hæreticis ab errore reuocandis, susceptos à se & domi & foris labores, vitam denique venerandâ spectatam canicie S. PANTÆNI OBITVS ET SANCTITAS. exitu felicissimo terminauit. Certus quidem mortis annus è nullo historicorum, neque ex vllo alio idoneo Auctore haberi potuit: sed Romanum martyrologium, nullo certo obitus anno definito, ad imperium vsque Antonini Caracallæ (qui anno Domini ducentesimo decimo tertio regnare occœpit, & ducentesimo decimo nono obijt) eum peruenisse commemorat: Hieronymus verò etiam docuisse sub eodem Imperatore scribit: nempe vt generosę senectutis & indefessi laboris exemplum insigne haberemus. Huius porrò inuicti athletæ beatam memoriam S. Alexander Hierosolymorum Episcopus in suis ad Origenem litteris piè celebrauit, eúmque & verè beatum & dominum appellauit, atque adeo breui se postea, quò is præcessisset, consecuturum prędixit. Eius verba in ipsius Alexandri viri beatissimi vitam differo. Denique Pantęnus in illustrium sanctorum choro gloriosus, tam à nouis, quàm à veteribus martyrologis exhibetur ipsis nonis Iulij: vbi vetus Romanum martyrologium breuissimè,

ſimè, vt ſolet, nec plùs tribus verbis ſic habet: *Alexandriæ S. Pantæni.* Fuſiùs verò nouum eadem die, vbi iſta: *Alexandriæ S. Pantæni, viri apoſtolici & omni ſapientia adornati: cui tantum ſtudij & amoris erga verbum Dei fuit, vt etiam ad prædicandum Chriſti euangelium Gentibus quæ in Orientis vltimis ſeceßibus reconduntur, fidei & deuotionis calore ſuccenſus profectus ſit, ac demum Alexandriam reuerſus, ſub Antonino Caracalla in pace quieuit.* Ita ibi.

CAPVT TERTIVM.

Scripta S. Pantæni.

DE huius beati viri ſcriptis mentio eſt tam apud Euſebium, quàm apud Hieronymum. Huius verba è libro *De illuſtribus eccleſiæ Scriptoribus* integrè apponam. Ita ergo ſcribit:

PANTÆNVS Stoicæ ſectæ philoſophus, iuxta quandam veterem in Alexandria conſuetudinem, vbi à Marco Euangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuêre doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis tam in Scripturis diuinis, quàm in ſæculari litteratura fuit: vt in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis à Demetrio Alexandriæ Epiſcopo mitteretur. Vbi reperit Bartholomæum de duodecim Apoſtolis vnum, aduentum Domini Ieſu iuxta euangelium prædicaſſe, quod Hebraïcis litteris ſcriptum reuertens Alexandriam ſecum detulit. Huius multi quidem in ſanctam Scripturam exſtant commentarij: ſed magis viua voce eccleſijs profuit: docuítque ſub Seuero Principe & Antonino cognomento Caracalla. Hæc ibi Hieronymus: qui & eiuſdem Pantæni meminit in epiſtola ad Magnum, oratorem Romanum. De iſtis porrò in Scripturam commentarijs, tametſi multis, reſtat modò nullus. Et eos tamen Euſebius *diuinorum documentorum theſauros* appellabat. Adeo & tales quoque theſauri vel hominum negligentia, vel temporum iniuria pereunt: nec eſt in rebus humanis tam ſpecioſum quippiam aut precioſum, quod aliquo perpetuæ ſtabilitatis priuilegio fulciatur.

Sed ecce tamen de magnis tanti viri theſauris non fragmentum quidem eius verbis, ſed breuiſſimum duntaxat documentum alienis vocibus indicatum, quod inter Propheticorum librorum eclogas, ſiue excerpta, ſeu illa ſint Theodoti cuiuſpiam (ſunt enim in Clementis Alexandrini editione græcolatinâ poſt Theodoti epitomas ſine alio nomine adiecta) ſeu alterius cuiuſlibet Auctoris, mihi fortuitò & aliud agenti, ſed tamen & fortunatò obiectum eſt.

Nam illìc inter variorum de iſto pſalmi verſiculo: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* opiniones atque ſententias, etiam beati Pantęni iudicium atque auctoritas, tametſi ſtrictim, cum vtili documento proponitur. Sic enim verba habent, quæ ibi gręcè tantùm exſtant: Pſal. 18.

Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ.

Ἔνιοι μὲν οὖν φασι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐν τῷ ἡλίῳ αὐτὸν ἀποτίθεσθαι, ὡς Ἑρμογένης· σῶμα δὲ λέγουσιν οἱ μὲν τὸ σκῆνος αὐτοῦ· οἱ δὲ τὴν τῶν πιστῶν ἐκκλησίαν. ὁ ΠΑΝΤΑΙΝΟΣ δὲ ἡμῶν ἔλεγεν ἀορίστως τὴν προφητείαν ἐκφέρειν τὰς λέξεις, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, καὶ τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ μέλλοντος χρῆσθαι χρόνῳ, καὶ πάλιν τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ παρῳχηκότος. ὃ καὶ νῦν φαίνεται. τὸ γὰρ ΕΘΕΤΟ καὶ ἐπὶ τοῦ παρῳχηκότος καὶ ἐπὶ τοῦ ἐσομένου τάσσεται. ἐπὶ μὲν τοῦ ἐσομένου· ὅτι πληρωθείσης ταύτης τῆς κατὰ τὴν παροῦσαν κατάστασιν περιόδου ὁ κύριος ἐλεύσεται, καὶ τοὺς δικαίους τοὺς πιστούς, οἷς ἐπαναπαύεται καθάπερ σκηνῇ· ἓν γὰρ σῶμα οἱ πάντες ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους τὴν αὐτὴν πίστιν καὶ δικαιοσύνην ἑλόμενοι· εἰς τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἀποκαταστησόμενος. Ἄλλοι μὲν ὡς κεφαλή· οἱ δὲ ὡς ὀφθαλμοί· οἱ δὲ ὡς ὦτα· οἱ δὲ ὡς χεῖρες· οἱ δὲ ὡς στήθη· οἱ δὲ ὡς πόδες ἐν ἡλίῳ τεθήσονται φωτεινοί. Quorum hic eſt ſenſus:

In ſole poſuit tabernaculum ſuum.

Quidam igitur aiunt corpus Domini in ſole depoſitum eſſe: vt Hermogenes: corpus autem dicunt eius tabernaculum. Alij verò fidelium eccleſiam. PANTÆNVS autem noſter dicebat prophetiam vt plurimùm efferre voces indefinitè, & vti tempore præſenti pro futuro, & contrà præſenti pro præterito. Quod & nunc apparet. Nam POSVIT & in præterito ordinatur, & in futuro. Atque in futuro quidem, propterea quòd expleto hoc præſentis ſtatus tempore Dominus venturus ſit, & fideles iuſtos, in quibus velut in tabernaculo quieſcit, (ſunt enim omnes vnum corpus ex eodem genere eandem fidem & iuſtitiam ſectati) ad eandem vnitatem reſuſcitaturus. Alij porrò tanquam caput: alij tanquam oculi: alij tanquam aures: alij tanquam manus: alij tanquam pectora: alij tanquam pedes in ſole ponentur lucidi.

Ita ibi, vbi plura videri poſſunt. Explicat autem *poni in ſole*, collocari in Deo, & quaſi Deum fieri atque inſtar ſolis fulgere.

Ex his itaque patet Pantænum poſuiſſe hunc ad intelligendas prophetias canonem vtiliſſimum & planè neceſſarium; quem & omnes hodie vſurpant ſacræ Scripturæ interpretes: nempe verba in Prophetis, vt plurimùm, indefinitè eſſe poſita, hoc eſt, præſens interdum pro futuro, futurum pro præterito, præteritum pro futuro, ſicque de alijs. Nam Prophetæ in illo pleno reuelatæ veritatis lumine res omnes quamuis multò pòſt futuras tam clarè ac dilucidè intuebantur, quàm ſi coram oculis eas haberent, & iam fierent, aut factæ iam eſſent.

Hactenus de vita & Scriptis aut fragmentis S. Pantæni quæcumque nanciſci potui. Vtinam plura alius! Interim ad Notationes.

NOTA-

NOTATIONES AD VITAM S. PANTÆNI.

IN CAPVT PRIMVM.

a ÆTAS QVA NATVS EST.] A Natum esse Pantænum secundo Christi sæculo ex illis Hieronymi verbis in Chronico ad annum Domini 196. & Seueri Imp. secundum liquet certissimò. *Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, & Pantænus Stoicus Philosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.* Ita vertit Hieronymus græca verba Eusebij, quæ de Clemente quidem amplius quiddam continent. Sic enim habent: ΚΛΗΜΗC ὁ Στρωματεὺς, πρεσβύτερος Ἀλεξανδρείας, διδάσκαλος ἄριστος ἐν τῇ κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίᾳ, συγγράμμασι διέλαμπεν: Καὶ ΠΑΝΤΑΙΝΟC φιλόσοφος ἀπὸ Στωϊκῶν ἐν τῷ θείῳ λόγῳ διέπρεπεν. *CLEMENS Stromateus, Presbyter Alexandrinus, magister optimus in philosophia Christiana, scriptis emicuit. Et PANTÆNVS philosophus Stoicus in diuino verbo excelluit.* hoc est, in Scripturæ sacræ explicatione. B

Notantur autem hæc in græco ad annum secundum olympiadis CCXLIII. Seuero Augusto II. & Clodio Albino II. Coss. & Domini 195. Quòd si igitur anno Domini 195 aut 196. non Pantænus solùm, sed etiam Clemens eius auditor clarus erat, certè cùm illud esset secundum sæculum, & magno iam natu esset Pantænus, consequitur sub medium saltem eius sæculi natum esse. C

Minimè verò audiendus est Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus lib. 6. c. 65. qui dicit Pantænum fuisse Marci euangelistæ discipulum. Nam inde consequeretur eum primo sæculo & quidem medio natum: siquidem Marcus ex communi opinione, 8. Neronis anno obiit: ex quo tempore ad imperium Caracallæ, quo superstes erat Pantænus, facilè centum quinquaginta, eóque amplius anni reperientur, quibus omnibus vixisse Pantænum, & tot præterea quot necessarij sunt ætatis ad percipiendas disciplinas, (nec enim statim natus potuit S. Marci esse discipulus) quis hominum credat? D

b GENERE HEBRÆVS FVIT.] Colligitur è Clemente Alexandrino in recensione suorum magistrorum, quos libro Stromatum haud procul initio sic recenset: Τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος ὁ Ἰωνικός· οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος· τῆς κοίλης θάτερος αὐτῶν Συρίας ἦν· ὁ δὲ ἀπ' Αἰγύπτου· ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν ἀνατολήν· καὶ ταύτης ὁ μὲν τῆς τῶν Ἀσσυρίων· ὁ δὲ ἐν Παλαιστίνῃ Ἑβραῖος ἀνέκαθεν· ὑστάτῳ δὲ περιτυχών· δυνάμει δὲ οὗτος πρῶτος ἦν· ἀνεπαυσάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα.

Horum quidem alius in Græcia Ionicus erat: alij in magna Græcia: quorum vnus erat è Cœlesyria, alter ex Ægypto: alij in Oriente, è quibus hic quidem Assyrius: alter autem in Palæstina Hebræus ductâ ex alto origine: in vltimum autem cùm incidissem, (hic autem primus erat potestate) [.i. virtute & doctrina præpollebat ceteris] *conquieui in Ægypto venatus delitescentem.*

Hic per *vltimum, in quem inciderit Clemens* cuncti intelligunt Pantænum: & rectè. Sed aliqui distinguunt istum vltimum ab omnibus qui suprà recensiti fuerint: ego tamen prorsus existimo intelligi vltimum recensitorum, non verò aliquem alium antea innominatum. Vltimus autem nominatorum erat is, de quo dicit: *Alter autem in Palæstina Hebræus ductâ ex alto origine:* vti etiam vertit Heruetus, qui itidem *vltimum* refert ad suprà nominatum, sic vertendo proximè sequentia: *Cùm autem in eum vltimũ incidissem.* vbi illud *eum* fine dubio refert ad iam iam nominatum Hebræum. Herueti porrò versionem sequitur vtrobique Baronius ad annum Commodi Imp. quartum. Quare debebat consequenter per *Hebræum illum ex alto ductâ origine*, seu *Iudæum à maioribus suis*, vt vertit Langus Nicephori interpres lib. 4. hist. cap. 33. intelligere *Pantænum*, non autem *Theophilum Cæsariensem.*

Nota

Nota hîc quoque ista verba θηράσας λεληθότα, malè & ab Herueto reddita, & à Baronio retenta esse, hoc modo: *Venans quæ latuerant*, cùm reddi debuerint *venatus delitescentem*, aut *quærendo & quasi venando nactus latentem*, Pantænum scilicet. Videtur enim Pantænus primò docuisse in Palæstina, vbi notus & auditus fuerit à Clemente, sed postea egressus è Palæstina secessisse in Ægyptum, ibique latuisse, Clementem verò more canis venatici inuestigasse, quónam abiisset, ac tandem in Ægyptum profectum ibi reperisse, eíque adhæsisse. Existimauit autem Heruetus λεληθότα hoc loco esse pluralis numeri, vti & Ioannes Langus, qui vertebat: *atque ibi, quæ antea latuerant, repertis, alia inquirere desij.* quæ græcè sic habent: ἀνεπαυσάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα. *Quieui in Ægypto inuestigando assecutus latentem*, siue eum qui hactenus latuerat.

c *STOICORVM SECTAM POTISSIME ELEGIT.*] Hinc appellatus est perpetuò *Philosophus Stoicus*, aut *Stoicæ sectæ philosophus*: vt suprà animaduerti potuit, & ex Hieronymo epist. ad Magnum, oratorem Rom. octogesima quarta. *Pantænus*, inquit, *Stoicæ sectæ philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetrio Alexandriæ Episcopo missus est in Indiam, vt Christum apud Brachmanas & illius gentis philosophos prædicaret.*

d *SCHOLÆ ALEXANDRIÆ CVRA.*] Commissam Pantæno scholam Alexandrinam testatur cum eius insigni laude Eusebius lib. 5. hist. cap. X. vbi inter alia: Ὅγε μὴν ΠΑΝΤΑΙΝΟΣ ἐπὶ πολλοῖς κατορθώμασι τοῦ κατ' Ἀλεξάνδρειαν πλεῖστα ἡγεῖται διδασκαλείου, ζώσῃ φωνῇ καὶ διὰ συγγραμμάτων τοὺς τῶν θείων δογμάτων θησαυροὺς ὑπομνηματιζόμενος.

Hic sanè Pantænus ob plurimas virtutes ac benefacta Alexandrinæ tandem præsidet scholæ, viua voce & scriptis diuinorum thesauros documentorum depromens.

Photius in bibliot. cod. CXVIII. vbi de Pamphilo mart. agit, sic per transennam de Pantæno: Κλήμεντα δὲ Πανταίνου γενέσθαι λέγουσι καὶ ἀκροατὴν καὶ τοῦ διδασκαλείου διάδοχον· Πάνταινον δὲ τῶν τε τοὺς Ἀποστόλους ἑωρακότων ἀκροάσασθαι· οὐ μὴν ἀλλὰ καί τινων αὐτῶν ἐκείνων διακοῦσαι.

Clementem Pantæni fuisse dicunt auditorem & scholæ successorem. Pantænum autem ijs vsum magistris qui Apostolos vidissent, immo aliquos horum ipsorum audiuisse. Ita ille.

Verùm haud potest concedi auditos Pantæno aliquos ex ipsis Apostolis. Tum enim & primo sæculo natus esset, & docuisset in tertio. Nam Caracalla sub quo fertur docuisse Pantænus, imperium suscepit anno 13. tertij sæculi circiter. Ad audiendum autem Apostolos oportuisset natum esse viginti circiter annos in primo sæculo, cùm vltimus Apostolorum obierit initio secundi sæculi. Atque ita vixisset B. Pantænus annos plus minus centum triginta. Quæ res, vt valde admiranda, ita tot inter Scriptores nunquam fuisset tacita.

e *SVB COMMODI IMP. PRIMORDIA.*] Gymnasij Alexandrini regimen traditum Pantæno sub initia imperij Commodi satis indicat temporum illorum descriptio apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 9. & 10. hisce verbis: Ἐννέα καὶ δέκα ἔτεσι τῇ βασιλείᾳ διαρκέσαντος Ἀντωνίνου, Κόμμοδος τὴν ἡγεμονίαν παραλαμβάνει· οὗ κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῶν κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἐκκλησιῶν Ἰουλιανὸς ἐγχειρίζεται τὴν ἐπισκοπὴν, ἐπὶ δυοκαίδεκα ἔτεσι τὴν λειτουργίαν ἀποπλήσαντος Ἀγριππίνου. Ἡγεῖτο δὲ τηνικαῦτα τῆς τῶν πιστῶν αὐτόθι διατριβῆς ἀνὴρ κατὰ παιδείαν ἐνδοξότατος, ὄνομα αὐτῷ Πάνταινος, ἐξ ἀρχαίου ἔθους διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνεστῶτος· ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατείνεται, καὶ πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν συγκροτεῖσθαι παρειλήφαμεν.

Nouemdecim annos imperij cùm explesset Antoninus, suscepit Commodus habenas: cuius anno primo, Alexandrinarum ecclesiarum regimini admotus est Iulianus, postquam Agrippinus annis 12. eodem perfunctus munere excessisset. Regebat eodem tempore fidelium inibi scholam vir doctrinâ celeberrimus, cui nomen Pantænus: cùm ex more prisco constitutum illic apud eos esset gymnasium sacrarum litterarum: quod ad hanc diem permanet, atque à viris tum scientia, tum diuinarum rerum studio instructissimis frequentari accepimus.

f *QVANTO AVTEM PANTÆNVS EIDEM GYMNASIO PRÆFVERIT TEMPORE.*] Tametsi certum ad amussim reperiri tempus non possit, quo in ea schola perseuerarit Pantænus: credibile tamen est ac vero proximum decem ipsos annos, quibus ecclesiæ ibidem præfuit Iulianus Episcopus, perstitisse in docendi munere Pantænum. Nam missus est demum in Indiam à Iuliani successore, Demetrio scilicet eiusdem vrbis Alexandrinæ Episcopo, sed quo anno episcopatus incertum. Nam præfuit annis quadraginta tribus, Eusebio auctore in Chronico.

g *TOTIVS PROPE ORBIS LONGE DELICIOSISSIMA.*] De adagio *Deliciæ Alexandrinæ* egi in S. Iustino.

h *ET FERE DOCTISSIMA.*] Nota enim est fama reconditioris in Ægypto doctrinæ: de qua me dicere memini in Dionysio Areopagita, tomo harum vitarum primo.

i *IN INDIAM ET REMOTAS ORIENTIS PLAGAS.*] Nota est Pantæni in In-

in Indiam profectio ex Eusebij historia, A lib. 5. cap. X. Τοσαύτην δ' οὖν φασιν αὐτὸν προθυμίας περὶ τὸν θεῖον λόγον ἐνδείξασθαι, ὡς καὶ κήρυκα τοῦ κατὰ Χριστὸν εὐαγγελίου τοῖς ἐπ' ἀνατολὴν ἔθνεσιν ἀναδειχθῆναι, μέχρι καὶ τῆς Ἰνδῶν στειλάμενον γῆς.

Tantum verò ad diuinum verbum sedulitatis attulisse eum ferunt, vt & præco euangelij Christi orientalibus gentibus, ad terram vsque Indorum profectus, existeret.

Post quæ verba subiicit idem Eusebius B de Sanctorum illius sęculi zelo Apostolico ista: Ἦσαν γὰρ, ἦσαν εἰσέτι τότε πλείους εὐαγγελισταὶ τοῦ λόγου, ἔνθεον ζῆλον Ἀποστολικοῦ μιμήματος συνεισφέρειν ἐπ' αὐξήσει καὶ οἰκοδομῇ τοῦ θείου λόγου προμηθούμενοι, ὧν εἷς γενόμενος καὶ ὁ Πάνταινος καὶ εἰς Ἰνδοὺς ἐλθεῖν λέγεται.

Erant enim, erant illo adhuc tempore complures verbi annuntiatores diuinum Apostolicæ imitationis Zelum ad sanctæ doctrinæ amplifi- C *cationem atque plantationem animati. Quorum vnus erat & ipse Pantænus, qui ad Indos transmeasse dicitur.*

k *EARVNDEM GENTIVM EFFLAGITANTIBVS LEGATIS.*] Dubium est, Pantænúmne efflagitarint legati nominatim, an ali quem tantùm fidei Christianæ doctorem idoneum, quisquis ille esset. Vtrumque enim fieri potuit: cùm satis vel ex fama nominis, vel ex Indorum aliquo- D rum Alexandrię negotiantium auditu notus esse potuerit Pantænus, in ea vrbe velut orbis theatro publicos cœtus habens. Alexandriam enim *medium ferè orbis terrarum & vrbem omnium populosissimam*, vt vocat Dio Chrysostomus, Indi quoque & tum & antea celebrabant. Nam idem Dio Philosophus & orator aurifluus, Traianique deliciæ in sua ad Alexandrinos oratione, quæ est numero XXXII. sic scribit: E Ὁρῶ γὰρ ἔγωγε οὐ μόνον Ἕλληνας παρ' ὑμῖν, οὐδ' Ἰταλούς, οὐδὲ ἀπὸ τῶν πλησίον Συρίας, Λιβύης, Κιλικίας, οὐδ' ὑπὲρ τοὺς ἐκείνους Αἰθίοπας, οὐδὲ Ἄραβας· ἀλλὰ καὶ Βακτρίους, καὶ Σκύθας, καὶ Πέρσας, καὶ Ἰνδῶν τινας, οἳ συνθεῶνται καὶ πάρεισιν ἑκάστοτε ὑμῖν.

Video enim ego apud vos non solùm Græcos, neque Italos, neque à propinquis regionibus Syria, Libya, Cilicia, neque qui supra illos, Æthiopas, neque Arabes: sed & Bactrianos, & Scy- F *thas, & Persas, & Indorum aliquos, qui concurrunt & vobis semper adsunt.*

Et paullò inferius: Οὗτοι γὰρ σχεδὸν ἐν μέσῳ τῆς οἰκουμένης, ἐν τῇ πολυανθρωποτάτῃ πασῶν πόλει τοιαῦτα ἐργάζονται. *Hi ferè in medio terræ, in vrbe omnium populosissima talia faciunt.*

Quare admodum est probabile Pantænum & Indis notum fuisse, & petitum nominatim, & voluntarium abijsse.

l *VBI BRACHMANAS INDIGENAS.*] De Brachmanibus vide multa apud Strabonem libro XV. geographiæ.

Tanta illorum erat fama, vt multi ex hoc orbe nostro scientiæ multiplicis cupidi ad eos audiendos in Indiam currerent. De Apollonio scribit Hieronymus inter alia: *Intrauit Persas, penetrauit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas & opulentissima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latissimo amne Phison transmisso peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem.*

m *IBI SIQVIDEM S. BARTHOLOMÆVS.*] Martyrologium Rom. ad vicesimam quintam Augusti: *Sancti Bartholomæi Apostoli, qui in India euangelium Christi prædicauit.* &c.

Eusebius lib. V. hist. cap. X. vbi de Pantæno ad Indos profecto agit, sic de S. Bartholomæo & Matthæi euangelio illîc reperto scribit: Ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτὸν προφθάσαν τὴν αὐτοῦ παρουσίαν τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον παρά τισιν αὐτόθι τὸν Χριστὸν ἐπεγνωκόσιν· οἷς Βαρθολομαῖον τῶν Ἀποστόλων ἕνα κηρύξαι, αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφήν, ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὸν δηλούμενον χρόνον.

Ibi fertur inuenisse euangelium secundùm Matthæum [Pantænus scilicet] *quod ante eius aduentum ibi erat apud quosdam, qui Christum agnouerant: quibus Bartholomæus Apostolorum vnus euangelium annuntiarat, ipsisque Matthæi scripturam reliquerat, quæ ad tempus, quo de tam agitur, reseruatum est.*

n *EIVS ENIM DITIONI ILLA SVBERAT INDIA.*] Hinc & magnus Athanasius B. Frumentium creatum à se Episcopum eodem dimisit, vt in vita eius scribetur, & refert Ruffinus Presbyter libro X. historiæ ecclesiasticæ cap. IX.

IN CAP. II.

a FACILE PRIMVS FVIT CLEMENS ALEXANDRINVS.] Multos habuit eximios auditores Pantænus, siue antequam in Indiam proficisceretur, siue postea reuersus: sed omnium clarissimus doctrina quidem simul & sanctimonia fuisse videtur Clemens. Quem proinde mirum est, laudatum penè ab omnibus, & abesse à Romano martyrologio. Beatum & sanctum appellabat post eius mortem S. Alexander Hierosolymorum Episcopus. Quod si qui in scriptis eius errores vel ab eo humanitus admissi, vel ab hæreticis nequiter immissi reperiantur, quàm multi sunt antiquorum Patrum in sacris

sacris celebratorum tabulis, quos illa caussa grauiùs premat? Hunc Clementem multis in locis mirificè commendat Baronius. Videtur & S. Alexander iam nominatus è S. Pantæni fuisse auditoribus, sed tacitâ sanctitatis inter illum & Clementem (quæ soli cognita cælo est) comparatione, certè doctrinâ impar Clementi fuit. De quo Clemente inter sua de SS. Patribus iudicia sic Hieronymus epistolâ ad Magnum: *Clemens Alexandrinæ ecclesiæ Presbyter, vir meo iudicio omnium eruditissimus.* &c. Photius in Bibliotheca, codice CIX. ita de eodem Clemente: Μαθητὴς δέ, ὡς καὶ αὐτός φησι, γέγονε Πανταίνου. *Discipulus autem fuit (vt ipsemet fatetur) Pantæni.*

b *AMBORVM ENIM VIRTVTIS MONVMENTVM EST.*] Modestiæ scilicet & submissionis sui in Clemẽte, immo & gratissimi simul in Præceptorem animi: diligentiæ autem & sedulitatis ad sacram scientiam comparandam & communicandam, in Pantæno.

c *IAM VERO HOC OPVS, NON AD INGENII OSTENTATIONEM.*] Ipsissima sunt Clementis verba, quæ exstant græcè in ipso Clemente, libro 1. Stromatum sub initium, & in Eusebio, lib. V. cap. XI. & in Nicephoro Callisto, lib. 4. cap. 33. his verbis: Ἤδη δὲ οὐ γραφὴ εἰς ἐπίδειξιν τετεχνασμένη, ἤδη ἡ πραγματεία· ἀλλά μοι ὑπομνήματα εἰς γῆρας θησαυρίζεται, λήθης φάρμακον, εἴδωλον ἀτεχνῶς, καὶ σκιαγραφία τῶν ἐναργῶν, καὶ ἐμψύχων ἐκείνων, ὧν κατηξιώθην ἐπακοῦσαι λόγων τε καὶ ἀνδρῶν μακαρίων, καὶ τῷ ὄντι ἀξιολόγων. Τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος. &c. vt notaui suprà numero 2. *Genere Hebræus* &c.

Initium græcæ periodi videtur prima fronte mendosum aut certè obscurum: sed constructio talis est: Ἤδη δὲ ἤδη ἡ πραγματεία, οὐ γραφὴ εἰς ἐπίδειξιν τετεχνασμένη &c. *Iam verò hoc opus* &c. vt in textu vitæ. ita vt ob orationis suauitatem, facta fuerit in græco nominum transmutatio.

Nota item εἴδωλον hîc in bonam partem vsurpari, pro imagine & adumbratione, doctorum sermonum Pantæni scilicet.

d *QVORVM ALIVS IN GRÆCIA* &c.] Vbi præceptores suos habuerit Clemens, indicat ipse quidem: sed qui fuerint, tacet. De vltimo quidem, apud quem in Ægypto conquieuit, consentiunt omnes esse Pantænum: *Quod si augurari licet de ceteris,* inquit Baronius, *putamus per eum quem in Græcia nactus est, intelligi Dionysium Corinthiorum Episcopum, vel Caium: per Syrum, Theophilum Antiochenum: per Assyrium, Bardesanem: & per Palæstinum, Theophilum Cæsariensem.* Quod si vera est hæc Baronij conjectura, næ magnus omnino vir fuit

A Pantænus, qui tantis maior fuit. Ac de aliis quidem plus est animi ad consentiendum Baronio, quàm aut ad contendendum, aut ad alios conquirendos: sed per Palæstinum intelligi Pantænum, non autem Theophilum probaui suprà.

e *SCIO, INQVIT, QVAM HÆC COMMENTARIORVM* &c.] Hæc sunt ex eodem libro Clementis paullo post superiora, his verbis græcè: Ἡ μὲν οὖν τῶνδέ

B μοι τῶν ὑπομνημάτων γραφὴ ἀσθενὴς μέν, εὖ οἶδα, ὅτι παραβαλλομένη πρὸς τὸ πνεῦμα ἐκεῖνο τὸ κεχαριτωμένον, οὗ κατηξιώθημεν ὑπακοῦσαι· εἰκὼν δ' ἂν εἴη ἀναμιμνήσκουσα τὰ ἀρχέτυπα τὸν θυρσῷ πεπληγότα. Latina sunt in textu vitæ.

Nota in exemplaribus græcis perperam legi τοὺς ἀρχετύπους. Nam nec ille casus ibi congruit, nec de pluribus sermo est, sed de vnico Pantæno, qui erat respectu Clemen-

C tis, quod archetypum siue exemplar respectu imaginis. Ac proinde mutaui in genitiuos, præsertim cùm & vox ἀναμιμνήσκουσα casus istos exigat.

f *QVI THYRSO ICTVS FVERIT.*] Græcè est, θυρσῷ πεπληγώς. Thyrso autem ictus, seu *thyrsô percussus* (vt loquitur Lucretius Carus) dicitur lector aliquis seu auditor, cùm studio imitandi cuiuspiam, aut laudis amore ex re aliqua tangitur. Sic

D enim ille lib. 1. de rerum natura fere extremo:

Nũc age, quod superest cognosce, & clariùs audi.
Nec me animi fallit, quàm sint obscura; sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.

Videtur porrò Clemens ad vulgatum illud respexisse:

Πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.
Multi thyrsigeri, sed Bacchi sunt bene pauci.

Quo significatur pluribus inesse speciem,

E aut nomen, aut insignia virtutis, vel artis cuiuspiam, quàm veram virtutem vel artem. Sic in Pantæno veram solidámque virtutem & eruditionem infuisse, in se verò vmbram tantùm vtriusque & imaginem: quæ verba modestiæ magis sunt, quàm veritatis.

g *PLVS TAMEN VIVA VOCE* &c.] Testis Eusebius lib. 5. hist. eccl. cap. 10. & S. Hieronymus lib. De illustribus ecclesiæ

F Scriptoribus cap. 36. in Pantæno, vbi quod ille dixerat ζώσῃ φωνῇ, totidem hic vocibus expressit dicens, *viua voce.*

h *ET BEATVS HERACLAS.*] De hoc ita martyrologium ad 14. Iulij: *Alexandriæ S. Heraclæ Antistitis, ob cuius celeberrimam opinionẽ Aphricanus historiographus memorat se Alexandriam ad eum visendum properasse.*

Quæ ex Eusebio ducta sunt, qui libro 6. historiæ cap. 31. (in latina editione est cap. 24.) ita de vtroque: Τοῦ δὲ αὐτοῦ Ἀφρικανοῦ καὶ ἄλλα

καὶ ἄλλα τὸν ἀριθμὸν πέντε χρονογραφιῶν ἦλθεν εἰς ἡμᾶς ἐπ᾽ ἀκριβὲς πεπονημένα συγγράμματα· ἐν οἷς φησὶν ἑαυτὸν πορείαν στείλασθαι ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν διὰ πολλὴν τοῦ Ἡρακλᾶ φήμην· ὃν ἐπὶ λόγοις φιλοσόφοις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἑλλήνων μαθήμασιν εὖ μάλα διαπρέψαντα τὴν ἐπισκοπὴν τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας ἐγχειρισθῆναι ἐδηλώσαμεν.

Eiusdem Africani sunt & alia quinque numero Chronographiæ volumina accuratissimè elaborata, quæ ad nos peruenerunt: in quibus ait se multâ Heraclæ famâ excitum Alexandriam iter suscepisse. Quem studijs philosophicis, alijsque Gentilium disciplinis mirificè excultum ad eiusdem ecclesiæ episcopatum assumptum esse indicauimus.

i *POSTQVAM ME, INQVIT, DOCTRINÆ SACRÆ DEDISSEM &c.*] Hæc græcè reperientur apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 20. Ἐπεὶ δὲ ἀνακειμένῳ μοι τῷ λόγῳ ἡ φήμης διαξεχύσης &c. quæ vide ibi, & latinè cap. 13. Non enim concordant græca & latina in capitibus.

IN CAPVT III.

AGitur in eo de scriptis S. Pantæni, quæ nunc supersunt nulla. Meminit eorum scriptorum Eusebius lib. V. hist. cap. X. Verba protuli in Notationibus ad prius caput, numero 3. vbi dicitur quidem Pantęnus viua voce & scriptis diuinorum thesauros documentorum deprompsisse: sed cuiusmodi illa fuerint scripta, an scilicet in Scripturam sacram commentarij, an de libero quolibet argumento libri aut orationes, non declaratur. Verùm è verbis Hieronymi in cap. 1. superiùs productis, atque etiam è verbis siue Theodoti, siue alterius cuiuspiam ibidem infrà subiectis, colligitur in sacram Scripturam edidisse commentarios. Nam de alijs operibus nihil liquet.

Scripsisse autem in Hexaëmeron siue in Opus sex dierum colligitur ex Anastasio Sinaita, qui libro 1. explanationum in Genesim, cum inter antiquos eius interpretes recenset ita scribens: Λαβόντες τὰς ἀφορμὰς ἐκ Παπίου τοῦ πάνυ τοῦ Ἱεραπολίτου, τοῦ ἐν τῷ ἐπιστηθίῳ φοιτήσαντος, καὶ Κλήμεντος, καὶ Πανταίνου τῆς Ἀλεξανδρέων ἱερέως, καὶ Ἀμμωνίου σοφωτάτου, τῶν ἀρχαίων καὶ πρώτων συνόδων ἐξηγητῶν, εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν πᾶσαν τὴν ἑξαήμερον νοησάντων. *Capta occasione è Papia viro clarissimo Hierapolitano, Apostoli qui supra pectus Domini recubuit discipulo, & Clemente, & Panteno Sacerdote Alexandrino, & Ammonio sapientissimo, primis & vetustis interpretibus, qui totum opus sex dierum de Christo & ecclesia intellexerunt.*

IN SOLE POSVIT TABERNACVLVM SVVM.] Hunc versiculum psalmi 18. cùm varij auctores variè interpretati

A sint; duæ hîc referuntur oppositæ inuicem expositiones: quarum vna est Hermogenis, altera S. Pantæni.

Fuit autem Hermogenes hæresiarcha, aduersus quem scripserunt S. Theophilus Antiochenus, Origenes, Tertull. & alij.

De illo ita breuiter Theodoretus libro 1. hæreticarum fabularum:

Περὶ Ἑρμογένους.

Ὁ δὲ Ἑρμογένης ἐξ ὑποκειμένης ὕλης καὶ
B συναγεννήτου τὸν θεὸν ἔφη δημιουργῆσαι τὰ πάντα. Ἀδύνατον γὰρ ὑπέλαβεν ὁ ἐμβροντητος καὶ τὸν θεὸν τῶν ὅλων ἐκ μὴ ὄντων δημιουργεῖν. Οὗτος τοῦ κυρίου τὸ σῶμα ἐν τῷ ἡλίῳ εἶπεν ἀποτεθεῖναι· τὸν δὲ διάβολον καὶ τοὺς δαίμονας εἰς τὴν ὕλην ἀναχυθήσεσθαι.

DE HERMOGENE.

Hermogenes autem ex subiecta materia & coingenita dicit Deum esse omnia fabricatum: Existimabat enim stolidus fieri non posse, vt
C *Deus vniuersorum ex ijs, quæ non sunt, quicquam fabricaretur. Is dicebat corpus Domini in sole esse repositum: diabolum autem & dæmones esse in materiam refundendos.* Sic Interpres & rectè.

Hoc posteriùs membrum, seu memoriæ lapsu, seu amanuensis errato perperam attribuebat Philastrio Baronius, qui ad annum Christi 170. sub finem sic scribit: *Addit Philastrius hæc de Hermogene,* inquit: *Is*
D *dicebat corpus Domini* &c. Nusquam enim hæc verba in Philastrio reperiuntur.

Nota porrò non legendum in superiori membro *& congenitâ*, vt habent quædam exemplaria vitio typographi potiùs, vt arbitror, quàm interpretis, sed *coingenitâ*: vt patet ex voce græca συναγεννήτου. Nam tenebat Hermogenes materiam mundi non fuisse genitam, sed æternam & ingenitam ęquè ac Deum, ac proinde *coingenitam* siue
E *pariter ingenitam.* De illo enim sic Tertullianus in libro contra ipsum, cap. 1. *A Christianis enim conuersus ad Philosophos, de ecclesia in academiam & porticum, inde sumpsit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit.*

Et cap. 4. ibidem: *Ita Hermogenes duos Deos infert: materiam parem Deo infert.* Et
F mox: *Adæquabitur autem Deo materia, cùm æterna censetur.*

Atque hæc sunt quæ de sanctissimi Pantæni vita & monumẽtis in magna scriptorum de illo penuria reperire potui: si quis nancisci plura potuerit, in publicum, amabo, ea proferat, & suum ad tanti viri adaugendum honorem symbolum conferat.

FINIS.

Ad maiorem Dei Opt. Max. qui in sanctis suis glorificatur, laudem & gloriam.

VITA

VITA
S. SERAPIONIS
EPISCOPI ANTIOCHENI.

PRÆFATIO.

SPECTAT etiam ad ſecundum Chriſti ſæculum nomen beati Serapionis: qui inter ſanctos ætatis ſuæ Scriptores, cùm inſigni doctrina, tum egregia vitæ ſanctimonia locum ſibi meritiſsimò flagitat. Non ſuperſunt quidem nunc eius ſcripta: fuerunt tamen Euſebij ætate & Hieronymi, ac pòſt etiam fortaſſe aliquamdiu, ſed quanto exinde pòſt tempore, haud mihi eſt inuenire. Verum paucula illa, quæ ſuperfuere naufragio fragmenta, ipſius quam nunc cum Domino exequor, vitæ ſubiungam.

CAPVT PRIMVM.

Rerum à S. Serapione geſtarum ſeries compendiaria.

SANCTI [a] Serapionis patria, parentes, omnis prima ætas hodie prorſus incognita. Tempore quidem, vt beatiſſimo Melitoni ſuppar, ita ſanctiſſimo Pantæno par & æqualis fuit: nempe [b] ſub medium ſecundi à ſalute parta ſæculi natus, & ſub extremum florens. De ingenio autem, eruditione, virtute, auctoritate quanta in eo fuerint, partim adeptus in vrbe maxima, & in qua S. Petrus Apoſtolorum culmen ſedem habuerat, honos principalis; partim labores pro tuenda & amplificanda Dei eccleſia fortiter obiti; partim etiam dimiſſa ad poſteros ſcriptorum eius præclara monumenta abundè teſtantur. Creatus eſt enim ſanctorum illius æui Præſulum iudicio, & efflagitantis populi ſuffragijs, eccleſiæ Antiochenæ Antiſtes, idque anno Domini circiter centeſimo nonageſimo primo, Commodi Imp. decimo, fuitque in ſerie beatorum eius ſedis Epiſcoporum à ſancto Petro nonus. Nam qui octauum nominant, à ſancto Euodio (vt aliàs indicaui) ſeriem inchoant, relicto extra numerum Apoſtolo, tanquam eximio, & potiùs nauis totius quàm vnius certæ partis gubernatore. Verùm à ſancto Nicephoro

ANTIOCHENORVM EPISCOPORVM PRIMA SERIES.

phoro Patriarcha Constantinopolitano sic Antiochenses recensentur Episcopi. Primus Petrus. 2. Euodius. 3. Ignatius. 4. Heron. 5. Cornelius. 6. Eros. 7. Theophilus. 8. Maximinus. 9. Serapion: Quo quidem in ordine nihil aliud distat ab Eusebio, quàm quòd ille primum nominet Euodium, reliquos autem (ita vt octauus sit Serapion) eodem, quo alter, situ persequitur. Hi porrò omnes Episcopi vsque ad hunc Serapionem, non dignitate magis episcopali, quàm vitæ meritis insignes exstitere: sed eminenter Petrus, egregiè Euodius, præclarè & fortiter Ignatius, nec hoc indignè magistro successor Heron, & horum quidem (nam alios vt minùs celebres extra comparationem relinquo) doctrinę ęstimatione, nemini concedens Theophilus: cuius proinde vitam suprà scripsimus: ac denique secundùm hos noster hic (vti Ado Viennensis appellat) *fide clarissimus Serapion*. Nam pro tuenda Christi fide sedulò excubans, contra grassantes ea tempestate hæreses eloquentiæ suæ spicula, & accuratas elucubrationes, velut amentata tela, direxit. [c] Ita Montani hæresiarchæ vesanos errores voce & scriptis confodit. [d] Ita Domni cuiusdam, ipso in tempore persecutionis, à fide defectionem, atque ad Iudaicas superstitiones infelicem transitum deplorauit, plenúmque amentia factum, ad integræ partis cautelam demonstrauit. Vtinam & alia eius tam foris, quàm domi præclarè facta, ex certâ potiùs relatione, quàm benignâ ex alijs eius rebus interpretatione & coniectura cognosci possent! Nam vt magna illo tempore Antiochenæ sedis auctoritas tam propter vetustatem, quàm propter antecessorum Episcoporum eximiam sanctitatem erat: sic B. Serapioni multa negotia tractanda, multa dubia explicanda, multa controuersa decidenda obtingebant. Vnum verò, cùm Ciliciam peteret (nec enim tales viri vno diu immorari loco poterant, sed vel sponte, vel aliorum inuitatu, alias prouincias propagandæ aut confirmandæ religionis gratia identidem accedebant) vnum, inquam, cùm Ciliciam peteret, illi accidit, quod cunctis Ecclesiæ Præsulibus exemplo ad prudentiam & circumspectionem in rebus gerendis ac dijudicandis esse possit? Nam Rhossum vrbem cùm peruenisset (est ea vrbs in Syriæ & Ciliciæ confinio) pérque humaniter ab omnibus inibi Christianis exceptus esset, (vti ea caritate plenus erat, quæ nec cogitat, nec suspicatur malum) existimauit omnes, qui in Rhossensi essent ecclesia, vnius esse fidei, vnius erga Deum legémque Christianam studij atque voluntatis. Quare faciles omnibus ad se aditus dare, benignè omnes excipere, audiréque, & auditis fidem accommodare. Igitur cùm esset nullus, qui tanti viri præsentiam, & colloquium, ac doctrinæ præsertim sanctitatísque gustum non appeteret; aduenere inter alios nonnulli, quibus aut voluntas praua, aut error inculpatus, diuersa sentire à communi fratrum sensu persuaserat. Ex his quidam

Ado in martyr. 30. Sept.

PRVDENTIA ET CIRCVMSPECTIO QVAM EPISCOPIS IN REBVS DIIVDICANDIS NECESSARIA.

VITA S. SERAPIONIS EPISCOPI ANTIOCHENI.

PRÆFATIO.

SPECTAT etiam ad secundum Christi sæculum nomen beati Serapionis: qui inter sanctos ætatis suæ Scriptores, cùm insigni doctrina, tum egregia vitæ sanctimonia locum sibi meritissimò flagitat. Non supersunt quidem nunc eius scripta: fuerunt tamen Eusebij ætate & Hieronymi, ac pòst etiam fortasse aliquamdiu, sed quanto exinde pòst tempore, haud mihi est inuenire. Verùm paucula illa, quæ superfuere naufragio fragmenta, ipsius quam nunc cum Domino exequor, vitæ subiungam.

CAPVT PRIMVM.

Rerum à S. Serapione gestarum series compendiaria.

SANCTI [a] Serapionis patria, parentes, omnis prima ætas hodie prorsus incognita. Tempore quidem, vt beatissimo Melitoni suppar, ita sanctissimo Pantæno par & æqualis fuit: nempe [b] sub medium secundi à salute parta sæculi natus, & sub extremum florens. De ingenio autem, eruditione, virtute, auctoritate quanta in eo fuerint, partim adeptus in vrbe maxima, & in qua S. Petrus Apostolorum culmen sedem habuerat, honos principalis; partim labores pro tuenda & amplificanda Dei ecclesia fortiter obiti; partim etiam dimissa ad posteros scriptorum eius præclara monumenta abundè testantur. Creatus est enim sanctorum illius æui Præsulum iudicio, & efflagitantis populi suffragijs, ecclesiæ Antiochenæ Antistes, ídque anno Domini circiter centesimo nonagesimo primo, Commodi Imp. decimo, fuítque in serie beatorum eius sedis Episcoporum à sancto Petro nonus. Nam qui octauum nominant, à sancto Euodio (vt aliàs indicaui) seriem inchoant, relicto extra numerum Apostolo, tanquam eximio, & potiùs nauis totius quàm vnius certæ partis gubernatore. Verùm à sancto Nicephoro

phoro Patriarcha Constantinopolitano sic Antiochenses recensentur Episcopi. Primus Petrus. 2. Euodius. 3. Ignatius. 4. Heron. 5. Cornelius. 6. Eros. 7. Theophilus. 8. Maximinus. 9. Serapion. Quo quidem in ordine nihil aliud distat ab Eusebio, quàm quòd ille primum nominet Euodium, reliquos autem (ita vt octauus sit Serapion) eodem, quo alter, situ persequitur. Hi porrò omnes Episcopi vsque ad hunc Serapionem, non dignitate magis episcopali, quàm vitæ meritis insignes exstitere: sed eminenter Petrus, egregiè Euodius, præclarè & fortiter Ignatius, nec hoc indignè magistro successor Heron, & horum quidem (nam alios vt minùs celebres extra comparationem relinquo) doctrinę ęstimatione, nemini concedens Theophilus: cuius proinde vitam suprà scripsimus: ac denique secundùm hos noster hic (vti Ado Viennensis appellat) *fide clarissimus Serapion*. Nam pro tuenda Christi fide sedulò excubans, contra grassantes ea tempestate hæreses eloquentiæ suæ spicula, & accuratas elucubrationes, velut amentata tela, direxit. [c] Ita Montani hæresiarchæ vesanos errores voce & scriptis confodit. [d] Ita Domni cuiusdam, ipso in tempore persecutionis, à fide defectionem, atque ad Iudaicas superstitiones infelicem transitum deplorauit, plenúmque amentia factum, ad integræ partis cautelam demonstrauit. Vtinam & alia eius tam foris, quàm domi præclarè facta, ex certâ potiùs relatione, quàm benignâ ex alijs eius rebus interpretatione & coniectura cognosci possent! Nam vt magna illo tempore Antiochenæ sedis auctoritas tam propter vetustatem, quàm propter antecessorum Episcoporum eximiam sanctitatem erat: sic B. Serapioni multa negotia tractanda, multa dubia explicanda, multa controuersa decidenda obtingebant. Vnum verò, cùm Ciliciam peteret (nec enim tales viri vno diu immorari loco poterant, sed vel sponte, vel aliorum inuitatu, alias prouincias propagandæ aut confirmandæ religionis gratia identidem accedebant) vnum, inquam, cùm Ciliciam peteret, illi accidit, quod cunctis Ecclesiæ Præsulibus exemplo ad prudentiam & circumspectionem in rebus gerendis ac dijudicandis esse possit? Nam Rhossum vrbem cùm peruenisset (est ea vrbs in Syriæ & Ciliciæ confinio) pérque humaniter ab omnibus inibi Christianis exceptus esset, (vti ea caritate plenus erat, quæ nec cogitat, nec suspicatur malum) existimauit omnes, qui in Rhossensi essent ecclesia, vnius esse fidei, vnius erga Deum legémque Christianam studij atque voluntatis. Quare faciles omnibus ad se aditus dare, benignè omnes excipere, audiréque, & auditis fidem accommodare. Igitur cùm esset nullus, qui tanti viri præsentiam, & colloquium, ac doctrinæ præsertim sanctitatísque gustum non appeteret; aduenere inter alios nonnulli, quibus aut voluntas praua, aut error inculpatus, diuersa sentire à communi fratrum sensu persuaserat. Ex his quidam

ANTIOCHENORVM EPISCOPORVM PRIMA SERIES.

Ado in martyr. 30. Sept.

PRVDENTIA ET CIRCVMSPECTIO QVAM EPISCOPIS IN REBVS DIIVDICANDIS NECESSARIA.

PETRI EVANGELIVM APOCRYPHVM.

(vt varia varijs placent, & suus quoque in libris sapor est) ‘sermonem de Petri euangelio inducentes, cœpere eum librum vehementer dilaudare, & quidem arridere eum plerisque omnibus dicere; sed aliquos, quibus non sit ad palatum, imprudenter reijcere, eiúsque damnando lectionem, animos quorundam fratrum ab se alienare, nonnullámque dissensionis ac discordiarum materiam serere: non videri autem aliud ad perfectam Rhossensis ecclesiæ pacem atque coniunctionem desiderari, quàm vt libera vnicuique eiusdem euangelij (& ipsum illi offerebant) lectio declararetur. Serapionem igitur Christianæ caritatis, mutuæque inter pios concordiæ quàm studiosissimum facilè pellexit ista virorum (quos minimè malos arbitrabatur) oratio, atque ipsum item nomen pacis per se blandum ac salutare, vt lectionem eius libri (quem legere priùs & examinare debuerat) satis inconsideratè permitteret. Nam iacta ex eo certorum errorum semina magis magísque deinceps exsurgere & excrescere, postquam scilicet tanti Pontificis auctoritate euangelium illud, nec euangelium, sed noxiarum gregi Christiano herbarum seminarium, (ex quo vt adulterino libro, & maximi Apostoli nomen ementiente hæreses alebantur) ad cuiusque vsum, immò magis abusum iam patere cœpit. Adeo ecclesiæ Prȩsulibus nihil est in rebus ecclesiasticis prȩcipitandum: adeo nulla inauditis partibus controuersia facilè cuiquam decidenda. Sed in libris quoque, & in ijs potissimè, qui sub magnorum ac sanctorum virorum nomine exeunt, præcipua est cautio adhibenda. Vt enim boni & incorrupti multùm iuuant: sic praui & venenati propter vitiatam & vitiabilem naturam longè plùs nocent. Quid verò hic noster? quid ipse, inquam, semel lapsus, vt nunquam in posterum laberetur, exinde fecit? Qua noua prudentia præteritæ imprudentiæ est medicatus?

IN IVDICIIS SEMPER AVDIATVR ALTERA PARS.

Primò quidem, vt periculi, quod ex illius libri lectione natum erat, certior factus est; confestim celeres litteras ad iam dictos Rhossenses expediuit: quibus eos docuit sibi fucum à certis hominibus imprudenti esse factum: iam autem cognouisse se satis exitialem eum librum esse, & pulchro velatum nomine Apostoli, fœdos in animas hominum errores importare. Tametsi enim nonnulla & Apostolo digna, & verbis Domini conformia in se contineret; tamen etiam alia vtrisque admodum dissentanea in se complecti: adeo vt plus ex illis mali, quàm ex alteris boni natum esset prouenire: ab eo proinde censere se abstinendum deinceps esse. Nec his contentus, illud quoque peruoluto & perlecto hoc pseudoeuangelio perutilis nauauit operæ; vt quȩ in eo malesana & à fide dissona reperit, separatim excerpta ad eos mitteret, quò tutiùs scilicet ab illis cauere & promptiùs possent; si fortè, vt accidere natum est, vel publicis in concionibus, vel priuatis in collocutionibus, horum aliqua ingererentur.’

SENTENTIÆ REVOCATIO ET EMENDATIO.

Atque

Atque vt nihil omitteret, quò non solùm Catholicos (si qui fortè suâ in eo libro permittendo facilitate antehac deuiassent) in fidei callem reduceret; verùm etiam hęreticos, qui erroris sui vel inchoandi ansam, vel tuendi occasionem inde arripuissent, coràm conuinceret; ad eosdem Rhossenses iter quàm primùm relegere, & cuncta in meliorem, quoad posset, statum reuocare constituit. Quod quin fecerit, & pro innato sibi fraternæ salutis studio plurimos ad veram fidem conuerterit, haudquaquam ambigendum est. Magna enim, magna prorsus Antiocheni Antistitis in tota Syria & Cilicia, immo & alijs in prouincijs auctoritas fuit. Quod nec illi nesciuerunt hæretici, qui eius suffurari pręsidium, & tanti tiaram Pontificis, sui facere erroris vmbraculum laborarunt. Quæ ergo auctoritas clandestinò & velut cuniculis suffossa & subrepta pro illis hactenus stabat: multò iam magis, cùm ipse pręsens & coràm esset, ac dicta sua reuocaret, déque commentitij eius euangelij falsitate atque pernicie disputaret, omnes fidei aduersarios subruebat. Quin & librum de eodem Petri euangelio, nec tamen Petri, sed plani alicuius atque deceptoris, in lucem emisit; adeóque per eum publico profuit, vt tanti ferè fuerit ipsum antea lapsum esse: cùm scilicet maior ipso vulnere facta fuerit medicina. Nec enim Syris tantùm, aut Cilicibus, sed alijs quoque populis & remotioribus gentibus ea libri medela commodauit. Hæretici porrò illi, qui nominato Petri abutebantur euangelio, & quibuscum beato Serapioni non paruum negotium fuit; [g] Δοκιταὶ Gręcis appellabantur, Opinatores Latinis dici possent. Quum enim negarent Christum assumpsisse verum corpus, sed apparens tantùm, atque interrogati, quomodo igitur esuriebat? quomodo sitiebat? quomodo fatigabatur? aliáque eiusmodi, semper responderent: ἐν δοκήσει, ἐν δοκήσει, *in opinione, in opinione;* hinc factum est, vt Docitæ seu Opinatores appellarentur. Horum igitur oppugnator & expugnator, vt olim martyr Ignatius (antiquissima enim fuit hæc hæresis, tametsi nouum hoc nomen) ita nunc beatus Serapion fuit. Eius enim temporibus [h] vel à Iulio Cassiano Valentini discipulo, cuius meminit Clemens Alexandrinus; [i] vel à quodam Marciano, cuius ipse meminit Serapion, ista videtur hæresis instaurata.

DOCITARVM SEV OPINATORVM HÆRESIS.

Ex his porrò, licet paucis (ceteræ enim eius res gestæ per iniurias hominum vel temporum perierunt) de reliqua eius vita & laboribus & peregrinationibus licet aliquatenus assequi coniecturâ. Nihil enim, neque ille, neque alij in eodem æuo sancti Episcopi tum habebant, quod eos domi desides detineret: sed quocumque fratrum inuitabat salus, eò sine mora nullis retardantibus impedimentis conuolabant. Vno enim Dei spiritu cuncti agebantur, & quæ IESV Christi sunt, quęrebant, non sua. Quod vtinam & hodie omnes! Denique beatus Serapion, vt mortuus sibi, & viuens omnibus prodesset;

desset; ecclesiam quidem Antiochenam sanctissimis adhortationibus, & optimis vitæ exemplis, tanquam bonus pastor, erudiuit & enutriuit: ceteras verò partim consilio & auctoritate ad eas profectus, partim missis pro se nuntijs aut litteris pietate & beneuolentia plenissimis, haud mediocriter absens adiuuit. Et quidem duos circiter & viginti annos in hisce laboribus Pontificijs, si Eusebio auscultamus; viginti quinque autem, si Nicephoro Patriarchæ, indefessus perseuerauit. Nam ex prioris opinione vitâ excessit anno Christi 212. Seueri Imp. 18. aut certè Christi summùm ducentesimo decimo tertio (quo illi in Episcopatu successit Asclepiades) cùm ordinatus fuisset Episcopus anno Commodi Imp. decimo, vel secundùm Hieronymum vndecimo: ita vt temporis inter ordinationem & emigrationem medij intercapedo viginti duos minimùm annos comprehendat. Adscriptum est eius nomen ex bonis accuratissimæ vitæ meritis, Sanctorum numero, diésque eius cultui attributus, Octobris tricesimus: vbi hæc de illo Romanum martyrologium: *Antiochiæ, sancti Serapionis Episcopi eruditione clarissimi.* Sed propiùs ad veram laudem Ado Viennensis eadem die, *eruditi viri,* inquit, *& fide clarissimi.* Eruditionis enim & fidei testimonium accepit in synodo Alexandrina, præsidente magno Athanasio, cui & B. Eusebius, Vercellensis Episcopus, insignis fidei confessor intererat: cùm scilicet multa circa fidem minùs adhuc enucleata ibi explicarentur, & occurrentes difficultates adhibitis in consilium huius beati Serapionis & aliorum eiusdem ætatis SS. Patrum scriptis enodarentur. De huiusce consilij Patribus antiquiorum auctoritate nixis, non suo autem duntaxat iudicio fretis ita loquitur Nicephorus: *Non enim illi fidem aliquam recens excogitatam,* inquit, *ecclesiæ tradiderunt: sed quam ecclesia antiquitus à maioribus accepit: & quæ olim sancti viri, qui prudenter & piè res Christianorum sacras tractarunt, prodidere; Irenæus videlicet Lugdunensis Episcopus, Clemens Stromateus, Apollinaris Hierapolitanus, & qui antiquitus ecclesiæ Antiochenæ præfuit Serapion, ea illi explicata confirmarunt.*

Niceph. Callist. l. 10. c. 14.

CAPVT SECVNDVM.

Scripta S. Serapionis, & eiusdem fragmenta.

MAgnam scriptorum S. Serapionis partem latuisse Eusebium, veri admodum est simile: & in his quæ ex ipso infrà citabuntur, satis videtur innui: quorum verò exstet memoria, sunt tantùm hæc:

Ad Domnum, qui à fide ad Iudaismum defecerat, liber vnus.

De euangelio Petri vulgò appellato, liber vnus.

Ad

Ad Ponticum & Caricum epiſtola vna, de hæreſi Montani ſiue Cataphrygum.

Aliæ epiſtolæ breues & piæ.

Ex his omnibus duo tantùm reſtant fragmenta: vnum è libro *De euangelio Petri*: alterum ex *epiſtola ad Ponticum & Caricum*. Quæ duo hîc ſubijciam vnà cum Euſebij de libris iam enumeratis teſtimonio. Sic igitur Euſebius libro ſexto hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. X. in Græcis eſt caput XII.

Τοῦ μὲν οὖν Σεραπίωνος τῆς περὶ λόγους ἀσκήσεως, καὶ ἄλλα μὲν εἰκὸς σώζεσθαι παρ' ἑτέροις ὑπομνήματα· εἰς ἡμᾶς δὲ μόνα κατῆλθε τὰ πρὸς Δόμνον ἐκπεπτωκότα τινὰ, παρὰ τὸν τοῦ διωγμοῦ καιρὸν, ἀπὸ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἐπὶ τὴν Ἰουδαϊκὴν ἐθελοθρησκείαν.

Καὶ τὰ πρὸς Πόντικον καὶ Καρικὸν ἐκκλησιαστικοὺς ἄνδρας.

Καὶ ἄλλαι πρὸς ἑτέρους ἐπιστολαί.

Ἕτερός τε συντεταγμένος αὐτῷ λόγος περὶ τοῦ λεγομένου κατὰ Πέτρον εὐαγγελίου· ὃν πεποίηται ἀπελέγχων τὰ ψευδῶς ἐν αὐτῷ εἰρημένα διά τινας ἐν τῇ κατὰ Ῥῶσον παροικίᾳ, προφάσει τῆς εἰρημένης γραφῆς εἰς ἑτεροδόξους διδασκαλίας ἀποκείλαντας· ἀφ' ἧς εὔλογον βραχείας παραθέσθαι λέξεις, δι' ὧν ἣν εἶχε περὶ τοῦ βιβλίου γνώμην προστίθησιν, οὕτω γράφων·

Serapionis quidem in ſcribendo induſtriæ & alia credibile eſt apud alios ſeruari monumenta: ſed ad nos ſola peruenerunt, quæ contra Domnum, qui tempore perſecutionis à fide in Chriſtum ad Iudaicam ſuperſtitionem delapſus erat, perſcripſit.

Item ea quæ ad Ponticum & Caricum viros eccleſiaſticos exarauit.

Et aliæ ad alios epiſtolæ.

Alius rurſum liber ab eo de Petri euangelio cõpoſitus: quem fecit ad redarguenda ea, quæ falsò inibi dicta reperta ſunt, propter quoſdam in Rhoſſenſi eccleſia ex dicti libri occaſione ad alienas doctrinas deuolutos. Ex quo rationi conſentaneum videtur paucula quędam apponere, quibus quid de eo libro ſenſerit, exponit, ita ſcribens:

Fragmentum prius S. Serapionis de Euangelio Petri.

Ἡμεῖς γὰρ ἀδελφοὶ καὶ Πέτρον καὶ τοὺς ἄλλους Ἀποστόλους ἀποδεχόμεθα ὡς Χριστόν· τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ψευδεπίγραφα, ὡς ἔμπειροι, παραιτούμεθα, γινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν.

Ἐγὼ μὲν γενόμενος παρ' ὑμῖν ὑπενόουν τοὺς πάντας ὀρθῇ πίστει προσφέρεσθαι· καὶ μὴ διελθὼν τὸ ὑπ' αὐτῶν προφερόμενον ὀνόματι Πέτρου εὐαγ-

Nos enim quoque, ô fratres, & Petrum & alios Apoſtolos recipimus, vt Chriſtum: ſed nomina illorum falsò inſcripta, vt rerum experti, repudiamus, probè ſcientes talia nos haud accepiſſe.

Ego quidem apud vos cùm eſſem, omnes opinabar rectæ fidei addictos eſſe. Quare non perlecto, quod ab ipſis Petri nomi-

ne offerebatur euangelio, dixi: Quòd si hoc solum est, quod vobis animorum videtur parere dissensionem, legatur.

γέλιον, εἶπον· Ὅτι εἰ τοῦτό ἐστι μόνον τὸ δοκοῦν ὑμῖν παρέχειν μικροψυχίαν, ἀναγινωσκέσθω.

Nunc autem, cùm intellexerim eos ex dictis meis in nescio quam hęresim se illatebrasse, festinabo ad vos rursus proficisci. Quare fratres breui me expectate.

Νῦν δὲ μαθὼν ὅτι αἱρέσει τινὶ ὁ νοῦς αὐτῶν ἐνεφώλευεν ἐκ τῶν λεχθέντων μοι, σπουδάσω πάλιν γενέσθαι πρὸς ὑμᾶς. ὥστε ἀδελφοὶ προσδοκᾶτέ με ἐν τάχει.

Nos verò fratres ignari non sumus, cuius fuerit hęreseos Marcianus ille, qui & sibi ipse aduersatur, non intelligens, quæ loquitur: quæ ex ijs discetis, quæ ad vos scripta sunt. Potuimus enim ab alijs qui hoc ipsum tractarunt euangelium, hoc est, à successoribus eorum, qui illud primi vsurpauêre, quos Opinatores appellamus (complura enim sunt doctrinæ illorum sensa) ab ijs mutuati percurrere, & inuenire plura quidem rectæ Saluatoris doctrinæ consentanea esse; sed nonnulla item dissentanea, quæ & subiecimus vobis.

Ἡμεῖς δὲ ἀδελφοὶ καταλαβόμενοι, ὁποίας ἦν αἱρέσεως ὁ Μαρκιανός, ὃς καὶ ἑαυτῷ ἠναντιοῦτο μὴ νοῶν ἃ ἐλάλει· ἃ μαθήσεσθε ἐξ ὧν ὑμῖν ἐγράφη. Ἐδυνήθημεν γὰρ παρ' ἄλλων τῶν ἀσκησάντων αὐτὸ τοῦτο εὐαγγέλιον, τουτέστι παρὰ τῶν διαδόχων τῶν καταρξαμένων αὐτοῦ, οὓς Δοκητὰς καλοῦμεν· τὰ γὰρ πλείονα φρονήματα ἐκείνων ἐστὶ τῆς διδασκαλίας· χρησάμενοι παρ' αὐτῶν διελθεῖν καὶ εὑρεῖν τὰ μὲν πλείονα τοῦ ὀρθοῦ λόγου τοῦ Σωτῆρος· τινὰ δὲ προσδιεσταλμένα, ἃ καὶ ὑπετάξαμεν ὑμῖν.

Fragmentum alterum De hæresi Cataphrygum.

Illud S. Serapionis fragmentum producit Eusebius, lib. V. historiæ eccl. cap. 18. hisce verbis:

Librorum Apollinaris super declarata hęresi mentionem fecit Serapion: quem in expositis modò temporibus post Maximinum, Episcopum Antiochenorum ecclesię, fuisse fama memorat.

Τῶν δὲ Ἀπολιναρίου κατὰ τῆς δηλωθείσης αἱρέσεως μνήμην πεποίηται Σεραπίων· ὃν ἐπὶ τῶν δηλουμένων χρόνων, μετὰ Μαξιμῖνον Ἐπίσκοπον τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας, κατέχει λόγος γενέσθαι.

Meminit autem eius in sua epistola ad Caricum & Ponticum, in qua refellens etiam ipse eandem hęresim hęc infit:

Μέμνηται δ' αὐτοῦ ἐν ἰδίᾳ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Καρικὸν καὶ Ποντικόν, ἐν ᾗ διευθύνων καὶ αὐτὸς τὴν αὐτὴν αἵρεσιν ἐπιλέγει ταῦτα·

Verba

Verba S. Serapionis:

Ὅπως δὲ καὶ τοῦτο εἰδῆτε ὅτι τῆς ψευδοῦς ταύτης τάξεως τῆς ἐπιλεγομένης νέας προφητείας, ἐβδέλυκται ἡ ἐνέργεια παρὰ πάσῃ τῇ ἐν Χριστῷ ἀδελφότητι τῇ ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ὅλην, πέπομφα ὑμῖν καὶ Κλαυδίου Ἀπολιναρίου τοῦ μακαριωτάτου τοῦ γενομένου ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας Ἐπισκόπου γράμματα.

Vt verò & hoc ſciatis, huius falſi inſtituti, quę noua prophetia dicitur, vim atque efficaciam toto orbe apud omnem fraternitatem fuiſſe in abominatione, miſi vobis & Claudij Apollinaris, viri beatiſſimi, qui fuit Hierapoleos in Aſia Epiſcopus, litteras.

His ſubijcit Euſebius contentas fuiſſe in eadem Serapionis epiſtola diuerſas Epiſcoporum ſubſcriptiones, his vtens verbis:

Ἐν ταύτῃ δὲ τῇ τοῦ Σεραπίωνος ἐπιστολῇ καὶ ὑποσημειώσεις φέρονται, ὧν ὁ μέν τις ὧδέ πως ὑποσεσημείωται·

In eadem ipſa Serapionis epiſtola & ſubſcriptiones continebantur: in quibus alius ſic ſubſcripſit:

Αὐρήλιος Κυρίνιος μάρτυς ἐρρῶσθαι ὑμᾶς εὔχομαι.

AVRELIVS CYRENIVS martyr opto vos bene valere.

Ὁ δέ τις τοῦτον τὸν τρόπον·

Alius in hunc modum:

Αἴλιος Πούπλιος Ἰούλιος ἀπὸ Δεβελτοῦ, Κολωνείας τῆς Θρᾴκης Ἐπίσκοπος. Ζῇ ὁ θεὸς ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι Σωτᾶς ὁ μακάριος ὁ ἐν Ἀγχιάλῳ ἠθέλησε τὸν δαίμονα τὸν Πρισκίλλης ἐκβαλεῖν, καὶ οἱ ὑποκριταὶ οὐκ ἀφῆκαν.

ÆLIVS PVBLIVS IVLIVS à Debelto, Colonię Thracię Epiſcopus. Viuit Deus in cęlis, quòd Sotas beatus ille Anchialenſis voluerit dęmonem, qui Priſcillam obtinebat, eijcere: & hypocritę non permiſerint.

Καὶ ἄλλων δὲ πλειόνων τὸν ἀριθμὸν Ἐπισκόπων συμψήφων τούτοις ἐν τοῖς δηλωθεῖσι γράμμασιν αὐτόγραφοι φέρονται σημειώσεις.

Aliorum item complurium numero Epiſcoporum his ſuffragantium in dictis litteris ſcriptæ ſua manu ſubſcriptiones habentur.

Hactenus quę ab Euſebio nanciſci de S. Serapionis fragmentis potuimus: ſi quis vſquam plura inuenerit, quęſo ne beato Serapioni, ne nobis, ne publico inuideat. Siqua porrò probationis aut claritatis, ſeu in vita, ſeu in fragmentis indigeant, hęc in Notationibus proximis exequemur.

NOTA-

NOTATIONES
IN VITAM ET FRAGMENTA
S. SERAPIONIS.
IN CAPVT PRIMVM.

a SERAPIONIS.] Duo fuêre hoc nomine Grçci Scriptores, tam vitâ, quàm doctrina eximij. Prior ætate est hic noster Antiochiæ Episcopus: alter Serapion fuit Thmueos in Ægypto Episcopus, tempore S. Athanasij, siue quarto Christi sæculo, de quo ibi spero dicere: fuit vir magnarum virtutum, & pro fide in exilium missus. Præter hos autem duos Scriptores, licet in martyrologiis, tam Græcis, quàm Latinis, multos alios Serapiones sanctitate conspicuos intueri, sed claritatis litterarum expertes. E quibus est ille hoc ipso sæculo & eodem imperante Seuero inclytus martyr: de quo ita Menologium ad decimam tertiam Iulij: *Natalis sancti martyris Serapionis, qui fuit sub Seuero Imp. diuinæ pietatis studiosus & probitate morum insignis, qui detentus ab Aquila Præside, & interrogatus, cuiusnam esset religionis, libera & clara voce respondit se Christum Dominum colere. Quamobrem igni traditus martyrij coronam reportauit.* Sic ibi.

Alius est sub Numeriano Imp. de quo martyrologium Rom. 25. Februarij.

Et alius 28. Febr.

Et alius Pentapoli in Libya Martij 26.

Et alius Romæ 18. Augusti.

Et alius Tomis in Ponto, Marcellini Tribuni & Manneæ coniugis martyrum filius, & ipse cum illis, & cum aliis duobus fratribus suis Petro & Ioanne martyr: quorum dies natalis est vigesima septima Augusti.

Et alius Alexandriæ, quem persecutores in Decij principatu grauissimis torsere suppliciis, ac denique diruptis membrorum iuncturis ex alto præcipitatum vita expulerunt. Is decima quarta Nouembris colitur.

b SVB MEDIVM SECVNDI SÆCVLI.] Colligitur eius ætas ex Eusebij tam historia, quàm Chronico. Vide lib. 5. histor. cap. 21. & lib. 6. cap. X. In chro-A nico autem ad decimum Commodi Imp. sic notatur olympiadis CCXLII. anno 1.

Ἀντιοχέων Η̅. κατίστη Ἐπίσκοπος Σεραπίων. *Serapion octauus Antiochiæ Episcopus ordinatur.*

Annus porrò Commodi Imp. decimus concurrit cum anno Christi 191. florebat igitur tum Serapion, hoc est, sub extremum secundi sæculi. Vnde colligitur & sub eius medium natus esse, propter ætatem scilicet iis temporibus ad thronum B episcopalem requisitam, quæ 40. aut 50. solebat esse annorum.

c ITA MONTANI HÆRESIARCHÆ VESANOS ERRORES.] Refutatam esse à B. Serapione hæresim Montani siue Cataphrygum liquet, tum ex eius fragmento secundo suprà posito, & ex verbis Eusebij ibidem; tum ex Alexandrino chronico ad Olympiadis CCXL. annum 3. Indictione V. Commodi Imp. 4. Mamertino & Rufo III. Coss. quo anno nata ibi scribitur C ea hæresis. Verba eius chronici sunt hæc: Ἡ κατὰ Φρύγας ἄθεος ψευδοπροφητεία Μοντάνου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ παραπλήγων γυναικῶν αὐτοῦ Πρισκίλλας καὶ Μαξιμίλλας συνέστη· ἔτι δὲ καὶ Ἀλκιβιάδου καὶ Θεοδότου· καθ' ὧν συνεγράψατο ὁ ἐν Ἀσίᾳ τῇ μνήμῃ Ἀπολινάριος Ἱεραπόλεως Ἐπίσκοπος, καὶ Μιλτιάδης συγγραφεύς, καὶ ἄλλοι πολλοί, ἐν οἷς καὶ Σεραπίων Ἀντιοχείας Ἐπίσκοπος. *Impia secundùm Phrygas pseudoprophetia Montani, & mulierum pariter cum illo furentium Priscillæ & Maxi-D millæ constituta est: itémque Alcibiadis & Theodoti: contra quos scripserunt Apollinaris piæ mem. Hierapoleos in Asia Episcopus, & Miltiades Scriptor, & alij multi, in quibus & Serapion Antiochiæ Episcopus.*

Quòd hîc dicitur ea hæresis constituta anno 4. Commodi Imp., dicebamus suprà ad vitam S. Apollinaris ex Eusebio cœpisse emergere anno XI. M. Aurelij Antonini, qui præcessit Commodum. Quæ vt concilientur, nata tum primum sub Antonino & vix nota dici potest: sub Commodo

do autem constituta & cognita, & maioribus viribus agitari cœpta.

d *ITA DOMNI CVIVSDAM &c. DEFECTIONEM.*] Quidam Domnus nomine (sunt qui Domnionem appellent) tempore persecutionis à fide defecit: Serapion autem fidei zelo concitus ad eum scripsit. Eius scriptionis mentio suprà ex Eusebio facta est.

e *NAM RHOSSVM VRBEM CVM PERVENISSET.*] Vrbis huius meminit B Strabo libro 14. geographiæ, sub finem, his verbis: Μετὰ δὲ Αἰγαίας Ἰσσὸς πολίχνιον ὕφορμον ἔχον, καὶ ποταμὸς Πίνδος· ἐνταῦθα ὁ ἀγὼν συνέπεσεν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Δαρείῳ· καὶ ὁ κόλπος εἴρηται Ἰσσικός· ἐν αὐτῷ δὲ πόλις Ῥωσὸς, καὶ Μυρίανδρος ἑτέρα πόλις, καὶ Ἀλεξάνδρεια, καὶ Νικόπολις, καὶ Μόψου ἑστία, καὶ Πύλαι λεγόμεναι ὅριον Κιλίκων τε καὶ Σύρων.

Post Ægeas est Issus habens oppidulum cum statione nautum; & flumus Pindus, vbi Alexander cum Dario conflixit: & sinus hic dictus est Issicus: in quo est vrbs Rhossus, & Myriandrus altera vrbs, & Alexandria, & Nicopolis, & Mopsuestia, & Portæ appellatæ, Cilicum & Syrorum confinium. C

Et lib. 16. ante medium: Καὶ ἡ Ῥωσὸς μεταξὺ Ἰσσοῦ καὶ Σελευκείας ἱδρυμένη. *Et Rhossus inter Issum & Seleuciam sita.*

Meminit & Plinius lib. V. historiæ natur. cap. XXII. vbi post descriptionem D Casij montis sic scribit: *At in ora, amnis Orontes natus inter Libanum & Antilibanum iuxta Heliopolim: oppidum Rhossos, & à tergo Portæ quæ Syriæ appellantur, interuallo Rhossiorum montium & Tauri. In ora oppidum Myriandros: mons Amanus, in quo oppidum Bomitæ: ipse ab Syris Ciliciam separat.*

Meminit & Ptolemæus in Syriæ descriptione.

Edidit nuper Dionysius Petauius S. E Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani breuiarium historicum græcolatinum, & in eodem codice subiecit Indiculum sedium Metropolitanarum Patriarchę Constantinopolitano subiectarum in MS. græco repertum, vbi sedes 60. eadémque vltima nominatur ἡ Ῥώσσια. Quæ quin nostra hęc Rhossensis sit, nullus dubito. Parua enim cùm esset in Serapionis temporibus, magna fuit post Constantini magni F tempora.

f *SERMONEM DE PETRI EVANGELIO INDVCENTES.*] De falso euangelio sub nomine Petri Apostoli, post beatum Serapionem, meminere & alij complures, vt Origenes in cap. 13. Matthæi, Eusebius lib. 3. hist. cap. 3. & cap. 19. Gelasius Papa dist. 15. cap. *Sancta Romana*, & alij. Verùm de falsis euangeliis, quæ & quot sint, vide integrum caput 35. Apparatus Euangelici, auctore nostro Ioanne de la Haye Seruio, qui de 4. euangelistis accuratè perscripsit.

Euangelium igitur Petri, siue illud quod falsò illi adscriptum fuit, magni à multis fiebat tempore B. Serapionis, eóque ad suas hæreses abutebantur hæretici: post rescriptum verò & auctoritatem dicti Serapionis, cœpit paullatim & minoris fieri, & haberi contemptui.

g ΔΟΚΙΤΑΙ *GRÆCIS APPELLABANTVR.*] Latini retento Græciæ vocabulo Docitas nunc appellant: alioqui Opinatores appellandi sunt. De his nec Epiphanius, nec Philastrius, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec Alphonsus à Castro, ne nomine quidem tenus meminerunt. Qui tamen à Serapione & Clemente Alexandrino poterant & rem & nomen addiscere; Alphonsus autem etiam à Theodoreto.

Fuerunt igitur Docitæ, hæretici illi, quibus hic peculiaris error inhærebat, quòd ęternum Dei Verbum negarent verè incarnatum, sed opinione tantùm & apparentiâ: similitérque omnia humana, quæ incarnationem consequebantur, non in veritate, sed in opinione talia fuisse.

Nomen ipsum Δοκιταὶ, *Docitæ* aut *Opinatores* non videtur fuisse multò ante tempora Serapionis & Clementis Alexandrini: quamuis res ipsa & tam pestilens error longè priùs fuerit. Quippe cùm B. Ignatius Theophorus identidem contra eos in epistolis suis insurrexerit, qui Christum verè natum, verè passum, verè mortuum infitiabantur. In epistola quidem ad Trallianos, ad eiusmodi hominum sermones obturari aures imperat, ac subdit: Ἀληθῶς ἀνέλαβε σῶμα. ὁ λόγος γὰρ σὰρξ ἐγένετο. *Verè assumpsit corpus. Verbum enim caro factum est.* Et mox: ἀληθῶς δὲ, καὶ οὐ δοκήσει ἐσταυρώθη, καὶ ἀπέθανε. &c. *Verè*, inquit, *non opinione crucifixus est, & mortuus.* Οἱ δὲ ὥσπερ τινὲς ἄθεοι ὄντες, τουτέστιν ἄπιστοι, λέγουσι τῇ δοκήσει γεγενῆσθαι αὐτὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἀληθῶς ἀνειληφέναι σῶμα, καὶ τῷ δοκεῖν τεθνηκέναι, πεπονθέναι δὲ οὐ τῷ ὄντι. *Hi verò, vt quidam athei, hoc est, increduli, aiunt ipsum opinione factum esse hominem, non verè assumpsisse corpus: & opinione mortuum, non autem verè passum.* Et in epistola ad Philippenses: Εἷς γὰρ ὁ ἐνανθρωπήσας οὔτε ὁ Πατὴρ, οὔτε ὁ Παράκλητος, ἀλλὰ μόνος ὁ υἱὸς, οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, ἀλλ᾽ ἀληθείᾳ. *Vnus enim est factus homo, non Pater, neque Paracletus, sed solus Filius, non opinione, non imaginatione, sed veritate.* Vide ibidem plura.

h *VEL A IVLIO CASSIANO VALENTINI DISCIPVLO.*] Illius meminit Clemens Alexandrinus libro 3. Stromacum

tum post medium, dicitque principem fuisse Docitarum his verbis: Τοιούτοις ἐπιχειρεῖ καὶ ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων Ἰούλιος Κασσιανός. *Talibus vtitur argumentis & ille opinionis princeps Iulius Cassianus.* Et paullo inferiùs dicit eundem Cassianum de matrimonio paria sensisse Tatiano, & fuisse Valentini discipulum. Nam Tatianus fuit S. Iustini Philosophi & martyris, vt alibi diximus. Verba Clementis: Τὰ παραπλήσια τῷ Τατιανῷ κατὰ τοῦτο δογματίζων. *Circa hoc similia docens Tatiano.* Ὁ δὲ ἐκ τῆς Οὐαλεντίνου ἐξεφοίτησε σχολῆς. *Hic enim* [Cassianus] *è Valentini schola prodijt.* Sic ibi.

Et libro 7. Stromatum extremo, rationem & originem diuersarum in diuersis hæresibus appellationum (vbi & de Cataphrygibus & de Docitis) refert his verbis: Τῶν δὲ αἱρέσεων αἱ μὲν ἀπὸ ὀνόματος προσαγορεύονται, ὡς ἡ ἀπὸ Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος καὶ Βασιλείδου, κἂν τὴν Ματθίου αὐχῶσι προσάγεσθαι δόξαν· μία γὰρ ἡ πάντων γέγονε τῶν Ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτως δὲ καὶ ἡ παράδοσις. Αἱ δὲ ἀπὸ τόπου, ὡς οἱ Περατικοί. Αἱ δὲ ἀπὸ ἔθνους, ὡς ἡ τῶν Φρυγῶν. Αἱ δὲ ἀπὸ ἐνεργείας, ὡς ἡ τῶν Ἐγκρατιτῶν. Αἱ δὲ ἀπὸ τῶν δογμάτων ἰδιαζόντων, ὡς ἡ τῶν Δοκιτῶν καὶ ἡ τῶν Αἱματιτῶν. Αἱ δὲ ἀπὸ ὑποθέσεων καὶ ὧν τετιμήκασιν, ὡς Καϊανισταί τε καὶ οἱ Ὀφιανοὶ προσαγορευόμενοι. Αἱ δὲ ἀφ᾽ ὧν παρανόμως ἐπετήδευσάν τε καὶ ἐτόλμησαν, ὡς τῶν Σιμωνιανῶν οἱ Ἐντυχηταὶ καλούμενοι. *Ex hæresibus autem aliæ appellantur ex nomine: vt quæ à Valentino & Marcione & Basilide, tametsi glorientur se Matthiæ opinionem adducere. Fuit enim vna omnium Apostolorum sicut doctrina, ita & traditio. Aliæ autem ex loco, vt Peratici. Aliæ ex gente, vt Phrygum hæresis. Aliæ ex operatione, vt Encratitarum. Aliæ ex proprijs dogmatibus, vt Docitarum & Hæmatitarum. Aliæ ex positionibus & ex ijs quæ honorarunt, vt Caianistæ & Ophiani. Aliæ denique ex ijs quæ nefariè exercuerunt, & perpetrarunt, vt qui ex Simonianis vocantur Entychitæ.*

Horum illustratio quæri potest è Gentiano Herueto Clementis interprete: sed ad institutum nostrum de Docitis quod attinet, moneo doctum illum virum in reddenda ratione appellationis videri hallucinatum. Dicit enim eos sic vocatos, *quòd falsam visionem seu phantasiam habebant pro vera.* Id autem non est verum. Nec enim illi de vera aut falsa visione disputabant: sed de Christi incarnatione non verè factâ, sed (vt sic loquar) opinatiuè. Quod ex Theodoreto liquet, in libro *Diuinorum decretorum*, cap. 12. *Quòd Dominus assumpsit corpus.* vbi sic inter alia: Τοῦτο γὰρ δὴ καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας εἰργάσατο· καὶ παθεῖν καὶ ἀποθανεῖν συνεχώρησεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ τῆς οἰκονομίας

A μυστήριον. Οὕτως ἐνεδίδου καὶ πεινῆν καὶ διψῆν, καὶ κοπιᾶν καὶ ὑπνοῦν· ἵνα μηδεμίαν λάβωσιν ἀφορμὴν οἱ Δοκιταὶ κρατῦναι τὴν ψευδῆ τὴν αἵρεσιν. *Hoc enim & post tres dies fecit: & pati & mori concessit, vt impleretur dispensationis mysterium. Sic & esurire & sitire & defatigari & somnum capere concessit, ne vllam caperent occasionem Docitæ mendacem hæresim confirmandi.*

i *VEL A QVODAM MARCIANO.*] B Videtur S. Serapion in priore suo fragmento antè posito innuere Marcianum hæreseos Docitarum sectatorem & promotorem fuisse. De isto Marciano nihil me alibi legere memini.

IN CAP. II.

De Scriptis & fragmentis.

SCripta S. Serapionis conformiter Eusebio recenset Hieronymus, tanquam C interpres & abbreuiator, in hanc formam:

SARAPION vndecimo Commodi Imp. anno Antiochiæ Episcopus ordinatus scripsit Epistolam ad Carinum & Pontium de hæresi Montani, in qua & hæc addit: Vt autem sciatis falsi huius dogmatis, id est, nouæ prophetiæ ab omni mundo insaniam reprobari; misi vobis Apollinaris beatissimi, qui fuit in Hierapoli Asiæ Episcopus, litteras. Ad Domnum quoque, D *qui persecutionis tempore ad Iudæos declinauerat, volumen composuit. Et alium, de euangelio quod sub nomine Petri fertur, librum ad Rhosensem Ciliciæ ecclesiam, quæ in hæresim eius lectione diuerterat. Leguntur & sparsim eius breues epistolæ auctoris sui* ἀσκήσει *& vitæ congruentes.*

Nota *Sarapionem* ab eo vocari: meliùs tamen *Serapionem* ab aliis, cùm apud Eusebium tam in historia, quàm in Chronico E sit Σεραπίων, non autem Σαραπίων. Serapionem quoque vocat Ruffinus historiæ Eusebianæ interpres. Eusebio item consentit Nicephorus Callistus in historia. Ita meliùs quoque dixisset Hieronymus *Caricum* & *Ponticum*, quàm *Carium* & *Pontium*, sicut iidem modò nominati auctores.

VNDECIMO.] Meliùs *decimo*. Vt patet ex Eusebij chronicis. Vide Pontacum & Baronium ad annum Commodi F Imp. decimum. Concordant & Eusebij codex M. S. Aquicinctinus, & Ortelianus & Lipsianus apud Miræum.

Corrigendus est & Honorius, Augustodunensis, ac præsertim vbi ista scribit: *Ad Domnionem quoque librum composuit, & vnum de euangelio, & alias breues epistolas.* Posuit enim *Domnionem* pro *Domno*. &, *Vnum de euangelio.* pro *De euangelio Petri appellato.* Quod longè aliud est, quàm simpliciter *De euangelio* scribere.

Trit-

Tritthemius autem de B. Serapione in hunc modum:

SERAPION ex anachoreta, ecclesiæ Antiochenæ octauus Episcopus, vir acris ingenij, in diuinis Scripturis valde studiosus & eruditus, non minùs vita quàm scientia venerabilis fertur ad vtilitatem credentium plura cudisse opuscula: in quibus se virum & doctum & fidei Christianæ defensorem acerrimum ostendit: de quorum numero habentur:

Ad Domnionem Iudaizantem	*Liber vnus.*
Ad Carinum de Montano	*Liber 1.*
De euangelio sub nomine Petri	*Liber 1.*
Epistolarum breuium, sed plurium	*Liber 1.*

Ordinatus fuit in Episcopum præfatæ vrbis sub Commodo Principe Romanorum anno Domini 193. Indictione prima. Ita ille.

Atqui si in ratione temporum hoc quidem loco auscultare voluerimus Alexandrino Chronico, nulla reperietur Indictio prima in toto Commodi imperio. Erat enim secunda, cùm regnare incepit; & decimatertia, cùm desiit. Duodecim quippe tantùm annos regnauit integros iuxta eundem: iuxta verò alios decimum ter-A tium non expleuit. Sed neque anno Domini 193. ordinatus est Serapion, sed (vt suprà asseruimus) 191.

Quòd autem dicit eundem Serapionem ex anachoreta factum Episcopum, id vnde habeat, haud equidem scio. Nullus enim antiquorum hoc adstruit. Nisi fortè ex illis Hieronymi verbis (vbi docet Sera-B pionem epistolas scripsisse *ἀσκήσει, & vitæ suæ congruentes*) occasionem sumpserit dicendi eum ascetam & anachoretam fuisse. At erant, & sunt nunc, ascetæ etiam in vrbibus: differúntque ascetæ ab anachoretis, vt genus à specie: cùm omnes quidem anachoretæ sint ascetæ, non autem omnes ascetæ sint anachoretæ: & illi quo-C uis in loco degant, & se ad perfectionem exerceant: hi autem tantùm in solitudine. Atque hîc sit huius secundi voluminis illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, diu propter bella & alia incommoda sub prælo retardati, & tertio demum anno (quemadmodum & priori tomo accidit) absoluti finis.

Ad maiorem Dei Opt. Max. gloriam, & Sanctorum Orientalis Ecclesiæ, qui vita & scriptis eum honorarunt & defenderunt, felicem memoriam & benedictionem. Amen.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVI HIC CITANTVR, EXPLICANTVR, exemplis illustrantur.

E VETERE TESTAMENTO.

E Genesi.

Cap. 1. *vers.* 1. *IN principio creauit Deus cœlum & terram.* 94. 577
Ibidem, v. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* 244
Ib. v. 5. *Factúmque est vespere & mane dies vnus.* 326
Ib. v. 6. *Faciamus hominem ad imaginem &c.* 308
Ib. v. 9. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt.* 326
Ib. v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat &c.* 94
Cap. 2. *v.* 7. *Et accepit Deus limum à terra.* 308
Ib. v. 16. *Ex omni ligno paradisi comede.* 534
Cap. 6. *v.* 2. *Videntes filij Dei filias hominum.* 328
Ib. v. 5. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset.* 93
Cap. 8. *v.* 21. *Nequaquam vltra maledicam terræ &c.* 93
Cap. 9. *v.* 4. *Carnem cum sanguine non comedetis.* 628
Cap. 16. *v.* 14. *Puteus viuentis & videntis me.* 133
Cap. 17. *v.* 10. *Circumcidetur omne masculinum.* 253
Cap. 32. *v.* 10. *In baculo meo transiui Iordanem &c.* 61

Ex Exodo.

Cap. 3. *v.* 5. *Solue calceamentum de pedibus &c.* 196
Ib. v. 14. *Ego sum qui sum.* 359
Cap. 4. *v.* 2. *Quid est quod tenes in manu tua? &c.* 61
Cap. 17. *v.* 7. *Cur fecisti nos exire de Ægypto &c.* 132
Ib. v. 11. *Cúmque leuaret manus Moyses &c.* 246
Cap. 20. *v.* 5. *Visitans patrum iniquitatem in filios.* 83
Cap. 32. *Consecrastis manus vestras hodie &c.* 43

E Leuitico.

Cap. 3. *v.* 17. *Nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.* 628
Cap. 21. *v.* 11. *Super patre & matre & filijs non polluetur.* 750

E Numeris.

Cap. 20. *v.* 1. *Cúmque indigeret aqua populus &c.* 132
Ib. v. 11. *Percutiens virga bis silicem &c.* ibid.
Cap. 21. *v.* 9. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum &c.* 244
Cap. 25. *v.* 11. *Phinees filius Eleazari &c.* 43

E Deuteron.

Cap. 4. *v.* 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* 235
Cap. 25. *v.* 2. *Pro mensura peccati erit, & plagarum modus &c.* 77
Cap. 33. *v.* 17. *Cornua rhinocerotis cornua illius.* 246

E libro Iudicum.

Cap. 15. *v.* 18. *Sitiénsque valde clamauit ad Dominum.* 132

E libris Regum.

L. 1. *Cap.* 16. *v.* 2. *Ad immolandum Domino veni.* 140
L. 3. *Cap.* 18. *v.* 26. *Baal exaudi nos &c.* 64
L. 3. *Cap.* 13. *v.* 4. *Et exaruit manus eius &c.* 117
L. 3. *Cap.* 19. *v.* 10. *Zelo zelatus sum pro Domino &c.* 64
L. 4. *Cap.* 1. *v.* 9. *Descendat ignis de cœlo &c.* 130
L. 4. *Cap.* 2. *v.* 13. *Ascende calue &c.* ibid.
L. 4. *Cap.* 4. *v.* 29. *Et tolle baculum meum &c.* 61

E lib. Tobiæ.

Cap. 8. *v.* 3. *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit &c.* 323
Cap. 12. *v.* 13. *Necesse fuit vt tentatio probaret te.* 605

E lib. Iudith.

Cap. 8. *v.* 21. *Vt memores sint, quia tentati sunt patres &c.* 605
Cap. 16. *v.* 21. *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum.* 78

E lib. Iob.

Cap. 1. *v.* 8. *Nunquid considerasti seruum meum Iob?* 91
Ibid. v. 9. *Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me.* 232
Cap. 2. *v.* 18. *Lucet quæ fecit omnia &c.* 78
Ibid. v. 26. *Deuorabit eum ignis qui non consumitur.* ibid.
Cap. 5. *v.* 22. *In vastitate & fame ridebis.* 102
Cap. 21. *v.* 3. *In diem perditionis seruatur malus.* 78
Ibid. v. 14. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis.* 103

E Psalmis.

Psal. 5. *v.* 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* 67
Psal. 7. *v.* 10. *Scrutans corda & renes Deus.* 20
Psal. 9. *v.* 5. *Sedisti super thronum qui iudicas æquitatem.* 692
Psal. 10. *v.* 7. *Pluet super peccatores laqueos.* 97
Psal. 18. *v.* 6. *In sole posuit tabernaculum suum.* 845. 851
Psal. 30. *v.* 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ &c.* 68
Psal. 31. *v.* 1. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* 237
Psal. 33. *v.* 16. *Oculi eius super iustos &c.* 463
Psal. 35. *Iudicia tua, abyssus multa.* 692
Psal. 37. *v.* 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum &c.* 69
Psal. 44. *v.* 5. *In fimbrijs aureis circumamicta &c.* 423
Psal. 48. *v.* 21. *Homo cùm in honore esset &c.* 554
Psal. 70. *v.* 9. *Ne proijcias me in temp. senectutis.* 135
Psal. 71. *v.* 1. *Deus iudicium tuum Regi da.* 81
Psal. 79. *Nunquid in æternum proijcies Deus?* 82
Psal. 81. *v.* 6. *Ego dixi, Dij estis &c.* 147. 556

Ibid.

Ibid. v. 7. Vos autem sicut homines moriemini, 556
Psal. 86. Memor ero Rahab & Babylonis etc, 68
Psal. 89. v. 11. Quis nouit potestatem iræ tuæ? etc. 86
Psal. 96. v. 7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, 124
Psal. 100. v. 1. Misericordiam & iudicium cantabo etc. 692
Psal. 101. v. 27. Et sicut opertorium mutabis eos etc. 363
Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti etc. 95
Psal. 113. v. 1. Vbi est Deus eorum? 427
Psal. 117. v. 24. Hæc dies quam fecit Dominus etc. 665
Psal. 122. v. 1. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, 345
Psal 144. Suauis Dominus vniuersis etc. 77
Psal. 144. Voluntatem timentium se faciet, 133
Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi etc. 87. 88
Psal. 149. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, 629
Psal. 150 Omnis spiritus laudet Dominum, 626
Psal 118. v. 78. Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt, etc. 469

E prouerbijs.

Cap. 1. v. 24. Quia vocaui & renuistis, 81. 564
Cap. 2. v. 3. Si quæsieris eam quasi pecuniam. etc. 162
Cap. 6. v. 30. Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit etc. 84
Cap. 8. v. 8. Iusti sunt omnes sermones mei etc. 410
Cap. 10 v. 4. Vult & non vult piger, 111
Cap. 11. v. 16. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, 188
Cap. 18. Frater qui adiuuatur à fratre etc. 186
Cap 19. Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo, 550
Cap. 25. Sicut qui mel multum comedit, etc. 78
Cap. 28. Beatus homo, qui semper est pauidus, 103
Cap. 30. Ne addas quicquam verbis illius, &c. 230

E lib. Sapientiæ.

Cap. 5. v. 9. Transierunt illa tanquam vmbra, 77. 84
Cap 7. v. 27. Sapientia, cùm sit vna, omnia potest, 823
Cap. 9. v. 14. Cogitationes enim mortalium timidæ, 98
Cap. 12. v. 13. Cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis, 95

E lib. Ecclesiastici.

Cap. 6. v. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, &c. 698
Cap. 27. v. 6 Vasa figuli probat fornax &c. 605
Cap. 31 v 8. Beatus diues, qui inuentus est sine macula, &c. 100. 101
Cap. 41. v. 17. Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? &c. 164

E prophetia Isaiæ.

Cap. 1. v. 7. Terra vestra deserta etc. 253
Ibid. v. 16. Lauamini, mundi estote, etc. 70. 194
Cap 3. v. 10. Tollamus iustum: quoniam inutilis est nobis, 706
Cap. 5. v. 20. Væ qui dicitis malum bonum, etc. 690
Cap. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, etc. 527
Cap. 9. v. 2. Populus qui sedebat in tenebris, etc. 663
Cap. 12. v. 3. Haurietis aquas in gaudio etc. 697
Cap. 14. v. 14. Ascendam super altitudinem nubium, 689
Cap 27. v 6. Florebit & germinabit Israël, 594
Cap. 30. v. 18. Propterea exspectat Dominus, vt misereatur vestri, etc. 81
Cap. 33. v. 16. Panis ei datus est: aqua eius fideles, 208
Cap. 49. v. 8. In tempore placito exaudiui te, 82
Cap. 49. v. 15. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum etc. 87
Cap. 6. v. 17. Et dabo principes tuos in pace etc. 546
Cap. 66. v. 24. Vermis eorum non morietur, 78

E prophetia Ieremiæ.

Cap. 2. v. 13. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, 249
Cap. 13. v 20. Vbi est grex, qui datus est tibi? 104
Cap. 23 v. 1. Væ pastoribus, qui disperdunt, etc. 104
Cap. 31. v. 34. Et non docebit vltra vir proximum etc. 691
Lamentationum c. 4. v. 20. Spiritus oris nostri Dominus, 242

E Prophetia Ezechielis.

Cap. 3. v. 17. Speculatorem posui te domui Iuda etc. 187
Cap. 18. v. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impij? 80
Ibid. v. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam, etc. 99
Cap. 36. v. 25. Et effundam super vos aquam mundam, 196

E prophetia Danielis.

Cap. 2. v. 34. Donec abscissus est lapis de monte sine manibus. 208
Cap. 3. v. 31. Omnia ergo quæ induxisti super nos etc. 80
Cap. 6. v. 10. Tribus temporibus in die flectebat genua etc. 72
Cap. 12. v. 2. Euigilabunt alij in vitã æternam etc. 78

E prophetia Osee.

Cap. 1. v. 9. Voca nomen eius non populus meus, 250
Cap. 6. v. 9. Pergentes de Sichem, 354
Cap. 10. v. 13. Quid tacuistis impietatem etc. 14. 70
Cap. 13. v. 9 Perditio tua, Israël etc. 80

E prophetia Micheæ.

Cap. 1. v. 3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, 83

E prophetia Zachariæ.

Cap. 2. v. 8. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam etc. 190
Cap 9. v. 17. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum etc. 144

E prophetia Malachiæ.

Cap. 1. v. 10. Non est mihi voluntas in vobis, 548
Ibid. v. 11. In omni loco incensum offertur nomini meo etc. 596
Cap. 3. v. 6. Ego Dominus & non mutor, 363

E NOVO TESTAMENTO.

E S. Matthæi euangelio.

Cap. 1. v. 18. Christi autem generatio sic erat, 749
Ibid. v. 19. Cùm esset desponsata mater eius etc. 749
Cap. 4. v. 19. Faciam vos fieri piscatores hominum, 658
Cap. 5. v. 1. Tunc IESVS ductus est in desertum etc. 140
Cap. 5. v. 13. Vos estis sal terræ etc. 749
Ibid. v. 29. Si oculus dexter scandalizat te, 750
Ibid. v. 31. Quicumque dimiserit vxorem etc. 395
Ibid. v. 44 Diligite inimicos vestros, 76. 81
Ibid v. 45 Solem suum oriri facit etc. 83
Ibid. v. 48 Estote ergo vos perfecti etc. 76
Cap. 6. v. 22. Si oculus tuus fuerit simplex, 750
Cap. 7. v. 13. Intrate per angustam portam, 795
Cap. 8. v. 29. Venisti huc ante tempus torquere nos, 67
Cap. 9. v. 13. Non veni vocare iustos etc. 309

Ibid. v. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur &c. 123
Ibid. v. 25. Et cùm eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum puellæ &c. 750
Ibid. v. 35. Et circuibat IESVS omnes ciuitates, 104
Cap. 10. v. 1. Dedit illis potestatem spirituum &c. 66
Cap. 10. v. 8. Gratis accepistis: gratis date, 120
Ibid. v. 10. Nolite possidere aurum &c. 60
Ibid. v. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues etc. 60
Ibid. v. 23. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam, 65. 432
Ibid. v. 32. Qui confitebitur me coram hominibus, 400
Ibid. v. 41. Qui recipit prophetam etc. 129
Cap. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, etc. 15. 68
Cap. 12. v. 36. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines etc. 554
Cap. 13. v. 25. Cùm autem dormirent homines, 598
Ibid. v. 31. Simile est regnum calorum grano sinapis, 751
Cap. 15. v. 13. Secessit inde in nauicula, 750
Cap. 16. v. 17. Beatus es Simon Bar Iona &c. 663
Cap. 18. v. 19. Si duo ex vobis consenserint etc. 107
Cap. 19. v. 12. Et sunt eunuchi, qui se castrauerunt, 823
Ibid. v. 23. Amen, amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum calorum, 100. 101
Cap. 20. v. 16. Multi vocati, pauci verò electi, 554
Cap. 23. v. 4. Alligant enim onera grauia etc. 69
Ibid. v. 24. Excolantes culicem etc. 497
Ibid. v. 33. Serpentes, genimina viperarum, 597
Ibid. v. 37. Quoties volui congregare filios tuos, 554
Cap. 24. v. 24. Surgent enim pseudochristi etc. 365
Ibid. v. 36. De die autem illa & hora nemo scit, 564
Cap. 25. v. 23. Euge serue bone & fidelis, 467
Ibid. v. 16. Nescio vos, 188
Ibid. v. 41. Discedite à me maledicti etc. 79
Cap. 26. v. 26. Hoc est corpus meum, 201
Ibid. v. 46. Surgite, eamus: ecce appropinquauit, etc. 65
Ibid. v. 50. Accesserunt & manus iniecerunt in IESVM, 118
Ibid. v. 63. Adiuro te per Deum viuum etc. 67
Cap. 27. v. 54. Filius Dei erat iste, 663
Cap. 28. v. 20. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus etc. 125

E S. Marci euangelio.

Cap. 3. v. 6. IESVS autem cum discipulis secessit etc. 73
Cap. 5. v. 7. Adiuro te per Deum viuum &c. 66. 67
Ibid. v. 10. Et deprecabantur eum multùm, ne se expelleret extra regionem, 68
Cap. 6. v. 8. Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, 60
Cap. 7. v. 37. Bene omnia fecit, etc. 95
Cap. 8. v. 23. Video homines, velut arbores etc. 76
Cap. 9. v. 24. Et cùm videret IESVS concurrentem turbam etc. 122
Cap. 12. v. 25. Neque nubent, neque nubentur &c. 301
Cap. 16. v. 15. Euntes in mundum vniuersum &c. 6

E S. Lucæ euangelio.

Cap. 1. v. 6. Incedentes in omnibus mandatis etc. 420. 623
Cap. 3. v. 8. Potens est Deus de lapidibus &c. 557
Cap. 6. v. 36. Estote ergo misericordes &c. 86
Ib. v. 38. Eadem quippe mensurâ, qua mensi etc. 77. 86
Cap. 7. v. 39. Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem etc. 722
Cap. 8. v. 5. Exijt qui seminat, seminare etc. 187
Ibid. v. 31. Et rogabant illum, ne imperaret etc. 66. 68
Cap. 9. v. 3. Nihil tuleritis in via, neque virgam, etc. 60
Ibid. v. 26. Nam qui me erubuerit, etc. 400
Cap. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit, 530. 531
Cap. 11. v. 9. Petite, & dabitur vobis etc. 161
Ibid. v. 26. Tunc vadit & assumit 7. alios etc. 589
Cap. 12. v. 31. Quærite primùm regnum Dei, 336
Cap. 15. v. 7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore etc. 87
Ibid. v. 20. Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus etc. 87
Cap. 16. v. 3. Fodere non valeo etc. 752
Cap. 20. v. 34. Filij huius seculi nubunt, etc. 303
Cap. 22. v. 32. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, 820
Cap. 23. v. 34. Pater dimitte illis etc. 706

E S. Ioannis euangelio.

Cap. 1. v. 29. Ecce agnus Dei etc. 663
Cap. 2. v. 4. Quid mihi & tibi est mulier? 569
Ibid v. 5. Quodcumque dixerit vobis, facite, 570
Cap. 3. v. 3. Nisi quis renatus fuerit etc. 194. 782
Cap. 4. v. 6. IESVS ergo fatigatus ex itinere, 7
Cap. 6. v. 35. Ego sum panis vitæ, 144
Ibid. v. 52. Panis quem ego dabo etc. 204
Cap. 8. v. 57. Quinquaginta annos nondum habes, 690
Cap. 9. v. 1. Et præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate etc. 73
Ibid. v. 22. Iam enim conspirauerant Iudæi etc. 74
Ibid. v. 39. In iudicium ego in hunc mundum veni etc. 692
Cap. 11. v. 25. Ego sum resurrectio & vita, 431
Ibid. v. 41. IESVS autem eleuatis sursum oculis etc. 72
Cap. 12. v. 31. Nunc iudicium est mundi etc. 320
Cap. 14. v. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, etc. 659
Ibid. v. 28. Pater maior me est, 566. 752. 753
Ibid. v. 30. Venit enim princeps huius mundi etc. 320
Cap. 15. v. 1. Ego sum vitis vera, 144
Ibid. v. 20. Non est seruus maior Domino etc. 449
Cap. 16. v. 2. Venit hora, vt omnis qui interficit vos etc. 421
Ib. v. 11. Princeps huius mundi iam iudicatus est, 320
Cap. 17. v. 5. Pater clarifica me etc. 521
Cap. 19. v. 28. Dixit: Sitio, 132
Ibid. v. 30. Consummatum est, 663

Ex Actibus Apostolorum.

Cap. 2. v. 15. Non enim, sicut vos æstimatis, vt & ij sunt: cùm sit hora diei tertia, 71. 683
Ibid. v. 38. Pœnitentiam agite, quia sanguinem iusti fudistis, 663
Cap. 3 v. 1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, 71
Cap. 4. v. 7. Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate, 335
Cap. 5. v. 1. Cur tentauit satanas cor tuum? 130
Ibid. v. 16. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum etc. 73
Ibid. v. 29. Obedire oportet Deo magis etc. 458
Cap. 7. v. 59. Domine ne statuas illis hoc peccatum, 428
Cap. 8. v. 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem, 471
Cap. 9. v. 4. Saule, Saule, quid me persequeris? 752

Cap. 10. v. 19. *Petro autem cogitante de visione, &c.* 125
Cap. 1[?] v. 29. *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere, &c.* 776
Cap. 13. *Repletus Spiritu sancto intuens in eum, &c.* 140.
Ibid. v. 24. *Venerunt Antiochiam Pisidiæ,* 127
Cap. 15. v. 28. *Visum est enim Spiritui sancto, &c.* 628.
Cap. 16. v. 3. *Et assumens circumcidit eum, etc.* 658
Cap. 18. v. 9. *Dixit autem Dominus per visionem Paullo,* 125
Cap. 20. v. 16. *Ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis,* 658

EX EPISTOLIS S. PAVLLI.

Ad Romanos.

Cap. 1. v. 19. *Quod notum est Dei manifestum est in illis,* 88
Cap. 1. v. 23. *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* 89
Ib. v. 28. *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia etc.* 596
Cap. 2. v. 4. *An diuitias bonitatis &c.* 96
Ib. v. 6. *Qui reddet vnicuique secundum opera eius,* 83
Ib. v. 12. *Quicumque enim sine lege peccauerunt &c.* 90
Cap. 5. v. 3. *Sed & gloriamur in tribulationibus,* 605
Cap. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis &c.* 146
Ibid. v. 18. *Non sunt condigna passiones, &c.* 419
Cap. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam, etc.* 401
Cap. 11. v. 33. *Inscrutabilia enim sunt iudicia eius,* 692
Cap. 12. v. 17. *Nulli malum pro malo reddentes,* 81

E priore ad Corinthios.

Cap. 1. v. 14. *Gratias ago Deo, quia neminem vestrûm baptizaui,* 783
Cap. 2. v. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos,* 541
Cap. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi, non escam &c.* 485
Cap. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus,* 663
Cap. 6. v. 9. *Qui domos corrumpunt, regnum Dei non possidebunt,* 235
Ibid. v. 7. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est,* 147
Cap. 7. v. 31. *Præterit figura huius mundi,* 486
Cap. 8. v. 1. *Scientia inflat &c.* 509
Cap. 1. v. 16. *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c.* 98
Cap. 10. v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* 201
Ibid. 32. *Sine offensione estote Iudæis &c.* 222
Cap. 12. v. 7. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem &c.* 72
Ibid. v. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum Apostolos &c.* 546
Cap. 13. v. 2. *Et si habuero omnem fidem, &c.* 365
Ibid. v. 9. *Ex parte cognoscimus &c.* 817
Ibid. v. 12. *Videmus nunc per speculum &c.* 817
Cap. 14. v. 37. *Si quis videtur propheta esse,* 90
Ibid. v. 18. *Si quis autem ignorat, ignorabitur,* 90
Cap. 15. v. 50. *Caro & sanguis Deum possidere non possunt,* 496. 598
Cap. 16. v. 1. *De collectis autem quæ fiunt in sanctos,* 785

E posteriore ad Corinthios.

Cap. 4. v. 3. *Quod si etiam opertum est euangelium nostrum &c.* 596
Ibid. v. 4. *In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium,* 692
Cap. 5. v. 4. *Ut absorbeatur quod mortale est à vita,* 495. 496
Ibid. v. 10. *Ut referat vnusquisque propria corporis,* 83
Ibid. v. 17. *Vetera transierunt: ecce noua &c.* 663
Cap. 6. v. 1. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* 82

Ex epistolæ S. Iacobi.

Cap. 1. v. 1. *Iacobus Dei & Domini nostri* IESV *Christi seruus duodecim tribubus &c.* 725
Ibid. v. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis,* 605
Cap. 2. v. 13. *Superexaltat autem misericordia iudicium,* 77. 84
Cap. 4. v. 7. *Resistite diabolo & fugiet à vobis,* 98

Ex epistolis S. Petri.

1. cap. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,* 600. 601
Ibid. v. 12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, &c.* 222
1. cap. 5. v. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei,* 428
2. Petri 1. ver. 14. *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei,* 133

Ex Apocalypsi S. Ioannis.

Cap. 3. v. 1. *Angelo ecclesiæ Sardis scribe,* 819
Ibid. v. 2. *Esto vigilans & confirma cetera,* 810
Ibid. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso,* 96
Cap. 5. v. 9. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno etc.* 596
Cap. 18. v. 7. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum etc.* 77. 84
Ibid. *Quia in corde suo dicit: Sed eo regina,* 84
Cap. 20. v. 1. *Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi,* 321
Cap. 21. v. 2. *Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem etc.* 140
Ibid. v. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,* 550.
Cap. 22. v. 11. *Qui nocet, noceat adhuc etc.* 426
Ibid. v. 12. *Ecce venio citò, & merces mea etc.* 525
Ibid. v. 18. *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ huius, si quis apposuerit ad hæc,* 236

INDEX AVCTORVM

QVI HIC CITANTVR,

explicantur, corriguntur.

A.

ACta S. Abercij, 64. 68. 72
Adolphus Occo correctus, 684
Ado Ep. Viennensis, 115. 116. 430. 431. 432. 624. 625. 626. 633. 639. 662. 684. 719
Adrianus Turnebus, 629. 630. 632. 633
Ælianus, 360
Aloysius Lipomanus, 52. 68. 74. 112. 116. 136. 138. 270
Alphonsus de castro, 332
Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus, 68
S. Ambrosius, 229. 270. 679
Ambrosius Camaldulensis, 683
Ammianus Marcellinus, 634. 637
Anastasius Bibliothecarius, 641. 642. 644. 673. 682. 683
Anastasius Sinaita, 280. 366. 851
Andreas Abbas, 781
Andreas Cæsariensis, 324. 325. 404
Andreas Cretensis, 614
Angelus Politianus. 108
Antiochus Brondus, 608. 609. 838
Antoninus Ricciardus, 345
Antonius Demochares, 614
Antonius Florentinus, 352
Antonius Gallonius, 630
Antonius Melissa, 316. 317. 362
Antonius Possevinus, vide Possevinus.
S. Apollinaris Hierapoleos Episcopus, 53
Apollodorus, 778
S. Apollonius, 814
Aponius, 264. 353
Appianus, 129. 637
Aquicinctinus codex M. S. 355
Aquila Ponticus, 527
Arator Subdiaconus, 529. 568. 785
Aristides orator, 106
Aristo Pellæus, 392
Aristophanes comicus, 341. 343. 350. 360. 636
Aristophanis Scholiastes, 636
Aristoteles, 256. 356. 361. 579
Arnaldus Pontacus, 355. 621. 641. 645. 646. 673. 682
Arnobius, 363. 369. 373. 374
Artapanus, 61
S. Athanasius, 57. 106. 133. 228. 669. 670
Athenæus Dipnosophista, 85
Athenagoras, 226. 258. 292. 293. 294. 363. 364. 623
Aubertus Miræus, 126. 355. 641. 625. 682. 717
Auerroës philosophus, 373
Augustinus, 69. 79. 82. 85. 99. 103. 142. 143. 186. 188. 332. 514. 517. 529. 566. 567. 586. 587. 605. 630. 643. 667. 668. 679. 680. 681. 692. 693. 731. 785. 817.
Auidius Cassius, 62. 634
Aurelius Antoninus, 62. 116. 281. 838
Ausonius, 838

B.

BAlsamon, 628
Barnabas Brissonius, 116
Baronius Card. 54. 71. 123. 144. 267. 293. 297. 399. 400. 622. 625. 635. 641. 664. 673. 674. 683. 684. 764. 816. Defensus contra Heraldum, 382. 383. 384
Basilius magnus, 78. 359. 398. 607
Beda, 644. 645. 663. 664. 678. 719
Bellarminus, 202. 203. 206. 293. 535. 536. 537. 569. 674. 818
Belloforestus, 614. 615
Benedictus Arias Montanus, 70
Benedictus Herbestus, 72
S. Bernardus, 130. 229. 337. 517. 572. 616
Bernardus Lutzemburgus, 816
Biblia regia quodam loco emendata, 70
Billius vide Iacobus.
Blasius Viegas, 321
Bulengerus, 209

C.

CAius, Scriptor sacer. 814
Calius Rhodiginus, 356
Campegius, 684
Canones Apost. 685
Carolus Scribanius, 585
Cassianus, 341. 342
Cassiodorus, 116. 128
Catena græca in Deuteronomium, 506. 507
Catena gr. in Genesim, 505. 506. 835
Catena gr. in Numeros, 506
Cato senior, 119
Ceolfridus, Abbas, 664
Christophorus de castro, 133
Chronicon Alexandrinum, 128. 266. 397. 398. 633. 638. 719. 834. 837.
Cicero, 64. 69. 80. 112. 113. 117. 121. 128. 136. 138. 147. 342. 350. 360. 362. 837.
Claudianus poeta, 621
Claudius Robertus, 616. 617
Clemens Alexandrinus, 69. 105. 143. 213. 222. 234. 260. 261. 262. 363. 369. 397. 602. 652. 684. 706. 730. 783. 831. 861. 862
Clemens Rom. 721. 776. 772
Concilium Nicanum, 669
Concilium Tridentinum, 60
Constitutiones Apostolica, 681. 721

Corippus

Corippus poëta, 115
Cornarij versio correcta, 326
Cornelius à lapide, 212. 628. 737
Cornelius Tacitus, vide *Tacitus,*
Cyprianus, 66. 78. 227. 228. 585. 643. 730. 731. 785
Cyrillus Alexandrinus, 679
Cyrillus Hierosolym, 68. 404. 515. 516
Cyrinus Ratisponensis Ep. 131

D.

DAniel Heinsius, 105
Demochares, 625
Desiderius Erasmus, 617. 618
Desiderius Heraldus, vide *Heraldus.*
Dexter. 62. 63. 379. 615. 642. 653. 837
Dio Cassius, 55. 63. 108. 110. 111. 117. 269. 386. 615. 616. 625. 655.
Dio Chrysostomus, 340. 347. 390. 849
Diogenes Laërtius, 339. 360
Dionysius Alexandrinus de situ orbis, 56
Dionysius Areopagita, 91. 214. 543. 544. 624
Dionysius Exiguus, Abbas, 106
Dionysius Halicarnassaeus, 112
Dionysius Petauius, 649. 650. 675. 718. 734
Donatus Terentij interpres 112

E.

ELias Cretensis, 209
Ennius, 147
Ephram Diaconus, 94. 404
Epiphanius aliquot locis emendatus, 265. 292. 355. 356. 668. *Alibi laudatus,* 125. 326. 358. 552. 643. 648. 675. 678. 731. 813. 815
Erardus Fullonius, 357
Euagrius Presbyter, 134
Eucherius Lugdun. Ep. 430. 431. 626. 633. 637. 638
Euripides, 111. 191. 400
Eusebius Caesariensis, 52. 61. 62. 63. 79. 124. 643. *Loci eiusdem correcti,* 611. 622
Eustachius interpres Dionysij Alexand. de situ orbis, 56. 57
Eutropius, 54

F.

FEdericus Metius, 24
Festus vide *Pompeius,*
Feuardentius, 253. 480. 646. 648. 649
Flauianus Antiochia Ep. 24
Fl. Lucius Dexter, vide *Dexter.*
Fl. Vopiscus, vide *Vopiscus.*
Franciscus Arias, 604
Franciscus Bencius, 220
Franciscus Bernardinus, 815
Franciscus Biuarius, 63. 615
Franciscus Iuretus, 616
Franciscus Petrarcha, 615
Franciscus Ribera, 321
Fronto Ducaus, 589. 694

G.

GAbriel Prateolus correctus, 816
Galenus medicus, 356
Gaspar Sanctius, 638
Gelenius S. Iustini interpres, 397
Gellius Noct. Attic. 232
Gentianus Heruetus, 615. 618. 852
Georgius Cedrenus, 124. 374. 609. 615. 766
Georgius Pisidas, vide *Pisidas.*
Georgius Syncellus, 404
Glaber Rodulphus, 6.6
Glossa ad Concilium Gangrense, 628
Goropius, 345
S. Gregorius magnus Pont. 85. 102. 117. 668. 678
S. Gregorius Naz. 209. 229. 364. 383
S. Gregorius Nyssenus, 634
S. Gregorius Turonensis, 122. 130. 134. 430. 438. 639. 684
Gretserus vide *Iacobus.*
Guidus Pancirolus, vide *Pancirolus,*
Gulielmus Estius, 323
Gulielmus Tyrius, 763

H.

HArigerus Abbas Lobiensis, 61
Heribertus Rosweidus, 115. 116. 639. 719
Hermannus Contractus, 684
S. Hegesippus, 703. & seqq.
Heraldus, 382. 383
Herodianus, 108
Hesiodus, 197. 618
Hesychius, 635. 636
S. Hieronymus. 54. 70. 72. 83. 208. 213. 247. 373. 473. 611. 633. 643. 657. 667. 715. 731. 750. 798. 799. 812. 813. 817. 818. 829. 861
Hildebertus Turon. Ep. 219
Hippocrates medicus, 356
S. Hilarius Pictauiensis Ep. 331. 358. 359. 375. 486. 520. 651
S. Hippolytus, 609
Homerus, 107. 111. 112. 197. 304. 391. 610. 618. 792
Honorius Augustodunensis, 473. 799. 829. 861
Horatius Flaccus, 64. 397. 619. 714
Horatius Tursellinus, 55. 135
Hubertus Goltzius, 54. 109. 148. 354
Hugo de S. Victore, 337
Hystaspes seu Hydaspes, 799. 400

I.

IAcobus Billius, 523. 527. 576. 694
Iacobus de Vitriaco, 231
Iacobus Gretserus, 366. 716
Iacobus Gutherius, 116. 149
Iacobus Pamelius, vide *Pamelius.*
Iacobus Seuertius, 461. 464. 465. 608. 623. 684. 685
Iacobus Sirmondus, 52. 109. 137. 188. 505 655. 809. 835
Ianus Gruterus, 54. 109. 114. 116. 136. 144. 384. 616. 656. 657. 838.
S. Ignatius Theophorus martyr. 213. 235
Ioannes à Bosco, 625. 663
Ioannes Bonus valetus, 568
Ioannes Carolus Bouius, 676
Ioannes Chapeauillus, 61
Ioannes Christophorsonus, Eusebij interpres emendatus, 80. 290. 291. 380. 381. 393. 622. 629. 631. 632. 633. 635. 636. 678. 719. 720. 731. 733. 734. 784
S. Ioannes Chrysostomus, 51. 89. 94. 658. 670. 671. 672. 731. *Eius interpres emendatus,* 670
S. Ioannes Damascenus, 282. 299. 317. 480
Ioannes Fiscerus Roffensis Ep. 551
Ioannes Hemelarius, 148
Ioannes Molanus, vide *Molanus.*
Ioannes Moschus, 231. 781. 782. 783
Ioannes Nauclerus, 105
Ioannes Pierius, vide *Pierius.*

Ioannes de la Haye, Seruius, 692
Ioannes Temporarius, 55
Ioannes Trithemius, vide Tritthemius.
Ioannes Vasaus, 272. eiusdem errores emendati, 684. 685
Ioannes Xiphilinus, vide Xiphilinus.
Ioannes Zonaras, vide Zonaras.
Iosephus Iudaus, 71. 395. 722
Iosephus Scaliger, 54. 55. 126. 358. 389. 622. 721. & seqq. vbi refutantur eius errores.
Irenæus Lugdun. Ep. 213. 253. 275. 331. 393. 394. 406. 603. 604. 642. Explicatus, 536. 537. 551. 561. 563. 565. 578. 579. 580. 589. 591. 594. 599. 651. Interpres veteris Irenæi correctus, 717
Isaacus Casaubonus. 108. 110. 111. 349. 391. 732. 733
Isidorus Hispalensis, 629. Eius aliqua etymologia ridicula, 630. 631
Isidorus Pelusiota, 282. 389. 731
Iudas Chronographus, 683
Iulianus Imp. 58. 59
Iulius Cæsar, 452
Iulius Capitolinus, 54. 62. 63. 108. 110. 111. 114. 115. 266. 293. 394. 396
Iulius Firmicus, 58. 59
Iulius Pollux, 166. 391
S. Iustinus Philosophus, 194. & seqq. 214. 217. 220. & deinceps, 261. 262. 519. Eiusdem interpres correctus, 400
Iustinus Trogi, historicus, 613
Iustus Lipsius, 629. 630. 631. 636. 637
Iuuenalis explicatus, 338. 343. 377. 616

L.

LActantius, 67. 316. 364. 398
Laërtius vide Diogenes.
Lampridius, 115. 396
Langus, Nicephori interpres, 629
Latinius Viterbiensis, 651
Laurentius Surius, 68. 69. 113. 323
Leo magnus Papa, 219. 220. 261. 262
Leonardus Lessius, 90. 810
Leontius Byzantinus, 282. 285. 286. 507
Lucanus poeta, 96
Lucas Euangelista, 763
Lucilius poeta, 119
Lucretius Carus, 58. 92
Ludouicus Cresollius, 391. 730

M.

MAcrobius, 58. 59
Magister sententiarum, 337
Marianus Scotus, 717
Marianus Victorius emendatus, 392. 645. 683
Marsilius Ficinus, 335
Martialis, 225
Martinus Polonus, 272. 613. 641
Martyrologium Adonis vide Ado.
Martyrologium Bedæ, 644. 645. 719
Martyrologium S. Eligij M. S. 644
Martyrolog. Rom. ordinarium, 55. 352. 353. 624
Martyrologium Vedastinum M S. 644
Martyrol. vetus Romanum, 643. 644. 765
Matthæus Raderus, 392
S. Maximus, Areopagita Scholiastes, 351
S. Maximus Taurinensis, 236. 243
Maximus Tyrius, 340. 343. 347
S. Melito, 62. 389. 817. & seqq. 830. & seqq.
Menæum Græcorum, 44. & seqq 52. 62. 72. 119. 143. 146. 149. 261. & seq. 398. 507. & seq. 609. 733
Menologium Græcorum, 733
Mercurius Trismegistus, 363
Metaphrastes, 398
S. Methodius Tyri Ep. 282. 292
Michaël Glycas, 326. 399. 615. 721. 783. 784
Miltiades, scriptor græcus, 797. 807. 808. 810. 812. 814. 815. 816
Minutius Felix, 67. 224. 226. 243. 260. 316. 371. 514. 515
Molanus, 145

N.

NIcephorus Callistus, 117. 130. 626. 668
Nicephorus Patriarcha Constantinop. 125. 641. 643 765
Nicetas Choniates, 648. 649
Nicetas, Nazianzeni interpres græcus, 209
Nicolaus Fallerus, 724
Nicolaus Lyranus, 608
Nicolaus Orlandinus, 106
Nicolaus Serrarius, 734
Nilus, Abbas, 218. 219
Nonnus, Nazianzeni interpres græcus, 209
Notitia dignitatum, 129
Nouatianus Presbyter, 600. 730. 731
Numenius philosophus, 361

O.

S. ODilo Abbas, 617
S. Odo Abbas, 53
Oliuerius Bonartius, 71
Olympius, 568
Onuphrius Panuinius, 55. 79. 109. 128. 266. 838
Optatus Mileuitanus, 142. 586
Origenes, 331. 732
Osbertus monachus, 134
Otto Frisingensis, 62
Ouidius Naso, 387

P.

PAcianus, 73
Pamelius, 214. 215. 265. 371. 532. 602. 647
Pancirolus, 129. 149
Paradinus, 515 116
Paullinus Nolæ Episcopus, 543
Paulinus Presbyter, 117
Paullus Orosius, 62. 388. 391. 621
Pausanias, 732
Persius, 297
Petrus Arcudius, 676. 677
Petrus Aureolus, 608. 837
Petrus Chrysologus, 568
Petrus Equilinus Ep. 55. 72. 113. 121. 836. 847
Petrus Galesinius, 607. 719. 720
Petrus Ioannes Nunnesius, 114
Petrus Morellus, 649
Petrus Ribadeneira, 72
Phauorinus, 635
Philastrius, 650. 651. 652. 851. Eius error emendatus 265. 392. 812.
Philippus Bergomas, 836. 837
Philippus de Hurges Iureconsultus, 295
Philippus Ferrarius, 117
Philo Iudæus, 356. 357. 362
Philostratus, 226
Photius, 115. 264. 276. 277. 643. 687. 735. 848
Phrynichus, 114. 150
Pierius, 345

Pisidas, 369
Pius primus Pont. 624. 673
Plato philosophus, 79. 239. 243. 244. 258. 338. 339. 347. 359. 360. 361. 810
Plautus comicus, 395. 397. 633. 779
Plinius iunior, 56. 141. 778
Plinius Senior, 837
Plutarchus, 115. 256. 321. 322. 340. 374. 616
Polycrates Ep. 458. 459. 660. 668. 674. 676. & *seqq.* 817
Pompeius Festus, 387
Pontius, 816
Possidonius, 399
Primus. Ep. 607
Proclus Sophista, 292. 293
Propertius poeta, 387
Prosper Aquitanus, 88. 143. 324
Prudentius, 58. 63. 332. 398. 595. 630. 631. 632. 732. 783. 811
Ptolemaus Geographus, 55. 127. 128. 608
Pythagoras, 359. 360. 375

Q.

Q*Vintilianus.* 394

R.

R*Evius*, 507. 568
Rosinus, 58
Ruffinus Presbyter, 51. 119. 124. 623. 639. 678. 828. 829
Rupertus Abbas, 232

S.

S*Alvianus Ep.* 372. 837
Sedulius, 568
Seneca philosophus, 397. 629. 630
Setius Caluisius, 109
Seuertius, vide *Iacobus*.
Sextus Aurelius Victor, 54. 837
Sextus Rufus, 54
Sigonius, 616
Silius italicus, 397
Sixtus Senensis, 720. 819. 830
Socrates Historicus, 128. 664. 668. 678. 679
Socrates Philosophus, 79. 170. 333. & *seq.*
Solinus Polyhistor, 56. 127. 792. 837
Solon Legislator, 357
Sophronius Patriarcha, 264. 721
Sozomenus, 117. 123. 130. 680
Spartianus, 391. 634. 657. 683
Statius poeta, 226
Stephanus Byzantinus, 56. 128. 836. 837
Strabo, 56. 57. 126. 127. 128. 608. 614. 636. 637. 778. 779. 780. 788. 789. 792. 837.
Suetonius, 226. 386. 616
Suffridus Petrus, 645. 721
Suidas, 360. 609
Sulpitius Seuerus, 62. 267. 394
Synesius, 359

T.

T*Acitus*, 269. 400. 637
Tatianus, 392. 393
Terentius, 113. 395
Tertullianus. 63. 69. 101. 102. 142. 197. 207. 214. 215. 219. 223. 224. 226. 230. 243. 252. 316. 331. 344. 363. 364. 514. 532. 575. 581. 584. 585. 588. 602. 605. 621. 628. 646. 647. 652. 653. 731. 732. 785. 815. *Idem refutatus*, 340. 341. *Locus correctus*, 371. 651. 815. 851.
Theodoretus, 105. 130. 133. 607. 612. 631. 813. 814
Theodotion, 527
Theophilus Antiochenus, 363. 719. & *seqq.*
Thomas Aquinas, 68. 80. 83. 215
Thomas Cantipratanus, 103. 568. 569
Tilmannus Bredembachius, 105
Toletus, 322
Trithemius correctus, 472. 720. 784. 799. 829

V.

V*Alerius Maximus*, 69. 614. 636
Varro, 232. 387. 397
Vasaeus, vide *Ioannes Vasaeus.*
Victor Papa, 456. 457. 662. 663
Victorinus martyr, 331. 602
Vincentius Lerinensis. 814
Virgilius, 79. 579. 792
Vitruuius, 391
Vlpianus, 268. 270
Vopiscus, 236. 386
Vsuardus, 685
Vuilfridus, 663. 664
Vulcatius Gallicanus, 62. 634

X.

X*Enophon*, 180. 340. 341. 342. 347. 397
Xiphilinus, 63. 110. 621. 622

Z.

Z*Osimus Comes*, 115
Zonaras, 129. 374. 388

INDEX RERVM.

A.

A. Littera, in haeresi Valentiniana quid significet. 577
Abercij plures fuerunt, 1. 39. 52. 145
Abercij magni aetas, educatio, 1. 2. 37. 53. 56. promotio in episcopatum, 3. 4. assiduitas in precationibus, 4. 8. paupertatis amor, 4. 5. euangelij praedicandi sollicitudo, 6. amoris in Deum & religionem ardor, 7. 8. visa caelestia, ibidem Zelus in confringendis simulacris, 8. 9. Constantia in periculis, 9. 10. eiusdem verba praeclara 8. 9. 10. & seqq. 19. 20. 28. 39. doctrinae puncta, 11. humilitas & modestia, 16. sobrietas, 15
Abercij miracula, 12. 15 16. 18. 22. 26. 27. 29. 34. 36. 44. 45. 46. 47. 49. 72. 146
Abercij peregrinationes, e Phrygia Romam, Roma in Syriam &c. 25. 26. 31. & seqq. 48. 124. 125. 126. 127. 148
Abercij insignis oratio pro paupertate euangelica in recusatione munerum, 32
Abercij in patriam reditus è longinqua peregrinatione. 35 compositio libri de disciplina. Ibid.
Abercius successorem sibi in episcopatu constituit, 39
Abercij mors, 38 39. Eius scripta, 40. 41
Abercij laudes, 25 37. 44. & seqq. 56. 60. 126. 146
Abercius minor, Hierapoleos Episcopus, 55
S. Abraamis solitarij ignorantia periculosa, 672
Abraham primus circumcisorum, 249. 252
Abrahami Sculteti refutatio, 200. & seqq. 228. 238. 239. 240. 241. 535. & seqq. 559. & seqq. 566. & seqq. 690. & seqq.
Abrasax seu Abraxas, 719
Abstinentia à cibis austeritas metu offensionis mitigata, 428. 638
Academia locus cur electus insalubris, 359
Academici quinam olim vocati. Ibid.
Achamoth Valentinianorum quid sit, 579
S. Achillaeus B. Irenaei Diaconus, 452. 466. & seq.
Acrostichis in laudem S. Abercij, 46. 467
Acta martyriorum S. Iustini & sociorum, 181
Adami poenitentia, 603. Eius peccatum caussa rebellionis ferarum in homines. 761
Adiuratio Abercij in daemones, & daemonum in Abercium, 66. 67
Adiuratio ad librarios, 473
Adoptio in filios Dei, 146. 147
Adulteratores veritatis, 577. 578
Aesculapij cultus & galli sacrificatio, 343. & seqq.
Aetatis humanae in septenarios diuisio, 356. 357. 358. & quae sit aetas constans, Ibid.
Aeternitas praemiorum & poenarum, 76. & seqq. Item 487.
Africanus historiographus, 850. 851
Agape Christianorum, 212. 216
Agentes in rebus, 115
Agnus, Agni manus, Agnus in veru assus figura Christi in Cruce, 244
Aiberti Monachi genuflexiones, 231
Alba vestes cuius rei symbolum, 64
Alcibiades Montanista, 435. 464
S. Alcibiadis martyris austeritas, 428. 638
S. Alexandri medici martyrium, 425
Alexandri & Epipodij sodalium martyria, 432. & seqq.
Alexandria Aegypti laus, 849
Altercatio historica, 620. 621
Ambitio in haeresim propellit. 712
Amen, 198. 210. 212
Amicorum paria inter sanctos, 432. 701
Ammonius Scriptor insignis, 851
Ammia prophetissa noui testamenti, 807
Anacletus & Cletus an duo Pontifices? 642. & seqq.
Angelorum cura erga homines, 91. 469
Animae immortalitas, 257. & seqq. 344. & seqq. 487. est in homine instar artificis, 593. sicut illa in corpore, sic Christiani in mundo. 218
Antandrus Phrygiae ciuitas tota occidi elegit quàm Dijs immolare, 685
Anthropophagi inuidiosè & ineptè appellantur ab haereticis Catholici, 205
Antichristus & nominis eius numerus, 499. 500
Antinous, Antinoopolis, 712. 732. 733
Antiochia Pisidiae, 127
Antiochia Syriae, 94
Antiquitas rebus dat auctoritatem, 364
Antonij Pij Imp. edictum pro Christianis, 168. 388
Annulorum gestatio, 148
Apamea Syriae, & qui illic sancti, 31. 126. 806
Apocalypsis Ioannis à priscis approbata, 275
Apocrypha, Scriptura apocrypha, 577. 714
Apollinares in sanctis plures, 809. S. Claudij Apollinaris vita, 793. & seqq.
Apollinis simulacrum ab Abercio confractum, 8
Apollonio Tyaneo statua posita, 386
Apostata à fidei vide fidei desertores.
Apostoli à quo baptizati? 782. piscatoribus similes, 455. Sunt rami arboris sinapeos, 757. eorum in Iudaeos indulgentia, 658. constitutio de Paschate, 675. 676. Eorundem successores fide digni, 542. 543
Ἀποτυμπανίζομαι, 635
Apparet Dominus S. Abercio, 8. 23. 26. 31
Aptabilis vox Latino interpreti Irenaei familiaris, 589
Aquae lapidescentes, 810. alia tingendis lanis aptissima vbi? 810. Alia miraculo data, 132
Arbitrij libertas comprobata, 20. 92. & seqq. 236 & seqq. 504 505. 553. & seqq.
Arbor miraculosa, 124
Aristocratia optima forma, 614
Artemisia Reginae factum notabile, 205
Ascensionis Domini festus dies, 134
Athanacenses martyres, Athanace martyrum locus, 432
Attalia Pamphiliae ciuitas, 27. 120
Attali mart. fortitudo & laudes, 421. 424. & seqq. 624. 634. 638
Attidius Cornelianus, 114. 150
Auaritia perquam turpis in Philosopho, 157
Audiani haeretici. 657

Augurus,

Augures, auguria, 112. 113
Aurelij Antonini Imp. littera, 24. 25
Austeritas victus, 428. 722
Austeritates initiandorum Mithra multo maiores quàm qualibet monachorum, 209
Autolycus S. Theophili Antiocheni aduersarius quantùs ingenio & labore, 739. & seqq. 764

B.

BAculus in Scriptura quid significet, 60. 61
Baculus SS. Abercij, Iacobi patriarcha, Moysis, Elisai, Petri Apostoli &c. 60. 61
Balnea in pauperum & infirmorum gratiam, 5. 22. 30. 105. 106
Balneum Thmetimum vide Therma.
Baptismus, baptismi ritus, 194. 195. 196. 214. 215. 544. 547. 781. 782
Baptismi forma apud Gracos, 771
Baptismatum diuersa genera, 781
Baptismus arena prodigiosus, 771. 780. 781. 782
Baptismi ardens desiderium, 15
Baptisandi munus olim solius Episcopi, 131
Baptismi noua forma ab hæreticis inuenta, 440. 441
Barchochebas dux Iudaorum, 391. 392
Bartholomei Apostoli genuflexiones, 231
Beatitas hominis quid sit, 158
Benedicti Papa sententia de loco animarum post mortem, 331
Beniamini Diaconi zelus, 188
S. Bibliadis à fidei abnegatione resipiscentia & martyrium, 422. 627. 628
Bibliotheca Floriacensis, 663
Bibliotheca Ptolemai Regis, 233
S. Blandina mart. fortitudo & laudes, 421. 424. 425. 430. 461. 628. 634
Blastus hæresiarcha & eius errores, 447. 448. 449. 456. 654.

C.

CÆci à Christo curati laudes, 74
Cæcitas Phrygella illustris femina à S. Abercio curata, 15. Item aliarum trium, 18. 75
Cælibatus Christianorum laudatus, 224. 226. 227. 228. 698
Calceus Epipodij mart. potens miraculorum, 432
Calceorum exuendorum in sacris ritus, 196. 197
Caluities irrisa, 130
Calumnia Gentilium in Christianos, 162. 163 176. 370. & seqq. 420
Calumnijs non credendum, 162. 163. 176. 184
Captiuos inuisere, 614
Caracalla Imp. qualis in Christianos, 636. 637
Caritas in Deum non crescit in cælo, 525
Caritas in proximum, 499. 511
Caritatis recusata exempla formidanda, 34. 129
Carpocratiani hæretici, 372
Castitas occasio multorum martyriorum, 176. 177
Castitatis laus, exemplum, zelus, 174. 177. 212. & seqq. 224. & seqq 411. 823.
Celta quinam appellati, 111
Cento ex Homeri versibus, 610
Cerdo hæresiarcha, 716. & seqq.
S. Charitina martyr, 181. 182. 262. 263. 264. 398
S. Chariton mart, 181. 182. 262. 263. 264
Christiani nomen dupliciter capitur, 222. 336. 337. cur tam exosum Gentilibus, 167
Christianorum cætus, 181. Fortitudo in morte contemnenda, 163. 190. 191. 222. 373
Christianorum vita ratio & laudes eximia, 215. 216. 217. 218 & seqq. 370. 373. 762. Eorundem virtutes alibi sparsa, 163. 174. 189. 190. 191. 217. 415.
Christianus sum, vox erat martyrum in quæstionibus & tormentis, 421. 627
Christus, Deus & homo, & filius virginis, 522. & seqq. Idem grano sinapeos comparatus, 751. Christus, petra, 152. eius passio Iudæis incomprehensa, 245
Cilicia, 117
Circumcisio, 248. & seqq. spiritualis Christianorum sit cultro lapideo, 251. & seqq.
Clarus Ptolemaidis Episcopus, 673. 674
S. Clarus Viennensis Presbyter, 626. 685
S. Claudij Apollinaris vita & scripta, 793. & seqq.
Clementia laus & exempla, 62
S. Clementis Alexandrini humilitas & modestia, 842 sanctitas, 849. 850
Collecta pecuniaria in ecclesijs, 210. 212. 216. 775. 776. 785.
Colloquia pia, 160. 216. 370
Concilia de Paschate varia, 457. & seqq.
Concilij Gangrensis canon, 628
Concilium Hierapolitanum, 797
Concilium Lugdunense antiquissimum aduersus hæreticos, 450. 451. 654. & aliud De Paschate, 460. 678
Concilium Tridentinum, 104
Concio ad populum dominicis, 210
Concionandi munus proprium est Episcoporum, 6. 60
Concionatori suus semper fructus, 187
Confessio peccatorum duplex, 215
S. Conon Isauricus, 112
Consolatio afflictorum efficax, 92
Consuetudinis praua dominatus ac pernicies, 69
Consuetudo cum viris sanctis, 698
Contraria contrarijs elucescunt, 556
Conuersioni Gentilium qua conducant, 157. & seqq. 165
Corinthi vrbis descriptio, 778. 779
Corinthiorum ecclesia, 701. 712
Cor molle & tractabile Deo offerendum, 557. 558
Cornelius Aulinius militia dux, 468. & seqq. 656
Corporis postrema cura, 5. est in homine instar instrumenti, anima instar artificis, 593
Coturnicum educatio lusus gratia, 281. 282
Cratetis Philosophi dictum nobile, 374
Creationis mundi enarratio dilaudata, 757
S. Crescens Viennensis in Gallia Episcopus, 615
Crescentis Cynici cum S. Iustino inimicitia, 173. 179 180. 262. 264
Creta insula, 792
Crucis commendatio & defensio, 241. & seqq.
Crucis signaculum, 544
Crucis supplicium olim infame, 635
Crucis amor, 463
Cucumis, cucurbita, & ex illis iocus, 610
Cyphones, instrumenta supplicij, 636
S. Cyriacus, 113. 120
Cysoniense monasterium, 809

D.

DÆmones, dæmonum astus in serendis erroribus & fallendis hominibus, 22. 23. 185. 220. Dæmonis in forma muliebri illusio, 22. 106. vana gloriatio, 22. 23. 28. 29. 107. 121. in S. Abercium adiuratio, 66. mina in eundem, 23. 24. 107
Dæmonum voces viros sanctos euocantium, 113. 122
Dæmones latronibus similes, 115. 316. viris sanctis infesti, & pœnarum inflictores, 106. quibusdam eorum

rum subiecti more seruili, 29. 44. 48. 122. eiecti è corporibus, 12. 29. 66. & seqq.
Dæmonum condemnatio duplex, 321. vnicam ante Christi aduentum cognouerunt, 319. & seqq.
Dæmonum locus pœnalis, 68. religatio eorundem quomodo fiat, 322. 323
Dæmonum princeps quibus nominibus appelletur, 323. 324.
Dæmonum sacra & mysteria omnium durissima & crudelissima, 209
Damnandorum numerus innumerabilis, 93. 94. 103
Daphne suburbanum Antiochiæ amœnissimum, 111
Dauidis posteri ad necem quæsiti à Domitiano, 707. & seqq.
Desperationis remedia salutaria, 68
DEVS, Dei natura seu essentia, 158. 159. 303. 513. & seqq. 753. 754
Deus vnus & trinus, multa & vnum, 516. 517. 755. Vnicus & idem veteris & noui testamenti, licet præcepta veteris mutauerit, 595
Deus bene & utilè aliqua sua opera destruit, 594. Idem summè odit malum, 97. singulorum hominum curam gerit, 170. comparatur Soli. Deus adoptione quis, 146
Dei cognoscendi auiditas & sitis? 156. 358. 359
Dei cognitio è creaturis, 756. non sufficit ad salutem, 237. est sanitas animæ, 318
Dei cognitioni assequendæ Fides & Timor Domini Maximè sunt necessaria, 757
Deus creauit hominem peccabilem: an rectè, disputatur, 92. 93. & seqq.
Dei gratia, vos Dei appellata, 547
Dei liberalitas, 599. Misericordia, 77. 83. 86. 871. nomen ineffabile, 195. patientia summè admirabilis, 118. præscientia, 557. 558. non est caussa peccati, 236. præsentia, seu Dei præsentis attentio, 157. & seqq.
Dei prouidentia in suos, 11. 87. 125
Dei Patris manus appellantur Filius & Spiritus sanctus, 519. 520
Dei receptaculum, homo, 549
Dei separatio quàm horribilis, 600
Dei visio, 324. & seqq.
Dei voluntas in omnibus principari debet, 599
Deo dignus triumphus quis? 373
Deo obedire renuentes meritò exhæredari, & Filiorum nomen amittere, 597
Deo primitiæ rerum offerendæ, 548
Diaconi excellentes, 188. 222. 421. 422. 452. 466. 467
Diaconorum munus, 198
Dianæ templum, 110
Dierum nomina sacra & profana, 213. 214. dies Solis, seu dominicus, 210. Saturni, seu sabbati, 211
Dies octaua notabilia, 255. 256
Dies miraculorum, 431. 432
Difficulter acquisita plus delectant, 555. 556
Dilationis rerum caussa superstitiosa, 113
Diognetus pictor, 280. 281
Dionysius Ascalonis Episcopus, 782
S. Dionysij Corinthiorum Episcopi elogia & vita, 766. & deinceps, eius epistola, 769. 770. 773. martyrium, 772. 783. Reliquiæ, 773. 784. scriptorum fragmenta, 774. & deinceps.
S. Dionysius Viennensis in Gallia Episcopus, 456. 457. 162. 663
Diuites saluari difficillimum, 100. 101
Diuortium Christianæ à viro Gentili ob castitatem, 177
Dominicæ cultus & obseruatio qualis fuerit antiquitus, 210. 211. 212
Duella spectare Christianis antiquitus interdictum, 762
S. Dunstanus Cantuariensis Episcopus, 134

E.

Ecclesia arbori comparata, 751. & naui, ibidem, & viti, 190. hortus Domini appellata, 753. virgo nuncupata, 635. 730. 731
Ecclesia veritatis magistra & custos, 548
Ecclesia Catholicorum insulis fortunatis comparata: hæreticorum infortunatis, 759
Ecclesiæ cœtus dominicis diebus & quid in ijs olim fieret, 210. 211. 212
Ecclesiæ disciplina, 215
Ecclesiæ doctores & magistri in doctrinâ fidei conformes, 534
Ecclesiæ fides vbique gentium eadem, 443. 444. 530. & seqq.
Ecclesiæ nunquam non adest Deus, 125
Ecclesiæ persecutiones, 66. 176. & seqq. 418
Ecclesiarum dissidia super quibusdam consuetudinibus, 434. 435
Ecclesiarum visitatio per ipsos Episcopos, 21. 22. 104
Edictum quid? 62
Elogium quid, & quàm variè capiatur, 634
S. Emmeramus Ratisponensis Episcopus, 131
Encratitarum hæresis, 175. 395
Enoch, 249. 252
S. Epaphras Paulli comes & eius labores, 1
Epigramma sepulchri ænigmaticum, 37. 38. 136. & seqq.
S. Epimachus martyr, 61
S. Epipodij vita & martyrium, 432
Episcoporum consecratio, 60. munera principalia, 6. 60. 103. 134. 439. 440. ipsis sua ecclesia pro vxore est, 809. Quæ suis exempla præstare debeant, 41. 42. Illis exacta debetur obedientia, 545. Vocantur sæpe προεστῶτες, id est præsidentes, 210
Episcoporum antiquorum feruor & latitudo caritatis, 768
Episcoporum somnolentia discussio, 188. 418
Epistola M. Aurelij Antonini Imp. 116
Epistolæ sacræ:
- Epistola ecclesiarum & Episcoporum; Ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis, 419. & seqq.
- S. Dionysij Corinthiorum Episcopi ab hæreticis corrupta, 770. 777
- S. Irenæi Lugdun. Episcopi, 460. 476. 477
- S. Pij primi, Pont. 624
- Polycratis, 458. 827
- Victoris Papæ, 456. 457

Equuleus, tormenti species, 629. & seqq.
Erasmus d'Aurel Abbas Cysoniensis, 809
Eremitæ multi à dæmonibus supplantati, 106
S. Eros Antiochiæ Ep. 31
Euangelia quæ vera & quot? 531
Euangelij prædicatio primum munus Episcoporum, 6
Euangelium Matthæi hebraicum, 841. 849
Euangelium secundum Hebræos, 714
Eua & Maria Virg. comparatio, 528. & seqq. 566
Eucharistiæ ritus & veritas, 198. & seqq. 488. 489. 501. 548. & seqq. Eius vis & effectus, 205. 206
Eucharistiæ sumptio, 210. 212
Eucharistia Valentinianorum ritus insolens & repudiosus, 441
Εὐχαριστεῖν varia significata, 201
S. Euelpistus Martyr, 181. 182. 162. & seqq.
S. Eugenius Symphorosæ fil. mart. 352
S. Eulalia virg. & mart. 811
Eunuchi in spiritu, 698

Eunuchos

Eunuchos in carne fieri legibus Rom. vetitum, 225
Eusebij liber de martyribus, 429. 638
Euxenianus Poplio, vir illustris, 16. 19. 20. 24. 26. 73. 76. 96. 116. 117
Excommunicatio, eiusque vsus in ecclesia, 215. 458
Exequia, & earum voces propria, 168
Exercitiorum spiritualium commendatio, 184
Exorcista, eorumq; munus, 66. 67

F.

Fatigatio à dæmone exprobrata, 107
Faustina Imp. cum S. Abercio colloquium, 28. 29
S. Felix Irenæi discipulus, 452. 466. & seqq.
Feminæ ab hæreticis deceptæ, 441. & seqq. 575. 576. & ipsi earum auxilio vsi, Ibid.
Feminæ circumcisionis expertes, 250 254
Feminæ omnium ad salutem pertinentium per aquè capaces ac viri, 250. 254
Feminarum martyria insignia, 373. 421. et seqq. 430. 616
S. Ferreolus Presbyter. 452. 466. 470. 655. 657. 685
S. Ferrutio Diaconus. Ibidem
Feruor virtutis perseuerans, 135
Fictio hæretica fictione consimili irrisa, 610. 611
Ficulnea folia ad pœnitentiam, 603
Fides generatim accepta antecedit omnia opera, 757
Fides in Christum duplex, alia explicita & expressa, alia implicita & virtualis, 337
Fides vera quæ sit? 330. et seqq.
Fidei Christianæ difficultas, 738. 739
Fidei symbolum, 443. 549. eius professio in persecutione, 181. 182. 400. 401
Fidei potentissima suadela est martyrum constantia, 373
Fides precationibus exposcenda, 160. 161. 369
Fidei propugnatores præcipui e sæculo, 721
Fidei desertores metu tormentorum, 420. 634. quidam resipiscunt, et fiunt martyres, 425
Fidiculæ quid sint, et quod distinguantur ab vngulis, 629 et seqq.
Fiducia in periculis, 9. 10. 11
Flauia siue Neapolis, vrbs Samariæ, 354
Fons miraculorum potens, 124
Fontem petentes duæ feminæ, aquam vitæ æternæ inuenerunt, 732. 733
Fontium eruptio prodigiosa, 22. 44. 48. 50
Fortitudo Christianorum in morte contemnenda, 163. 190 191. 373
S. Fortunatus Irenæi discipulus, 452. 466. et seqq.
Fragmenta librorum S. Irenæi, 476. et seqq.
Franciscus Xauerius, 134
Fratres nostri estis, 189
Fratrum appellatio inter Christianos, 189. 218. 227. 617
Frumentaria largitio, 123
S. Frumentius in Indiam missus, 849
Fuga in persecutione quando licita, 65
Funem ex arena nectere, 588
Fustuarium, 635. 636

G.

Gallicanæ ecclesiæ persecutio, 418. et seqq.
S. Gallus Aruernensis Ep. 134
Gallum gallinaceum sacrificare Æsculapio quid denotet, 344. 345
Gentiles muribus et stipulis comparati, 599. ritiuum sacrorum imitatores, 196. 197
Gentilium ad fidem conuertendorum modus, 12. 13. 14. 68
Gentilium confessio, 13
Gentilium Melchisedeci et Iobi sanctitas, 91
Gentilium mores quàm diuersi à Christianis, 174
Genuflexionis in precibus commendatio, 36. 229. et seqq.
Genuflexionis locus, 36. 37. 133
Genibus flexis mortui, 72
Gloria hominis vera quæ? 600
Gloria mundana vanitas, 579
Glossa ad concilium Gangrense explicata, 628
Gnostici hæretici i. cognoscentes: quasi donum scientiæ adepti, 711
Græcæ linguæ necessitas, 750
Gratia Dei efficacia in S. Abercio, 3
Gratia Dei apprecatio, promissio, 107. 108
Gratiarum actio de beneficijs Dei impensè commendata, 75
Gratiarum actio in persecutionibus et tormentis, 396
Gratia gratis data, 374. 375
Grati erga Deum animi exempla, incitamenta, laudes, 17. 19. 75 116
S. Gudualdi genuflexiones, 231
Gula spiritus ante omnia perdomandus, 5. 6
Gymnasia Philosophorum Athenis celeberrima, 360
Gypsum lacte miscere quid? 580

H.

Hadriani Imp. rescriptum pro Christianis, 168
Hæresis ab excessu Apostolorum palam et passim grassata, 711
Hæreses VII. in populo Iudaico, 713
Hæresis fuco plena, venenosa, 578. 580
Hæresis Cataphrygum seu Montanistarum, 811. et seqq.
Hæretici et eorum dogmata despuenda, 440. 441
Hæretici circumuentores, sophistæ peruersissimi, 580. 712 ambitiosi,
Hæretici discordes inter se in punctis fidei, 531. 580. et seqq.
Hæretici expertes bonorum operum, 583. et seqq.
Hæretici inopes miraculorum, 583. et seqq. An non possint interdum facere vera miracula, 365. et seq.
Hæreticorum prosopopœia de miraculis loquentium, 367. 368. Eorum miracula, 368. 369
Hæretici quibus similes? Cani Æsopi, 590. Item muscis, 199. Item phreneticis, 589
Hæretici fraudulenti, mendaces, 576. et seqq. 580. 588. 590. 592
Hæretici impudici, 575. 576. Mulierum auxilio ad hæreses abusi, Ibid. Nouorum cursores, 577
Hæretici Scripturam sacram adulterantes, 557. 578. 580. 588
Hæretici superbi, 440. et seqq. 509. 541. 573. et seqq.
Hæreticorum mos defugiendi ad loca Scripturæ obscura, 199
Hæreticorum pudenda flagitia, 165
Hæreticorum sermonibus aures obturandæ, 543
Hæreticorum synagoga insulis inhabitabilibus et noxijs comparata, 759
Haruspices, haruspicina, 112. 113
S. Hegesippi vita et scripta, 697 et seqq.
S. Heraclas, 834 850
Herculis bustum, 180. 397
S. Hermelandus mortuus punit inobedientem, 61
Hermogenes et eius hæresis, 745. 846. 851
Hexaëmeron siue Opus sex dierum mirificè laudatum, 757. 758. Eius interpretes, 851
Hierapolis vrbs Phrygiæ, 1. 52. 793. 809. 810. iter inde Romam diebus 40. confectum, 26
S. Hierax martyr, 181. 182. 262. et seqq.

Hippodromus, 121
S. Hippolytus Irenæi discipulus, 466
Historiæ sacræ vtilitas, 698
Homo lunæ comparatus, 760
S. Homobonus, 72. 113
Hominis primi creatio, 100
Hominum tria genera secundùm Valentinianos, terreni, animales, & spirituales, 578. 579
Honoris mundani vanitas, 599
Horæ nonæ hymni, 18. 20. 25. 70. 71
Horarum ratio in Scripturis explicata, 71
Humilitas & modestia S. Irenæi, 416. 653
Humilitas in magnis ingenijs quàm necessaria, 175
Humilitas tuta in persecutionibus, 708. 709
Hyspasipis libri, 121

I.

S. IAcobi Apostoli fratris Domini abstinentia & vitæ austeritas, 702. & seqq. eius precationes & genuflexiones, 231. 702. 704. Vocatus est vulgo iustus & populi præsidium, 704. Testatus publicè Christi fidem confudit Iudæos, 705. orauit pro inimicis, & martyr factus est, præcipitatione, lapidatione, & ligni percussione, 706. Eius ad Paulum Apost. cohortatio, 454
S. Iacobus Nisibita, 130
Idea Platonica, 361
Idiota pius melior est doctissimo arrogante, 509
Idolorum irrisio, 64. 65
Ieiunia inter pascha & pentecostem olim nulla omnino, 812. 813
Ieiunia Mercurij & Veneris perantiqua, 213
Ieiunij quadragesimalis origo & diuersitas, 460. 678. & seqq.
Ieiunij sabbathi origo, 679. 682
Ieiuniorum frequens vsus, 795. 811. & seqq. eorum vis, 107. 122. Quinam illis astringuntur, 682
Ierusalem Dei ciuitas cur derelicta sit, 594
IESV nomen, 246. 247. 577. 596
IESV pueritia, 577
Iesus filius Naue, 246. 247
Immortalitas animæ credita à Socrate & impensè commendata, 3. 4. & seqq.
Impeccabilitas an homini danda in creatione fuerit? 92. & seqq. 481. 555
Impij auibus pennatis & volatu vacuis comparantur, 701
Imprecationes & exsecrationes sanctorum quàm efficaces & reformidandæ, 34. 130
Impudentia Gentilium quanta? 779
Incarnationis Domini mysterium, 95. 97. 480
Infecta ab Irenæo quæ vocentur, 484. 498. 521
Inferorum pœna & earum consideratio quàm salutaris, 83. 85. 86. 193. 257. & seqq. 627
Infidelium status in hac atque in altera vita, 91
Ingenij felicis indicia, 407
Ingrati in creatorem, 393
Ingratitudinis exprobratio, 17
Inhospitalitas punita, 34
Inobedientia amarum quiddam & malum, 557
Inscriptiones antiquæ, 54. 109. 114. 144. 293. & seqq. 381. & seqq. 616. 733
Insolentia in Legatos pœna acerbissima, 779
Intitiorum quid? 579
Intelligentia Scripturarum donum, 136
Inuitatio ad cælum, 134. 626
S. Ioannis Bapt. reliquiæ, 124
S. Ioannis Euang. 531. quot annos vixerit, 609. *quo die pascha solitus celebrare,* 660. 661
Ioannis XXII. Papæ opinio de animarum receptaculis post mortem, 332
Iosephus Scaliger refutatus, 721. & seqq.
Iræ moderatio, 267
Iraïs virgo & mart. 732. 733
Irrisio facetissima S. Irenæi in Valentinianos, 610
Israelitæ Ægyptios spoliarunt non iniustè, 596. 597
S. Irenæi vita, scripta, martyrium &c. 402. & deinceps, eius ætas & patria, 406. 607. in Galliam missio, 412. 413. labor in addiscenda lingua, 415. 617. congressus cum Valentinianis, 417. zelus tempore persecutionis, 429
Irenæus Romam allegatur, 436. pacificat ecclesias, 438. 453. & seqq. episcopatum quando susceperit, incertum, 438. librorum eius aduersus hæreses argumenta, 445. & seq.
Irenæi martyrium, 462. & seqq. 684. eius sepultura & reliquiæ, 464. 465. Discipulorum sanctitas, 466. & seqq. 685
Irenæi volumina quædam deperdita, 475. scripsit græcè, non latinè, 694. vetus interpres latinus esset emendandus, Ibid.
Irenæi laudes & elogia, 403. & seqq. 437. 512. 604. 607. Quàm multa & varia eius eruditio 611
Irenæi humilitas, pietas &c. 509. & seqq.
Irenæi documenta, 512. & seqq.
Irenæi similitudinum vindemia, 587. & seqq.
Irenæi sententiarum collectio, 599. & seqq.
Irenæi quidam naui, 688
Itinerum ab vrbe Roma in Phrygiam & contrà descriptio, 25. & seqq.
Iudæorum in Christianos odium, 189
S. Iudas Domini frater, 710
Iudicare è paucis de toto genere, 592
Iudicium Dei extremum cur differatur, 164
Iudicij extremi metus & consideratio, 186. 187. 257. & seqq.
Iudiciorum forensium æquitas & iniquitas, 192
Iuliani Imp. apostatæ impia facinora, 123. 124
Iuramentum per idola à Christianis postulatum, 426
Iusti & pij astris comparati, 760
Iustitia diuina in fidei desertores exemplum, 423
Iustini inter sanctos multi, 352. 353
S. Iustinus Petri Apost. discipulus, 352
S. Iustinus Presb. & mart. 352
S. Iustinus S. Symphorosæ fil. mart. Ibid.
S. Iustinus Treuirensis mart. 353
Iustinus Abbas, 284
Iustinus Historicus, 272. 613
S. Iustini Philosophi & mart. elogia & laudes, 153. & seqq. 161. & seqq. 276. patria & parentes, 156. 262. 353. Eius prima ætas, ingenium, studia, 156. 353. & seqq. conuersio ad fidem, 157. & seqq. 161. et seqq. 374. lucta aduersus tentationes, 162
S. Iustini apologia pro Christianis, 168. 179. earum ordo 289. et seqq. peregrinationes, 172. 376. 377
S. Iustini zelus aduersus Iudæos, 171. 190. disputatio cum Crescente Cynico, 173
Iustini varia & multiplex eruditio, 181
Iustini virtutes, 185. et seqq. Humilitas, 181. 185. 186. caritas, 189. fortitudo et constantia, 190. 191. libertas spiritus et loquendi fiducia, 191. et seqq.
Iustini sententia egregia, 192
Iustini documenta varia, 194. et seqq.
Iustini quidam naui, 327
S. Iustus Viennæ in Gallia Episc. 625. 626

L.

LAborandum semper in vinea Domini, 135
Laboris continuatio, & callum manuum, 707
Labores dæmonibus à sanctis imperati, 122

Lapida-

Lapidatio S. Iacobi, fratris Domini, 706
Lauandi ritus ante sacrificia, 196. 197
Laudant se interdum viri sanctissimi, 141. 142
S. Lazarus Magdalenæ frater & eius reliquiæ, 614. 615
Lectio euangeliorum commendata, 697
Lectio sacræ Script. in templis, 210
Lectorum ordo, Ibidem.
Legatorum populi Rom. violatio, vrbis clarissimæ excidio vindicata, 779
Leonides pater Origenis martyr, 683
Lex de eunuchis, 225
Liberalitas in pauperes, 5
Liberum arbitrium vide Arbitrij libertas.
Liber S. Abercij de disciplina, 35. 131. 132
Libri à S. Irenæo compositi & quando, 412. 416. 417. eorundem indiculus, 472. et seqq. Item 685. et seqq.
Librorum S. Iustini recensio & censura, 271. et seqq. eorundem ordo, 286. et seqq.
Librorum deprauatores, 235. 236. 777
Librorum profanorum lectio quibus vtilis, 843
Linguæ alienæ studium, 415. 617. 627
Liquorum mistura impermista, 27. 44. 45. 47. 50. 118. 119. 145
S. Lucas euang. 531
S. Lucius mart. 178
Lucilla M. Aur. Antonini filia à dæmone obsessa, 23. 24. 28. 29
Ludi ad aram Augusti, 616
Lugdunum vrbs Galliæ, & ibi à S. Irenæo gesta, 414. 415. 615. 616. 636. ecclesiæ eius institutio, 419. et seqq.
Lugdunensium epistola seu commentarius martyrum, 419. 638
Luminis extraordinarij vis admirabilis, 18. 75
Lyceum, 360

M.

In hac littera principium à Domina principe.

MAria Virginis laudes, 46. et seqq. 148. 526. et seqq.
Mariæ concepta dies, 616
Mariæ virginitas defensa, 526. et seqq.
Maria Euæ comparata & prælata, 528. 529. 566. et seqq.
Maria Magdalena & Martha, 614. 615
Mariæ Magdalenæ de Pazzi virtus, 103
Mariæ Ogniacensis mira in Dei voluntatem resignatio, 103 eiusdem pietas & genuflexiones, 131
Marcus Euangelista, 531
Mardarius martyr, 627
S. Martini Turon. Ep. auxilia in hostes, 53
Martyria Catholicorum crebra omni tempore, 533
Martyrum alacritas ad mortem euntium, 423. 427
Martyrum humilitas, & fuga gloriæ, 427. 428. 432
Martyrum exempla ad acuendam fortitudinem, 222. 373. 395. 396
Martyrum Lugdunensium & Viennensium Acta & laudes, 419. et seqq. 619. nomina eorum, 430
Martyrum S. Iustini & sociorum Acta. 181. et seqq.
Martyrum S. Ptolemæi & sociorum Acta, 177. 395
Martyrum virtutes antecedentes, 638
Martyrum Reliquiæ inuidentur Christianis, 426
Martyrum celebritas optimè honoratur imitatione virtutum, 183. 401
Martyres de pace ecclesiarum solliciti, 435
Martyres Iudicibus gratias agunt, 396
Martyrijs multiplicantur Christiani, 218. et seqq.
Matthæus Euangelista, 531
S. Maturi mart. laudes, 421. 424. 624
S. Maurontius Duaci patronus, 53
S. Maximus cubicularius Amachij, 373
Melchisedeci Gentilis sanctitas, 91. 239
S. Melitonis vita & elogia, 817. et seqq. librorum eius recensio, 817
Menæi Græcorum elogia de S. Abercio, 44. et seqq. de S. Iustino, 161. et seqq.
S. Milles Episcopus in Perside, 130
Miltiades Sophista fidei defensor, 797
Miracula ad fidem inducunt, 160. 364. 367. sunt nota vera fidei & ecclesiæ, 366. 367. non tamen omnino certa, 368. fieri aliquando possunt ab improbis et hæreticis, 365. et seqq.
Miraculis solis, tametsi veris, non cognoscitur certò sanctitas, 366
Miraculorum potestas in quibus sit? 364. et seqq.
Miraculorum dies Lugduni quæ sit? 431. 432
Missæ sacrificium, 210. 212
Hactenus sancta.
Magistriani, magistri officiorum, 24. et seqq. 115. et seqq.
Manus in virum sanctum iniecta obrigescit, 25
Manuum arefactarum exempla, 117
Marcellina hæretica, 700. 718
Marcion hæresiarcha, eiúsque hæresis, 126. 377. 378. 577. 578. 706. et seqq. 745. 806
Marcomanni, bellum Marcomannicum, 111. 621
Marcus hæresiarcha et Marcosij, 511. 575. 576. 609
Margaritum vitro comparatum, 587. 588
Massilia vrbs, et ibi præclara, 414. 613. 614
Mater castrorum, 109
Mater Deûm, vide Rhea.
Matrimonia Christianorum, 225. et seqq.
Maximilla hæretica interitus, 804
Melloprincipes apud Adonem qui sint? 115. 116
Menander hæresiarcha, 388
Mendacio an vtendum vt helleboro? 794. 810. 811
Mimis in scenam aditus Massiliæ interdictus, 614
Miscere gypsum lacte, quid? 580
Mithras id est sol apud Persas, qui et eum colunt, 206
Mithræ mysteria, rituum sacrorum æmula, Ibid.
Montani et sociorum initia laudabilia, finis malus, 435. 436. 795. 796. 811. et seqq.
Montanus idem auctor et dux Montanistarum, ibid. et 647. 648. 793. et seqq. 802. 804
Mortis despectio, 257
Mortis tempus reuelatum, 37. 133. et seqq.
Mulieres et earum virtus, vide fœminæ.
Mundus mari comparatus, 758. 759
Munerum generosa repudiatio, 120. et seqq. 126
Mutui petitio reddendi in cælo, 134

N.

NEstor martyr, 627
Nicopolis Palæstinæ, olim Emmaus, 124
Nili Abbatis in Calabria sanctitas, 93
S. Nili Abbatis Constantinop. locus insignis, 219
Nomina barbara et peregrina, 648
Nomina ex euentibus data, 133
Nomina quoto natiuitatis die imposita, 256
Nouissimorum hominis consideratio, 257. et seqq.
Numismata antiqua, 354. 636
Nuptiæ secunda à Montanistis reprobatæ, 811. et seq.
Nuptiæ operâ dæmonis dilatæ, 24

O.

OBedientia cæca et prompta, 27. 119. 570
Obedientiæ fructus, 61

Obedire Deo quanti referat, 556. 557
Oblationes, Offerre Deo primitias, 548. et seqq.
Obseruantia in praeceptores, 408. 409
Oculi lippientes quid patiantur, 750
Oculus mentis purus esse debet, 159
Odoris fragrantia è Reliquijs Martyrum, 471
Ogdoas Valentinianorum, 448. 589. 650
Officia diuina in Gentilium Imp. aulis quæ? 115
Opera bona ad salutem necessaria, 598
Optimatum gubernatio Massiliæ praeclara, 614
Oratio, vide Precatio.
Origenes fidei causa tortus, 631. eiusdem laus et defensio, 844
Osculum mutuum in sacris, 198
Oua parua et subuentanea quæ? 578. 579

P.

Panis immortalitatis, 485
Panum in ciues erogatio, 128
S. Pantænus, et vita eius, 839. et seqq. fuit Hebræus genere, secta Stoicus, 840. Præfuit Alexandrino gymnasio, ibid. Profectus est Alexandria in Indiam, ibid. Reuersus ex India curam resumpsit gymnasij, maximéque floruit, 842. Scripsit commentarios in Scripturam, 845. 851. Matthæi hebraicum euangelium ex India retulit in Ægyptum, 841. 845. eiusdem Pantæni obitus et sanctitas, 844. Documentum ipsius pro intelligentia Scripturarum, 845. 846
Papæ nomen, 283
S. Papiæ laus, 409
Papiani Iurisconsulti nex iniusta, 656
S. Papyrius Polycarpi discipulus, 817. 827
Paracodas Viennensis in Gallia Ep. 663
Parœcia idem quod diœcesis, 616
Paschatis dies controuersus, 438. 448. 453. et seqq. 460. 826. quanta celebrantium diuersitas, 677. 678 celebrari in dominica quandónam et vbi statuerint Apostoli, 661. et seqq.
Passionis Domini IESV CHRISTI vera æstimatio, 594
Pater appellari solet omnis ætate senior, 159
Patientia Christianorum, 217
Paulli Ap. moderatio animi, 454
S. Paullus eremita, 72
Paupertatis amor et commendatio, 4. 32
Paupertas tuta in persecutionibus, 708. 709
Pauperum amor et adiuuandorum cura, 4. 5. 30. 41. 123. et speciatim in cœtibus ecclesiarum, 210. 212. 216. 217
Peccati mortiferi grauitas 69. remedia, 14
Pecuniæ amor indignus philosopho, 157
Pecuniarum cupidi despicabiles sunt, 30
Pecuniarum repudiatio admirationem parit, 30. 110. et seqq. 126
S. Peon martyr, 181. 182. 262. et seqq.
Pepones, de hominibus nihili, 610
Pepuziani hæretici seu Montanistæ, 811. et seqq.
Peregrinationes S. Abercij, 26. 31. et seqq. 37. 48. 124. 125. S. Iustini, 172. 376. 377. S. Hegesippi, 699. et seqq. 712. 716
Peripatetici quinam et vnde dicti, 156. 159
Persecutiones Ecclesiæ, 462. 619. 794. 795. 824. 825
Perseuerantia in laboribus, 35. 131. 134. 135
Perseuerantia fidei Tatiano S. Iustini discipulo defuit, 175
Peruigilationes, 107
Petrus Vellius exequijs suis viuus interfuit, 134
Pharbathus, Ægypti vrbs, 649. 650
Pharus Ægyptiaca, 253
Philippi nomine plures fuerunt clari, 792
Philippus Apost. 1. 52
Philippus Diaconus & filiæ prophetides, 807
Philippi Gortynæ Ep. vita, scripta, mors, 790. et seqq.
Philoponus Diaconus, 781. et seqq.
Philosophia laus & definitio, 158. 170. 362
Philosophorum tria Athenis celeberrima gymnasia, 360
Philosophorum quorundam vitia & praua opiniones, 156. 170. 173. 174. 306
Philosophorum diuersæ sectæ vndenam? 170
Photius librorum censor accuratus, 799
Photina Samaritana mart. 732. 733
Phrygia eiúsque partes, 56. 128. 129
Phrygum spiritus prophetia qualis, 435. 436
Physiognomon quid, et quod eius officium, 341. 342
Pietas erga Deum, 1. 2. 56
Pietas Gentilium Impp. qualis, 62. 63
Pij et probi astris comparati, 760. item auibus superna petentibus, 761
S. Pinyti Gnossiorum Ep. vita et scripta, 786. et seqq.
Piscis allegoricè, Christus, 142. 143
Piscina probatica profanis Scriptt. ignota, 385
Platonici Phil. et eorum scita veritati conformia quænam? 360. 361
Pleroma Valentinianorum et eius mysterium, 578
Pœnitentia Adami primi parentis, 603
Pœnitentia ad salutem necessaria, 238
Pœnitentium exaltatio, 95
Pœnitere in Deo aut in homine quid in Scripturis? 101
Pola vrbs Istriæ, aliàs Iulia pietas, 145
S. Polycarpi Smyrnæ Ep. laus, 409. 414
Polycrates Ephesi Ep. et primas Asiæ, 458. 459. Eius opinio de paschate expenditur, 659. et deinceps. Item 676. et seqq.
Pontici adolescentis egregium martyrium, 416
Pontificum Romm. in ecclesias munificentia, 775. eorundem epistolæ in ecclesijs olim lectæ, ibid.
Pothinus Lugdunensis Ep. martyrium et laudes, 423. 633
Potus aquæ recusatus, eiúsque recusationis punitio, 34. 129. 130
S. Praxedes virgo, 377
Portus Romanus, vrbs Italiæ, 118
Præfectus Vrbis quid? 269. 270
Præsentia Dei, 257. et seqq.
Præsides prouinciarum qui? 270
Precandi modus optimus, 229. et seqq.
Precatio in forma Crucis, 243
Precatio hora nona, 18. 20. 25. 70. 71
Precatio pro persecutoribus, 363
Precationum vis, 34. 68. 160
Precationes multorum in commune efficaciores, 107. 210
Preces canonicæ, 71. 72
Presbyter idem aliquando quod Pontifex Maximus, 460
S. Primus Corinthiorum Episcopus, 701. 733
Princeps idem quod Imperator, 116
Principes officiorum qui? 115
Priscilla pseudoprophetis, 811. et seqq.
Priscilliani et Priscillianistæ qui differant, 811
Probatio optima, confessio aduersariorum, 599. 600
Proconsules qui? 270
S. Procopius mart. 373
Programma, 62
Profanarum litterarum vtilitas, 611

Profectus

Profectus in virtute, 516
Prophetarum laus, 159. 160. 165. 240. 564. 565
Prophetæ astris prælustribus comparati, 760. *fuerunt quidam primo & secundo sæculo*, 807
Prophetæ varijs modis prophetarunt, sermone, visione, conuersatione, operibus, 540. *Illorum nullus in terra superstes vidit Dei essentiam*, 540
Prophetia donum, 823. 824
Prophetarum falsorum impudicitia, 575. 576
Prouerbia Salomonis laudata, 714
Pseudopropheta, 811. & seqq.
S. Ptolemæus fidei magister fit martyr, 177
S. Pudentiana virgo, 377
Puniendorum hominum auiditas, 102
Purgatorium, 79
Pythagorei, 157. 360

Q.

QVadragesimas tres quotannis ieiunabant Montanistæ hæretici, 811. & seqq.
Quadratus Athenarum Ep. propheta noui testamenti, 807. *eius laudes*, 769
Quæstiones a Gentilibus S. Abercio propositæ, 19. 20. 76. & seqq. 92. & deinceps.
Quartadecimani, 61

R.

REchabitæ insignes virtute, 706
Religionis Christianæ laus, 217. & seqq.
Religionis & superstitionis diuersitas, 65
Reliquiæ Sanctorum tutamenta sunt vrbium, 52. 53. *Earum locus regulatur diuinitus*, 430. 431
Repudij libellus, 177
Resipiscentia quàm difficilis? 599
Resurrectionis credendæ difficultas, 182. 739. 742. *eius assertio & probatio*, 182. 481. & seqq. 742
Resurrectio eiusdem carnis fuse probata, 299. & seqq. *Ea ridetur ab Ethnicis*, 427
Resurrectionis mysterium in sacris Mithræ aliquatenus adumbratum, 207
Rhea Dea quæ, 57. 58
Ridere in academia Platonis non permissum, 360
Roma qui hæresiarchæ nidulati, 616. 617
Romana ecclesia laus & Pontificum successio, 542
Rupifocaldus Cardinalis, 282. 299. 480
Rusticus Præfectus Vrbi, 181. 182. 262. 265. et seqq.
Rusticum, rusticum, 119

S.

SAbbatum & eius celebrandi origo, 256
Sabbato perinde atque aliàs fiebat circumcisio, 251
Sabellius & Sabelliani hæretici, 812. 813
Sacerdotalem ordinem quomodo iusti omnes habere dicantur, 606. & seqq.
Sacrificia pro defunctis, 544
S. Sagaris Ep. & mart. 817. 826. 827
Saluandorum paucitas, 93. 94
Samaria & eius oppida, 354
Sancta & Sancta sanctorum quid sint, & quomodo differant, 723
S. Sancti, Diaconi Viennensis in Gallia & martyris res gestæ, 421. 422. 424. 623. 624. 627
Sanctitatis fama, efficax animorum illecebra, 73
S. Sanctulus, 117
Sanctus, Sanctus, Sanctus idem Deus, qui & Semo dicitur, 387
Sanguinis esu interdictum ab Apostolis, 628
Sardis vrbs Asiæ, 811
Schismatici, Schismatis pernicies, 497. 585. & seqq.
Schola catecheseos Alexandrina celeberrima, 840. 848
Scientia sine timore Dei perniciosissima, 509
Scipionis gestandi vsus, 60
Scriptores sacri quam vtiles Ecclesiæ? 56
Scriptura sacra, & sex B. Irenæi de illa documenta, 535. & seqq. *Documentum* 1. *Scriptura sacra est columna & firmamentum Ecclesiæ & spiritus vitæ*, 535
2°. *Scriptura sacra est perfecta, id est, certa & indubitata veritatis*, 535
3°. *Scriptura quæpiam sunt intellectu difficillima*, 503. 510. 535. et seqq.
4°. *Scripturæ difficiles explicandæ sunt per faciliores, non contra*, 538
5°. *Scripturæ græca interpretatio per* 70. *Interpretes facta est diuinitus, eáque potissimùm vsi sunt Apostoli*, 538. 539
6°. *Prophetæ non vno, sed varijs modis prophetarunt, nimirum sermone, visione, conuersatione, actione*, 540
Scripturæ sacræ laus & auctoritas, 231. 233. 370. 510. *difficultas*, 245
Scripturæ sacræ vis, 160. 161. *eius verba quanti facienda*, 185
Scripturæ lectio & interpretatio, 745. 746
Scripturæ legendæ sunt, vt habentur in ecclesia catholica, 546. *Earum assiduum studium*, 409. 410. *earum intelligentia donum*, 374
Scripturis sacris abuti, 588
Scripturæ adulteratio, 235. 236. 745
Scripturæ adulterinæ hæreticorum, 577. 578. 588
Secta vox in bonam partem vsurpata, 216. 815. 816
Sella ferrea ardens, tormenti species, 634
Semo Deus, 387
Senes indefessi, 135
Senis nonagenarij insigne martyrium, 423
Sententiarum egregiarum collectio, 599
Septuaginta Interpretes Scripturæ, & eorum cellulæ, 172. 232. et seqq. 377. 538. 539
Sepulchris sepulchrum non superponendum, 138. 144
Sepulchri inscriptio, 37. 136. 137
Sepulchri proprij cura, 37
S. Serapionis Antiocheni Ep. vita & documenta, 852. et seqq.
Seruire diabolo durissimum, 209
Seueri Imp. persecutio, 461. et seqq. 683
Sibylla, Sibyllini versus, 79. 80. *Earum vaticinia ad fidem conducibilia*, 162. 163. 165. 191. 375. 376. 738
Silas propheta in nouo testamento, 807
S. Simeon Christi propinquus, insignis martyr, 705. 708. et seqq. *Accusatores eius puniti*, 709
Similitudines egregiæ, 587. et seqq. 751. 756. et seqq.
Simonis magi hæresis, 167. 190. 381. et seqq. 387. 388. *Ei erecta statua*, 167. 381. et seqq.
Simoniacorum culpa quam infamis & exsecranda, 120. 121
Simplicitas sancta Mardarij Martyris, 627
Simulacrorum confractio caluitus mandata, 8. 409
Sinapis granum. Christus Dominus, 751
Singularitatis in victu exemplum, 628
Sitis arida cruciatus quantus? 132
Spes Christianorum quam certa, 257. et seqq.

Spiritus sanctus, esca vitæ, 485. ros Dei, 547
Spiritus sancti dona, 164. 186. 240
Spiritus sancti necessitas, 375. 547. 548
Spiritui recipiendo bona præparatio est ardentissimum eius desiderium, 375
Spirituales homines sunt volucres cæli, 751. sunt ad omnia diiudicanda apti, 481
Spirituales esse debent, qui ad regnum Dei adspirant, 598
Sobrietas, & sobrietatis exempla, 18. 30. 216
Socrates philosophus qualis fuerit, & an fide Christiana sufficienter ad cælum imbutus, 333. & seqq. De illo S. Iustini testimonia, 334
Socratis amor castus fuit, 338. & seqq. 342
Socratis dæmonium fuit Angelus eius tutelaris, 347 & seqq. Deorum cultor quatenus fuerit? 342. & seqq. Corruptor iuuentutis calumniosè appellatus est, cùm esset emendator, 341. Veritati nihil prætulit, 179. Philosophiam meditationem mortis esse dixit, & quomodo id intelligendum? 339. Studium eius omne & vnicum fuit, homines à vitijs abstrahere, & attrahere ad virtutem, à quo studio ne cessaret, elegit mori, 334. 335. Eius facta heroica, & sancto euangelio ante euangelium conformia, 334. Quænam illi obiecta fuerint vitia & quam falso, 357. & seqq.
Solitudo apta meditationi & studijs, 158. Item diuinis illustrationibus, 161. 184
Sophista nomen in bonam partem, 816
Soter Papa quot annos ecclesiam rexerit, 641. 642
Soteropolis, 129
S. Stephani zelum imitatus est S. Iustinus, 171
Stipis pro pauperibus collectio in ecclesijs, 210. 212. 216. 775. 785
Stoici philosophi, qui & vnde dicti? 156. 359. Eos sectatus est S. Pantanus, 818
Studia litterarum Massiliæ olim florentissima, 614
Successoris in episcopatu designandi cura, 38. 145
Superbia in hæresim præcept. & illi adhærens, 394. 440. & seqq. 509. 541. 601
Superbiæ signa externa, 579
Superstitionum exempla, 115
Superstitiosæ artes inefficaces, 24
Symbolum fidei, 443. 543. 549
Synnada, metropolis Phrygiæ, 25. 34. 128

T.

TAtianus S. Iustini discip. & comes, 172. & seqq. idem postea hæreseos Encratitarum auctor, 175. 393 394
Telesphori Papæ martyrium quo anno? 380
Terreni terrena sapiunt, 257. iÿ quadrupedibus & reptilibus comparati, 761
Tertulliani lapsus in hæresim Montani, 796. 814. 815. Illi falso & ineptè attribuuntur libri quinque carminum in Marcionem, 646. 647. De illo plura in Auctorum indice supra.
S. Tharacus martyr, 627
Thaumaturgi nomen quibus tribuatur? 148
Thebutes ex ambitioso fit hæreticus, 713. 734
S. Theodosia mart. sapientia, 373
Theodotus Montanista, eiusque interitus, 435. 647. 804
Theodulus S. Nili Abbatis filius, 214
Theophili plures in Scriptoribus sacris, 763
Theophilus Alexand. Ep. 762
S. Theophilus Cæsareæ Palæst. Ep. 763
S. Theophilus Antiochiæ Episc. cuius hic vita descripta est, 736. & seqq. Conuersio eius ad fidem, 737. & seqq. Congressus cum Autolyco Gentili, 741. Eiusdem episcopatus & occupationes sanctæ, 743. & seqq. Scriptorum eius index, 746. Florilegium ex eiusdem scriptis, 748. & seqq.
S. Theotimus Tomitanorum Episcopus Thaumaturgus, 117
Thermæ Timothinæ, 172. 181. 377
Thyatira, ciuitas Asiæ, 608
Thyrso percuti quid? 850
SS. Tiburtius & Valerianus martyres, 373
Timoris Dei salutaris exemplum, 13. 186. & seqq.
Timuchi, Massiliensium magistratus, 614
Titulus, elogium, 635
Traditiones Ecclesiæ, 541. & seqq. 674. & seqq.
Transmutatio rei alicuius in aliam, 352
Tribulationis necessitas, 604. & seqq.
Tribunus militum, 622
Tribunus plebis, ibid.
Tribunitia potestatis anni non semper concurrunt cum annis imperij, 380
Tributa à Christianis pendenda, etiam Gentilibus magistratibus, 223
SS. Trinitas appellatur trilux, trisol, trisolaris, 148 eius mysterium, 502. 517. & seqq. 752. 754. 755. Illud male interpretati sunt Montanistæ posteriores, & Sabelliani, 812. 813
Triumphus quidam Dei est passio martyrum, 373
Trophæa, crucis instar referentia, 242. 243
Tryphonis Iudæi cum S. Iustino de fide congressus, 169. & seqq.
Tumultus ob idola confracta, eiúsque inopinata sedatio, 10. 11
Turibius Præsul Toletanus, S. Irenæi amicus, 445
Tympanum & varia eius significata, 635. 636
Τύμπανον & Τυμπανίζειν. ibid.

V.

VAgabundi homines planetis comparati, 760
Valentia Allobrogum, 466. 470
Valentini hæresis, 440. & seqq. 445. 448. 578. & seqq. 584. 648. & seqq.
Valentiniani à Christianis excommunicati querebantur se vocari hæreticos, 578
S. Vallerianus martyr, 181. 182. 262. et seqq.
Vdonis Magdeburgensis Archiepiscopi punitio diuina horribilis, 104
Vectigalia à Christianis pendenda, etiam Gentilibus magistratibus. 223
Veneris nomen pronuntiatu formidabile, 214
Veritas non est abscondenda, 181. 182. 190. 192. 317. Nec dicto, nec facto vnquam violanda, 794. 810. 811
S. Verus Viennensis in Gallia Episcopus, 625. 663
S. Vetij Epagathi laus et martyrium, 420. 622. 623
Vexilla, crucis formam gerentia, 241. 243
Viaticum S. Abercij Episcopi, 26. 119
S. Victor Papa, et eius cum Polycrate Ephesino primate controuersia, 453. 456. et seqq. 659 665. Eius epistola, 456. 457. 662. 663. Admonetur ab Episcopis, 459. et seq. Illius in Orientales excommunicatio vexcusatur, 665. et seqq.
Victoria precibus Christianorum obtenta, 621
Viennensium in Gallia Episcoporum series, 625
Vigilantia Episcoporum, 41. 815
Villici parabola, 751. 752
Vincula martyrum, preciosa ornamenta, 423
Vinnaloci Abbatis genuflexiones, 231
Virga Apostolis gestari prohibita, 60. 61
Virginitatis laus, 226. et seqq.

Virtus

Virtus decussata quid? 243. 244
Virtutis habitus, et oratio mascula, 180
Visio S. Felicis Presbyteri, 467
Visitatio ecclesiarum ab Episcopis, 104
Vita electio, 180. 397. 398
Vitrum cum margarito comparatum, id est, fictitia cum veris, 587. 588
S. Vitus, 113
Vngula à fidiculis distinguuntur, 619. et seqq.
Vocabula exoleta fugienda, 150
Vologesus, rex Parthorum, 110. 111
Volucres cæli vocantur homines spirituales, 751
Voluntatis humanæ cum diuinà conformatio in omnibus, 103. 108
Voluptatis illecebra, in Gentilibus maxima, proxima in hæreticis, 69

X.

XYstus, porticus, 391
Ξυλοκοπία, fustuarium, 635. 636

Z.

ZAcharias, Presbyter Irenæi; et in episcopatu successor, 452. 462. et seqq.
Zelus fidei, 7. 8. 42. 43. 61. 64. 188
Zelus S. Iustini in Gentiles et Iudæos, 171. 176
Zopyrus physiognomon, 342

F I N I S.

Ad maiorem Dei Opt. Max. & Sanctorum eius gloriam & honorem.

Errata quædam corrigenda.

Pag. 76. col. 1. E. *lege* Euxenianus. P. 88. col. 1. D. *lege* Cæli enarrant. P. 114. in inscriptione, linea 4. *lege* Attidius. P. 133. in margine *lege* psal. 144. v. 19. Pag. ead. col. 2. F. *lege* Athanasio. P. 200. linea 36. *lege* Οὕτως καὶ τὸν. P. 208. lin. 24. *lege* cap. 33. *non* 24. P. 310. lin. 3. *lege* perennare volunt. P. 334. lin. 4. curatione *lege* cum ratione. P. 344. linea 23. *lege*. At in ipsa. *non* Et. ibid. lin. 38. *lege*. Hinc &c. *non* Huic. P. 346. lin. 24. *lege* in terra Ausitide. Pag. 357. col. 2. in versibus, *lege* Accedet linguæ, *non* accedat. Pag. 417. lin. 2. *lege* curiosissima. P. 436. lin. 22. *lege* in S. Apollinare, *non* Apolline. P. 497 ad marginem, *lege* Matthæi 23. P. 550. ad marg. *lege* Apoc. 21. v. 3. P. 564. in marg. *lege*. Ioan. 14. v. 28. Pag. 565. lin. 35. *lege* occasionem. P. 769. linea 41. *lege*. quem etiam. *non vero*, cuiquam.

APPROBATIO.

VITAS Scriptorum Ecclesiasticorum, qui secundùm Apostolos & Euangelistas sanctitate & doctrina inter Græcos claruerunt, à R. P. PETRO HALLOIX Societis IESV Presbytero compositas, & Documentis atque Notationibus illustratas, tanquam ecclesiæ perutiles, ac nihil à fide vel ab honestis moribus alienum continentes, bono publico in lucem edi posse censeo.

MATTHIAS NAVÆVS S. Theologiæ Doctor, & Pastor in S. Petri, & librorum censor.

CENSVRA.

EGO infrà scriptus, ex auctoritate Rmi. Domini Hermanni Ottembergi, Episcopi Atrebatensis, Censor constitutus, iudico Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum vitas à R. P. PETRO HALLOIX Societatis IESV Presbytero compositas, esse luce lectuque dignissimas. Quippe quas & summâ fide industriaq; concinnauit, & pereleganti pióque stilo cônscripsit. Duaci, 1. Februarij, 1624.

FRANCISCVS FOVRNETIVS è Societate IESV, S. Theologiæ Doctor ac Professor.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII

REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum Rex &c. diplomate suo sanxit, ne quis præter Petri Bogardi voluntatem imprimat, simulet, alibi impressa, simulatáue in suas inferioris Germaniæ terras importet, aut venalia exhibeat Opera PETRI HALLOIX, Societatis IESV Presbyteri, inscripta, ILLVSTRIVM ECCLESIÆ ORIENTALIS SCRIPTORVM VITÆ ET DOCVMENTA, intra octo annos ab hac prima impressione. Qui secus faxit, librorum confiscatione & alijs pœnis in deplomate expressis multabitur. Datum Bruxellæ III. idus Augusti, CIↃ. IↃ. C. XXIIX.

Signatum

De Berti.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrà scriptus Soc^tis^. IESV in Gallobelgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Soc^ti^. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Soc^tis^. hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, facultatem do PETRO BOGARDO Typographo Duacensi, vt librum, cui titulus est: *Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui sanctitate iuxtà & eruditione secundo Christi sæculo floruerunt, Vitæ, & Documenta, Auctore* PETRO HALLOIX eiusdem Soc^tis^. Sacerdote, ad octo annos proximos imprimere, & liberè distrahere possit. In quorum fidem has manu propria subscriptas, & officij sigillo munitas dedi. Duaci, 18. Augusti. 1636.

FRANCISCVS DE LA CROIX.

874

Digitized by Google

REPT. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni Di Giacomo
Tel. 71650 - PESCARA
1975

Digitized by Google

Digitized by Google